SEB. SAP.

a Conſanguineo. Add̃ q̃ Papa pec cat mortaliter, ſi det res eccleſia-ſticas conſanguineis ſuis, ut eos diuites faciat p̃ alijs, ut per Feli. in c.quæ in eccle ſiarũ,col.6.uerſi. & quouis reſpũ, ſupra de conſti.

b Et diuidit. Adde quod voluit Lap pus alle.68.in fi.

c Donat alteri. Ad de do.Car.conſi. 8.Cal.conſ.3. de reb.eccle.& uide Ro.conſil.77.

probet Archiepiſcopus, quod tpe cõpetenti contulit, &c.vr̃ uelle ſuſtinere collationem;aliàs fruſtra admitteren tur probationes,quarum nullus ſeque retur effectus, ut in c.cũ contingat de offic.deleg. Et credo, q̃ inquãtum gl. facit differentiam inter collationẽ, & electionẽ q̃ procedat dictum glo. in elect. in qua eſt ſeruanda forma c. qa propter,non autẽ in alijs; quia cũ publicatio ſit de forma illius ca. non dicemus aliam collationem corruere, ubi nõ ſubeſt defectus formæ.Illud.n. c.quia propter, tãtum procedit in eccleſijs cathedralib⁹ & regularibus col legiatis,non autem in alijs.Vnde ſuffi ciunt in illis ſimplices cõſenſus cano nicorum;nec debemus inducere pœnam nullitatis, ex quo non eſt iure ex preſſum,nec extendere conſtitutionẽ pœnalẽ. Nã pẽ nalis eſt illa conſtitutio, inquantũ inducit pœnam re tractationis,iuxta no.per gl.in c.decet,de imm.eccle. li.6.& plenius dixi,an & qñ retractatio actus ſit pœna,

19 in c.cognoſcentes,de conſt. † In gl.ſuper uerſi. [*Carnalitatem*] ibi [*Simoniam committere*] no. gl. q̃ conferens

a beneficium ſpirituale cõſanguineo,ª uel amico, aliàs nõ cõceſſurus ceſſante conſanguinitate,uel amicitia, committit ſimoniam.Tu dic,ut plenius no.in c.tua, de æta.& qua, 1.q.1.c.ſi quis neque, & c.ſunt nonnul-

20 li.† In gl. ſuper uerb. [*Conſtituat.*] in fi.not. ſp hanc gl. q̃ Eps cum cap. ſuo poteſt ſtatuendo retinere ad tem pus fructus beneficiorum uacantium in ſua diœceſi pro exoneratione ſuorum debitorum. Et intellige de debitis contractis nomine eccleſiæ: nam ſi contraxiſ ſet priuato nomine,non teneretur eccleſia,ut in c.1. de ſolu.& opi.huius gl.tenet etiã Inn.qui multum latè proſequitur hic iſtum articulum ponendo latã poteſtatem Epiſcoporũ circa beneficia ſubiecta.Nã cau

b ſa illa unit, & diuidit,ᵇ ut in c. ſicut unire, de exceſ. præl.& c. ad audientiã,de eccle.ædifi.& c.uacante, ſu pra de præben.Itẽ ſupprimit dignitatẽ, ut no.in c.cũ

c acceſſiſſent, de conſt. rem unius eccle.donat alteri[c], ut in ca. 1.de reb. eccle.non alie.li.6.no.in c. conſtitu tus.infra de reli.do.Sic poterit fructus beneficij uacã tis ſeruare ex cauſa pro utilitate ipſius eccl̃æ, uel pro uſibus ſuis,ex quo indiget.Et vr̃ Inn.uelle,q̃ hanc alie nationẽ & ſimilẽ põt Epiſcopus facere etiam ſi bene ficium ſit ius patronatus laicorũ;argu.10.q.1.c. noue rint,& c.regenda.Fatetur tñ, q̃ de honeſtate debet in alienatione requirere cõſenſum patronorum; patro-ni tñ poterũt extra cauſam contradicere,ut 16.q.2.c. filijs uel nepotibus.Et no.hoc ultimũ dictũ,q̃ī aliena tione eccleſiæ patronatæ de honeſtate & nõ de neceſ ſitate requiritur cõſenſus patronorũ; & ſatis placet,p d.c.nouerint.Sed quia patronus poteſt ꝺicere, ubi ſi ne cã fieret alienatio,ut in d.c.filijs, utile eſt ad litigia euitanda habere cõſenſum ipſorũ patronorũ.Sed quo ad principale dictũ gl.& Inn.aduerte, quia vr̃ obſtare multũ cle.2.de reb.eccle.nõ alie. ubi dr̃ Epm nõ poſ ſe unire menſę ſuæ,uel cap.aliquam eccle. licet poſſit unire ſingularibus præbendis, ut in ca.expoſuiſti, de præb.Ratio,quia uniendo menſæ ſuæ,uel ca.authori-zaret in facto proprio;quod nõ licet,ut in l.1.& l.pu-pillus,ff.de autho.tut.Et licèt Ioan. An. aperte nõ fir-met hanc opin.cõtrariã, tamen videtur magis in iſtã partem inclinare, & clarius hanc opin. ꝺriam ſentit ī c.ſi pp tua debita,de reſcri.li.6.Nec ob.ſi dicat̃ cle.p̃-al.loqui in perpetua cõceſſione,hic uerò ad tẽpus, qa duplex eſt cauſa ꝓhibitionis. una perpetuę alienatio nis.altera,ne authorizaret in facto proprio.Vñ in con ceſſione tpali licet ceſſet prima cauſa, nõ ceſſat ſcda; ſufficit ergo alterã cãm ſubeſſe, ut Inſti. de nup.§. affi nitatis.Et ſi diceremus ꝺriũ,poſſet Eps facere fraudẽ: quia renouaret conceſſionẽ in fine quinquẽnij, & ſic indirectè faceret eam perpetuam.Et ſatis mihi placet hoc dictum ꝺrium. Sed difficile eſt reſpõdere ad iſtũ tex.poteſt tñ intelligi, qñ Eps conſtituit hoc non pro utilitate ſuæ mensæ,uel Capituli, ſed pro utilitate eccleſiæ cathedralis, puta ſi fabrica eccleſiæ cathedralis nõ ſufficit,nec canonici cum Epo ſunt potentes ad re ſtaurationẽ fabricæ; poterit tunc conſtituere cum Ca pitulo, ut fructus beneficiorum uacantium cedant fa bricæ ad certũ tp̃s;& hoc uoluit Io.An.in d.c.ꝓpter, & bñ facit d.c.1.de reb.eccle. nõ alie.li.6.Contra hoc tñ facit iſte tex.ubi Eps reſeruauit uſibus ſuis. Sed põt dici,q̃ Papa in uer.[*Si uero*] non refert ſe ad factum illius Epi,ſed dat regulã generalem, an & qñ poſſit Epi ſco. retinere fructus eccleſiæ uacãtis; & dicit q̃ pro iu ſta & neceſſaria cauſa hoc poteſt,ſed non eſt iuſta, ut retineat ꝓ utilitate ꝓpria, ne authorizet in facto ſuo. Nec ob.c.pen.de uerb.ſig.quod gl.alleg.pro ſe.nã ibi Eps impetrauit hoc priuilegium a Papa, ergo p ſe nõ poterat, quia fruſtra precibus impetratur, &c. C.de Theſau.l.1.li.10.& no.ī c.1.ſupra de reſcr.Et licet cau ſa in ſe ſit iuſta, tñ obſtat, quod dixi, ne authorizet in facto proprio;ſed multum me mouet in ꝺrium d.l.pu pillus.§.pe.ubi dicit multũ ſingulariter tutorem poſſe emere rẽ pupilli ipſo authore, dũmõ hoc faciat palã, uel interponere tertiam perſonã ad emendũ, & pote rit ipſe præſtare authoritatẽ; & utrunq; modũ ibi ap-probat Bal.quod vr̃ ꝺ. cle. fi.& dicta Io. An. Sed poſ ſet dici,q̃ illa cle.procedit in collatione gratuita. Nã ibi eſt ſemper ſuſpicio:ſed in ꝺctu nõ gratuito, ut uen ditio,quę palam explicatur,ceſſat ſuſpicio ꝺ tutorẽ,& pro hoc facit l.1.& d.l.pupillus,in prin.ubi patet,q̃ pu pillus nõ poteſt obligari tutori ipſo authore, quia, ut dixi,factũ eſt gratuitũ. Et ex illa lege potes capere bo nam limitationem ad dictam cle.2.ut prælatus poſſit emere nomine proprio rem eccleſiæ inferioris, & au-thorizare in facto proprio, quod notabis. Abbas.

DE REB. ECCLE. ALIENANDIS, VEL NON.

RVBRICA.

Continuatur ad præcedentia hoc ordine. Suprà uiſum eſt de reb. ſpiritualibus clericorum, ſcilicet de præbendis & beneficijs; meritò reſtat uidere de rebus temporalibus eorundem, quas interdum clerici alienant. Et quia dubitari poteſt,nunquid teneat alienatio, meritò ſubijcitur hæc rubr. de reb.eccle. alien. uel non.Vel ſic. Suprà uiſum eſt de collatione præbendarum & beneficiorum; ſed quia præbendati & beneficiati interdum alienant bona præben darum & beneficiorum, ideò ſubijcitur hæc rub. Nico. Abbas.

SVMMAE.

1 *Prælatus non poteſt res unius eccleſiæ alteri dare,nec adinuicẽ per mutare ſine ipſarũ conſenſu.24.cũ cauſa tamen poteſt facere.5.*

Epiſcopus habet plenam poteſtatem in eccleſijs ſibi ſubiectis.

3 *Prælatus inferior Epiſcopo non habet ius authorizandi in alienationibus rerum eccleſiaſticarum.*

4 *Permutare non poſſunt inter ſe canonici domos ſibi aſſignatas ſine licentia ſuperioris.*

5 *Epiſcopus ſi ædificauit aliquã nouã eccleſiã põt illã dotare de ſuperabũdãtibus fructibus alterius, dũmodo præcedant ſolennitates.*

Eccleſia tenetur de ſuis fructibus ſuperabundantibus ſupplere laicis indigentibus, & alteri eccleſiæ indigenti.

CAPITVLVM I.

1 NOn licet. † Breue eſt, & per alia uer ba poteſt ſic ſummari. Nõ poteſt prælatus res unius eccleſiæ alteri da re, nec inuicem res illas commutare ſine

2 ambarum conſenſu.h.d. † Nota. 1. q̃ licet Epiſcopus habeat plenam poteſtatẽ in eccleſijs ſibi ſubiectis.10. q.1.per totum. non tñ poteſt pro libito rẽ eccleſiæ ſi-bi ſubiectæ alienare,ẽt donãdo alteri eccl̃æ ſubiectæ,

& hoc

Estante — 32
Volumen — 2
Entd.ª — 6

✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 260.

4542

Exte 32
Tab 6ª
No 2

R. P.

THOMÆ HVRTADO

CLERIC. REG. MINOR.


Toletani, S. Theologiæ Romæ, Compluti, & Salmanticæ publici Professoris, & in Vniuersitate Hispalensi primariæ Cathedræ proprietarij moderatoris, in eiusdem Diœcesis Archiepiscopatu examinatoris Synodalis constituti per Eminentiss. Cardin. Spinola, Supremique Senatus S. Inquisitionis, & S. Officij Hispalensis ex munere Qualificatoris,

TRACTATVS VARII RESOLVTIONVM MORALIVM.

In quibus multiplices casus ex principiis Theologiæ Moralis S. Thomæ & Eminentiss. Caietani, methodo breui, resoluta, & clara enucleantur.

PARS POSTERIOR.

Nunc primum in lucem prodit.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON, & Soc.

M. DC. LI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

R. P.

THOMÆ

SVRTADO

DE LUGO, REG. MINOR.

TRACTATVS VARII

RESOLVTIONVM MORALIVM.

PARS POSTERIOR.



LVGDVNI,

Sumptibus LAURENTII ANISSON, & IOAN.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRIS. AC REVEREND. D.D. SEMPER MEO,

D.F. PETRO DE TAPIA,

ARCHIEPISCOPO HISPALENSI

CATHOLICÆ MAIESTATIS A CONSILIIS, &c.

Ex Sacro Prædicatorum ordine assumpto.

QVARTVS hic noster excubiarum fœtus cum iam in lucem aptaretur edendus; quibus nam auspiciis, quo nomine manus omnium adiret, nullus mihi fuit ambigendi locus. Qui enim tot rationum vinculis me sibi clientem Magnus Patronus deuinxit, fas erat; vt quo huius clientelæ ratio cunctis innotesceret, me operam aliquando nauare pateretur. Ad te igitur Tutelarem, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, quo nullus aptior, spectabilior aut iucundior, hic liber plurima debitorum vi deductus pergit, quæ in numeros quidem redacta, vtpote innumera, omnem voluminis paginam implerent. Sed & cum eorum aliquid referre tentauerim, eius modestiæ iniuriam inferre pertimui, qui laudem suam omni etiam veritati germanam erubescit. Si, quod te pietas mihi Patronum dederit, velim dicere, nemo adhuc improbus improbabit: dum enim illa magnum vbique gentium tuum nomen effecerit, nihil obsequij est quod eo dumtaxat titulo tibi non debeatur. Quo iudice? Scientiarum Matre Complutensi Academia. Vbi tu vt scientiæ Pater genuisti Ecclesiæ & Religionibus tot generosos filios, qui vbique terrarum verbum Dei disseminant; tot etiam genuisti in montanis missionibus quas voluntariè vacationum tempore suscipiebas, solus cum socio, cum baculo, & sine pera, illuminans mirabiliter à montibus æternis, edocens rudimenta fidei, quorum cognitione Montani illi habitatores multi, & bestiarum more viuentes carebant, inculti in agro Dominico. O res his sæculis mirabilis, imo admirabilis! qui destinatus ad Mitras & Ecclesias regendas, perambulabat omnia montana, vt Christo Pastori oues lucrifaceret. Iudice item Oxomensi Ecclesia, quæ fructu diues, tempore prior, extitit Ager (post Segouiensem Ecclesiam quam summa Religione gubernasti) vbi Dominicum gregem seruasti, duxisti, impinguasti. Corduba etiam amplius dolentium lacrymis irrigata, quod te Pastorem amiserit quam mœnia camposque abluentis fluminis vndis perfusa. Hispali demùm quæ paruo in tempore tot agnouit Pastores lætabunda Heroica tua virtute perennitatem præsentiæ tuæ deprecatur; nihil enim in rebus humanis stabile præter vnam virtutem quæ sola fortunæ ludibriis obnoxia non est. Neque enim virtus tua luteo nititur parieti, sed muro fidei, & antemurali Charitatis, & Religionis Dauidicæ Turri inexpugnabili cum ex ea mille pendeant clypei, & omnis fortium armatura, qua & tuos defendis, & aduersarios offendis. His tuæ ingenuitatis simonosinis, eo cunctorum voluntates allexisti, retiauisti partas metui, & velle tuo alligasti, vt cum perplu-

res

res tibi obſequendi cauſæ & rationes emergant, vna me tantùm manui tuæ ſubegit, cui niſi acquieſcerem ingratus proderer, eſſe maximum Doctorem, omni diuina ſapientia excultum omnis acropolithica litteratura politum, omni humana eruditione refertum refero non Præſulem prudentiſſimum cuius moderaminis cum efficacia lenitas, rigore benignitas, cum manſuetudine grauitas, & ſacræ quondam Prædicatorum familiæ pro gloria fuit & nunc Reipublicæ noſtræ pro ſtemmate ſempiternæ felicitatis. Hæc quidem altiori obſeruantiæ oſtendendæ vinculo mentes omnium, ora, calamoſque conſtringerent, atque calamos, ora mentemque meam huic muneri colligare ſupereſt vna illa in omnes, & in me ſingularis humanitas, qua prope diuinus es, in me inquam non ſemel effuſa, qui tuæ magnitudinis radios humilibus perinde ac trepidis obtutibus cerno, verumtamen eidem magnitudini hæc noſtra humilitas commendationis erit & laudis; quæ manus beneficentiſſimæ largitatem oſtendet, maius enim pluuiæ beneficium maiorem terræ quærit ariditatem, amplior ſolis ſiue calefaciendi ſiue illuminandi cupiditas immite frigus amat cimmeriaſque vt aiunt, tenebras, quod ergo meæ tenuitatis oblitus aliquanti me affeceris voto non adeo promeruiſſe meo quam voluiſſe tuo adſcribendum eſt. Faxit æternum, auxiliare numen, vt tuo digna famulitio opera in dies exequi valeam, ingrati animi calculo non inurar, & quo in noſtræ vrbis tutela, Heſperiæ decus totiuſque orbis honorem viuas, iuxta communem expoſtulationem, citra aliquorum inuidentiam, VALEAS.

Iudicium Hiſpalenſis Collegij Seraphici Doctoris Bonauenturæ S. Ordinis Fratrum Minorum.

MAgnas D.D. Ioanni de Ribera Hiſpalenſi Canonico, Eminentiſſimi Domini Cardinali de Spinola generali Vicario, Archiepiſcoparus Iudici, ac Prouiſori, Inquiſitori Cordubenſi: magnas, inquam, hoc Seraphici Doctoris Bonauenturæ Collegium perſoluit grates, ipſum quòd inter doctiſſimorum virorum tot minimè ſpernenda iudicia, ad inquirendam huius Moralis Reſolutorij doctrinam, elegerit: opus ſane ſpectabile ſuumque redolens authorem ad manus acceſſit eorum, qui totis illud viſceribus excipiendum fore ſperabant; ſed & ſpem probauit euentus: nam etſi illud ſæpius peruolnere deſideratam mentibus non inferret vtilitatem; eo manus ipſi fas eſſet imponere, quo floribus perpetuò redimirent, id enim ipſum opus gratos ſtudioſorum animos inuitat, æquiuſque & iuſtius quàm ille alter ait *Manibus date lilia plenis.* Manu igitur, oculo, mente, & corde floridum hoc Theologicæ eruditionis campum luſtrauimus, manus dulce munus obiuit, oculus de litteris atteſtatus eſt aureis, dum attramentatas conſpiceret, mens pariter in admirationem grauiſſimarum dubitationum clarè, & ſubtiliter enucleatarum incidit, & in ſuum edocta profectum recidit, cor tandem in authoris doctiſſimi debitum affectionis ſtudium allectum eſt. Quid non de benemeritis R. P. M. Thoma Hurtado, qui non adeo Tagi, primam à quo ſpirauit auram, aureæ doctrinæ ſpiritus decorauit oras, ſed & Salmanticæ, quòd publicum eum præceptorem adſcripſerit, Tibridis, quod vna Generalis Conſultationis aſſiſtentem, Compluti, quòd Præpoſitum, Matriti, quòd in arduis Snpremi S. Inquiſitionis Senatus rebus Qualificatorem, ac demum *Hiſpalis* (vt Locrij vtamur verbis Ferreoli) *celebre Emporium Hiſpaniæ, & Baticæ caput*, quòd iterum Præpoſitum, & Primarium in Vniuerſitate Theologum, æquè, ac facilè prædicabitur? Omni laudabiles æuo Hiſpalis noſtra viros vel edidit, vel aliunde exceptos in filios arrogauit: ij commendentur vtique, qui merito laudantur, nulla Hercle temporibus hiſce maior ſuppetit elogij materies, ea quam ore ſuggerit, & calamo S. P. M. Hurtado: quam enim in publicis diſceptationibus efficaciam argumentator ſpirat, eandem viuidiſſimus ſcriptor paginæ traducit, vt non mortuam litteram, ſed diuino quodam perfuſam ſpiritu deguſtes, in eaque authoris adhuc (vt priſci aiebant) *Sapientiam viuere* credas. *Eius* enim (pangit Ouidius) *fit viuax virtus, experſque ſepulchri.* Hi proculdubio noſtri nomen Doctoris impleuere Tractatus, etſi enim adhuc irreuoluta pagina authoris tantùm inſcriptione commendabiles rederentur, ſi vel hoc externum lateat aliquem, cuius nec alia volumina manus, nec aures fama contigerit, morale iſtud, qua par eſt, obſeruantia conſulens, leonem cognoſcet ab vngue, & à ſcintillis ignem. Ignis hic Doctor eſt: Quis neget? Dum hoc argumentorum flamma, doctrinæque ardor oſtendit. Et ignem meritò dicas: ſi enim litteratos ſpiritu ſcientiæ viuere teſtatur Caſſiodorus; ignem quo accenſi viuerent furto ſublatum è cœlo, redditumque terris, fabulas ementiti concinunt Poëtæ: vnde (ſtemmatis venia gentilitij) *Hurtado* ab igne ſcientiæ cœlis quaſi *furato* inque tot diſcipulorum cateruas immiſſo (fas ſit dicere) Præceptori tanto cognomen inditum eſt. Cuius laudum aliquam in dies occaſionem adfectiſſimi cupiebamus, vtpote qui in nullo aſſentatores credimur: *Verius eſt enim teſtis qui laudat expertus.* Ea tamen adhuc fugata nota, nec pennæ pennas, nec fila ſermoni dare fas eſt; ſed *Minore* (vt aiunt) *pomœrio*, & à Minoribus de Minore *finire.* Si vero illud nobis Plinij celebre placitum aſſonaret, quid inglorium, ſiue illaudabile conquirere niteremur, vt plaudenti digna manu plurima quæque forent. *Ita enim* (ait ille) *magis credam eetera tibi placere, ſi quædam diſplicuiſſe cognouero.* Quamobrem cum omnia placeant; id neceſſe fatemur quod ille alter, *Nihil peccat, niſi quod nihil peccat.* Hoc igitur ſemel & iterum lecto volumine, id abſque dubio referre libuit, quod de Afro illo Madaurenſi Philoſopho Antiſtes Afer Aurelius ſcriptum reliquit lib. de ciuit. 8. cap. 11. *Dicit apertiſſimè, & copioſiſſimè diſſerit.* Talem enim, ac tam diſertum calamum ea decebat in diſſerendo copia, in ſcribendo argutia, & in ſententiam ferendo maieſtas, robur, & gratia. Hic *lata anguſte* (en loquitur præfatus ille Afer Apuleius, de quo ſupra Auguſtinus) *anguſta latè, vulgata decenter, noua vſitate, vſitata nouiter proferre* hominis etiam Tenedij *mens videbit, mens audiet.* Quapropter dignum prælo cenſemus opus, hoc parum, immortalitate digniſſimum, hoc æquum; nihil enim, aut omnino, aut partim veræ, ſanctiſſimæque fidei noſtræ gnomoni, & regulæ aduerſans vel incongruens veſpiam reperimus, ideoque pedibus, non ſine albis in manu calculis, in ſententiam diſcedimus. E noſtro Hiſpalenſi Fratrum Minorum Collegio Diuo Bonauenturæ Doctori Maximo S.

Fr. Didacus Duchaues Lector Iubilatus eiuſdem Collegij Guardianus.

Fr. Ildefonſus Ximenens Lector Iubilatus.

Fr. Franciſcus Lucenilla Lector Iubilatus.

Fr. Ioannes Suarez Lector Primarius.

INDEX TRACTATVVM.

TRACTATVS VI. De obligatione Rei, & testium ad propalandam veritatem.
TRACT. VII. De restrictione mentali vocum.
TRACT. VIII. De possessore malæ fidei; in quibus casibus possit tuta conscientia præscribere.
TRACT. IX. De vsu Bullæ Cruciatæ apud Regulares, post Bullam Vrbani VIII.
TRACT. X. Vtrùm potio Chocolatica ieiunium Ecclesiæ mortaliter frangat, additus, & auctus post quintam impressionem.
TRACT. XI. Vtrùm sumptio *del Tabaco*, frangat ieiunium naturæ, etiam additus.
TRACT. XII. & singularis de examinatoribus Synodalibus.
TTACT. XIII. Variarum Resolutionum, & consultationum.

INDEX
TRACTATVVM, CAPITVM, & Reſolutionum, PARTIS POSTERIORIS.

TRACT. VI.

De obligatione Rei, & teſtium ad probandam veritatem iudici iuridicè interroganti. p. 1

CAPVT I. Sententia affirmatiua adducitur. pag. 2

CAP. II. Sententia negatiua affertur: p. 3

CAP. III. Sententia Diui Thomæ, quam Author ſequitur, aliquibus concluſionibus enucleatur. p. 4

§. 1. Non eſt improbabilis oppoſita ſententia quando præcedit ſolum ſemiplena probatio. ibid.

§. 2. Improbabile eſt aſſerere quod opinio negatiua ſit certa. p. 5

§. 3. Tenetur reus iuridicè interrogatus veritatem dicere, etiam ſi damnum in vita, fama, &c. ſequatur. ibid.

§. 4. Improbabile eſt aſſerere quod ſuppoſita plena probatione non teneatur reus dicere veritatem. p. 7

§. 5. In criminibus contra bonum publicum reus iuridicè interrogatus tenetur dicere veritatem. ibid.

§. 6. Quando dubitatur an ſit ſemiplena probatio non tenetur. ibid.

§. 7. Non tenetur reſpondere iudici quando reipſa eſt innocens, etiam ſi ſecundum allegata ſit probatus nocens. p. 8

CAP. IV. Satisfit argumentis contrariæ ſententiæ. ibid.

CAP. V. De teſtibus qualiter interrogati teneantur veritatem propalare. p. 9

CAP. VI. Adducuntur octo regulæ D. Thomæ. ibid.

CAP. VII. Notabilia circa primam Regulam Sancti Thomæ. p. 10

Reſol. 1. Non tenetur teſtis veritatem dicere, quando ſequitur illi graue damnum, ſi crimen nō eſt contra bonum publicum. ibid.

Reſol. 2. Vtrùm teſtis qui iuridicè interrogatus negat veritatem peccet contra iuſtitiam. p. 11

Reſol. 3. Qui edicto generali ſub excommunicatione poſito non obedit in damnum tertij, tenetur reſtituere damnum. ibid.

Reſol. 4. Si procedatur via accuſationis, ſi crimen eſt emendatum, adhuc teſtis interrogatus tenetur dicere veritatem. p. 12

Reſol. 5. Si teſtis ſine peccato dixit falſitatem in iudicio non tenetur reſtituere. ibid.

Reſol. 6. Teſtis qui falſum malitiosè dixit tenetur ſe retractare, etiam ſi immineat pœna talionis. p. 13

CAP. VIII. Limitationes circa Regulam ſecundam Diui Thomæ. ibid.

Reſol. 7. Quando inquiſitio non intendit condemnare, ſed vitare errorem, tenetur teſtis dicere veritatem, etiam ſi non præcedat infamia. p. 14

Reſol. 8. Si impedimentum oritur ex delicto, niſi præcedat infamia non poteſt quis illud propalare. ibid.

Reſol. 9. Domino occiſo poteſt iudex contra ſeruos, etiam ſi non præcedat infamia, & teſtis tenetur dicere veritatem. ibid.

Reſol. 10. Quando quis eſt diffamatus de vno crimine tenetur teſtis interrogatus de aliis eiuſdem ſpeciei dicere veritatem. p. 15

Reſol. 11. Mandatarius non tenetur propalare mandantem occidere. ibid.

Reſol. 12. Seruus ſi adſtringatur iuramento à domino poteſt manifeſtare latronem, ſi id poteſt per teſtes probare. ibid.

Reſol. 14. Poteſt Aduocatus, & reus occulta crimina teſtium propalare. p. 16

CAP. IX. Ampliationes eiuſdem regulæ. ibid.

Reſ. 16. Teſtis nō poteſt manifeſtare occiſorē, ſi eſt occultus, etiā ſi publicū ſit homicidiū. 17

Reſol. 17. Reus conuictus de vno crimine non tenetur fateri alia occulta. p. 18

Reſol. 18. Niſi præcedat infamia etiam de Sodomia, teſtis interrogatus non poteſt dicere veritatem. ibid.

Index Capitum, & Reſolutionum

Reſol.19. Peccat iudex contra iuſtitiam ſi interroget de ſociis, & de crimi nibus occultis. ibid.

Reſol. 20. Etiam ſi procedatur contra religioſos in criminibus grauibus non poteſt teſtis dicere veritatem, niſi præcedat infamia, &c.19.

Cap.10. Notationes circa tertiam Regulam Sancti Thomæ. ibid.

Reſol.21. Quando teſtis peccet mortaliter non ferens teſtimonium. ibid.

Reſol.22. Tenetur quis ſcripturam propalare, ex qua dependet vt ſuum ius conſequatur. ibid.

Reſol.23. Regula iſta comprehendit ordinatos in ſacris, & etiam Regulares. ibid.

Reſol.24. Aliquando aliquis iuridicè pro ſe fert teſtimonium. p.20

Cap.XI. Notationes circa quartam Regulam Diui Thomæ, & quintam. ibid.

Reſol.25. Quando accuſator tenetur accuſare, tenetur etiam teſtis dicere veritatem interrogatus. ibid.

Reſol.26. Id quod ſcitur ſub ſigillo confeſſionis nullatenus propalari poteſt. p.21

Reſol 27. Ne reueletur ſigillum confeſſionis dimidianda eſt confeſſio, etiam in articulo mortis. ibid.

Reſol.28. Confeſſarius de licentia expreſſa pœnitentis poteſt reuelare quæ audiuit in confeſſione. ibid.

Reſol. 29. Vtrùm ſufficiat licentia implicita pœnitentis. p.22

Reſol.30. Non licet reuelare peccatum ſubiectum clauibus, etiam ſi eius effectus pendeat in futurum. p.23

Reſol.31. Non tenetur pœnitens ad ſigillum Sacramenti. ibid.

Reſol.32. Vtrùm Epiſcopi, Prælati Regulares & Electores poſſint vti notitia habita in confeſſione Sacramentali in ordine ad externum regimen. p.24

§.1. Adducitur Sententia affirmans. ibid.

§.2. Authoris prima concluſio enucleatur. ibidem.

§.3. Si Superior poteſt vti notitia habita in confeſſione, tenetur aliquando ea vti. pag.25.

§.4. Si Parochus ſciat in confeſſione pœnitentem eſſe indiſpoſitum, ſi iſte ſecretò petat Euchariſtiam tenetur denegare: ſecus in publico. p.26

§.5. Si quis ſciat in confeſſione Petrum cui aſſolebat confiteri non eſſe Sacerdotem, non poteſt illi confiteri. ibid.

§.6. Superior tenetur alios inferiores ad nutum amouibiles amouere, ſi ſciat habere occaſionem proximam peccandi. ibid.

§.7. Secunda Concluſio, non eſt illicitum ſecundum ſe vti notitia habita in confeſſione, ſtabilitur, & roboratur. p.27

§.8. Tertia, & vltima concluſio quod regularibus id nullo modo ſit licitum probatur. pag.29.

§.9. Variæ illationes præcedentium concluſionum educuntur. ibid.

§.10. Si quis ſciat aliquos immiſſuros vino venenum tenetur deſiſtere à celebratione, etiam ſi dies feſtus ſit. p.30

§.11. Non poteſt confeſſor, ſi confitenti mortis periculum immineat, dicere Petrum ſibi confeſſum, maximè inter Hæreticos degentem. ibid.

§.12. Non poteſt confeſſor finita confeſſione colloqui cum pœnitente de peccatis confeſſis. p.31

§.13. Si ſcio aliquem futurum pernicioſum Reipublicæ, aut communitati teneor ipſum non eligere, ibid.

§.14. Non poteſt Prælatus regularis negare licentiam ſubdito ex notiria habita in confeſſione. ibid.

§.15. Epiſcopus, & alij Sacerdotes non Regulares poſſunt vti notitia habita in confeſſione. p.32

§.16. Oppoſitum eſt probabilius. ibid.

§.17. Satisfit fundamentis primæ ſententiæ. ibidem.

Cap. XII. Notabilia circa alias tres Regulas Sancti Doctoris. ibid.

Reſolut. 33. Teſtis tenetur vltro ſe offerre ad ferendum teſtimonium, quo eripiatur particularis, vel communitas à damno. pag.33.

Reſol.34. Etiamſi ſecreto naturali, aut iuramento ſit conſtrictus tacere. ibid.

Reſol.35. Et ſi filius reſpectu Patris, & Pater reſpectu filij in criminibus læſæ Maieſtatis humanæ, aut diuinæ. ibid.

Reſol.36. Tunc tenetur filius denuntiare Patrem quando iſte eſt dogmatizans. p.34

Reſol.37. Filia non tenetur denuntiare Patrem ſolicitantem in confeſſione. ibid.

Reſol. 38. Si ſint alij teſtes poteſt filius non teſtificari contra Patrem, ſed melius eſt teſtimonium ferre. ibid.

Reſol.39. Qua ratione inducat obligationem edictum Epiſcopale manifeſtandi furem. pag.35.

Reſol.40. Qua ratione ſubditus regularis teneatur delicta denuntiare ſuis Prælatis. ibid.

Cap. XIII. Septima Regula S. Thomæ enucleatur. ibid.

Reſol.41. Quod tenetur quis fidem promiſſi ſecreti ſeruare, etiam ſi damnum illi ſequatur ſi ſic promiſit. p.36

Reſol 42. Si quis dubitat an iuſte iudex interroget ſeruanda eſt fides ſilentij. ibid.

Reſol.42.

Resol.43. Aduocatus non potest testificari, etiam interrogatus à iudice, contra fidem silentij. ibid.
Cap.XIV. De vltima regula remissiuè. p.37

TRACT. VII.

De vocum æquiuocatione, & nominum restrictione mentali. p.37

Cap.I. Reprimitur Hæreticorum insolens petulantia contra DD.Catholicos. 37
Cap.II. Aliqua prænotantur, & verus sensus controuersiæ inter Catholicos Doctores aperitur. p.39
Resol.1. Quod abusus æquiuocationis, & restrictionis mentalis malitiam habet mendacij, vel ad minus virtuti simplicitatis oppositam. ibid.
Resol.2. Quomodo licitus sit vsus æquiuocationis, & amphibologiæ. p.42
Cap.III. Adducitur sententia affirmans circa principale intentũ huius Tractatus. p.43
Cap.IV. Sententia negatiua, vt vera, enucleatur, & adstruitur. p.44
§.1. Augustini testimonio probatur. p.44
§.2. Rationibus fulcitur. p.45
Cap.V. Fundamentis in contrarium adductis occurritur. p.47
Ref.3. Quibus titulis obligemur ad non vtendum restrictione mentali. p.48
§.1. De titulo euitandi errorem in proximo. pag.49.
Resol.4. Fidelis non potest interrogatus à Tyranno vti restrictione mentali. ibid.
Resol.5. Non est licitum comedere carnes diebus prohibitis coram Hæreticis. ibid.
§.2. De secundo titulo ratione Magisterij,& Officij. p.50
Resol.6. Grauiter peccant iudices,dum reum aut testes examinant, vtentes restrictione mentali, &c. ibid.
Resol.7. Nec quæsitores fidei pro hæresi, nec iudices sæculares pro crimine læsæ Maiestatis, possunt reis, vt eruant veritatem, absolutam immunitatem promittere. p.51
Resolut. 8. In saluis conductis non est licita æquiuocatio, aut mentis restrictio. ibid.
Resol 9. Pœnitens non potest vti restrictione mentali, amphibologia, &c. vbi contra Dianam certa doctrina statuitur. ibid.
Resol.10. Mendacium veniale in confessione Sacramentali, si committatur in tota materia confessionis, lethale est. p.52
§.3. De tertio titulo iustitiæ, tam commutatiuæ, quam distributiuæ. ibid.
Resol.11. In contractibus cum infidelibus non est licitum vti restrictione mentali. ibidem.
Resol.12. Periurus est qui huiusmodi contractibus iuramento firmatis adhibet restrictionem mentalem. ibid.
Resol.13. In contractu Matrimonij non est licita mentalis restrictio. p.53
§.14. Elector non potest vti restrictione mentali,vt dignior desistat ab oppositione.ibid.
§.15. De aliis duobus titulis obedientiæ, & aliarum virtutum. ibid.

TRACT. VIII.

Vtrum possessor malæ fidei possit tutæ conscientiæ præscribere. pag.54

Cap.I. Quid nominis bona, vel mala fides. p.54
Resol.1. Vtrùm sit possessor malæ fidei qui rem alienam non restituit ob rationes iustas. ibid.
§.1. Adducuntur duæ sententiæ circa possessorem malæ fidei, vt possit præscribere. ibid.
§.2. Enucleatur tertia sententia. p.56
§.3. Aliqua notabilia pro Adrianæ sententiæ ponuntur intellectu. ibid.
§.4. De titulis ad præscribendum in iure positis. p.57
§.5. Duplex bona, vel mala fides Ciuilis, & Canonica explicatur. ibid.
§.6. Error iuris facit malam fidem ciuilem, non canonicam, si error inuincibilis sit. pag.58.
§.7. Pontificis Adriani opinio aliquibus conclusionibus adstruitur, & enucleatur. pag.60.
§.4. Aliorum argumentis fit satis. p.62
Resol.2. Vtrùm possessor malæ fidei ciuilis pœnam à lege taxatam præscribat in conscientiæ foro. p.63
§.1. Pœna conuentionalis præscribitur.p.64
§.2. Etiam bona fisco applicata. p.65
Resol.3. Si quis sciens rem alienam absque peccato in publico foro emit, potest licitè eam vsucapere. p.66
Resol.4. Licitè emuntur ab Hæreticis, & Mauris ea quæ publicè venalia ponuntur. ibidem.
Resol.5. Vtrùm bona naufragantium præscribi possint. p.67
Resol.6. An pignus præscribi, & vsucapi possit à sciente se alienum. ibid.
Resol.7. Vtrùm ius pacti de retrouendendo aliquis præscribere possit, quamuis cum mala fide ciuili. p.68
Resol.8. An cum mala fide ciuili sit gabellatum præscriptio. p.69

Index Capitum, & Resolutionum

Resol.9. An debeantur in conscientia, si non petantur. p.70
Resol.10. Vtrùm cum mala fide ciuili possit esse Gabellarum præscriptio in vtroque foro. p.72
Cap.II. De præscriptione debiti,& legati.73
Resol.11. Vtrùm legatum possit quis cum mala fide ciuili, iure canonico stante in conscientia præscribere. p.73
Resol.12. Vtrùm debitum ex furto præscribatur. p.74
Resol.13. De debitis ex homicidio. p.76
Resol.14. De debitis ex iniusto stupro. p.77
Resol.15. De salariis debitis seruitoribus.p.78
§.16. Explicatur, & fulcitur quædam regula generalis in materia præscriptionis in foro animæ. p.79
Cap.3. De his qui faciunt aliquid contra statutum prohibens. p.80
Resol.16. De aucupe, venatore, & piscatore facientibus contra statutum prohibens, an possint præscribere cum mala fide ciuili. pag.80.
Digressio 1. Vtrùm Æthiopum emptio celebrata à Lusitanis mercatoribus sit licita. 81
Sectio 1. Ea quæ sunt certa statuuntur. p.81
Sectio 2. Opinio molinæ, & aliorum expenditur. p.83
Sectio 3. Opinio Authoris enucleatur. p.84
Resol.8. De lignorum cæsoribus. p.86
Resol.19. De incertis debitis. ibid.
Resol.20. Vtrùm satisfiat pet Bullam compositionis. p.87
Resol.21. Vtùm possit quis propria authoritate sibi applicare, si verè pauper sit. p.88
Resol.22. Qua ratione Beneficiarius possit vti compositionis Bulla. ibid.
Resol.23. Potest hæres componi, vel sibi applicare legatum, si grauem patiatur necessitatem. p.89
Resol.24. Vtrùm iudex de bonis acceptis pro ferenda sententia possit componi. ibid.
Resol.25. Vtrùm circa bona incerta ex ludo acquisita possit fieri compositio. ibid.
Resol.26. Vtrùm pecuniam incerti domini acceptam pro celebrandis Missis possit quis componere per Bullam. ibid.
Resol.27. De bonis quæ quis acquirit ficta paupertate. p.90
Resol.28. De bonis inuentis. p.91
Resol.29. Bona inuenta in Regnis Hispaniæ tenetur quis dare alicui ex religionibus redemptionis. p.92
Resol.30. Cuiusdam casus singularis. p.92
Resol.31. De Thesauris inuentis. p.93
Cap.IV. De aliis casibus in quibus præscriptio procedit in foro conscientiæ cum mala conscientia ciuili. ibid.
Resol.32. Vtrùm si quis testamento ordinet, quod bona aliena restituantur, si hæres sciat aliqua à testatore bona fide canonica præcripsisse teneatur restituere. p.93
Resol.33. Qua ratione possit filius illegitimus cum mala fide ciuili præscribere bona relicta à patre. p.94
Resol.34. Vtrùm seruus ingressus religionem, si intra triennium non repetatur à Domino libertatem præscribat in conscientia. p.95
Resol.35. Vtrùm qui bonis cessit, etiam si ad pinguiorem deuenerit fortunam possit bona creditorum præscribere. p.96
Resol.36. De repræsaliis,an sint licitæ,& præscribi possint. p.97
Resol.37. An compensatio valida sit in foro conscientiæ, si adsint alij creditores anteriores. Et an res compensata possit præscribi. ibid.
Resol.38. Quod creditor personalis non potest hypothecario præferri. p 99
Resol.39. Creditor priuilegiatus aliis antefertur. quando, & quomodo. p.100
Resol.40. Constituuntur quatuor regulæ pro creditoribus priuilegiatis. ibid.
Resol.41. Quod inter creditores personales puros non est prælatio. p.101
Resol.42. Creditor chirographarius potest vti recompensatione, ante alios eiusdem ordinis. p.102
Resol.43. Vtrùm si creditor vtens recompensatione laboret ignorantia inuincibili iuris possit præscribere. p.102
Resol.44. Vtrùm prius sint soluenda debita, quam legata, etiam pia. ibid.
Resol.45. Vtrùm prius sit restituendum quod maiori delicto ablatum est. ibid.
Resol.46. Vtrùm qui bona fide canonica pecunias furtiuas accepit teneatur restituere domino comparente, & exigente, & an possit illas præscribere. p.103
Resol.47. An qui ab iniquo lusore largitionem accepit, vulgo *Barato*, ex pecunia falsis aleis lucrata teneatur restituere. p.104
Cap.V. De obligatione resarciendi damnum quod intulerunt animalia, seruus, aut filius. p.105
Resol.48. Vtrùm leges de pauperie, & noxa illata sint pœnales. ibid.
Resol.49. Quod pater non tenetur pro filiofamilias. p.106
Resol.50. Vtrùm damnum passus à seruo possit vti occulta compensatione. ibid.
Cap.VI. De expositis. p.107
Res.52.Vtrũ sufficiat dispensatio Episcopi.108
Resol.53. Quod legitimatus à Pontifice est habilis ad omnia. ibid.
Resol.54. Ex Religionum priuilegiis possunt dispensari. ibid.
Res.55.Hæc irregularitas tollitur per ingressũ Religionis

Religionis ad educationem. p.109
Reſol.56. Vtrum Scholares Societatis per tria vota ſimplicia liberentur ab huiuſmodi irregularitate. ibid.
Reſol. 57. Expoſiti reputantur liberi, non ſerui. p.110
Reſol. 58. Expoſitus bona fide habens beneficia præſcribere poteſt. ibid.
CAP. VII. De minoribus, pupillis, & Religioſis quatenus contra ipſos poteſt eſſe præſcriptio, ex rebus ludo acquſitis, vel aliis contractibus. ibid.
Reſol. 59. Vtrùm pupilli, & minores poſſint naturaliter obligari ex contractu. pagina 111.
§.1. Aliqua ſupponuntur. ibid.
§.2. Si pupillus obligatur naturaliter non poteſt non ſoluere, niſi reſcindatur contractus. p.112
§.3, Pupillum obligari naturaliter multi ſentiunt. ibid.
§.4. Oppoſita ſententia eſt probabilior. pagina 113.
§.5. Reſpondetur oppoſitis fundamentis. pagina 114.
Reſol.60. Si quis à pupillo aliquid lucratur in ludo tenetur reſtituere. ibid.
Reſolutio.61. Si quis ab vxorata, etiam paraphernalia lucretur, tenetur reſtituere. ibid.
Reſol.62. Vtrum lucrata per adulterium, ſine conſenſu alterius coniugis poſſint liberè expendi. p.115
Reſol.63. Vtrum qui vna vice, vltra quantitatem quæ licite exponi poteſt, à minore lucratur, totam teneatur reſtituere? p.116
Reſol. 64. Minor qui habet bona caſtrenſia, vel quaſi, poteſt ea ludo exponere. ibid.
Reſol. 65. Qua ratone bona quæ filiusfamilias abſens à Patre lucratur, poſſit diſponere. ibid.
Reſol. 66. Qua ratione pupillus poſſit ludo exponere, quod ludo lucratus eſt. p.117
Reſolutio. 67. Qua ratione reſtituendum ſit quod ludo prohibito lucratur. ibid.
Reſol. 68. Si minor, aut pupillus lucretur ab eo qui ſui iuris eſt, non tenetur reſtituere. p.118
Reſol. 69. Non præſcribitur contra pupillum. p.119
Reſol. 70. Qua ratione ille qui ludit credito teneatur reſtituere. ibid.
Reſol. 71. Qui pecunia credita, abſque animo dandi ludit, ſi lucratur pecuniam præſentem, tenetur reſtituere. p.120
Reſol. 72. Qua ratione poſſit lucrari qui alium importune ad ludendum traxit. pagina 121.
Reſol. 73. Si quis bona fide lucratus eſt ab eo, qui non poteſt perdere non tenetur reſtituere id quod expendit in chartis, &c. ibid.
Reſol. 78. Quibus caſibus ſit peccatum mortale ludere. p.122
Digreſſio. 2. Vtrùm inſpicere agitationem taurorum ſit peccatum mortale. p.123
Sectio 1. Sententia affirmatiua adducitur. ibid.
Sect.2. Sententia negatiua validè confirmatur. ibid.
Sect.3. Satisfit oppoſito fundamento. p.125
Digreſſio 3. Vtrum videre ludos theatrales vulgo *Comœdias*, ſit peccatum. ibid.
Sect. 1. Adducitur Sententia Valmacedani pag.126.
Sect.2. Oppoſita ſententia negatiua eligitur vt probabilior, & ſecura. ibid.
Sect. 2. Diruuntur fundamina oppoſita. pagina 127.
Sect. 4. Peccat mortaliter qui Comœdiis prophanis loca ſacræ Scripturæ prophanè explicat. ibid.
Reſol. 79. Qualiter quis obligetur voto facto de non ludendo. p.128
Reſol. 80. Qui vouit non ludere cum determinata perſona, &c. non tenetur voto, qualiter. p.128
Reſol. 81. Qui vouit non ludere, ſine conſenſu Patris, iſto mortuo, ceſſat votum. pagina 129.
Reſol. 82. Votum ludendi aliquo ludo ex omni circunſtantia honeſto tenet. ibid.
Reſol. 83. Qualiter obliget votum pœnale de non ludendo. p.130
Reſol. 84. Vtrum licitum ſit habere domum expoſitam ad ludendum. ibid.
CAP. VIII. De Religioſis profeſſis, ſi quis ab illis ludo aliquid lucretur ſine licentia Superioris. p.131
Digreſſio 4. De Peculio Religioſorum. ibidem
Sect. 1. Vtrum Religioſi poſſint habere peculium. ibid.
Sect. 2. Quod Religioſi ab initio naſcentis Eccleſiæ, per votum paupertatis omnem vſum abdicarunt. ibid.
Sectio 3. Quod fuit etiam Monachus ſolemniter profeſſus. p.133
Sectio 4. Summus Pontifex poteſt peculium concedere Religioſis. ibid.
Sectio 5. Idem poſſunt ſuperiores Regulares ad vſus licitos, & honeſtos. pagina 134
Sectio 6. Non eſt profeſſio valida, ſi totus annus Nouitiatus peragatur extra Religionem. ibid.
Sectio 7. Poſſunt Superiores concedere peculium

culium ad quoscumque vsus indeterminate. p.135
Sectio 8. Qualiter moderatum debet esse peculium. p.136
Sectio 9. Quæ sint causæ concedendi peculium. ibid.
Sectio 10. An si Superior sine causa concedat peculium tutus sit subditus in conscientia. p.137
Sectio 11. Vtrum licentia habendi peculium sit renouanda à Superiore de nouo intrante. ibid.
Sectio 12. Qualiter peccent Superiores non ministrantes subditis necessaria. p.138
Resol.85. Non tenetur restituere qui lucratur aliquid à Religioso extra domum, de licentia Superioris degente. ibid.
Resol.86. Vtrum possit Superior valide concedere licentiam subdito, vt magnam pecuniæ summam ludo exponat. p.139
Resol.87. Vtrum Religiosus habens peculium si expendat in ludum, & alios vsus illicitos, lucrator, vel accipiens teneatur restituere. ibid.
§.1. Conclusio prima. Quod non peccat contra paupertatem, quando datur ex motiuo honesto. p.140
§.2. Conclusio secunda. Quod non teneatur recipiens restituere, etiamsi ob turpem causam à Religioso accipiat. ibid.
§.3. Soluitur Argumentum Nazarij. p.142
§ 4. Idem dicendum est de Fratribus Minoribus. ibid.
Resol.89. Bulla Clementina de largitione munerum non est vsu recepta. p.143
Resol.90. Qui accipit à commendatario S. Ioannis, etiam ob turpem causam non tenetur restituere. p.144
Resol.91. De Religioso habente filium in concubina. ibid.
Resol.92. Religiosus non potest testari sine licentia Papæ. ibid.
Cap.IX. De Marito, & Vxore. p145
Resol.93. Breuia corollaria inferuntur. pagina 146
Resol.94. Maritus potest condonare debita sine consensu vxoris. p.147
Resol.95. Quæ bona vxoris confiscentur, confiscatis mariti bonis. p147
Resol.96. Ex bonis lucratis potest Maritus, ob piam causam, facere donationem excessiuam. p.148
Cap.X. De Mancipio, & Seruo. ibid.
Resol.97. Vtrum serui habeant aliquarum rerum perfectum dominium. ibid.
Resol.98. Si quis lucratur aliquid quod est proprium serui, non tenetur restituere Domino. p.149
Resol.99. Cuiusdam casus singularis. p.150
Resol. Vltima. Seruus de rebus propriis potest facere contractus. ibid.

TRACT. IX.

De vsu Bullæ cruciatæ apud Regulares. p.151.

Cap.I. An Regularis possit virtute Bullæ Cruciatæ in Regno Hispaniæ eligere confessorem ex approbatis ab Ordinario loci. ibid.
Adducitur, & roboratur sententia negans. ibid.
Cap.II. Alio fundamento iuuatur eadem negatiua sententia. p.153
Cap.III. Sententia opposita affirmans fundamentis stabilitur. ibid.
Cap.IV. Aliqua prænotantur vt verior sententia constet. p.155
Cap.V. Licentia implicita Superioris sufficit, vt subditus possit vti Bulla Cruciatæ. pag.156.
Cap.VI. Ponitur Authoris resolutio variis conclusionibus enucleata. p.157
Cap.VII. Equites Militarium Ordinum etiam dum in communitate viuunt possunt vti Cruciata adhuc post Bullam Vrbanam. ibid.
Cap.VIII. Clerici militarium conuentualiter viuentium adstringuntur Bulla Vrbana. p.158
Cap.IX. Neque Moniales militarium possunt vti Cruciata. ibid.
Cap.X. Regulares quibus ex tacita Superiorum licentia non est publicata & intimata Bulla, Cruciata vti possunt. ibid.
Cap.XI. Regulares quibus est intimata Bulla Vrbana, non possunt vti Cruciata. pagina 159.
Cap.XII. Non improbabile quod virtute Cruciatæ iidem possint eligere confessorem Regularem eiusdem Religionis approbatum. p.160
Cap.XIII. Prælati qui vtuntur priuilegio Vrbano tenentur sub peccato se faciles præbere dando licentiam subditis vtendi Cruciata. ibid.
Cap XIV. Requiritur quod Confessor sit approbatus ab Ordinario remissiuè. ibid.
Cap.XV. Satisfit Argumentis Sententiæ negantis. p.161
Cap.XVI. Occurritur Argumentis affirmantis sententiæ. ibid.

TRACT X.

De potione chocolatica ſumenda vel non ſumenda in die ieiunij Eccleſiaſtici. pag. 162

CAP. I. Ea quæ ſunt certa, & aliqua notabilia adducuntur. p.162

CAP. II. Valde probabile eſſe potionem quæ chocolate dicitur non frangere ieiunium Eccleſiæ authoritate probatur, & rationibus. p.163.

CAP. III. Probabilitas huius ſententiæ, alia via authoritate oſtenditur, & rationibus. pag.166.

CAP. IV. Idem alia via authoritate, & ratione firmiſſimè ſtabilitur. p.168

CAP. V. Declaratur amplius, & vrgetur hæc ratio ſumpta ex conſuetudine. p.169

CAP. VI. Eadem ſententia aliis rationibus fulcitur. p.170

CAP. VII. Eadem ſententia adſtruitur ex fundamentorum contrariæ ſolutione. p.171

CAP. VIII. Eadem ſententia probabilis oſtenditur ex ratione paruitatis materiæ. p.173

APPENDIX

Ad præcedentem Tractatum. p.175

CAP. I. Vtrùm deroget pietati Chriſtianæ aſſere quod potio Chocolatica non frangat ieiunium. ibid.

CAP. II. Ea quæ edducit pro ſe, & contra me Pater Leander à Murcia adducuntur. p.176

CAP. III. Vnde ſumenda probabilitas practica alicuius opinionis. p.177

CAP. IV. Vrgetur ratio fundamentalis, quia Chocolate, eſt potus vere, & propriè. pagina. 178.

CAP. V. Vrgetur argumentum à Declaratione Pontificia. p.180

CAP. VI. Vrgetur Argumentum à conſuetudine. p.181

CAP. VII. Adſtruitur fundamentum ab electuariis. p.184

CAP. VIII. Occurritur fundamentis oppoſitis. p.185

CAP. IX. Impugnatur Zacharias Paſqualigus. ibid.

CAP. Vltimum Vtrùm Chocolate, & vinum frangant ieiunium, ſi ſumantur ea intentione vt nutriant. p.186

TRACT. XI.

De ſumptione del Tabaco, *quando exigitur natura ieiunium ante ſacram communionem.* pag. 188.

CAP. I. Sumendi Tabacum conſuetudo nullum cum Dæmone pactum includit pag.189.

CAP. II. Quid ſit ieiunium naturale. p.191

CAP. III. Quando incipiat ieiunium naturale? pag.193.

CAP. IV. Quot modi ſint ſumendi tabacum, & quis ieiunium ſoluat ad Sacram Communionem requiſitum. p.198

Reſol. 1. Vtrùm ſuccus Tabaci maſticati frangat ieiunium Quadrageſimæ, & ſimilium? p.199

§.1. Reaumituſſr iterum probandum non interuenire pactum aliquod in ſumptione Tabaci. ibid.

§.2. Sumptio Tabaci non frangit ieiunium Eccleſiaſticum Quadrageſimæ. p.200

Reſol. 2. Vtrùm ſumptio fumi Tabaci ore traiecti ad ſtomachum frangat ieiunium naturale requiſitum ad communionem? p.202

CAP. VI. In ieiunio naturali non datur paruitas materiæ. p.205

CAP. VII. Quomodo ſe habere debeat qui dubitat ſe aliquid ediſſe, aut bibiſſe, vnde à communicando impediatur. p.206

CAP. VIII. An, ad hoc vt ieiunium frangatur naturale, requiratur nutritiuum eſſe id quod comeditur. p.208

CAP. IX. In quibus caſibus poſſit Sacerdos Sacrum facere, & communicare non ieiunus. p.210

Reſol. 3. Licitum eſt Sacerdoti non ieiuno communicare, vt ſacrificium quod alter complere non valuit, perficiat. ibid.

Reſol. 4. Quomodo, & quando poſſit Sacerdos non ieiunus ſumere particulas in Altari, ſeu Patena inuentas. p.211

Reſol. 5. An Sacerdos qui abſque celebratione communicauit, poſſit celebrare. pagina 214.

Reſol. 6. An ſi Princeps Sacerdotem non ieiunum ſacrificare cogat, poſſit Sacerdos licitè ſacrificare. p.215

Reſol. 7. An ſit licitum Sacerdoti Miſſam celebrare non ieiunus, ad recipiendum viaticum? ibid.

Reſol. 8. An hoc licitum ſit ad præbendum alteri Viaticum. ibid.

Reſol.

Resol.9. An licitum sit suscipere Sacramentum sine eo quod ieiunus Sacerdos sit ne infideles sacrilege surripiant. p.216
Cap. X. Inpuibus casibus possit laicus non ieiunus recipere hoc Sacramentum? p.217
Resol.10. An si infirmus commodè valeat suscipere ieiunus Eucharistiam , ad id teneatur. ibid.
§.2. Quoties licebit infirmo non ieiuno viaticum suscipere. p.219
Resol. 11. An vltimo supplicio plectendis, Eucharistia , & extrema vnctio sit porrigenda. p.219
Cap. Vltimum, An Episcopi possint prohibere sub peccato mortali , ne Tabacus sumatur neque ante , neque post celebratam Missam. p.221

TRACT. XII.

Singularis de Examinatoribus Synodalibus , eorum potestate & præstantia. pag.224.

Resol.1. Vtrùm pœna imposita examinatoribus Synodalibus à Concilio illam incurrant ante omnem sententiam. p.224
Resol.2. An examinatores si aliquid accipiant, incurrant vitium Simoniæ. p.226
Resol.3. An exminatorum respectu in vitio Simoniæ detur paruitas materiæ. ibid.
Resoluto.4. Vtrum examinatores Synodales possint ex consuetudine aliquod stipendium intuitu sui officij accipere. p.227
Resol.5. De qualitate examinatorum Synodalium. p.228
Resol.6. De duratione , & numero examinatorum Synodalium. p.229
Resol. 7. Qui possint eligere examinatores Synodales. p.230
Resol. 8. Vtrum iuramentum præstandum ab Examinatore Synodali sit de substantia, & forma examinis. p.231
Resol.9. Vtrum sit nullus concursus in quo non omnes qui examinant examinatores Synodales sunt. p.232
Resolut. 10. Vtrùm examen sit substantialis forma in prouisione Parochialis Ecclesiæ. pag.233.
§.1. Prima Dfficultas. An electus sine examine teneatur non acceptare Parochialem? p.234
§.2. Dfficultas 2. An si sit notorium quod quis sit idoneus sit examinandus à Synodalibus? p.235
Resol. 11. Vtrùm in aliquo alio casu possit Parochialis sine examine Synodalium conferri, p.236
Resol.12. Vtrum receptus semel , & reprobatus ab examinatoribus Synodalibus possit iterum admitti ad examen? p.239
Resol.13. Vtùm si examinatores nec approbent,nec reprobent,sed in ancipiti maneat, sit nulla electio ? p.241
Resol. 14. Vtrùm Episcopus possit limitare Dominis examinatoribus Synodalibus numerum examnandorum in concursu ad Parochialem ? p.243
Resol. 15. Quomodo possint examinatores concludere concursum examinis? p.245
Resol. 16. Vtrum examinatores Synodales debeant nominari in Synodo formali ? pagina 247.
Resol. 17. Vtrum Examinatores Synodales teneantur sui Officij rationem reddere in Synodo. p.250
Resol.18 Vtrum si Examinatores Synodales legitimè non examinauerint , prouisio Parochialis sit nulla,& irrita? p.252
Resol.19. Vtrùm examinatores Synodales possint alteri examen in concursu faciendum delegare,aut committere. p.253
Resol.20. Ex quibus capitibus debeant examinatores aliquem iudicare idoneum ? pagina 256.
§.1. De ætate eligendi ad Parochialem.p.256
§.2. De Moribus , & prudentia requisitis in eligendo ad Parochialem. p.260
§.3. De Scientia , & Litteratura. p.262
§.4. Quod sit ex legitimo Matrimonio. pagina 265
§.5. De legitimatione originis ex Matrimonio secuto. p.273
§.6. Statuitur prima Regula. p.275
§.7. Deducuntur aliqua Corollaria. p.280
§.8. De legitimatione prolis ex rescripto Principis. p.282
§.9. Tripliciter potest Papa aliquem legitimare. p.283
§.10. Ponitur Regula vniuersalis circa Principis legitimationem cum ampliationibus. p.284.
§.11. Limitationes eiusdem Regulæ. p.287
§.12. De aptitudine ex parte corporis requisita ad Beneficium obtinendum. p.289
Difficultas 2. Vtrùm si quis abscindatur dando operam rei illicitæ fiat irregularis? p.292
§.13. Vniuersalis Regula circa corpore vitiatos, qualiter possint obtinere , vel non obtinere Beneficia. p.294
§.14. Ampliationes Regulæ. p.295
Difficultas 1. De surdo vtraque aure. ibid.
§.15. Eiusdem Regulæ limitationes. p.298
Difficultas 1. Vtrum Pontifex possit dispensare cum abstemio , vt in solo pane Sacrificium

cium verumconficiat? p.296
Dfficultas 2. De energuminis, & Dæmoniacis qua ratione ſint irregulares. p.304
Difficultas 3. De Hermaphroditis, & Androgynis. p.306
§.16. Quod cui confertur Beneficium in concurſu debeat carere cenſura. p.307
§.17. Regulæ ampliationes. ibid.
Difficultas 1. An ſi excommunicatio ſit iniuſta faciat incapacem ad beneficiat? p.310
Difficultas 1. An ſit abrogata Epiſcopis poteſtas ad abſoluendum ab hæreſi occulta? pag.313.
Difficultas 2. Vtrùm excommunicatus poſſit validè acceptare Beneficium, vel facere optionem? p.315
§.17. De ſuſpenſo, & interdicto, & irregulari. p.318
§.18. Regula prima. p.318
De ſuſpenſo, & interdicto. ibid.
§.19. Limitationes eiuſdem Regulæ. pagina 321
§.20. Secunda Regula. *De eiſdem ſuſpenſo, & interdicto.* p.323
§.21. Regula vnica. De irregulari. p.325
Digreſſio. Valde vtilis. De viuæ vocis oraculorum reuocatione. p.328
§.22. De Naturalitate quam Beneficiandus debet habere. p.331
§.23. Extenſiones Regulæ. p.332
Reſol.21. Vtrùm examinatorum Officium ſit proponere Epiſcopo digniorem ad Beneficium. p.340
Reſol.22. Quando, & quomodo ſit iudicandus quis dignior. p.343
Reſolutio.23. Vtrum in concurſu ſemper ſit præferendus dignior ab Examinatoribus, & Epiſcopo, ita vt electio de digno omiſſo digniori, ſit ipſo iure nulla. p.347
§.1. Dubium 1. An liceat aliquando eligere in Parochum, vel Epiſcopum hominem notoriè improbum. ibid.
§.2. Dubium 2. An ſi quis ſciat ſub ſigillo aliquem indignum, poſſit, & teneatur negare ſuffragium? p.348
§.3. Dubium 3. Vtrùm ſi examinatores Synodales omnes, præter vnum, approbent indignum, poſſit iſte illum etiam approbare vt idoneum. p.352
§.4. Dubium 4. An quando examinator cognouit antecedēter aliquem indignum approbandum iri ab aliis poſſit vocatus non accedere ad examen? p.354
§.5. Dubium 5. Vtrum aliquando licita ſit electio indigni non idonei, & approbatio eiuſdem examinatorum Synodalium pagina 359.
§.6. Dubium 6. Vtrum electio, vel approbatio indigni ſit ipſo iure nulla? ibid.
§.7. Regula 1. De eligendo digniore ab Epiſcopo, & approbando ab examinatoribus pag.363,
§.8. Ampliationes huius Regulæ. p.365
Amplitio 1. De Epiſcopatibus, & Beneficiis curatis. ibid.
Amplitio 2. De Beneficiis ſimplicibus. p.366
Amplitio 3. De reſignatione, permutatione, & coadiutoria, ſiue regreſſu. p.370
Amplitio 4. De Canonicatibus Magiſtralibus, & Doctoralibus, & aliis quæ dantur per oppoſitionem. ibid.
Ampliatio 5. De Regularibus eligendis. p.378
§.9 Limitationes eiuſdem Regulæ. *De digniore eligendo.* p.381
Limitatio 1. Ex paruitate materiæ. ibid.
Limitatio 2. Non eſt dimouendus dignior ab alia Eccleſia, vt pinguius Beneficium illi conferatur. p.382
Limitatio 3. De patrono præſentante. p.386
Limitatio 4. De confirmatore. p.387
Limitatio 5. De eligendo digno, quando dignior eligi non valet. p.390
§.10. Non peccat minus dignus ſe opponens ad Beneficium in concurſu, cum digniore, & illud acceptando. p.393
§.11. Regula ſecunda. *De Reſtitutione faciendapro mala electione, aut approbatione examinatorum.* p.397
§.12. Inferuntur varia Corollaria ad praxim vtilia. p.400
§. Vltimus. An Prouiſio facta de digno, omiſſo digniore in concurſu ad Parochialia ſit ipſo iure nulla? p.403
Reſol.24. An ſi examinator Synodalis ſit Canonicus in Eccleſia vbi ſunt adiuncti, poſſit Epiſcopus ſine illis cognoſcere, ſi officio ſuo deliquerit. p.405
§.1. Quæ ſint motiua, & rationes huius Decreti. ibid.
§.2. An in adiunctis ſit propria iuriſdictio. pag.408.
§.3. Quis debeat determinare an cauſa pertineat ad Adiunctos. p.410
§.4. Vtrùm adiuncti poſſint per cenſuras inhibere Ordinarium vt ſine ipſis non procedat. p.412
§.5. Qui ſecundum ius Tridentini gaudeant remedio Adiunctorum. p.413
§.6. An Canonicus per collationem ante poſſeſſionem gaudeat ex iure Tridentini prærogatiua Adiunctorum. p.416
§.7. An Epiſcopus procedere poſſit ſine Adiunctis ad infligendam pœnam priuationis pag.418.
§.8. Vtrum ſi Epiſcopo remittantur Bullæ in forma *Dignum*, vt examinet an Prouiſus ſit dignus, aut commiſerit Simoniam, ſi poſt datum decretum de poſſeſſione, ante iſtam inuenat

inueniat Simoniam commisisse possit sine Adiunctis procedere. p.419
Resolut.25. Vtrum Examintores Synodales possint recusari? p.420
Resol.26. Vtrùm ab electione Episcopi facta in concursu, præuio examine, detur appellatio. p.423
Resol.27. Vtrum à reprobatione examinatorum Synodalium detur appellatio. p.424
Resol.28. Vtrùm legatus à latere possit conferre Beneficium Parochiale sine concursu,
Resol.29. Vtrùm possit Episcopus admittere suos familiares consanguineos, & affines ad concursum Parochialium, quæ in suis manibus resignantur? ibid.
Resol.30. Vtrùm si Examinatores Synodales vnum duntaxat approbauerint, vt idoneum cæteris oppositoribus exclusis teneatur Episcopus sub mortali illi conferre Beneficium curatum? p.427
Resol.31. De examine faciendo ad Beneficia simplicia,& quibus examinatoribus. p.428
Resol32. De Examine Dominorum Episcoporum. p.430
Resol.33. Examen Ordinandorum à quibus examinatoribus faciendum? p.431
Resol.34. Examen ad confessiones audiendas à quibus examinatortbus perficiendum? p.433
§.1. Qui teneantur se examini subiicere ad audiendas confessiones. ibid.
Dubium 1. De Doctoribus, & magistris pagina 434.
Dubium 2. De Prælatis Regularibus. p.435
Dubium 3. De Parochis. p.436
Dubium 4. De examine Regularium qua ratione illi se subiicere teneantur. p.436
Dubium 5. De approbatione Confessoris Monialium. p.441
Dubium 6. An approbatus semel, sit vbique approbatus. p.442
Dubium 7. De illo qui inuincibiliter ignorat Confessorem esse approbatum. p.444
§.2. Quis sit Ordinarius qui potest, & debet examen perficere, & approbationem præbere? p.445
Dubium 1. De Parocho, an possit hodie delegare iurisdictionem Sacerdoti simplici. pag.446.
Dubium 2. Quæ approbatio requiratur vt confessor possit eligi virtute Bullæ Cruciatæ? p.447
Dubium 3. De Regularibus vtentibus Cruciata. p.453
Dubium 4. An confessio sæcularis pœnitentis facta Sacerdoti non approbato hodie post Tridentinum valida sit? p.453
Dubium 5. Si pœnitens Regularis sit, potest Sacerdoti non approbato confiteri. p.454
Dubium 6. An sit necessaria approbatio ad absoluendum à venialibus & à mortalibus dimissis. p.455
Dubium 7. De peccatis oblitis in confessione. p.456
Dubium 8. De Peccato dubio ibid.
Dubium 9. Vtrùm si quis post inueniat peccatum mortale de quo erat dubium commisisse possit non approbato illud confiteri? p.458
Dubium 10. An sæcularis mox ingressurus Religionem possit absolui à Regulari non approbato ab Episcopo? p.459
Dubium 11. Vtrùm Regularis possit obligari ad confitendum peccata semel confessa? pag.460.
§.3. An semel examinatus, & approbatus possit ab Episcopo iterum examinari, & reprobari. p.462
Dubium 1. De licentia concessa ad beneplacitum. ibid.
Dubium 2. Vtrum post Tridentinum possint Regulares vti priuilegio Clementinæ, *Dudum, de Sepulturis.* p.464
Dubium 3. Vtrum Episcopus possit Regulares iam approbatos per examen iterum examinare, & si aptos non inuenerit reprobare? p.466
Dubium 4. Vtrum Regulares indigeant approbatione sui Prælati ad valide audiendas sæcularium confessiones. p.468
Dubium 5. Vtùm Parochi possint iterum examinari ab Episcopo? p.469
Digressio. An virtute Bullæ Cruciatæ possit Sacerdos celebrare sacrificium Missæ in Oratoriis semel approbatis ab Episcopo? pag.472.
§.1. Supponuntur aliqua de Oratoriis.p.473
Dubium 1. An hæc potestas sit hodie sublata? p.474
Dubium 2. Quanta necessitas requiratur. pagina 476.
Dubium 3. Vtrum infirmitas sit causa rationabilis vt possit concedi Oratorium. ibid.
Dubium 4. An si adsit necessitas petenda sit ab Episcopo licentia. p.477
Dubium 5. Vtrum priuilegium habendi Oratorium sit reale,vel personale? ibid.
Dubium 6. Incidens de quadam dispensatione impetrata in consanguineitate, cùm esset affinitatis impedimentum. p.478
§.2. De priuilegiis Regularium quantum ad Oratoria priuata. p.480
§.3. De praxi, & vsu horum priuilegiorum Regularium. p.481
§.4 Vtrùm habens Bullam Cruciatæ sine alio priuilegio possit in domo priuata erigere Oratorium quod ab Episcopo designetur, & approbetur. p.483

§.5.

§.5. Qui ad triremes damnatur non potest fugere. p.487
§.6. Damnatus ad mortem, siue sententia veritati nitatur, siue non, potest fugere. pag.488.
§.7. Ante sententiam latam potest reus fugere. ibid.
Resol.2. Vtrum votum simplex ex natura sua faciat Religiosum. ibid.
Resol.3. Vtrum Episcopatus si verum Sacramentum Ordinis? p.490
§.1. Quid sit contra Hæreticos indubitatum. p.491
§.2. Opinio Vasquez, & Philiberti adducitur. p.494
§.3. D. Thomas defenditur, & propugnatur. ibid.
§.4. Occurritur fundamentis oppositis. pagina 496.
Resol 4. Vtùm Religiosus qui adstringitur voto solemni non admittendi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, possit Magisterium, vel Doctoratum accipere in aliqua Vniuersitate publica. p.498
Resol.5. Circa iustificationem moralem in foro conscientiæ singularis certaminis ab Excellentiss.D. Duce Methymnæ Sidoniæ oblati illi qui Brigantinus fuit. p.500
§.1. *Interrogatio.* ibid.
Responsio. §.2. Supponuntur aliqua notabilia. ibid.
§.3. Octo rationibus probatur. p.501
§.6. Eruitur ex dictis doctrina qua duellis, & certaminibus ostium præcluditur. p.507
§.7. Quid operetur in hac iustificatione morali pro singulari certamine Regius consensus. p.509
§. Vltimus. Ponuntur duo corollaria, ex omnibus dictis deprompta. p.510
§. Appendix. Ponuntur, & soluuntur contradicta nonnulla argumenta. ibid.
Resol.6. An liceat Ciuitatibus Hispaniæ conferre votum decisiuum suis Procuratoribus ad regalia Comitia vulgò *Cortes* euntibus. p.517
§.1. Conclusio prima. ibid.
§.2. Conclusio secunda. p.520
§.3. Aliis principiis probatur eadem Conclusio secunda. p.523
§.4. Conclusio Tertia. p.525
§.5. Conclusio Quarta. ibid.
Resol.7. Vtrum Post Bullam Vrbanam possit tractari de auxiliis in libris prælo datis? p.526
§.1. Quid in hac Bulla prohibeatur? p.527
§.2. Non prohibetur in Decretis si occasionaliter in solutione alicuius argumenti, seu difficultatis explicetur qualis sit efficacia diuinæ gratiæ, & quomodo stet cum libertate creata. p.527
§.4. Non licet tractare de auxiliis etiam occasionaliter quando admiscentur censuræ, & modi loquendi Apologetici. p.530
Resol.8. Vtrùm omnia verba quæ ponuntur in consecratione Calicis sint de essentia formæ? p.531
§.1. Sententia D.Thomæ enucleatur. p.532
§.2. Sententia D. Thomæ authoritate fulcitur. p.533
§.3 Rationibus firmatur. p.635
§.4. Sententia Angelici Doctoris à persequentibus liberatur. p.536
§. Vltimus. Sententia Soti, & recentiorum Thomistarum trutinatur. p.538
Resol.9. Vtrùm Sacramentalia causent remissionem venialium culparum ex opere operato,vel tantum operantis. p.541
§.1. Satus & controuersiæ punctus asseritur. p.541
§.2. Sententia communis Doctorum Societatis fulcitur. p.542
§.3. Communis Thomistarum sententia enucleatur,& defenditur. p.543
§.4. Eadem sententia ratione à priori ostenditur vera. p.544
§.5. Respondetur argumentis oppositæ opinionis. p.545
§.6. Quid de singulis Sacramentalibus sentiendum? ibid.
§.7. De aliis effectibus quos causant Sacramentalia; quomodo ab illis proueniant? pag.547.
Resol.10. Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe,validum tamen? p.548
§.1. Sententia negans adducitur, & roboratur. ibid.
§.2. Sententia affirmans,vt omnino probabilior eligitur,& firmatur. p.539
§.3. Expenduntur varij dicendi modi, & primo Patris Francisci Suarez. p.550
§.4. Modus Paludani, & Capreoli trutinatur. p.551
§.5. Modus dicendi Petri de Soto,& aliorum expenditur. ibid.
§.6. Modus dicendi Martini de Ledesma, & aliorum perpenditur. p.552
§.7. Modus dicendi Dominici de Soto enucleatur. p.553
§.8. Fit satis Argumentis oppositæ sententiæ. ibid.
§.9. Quis effectus causetur à Sacramento pœnitentiæ informi. p.554
§.Vltimus. Qua ratione Sacramentum pœnitentiæ informe causet gratiam, ablato impedimento, explicatur. p.555
Resol.11. Vtrùm sit popularis error sumere laicum Eucharistiam pro animabus Purgatorij

gatorij. p.557
§.1. Sententia Thophili Raynaudi adducitur, & fundatur. ibid.
§.2. Ea quæ suo certa apud Catholicos statuuntur. p.558
§.3. Communioni pro mortuis ex opere operantis non paucas inesse vires ostenditur. p.549
§.4. Non esse perexiguam satisfactionem in Communione pro Mortuis, ostenditur manifestè. p.561
§.5. Non est tenue subsidium Animabus Purgatorij in manducatione corporis Christi, prout est impetratoria. p.563
§.6. Oratio prout impetratoria non est tenue moruorum subsidum. p.565
§.7. Vtrùm communio à laico facta, in aliquo sensu profit defunctis *ex opere operato*. pag.566.
§.8. Occurritur fundamentis Raynaudi initio adductis. p.568
§. Vltimus. Monendos esse fideles ad spiritualem communionem pro mortuis. p.569
Resol.12. Quæ declaratio sit requisita, vt quis ipso facto pœnas criminis incurrat? p.571
§.1. Vera Sententia authoritate, & ratione fulcitur. ibid.
§.2. Varia Argumenta contra dicta obiicit Baldellus, & soluuntur. p.572
§.3. Hæretici ipso facto ante sententiam declaratoriam amittunt bonorum dominium. pag. p.573
§.4. De Parocho, & Episcopo electis, & non Sacerdotio, & Consecratione ornatis, intra tempus à iure præscriptum pag.574.



TRACTA

TRACTATVS SEXTVS,

GRAVISSIMVS,

DE OBLIGATIONE REI,

ET TESTIVM AD PROPALANDAM veritatem iudici iuridicè interroganti.

1. PROCEDIT Tractatus quando iudex iuridicè interrogat, si enim hoc modo non procedat indubitatum est apud omnes quod reus non tenetur respondere, nec veritatem propalare. Sic omnes quotquot scripsere de hac materia. Si enim iudex non procedat iuridicè interrogando non constituitur verus superior rei in illo actu de quo interrogat, cum non procedat secundum ordinem iuris, imo contra ipsum procedat interrogando ad punitionem, non præcedendo infamia, aut semiplena probatione. Quare sicut Religiosus, non tenetur obedire superiori præcipienti aliquid contra regulam, ita nec reus iudici non interroganti secundum iuris dispositionem, & ordinem.

2. Quid autem requiratur vt iudex iuridicè interroget latè disputat Farinacius *in praxi criminali p.* 1. *tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 7. Ad resolutionem tamen præsentis dub. sat est quod semiplena probatio intercedat; est autem semiplena probatio, vt optimè adnotat Turrianus *de iustit. disp.* 50. *dub.* 1. *num.* 5. quæ fit teste oculato cum iuramento, & talis testis sit vt omni exceptione dicatur maior, taliter quod nullum habeat defectum, propter quem iure repelli possit. Vnde testis iste debet esse secundum iura, scilicet non actor, non secretus depositor, sed iuratus, non particeps criminis ad iudicium concurrens vt testis. Vide Farinacium *de testib. q.* 63. *n.* 1. 3. & 4. Sufficit etiam quod præcedat infamia de aliquo, si aliàs constet, de corpore delicti, vt tradunt duo citati, præcipuè Farinacius, & expresè S. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. potest, & debet requirere iudex secundum ordinem iuris, puta cum præcessit infamia, super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, vel etiam cum præcessit probatio semiplena; hac enim infamia suppositа adquirit ius iudex inquirendi tam reum, quam testes examinandi. Igitur est difficultas an iudici iuridicè reum sub iuramento interroganti teneatur reus veritatem propalare.

CAPVT I.

Sententia affirmatiua adducitur.

SVMMARIVM.

3 *Doctores affirmantes reum teneri iuridicè interroganti, & obedire propalando veritatem, & nullo modo ſe defendere.*

3 *Fundamenta prædictæ ſententiæ verbis Turriani proponuntur, & num. ſeqq.*

MVLTI, & grauiſſimi Doctores affirmant teneri reum iuridicè interroganti, & obedire propalando veritatem, & nullo modo ſe defendere. 3. Sic expreſsè docet S. Thom. *vbi ſup. art.* 4. vbi articulariter, hoc eſt, inquirendo id quod nos in præſenti inquirimus, reſoluit *in corp. art.* affirmatiuam partem. Vbi Caietanus ſatis profundè, vt aſſolet in materia morali, & dicit hanc ſententiam ſibi eſſe omnino certam, & eſt ſententia communis, & indubitata inter Thomiſtas. Quibus adiungo Turrianum *vbi ſuprà dub.*2. vbi citat Sotum, Cordubam, Nauarrum, Couarruuiam, Gabrielem. Sequuntur Vega *in ſumm. tom.*2. *cap.*89. *caſu* 1. Aragon 2.2. *quæſt.*69. *art.*1. vbi Bañez, Salon, iterum Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. & iure quæſt.*6. *art.*2. Azor 3. *p. lib.*13. *q.*3. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 12. *cap.* 16. *num.* 1. vbi plures citat vt Sylueſtrum, Tabienam, Toletum, Henricum, Paludanum, Antonium Gomez. Homobonus *tract. de ſtatibus p.* 2. *cap.* 4. Miranda *tom.*2. *ordin. iudiciar. quæſt.*19. *art.* 8. Aldrete *de regular. diſciplina tuenda lib* 1. *cap.*11. *n.*5. Ioannes de la Cruz *in direct. conſcient. p.*1. *præcep.* 8. *dub.*8. *conc.*2. Tannerus 2. 2. *diſp.* 4. *q.* 4. *dub.* 5. *num.*96. Valentia *tom.*3. *diſp.*5. *quæſt.*13. *punct.*1. qui dicit ſic ſentire fere omnes Theologos. Paul. Layman *lib.*3. *ſect.*5. *tract.*6. *cap.*6. *num.*2. vbi dicit hanc eſſe communem. Bonacina *circa* 8. *præcept. Decalogi diſputat.* 10. *quæſtion.*3. *punct.* 2. *numer.* 6.

4. *Cuius ſententiæ fundamenta placuit verbis Turriani proponere: Suppoſito enim quod iudex iuridicè interroget apertè ſequitur reum non poſſe occultare veritatem, quia in eo caſu iudex ſuperior eſt, & iuſtè præcipit: ergo reus tenetur illi obedire. Quæ ratiocinatio videtur euidens, niſi quis velit fateri non eſſe obediendum Superiori iuſtè præcipienti, quod omnino abſurdum eſt. Deinde dici non poteſt iudicem iuſtè interrogare, & tamen reum iuſtè occultare veritatem, quia circa idem omnino non poteſt eſſe duplex ius contrarium. Vnde aut iudex non habet ius præcipiendi manifeſtationem veritatis, aut reus tenetur manifeſtare illam. Vnde licet ſententia illa prima probabilis videatur aliquibus, modus tamen defendendi illam, Petri Nauarræ merito omnibus diſplicet, reſtat ergo vt qui defendunt eam ſententiam dicant iudicem non habere ius interrogandi veritatem, atque adeo neque præcipiendi vt manifeſtetur à reo, quod tamen omnino videtur falſum. Et primo contra hanc ſententiam eſt lex quarta tit. 29. part. 7. El Rey, ò el Iuzgador deuele hazer jurar que diga la verdad. Loquitur autem in noſtro caſu, vt legenti conſtabit; fauet etiam noſtræ ſententiæ cap. qualiter, & quando de accuſationibus.*

5. *Et probari poteſt iudicem habere ius interrogandi, quia vt infra dicam, per integram, & plenam probationem poteſt iudex condemnare reum: ergo per ſemiplenam probationem acquirit ius aliquod, licet non integrum: ergo ſaltem acquirit ius interrogandi. Et probari poteſt, quia ex oppoſito poſſunt multa damna oriri in detrimentum boni publici, ſæpè enim manerent crimina impunita, imo etiam eſſent ſcandaloſa, ſi iuxta communem, & receptam ſententiam iudex non procederet in cauſa, præuia ſemiplena probatione. Fauet etiam communis vſus omnium iudicum.*

Quod ſi aliquis dicat iudicem habere ius interrogandi reum per tormenta ad manifeſtandam veritatem, non tamen habere ius interrogandi, & præcipiendi talem manifeſtationem, facilè refutatur, quia ſi ipſe iudex in hoc caſu non poteſt vti ſimplici præcepto ad extorquendam veritatem, multo minus poterit vti ſeueriori tormentorum medio, in ordine ad eundem finem, ſcilicet ad extorquendam veritatem, & certè ſi ipſe haberet ius ad cognoſcendam veritatem multo facilius eſſet obligare ad actum ſolo præcepto, quam cogere per tormenta. Quod ſi vtrumque poteſt, vt ego arbitror, ex eo eſt, quia per ſemiplenam probationem acquiſiuit ius interrogandi veritatem, & præcipiendi manifeſtationem illius, præcepto autem iuſto, vt prius dicebam, reus tenetur obedire. 6. Hactenus Turrianus ſatis neruosè pro hac ſententia.

Ex qua ſententia ſic probata plura elicit Eminentiſſimus Caietanus. Primum quod cum ſit triplex procedendi modus in criminibus, per Inquiſitionem, denuntiationem, & accuſationem, 7. quando proceditur per viam. Inquiſitionis oportet præcedere infamiam, qua apud viros probos, & prouidos reddatur perſona de crimine tali ſuſpecta, de qua eſt diffamata. Vnde diffamatus de vno crimine non poteſt inquiri de aliis. Sic eſt deciſum in cap. *Inquiſitiones, extra. de accuſationibus.* Vnde non ſufficit quod duo, vel tres teſtes deponant. Vidiſſe crimen perpetrari, ſed neceſſarium eſt quod rumor, & fama ad maiorem congregationis partem peruenerit. Ita Leſſius *lib.*2. *de iuſtitia cap.* 29. *dub.* 15. Farinacius *in Praxi p.*1. *tom.*1. *q.*9. *num.*1. *vſque ad* 10. plures citans per teſtes particulariter ſuper fama receptos, & examinatos. Et *num.*14. & 15. hanc doctrinam non tenere verum in crimine hæreſeos, & læſæ Maieſtatis, quod probat multis iuribus, & Authoribus, & eſt certum, cum hic agatur de bono communi. Vnde concludit Caietanus. *Caueant ergo ſuæ, & ſubditorum ſuorum conſcientiæ Prælati illorum Religioſorum qui diffamati de vno præcipiunt inquirendo de aliis; peccant enim ipſi præcipiendo, & ſubditi non tenentur obedire.*

Secundò colligit quod S. Thom. *in artic. citato* dicit, non ſingulariter, ſed pluraliter indicia 8. requiri, ad hoc vt iudex iuridicè interroget, quia regulariter vnum indicium non ſufficit ad præcipiendum & veritatem extorquendam à reo; hæc autem indicia manifeſta debent eſſe, primo de ipſo facto & crimine. Secundo de Perſona. Tertiò debent eſſe manifeſta ad proceſſum. Itaque indicia iſta manifeſtentur reo, vt ſciat non poſſe reſpondere æquiuoce, ſed eſſe in tali ſtatu quod tenetur obedire iudici inquirenti, itaut non poſſit ſe ab illis purgare, quæ notare oportet pro his quæ dicenda ſunt in noſtra Reſolutione.

CAPVT II.

Sententia negatiua affertur.

SVMMARIVM.

9 *Aducuntur Authores pro ſententia negatiua eiúſque rationes ponuntur & n.ſeqq.*

9. HOc tempore multi Recentiores in eam abierunt ſententiam, vt dicerent Reum, cuius crimen non eſt plenè probatum, etiam ſi ſit ſemiplenè, & hoc conſtet ipſi reo, non teneri parere iudici præcipienti vt propalet veritatem, ſed poſſe eam occultare vtendo aliqua æquiuocatione, ſiue agatur de pœna capitali, ſiue triremium, mutilationis, confiſcationis omnium bonorum, aut graui alio dedecore, ſibi infligendo. Citat Diana pro hac ſententia. Valerium, Villalobos, Ioſephum de Sancta Maria. Filliucium, quatenus dicunt ſententiam S. Thomæ eſſe probabiliorem, atque ita ſententia iſta probabilis eſt. Adde Tannerum, Layman, & Bonacinam aſſerentes hanc ſententiam non eſſe improbabilem, nec cenſura dignam. Eam abſolutè docent Petrus Nauarra *de Reſtit. lib. 2. cap. 4. à num.* 142. Rodriquez *tom. 1. q. 19. art. 4.* Salzedum *in Practica criminali c.* 128. Malderus 2. 2. *tract. 6. cap. 3. dub. 1.* Spatharius *in Prax. crim. tract. 9. cap. 7. &* 8. Reginaldus *tom. 2. lib. 24. cap. 30. ſect. 3. à num. 3.* Sancius *in Selectis diſp. 43. à num.* 29. Portel *in dub. Regular. verbo Correctio fratrum num.* 43. Peyrinus *de Religioſo ſubdito tom. 1. q. 1. cap. 16. §. 1.* Ioannes Sanchez citat pro hac ſententia Saà *in 2. impreſſ. facta Madriti verb. Reus num.* 1. Sed in impreſſione correcta de iuſſu Congregationis librorum prohibitorum per Magiſtrum Sacri Palatij contrarium eſt emendatum, ſic enim ibi habetur: *Reus non tenetur fateri crimen niſi ſciat eſſe ſemiprobatum.* citat etiam Silueſtrum quem & iure optimo Do-

10. ctorem Magnum appellat verbo *Confeſſio non Sacramentalis q.* 1. Sed ibi idem docet quod Panormitanus, Angelus, & Armilla, qui omnes ſequuntur doctrinam D. Thomæ in opinione affirmante citati; eam tamen limitant, quando iudex inquirit, vel agit in iudicio de pœna ſpirituali, hoc eſt de excommunicatione, interdicto, ſuſpenſione, infamia, & depoſitione; quam diſtinctionem non admittit ipſe Sanchez ſecutus Spatharium, cum pœnæ ſpirituales magis debeant timeri, & maius ius habeat reus ad eas fugiendas, & euitandas.

11. Sed Sylueſter contrarium tenet huic opinioni *verbo Inquiſitio q. 3. num. 7.* vbi approbat ſententiam Paludani *in 4. diſt. 19.* ſentientis idem quod opinio affirmatiua *q. 3. num. 7.* vbi dicit quod reus tenetur manifeſtare veritatem quando certum eſt iudicem inquirere in cauſa qua de iure poteſt. Et verbo *Correctio num. 6. q.* 8. *Superior non poteſt præcipere ſpecialiter iſti, vel illi, niſi ſit ſpecialiter diffamatus, aut ſemi conuictus. Vnde ſiue ſic, ſiue ſic præcipiat non tenetur obedire, niſi qui eſt infamatus, vel ſemi conuictus. Et quod dictum eſt de Prælato, & præcepto intellige de iudice, aut de iuramento.* Hæc ibi.

12. Quid autem intelligat Sylueſter per limitationem illam, *quando agitur ad pœnam ſpiritualem*, quod deſumpſit ex Angelo, iſte ex Panormitano, quos ſecutus eſt Armilla difficile eſt intellectu. Niſi dicamus quod loquatur quando iudex Eccleſiaſticus præcipit ſub pœna excommunicationis, & Prælatus Regularis ſub formali præcepto obedientiæ, & iudex ſæcularis præcipit admiſſo iuramento, ex quorum tranſgreſſione ſequitur pœna aliqua ſpiritualis, qualis eſt infamia, aut depoſitio, quæ ſunt pœnæ ſpirituales, vt ipſemet Sylueſter docet, niſi enim ſub pœna excommunicationis, aut ſub præcepto formali, aut iuramento veritas inquiratur, etiam ſuppoſita ſemiplena probatione, non intelligitur velle iudicem ita ſtrictè præcipere vt reus teneatur propalare veritatem, ſed per epiicheyam intentio Superioris debet intelligi in fauorem rei vt optimè adnotat Bonacina *vbi ſuprà num. 6.* excipe cum Michaële Salonio 2. 2. *q. 64. art. 1.* Leſſio *lib. 2. cap. 31. dub. 8. num.* 13. niſi aliter per Epiicheyam iudicetur, & aliter de rationabili iudicis voluntate præſumatur, quæ præſumi rationabiliter poteſt niſi ſumatur iuramentum, aut imponatur præceptum, & feratur aliqua cenſura.

Citat etiam Scotum *in 4. diſt. 15. q. 4. §. in tertio* 13. *membro*, ſed ibi manifeſtè dicit cõtrarium, adducit Leſſium *vbi ſupr.* ſed ibi Doctor iſte tantum dicit hanc ſententiam eſſe probabilem, & contrariam ſequitur. Idem facit Reginaldus *lib. 24. de ratione iudicandi de peccatis cap. 3. ſect. 2. num.* 37. numero enim anteriori ſententiam S. Thomæ fuerat ſecutus, quem imitatus eſt Filliucius *tom. 2. tract. 40. num. 266.* eodem modo loquitur Malderus *tract. 6. de iuſtitia Rei cap. 13. dub. 2.* cum concluſione prima, vbi veram ſtatuit ſententiam S. Thomæ, *& aſſert. 2.* dicit contrariam eſſe probabilem. Quare iſta ſententia liquidos ſolum habet ſeptem, aut octo Patronos, cum ſententia D. Thom. amplectatur à ferè omnibus antiquis tam Theologis Summiſtis, quam vtriuſque iuriſprudentiæ Doctoribus.

Probatur tamen primò. Quia dupliciter poteſt 14. defendi quod reus conuictus ſemiplena probatione non teneatur propalare veritatem. Primò, ſi dicamus quod iudex iuſtè à Reo exquirat, & interroget veritatem, cuius præceptum iuſtum, & rectum ſit, & ſimiliter reus iuſtè celet veritatem illam non propalando, itaut vterque iure ſuo vtatur, iudex præcipiendo vt manifeſtetur veritas ad tuendum bonum publicum puniendo delicta, & reus non reſpondendo ob propriæ vitæ conſeruationem; multa enim poſſunt iuſtè præcipi, quæ etiam non exequentur, nam iudex poteſt præcipere reo capitis damnato quod non fugiat carcerem, & tamen non tenetur reus obedire, vt docent Turrianus ibi *diſput. 51. dub. 3.* quia hoc præceptum humanum modum iudicandi excedit. Granado 1. 2. *controu. de legib. fol. 279. num. 26.* Similiter dominus poteſt ſeruo capto in bello præcipere, quod non fugiat, & tamen ſeruus fugere poteſt. Deinde iudex poteſt præcipere reo abſenti vt coram ſe compareat, & tamen non tenetur obedire. Similiter iudex poteſt præcipere reo quod fame pereat, & tamen habet ius ad vitam conſeruandam, quod ſi ei cibus offeratur poſſit comedere, vt expreſsè docet S. Thom. ſupr. *art. 4. ad 2.* Sic defendunt hanc ſententiam Malderus, Rodriguez, Nauarra, & alij.

Sed Ioannes Sanchez *num. 31.* dicit quod mo- 15. dus iſte defendendi hanc ſententiam nec verus eſt, nec comprehenſibilis, vt bene ait Pitigianus in Practica crimin. *fol.* 249. Quare alium mo-

dum ipſe ſubicit, quem eius verbis proponam: *Modus ergo, ſeu via tutandi præfatam ſententiam iam à nobis eſt ſupra immediate inſinuata, videlicet nequaquam iudicem habere ius interrogandi reum de crimine ſemiprobato ob quod eſſet grauibus pœnis temporalibuus plectendus; præceptum namque, ſeu lex vt vim obligandi poſſit continere debet eſſe tolerabile, & conſentaneum conditioni humanæ, at intolerabile eſt reum obligare quod proprio ore ſuæ damnationis author efficiatur. Qua ratione ductus iuriſperitus lege 4.tit.de teſtib. decreuit neminem teneri teſtari contra ſuum ſanguine coniunctum, vel affinem intra quartum gradum*, vt colligitur à ſimili ex traditis à Sanchez *lib.4.de Matrimon.diſput.4.num.11.& 12. Quando inde illi graue damnum metuit, neque ad id poſſe lege obligari (niſi in cauſa fidei, aut proditionis Reipublicæ) multo ergo minus lex, ſeu mandatum ſpeciale dari poterit quod vim obligandi contineat reſpectu delinquentis ad crimen commiſſum manifeſtandum.*

16. Et infrà *ſi ſimplici præcepto ius non habet iudex ad obligandum reum fateri veritatem multo minus illi erit ius ad terrendum ſiue torquendum, vt de ſe manifeſtum eſt*, & bene ratiocinatur Torres *de iuſt.diſp.50.dub.2.n.2. iudices autem oppoſitam opinionem ſectantes, & arbitrantes ſibi licere, imo teneri reos interrogare, & non reſpondentes torquere, iuſta interrogant ſua opinione ducti, & reus quoque noſtra opinione nixus iuſte veritatem celat.*

17. *Nec reputandum eſt inconueniens dari bellum iuſtum ex vtraque parte etiam non interueniente ignorantia inuincibili in aliqua partium; ſufficit namque quod interueniat ignorantia probabilis, ſeu opinatiua, nam illud ius belli iuſti conferunt partibus opiniones probabiles*, vt expreſſe docet Filliucius *tom.2.tract.40.n.266.* Peſantius *2.2.q.7. diſp.vnica. Sic enim Reges de bellando opinionibus probabilibus ducti iuſtum bellum ex vtraque parte ineunt, vt explicabimus latius diſp. ſequenti n.58. & id expreſſis verbis* docet Sanchez *de ſtatu Religioſo lib.6.cap.3.num.7.*

Ex qua opinione deducit *num.33. Quod fateri tenentur Doctores huius opinionis, quod nec etiam manifeſtare delictum teneatur reus, quamuis ſit*
18. *plene probatum, ſi occidendus foret, quantumcumque eſſet probatum plene delictum, niſi illud confiteretur: fortè talis mos in aliquibus Prouinciis obſeruabitur & poſt hæc ſcripta talem obſeruari morem in aliquibus locis Flandriæ* ait Iodocus Honderus *in cap. 38. ſuæ practicæ criminal. Et ratio conuincens eſt, nam cum ipſi fateantur nullam obligationem incurrere reum manifeſtandi delictum, quando eſt ſemiprobatum, ob ius vitæ conſeruandæ ſtrictiſſimum illud ius non amittit reus ob pleniorem probationem ſui delicti aliàs delicti probatio ius vitæ conſeruandæ concederet, vel auferret. Quod verum non eſt, neque admittunt præfati Doctores, & cum concedant ipſi ex ſemiplena probatione delicti ius habere iudicem interrogandi reum, & adhuc iure interrogandi non obſtante reum nequaquam teneri veritatem propalare, ſimiliter fateri debebunt quod iure interrogandi ex plena probatione non obſtante, reus veritatem celando libertatem habebit, nam iudex ius æquale habet interrogandi reum ex ſemiplena probatione, atque ex plena vel ſi admittamus maius ius ex plena nanciſci, exceſſus ille ſolum proderit iudici ad iuſtificandum magis ius interrogandi, non vero ad auferendum ius reo vitæ conſeruandæ.* Plura alia adducit, quæ in ſequentibus referam, & refellam.

In eamdem ſententiam confirmandam ſic lo- 19.
quitur Malderus: *Si enim nemo cogitur inſtrumentum producere, quo conuincatur. l.6. C. de teſtib. Videtur enim graue nimis eſſe ſi cogatur contra ſe fateri in ſupplementum deferentis alioqui aduerſi teſtimonij. Deinde ſi vnus ſolum vidiſſet, poſſet reus in iudicio negare, & dicere vt conſuluit Scotus. Nego propoſita, vt proponuntur. Quare non ſimiliter idem poterit, ſi duo quidem viderint, ſed ſperetur quod ſecundus non teſtabitur, præcipuè cum in cauſa Sanguinis inhumanum ſit Reum obligare, vt publice ore ſuo ſe condemnet, antequam aliunde condemnetur?* Hæc perdoctus vir.

CAPVT III.

Sententia Diui Thomæ, quam Author ſequitur, aliquibus concluſionibus enucleatur.

VT autem Sententia Sanctiſſimi Præceptoris quam veriſſimam exiſtimo, tueatur clariùs, & efficaciùs probetur, aliquibus concluſionibus enucleanda eſt.

§. I.

Non eſt improbabilis oppoſita ſententia, quando præcedit ſolum ſemiplena probatio.

SVMMARIVM.

20 *Reus, quòd teneatur veritatem propalare, quando præceſſit ſolùm ſemiplena probatio, non eſt improbabile.*

21 *Confeſſarius qua ratione circa reum ſe gerere debeat?*

22 *Quando Reus primò interrogatus ſub iuramento negauit; ſi poſteà iterum interrogetur, non poteſt Confeſſor illi conſilium dare vt fateatur veritatem, &c.*

SIt ergo prima concluſio: Non eſt improba- 20.
bilis ſententia negans quod teneatur reus propalare veritatem quando præceſſit ſolum ſemiplena probatio. Hæc concluſio conſtat ex Authoribus ſupracitatis, quorum authoritas non eſt parui momenti, ſed magna, & ſufficiens ad faciendam hanc opinionem non improbabilem ſaltem ſpeculatiuè, ad quod deſeruiet huius opinionis admiſſio, vt ſi quis reus illam amplectens veritatem negauerit non teneatur, imò nec poſſit confeſſarius cogere illum, vt veritatem propalet. Quare tenetur illum abſoluere etiam ſi non propalet. Sic Layman, Bonacina, Azor locis citatis, quos ſequitur Thomas Sanchez *in ſumm. lib.3. cap.7.num.8.* & Diana *p.3.tract 1. Miſcellan.reſol. 26.* Tannerus, & alij quos iſti citant, & propter eandem rationem exiſtimo non teneri confeſſa- 21.
rium monere reum vt ſi interim iterum interrogetur

getur à iudice teneatur veritatem manifestare, sed posse, & teneri ipsum reum relinquere in sua opinatiua ignorantia sicut multi, & graues Doctores asserunt dum loquuntur de impedimentis matrimonij, ex cuius cognitione scandala possent sequi, quod tenetur confessor relinquere coniuges in sua ignorantia, vt docent plures, & grauissimi Doctores, quos citat, & sequitur Thomas Sanch. *lib.2.de Matrimon.disp.28.num.6.* qui multis aliis citatis *num.7.* dicit imo tenetur confessarius in casu præcedentis conclusionis tacere, ne sequantur inconuenientia, præbeatque peccandi ansam his qui in bono statu sunt. Atqui non minus prodest reo ignorantia opinatiua non improbabilis ac coniugatis ignorantia inuincibilis: ergo sicut tenetur confessor tacere in isto casu multo magis tenebitur in priori relinquendo reum in sua ignorantia.

22. Quod absolutè verum est quando reus primò interrogatus sub iuramento negauit; si postea iterum interrogetur non potest Confessor illi consilium dare vt fateatur veritatem qui ipsum cogeret, vt se fractorem iuramenti detegeret. Ita Bañez, & ego aliquando de hac re consultus respondi quod placuit doctissimis viris.

§. II.

Improbabile est asserere quod opinio negatiua sit certa.

SVMMARIVM.

23 *Prorsus improbabile est, asserere quòd opinio negatiua excusans reum semiconuictum, ne teneatur manifestare crimen, non solùm sit probabilis, sed certa.*

24 *Adducuntur Auctores.*

25 *Non potest esse certa opinio, quæ decreto summi Ecclesiæ Pastoris expuncta est.*

23. SEcunda conclusio: Prorsus est improbabile, & maiori censura dignum asserere quod opinio negatiua excusans reum semiconuictum, ne teneatur manifestare crimen non solum sit probabilis, sed certa. Hæc conclusio statuitur contra Sanchez vbi supra in suis selectis, qui *num.29.* in fine sic ait: *quæ sententia mihi non solum probabilis, sed certa videtur.* O hominis malum dictamen! quomodo certum ei videri potest quod habet sibi contrariam omnem antiquitatem, tam Theologorum quam Iuris vtriusque prudentium, & Summistarum quorum aliquam partem supra dedi, cui adiungo Sapientissimum Thomam Sanchez *tom.2.opusc.lib.6.cap.3.dub.29.* qui *num.4.* præter in superioribus citatos adducit Henrricum de Gandauo *quodlibet. 1. art.33.* Palacios *in Summ. Caietan. verbo iudex.* Perez *lib.8. ordinamenti tit.4. fol.130.* Simancas *lib. institut. tit.29. num.44.* Antonium Gomez *tom.3.variar.cap.12. num.5.* Gregorium Lopez *lib.4. vers. iuuare tit. 29.p.7.* Archidiacon *§. inter quod dicitur 2.2.q.2.* Bernardum Diaz *practic crimen cap.118.* Cordubam *lib.1.q.43. dub.3.* D. Antoninum *3.p. tit.9. cap.7.§.2.* Tabiennam *verbo Accusatio num.11.* Nauarrum *in summ. cap.25.num.36.* Filliarchum *de off. Sacerdot. tom.1.p.2.lib.4.cap.25.§. rei peccata* Gutierrez *lib.1. Quæstion. canonicar. cap. 15. num.15.* qui asserit quod quando quis interroga-

tur à iudice, iuris ordine seruato, *tam*, iure diuino, quàm humano tenetur ei dicere veritatem super crimine à se commisso. Lucam de Peña *leg.2.column.2.versicul. an peccet Reus de incolis lib.10.* quibus addo Gregorium Natam *in Clementina Sæpe §. Quia de verborum signification.* Rodericum Suarez *in lib.4.tit. de las* ..... quæ sententia adeo est antiqua in Ecclesia, vt Michaël Salon *vbi suprà pagina mihi 1563.* dicit *quod est communis omnium Doctorum, nomine discrepantiæ, præter imperitum vulgus.* Ludouicum Beja, in Resp. ad casus conscientiæ *p.3. casu 32.* Ludouicum Carbo *de Restitution. q.31. & q.52.* iterum Couarru. *lib.1.variar. Resol. cap.2.num.2.* Plures alios adducentem. 24.

Deinde qua ratione potest alicui videri certa opinio, quæ decreto Summi Ecclesiæ Pastoris expuncta est à summa Emanuelis Saà *verb. Reus*, & opposita vt vera, & tenenda ibi posita, Apage ne quis hoc dicat certè improbabile dictum, & maiori dignum censura quare forsan propter hoc & multa alia quæ inconsideratè & audacter ait ibi Ioannes Sanchez eius liber interdictus est à Sacra Congreg. Indicis ann.1647. 25.

§. III.

Tenetur reus iuridicè interrogatus veritatem dicere, etiam si damnum in vita, fama, &c. sequatur.

SVMMARIVM.

26 *Quando est semiplena probatio, aut quando præcessit infamia (si aliàs constet corpus delicti) aut quando indicia sunt manifesta eo modo quo supra &c. tenetur reus obedire Iudici interroganti.*

27 *Supponuntur quædam, vt efficaciùs probetur Conclusio & n. seqq.*

31 *Probatur validissimis rationibus, & numero seqq.*

39 *Verba Gratiani* in decreto 5.q.5. cap. Illi *referuntur.*

TErtia Conclusio: Quando est semiplena probatio, aut quando præcessit infamia (si aliàs constet corpus delicti) aut quando indicia sunt manifesta eo modo quo supra ex Caietano declarauimus, tenetur reus obedire iudici interroganti, & illi propalare veritatem, etiam si inde sit sequenda pœna capitalis, infamia grauis, aut aliud notabile detrimentum in bonis fortunæ, aut corporis. Sic D. Thom. & plusquam 40. Authores in eius fauorem adducti. 26.

Vt tamen neruose, & efficaciter probetur supono, Primò, in Magistratu ciuili, aut Ecclesiastico esse potestatem ad obligandum suis legibus, & præceptis, etiam cum periculo vitæ &c. *Sententia est communis, & mihi certa,* inquit Suarez *lib.3. de lege ciuili cap.30.num.4.* ex Caietan. *1.2.q.96. art. 4.* vbi ferè omnes expositores, D. Thom. Vasquez, Lorca, & alij sequuntur Paludanum *in 4.dist.18. q.6.art.4.* Salas *de legib. disp.11 sect.1.* Sanchez *de Matrimon. lib.7. disp.5. num.3. & 4. & lib.1. in Decalogum, cap.18 num.2.* Azor *p.1.lib.1 cap.11. q.1.* Couarru. *in cap. Alma. p.1.§.3.* Reginaldus *in Praxi lib.13.cap.18.num.182.* Bonacina *disp.2. de Peccatis q.8. punct.2.num.3.* Qui optimè addunt 27.

quod quando periculum vitæ eſt per ſe coniunctum cum re quæ præcipitur obligat ad peccatum, etiam cum tali periculo. Sic optimè explicat Nicolaus Baldellus *lib. 5. de lege diſp. 26. num. 6. &*
28. *11.* & eſt per ſe euidens. Quia in Republica debet eſſe poteſtas neceſſaria ad ſuam conſeruationem, & bonum publicum tuendum delicta punienda ſunt, & præmia elargienda, atqui ſi non poſſit obligare ſuo præcepto ad aliquid etiam periculo mortis, talis poteſtas illi defuiſſet; non enim poſſet bonum publicum conſeruare, & ne in illud criminoſi graſſarentur: ergo &c.

Confirmatur, quia leges Capitales, & quæ pro pœna imponunt exilium, & vſum triremium,
29. & ſimilium, propter crimina bono communi contraria ſunt iuſtè, & non excedunt modum humanum procedendi: ergo in Republica ineſt poteſtas ad præcipiendum quod talia crimina manifeſtentur, etiam cum periculo vitæ, ſi iudex de ea iuridice inquirat. Conſequentia eſt euidens, quia iuridica Inquiſitio eſt iuſta, & ſancta procedens à Superiori: ergo ſi præcipiat quod veritas manifeſtetur, præceptum obligat, etiam cum periculo mortis; quando enim periculum eſt ex natura rei annexum cum re quæ præcipitur, non eſt ratione huius periculi omittenda. Sicut Epiſcopus tempore peſtis poteſt præcipere Parocho quod infirmis præbeat Sacramenta, & quod de vrbe non exeat. Idem poteſt Princeps præcipere Medicis, & eminenti incurſu hoſtium poteſt præcipere ciuibus vt arma ſumant, quia in his, &
30. ſimilibus caſibus, inquit optimè Bandellus *Periculum mortis non eſt moraliter accidentarium actui qui per leges præcipitur, ſed quaſi de illius ſubſtantia, & ideo non poteſt in præcipiente præſumi ignorantia talis periculi, aut voluntas non obligandi, etiam ſub illo*: cum ergo leges capitales ſint iuſtæ, & ſit ſemiplena probatio quod iſte commiſerit delictum, iudex præcipiens reo, vt propalet veritatem, tenetur etiam cum periculo vitæ, quod ex natura rei eſt annexum tali propalationi, & manifeſtationi. Quare prius videndum eſt an iudex iuridicè inquirat reum de crimine, quam quod ob periculum vitæ iſte non teneatur reſpondere; ſi enim iuridicè inquirit, proculdubio ob periculum manifeſtationi veritatis annexum non poteſt reus illam celare, ſed etiam eam manifeſtare cogitur.

His ſuppoſitis probatur ſententia D. Thomæ, quam etiam ſatis doctè, & breuiter ſequitur, &
31. defendit Cardinalis Toletus *in ſumm. lib. 5. c. 58.* Primo quia inter partes poteſtatiuas iuſtitiæ potiſſima eſt obedientia, ordo autem iuſtitiæ requirit, vt inferiores ſuis ſuperioribus obediant, aliter non poſſet humanarum rerum ſtatus conſeruari, vt explicat S. Doctor. *2.2. quæſt. 104. art. 6.* ergo Superiori qui iuſta præcipit, etiam ſi ſit iudex ſæcularis, tenemur obedire, quantumuis præcipiat actum, cui annexa mortis condemnatio. Probatur conſequentia, quia implicat quod Superior iuridicè interroget, & quod interrogatus non teneatur reſpondere, & veritatem propalare.

32. Dicere autem quod iudex per ſimplex præceptum non poteſt obligare ad actum ex quo ſequatur condemnatio, atque ita non tenetur veritatem dicere. Inſto euidenter primo, quia iudex ſuppoſita ſemiplena probatione, vel interrogat iuridicè vel non. Hoc vltimum dici eſt improbabile, cum iudex ius acquiſierit ſupra reum, eo ipſo quod ſit ſemiplena probatio quod ius non habebat ante illam; atque ita ratione huius iuris iuridicè interrogat in ordine ad executionem legum iuſtarum, quæ pœnam capitalem imponunt, propter tale delictum; ſicut enim pœnæ iſtæ non excedunt humanum modum, ita nec præceptum iudicis interrogantis ad manifeſtandam veritatem, vt lex iuſta exequatur; quod ſi iuridicè interrogat in ordine ad executionem legum iuſtarum, quæ pœnam capitalem imponunt, propter tale delictum; ſicut enim pœnæ iſtæ non excedunt humanum modum, ita nec præceptum iudicis interrogantis ad manifeſtandam veritatem, vt lex iuſta exequatur; quod ſi iuridicè interrogat, non poteſt non teneri reus veritatem manifeſtare, etiam ſi ex cauſa futura ſit condemnatio ad pœnam capitalem, ſiquidem ex hoc non ſequitur quod reus ſe ipſum occidat, vt egregiè di-
33. xit Auguſtin. *lib. 1. de libero arbitrio cap. 4.* & refertur *in cap. ſi homicidium 23. quæſt. 5. cum*, inquit, *homo iuſtè occiditur, lex eum iuſtè occidit, non tamen ipſe ſe ipſum. argumento ex cap. quos Deus quæſt. 3.* quod non aduertit Ioannes Sanchez.

Secundò, quia iudex habet veram poteſtatem coactiuam ad punienda delicta ſecundum leges, ſecundum quas punit delicta iuxta ipſorum qualitatem, & legum taxationem: ergo poteſt cogere reum ſuppoſita ſemiplena probatione, vt manifeſtet veritatem, & iſte tenebitur obedire. Con-
34. ſequentia eſt euidens, quia ſi non tenetur obedire, iudex non eſt verè Superior reſpectu illius, nec habet vim, & poteſtatem coactiuam, quæ eſt de ratione Superioris, qui debet habere virtutem præceptiuam quæ ex neceſſitate iuſtitiæ cogat ſubditum vt ei obediat, vt egregiè docuit S. Tho. *vbi ſup. art. 5. in corp.* & ſic ſubditus tenetur ſuo Superiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis, ſicut miles Duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum, ſeruus domino in his quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda, filius patri in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam. Quare ſicut miles tenetur obedire duci etiam cum periculo vitæ, quia plures actus militiæ quos poteſt imperare dux, habent annexum vitæ periculum; ita cum iudex ſit vere Superior reſpectu rei in ordine ad punienda delicta, de quibus præceſſerunt indicia expreſſa, aut infamia, aut ſemiplena probatio, tenebitur veritatem manifeſtare, etiam ſi ſit vitæ periculum, & ſecutura pœna capitalis.

Hæc ratio apud me tanti ponderis eſt, vt exi-
35. ſtimem moralem demonſtrationem; nam dicere quod iudex iuſtè interrogat, quia ſequitur opinionem D. Thomæ, eſt dicere quod non ſit vere Superior, ſed ſolum opinatiuè, non ex natura rei, & ex poteſtate coactiua, quam habet, quod omnino abſurdum eſt, & per media intrinſeca; vſum omnium fere iudicum, tam laicæ poteſtatis, quam Eccleſiaſticæ damnare.

Tertiò, quia omnino implicat quod ſecluſa
36. ignorantia, detur bellum iuſtum ex vtraque parte; atqui iudex ritè, & rectè, & iuridicè procedit atque ita iuſtè debellat reum: ergo reus non iuſtè debellat iudicem, negando veritatem, quam iſte inquirit. Patet conſequentia, quia reſpectus eiuſdem non poſſunt eſſe duo iura oppoſita in diuerſis; cumque iudex rectè procedat inquirendo, reus non poteſt rectè, & iuridicè procedere, negando quod inquiritur.

Dixi ſecluſa ignorantia iuris quod habet alter, quia ſi quis habeat ignorantiam talem, quæ ſit

inculpabilis

inculpabilis ex hac prouenit quod bellum ex illa proueniens non ſit iniuſtum; atque ita ignorantia ſuppoſita reus iudicat iudicem non rectè procedere non iuridicè, quod in præſenti non
37. contingit, quia iudex, re ipſa rectè procedit, & non ſolum nixus opinioni probabili cum reipſa ſit Superior; atque ita reipſa eſt illi inferior, & obedire tenetur: quod ſecus contingit in principibus qui ſecundum opiniones contrarias probabiles iuſtè inter ſeſe debellant, cum nullus ipſorum appareat reipſa dominus Ciuitatis, aut Regni propter quod debellant, atque ita vnuſquiſque eorum ſuo ſenſu abundat, ſequens opinionem probabilem.

Quartò, iudex ſuppoſita ſemiplena probatione, ſi negat reus veritatem, habet ius eam inquirendi per tormenta: ergo reus non habet ius eam negandi. Conſequentia eſt euidens, quia ius illud iudicis non fundatur in opinione proba-
38. bili, ſed reipſa, atque ita reus nequit opinari contrarium, ſed tenetur propalare veritatem; quod vero iudex ſuppoſita ſemiplena probatione habeat ius ad exigendam veritatem per tormenta, ita certum eſt, vt oppoſitum ſit omnino improbabile, & errori proximum vt dicit Michaël Salon 2.2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *controu.* 9. vbi ad probandum adducit plures Sanctorum Patrum authoritates Ambroſij, Hieronymi, & Auguſtini *lib.* 19. *de Ciuit. cap.* 6. conſtringit enim eum iudicem, & ad hoc officium torquendi, pertrahit humana ſocietas, quam deſerere nefas ducit. Quare humanus conuictus cogit vt iudex poſſit torquere ad veritatem inquirendam, quod ſatis eruditè defendit contra Ludouicum Viues Leonardus Coquet *in Commentar. ad præfatum cap. num.* 2. quæ habentur *ad finem tomi quinti operum Auguſtini.* Id quod clarè deciſum eſt ab Euſebio Papa *Epiſt.* 1. *ad Epiſcopos Gallia*, & refertur à Gratiano *in De-*
39. *creto* 5. *quæſt.* 5. *cap. illi. Replicanda ſolicitè eſt veritas, qua ſponte prolata in illis vox haberi non poteſt, hanc diuerſis cruciatibus è latebris ſuis Religioſus tortor exigere debet, vt dum pœnis corpora ſubiiciuntur quæ geſta ſunt fideliter, & veraciter exquirant.* Quid clarius? Hic Summus Pontifex declarat iudices habere vim coactiuam torquendi reum ad veritatem exquirendam. Et quis dicat Pontificem fundare ſuam definitionem in opinione tantum probabili, quam ſequendo iudex poteſt torquere? Vtique nullus ſanæ mentis hoc dicet; atque ita ſicut iudex eſt verè Superior conſtitutus ad exquirendam veritatem, & puniendum delictum, ſi illam iuridicè inquirat, tenetur reus propalare, etiam ſi inde ſequatur condemnatio. Et non ſolum iure Canonico, ſed etiam iure Ciuili veritas hæc ſancita, & determinata exiſtit. Legatur Nauarrus *in cap. inter verba à n.* 337.

§. IV.

Improbabile eſt aſſerere quod ſuppoſita plena probatione non teneatur reus dicere veritatem.

SVMMARIVM.

40 *Improbabilis eſt ſententia Ioan. Sanchez aſſerentis, quòd etiamſi crimen ſit plenè probatum, ſi adhuc eſt ſpes euadendi, poteſt reus negare veritatem.*

QVarta Concluſio. Improbabilis eſt ſententia Ioannis Sanchez aſſerentis qnod etiam 40.
ſi crimen ſit plenè probatum, ſi adhuc eſt ſpes euadendi, poteſt reus negare veritatem. Veritas huius concluſionis ex dictis conc. 3. conſtat; improbabilitas vero ſententiæ Sanchez patet ex eo, quia nunquam eſſet verè Superior iudex reſpectu rei cum non habeat verum ius, ſed opinatum præcipiendi vt dicat veritatem.

§. V.

In criminibus contra bonum publicum reus iuridicè interrogatus tenetur dicere veritatem.

SVMMARIVM.

41 *Reus tenetur propalare veritatem iudici interroganti iuridicè, in criminalibus contra bonum publicum.*

42 *Concluſio prædicta ratione fulcitur.*

QVinta concluſio omnino indubitatum debet 41.
eſſe quod in criminibus contra bonum publicum teneatur reus propalare veritatem iudici interroganti iuridicè. Hæc concluſio traditur etiam ab illis qui ſententiam Ioannis Sanchez dicunt non eſſe improbabilem. Crimina autem contra bonum publicum ſunt hæreſis formalis, Schiſma, proditio ciuitatis, compilatio ærarij publici, & alia quæ enumerat Thomas Sanchez *lib.* 6. *conſilior. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 2.

Ratio eſt manifeſta, quia bonum publicum il- 42.
læſum ſemper debet manere, etiam cum periculo euidenti mortis, cuiuſcumque particularis cum totum principalius quid ſit, quam quælibet pars totius. Quare multi ſentiunt quod quando quis videt ex ſua hæreſi plures infici, etiam ſine inquiſitione particulari tenetur ſeipſum manifeſtare vt malo quod contra commune bonum ſerpit medela adhibeatur.

§. VI.

Quando dubitatur an ſit ſemiplena probatio non tenetur.

SVMMARIVM.

43 *Reus poteſt occultare veritatem, quando dubium eſt, an ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia.*

44 *Indicia vt ſint manifeſta multæ circunſtantiæ requiruntur.*

45 *Concluſio etiam in criminibus exceptis vera videtur Auctori.*

SExta concluſio. Quando reo eſt dubium an 43.
ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia poteſt occultare veritatem, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ius ad conſeruandam vitam. Sic omnes Authores ſupra citati. Quare exiſtimo raro reum teneri ad propalandam veritatem, quando ſolum
44. præceſſit infamia, aut indicia, quia vt iſta ſint expreſſa, & manifeſta multæ circunſtantiæ requiruntur ſecundum ius, tam canonicum, quam ciuile, ad quas omnes concurrere debet conſtare reo ex proceſſu, & probationibus, ita vt nullum

maneat apud ipſum dubium quod ſint manifeſta, & expreſſa, & quod fama ſit ſufficiens, & per
45. teſtes iuridicè probata. Quam concluſionem exiſtimo etiam veriſſimam, etiam in criminibus exceptis, vt ſunt hæreſis, crimen læſæ maieſtatis, & proditio ciuitatis: quamuis enim in his criminibus poſſit procedi de plano, & abſque ſtrepitu, & figura iudicij, in reo debet certo conſtare iudicem iuridicè eum interrogare; quia vt omnes fatentur ſi dubius ſit de iuridica interrogatione, non tenetur dicere veritatem: ergo vt hoc dubium auferatur ſibi certo debet conſtare de iuridica interrogatione, quidquid dicat Diana *part.4.tract.8. reſolut.vltim.* in teſte tamen alia eſt ratio, quia ipſe non interrogatus in his criminibus tenetur denuntiare veritatem, quanto magis eam propalare interrogatus à iudice.

§. VII.

Non tenetur reſpondere iudici quando reipſa eſt innocens, etiam ſi ſecundum allegata ſit probatus nocens.

SVMMARIVM.

46 *Reus quando eſt reipſa innocens, ſed ſecundum allegata, & probata iuridicè conſtat nocens, non tenetur reſpondere iudici ſecundùm allegata, & probata, ſed ſolùm ſecundùm veritatem.*

47 *Amplia iuxta Bonacinam, cuius verba diffusè referuntur.*

48 *Ratione comprobatur.*

46. SEptima Concluſio. Quando reus eſt reipſa innocens, ſed ſecundum allegata, & probata iuridicè conſtat nocens, non tenetur reſpondere iudici ſecundum allegata, & probata, ſed ſolum ſecundum veritatem. Patet primò, quia mentiretur in re graui. Secundò, quia licet iudex ſit Superior Rei, & ſecundum allegata, & probata, & ſic habeat ius interrogandi; cæterum hoc eſt ad cognoſcendam veritatem. Quare Epiicheya dicta quod non vult obligare reum, niſi veritatem dicat; ſi enim ſe conformat allegatis, & probatis ſequitur abſurdum quod innocens patiatur, & ſic per epiicheyam iudicandum eſt quod iudex non vult obligare, vt quis dicat commiſiſſe crimen quod non commiſit. Sic expreſsè Bonacina *vbi ſuprà num.6. §. excipe tamen* qui addit, & optimè quod ſi aliquis defen-
47. dendo cum moderamine *inculpatæ tutelæ, vel ſaltim abſque notabili exceſſu, ſeu ſine mortali culpa alium occidiſſet, non tenetur fateri homicidium, ſed negare poteſt, etiam ſi de homicidio ab ipſo commiſſo præceſſerit infamia. Ratio eſt quia iudex inquiret de occiſione criminoſa, qualis non eſt illa quæ facta eſt ad ſui defenſionem. Idem dic de teſtibus. Præterea Titius qui crimen non commiſit non tenetur illas circunſtantias fateri ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt ipſum fuiſſe criminis authorem, ideo negare poteſt hunc eſſe ſuum pugionem, quamuis reipſa ſit ſuus &c. adhibita tamen conuenienti æquiuocatione, aut reſtrictione mentis.* Ita Azor 3 *p lib.13.cap.25.dub.9.* Bañez 2.2.*q.69. art.2.* Saà emendatus §.*de reo num.7.* Reginaldus *lib.24.num.38. & 42.* Sanchez *in opere Morali lib.3.cap.7.* Filliucius *tract.4.cap.9.q.3.num.263.* Hæc ille.

Quorum omnium ea ratio eſt quia iudex in 48.
his, & ſimilibus reipſa non eſt ſuperior ſed ſecundum allegata, & probata, quæ in præſenti caſu fallacia ſunt, & reus non tenetur ſe conformare iudici interroganti de homicidio criminoſo, aut de furto lethali. Quare ſi quis vtatur occulta recompenſatione, quamuis de ipſo præceſſerit ſemiplena probatio, non teneiur dicere veritatem.

CAPVT IV.

Satisfit argumentis contrariæ ſententiæ.

SVMMARIVM.

49 *Reſpondetur ad argumenta oppoſitæ ſententiæ & n.ſeqq.*

53 *Item ad fundamentum Malderi.*

54 *Affertur obiectio Sanchez, & refellitur & num.ſeqq.*

57 *Miles quod ſolùm teneatur ad cuſtodiendum murum ex pacto, & pecunia accepta, aſſerere, eſt omnino falſum.*

COncluſiones poſitæ adeo ſunt veritati con- 49.
formes vt illis nihil noceant argumenta contraria, & ſic illis reſpondere non erit operoſum. Ad primum modum quo ſententia negans defenditur reſpondetur eſſe prorſus impoſſibilem, vt vidimus *conc.3.* & præcipua ratione 3. & 4. Quando enim periculum mortis eſt annexum cum re præcepta ex natura rei non excedit modum humanum gubernandi, vt vidimus in ſuppoſitione ad concluſionem tertiam, quod ſecus eſt quando tale periculum mortis non eſt niſi accidentaliter connexum. De præcepto illo quod reus maneat in carcere iam diximus ſupra, qua ratione obliget. Similiter dominus non poteſt præcipere ſeruo capto in bello iuſto, quod non fugiat, nam qui capiuntur in bello ius habent ad fugiendum, & ad poſtliminium reuertendum. Deinde iudex non poteſt præcipere reo abſenti quod ſe præſentet, ſed ſolum illum monendi, vt veniat ad reſpondendum pro ſe, niſi enim ipſo reo conſtet iuridicè de ſemiplena probatione præceptum quodcumque iudicis non obligat, vt notant Salonius, Turrianus, & alij.

Ad exemplum de illo qui condemnatus eſt vt 50.
fame pereat multi dicunt quod non poteſt comedere, ſed Sanctus Thomas contrarium docet *in ſolut. 2. citata.* Quia nullus tenetur ſibi inferre mortem, bene tamen poteſt ſibi inferre mortem pati, ſi autem quis non manducauerit cibos ſibi oblatos phyſicè inferret ſibi mortem non comedendo. Legatur littera illius ſolutionis quæ egregia eſt.

Ad ſecundum modum defendendi conſtat ex 51.
dictis falſiſſimum eſſe negare quod iudex non habeat ius, & poteſtatem præcipiendi reo quod propalet veritatem, vt conſtat ex dictis *conc. 3. ration.1. & 2.* nec eſt ſimile de deciſion. facta *in l.4. D. de teſtibus*, iſti enim non ita immediatè ſubduntur iudici vt illis poſſit præcipere quando interuenit illis aliquod notabile damnum, ſicut

ſubditur

ſubditur reus; iſte enim tenetur ratione delicti ſubire periculum, & pœnam: teſtis vero cum ſit ſine culpa non tenetur ſubire damnum, ſubiret enim ſine culpa pœnam. Legatur Salonius 2. 2. *quæſt.*70. *art.*2. *controu.*3. §. *ſed hæc facilè.*

Ad illud quod dicit iudicem cum ſemiplena probatione, imò & cum plena non habere ius ad torquendum reum, niſi in quantum ſequitur opinionem contrariam, iam vidimus concluſ. 3. ratione 4. pluſquam falſum eſſe, ſicut & quod dicit 52. *num.*33. non teneri reum adhuc ſuppoſita probatione plena propalare veritatem, diximus *conc.* 4. eſſe improbabile, vt reipſa eſt. Nec id in quo fundatur alicuius ponderis eſt, quamuis enim probatio plena, aut ſemiplena non det ius ad conſeruandam vitam, vel ipſum auferat, nihilominus eſt conditio requiſita, vt tale ius ceſſet in reo, & oſtendat vires ſuas poteſtas iudicis ad ipſum conſtringendum; ſicut bona, vel mala fides non dat, nec aufert ius ad detinendum alienum, ſed eſt conditio vt tale ius ſit in poſſidente, vel non ſtet.

53. Ad fundamentum Malderi reſpondetur quod aut tale inſtrumentum conſtat aliquem habere, vel non conſtat; ſi conſtat poteſt conſtringi, & tenetur exhibere; ſi vero non conſtat non tenetur, neque in confitendo reum delictum ſuum ſe ipſum condemnat ſed ſolum propalat veritatem, & iudex ipſum condemnat.

54. Sed obiicit Sanchez *num.*41. quia confeſſio delicti ſemiprobati eſt quædam actio per ſe illatiua mortis moraliter: ergo non habet poteſtatem iudex ad obligandum quod quis confiteatur ſuum crimen ob quod morte mulctandus eſt: & addit: *Imò nec ob conſeruandum bonum commune obſtringi quis poteſt propriam vitam exponere reus; eſt namque ius proprium tuendi vitam adeo ſtrictum quod à nullo iure conſeruandi alienas vinci poſſit; miles vero murum occupare cum periculo vitæ tenebitur ratione pacti, & pecuniæ acceptæ, vt diximus diſp.* 10. *num.* 9. *ex quo ſequitur non deuinci aliquem teneri cum diſpendio propriæ vitæ Regem defendere, niſi ad id pactione ſe obſtrinxiſſet.*

55. Sed hæc obiectio falſa nititur doctrina, & nimio amore proprio, ex quo, meo iudicio, Doctor iſte ita ſtrictè defendit ius conſeruandæ vitæ. Et quidem ad obiectionem reſpondetur quod delicti confeſſio non eſt mortis illatiua per ſe, aliàs non liceret reo delictum cui debetur pœna capitalis confiteri, quod plus quam temerarium eſt, vtpotè in re graui oppoſitum communi doctrinæ Eccleſiæ. Quare ſolum eſt illatiua per accidens, quatenus ſcilicet ipſe reus committens delictum, ſe poſuit in occaſione patiendi pœnam. Vnde ipſe ad mortem nullo modo per ſe concurrit, ſed ad declarandum delictum obligatur Superioris à lege.

Id quod addit quod ob conſeruandum bonum commune non obſtringitur quis ad exponendam vitam, neque pro liberando Rege improbabile 56. eſſe dicit Suarez *diſp.*9. *de charitat ſect.*3. eſt enim naturaliſſimum præceptum, vt pars ſe exponat cuiuis periculo vt tueatur totum ſuum, & caput, vt expreſsè docet S. D. *p.*2. *quæſt.*60. *art.*6. & ſic tenetur ciuis vitam exponere euidenti periculo, vt defendat ciuitatem, vel principem, vel aliam ſimilem perſonam, quando ab illa cenſetur pendere commune bonum, qualis eſt perſona Regis in ſuo Regno, & Summus Pontifex in Eccleſia, ſic expreſsè D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 4. vbi Bañez, & Aragon, Azor, *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſt.*3. §. *difficultas igitur.* Bonacina *diſp.*3. *circa primum Decalogi præceptum quæſt.*4. *punct.*4. *n.*5. Valentia 2. 2. *quæſt.* 4. *diſp.* 3. *punct.*3. Malderus *q.*26. *à 6. conc. vlt.* §. *vt itaque prudentior.* Leſſius *de iuſtitia lib.*2. *cap.*9. *dub.*13. *numer.* 90. *in fine.* Syluius 2.2. *quæſt.*26. *art.*4. *quæſt.*3. *conc.*2. Layman *tom.*1. *tract.*3. *cap.*3. *numer.*4. §. *dixi autem.* Idem etiam cognouerunt Ariſtot. 9. *Ethicor. c.*8. & Cicero *lib. de Amicitia.*

Quare falſum eſt omnino aſſerere militem ſolum teneri ad cuſtodiendum murum ex pacto, & 57. pecunia accepta. Non nego hoc ita eſſe quando Reſpublica non eſt in graui neceſſitate; at quando grauis neceſſitas vrget, ex iuſtitia, & charitate tenetur ipſam defendere, tanquam pars corporis in quo ipſe eſt membrum, ad quod præcepto naturaliſſimo adſtringitur; imò nullum præceptum naturalius, & naturis hominum à Deo Authore naturæ inſitum, poſt præceptum de dilectione Dei.

CAPVT V.

De teſtibus qualiter interrogati teneantur veritatem propalare.

SVMMARIVM.

58 *Teſtes qualiter interrogati teneantur veritatem propalare? Adducuntur S. Thomas, & Farinacius.*

DE teſtibus, & eorum obligationibus latiſſimè diſputat inſignis iuriſperitus Romanus Proſper Farinacius *in tom. non mediocri quem edidit de teſtibus.* Mihi tamen non eſt animus ad longum materiam tractare, ſed breuiter quantum Theologo Morali permiſſum eſt ad aperiendam viam reſolutionibus caſuum conſcientiæ, de cæteris enim ad forum iudiciale pertinentibus, videatur Farinacius qui adamuſſim hæc omnia diſcurrit, S. Thom. etiam poſtquam *quæſt.*69. cita- 58. ta, de Reo quæſtionem reſoluit. tractat *quæſt.* 70. ſequenti de teſtibus, & eorum obligationibus. Quia tamen articulus dogmaticus moralis, & maximè doctrinalis eſt varias ex eo placuit elicere regulas verbis eiuſdem Sanctiſſimi Præceptoris. Sic enim habeo omnes partes ad ſummam breuiorem redactas, vt manualis ſit, & textus authoritatem non amittat, quam, vita duce, prælo dabo, cum adnotationibus terminorum Thomiſticæ Scholæ.

CAPVT VI.

Adducuntur octo regulæ Diui Thomæ.

SVMMARIVM.

59 *Prima regula de teſtibus qualiter interrogati reſpondere debeant?*
60 *Secunda Regula.*
61 *Tertia Regula.*
62 *Quarta Regula.*
63 *Quinta Regula.*

64 *Sexta*

64 *Sexta Regula.*
65 *Septima Regula.*
66 *Octana Regula.*

PRIMA Regula. *Si requiritur teſtimonium alicuius ſubditi authoritate Superioris, qui tamen his qui ad iuſtitiam pertinent, obedire tenetur, non eſt dubium quin teneatur teſtimonium ferre in iis, inquibus ſecundum ordinem iuris teſtimonium ab eo exigitur, puta in manifeſtis, & in his de quibus præceſſit infamia.*

59. Secunda Regula. *Si exigatur ab eo teſtimonium in aliis, putà in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum.*

61. Tertia Regula: *Si requiratur eius teſtimonium non authoritate ſuperioris, ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem ab iniuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel à falſa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum, etſi eius teſtimonium non requiratur, tenetur, facere quod eſt ex ſe, vt veritatem denuntiet alicui quoad hoc poſſit prodeſſe.*

62. Quarta Regula. *In his quæ pertinent ad condemnationem alicuius non tenetur aliquis ferre teſtimonium, niſi quando à Superiore compellitur ſecundum ordinem iuris, quia licet circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum ſequitur, vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum, quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit.*

63. Quinta Regula ex ſolutione ad ſecundum. *De illis quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per confeſſionem nullo modo debet teſtimonium ferre quia huiuſmodi non ſcit vt homo, ſed tanquam Dei Miniſter, & maius eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto.*

64. Sexta Regula. *Circa ea quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, quandoque ſunt talia quod ſtatim cum ad notitiam hominis peruenerint homo ea manifeſtare tenetur, puta ſi pertineant ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius perſonæ, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi quod quis propalare tenetur, vel teſtificando vel denunciando, & contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum.*

65. Septima Regula. *Quandoque vero ſunt alia quæ quis prodere non tenetur, vnde poteſt obligari, ex hoc quod ſibi ſub ſecreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris. Quia ſeruare fidem eſt de iure naturali, & nihil poteſt præcipi homini quod eſt contra id quod eſt de iure naturali.*

66. Octaua Regula. *Secundum ordinem iuris Miniſtri Altaris compelli non poſſunt ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis, quia operari aut cooperari ad occiſionem non competit Miniſtro Altaris.*

His reſolutionibus S. Doctor omnem fere obligationem teſtium comprehendit, quam nimis longis diſputationibus antiqui, & moderni exquiſierunt, vt tamen morem tempori geram ex illis notabiliora adducam ex Salonio, Bonacina, Azorio, Ioanne Sanchez, Molina, Leſſio, Reginaldo, & aliis huius temporis Authoribus.

CAPVT VII.

Notabilia circa primam Regulam Sancti Thomæ.

SVMMARIVM.

67 *Affertur ratio primæ Regulæ.*

PRima Regula erat, quod quãdo teſtis interrogatur iuridicè tenetur ferre teſtimoniũ in his quæ non ſunt occulta, & de quibus præceſſit infamia. Ita defendunt Caietanus ibi. §. *in artic.* 1. Bonacina *diſp.* 10. *circa* 8. *præceptum q.* 3. *punct.* 3. *propoſit.* 1. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 3. *à num.* 5. Salonius 2. 2. *q.* 7. *art.* 2. *conc.* 1. *comentar. & controu.* 1. Aragon. ibidem, Reginaldus *lib.* 24. *cap.* 3. *ſect.* 5. Azor *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 1. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *à num.* 7. Clauis Regia *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 29. Turrianus *tom.* 2. *in* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *in commentar. verſ. tertio nota* Filliucius *tract.* 40. *c.* 8. *q.* 1. *num.* 252. & antea *n.* 228. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 14. *punct.* 1. Tannerus *diſp.* 4. *q.* 4. *dub.* 6. *num.* 234. Siluius *q.* 7. *art.* 2. *q.* 1. Bañez *dub.* 2. Sotus *de iuſt. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 1. & omnis ſummiſta verbo *Teſtis* vbi Tabiena, Silueſter, Armilla, Angelus, Samuel Lumbinus *n.* 17. Toletus *lib.* 5. *cap.* 59. Nauarrus, *cap.* 25. Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp.* 43. *num.* 39. Thom. Sanchez *tom.* 2. *opuſcul. lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 2. & 3. Portel *in dub. Regular. verbo Teſtis num.* 7. Ioannes de la Cruz *circa* 8. *præcep. q.* 3. *de peccatis in iudicio commiſſis art.* 4. *dub.* 13. Ledeſma *in ſumma tract.* 8. *dub.* 7. & eſt omnium quotquot ſcripſerunt.

67. Ratio eſt euidens ex dictis de reo, etenim ſicut reſpectu rei iudex eſt, vere Superior, qui poteſt præcipere veritatis manifeſtationem, etiam in periculo vitæ, multo magis poteſt præcipere teſti, qui cum hoc periculum non ſubeat, veritatem tenebitur propalare, ſiue iudex procedat via Inquiſitionis generalis, aut particularis, ſiue via accuſationis, dummodo conſtet teſti iuridicè interrogari.

RESOLVTIO I.

Non tenetur teſtis veritatem dicere, quando ſequitur illi graue damnum, ſi crimen non eſt contra bonum publicum.

SVMMARIVM.

68 *Teſtis non tenetur veritatem dicere, quando requiritur de crimine, quod non eſt contra commune bonum, ſed de alio particulari, ſi graue damnum illi ſequatur.*

69 *Si iudex periculum imminens Teſti aduertat, non poteſt in conſcientia eum interrogare.*

68. SEd circa doctrinam huius Angelicæ Regulæ multi caſus occurrunt diſcutiendi. Primus eſt quando iudex procedit ad inquirendum teſti, tamen ſequitur aliquod graue damnum, ſi veritatem aperiat, an teneatur veritatem propalare, Cui reſpondetur non teneri quando inquiritur de crimine, quod non eſt contra commune bonum,

ſed

ſed de alio particulari. Sic fere omnes citati, quia nullus tenetur lege charitatis proximo occurrere cum tanto incommodo, niſi aliter poſtulet commune bonum. Quamuis enim teſtificari veritatem ſit naturale præceptum, & diuinum pertinens ad iuſtitiam, tamen non obligat cum vitæ periculo, aut alterius graui damni; iure enim naturæ, & diuino ſoluenda ſunt debita creditori, ſuccurrendumque innocenti aggreſſo, & non cum tanto periculo. Quare ſi iudex periculum aduertat non poteſt in conſcientia interrogare; ſi vero non aduertat, aut ratione ſcandali teneatur interrogare, & ſi iuſte interroget, hoc eſt, non peccet; eius tamen præceptum non obligat iuſta excuſante cauſa teſtem ne fateatur veritatem, daturque bellum iuſtum ex vtraque parte non per ſe, ſed per accidens, ſuppoſita in vno ignorantia, aut obligatione ratione officij, ne ſequatur ſcandalum, & ſic iudex per accidens iuſte debellatur contra teſtem, teſtis vero per ſe debellatur contra iudicem, non propalando veritatem ſicut dux quia non poteſt obtinere victoriam niſi debellando innocentes, per accidens illos iuſte debellatur, ſed innocentes per ſe debellantur contra ducem ſe ipſos defendendo.

Resolvtio II.

Vtrum teſtis qui iuridicè interrogatus negat veritatem peccet contra iuſtitiam.

SVMMARIVM.

70 *Teſtis, an vocatus à Iudice, & iuridicè interrogatus teneatur ex iuſtitia propalare veritatem; an ſolùm ex obedientia, itaut teneatur reſtituere damna, quæ ex eius negatione mortifera ſequuntur? & numeris ſeqq.*

SEcundus caſus eſt, an teſtis vocatus à iudice, & iuridicè interrogatus teneatur ex iuſtitia
70. propalare veritatem, an ſolum ex obedientia, itaut teneatur reſtituere damna, quæ ex eius negatione mortifera ſequuntur. Et quidem quod non teneatur quis ſe offerre ad teſtimonium ferendum ad damna alterius euitanda certum eſt. Solum ergo tenetur ex charitate, ſicut tenetur ſuccurrere proximo in extrema, vel graui vrgente neceſſitate. Quare iſte non ſe offerens non tenetur reſtituere damna, cum obligatio reſtitutio-
71. nis ſolum oriatur ex violatione iuſtitiæ. Hoc etiam certum eſt quoties dictum teſtis cauſa eſſet mortis alicuius, quo caſu non tenetur quis ſe offerre vt teſtimonium ferat in fauorem alterius; non enim teneor vni fauorem præſtare, cum damno tam graui alterius. Secus eſſet ſi ex meo teſtimonio nota magnæ infamiæ, alicuius magnæ, & illuſtris familiæ liberanda eſſet, quæ ponderat magis quam vita alicuius particularis hominis. Aduertit tamen, & benè Bonacina, quod quoties iuridice interrogamur tenemur te-
72. ſtimonium ferre, etiam cum periculo mortis alterius, tenemur enim iudici interroganti veritatem propalare. Ego addo niſi ille qui patitur periculum mortis ex meo teſtimonio, ſit mihi ſanguine coniunctus, aut affinis intra quartum gradum.

Eſt igitur difficultas huius caſus, an ſi iudex interroget ſecundum formam iuris & teſtis neget, peccet contra iuſtitiam, & non ſolum contra obedientiam. Et quidem mihi certum eſt contra Bonacinam *vbi ſup. num.* 13. Leſſium *n.*6. & Ioannem de la Cruz *in ſumm. præcep.* 8. *q.* 3. 73.
*art.*4. *conc.*5. (ſiue intercedat iuramentum, ſiue non, idem dico) ſi poſtquam teſtis eſt citatus iuridicè, fraude ſe abſcondat, fugiatve, ne dicat veritatem peccare contra iuſtitiam. Sic Salonius *vbi ſupr. controu.* 3. Sanchez *dub.* 3. *conc.*3. Azor *dub.*4. Sotus *art.*1. Nauartus *cap. inter verba numer.* 219. Turrianus *diſp.*52. *dub. vnico numer.*2. Tannerus *diſp.*4. *quæſt.*6. *dub.*2. *num.* 77. Et quidem ſi intercedat iuramentum, cum ſit promiſſorium, vt optimè notat Bonacina, parit obligationem iuſtitiæ, quam etiam inducit promiſſio ſimplex acceptata, vt eſt communis, & certa ſententia in materia de contractibus.

Deinde quia pars læſa habet ius iuſtitiæ vt te- 74.
ſtis iuridicè interrogatus pandat veritatem, atque ita contra hoc ius facit. Deinde etiam ex iuſtitia tenetur iudici obedire, cum iſte veritatem inquirat, ad faciendam iuſtitiam, & conſtituendam æqualitatem, ſecundum ius vtriuſque. Quod ſi nullum ſequatur damnum alicui tertio, ſed tantum quod crimen maneat impunitum, ſolum peccabit contra iuſtitiam legalem, ex qua tenebatur obedire iudici.

Resolvtio III.

Qui edicto generali ſub excommunicatione poſito non obedit in damnum tertij, tenetur reſtituere damnum.

SVMMARIVM.

75 *Furtum qui tenetur manifeſtare, quod iubetur per edictum generale reuelare ſub pœna excommunicationis, vltra peccatum, & excommunicationem quam incurrit, tenetur reſtituere damnum parti læſæ, &c.*

EX quo colligitur quod ille qui manifeſtare 75.
tenetur furtum quod manifeſtare iubetur per edictum generale ſub pœna excommunicationis, vltra peccatum, & excommunicationem quam incurrit tenetur reſtituere damnum parti læſæ ex ſua taciturnitate ſecutum, cum teneatur ex iuſtitia tali edicto obedire. Sic Sanchez *vbi ſup. n.*5. ex Alcozer *in ſumm.cap.*26. Corduba *lib.*1.*q.*43. *dub.*2. & multis aliis quamuis enim ex edicto iſto, ſeu præcepto iudicis immediatè non oriatur, niſi obligatio Obedientiæ; tamen cum iſta ſit in materia iuſtitiæ, & in ordine ad conſtituendam æqualitatem præceptum imponatur, qui recuſat obedire eſt in cauſa, quod damnum tertio inferatur, & æqualitas non conſtituatur. Qui enim iuſtitiam fieri impedit, contra iuſtitiam peccat.

Resol.

RESOLVTIO IV.

Si procedatur via accuſationis, ſi crimen eſt emendatum, adhuc teſtis interrogatus tenetur dicere veritatem.

SVMMARIVM.

76 *Teſtis vt teneatur reſpondere iudici interroganti, & procedenti via accuſationis, non eſt neceſſarium quòd accuſatio ſit iuſta in foro interno, & externo ſimul, ſed ſufficit quod in externo, &c.*

77 *Ratione probatur.*

78 *Non eſt improbabile oppoſitum, & n. ſeqq.*

NOtandum eſt circa hanc regulam S. Thomæ quod vt teſtis teneatur reſpondere iudici interroganti, & procedenti via accuſationis, non
76. eſſe neceſſarium quod accuſatio ſit iuſta in foro interno, & externo ſimul, ſed ſufficit quod in externo ſit iuſta, hoc eſt, quod poſſit per teſtes probari, v. g. commiſit Petrus Sodomiam, & ab ea verè emendatus eſt, & correctus, accuſatur à Paulo, quam accuſationem poteſt per tres teſtes probare, iniuſta eſt in foro interno, quia frater emendatus eſt, nulla correctione fraterna facta à Paulo.

77. Ratio eſt quia iudex non iudicat de occultis, ſed de accuſatione externa, quæ in foro externo iuſta eſt; atqui ita tenetur inquirere iuridicè ex obligatione ſui muneris, & teſtis tenetur veritatem aperire; licet enim reus emendatus ſit, tamen eo ipſo quod commiſit crimen manſit obligatus ad pœnas legis, quæ non curat an ſit emendatus, ſed an commiſerit crimen. Quare accuſator ne incurrat pœnam talionis ius habet, vt teſtis dicat veritatem. Sic Salonius *vbi ſuprà contron. 1. conc. 1.*

Sed ego non iudico improbabile quod in peccatis quæ non inferunt alicui nocumentum, ſi frater eſt emendatus, non tenetur teſtis veritatem aperire. Quare ſi quis vna, vel altera vice
78. ſodomatizauit à quo iam emendatus eſt, etiam ſi poſſit per teſtes, cum ſit accuſatio peccaminoſa, contra legem correctionis fraternæ dicente Chriſto, quod ſi frater emendatus, eſt iam lucratus, non eſt obligatus teſtis veritatem aperire, ſed poteſt æquiuocatione vti, eſt enim per epiicheyam voluntas iudicis interpretanda, quod nolit obligare.

79. Rurſus non vult iudex quod verè emendatus puniatur, nec teſtis ſi ſciat emendationem, tenetur cooperari peccato accuſationis; quod enim illi damnum talionis immineat, nihil intereſt, quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit. Sed opinio Salonij probabilior eſt, quia eo ipſo quod peccatum ſit commiſſum manſit homo ſubditus pœnæ legis, quam exequendam intendit iudex.

RESOLVTIO V.

Si teſtis ſine peccato dixit falſitatem in iudicio non tenetur reſtituere.

SVMMARIVM.

80 *Teſtis ſi ſine peccato aliquo falſitatem dixit in iudicio, ex qua ſecutum eſt damnum alicui, non tenetur reſtituere.*

81 *Affertur ratio.*

82 *Idem dicendum ſi quis poſt cauſam concluſam probationis teſtificet falſum.*

83 *Contrarium eſt valde probabile. Vbi de vltimo iniuſto Electore, & de iniuſtè ſuffragium ferente, & n. ſeqq.*

NOtandum ſecundò, Quod ſi quis teſtis ſine 80.
peccato aliquo falſitatem dixit in iudicio, ex qua ſecutum eſt damnum alicui, non tenetur reſtituere. Ita Silueſter *verbo Teſtis q. 20.* Sotus *lib. 5. de iuſtitia q. 7. art. 4.* Filliucius *vbi ſupr. num. 253.* Reginaldus *num. 47.* Nauarrus *num. 40.* Leſſius *num. 5.* Et ratio eſt, quia non tenetur ratione rei acceptæ, nihil enim apud ſe retinet; nec ratione iniuſtæ damnificationis, cum hæc ſupponat peccatum. Exiſtimo tamen non ſufficere veniale, ſed neceſſario debere eſſe mortale. Sic optimè Leſſius *lib. 16. cap. 2. dub. 6. n. 27. §. 1.*

Ratio eſt, quia peccatum veniale eſt iniuria leuis, atque ita non inducit obligationem mortalem, cum obligatio non poſſit eſſe maior quam iniuria, ex qua pullulat, ſed neque eſt obligatio ſub veniali ad reſtituendum materiam grauem. Quis enim dicat quod peccatum veniale non remittatur, niſi quis habeat propoſitum reſtituendi decem millia aureorum? ridiculum ſane eſt. Quare vt optimè Leſſius *n. 28.* hoc damnum ex peccato veniali prouenientis cenſetur quaſi fortuitò euenisſe; ſicut ſi quis ſubita ira correptus occidit aliquem, itaut fuerit ſolum motus ſecundo primus, non tenetur quis ſub mortali, aut veniali reſtituere; ſed homicidium fuit caſuale, & fortuitum; quod ſecus eſt, ſi teſtis dicat falſum ex ignorantia vincibili, quantumuis craſſa. 81.

Idem dicendum eſt de illo qui poſtquam delictum planè probatum eſt per duos teſtes, etiam falſos, ipſe poſtea teſtificetur falſum. Non enim iſte tenetur ad reſtitutionem, quia eius teſtimonium non profuit influendo ad inferendam pœnam, vel iniungendam grauiorem, ſicut ferens ſuffragium iniuſtum in cauſa mortis, poſtquam alij intulerunt ſufficientia ſuffragia, vt mors inferretur, non tenetur ad damna, quia non influxit in mortem, influxu ſimpliciter requiſito. Sic tenet Bonacina *vbi ſup. num. 15. §. vtrum vero* Leſſius *num. 52. & cap. 23. dub. 2. & 3.* & iterum Bonacina *diſp. 1. de Reſtitut. q. 2. punct. 8.* Sayrus *in Claui lib. 12. cap. 19. n. 9.* Salonius *22. q. 62. art. 7. controu. 1. §. de conſentiente concluſ. 1.* 82.

Quamuis contrarium etiam ſit valde probabile. Sic idem Salonius, *vbi ſup. verſ. Sit ergo regula & conc. 1. § quod ſi iſta vltima vota.* Corduba *in Summ. q. 191.* Medina *C. de reſtitut. q. 7. ad 5.* Vnde Salonius hanc ſatis prudentem conſtituit regulam, vt videatur quando conſentiens teneatur ad reſtitutionem: *Quando conſenſus eſt tantum conſenſus, & complacentia, non autem cauſa, non obli-* 83.

gat

gat ad reſtitutionem, quia non influit tunc in effectum, nec aliquid efficit per ſe pertinens ad actionem nociuam: quando vero eſt cauſa ſimul, & conſenſus, tenetur, quia tunc vere concurrit, & influit in illum effectum. Atqui teſtis falſus, etſi accedat ad ferendum teſtimonium poſtquam ſecundum allegata planè conuictus eſt reus, non ſolum conſentit, ſed ſimul cum aliis mouet voluntatem iudicis, vt ſententiam ferat, nam ex allegatis, & probatis mouetur.

84. Similiter qui fert ſuffragium pro Gabella iniuſta, aut pro electione pernicioſa, quamuis pro maiori parte ſit concluſum, itaut ſuum ſuffragium neceſſarium non ſit ad concluſionem, tamen reipſa ad illam concurrit, & habet animum à principio id ipſum faciendi: ergo tenetur ad reſtitutionem, ſiquidem peccat contra iuſtitiam, efficiendo effectum illi contrarium. Quare non eſt ſimplex complacentia de re iniuſta, ſed verè voluntas efficax, quæ quantum eſt ex ſe concluderet, ſi antecedentes non concludiſſent.

Quod explico hoc exemplo: Si quis ſolum indigeat duobus amicis ad perpetrandum furtum,
85. & adhibeat alios duos, ſine quibus æque benè furtum perpetraret. Nemo excuſabit iſtos duos à reſtitutione, etſi non fuerint neceſſarij ad furtum, quia de facto ad illud influxerunt, facientes effectum contrarium iuſtitiæ, quamuis non eſſent ſimpliciter requiſiti: ergo ſi quis habet animum à principio ferendi teſtimonium falſum, aut ſuffragium iniuſtum, quod vltimo loco illud ferat, non excuſabit illum à reſtitutione, cum omnes à principio eumdem animum habeant, cui ex natura rei annexum eſt damnum illatum; atque ita quamuis ſucceſſiuè vnus poſt alium teſtimonium, & ſuffragium ferant, & prius tempore à prioribus ſit concluſum, tamen omnes tenentur, quia ratione animi conformis omnes ſunt cauſa efficax.

Aliàs ſi primus teſtis, & ſuffragator ſciens cer-
86. to, quod alij poſteriores ſunt idem teſtimonium & ſuffragium laturi, & falſo iuſtificetur, & iniuſtum ferat ſuffragium non tenerentur reſtituere, quod eſt contra Authores contrarios Diana *1. p. de Parlament. reſol.* 17. Turrianum 2. 2. *diſp.* 12. *dub.* 2. *n.* 13. *verſ. & quid poſſet aliquis.*

Patet, quia prioritas temporis, aut poſteritas, quæ attenditur ſecundum antiquitatem ſuffragantium, vel citationem voluntariam iudicis ad excipiendum teſtimonium, non poteſt excuſare animum iniuſtum inferendi damnum. Quare qui prius ſuffragium tulit quia antiquior eſt in Parlamento, eius antiquitas maximè noceret. Quod non poſſum in animum inducere. Aliàs præterea antiquiores in Republica, & vota *de las Cortes* ciuitatum antiquiorum tenerentur ad reſtitutionem damni iniuſti donatiui, à quo excuſarentur alij nouiores in id ipſum ſuffragium ferentes. Quare iſti in intentione æqualem locum habent in efficientia damni, quamuis in executione poſſent eſſe priores, & iniuſtitia executionis, tamen ex iniuſtitia intentionis totam efficaciam malitiæ haurit; cúmque omnes ſuffragium, teſtimoniúmque iniuſtum ferant, ortum ex intentione iniuſtum damnum effectiua, omnes id effecerunt, & ſic omnes tenentur reſtituere.

Thom. Hurtado Reſol. moral. Pars II.

RESOLVTIO VI.

Teſtis qui falſum malitiosè dixit tenetur ſe retractare, etiam ſi immineat pœna talionis.

SVMMARIVM.

88 *Teſtis falſum teſtimonium ferens, ex quo ſequitur ſententia capitalis, aut de abſciſſione membri; &c. tenetur ſe retractare, etiam ſi pœnam talionis eſſet ſubiturus.*

89 *Teſtis interrogatus legitimè ſi veritatem taceat, & ſic non damnetur reus pœna pecuniaria applicanda fiſco, non tenetur talem pœnam reſtituere.*

VLtimò notandum eſt, quod teſtis falſum teſtimonium ferens, ex quo ſequitur ſententia capitalis aut de abſciſione membri, &c. tenetur ſe retractare, etiam ſi pœnam talionis eſſet ſubiturus. Si tamen credat ſua retractatione profuturum. Sic omnes Authores ſupra adducti, quia 88.
in æquali damno potior eſt conditio innocentis. Quod ego intelligo, niſi innocens ſit homo plebeius, & infimæ notæ, nocens vero maximæ vtilitatis Reipublicæ. Similiter ſi nocens nocuerit abſque peccato mortali. Sic Sotus, Nauarrus, Toletus, Nauarra, Clauis Regia, Reginaldus, Filliucius, quos citat, & ſequitur Bonacina *n.* 16. §. *dixi el ſegundo.* quibus addo Thom. Sanchez *tom.* 2. *conſilior. lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 21.

Et ex mente horum doctorum addo quod ſi 89.
quis interrogatus à iudice legitimè, veritatem taceat, & ſic non damnetur reus pœna pecuniaria applicanda fiſco, non tenetur talem pœnam reſtituere, quia ad illam non habet ius fiſcus, niſi ſententia lata; non enim tenetur teſtis, niſi ad quod tenebatur reus, atqui iſte non tenetur ſoluere pœnam ante condemnationem: ergo nec teſtis. Legatur Salonius 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *contro.*

CAPVT VIII.

Limitationes circa Regulam ſecundam Diui Thomæ.

SVMMARIVM.

90 *Tenemur iure naturæ famæ proximi proſpicere.*

91 *Iudex non poteſt abſque infamia delinquentis contra ipſum procedere ſpeciali inquiſitione.*

92 *Non eſt neceſſaria infamia quando proceditur via accuſationis, aut denuntiationis Euangelicæ.*

93 *Innocentius III.* Cap. Inquiſitionis, de Accuſationibus *adducitur.*

94 *Praxis aliquorum locorum ne crimina maneant impunita, ex Bonacina.*

REgula ſecunda S. Præceptoris erat: *Si exigatur teſtimonium de occultis, & de quibus non præceſſit infamia, non tenetur teſtis ad teſtificandum.* Reſolutio iſta Magiſtralis eſt, & dogmatica, & vt ſic ab omnibus accipitur, quos ſu-

pra retuli; tenemur enim iure naturæ famæ proſpicere, multo magis quam fortunæ bonis; quare ſi occultum eſt crimen non poſſunt teſtificari, nec iudex iuridicè interrogat.

91. Non enim iudex abſque infamia delinquentis poteſt contra ipſum procedere ſpeciali inquiſitione, & ad id obligatur iure naturæ, quo tenetur famam proximi tueri. Quod clarè colligitur ex *cap. cum oporteat. de Accuſationib. cap. Qualiter el primero, y el ſegundo. Et cap. licet Heli. de Simonia.* & colligitur ex *Geneſ.* 18. dicente Domino de Sodomitis: *Deſcendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint.* Hoc
92. autem intelligitur quando proceditur inquirendo non tamen eſt neceſſaria infamia, quando proceditur via accuſationis, aut denuntiationis Euangelicæ. Quare nec Pontifex, nec Princeps poteſt ſtatuere quod iudex procedat inquirendo contra aliquem, ſi non præceſſit infamia, quia non poſſunt ſtatuere aliquid contra præceptum naturale. Sic Caietan. 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 1. §. *ad hoc dicitur. &* §. *in articulo primo. verſ. & quoniam.* Nauarra *lib. de Reſtitut. cap.* 4. *num.* 159. loca enim S. Scripturæ vim naturalis præcepti declarant, ſi quidem nec ipſe legiſlator Deus procedit ad puniendum, niſi præcedente infamia, & rumore.

Sic intelligo ego Syluestrum *verbo Inquiſitio quæſt.* 4. *dicto* 1. & 3. aſſerentem ad procedendum via accuſationis requiri indicia, aut ſemiplenam probationem; at ad procedendum via inquiſitio-
93. nis requiritur infamia. Et in primo modo procedendi, indicia aut ſemiplena probatio requiritur iure naturæ: ergo ad ſecundum eodem iure requiritur infamia. Vnde Innocentius III. *cap. Inquiſitionis de Accuſationib.* expreſſe ſtatuit non poſſe iudicem procedere inquirendo contra non diffamatum, etiam ſi duo, aut tres teſtes aſſerant ſe vidiſſe delictum ab homine committi. Legantur Azor 3. *part. cap.* 26. *dub.* 1. Filliucius *tractat.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 180. & 190. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 10. Valentia 2. 2. *diſput.* 5. *quæſt.* 14. *punct.* 1. Sotus *lib.* 5. *de iuſtitia quæſt.* 6. *artic.* 2. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 648. Molina *tom.* 4. *tractat.* 3. *diſput.* 47. Saa emendatus *verbo Iudex. numer.* 1. & ſic Sanchez *tom.* 2. *opuſculor. lib.* 6. *capite* 3. *dub.* 17. *concl.* 2. in hanc ſententiam pene innumera refert.

Verum eſt vt notauit Bonacina *vbi ſup. diſp.* 20.
94. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 12. quod praxis aliquorum locorum, ne crimina maneant impunita habet limitationem, & declarationem huius naturalis præcepti, quod ſcilicet iſta infamia non ſit ita diſperſa, aut rumoroſa, ſed ſi conſtet de corpore delicti, & ſint duo, vel tres teſtes qui viderint occiſorem poteſt iudex ſpecialiter inquirere contra ipſum non tamen ſufficit vnus teſtis non idoneus, vt falſo putat Iulius Clarus *lib.* 5. *receptarum quæſt.* 21. apud vnum enim ſicut non conſtat fama, ita nec infamia conſtare poteſt.

Resolvtio VII.

Quando Inquiſitio non intendit condemnare, ſed vitare errorem, tenetur teſtis dicere veritatem, etiam ſi non præcedat infamia.

SVMMARIVM.

95 Teſtis tenetur dicere veritatem etiamſi non præcedat infamia, quando Inquiſitio non intendit condemnare, ſed vitare errorem.

SEd circa iſtam regulam plures ſunt adhibendæ 95.
limitationes. Prima ſit, quando Inquiſitio non intendit condemnare, vel pœnam imponere, ſed quod euitetur error, vel damnum tertij, vt quando inquiritur meritum perſonæ, ne indignus aſſumatur ad Ordines, vel Beneficium, vel ne confirmetur; vel inquiruntur Matrimonij impedimenta ne inhabiles contrahant; tenetur quis reſpondere iudici interroganti. Ita Sotus *memb.* 2. *de ſecreto q.* 6. *conc.* 3. *caſu* 1. Syluester *vbi ſup. dicto* 3. Tabiena *verbo Inquiſitio num.* 1. vbi Angelus, Armilla ibi, Nauarrus *cap. inter verba num.* 663. Panormitanus *cap. qualiter el ſegundo. de accuſationibus num.* 11. & eſt certa limitatio, & determinata *cap. cum dilectus de electione, & capite finali de clandeſtina diſpenſatione.* Quam latè docent Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. alleg.* 32. *num.* 25. Gutierez *lib.* 1. *quæſtion. cap.* 11. & 27. vbi plures textus citat, & Authores, ſicut Sanchez *lib.* 3. *de Matrimon. diſp.* 13. Coninchus *diſp.* 27. *dub.* 7. *num.* 64.

Resolvtio VIII.

Si impedimentum oritur ex delicto, niſi præcedat infamia non poteſt quis illud propalare.

SVMMARIVM.

96 Impedimentum ſi oritur ex delicto, niſi præcedat infamia non poteſt quis illud propalare.

QVam intellige quando tale impedimentum 96.
non oritur ex delicto; ſi enim ex delicto oriatur non poteſt iudex inquirere iuſtè, nec tenetur reſpondere, imò peccabit ſi veritatem aperiat; nec requiritur quod delictum hoc ſit proprium, ſufficit quod ſit progenitorum ſuorum; niſi enim præcedat infamia non tenetur, nec poteſt reſpondere teſtis. Ita Barboſa *vbi ſup. n.* 26. Emman. Rodriguez *in ſumm. cap.* 217. *num.* 9. Baſilius de Leon *lib.* 4 *cap.* 26. §. 4. Comitolus *lib.* 1. *reſponſion. q.* 112. & alij. Vnde fit quod ſi vt aliquis fiat Militaris Ordinis eques, vel vt ingrediatur Religionem, Collegium, aut Eccleſiam quæ ſtatutum iuratum habet non admittendi progenitum à Mauro, Hæretico, aut Iudæo, & aliquis ſciat aliquem ſuorum progenitorum labe iſta fuiſſe infectum, non teneri, imo peccare ſi informantibus hoc aperiat, ſi non præceſſit aliqua infamia apud viros timoratos, & bonæ conſcientiæ.

Resolvtio IX.

Domino occiſo poteſt iudex contra ſeruos, etiam ſi non præcedat infamia, & teſtis tenetur dicere veritatem.

SVMMARIVM.

97 Dominus quando inuenitur occiſus, etiamſi non præcedat infamia poteſt Iudex inquirere contra ſeruos, & teſtis tenetur veritatem propalare.

Limita

LImita secundò. Quando inuenitur Dominus occisus, etiam si non præcedat infamia potest iudex inquirere contra seruos, & testis tenetur veritatem propalare. Ita Nauarras *vbi sup. num.* 667. Sanchez *lib. & cap. citatis dub.* 2. *numer.*20. vt constat *ex l.*1.*in principio. &* §. *occisorum D. ad Silanianum.* Similiter de naui submersa absque aliqua infamia potest inquiri contra Nautas *l. Quoties. de Naufrag.lib.*21. & ratio est, quia hi omnes habentur suspecti secundum eges. 97.

Resolvtio X.

Quando quis est diffamatus de vno crimine tenetur testis interrogatus de aliis eiusdem speciei dicere veritatem.

SVMMARIVM.

98 *Iudex, quando quis est diffamatus de vno crimine, potest iustè inquirere de aliis criminibus eiusdem speciei, etiam si habeat circunstantias sacrilegij, & similium mutantium speciem.*

98. LImita tertiò. Quando est quis diffamatus de vno crimine potest iudex iustè inquirere de aliis criminibus eiusdem speciei, etiam si habeat circunstantias sacrilegij, & similium mutantium speciem, v.g. est quis diffamatus fur, potest inquiri de omnibus furtis, si est diffamatus de aliquo famoso. Est quis diffamatus Sodomita potest iudex fama vnius actus de aliis inquirere, & testis tenetur propalare veritatem. Sic Sanchez *vbi supra dub.*21. Corduba *in commentar. ad tractat. de Secreto* Sot. *memb.*2.*quæst.*6. *conc.*1. *dub* 5. Armilla *verbo Accusatio num.* 3. Bernardus Diaz *in Practica cap.* 117. & alij. Vnde quando vnus actus criminosus est sufficiens infamia alterius, vt si quis sit diffamatus quod consuetus sit adulterari, cum aliqua, si inueniatur maritus occisus, potest inquiri de homicidio. Item Regularis infamatus de concubina potest inquiri de furto, quia concubina non habetur sine pecunia, quam Regularis non habet. Sic Sanchez *num.*3. sed dupliciter limitatur. Primò, si concubina abundet de suo, & non indigeat. Secundò, si Monachus non habet peculium. Cum hac duplici limitatione admitto quod Regularis diffamatus de concubina consequenter est diffamatus de furto. Et quamuis Monachus habeat peculium si concubina non sit dines est diffamatus quod transgressus fuerit votum paupertatis.

Resolvtio XI.

Mandatarius non tenetur propalare mandantem occidere.

SVMMARIVM.

99 *Mandatarius an teneatur propalare eum ex cuius mandato aliquem occidit. & num. seqq.*

99. LImita quartò. Quando quis occidit alium ex mandato alterius, si est diffamatus de homicidio, & interrogatur de mandante tenetur veritatem aperire. Sic Bonacina *disp. & quæst. citata punct.*5.*num.*17. quia iudex iuste requirit eo ipso quod reus confitetur in iudicio se occidisse ex alicuius mandato, iam mandans habet infamiam de crimine.

Sed hæc limitatio mihi non placet, quia etsi constet de corpore delicti, existimo enim cum Soto *de Secreto memb.* 2. *quæst.* 7. *paulo ante dubium* 2.*post.*3.*conc.* Thom. Sanchez *vbi sup.dub.*2. Caietano 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *vers. Sed occurrit.* Molina *tom.*3. *tract.*3. *disput.* 47. Clauis regia *lib.* 12. *cap.*20. 23. & 24. Salonio 2.2. *quæst.*79.*art.*2. *controuers.*7. Valentia *vbi sup.* Reginaldo *lib.* 25. *num.* 652. non teneri veritatem aperire quantum ad patratorem criminis, si non est diffamatus, saltem apud aliquos testes vt tenet Syluester verbo *Inquisitio num.*10. *quæst.*4. *in fine.* Sed de his infrà. 100.

Resolvtio XII.

Seruus si adstringatur iuramento à domino potest manifestare latronem, si id potest per testes probare.

SVMMARIVM.

101 *Seruum si paterfamilias iuramento adstringat, vt dicat quis furatus est bona aliqua, potest reuelare latronem, si id potest probare, etiamsi non præcesserit infamia.*

LImita quintò. Si paterfamilias iuramento adstringat seruum vt dicat quis furatus est bona aliqua (hoc autem iuramento posse petere dominum à seruo docet Ludouicus Lopez 1. *p. instructorij, cap.* 41. *in fine*) potest reuelare latronem, si id potest probare etiam si non præcesserit infamia. Sic Sanchez *dubium* 27. Syluester *verbo familia. numero* 8. *quæst.* 8. aliàs si non potest probare non tenetur, nec iuramentum fuit licitum, & obligatorium, & subdit: *Idem dicit Hugo de testibus Synodalibus, scilicet, quod non teneantur denuntiare Episcopo, licet iurauerint, nisi crimina quæ probare possent, alias esset proditor criminis, cap. si peccauerint* 1.*quæst.*2. nisi hoc faciat secreto Episcopo, vel alij qui habet corrigere potentialiter. Idem docet Tabiena *ibi num.*6. *quæst.* 5. *& verbo Inquisitio num.*8. *quæst.* 7. *vers. & scio & possum probare*, vbi ait, quod ille qui scit, & potest iuridice probare quis fuerit fur tenetur ipsum manifestare si inquiratur generaliter per edictum Episcopi, aut Superioris *& vers. Quod est dicendum*, optimum ponit discrimen inter præceptum datum sub pœna excommunicationis per modum statuti, & per modum sententiæ; nam primo modo cum respiciat furtum, ligat etiam occultum quemque restituat, vt Glossa *in Clementina* 1. *de Hæreticis*, & sic punitur peccatum occultum pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrit, vt notant Gregorius Lopez *lib.* 2. *verbo: No merece titulo* 32. *part.*7. Perez *tit.*4.*lib.*8. *ordinamenti. pag.*84. Comitolus *lib.* 1. *responsio.quæst.* 63. *num.*5. & 6. non tamen tenetur per seipsum manifestare, nisi excommunicatio sit reseruata: tunc enim vt absoluatur debet se coram ponere in Sacramento Pœnitentiæ: quod secus contingit si statutum 101.

feratur per modum ſententiæ, & ſic non ligat niſi præcedat infamia, cum ſententia hominis reſpiciat præteritum.

Resolvtio XIV.

Poteſt Aduocatus, & reus occulta crimina teſtium propalare.

SVMMARIVM.

102 *Aduocatus & reus occulta crimina teſtium poſſunt propalare.*

103 *An crimen aliquod falſum poſſint obiicere teſtibus, & n. ſeq.*

102. LImita ſecundò, in Aduocato, & reo, qui ad infirmandum teſtimonium manifeſtat teſtium occulta crimina, id enim licitè poteſt facere ad ſui defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & teſtis ſibi imputet, quia eo ipſo quod teſtimonium fert ſiue coactus, ſiue voluntarius hoc periculum ſubit, ſic tenent Leſſ. *lib.2. cap.31. dub.1.* Valentia *tom.3. diſput. 5. quæſt.14. punct.3.* Sotus *lib.5.de iuſtitia. quæſt.7.art.3.* Reginaldus *lib.24. num.140.* Filliucius *tract.40. c.9. quæſt.1. num. 259.* Farinacius *de teſtibus. quæſt. 3. num. 60.* Bañez *2.2. quæſt. 70. art.3. dubio 1.* vbi Salonius, Siluius, & cæteri expoſitores, Malderus *tractat. 6. cap. 3. dub.3.* Ioannes de la Cruz *ad 8. præcept. Decalogi. quæſt. 3. art. 4. dub. 17.* Quæ limitatio vera eſt quantumuis laboret ignorantia inculpabili, ſi poſtquam de ignorantia eſt illuſtratus non ſe retractet de teſtimonio, vel aliqua via ipſum informet. Vera etiam eſt quamuis crimen quod obiicitur verum ſit, nam vnuſquiſque cenſetur innocens quando legitimis teſtibus non probatur nocens. Intelligenda tamen venit limitatio, vt notant Authores adducti Leſſius, Sotus, Cruz, quando crimen obiectum teſti conducit ad ſui defenſionem, nam ſi non conducit non erit defenſio, ſed aggreſſio, & vindicta. Deinde intelligitur quando aliter reus defendi nequit, niſi crimen obiiciendo, quod crimen non debet eſſe teſti damnoſius, quam eſt reo teſtimonium, alias iniuſtitia peccabit.

103. Nota tamen nequis decipiatur dum abſolutè legat in Diana *p.3. tract.5. Miſcellan. reſol.4.* citante Ioannem de la Cruz, *vbi ſup. conc.1.* ſic loquente. *Imo Bañez art. 3. dub. 2. & Ledeſma, cum Orellana probabiliter ſentiant eſſe ſolum mendacium veniale obiicere teſti aliquod crimen falſum ſecluſo periurio in obiiciente, & teſtibus ad hoc inducendis.* Et addit ipſe Diana, quod dato quod reus, & teſtes in hac obiectione falſa iurarent, peccarent contra charitatem, & religionem, non tamen contra iuſtitiam. Sic Ledeſma *tom.2. tractat.8. cap. 25. conc. 20. in fine verſ. a eſta difficultad*

104. Sed hæc ſententia, niſi cum grano ſalis intelligatur, prorſus abſurda eſt, & improbabilis, non enim licitum eſt falſum teſtimonium imponere in re graui, alicui ob defenſionem propriam v.g. alicui teſti, qui falſo teſtificatus eſt vel veritatem dixit, ſed contra ordinem iuris, non eſt licitum imponere quod ſit concubinarius, aut Sodomita, aut Hæreticus, aut fur; hoc enim mendacium cum ſit in materia grauiſſima, quis Catholicus excuſabit à mortali contra iuſtitiam; nec enim malum pro malo reddendum eſt cum mendacio; ſi tamen teſtis falſum dicat, & reus velit probare crimen calumniæ, etſi verum dicat, tamen contra ius ad probandum crimen falſi teſtis ad hoc inducat teſtes, etiam iuratos, peccabit quidem contra Religionem non tamen contra iuſtitiam. Sic Malderus *vbi ſupr.* Bonacina etiam *vbi ſup. num.11.* Leſſius *dub. 2. conc. 2.* Nauarrus *in ſumma cap.28. num.49.* Filliucius *num.261.* Azor *p.3. lib.5. cap.9. dub.8.* Nauarra *lib.2. cap.4. num.348.* & alij; dum enim accuſator, vel teſtis teſtimonium fert, vel accuſationem, ſi ipſam non probat præſumitur calumniator, & mendax, vt docet Gloſſa *in cap. cum dilectus.* de calumniatoribus quam multis citatis probat Barboſa ibi. *n.6.* neque enim reus mendacium dicit aſſerens teſtem mentiri dum procedit contra ius ordinem; agit enim teſtis contra dictamen conſcientiæ ſuæ, & in iudicio falſum præſumitur, quod probari nequit.

Caput IX.

Ampliationes eiuſdem regulæ.

LImitauimus regulam Sancti Doctoris modò amplianda eſt per caſus non minus graues, quam præcedentes.

Resolvtio XV.

Reus non poteſt manifeſtare ſocios criminis, niſi hoc ſit contra bonum publicum.

SVMMARIVM.

105 *Socios criminis Reus non poteſt manifeſtare, niſi hoc ſit contra bonum publicum.*

Reus non poteſt manifeſtare ſocios criminis, occultos de quibus non præceſſit infamia ibidem.

AMplia primò, quod regula hæc teneat verum in ſociis criminis quod non eſt in damnum tertij futurum, nec contra bonum commune, non enim reus poteſt manifeſtare ſocios criminis occultos, de quibus non præceſſit infamia. Sic eſt determinatum *in cap. ad Monaſterium, & cap. veniens de teſtibus.* Barboſa *num.1.* probat ex *l. vltima verſu. Nemo igitur de accuſationibus.* ſequitur Sotus *de ratione tegendi membr.2. quæſt.9.* Simancas *de Catholicis inſtitution.cap.6. num.26. & cap.51. num.10.* Clarus *in praxi §. finali q.21. à num.4.* Tiraquellus *de pœnis temperandis.* Caietanus *tom.1. opuſculor. tractat.31. in reſponſ.5. & 22. quæſt. 69. art. 2.* vbi Salonius *controu.8.* Aragon *dub.3.* Bañez *dub.1. conc.2.* Malderus *tract.6. dub.3.* Syluius *q. 2.* Saà emendatus *verbo iudex §. de Reo n. 2.* Coriolanus *de caſibus reſeruatis §. 2. caſu 5. num. 26.* Alderete *de Religioſa diſciplina lib.1. num.14.* Nauarrus *in ſumm.cap.18.num.58. & 59. & in cap. inter verba corollar.49.num.548. & conc.51. num.589.* Toletus *lib.5.ſumm. cap.58.* Farinacius *in praxi p.3.q.43.à num.1.* Clauis Regia *lib.12. cap.17.* Sanchez *lib 6. conſilior. cap.3. dub.21. num.3.* Bonacina *vbi ſupr. num.17.* & eſt ferè omnium Doctorum, & exiſtimo quod niſi 105.

in

in casibus, & criminibus exceptis non possit aliqua consuetudine introduci, quod socij occulti, & de quibus non præcessit infamia interrogantur.

Resolvtio XVII.

Testis non potest manifestare occisorem, si est occultus, etiam si publicum sit homicidium.

SVMMARIVM.

106 *Homicidium etiamsi publicum sit, testis non potest manifestare occisorem, si est occultus.*

107 *Illatio aduersus Ioannem Sanchez, & numer. seqq,*

110 *Non est contra bonum publicum, quod malefactores occulti non puniantur.*

106. AMplia secundò, quando effectus peccati est publicus, causa tamen est occulta, v. g. publicum hominem esse occisum, sed occisor est occultus, non tenetur testis, si ipse solus sit, occisorem manifestare. Sic Bonacina *vbi supr.n.*14. Lessius *cap.*29.*lib.*2.*dub.*15. Salon. 2.2. *loco citato controuers.*7. Bañez *q.*70. *art.* 1. *dub.* 2. Molina *disp.*47. *citata*, Sylvester *verbo correctio numer.*6. *q.*8. vbi dicit quod S. Thom. *in quodam Generali Capitulo cum esset Bacchalaureus legitur sensisse contrarium, sed omnes Magistri fuerunt contra eum, sed secundum ea quæ nobis in scriptis reliquit, non tenetur.* Addit Sylvest. *quod stultum est dicere quod peccatum sit publicum, & quærere notitiam eius per præceptum eius. Vnde secundum Petrum de Palude in* 4. *dist.*19. *quæst.* 4. *peccatum dicitur publicum, quando publicum est quis fecerit illud; non tamen si est publicus effectus peccatoris, vel peccati, quia peccatum non est id quod videtur puta cadauer, sed actio peccatoris, quæ non videtur, puta occisio. Quare in hoc casu Prælatus debet præcipere super veritate dicenda, & ad Inquisitionem procedere; sed præceptum intelligendum est saluo ordine iuris, & ex tali Inquisitione satisfit scandalo, iustitiæ publicæ, cum res sit iam in iudicis voluntate punita, quam etiam punire potuit.* Et infrà. *Et si index posset præcipere indeterminatè quoad personas; non tamen potest præcipere specialiter, & determinatè de isto, vel illo, nisi specialiter diffamatus, aut semiconuictus. Vnde siue sic, siue sic præcipiatur non tenetur obedire, nisi quando est infamatus, vel testis dicere veritatem, nisi reus sit etiam infamatus.* Idem docet Turrianus *disp.*50. *dub.*4. *num.*12. & est ferè omnium.

107. Ex quibus infertur contra Ioannem Sanchez *disp.*43.*num.*39. asserentem quod quando constat de crimine commisso; non tamen de delinquente teneri testem manifestare committentem, etiam si tam occultus sit quod ipse solus sciat; nam si iudex habet ius inquirendi, & examinandi testes, isti non possunt habere ius celandi veritatem, sed tenetur manifestare, etiam si solus non possit probare, quia hoc est ex defectu testium aliorum, quia vel non sunt, vel nolunt manifestare; ipse enim testis satisfecit obligationi parendi Superiori præcipienti, aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte. Citat pro hac sententia Turrianum *vbi sup.n.*5.*dub.*5. qui id probat ex *l. Castellæ* 3. *li.*2. *titul.*17. *& l.*6. *tit.*1 *lib.* 8. idem etiam constat ex praxi, & vsu communi Reipublicæ, & iudicum, quia alias plura crimina manerent impunita, quod non potest non esse damnum manifestum Reipublicæ, atque ita ius habet iudex inquirendi reum, quando crimen est manifestum, & sic testis non habet ius celandi, sed tenetur obedire. Tenet idem Innocentius *cap. Bona de electione.* & Nauarrus *cap. inter verba conc.*1. Valentia 2.2.*disp.*5. *q.*14. *punct.*1. §. *ad primam nego.* Nauarra *de restitution. lib.*2. *cap.*4. *num.*58. Azor *tom.*3.*lib.*13. *cap.*26. vbi nihil dicit de hoc puncto, *cap. tamen* 27. *dub.*2. solum loquitur quando proceditur via accusationis, denuntiationis, aut querelæ. Pro qua adducit Hostiensem *in summ. tit. de testib. num.*4. qui dicit contrariam opinionem esse temerariam; ipse tamen Azor *cap.* 17. *diffic.* 4. solum dicit esse probabile quod testis teneatur manifestare reum occultum; ipse tamen contrarium tenet, quod confirmat, *quia si casu iudex* interrogasset in speciali Titium, de aliquo reo, vtrum illud crimen commisisset Titius non posset reum detegere: ergo etiam si iudex generaliter inquirat quis commiserit crimen, Titius non tenetur 108. reum detegere. Consequentia est euidens, quia sicut iudex in Inquisitione particulari non habet ius inquirendi si reus nõ est diffamatus, aut semiplenè conuictus, ita nec in Inquisitione generali non potest præcipere quod aliquis in particulari manifestet, nisi præcedant indicia, aut diffamatio de illo, & contrarium fateor me non capere, quia si iudex generaliter inquirit, & ad hoc solum habet ius, & respectu illius est solum Superior, quo modo potest ex vi præfati præcepti generalis obligari quis in particulari ad detegendum Franciscum v. g. qui occultus occisor est.

Quare Inquisitio generalis ad hoc deseruit 109. præter ea quæ dixit Sylvester, vt dixit Azor *c.*16. *citato*, vt ex ea deueniat ad specialem Inquisitionem, contra eum qui nominatus fuerit in Generali Inquisitione, quia prodest ad inueniendum malefactorem, vel per indicia, vel per testes, vel suppositia infamia. Quibus positis publicus fiscalis eum accusabit, & proceditur ad Inquisitionem specialem, iterum examinando testes, indicia, &c. Quare euidenti notitia delicti iudex generaliter inquirit de malefactore, & habet ius inquirendi, & examinandi testes ignorans an sint indicia manifesta, aut infamia, quibus existentibus tenentur testes aperire veritatem: secus vero si non sit diffamatus, etiamsi sint tres, vel quatuor testes oculares, vt contra Sayrum *in Claui Reg. lib.*12. *cap.*14. optimè aduertit Azor *cap.*16.*citato* 4. *difficult.* §. *sed hæc responsio.* Idem enim facit vnus testis, ac multi, si occisor non sit diffamatus.

Ex quo fit quod non detur iustum bellum ex 110. vtraque parte, cum iudex procedat ex ignorantia inculpabili quod detur infamia occisoris, & hac posita iustè interrogat; respectu tamen testis non est re ipsa superior; atque ita non tenetur obedire si solum ipse cognouerit malefactorem, cum habeat ius non manifestandi. Nec est contra bonum publicum quod malefactores occulti non puniantur; imo potius esset contra rempublicam, quæ vt bene gubernata sit, fama, & honor ciuium debet conseruari; præcipuè cum alia via possint talia delicta sciri, & puniri, videlicet via accusationis, aut denuntiationis. Quare minus consequenter videtur loqui Turrianus, *dub.*5. ad ea quæ *dub.* 4. dixit; licet enim hic loquatur quando crimen, & malefactor est occultus; tamen eadem est ratio,

quando solus malefactor est occultus.

Resolvtio XVII.

Reus conuictus de vno crimine non tenetur fateri alia occulta.

SVMMARIVM.

111 *Reus quando est conuictus de vno crimine an teneatur fateri alia crimina occulta.*
Testis non potest detegere alia crimina disparata, de quibus non præcessit infamia, etiamsi detegere teneatur illud de quo est diffamatus reus. ibid.
112 *Probatur ratione.*
113 *Nisi sit homo ita publicè facinorosus, vt assasinus, publicus viarum latro, &c.*

111. AMplia tertiò, Quod reus conuictus de vno crimine non tenetur fateri alia crimina occulta, & idem de teste qui non potest detegere alia crimina disparata de quibus non præcessit infamia, etiam si detegere teneatur illud de quo est diffamatus reus. Sic tenent Sanchez *vbi suprà dub.*21. Bonacina *vbi suprà num.*14.§.3. Sequitur Caietanus 2.2.*q.*69 *art.*2. Azor *cap.*18.*dub.*4. Sotus *q.*6.*de iustitia art.*2. & alij quos citant. Quibus adde Salonium 2.2.*q.*69.*art.*2.*contr.*8. Bañez *dub.*5. Siluius §.*infamia censetur.* Qui omnes contra Paludanum *in* 4. *dist.*19.*q.*4.§.*si enim tale crimen.* Siluestrum *verbo Inquisitio q.*3.*num.*2. *vers.* 4. tenent non teneri nec reum, nec testem propalare veritatem de crimine occulto, etiam si sit reus infamatus de aliis criminibus disparatis.

112. Ratio est aperta, quia inquisitio specialis non potest fieri nisi præcedat infamia de illo quod inquiritur; atqui Petrus diffamatus de adulterio non est diffamatus de homicidio, aut furto, sed de hoc potest habere bonam famam: ergo non potest contra illum procedi inquirendo de criminibus occultis, etiam si sit diffamatus de aliquo; quamuis enim propter peccatorem, & non propter peccatum non possimus de occultis iudicare, non tamen eo ipso quod aliquis sit diffamatus de vno crimine est diffamatus de alio, constat enim quod diffamatus de homicidio conseruat bonam famam circa alia delicta, puta furtum, aut adulterium, aut Sodomiam.

113. Nisi sit homo ita publicè facinorosus, vt assasinus, publicus viarum Latro, & alij huiusmodi, qui ob suam malam viuendi normam præsumptiones omnium ferè delictorum contra se habent, & ipsa mala vita indicium est sufficiens, vt de ipso quodlibet delictum interrogetur iuridice, & tam ipse quam testis teneatur propalare veritatem de quolibet occulto crimine. Et sic ego intelligo Paludanum, & Siluestrum & S. Antoninum 3.*p. tract.* 9.*cap.*7.§.7. vnde D. Thom. 2.2. *q.*33. *art.*7.*ad* 5. dicit *quod iudex non habet potestatem præcipiendi de occultis, nisi in quantum præcedunt aliqua indicia, puta infamia, vel aliquæ suspiciones.* Vbi S. Thom. solum requirit vel infamiam, vel suspiciones; cum enim infamia principaliter, & primario dicatur de persona, & secundum quid de delicto, sicut sanitas dicitur principaliter de animali, & secundum quid de medicina, quando quis est infamatus vna infamia, est simpliciter infamatus, & perdit ius quod habebat vt eius fama conseruetur. Legatur Tabiena *verbo Accusatio num.*2.§. *circa ea vers. ad secundum dubium.* vbi satis docte defendit sententiam Paludani contra Caietanum respondentis *ad cap. Inquisitionis de Accusationibus.* vbi contrarium videtur determinari, vt satis vrgenter probat Caietanus.

Resolvtio XVIII.

Nisi præcedat infamia etiam de Sodomia, testis interrogatus non potest dicere veritatem.

SVMMARIVM.

114 *Sodomiæ etiam in peccato, nisi præcedat infamia testis interrogatus non potest dicere veritatem.*
115 *Nisi Sodomita esset assuetus hoc vitio alios corrumpere, & ad illud sollicitare.*

AMplia quartò, Etiam in peccato Sodomiæ, non enim potest aliquis testis, nisi præcedat infamia veritatem dicere, etiam si viderit, dummodo vna, vel altera vice illud commiserit. Qui enim sic raro sodomatizat non peccat contra bonum commune. Quare vt supra diximus non incurrit pœnas Canonicas, qui non exercet hoc crimen, id est continuata successione, & repetitione illud continuat. Quare si occultus est Sodomita non potest testis cogi ad illud propalandum. Sic Nauarra *lib.*2.*de Restitutione cap.*4.*à num.*173. 114.

Intelligenda tamen est hæc limitatio nisi Sodomita esset assuetus hoc vitio alios corrumpere, & ad illud sollicitare, sic enim hoc vitium est contra bonum commune. Sicut de Latrone qui habet plures Socios qui in omnes grassantur, iste enim contra bonum publicum peccat, & sic licet occultus, debet propalari, vt tenent Sotus *lib.*5.*q.*6.*art.* 1.*conc.*4. Nauarrus *ad cap. inter verba coroll.*66.*n.* 831. *& in summa cap.*18.*n.*57. 115.

Resolvtio XIX.

Peccat iudex contra iustitiam si interroget de sociis, & de criminibus occultis.

SVMMARIVM.

116 *Iudex peccat contra iustitiam, qui interrogat de sociis & de criminibus occultis, de quibus non præcessit infamia.*

HIs omnibus adde peccare iudicem qui interrogat de sociis occultis, de quibus non præcessit infamia, aut suspicio iuridica (qualis est illa quam Pontifices ponunt de Clerico sollicitante in confessione, de quo inquiunt posse Inquisitores interrogare de fide, qualiter de ea sentiant) quod si contra faciant tenentur restituere damna inde secuta, procedunt enim contra ius quod habet reus, & testis celandi famam, & sunt in causa errandi in re grauissima. Sic Sotus *memb.*2.*de tegenda Secret.q.*6.*in fine solut. ad* 2. qui *lib.*5.*de iustitia q.*6.*art.*2. dicit quod iudex quando interrogat testem debet admonere ne occulta detegat. Sequitur Nauarrus *in cap. inter verba n.*584. *& n.* 432. idem tenet Sanchez *dub.*14. 116.

Reso

Resolvtio XX.

Etiam si procedatur contra Religiosos in criminibus grauibus non potest testis dicere veritatem, nisi præcedat infamia, &c.

SVMMARIVM.

117 *Testis non potest dicere veritatem nisi præcedat infamia etiamsi procedatur contra Religiosos professos in ordine ad grauem pœnam.*

117. Ampliatio quinta. Etiam si inquisitio particularis fiat contra Religiosos Professos in ordine ad grauem pœnam, quam merentur pro transgressione alicuius voti solemnis, aut præcepti obligantis ad mortale; quodlibet enim tale in Religiosis est delictum enorme, vt notat Sanchez *dub.25.*

Ratio est quia infamiam præcedere est de substantia iudicij atque ita non potest omitti. *cap. Qualiter. cap. Inquisitionis. de Accusationibus.* Atque ita in Priuilegiis Regularium dicitur quod postpositis apicibus, & rimulis iuris procedatur. Intelligitur non quoad accidentalia. Sic Sanchez *vbi supr. num.* 4.

Caput X.

Notationes circa tertiam Regulam Sancti Thomæ.

SVMMARIVM.

118 *Tertia Regula, & quid circa illam notandum. & n.* 119.

Tertia regula erat *Quando exigitur ab aliquo testimonium, non authoritate Superioris, si testimonium requiratur ad liberandum hominem ab iniusta morte seu pœna quacumque, vel à falsa infamia, vel etiam ab iniquo*
118. *damno tenetur homo ad testificandum, & si eius testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, vt veritatem denuntiet alicui qui ad hoc possit prodesse.*

Circa quam regulam notandum primo maxima cum aduertentia dixisse S. Doctorem *Si testimonium requiratur*, si enim non requiritur, sed ipse testis se ingerit ad ferendum testimonium, repellitur tanquam suspectus, argumento. *l. vxori*
119. *§. 1. D. de falsis.* Bartholus *in l. quæ omnia D. de Procuratorib.* Tabienna *verbo testis num. 9. versu nec debet.* Thomas Sanchez *lib. 6. consilior. cap. 5. dub. 19. num. 5.* debet enim testis vel à iudice citari, vel à parte produci in iudicium, & ob hoc addit S. Magister, *Si eius testimonium non requiratur* (per citationem scilicet iudicis) *debet facere quod in se est, vt veritatem denuntiet alicui, vt prodesse possit*, vt scilicet, si testis est fide dignus in iudicio producatur.

Resolvtio XXI.

Quando testis peccet mortaliter non ferens testimonium.

SVMMARIVM.

120 *Testis quando peccet mortaliter non ferens testimonium.*

Ex quo fit quod in casu prædictæ regulæ testis non ferens testimonium peccet mortaliter. Sic Sanchez cum communi sententia *lib. 6. citato.* 120.
cap. 5. dub. 2. quia eo ipso quod aliquis sit in periculo patiendi aliquid in iuste quod sit notabile damnum famæ, vitæ, aut rei familiaris, quamuis qui patitur sit dives, dicitur esse in maxima necessitate, & maximè indigere auxilio Testis. Quare iste tenetur testificari cum possit id facere sine iactura propria. Sic Salonius 2.2. *q. 7. art. 1. controuers. 2. & 3.* Bonacina *disp. 10. citata quæst. 3. punct. 3. num. 11.* Ioannes de la Cruz *quæst. 3. citata, art. 4. conc. 2.* non tamen tenetur ad restituenda damna, cum solum peccet contra charitatem non ferendo testimonium, si tamen requisitus, & productus veritatem non propalet tenetur ad restitutionem iuxta dicta *sup. §. 1.*

Resolvtio XXII.

Tenetur quis scripturam propalare, ex qua dependet vt suum ius consequatur.

SVMMARIVM.

121 *Scripturam si quis habeat, ex cuius ignorantia aliquis patitur detrimentum in suo iure, &c. tenetur ex iustitia illam propalare.*

Colligitur secundò. Quod si quis habeat scri- 121.
pturam aliquam ex cuius ignorantia aliquis patitur detrimentum in suo iure, & deficit in probationibus nisi talis scriptura propaletur, tenetur ex iustitia illam propalare, aut dicere quæsitus, cum sit medium vnicum vt aliquis consequatur suum verum ius. Sic Lopez *tom. 1. instructorij cap. 159.* Ioannes de la Cruz *vbi sup. dub. 13. conc. 5. vers. Ne quidem est.* Hoc tamen intelligi debet quando ex tali productione Scripturæ non sequitur mihi aliquod damnum graue, vel in fama, vel in re familiari, nam cum damno proprio non tenetur quis prospicere alieno.

Resolvtio XXIII.

Regula ista comprehendit ordinatos in sacris, & etiam Regulares.

SVMMARIVM.

122 *Ordinati in sacris, tam seculares, quàm Regulares, tenentur ferre testimonium, quando agitur de damno vitando, tam communi, quàm priuato.*

123 *Confessarius & fœmina, si se mutuò in confessione sollicitent, itaut sollicitatio à fœ-*

mina primò ordiatur, an teneatur denuntiare?

124 *Teſtis productus vt defendat Paulum contra Petrum, tenetur dicere ea quæ ſcit, etiam contra ipſum Paulum.*

122. NOtandum ſecundò, quod ſub hac regula comprehenduntur ordinati in Sacris, tam ſeculares, quam Regulares qui tenentur ferre teſtimonium, quando agitur de damno vitando, tam communi, quam priuato. Sic Syluester *verbo teſtis quæſt.*8. *dicto* 1. D. Antoninus 1.*part. titulo* 1.*cap.*29.§.7. & alij.

Ratio eſt, de iure naturæ eſt, ſuccurrere maxime indigenti ipſum defendendo quando poſſum ſine iactura propria, vt ſupponimus in præſenti; non enim poſſum teſtificari in cauſa ſanguinis, vt dicemus circa regulam vltimam. Vnde fit quod ſi ad propalandam veritatem vt innocens defendatur neceſſarium eſt turpitudinem meam propalare, non teneor, nec denuntiare nocentem, nec teſtificari. Sic Thomas Sanchez *vbi ſup. dub.*8. Couarruu. *lib.*1.*Practicar. cap.*18.*num.*7. *cum hoc eſſet denuntiare ſeipſum, vel contra ſeipſum teſtificari, ad quod nullus tenetur*, vt docet Diana *tract. de Denuntiationibus Reſol.*8.

123. Ex quo fit contra ipſum Dianam *part.*4. *tr.*5. *reſolut.* 14. Quod ſi confeſſarius, & fœmina mutuo in confeſſione ſe ſollicitent, itaut ſollicitatio à fœmina primo ordiatur, non tenetur denuntiare, nec teſtimonium ferre, aliàs cogeretur ſuam turpitudinem detegere, ipſa enim ſe ipſam proſtituta eſt; atque ita iam deſiſtit à confeſſione non ſollicitata à confeſſario quem ipſa primò prouocauit. Sic Peyrinis *tom.* 2. *priuilegiorum conſtit.*4. *Gregor. XV.* §.3. *num.*10. Ioannes Sanchez *in Selectis. diſput.*11. *num.* 26. Caſtro Palao *tom.*1.*tract.*4.*diſp.*9.*punct.*6. *num* 4. Souſa *de confeſſore ſolicit.tract.*1.*cap.*6.*num.*9. qui male à Diana pro ſe citatur, cum expreſſe noſtram teneat ſententiam; non enim in hoc caſu Confeſſarius vere ſollicitator eſt, ſed correſpondens ſollicitationi fœminæ; ſollicitare enim propriè loquendo, vt Ambroſius Calepinus dicit, *ſollicitare pudicitiam mulieris eſt attentare, & conari labefactare, dictum ſollicitare, quaſi ſolo citare, id eſt ſuo loco mouere.* cum autem fœmina prius ſolicitet iam loco ſuo mota eſt, & ipſa à ſeipſa labefactata. Quod ſecus eſſet ſi ipſe Confeſſor prius inceperit ſolicitare, quia tunc fœmina, ſine eo quod detegat ſuam turpitudinem poteſt denuntiare, & ſic tenetur vt latè dixi *part.*1.*tract.*3.

Notandum tertiò, quod ſi quis producatur teſtis vt defendat Paulum contra Petrum tenetur
124. dicere ea quæ ſcit, etiam contra ipſum Paulum, quia non debet defendere ipſum cum damno Petri, quia hic habet ius, vt dicat omnem veritatem. Quare tenetur ad reſtitutionem damnorum ſi taceat. Sic Sanchez *loco citato dub.*7. Tiraquellus *de pœnis temperandis cauſa* 44. *num.* 15. Maſcardus *de probationibus conc.* 743. *num.*12. latiſſimè Farinacius *in praxi criminali p.*2. *quæſt.* 67. *à n.*220. Flaminius *de reſignatione Beneficiorum lib.*9. *quæſt.*27. *num.*5.

Ratio eſt. Quia eo ipſo quod teſtis interrogetur, vel productus ſit ab aliqua partium litis, ſi veritatem tacet, cenſetur falſum deponere. *cap. Falcidius de crimine falſi in lib.*5. *Decretalium.*

RESOLVTIO XXIV.

Aliquando aliquis iuridicè pro ſe fert teſtimonium.

SVMMARIVM.

125 *Teſtimonium poteſt aliquis pro ſe ferre, quando agitur de damno aliquo temporali, &c.*

NOtandum quartò, quod quando agitur de 125.
damno aliquo temporali recuperando poteſt aliquis pro ſe ferre teſtimonium, itaut cum alio teſte faciat ſufficientem probationem, vt ſi homo grauis, aut virtutis magnæ mutuauit alicui nummos, ipſe mutuans ſimul cum alio teſte ſufficit ad probandum de mutuo. Sic Sanch. *dub.*18. Et idem eſt, ſi agatur de cauſa commnni alicuius communitatis *leg. dictantibus de teſtamentis*, non tamen ſi ſit duorum communis debet alter admitti ad teſtimonium, quia cauſa communis duorum vtriuſque eſt. *l. illud D. de ritu nuptiarum.*

CAPVT XI.

Notationes circa quartam Regulam Diui Thomæ, & quintam.

SVMMARIVM.

126 *Refertur qu arta Regula.*

QVÆ ſic erat. *In his quæ pertinent ad con-* 126.
demnationem alicuius non tenetur aliquo modo ferre teſtimonium, niſi quando à Superiore compellitur ſecundum ordinem iuris, quia licet circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum ſequitur, vel ſi immineat periculum accuſatori non eſt curandum, quia ipſe in hoc pericalo ſponte ſe ingeſſit.

RESOLVTIO XV.

Quando accuſator tenetur accuſare, tenetur etiam teſtis dicere veritatem interrogatus.

SVMMARIVM.

127 *Accuſator quando tenetur accuſare, teſtis etiam tenetur dicere veritatem interrogatus.*

128 *Reus vbi non condemnatur ad mortem, &c. ſi ſequatur alicui tertio graue aliquod damnum; ſi reipſa reus commiſit crimen, teneor ad teſtificandum.*

CIrca quam regulam notandum primò quod 127.
quando accuſator tenetur accuſare, tenetur etiam teſtis dicere veritatem, etſi ex tali manifeſtatione ſequatur condemnatio rei, quia ſi non manifeſtatur veritas, ſequitur maximum damnum accuſatori, in cuius periculum ſe ſponte non ingeſſit cum tenetur accuſare, alias nullus teneretur accuſare, ſi teſtis non teneretur veritatem dicere. Sic Caietanus, Bonacina, Sanchez *locis citatis*; quod ſecus eſt quando non tenetur accuſare, vt docet S. Doctor.

Notan

128. Notandum secundò, quod quando, si Reus non condemnetur ad mortem, aut quid simile, sequitur alicui tertio magnum damnum vel in vita, vel in honore, & fama, aut re familiari, si reipsa reus commisit crimen, & alter est innocens teneor ad testificandum iuxta dicta *regula præcedenti.*

Resolvtio XXVI.

Id quod scitur sub sigillo confessionis nullatenus propalari potest.

SVMMARIVM.

129 *Confessionis sub sigillo quod scitur, propalari nullatenus potest.*

129. QVinta etiam regula quæ sic habet: *De illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem nullo modo debet testimonium ferre, quia maius est vinculum Sacramenti, quolibet hominis præcepto.* Hæc, inquam, regula, ita certa est, vt sine errore in fide negari non possit, nec ad euitandum quodcumque magnum damnum totius Reipublicæ, & Ecclesiæ frangendum est Sacramenti sigillum, quantumuis Summus Pontifex sub excommunicationis pœna, & rigoroso præcepto id præcipiat Confessario, de quo latè Fagundez *de præcept. Eccl. præcep. 2. c.4. à num.30. & 31.* Notant tamen Caietanus, & alij quos citat, & sequitur Fagundez *c.5. num.3.* quod etiam si quis dicat se confiteri, proferatque confessionem generalem, & faciat signum Crucis; si tamen non subiecerat clauibus peccatum, non teneri confessorem sub sigillo Sacramenti occultare, sed solum sub sigillo naturali, quod non obligat pro semper, sicut sigillum Sacramenti quod ita obligat pro semper, quod etiam si sciat euidenter confessor mortem crudelissimam passurum, & Rempublicam propriam tradendam in manus inimicorum, vel si quod est maius incommodum, non potest nec directè, nec indirectè Sacramenti sigillum frangere; quod tunc censetur fieri quando id propalat.

Resolvtio XXVII.

Ne reueletur sigillum confessionis dimidianda est confessio, etiam in articulo mortis.

SVMMARIVM.

130 *Confessionis ne frangatur sigillum, dimidianda est confessio etiam in articulo mortis. Hæc conclusio est multorum auctorum, & ratione munitur. ibid. & num.131.*

132 *Altisiodorensis opinio, circa propositum, vt omnino falsa reiicitur.*

133 *Confessionis sigillum quàm strictè obliget, & cur?*

130. CIrca hanc regulam nota tertiò, Quod ita strictè est intelligenda, vt confessor etiam in articulo mortis teneatur potius dimidiare confessionem, si integrè non possit confiteri, nisi detegat peccatum quod in confessione audiuit, ex cuius propalatione potest veniri in cognitionem pœnitentis. Sic defendunt Toletus *in summ. c.16.* Nauarrus *in Manuali cap.8.* Ledesm. *2. p. q.8. art.2. dub.12.* Rodriguez *tom.1. summ. editione 2. cap.55. conc.12. numer.15.* Capua *lib.1. decision. cap.23. num.32.* quos sequitur, & refert Fagundez *præcep.2. lib.6. cap.1. numer.10.* quibus adde Salonium *2.2. q.7. art.1. conc. vltim.* & dicit esse omnium Canonistarum quos refert Nauarrus *in cap. inter verba conc.8. num.300.* Vasquez *de Pœnitentia q.93. art.4. dub.1.* Sayrum *in Claui Reg. de Sacramento Pœnitentiæ cap.26.* Bonacina *sect.5. punct.1. numer. 1. 2. & 3.* & est omnium Theologorum.

Et ratio est, quia ea quæ scit confessor in confessione Sacramentali scit vt Dei Minister. Quare in ordine ad humanum conuictum se debet habere, ac si non sciret, & ita si non potest confiteri peccatum suum adhuc in mortis articulo, nisi detegat personam quæ commisit crimen quod accepit in confessione Sacramentali, etiam si absolutionem non fuerit impertitus, tenetur dimidiare confessionem, quia strictius præceptum est de non reuelanda confessione, quam de integritate ipsius. Cuius contrarium improbabiliter senserunt Maironius *in 4. dist.21.* vbi Gabriel *quæst.1. art.3. dub.1.* Sotus *dist.18. quæst.4. artic.5. vers.* Occurrunt quod repugnantibus omnibus Magistris in congressu publico litteratio Salmanticæ est tutatus, vt refert Henriquez *lib.3. de Pœnitentia cap.20. num.5. in Commentar. littera O.* 131.

Secundò omnino falsa est, & contra omnes opinio Altisiodorensis *lib.4. tract.6. cap.3. q.4. fol.29. colum.3.* asserentis in aliquo casu si esset possibile quod magnum periculum immineret Ecclesiæ, si non reuelaretur confessio possit eam confessor reuelare ex consensu Episcopi. Similiter est erronea sententia quorumdam Canonistarum asserentium licitè posse violari sigillum Sacramentale in iudicio forensi ad probandum Matrimonium inualidè fuisse contractum, aut ad illud impediendum si inualidè contraheretur. Sic Cassaneus *consilio 1. vers.ad 2.num.17.* Iason *l.1. D. de iustitia, & iure,* & alij quos refert Couarruu. *2. p. Epitome cap.8. num.9. & 10.* & impugnat Suarez *tom.4. de Pœnitentia disp.33. sect.1.* quia hic est perpetuus vsus, & traditio Ecclesiæ ita strictè intelligentis hoc diuinum præceptum, vt pro totius mundi salute non liceat illud frangere, siquidem Sacramento tam necessario ad salutem maxima fieret iniuria cum si posset in aliquo casu confessio reuelari iustè fideles ab illo retraherentur. In quo diuino præcepto nec Papa dispensare potest, licet possit in obligatione voti, & iuramenti, quia horum materia cum sit circa rem promissam potest Pontifex declarare quod hic, & nunc in tali circunstantia non obligat; at materia sigilli est omnino indispensabilis, quia sic intellexit Ecclesia; quod adeo tenet verum quod nec ad liberandum pœnitentem à morte possit Confessor reuelare confessionem. Quod iam explico sequenti resolutione. 132. 133.

Resolvtio XXVIII.

Confessarius de licentia expressa pœnitentis potest reuelare quæ audiuit in confessione.

SVMMARIVM.

134 *Confessarius cum licentia pœnitentis potest reuelare quod in confessione audiuit.*

135 *Sigilli*

135 *Sigilli ſecretum inſtitutum eſt in fauorem Sacramenti, & publicæ vtilitatis.*

136 *Pœnitens an poſſit dare licentiam confeſſario reuelandi confeſſionem?*

NOtandum quartò, quod confeſſarius cum licentia pœnitentis poteſt reuelare id quod in
134. confeſſione audiuit. Sic omnes citati præcedenti reſolut. quibus adde Syluium *in addition. ad 3. p. quæſt. 11. art. 4. §. caterum.* Valentiam *tom. 4. q. 13. punct. 3.* Tannerum *diſp. 6. quæſt. 9. dub. 6. numero 152.* Ratio eſt clara, quia pœnitens cedit iuri ſuo, & ſic confeſſor id quod ſciebat tanquam perſonam Dei gerens, iam nouit humano modo.

Addit tamen, & optimè Villalobos *tract. 9. de Sacramento Pœnitentiæ. difficult. 73. num. 7. & 10. Que el Sacerdote no puede dezir eſto, Eſte Pecado me confeſsò fulcano, aunque tenga licencia, que para eſto no ſe la puede dar.* Ratio eſt, quia ſecretum ſigilli inſtitutum eſt in fauorem Sacramenti, & publicæ vtilitatis, quamuis etiam ſit
135. propter vtilitatem pœnitentis; iure autem communi non poteſt quilibet particularis cedere. *cap. ſi diligenti. de foro competenti.* Vnde Clericus non poteſt cedere priuilegio canonis, & fori vt poſſit comparere coram iudice ſæculari; neque enim eſt in poteſtate pœnitentis facere quod id quod Confeſſor non ſcit vt homo, dicat vt homo, ſed dando illi licentiam implicitè illi dici ea quæ dixit manifeſte vt de eis poſſit vt homo loqui.

136. Et ſic ego intelligo authores antiquos quos addit Fagundez negantes poſſe pœnitentem dare licentiam, reuelandi Confeſſionem; implicat enim quod confeſſio Sacramentalis reueletur, de cuius eſſentia eſt connotare ſigillum Sacramentale, vt dicit Sanct. Thom. *in 4. diſt. 17.* quod infra latius & profundius explicabo, cum quadam ſingulari doctrina Archiepiſcopi Hiſpalenſis Didaci Deça.

RESOLVTIO XIX.

Vtrum ſufficiat licentia implicita pœnitentis.

SVMMARIVM.

137 *Confeſſor an ſufficiat quod habeat licentiam implicitam ipſius pœnitentis, vt eius confeſſionem reuelet?*

138 *Sententia negatiua eſt omnium, quæ confirmatur, & magis declaratur. n ſeqq.*

SEd modò eſt graue dubium, an ſufficiat quod Confeſſor habeat licentiam implicitam, & tacitam ipſius pœnitentis, v. g. ſi iudex volens liberare aliquem pœnitentem à morte cupiens veritatem ſcire à confeſſario petat vt eam ſibi propalet, omnes communiter negant, vt videre eſt apud Fagundez *vbi ſup. num. 33.* Qui pro con-
137. traria ſententia citat Altiſiodorenſem *lib. 4. tract. 6. cap. 2. quæſt. 4. folio 27.* Sed ibi nihil docet, ſolum *cap. 3. quæſt. 4. folio 29. column. 3.* id aliquatenus inſinuat, ſed poſt impugnat *verſ. Quod concedimus.* ſolum enim dicit id quod ſupra retuli, ſed quod licentia tacita ſufficiat, ex parte conſentit Capua *lib. 1. deciſ. cap. 23. num. 14.*

Confirmatur ex doctrina quam tradunt Suarez *diſp. citata. ſect. 5. num. 3.* Vaſquez *3. part. q. 93. art. 4. dub. 9.* Turrianus. *de Pœnit. quæſt. 11. art. 2. diſp. 33. dub. 3.* & alij. Quod ſi Confeſſor commiſit aliquem errorem in confeſſione poteſt ac- 138.
cedere ad pœnitentem, & ſecreto dicere quod det illi facultatem loquendi de confeſſione facta; quod ſi neget poteſt nihilominus de illa loqui vt emendet de errore, quia ſemper præſumendus eſt pœnitens nole in errore perſeuerare, quamuis ore tenus neget, habet voluntatem tacitam quod de illo loquatur.

Deinde P. Henriquez *lib. 3. de Pœnitent. cap. 2. num. 2. in fine* dicit: Si ſtatim poſt datam abſolutionem occurrat error emendandus, poſſe Con- 139.
feſſarium loqui cum pœnitente de ipſa confeſſione abſque licentia expreſſa, ſed ſolum cum tacita atque ita hæc ſufficiet vt Confeſſor reuelet confeſſionem ad liberandum pœnitentem à morte. Hæc duo exempla non admittit Fagundez.

Sed duplex eſt tacita licentia, vna quæ eſt ratihabitio de præſenti, alia quæ eſt ratihabitio de 140.
futuro. Hæc abſque dubio non ſufficit, cum ex ea nulla acquiratur iuriſdictio, nec cenſeatur aliquis actu renuntiare iuri ſuo. Alia eſt ratihabitio de præſenti, quæ & tribuit iuriſdictionem, & ſi priuilegiatus ſit præſens ſi tacet, & non repugnat, conſentire videtur, & iuri ſuo renuntiare. Vnde dico ſi reus ſit præſens, & vt liberetur à morte iudex exigit à confeſſario vt confeſſionem reuelet, ſi pœnitens non reſiſtat videtur non eſſe improbabile, (Quod videtur inſinuare Syluester *verbo Confeſſio 3. num. 2. quæſt. 3. verſ. Quia vt dicit Summa Conf.*) quod talis licentia tacita ſufficiat, ſicut ſufficit ad hoc quod præſente Epiſcopo Confeſſor qui non habet licentiam, expreſſam iuriſdictionem acquirat ad valide abſoluendum; nec fit hic iniuria aliqua Sacramento, ſicut nec fit Epiſcopo, coram ipſo non repugnante audire Confeſſiones ſuarum ouium vt eſt apud omnes in confeſſo; non tamen ſufficit licentia tacita cum ratihabitione de futuro, ſicut non ſufficit vt quis iuriſdictionem acquirat ad abſoluendum.

Sed quamuis, vt dixi, hoc alicui ſpeculatiuè 141.
loquendo poſſet videri non improbabile, ſed practicè, & abſolutè loquendo contrarium tenendum eſt, quod egregiè tuetur Paludanus *in 4. diſt. 21. q. 3. art. 3. conc. 2.* & tenent Fagundez *vbi ſup.* Diana *part. 3. tract. 4. de Sacramentis reſolut. 87.* Ratio eſt quia vt optime Paludanus *verſ. ad tertium* in ordine ad iudicium forenſe nihil ſcit quando aliquid in confeſſione ſcit, cum nihilominus ſciat quàm quod vt Confeſſor ſcit, cum id non ſciat in quantum purus homo ciuilis, ſed vt eſt homo Dei, & ipſius Locumtenens, atque ita niſi huic ſcientiæ quam habet vt Confeſſor, & modo diuino non addatur aliquis modus humanus ab ipſo pœnitente communicatus; qui expreſſe ſuo priuilegio renuntiet, non poteſt in ordine ad forenſem conuictum quod in confeſſione cognouit propalare.

Nec eſt ſimile de licentia quando quis acqui- 142.
rit iuriſdictionem ex ratihabitione de præſenti, quia hanc tacitam ſufficere ad hoc concors eſt Doctorum ſententia, quod Confeſſor iuriſdictionem acquirat, vt late Ioannes Sanchez ex Selectis *diſp. 45.* & alij quos ſupra adduxi; at in præſenti non intereſt, quia priuilegium quod ius diuinum tribuit pœnitenti ſingulariſſimum eſt, & ſtrictiſſimum, & niſi expreſſe renuntiet non intelligi

intelligitur renuntiasse, cum postquam iudex dixerit se velle liberare à morte, si confessio reueletur possit non liberare, & manebit sine fructu reuelata, & fractum priuilegium pœnitentis, & posset dicere sine ipsius consensu factum ne autem hæc querela sit, expressus illius consensus expectetur.

Resolvtio XXX.

Non licet reuelare peccatum subiectum clauibus, etiam si eius effectus pendeat in futurum.

SVMMARIVM.

143 *Confessionis Sacramentalis sigillum sic conclusum est, vt non liceat illud aperire, etiamsi effectus peccati pendeat in futurum, &c. & num seqq.*

143. NOtandum quintò, hoc sigilli Sacramentalis secretum sic concluſum esse vt non liceat illud aperire, etiamsi effectus peccati pendeat in futurum, & adeo sit malignantis naturæ, quod ex illo emineat periculum occisionis infinitorum hominum, & combustionis vniuersi; dummodo pœnitens vere confiteatur animo subdendi illud peccatum pœnitentiæ, vt dicebam supra. Sic Authores supra citati, quibus addo S. Thom. *in 4. distinct. 21. quæst. 3. articul. 2. ad primum.* Caietanum *opuscul. 27. cap. 15.* Fagundez *numer. 23.* qui malè intellexit plures Theologos antiquos, & plures Canonistas explicantes *cap. omnis vtriusque sexus de Pœnitentiis.* Syluestrum *verbo confessio 3. num. 2. quæst. 5.* vbi sic loquitur: *Si quis confitetur se velle facere aliquid malum, puta homicidium, quia secundum Innocentium, & sequitur Panormitanus in cap. omnis, istud non est dictum in pœnitentiali foro, nec Sacerdos illud celare tenetur, quia peccatum non commissum, sed committendum non est dictum in pœnitentia, quod limita in quantum est committendum; secus inquit Panormitanus, si pœniteret de voluntate præterita, quia tunc est commissum respectu voluntatis.* Hæc ibi. Quibus clarè videtur Fagundez imposuisse istis authoribus doctrinam eroneam, quam non sequuntur, sed impugnant.

144. Quare aliud est quod quis accedat ad confessionem cum vero dolore de voluntate quam habuit de futuro occidendi hominem, quem ab assassino absenti occidere iussit, & talis voluntas non est peccatum futurum, sed præsens quod subiicit confessori quamuis eius effectus pendeat ex futuro euentu, & hoc peccatum nullus Catholicus dicit posse reuelari à confessore, reuelando personam; nec enim effectus futurus peccati peccatum est. Aliud est quod quis confiteatur peccatum futurum committendum, & prout committendum certissimum est secundum fidem, quod sicut non est materia pœnitentiæ virtutis, ita non est materia pœnitentiæ Sacramenti, vt egregiè adnotat S. Thom. *in 4. dist. 17. q. 2. art. 2. quæstiunc. 4.* & sic non cadit sub sigillo. Vnde dicere quod solum peccatum præteritum, aut præsens sit materia pœnitentiæ, & non futurum prout committendum, tantum abest quod sit erronea propositio, quod contrarium asserere sit eroneum contra Concilia, Patres, & Scholasticos omnes, tam Theologos, quam Canonistas, cum de tali peccato non possit esse propositum emendæ, nam eo ipso quod perseueret pœnitens in committendo, propositum non committendi sibi non compatitur; quare non est verus, sed fictus pœnitens statim denuntiandus iis quibus interest, vt peccati committendi impediatur effectus, vt latè probat ipsemet Fagundez, *ibi numer. 18.*

Si vero quis confiteatur propositum affectum 145.
quem habet faciendi peccatum in futurum, & de illo doleat, prout oportet, iam non est fictus, sed verus pœnitens, cum subiiciat materiam pœnitentiæ clauibus confessoris qui tenetur non reuelare, etiam si ex effectu peccati pendeat vniuersi salus.

Quæ omnia intelligenda sunt quando pœnitens accedit ad confessionem non animo se vere accusandi; tunc enim peccatum committendum non est materia sigilli: secus est si accedat 146.
animo vere se accusandi, quamuis non habeat animum desistendi à peccato; tunc enim confessarius tenetur celare, quamuis pœnitens non absoluatur, propter indispositionem subiecti, quia iam vere subiicit se, & suum peccatum. Sic Suarez *de Pœnitentia disp. 33. sect. 2. num. 9.* Caietan. *2. 2. quæst. 70. art. 1. & tom. 1. opuscul. tract. 21.* & est indubitata sententia, vt videre est apud Barbosam *in cap. Sacerdos de Pœnitentia disp. 6. n. 1. & 2.* vbi innumeros adducit Doctores idipsum sentientes. Vnde meretrix quæ animo adimplendi præceptum annuæ confessionis accedit ad pœnitentiam, etsi non habeat animum derelinquendæ malæ vitæ celari debet sub sigillo confessionis. Vnde *cap. quod quidem de Pœnitentiis, & remissionibus*, mandat Pontifex quod harum mulierum impœnitentium admittantur confessiones, eo quod fortè monitis confessorum resipiscent, & sic eatum peccata sub sigillo cadunt, etiam si non absoluantur.

Resolvtio XXXI.

Non tenetur Pœnitens ad sigillum Sacramenti.

SVMMARIVM.

147 *Pœnitens an teneatur ad sigillum Confessionis? Sententia negatiua auctoritate, & ratione comprobatur, & n seqq.*

NOtandum sextò, quod ad secretum Sacra- 147.
menti non tenetur ipse Pœnitens, etiam si confessor illi dicat, quod sub secreto conseruet. Sic Suarez *de Pœnitent. disp. 33. sect. 4. num. 2.* Henriquez *lib. 3. de Pœnitent. cap. 2. §. 1.* & multi alij quos sequitur Fagundez *vbi suprà cap. 6. numer. 12.*

Ratio est, quia vt supra vidimus pœnitens potest dare licentiam Confessario, vt loquatur de peccatis confessis: ergo & ipse non tenetur sub sigillo Sacramenti illa celare; non enim facit iniuriam Sacramento, quia hoc ideo imbibit tam strictum sigillum, ne Sacramentalis Confessio formidabilis, & odibilis fiat; non est autem odiosum alicui quod ipse voluntarie facit.

Adde quod pœnitens alia via scit suum pecca- 148.
tum: ergo etiam si illud confiteatur poterit manifestare, sicut de Confessore est indubitata sententia. Hoc dixerim contra quosdam quos refert

Fagun

Fagundez *vbi suprà num.* 14. Et quidem de peccatis certissimum est posse ipsum pœnitentem reuelare, etiam si non posset dare licentiam Confessori, vt reuelet, quia iste esset obligatus iure diuino in quo pœnitens non potest dispensare, quam obligationem non habet ipse pœnitens. Idem dicendum est de pœnitentiis impositis, quas posse reuelare pœnitentem absque fractione sigilli, certissimum est, quamuis vt notat Henriquez possit aliquando eas sub secreto naturali teneri celare quamuis de hoc etiam ego dubitem, cum hoc secretum fiat in fauorem ipsius pœnitentis, cui potest voluntarie cedere.

Resolvtio XXXII.

Vtrum Episcopi, Prælati Regulares & Electores possint vti notitia habita in confessione Sacramentali in ordine ad externum regimen.

SVMMARIVM.

149 *Episcopi, & Prælati Regulares & Electores an possint vti notitia habita in Confessione Sacramentali in ordine ad externum regimen ?*
Sententia affirmatiua adducitur, & auctoribus, rationibusque exornatur, ibid. & num. seq.

149. GRaue sanè Dubium quod pro dignitate tractandum, vt sciant Superiores qui aliquando Confessores ordinarij fuerunt, & multa nouerunt in Confessione, qualiter se gerere debeant, circa eos qui olim pœnitentes hodie sunt ipsorum subditi quod dubium maximè dependens est ex regula D. Thomæ, quam modò explicamus.

§. I.

Adducitur Sententia affirmans.

GRaues Doctores, & multitudine non pauci absolutè docent id licitum esse dummodo neque directè, neque indirectè alicui Confessio Sacramentalis propaletur. Sic *in* 4. *dist.* 21. tenent Scholastici, Bonauentura 2. *p. distinct. art.* 2. Scotus *q.* 1. *art.* 3. & 4. Paludanus *q.* 3. *art.* 3. Gabriel *q. vnica art.* 3. *dub.* 1. Capreolus *q.* 2. *art.* 3. *ad* 8. & Deza. Adducitur etiam D. Thom. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. D. Antoninus 3. *p. tract.* 14. *cap.* 12. §. 2. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 10. *art.* 5. *dub.* 2. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 67. *sect.* 3. Vasquez 3. *p. q.* 93. *art.* 4. *dub.* 8. Gutierrez *de Matrimon. cap.* 61. *num.* 10. Nunus *in Addition. q.* 11. *art.* 1. *diffic.* 1. *ad* 6. & 7. Pesantius *ibi disp.* 6. Graffis *lib. Decision. cap.* 23. Reginaldus *in Praxi. lib.* 3. *num.* 33. Henriquez *lib.* 3. *de Pœnitentia cap.* 23. *num.* 6. Nauarrus *in cap. Sacerdos de Pœnit. dist.* 6. *num.* 147. vbi Turrecremata *art.* 1. *num.* 10. Summistæ *verbo Confessionis celatio* vbi Tabiena *num.* 5. Rosella *num.* 2. Syluester, *verbo Eucharistia* 3. *quæstiunc.* 5. §. 7. & multi alij.

Probatur primò, Quia ante confessionem liberum erat Confessario eligere, aut non eligere pœnitentem: ergo post confessionem auditam, quia ista sicut non tribuit illi nouum ius, ita neque aufert.

Secundò, Quia ante auditam confessionem pœnitens irrationabiliter quereretur de Confessore si suffragium non ferret: ergo post auditam etiam est irrationabilis querela.

Tertiò, Quia Confessario solum est obligatio ex vi sigilli sacramentalis, atqui semper quod non manifestatur persona alicui tertio non frangitur sigillum, atque adeo si vtatur notitia peccati confessi non peccat, cum hæc notitia sit subiectata in intellectu humano, etiam si confessor eam acquisierit vt minister Dei, potest ea vti in quantum eius ministerio non opponitur. Vnde Prælati possunt leges generales imponere ad suum regimen attinentes, & prædicatores reprehendere peccata, moti ex notitia confessionis. Sic Ledesma, *vbi sup. dub.* 4. Syluester etiam *vbi suprà*, sed addunt maxima cautela opus esse, ne Principum Confessores coram ipsis peccata quæ aliàs ipsorum in confessione audierunt reprehendant, posset enim maximum oriri scandalum, & nulla sequitur vtilitas. 150.

§. II.

Authoris prima conclusio enucleatur.

SVMMARIVM.

151 *Signa duplicis generis; alia de se instituta ad manifestandum conceptum quem quis habet contra fidem: alia de se indifferentia.*
152 *Verba Sylvestri adducuntur.*
153 *Duæ quæstiones proponuntur.*

VT tamen id quod verius est teneatur in quæstione grauissima, & quam quotidie in vsu præ manibus habemus aliqua notanda sunt ad eius enucleationem necessaria.

Primum est id quod Doctores in vniuersum distinguunt loquentes de hæresi quæ per signa manifestatur, quæ signa duplicis sunt generis. Alia sunt de se instituta ad manifestandum conceptum quem quis habet contra fidem, alia sunt de se indifferentia ad significandum, vel non significandum talem conceptum, hæresis signata signis prioris generis, etiam si nullum præter proferentem audiat facit hæreticum in foro externo: secus vero si significetur per signa posterioris generis. Ita in præsentiarum quod aliquis vtatur, scientia in confessione potest dupliciter manifestare actione externa, aut quæ tam respectu pœnitentis quam aliorum sit prorsus indifferens hic, & nunc ad talem manifestationem; & in his quamuis reipsa confessor vtatur notitia nullum est peccatum, vt si sciam in confessione Petrum determinatum esse me occidere, & gladium à me exposcat, possum ei illum denegare, & teneor; quia negatio gladij de se indifferens est vt iste cognoscat me vti confessione. Aliæ sunt actiones quibus vsus huius scientiæ potest manifestari, quæ hic, & nunc denotant talem Confessorem illa scientia vti, v.g. scit Prælatus subditum esse in occasione proxima peccandi, à qua ipsum monitis, & suasionibus auertere nequit, & vt auertat ipsum in aliam prouinciam, aut domum mittit, & de his, & similibus actibus est difficultas an liciti sint in superioribus, itaut possint illos exercere ex præcisa notitia Confessionis habita. 151.

Doctrinam

Doctrinam huius notabilis satis singulariter tradit Doctor subtilis Scotus *in 4. dist. 21. quæst. 2. ad 6.* adductus à Sylueſtro verbo *confessio num. 12. §. 19.* vbi sic loquitur: *Sicut duo aliqui constituerunt occidere Sacerdotem comitantem cum eis, vnus pœnitentia ductus hoc illi confitetur, nunquid retrocedere potest vbi ventum fuerit ad siluam, aut de-*
152. *clinare, si ex hoc reliquo innotescat ex confessione? & dicunt quidam quod si aliam occasionem inuenire non possit ex qua confessio non probatur, tenetur intrare siluam, & si occidatur erit Martyr. Sed Scotus in 4. dist. 21. tenet quod non tenetur intrare, nec debet reputari reuelator confessionis, nisi aliquid faciat quod ex sui natura prodat confessum peccatum: eiusmodi non est à silua diuertere. Neque esse illicitum confessori signum de se indifferens ad significandum, tale peccatum esse confessum, vel non significandum, licet aliquibus sit signum magis determinatum, ex aliquo præsuppositò; non ex se est signum reuelatiuum confessionis. Quod quidem dictum Scoti verum puto, vt dicit generaliter, nisi cum signo indifferenti adesset intentio ad reuelandum.* Hactenus Sylueſter. Cuius vltimis verbis non assentior, nam mea intentio non facit signum magis significatiuum, nisi manifestetur, quod inferius magis enucleabo.

Notandum est secundò, ex Syluio, Adamo Tannero, & aliis infra adducendis, quod hic sunt duæ quæstiones maximè diuersæ, & quæ præ oculis sunt habendæ. Prima an vti notitia habi-
153. ta in Sacramento sit secundum se illicitum, & contra reuerentiam debitam tam stricto sigillo confessionis. Secunda vtrum ex alio capite, aut prohibitione sit peccatum? illud enim quod secundum se licet aliquando, fit illicitum ex Superioris prohibitione, vel ex aliqua alia circunstantia. Vnde Vasquez *vbi supr. dub. 2. num. 8. §. tertio, & vltimo* asserit ex Medina *quæst. de his quæ à confessore celanda sunt §. inde vlterius videtur*, non esse contra sigillum confessionis, si confessor non petita adhuc licentia pœnitentem reprehenderet extra confessionem, aut exprobrare illi peccata; esset tamen contra reuerentiam debitam Sacra-
154. mento, quia videretur onerosa nimis, & sic aliud est peccare contra sigillum Sacramenti, quod non fit, nisi quando alicui manifestatur secretum confessionis directè, vel indirectè, aliud est peccatum contra reuerentiam Sacramenti, quæ irreuerentia colligitur ex aliquibus circunstantiis, aut prohibitione Superioris.

§. III.

Si Superior potest vti notitia habita in confessione, tenetur aliquando ea vti.

SVMMARIVM.

154 *Superior Regularis aut Episcopus si potest vti notitia habita in confessione, tenetur aliquando ea vti.*

155 *Hæc conclusio statuitur aduersùs Fagundez, & auctoritate exornatur, rationeque fulcitur, & num. seqq.*

His notatis dicendum est primò, si sententia relata vera est quod possit Sacerdos Superior Regularis, aut Episcopus vti scientia, acqui-
155. sita in confessione in ordine ad regimen exter-

num, non solum potest sed tenetur sub peccato mortali ea vti; quando ex non vsu potest sequi damnum notabile vel sibi ipsi, vel alicui tertio, Communitati, aut Reipublicæ, sequiturque iniuria alicui Sacramento. Est notabilis conclusio, ex qua plura notabilia inferenda sunt. Eam constituo contra Fagundez *de præcept. Eccl. præcep. 2. lib. 6. cap. 2. num. 19.* Sed nostram conclusionem tenent Sylueſter *verbo confessio 3. num 9. quæst. 14.* vbi dicit: *vt patet ex D. Thoma in quinto quodlibeto quando Prælatus, sine manifestatione peccati potest subditum amouere ab officio periculoso, in posterum hoc facere potest, & debet, licet esset melius eum ad cessationem inducere. Nec obstat quod efficeretur pronior ad celanda peccata, quia melius est cauere ne peccata fiant, quam ne facta celentur, quia si non fiunt non celantur, non è conuerso.* Hæc Sylueſter malè pro se citatus à Fagundez, quem in citandis Authoribus non admodum fidelem inueni. D. Thom. idem sentit *in 4. dist. 9. quæst. vnica art. 5. quæstiunc. 1. in corpor.* licet ibi non loquatur de scientia confessionis, sicut nec Bonauentura, Richardus, Durandus, & Maior, quos citat Fagundez. Tenet tamen Tabiena *verbo communicare num. 59.* cuius rationem reddit, quia 156.
peccator in peccato secreto amisit ius petendi secretè, si tamen in manifesto petit debet ei dare Eucharistiam. Ledesma *1. part. 4. quæst 21. art. 6. dub. 3. §. His non obstantibus. Quia si peccator secretus non habet ius secreto petendi, nec amisit ius denegandi, nisi in publico.* Suarez *3. p. q. 80. art. 6. disp. 67. sect. 4. §. secunda sententia*, vbi dicit quod nullus Author dubitat quod si quis habeat ensem suum apud me depositum, & ego scio in confessione illum me velle occidere, possum non porrigere ensem. Durandus *in 4. dist. 9. q. 5. num 6.* Paludanus *in 4. dist. 21. q. 3. art. 3. conc. 3. vers. Si ergo*, vbi optimam ponit rationem, *Sicut Medicus ex quo aliquem in curam suscepit, tenetur sibi dare remedium contra recidiuum sic in proposito*, &c. Bonanentura *ibi 2. p. dist. q. 1. art. 1. ad 4.* Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. conclus. 2. versicu. si autem.* & probat ex cap. *Ad aures de temporibus ordinandorum*, vbi Pontifex dicit quod si Religiosus vult ordines ab Episcopo suscipere refragante suo præposito, non ordinetur, quia forsan Præpositus in secreto scit causam cur non debeat Ordinari.

Ratio huius conclusionis, me iudice, euidens est, quam optimè non calluit P. Fagundez, quia vel Superior Parochus est, aut alius cui ex officio incumbit euitare damnum siue spirituale, siue 157.
temporale, & sic euidens est conclusio, cum hic ex iustitia teneatur hoc damnum euitare, quando eius euitatio non est incompossibilis cum obligatione alterius præcepti, quæ in præsentiarum non est, cum supponamus licitè posse vti scientia habita in confessione, vel talis Confessor non est Superior, & sic lege charitatis, aut iustitiæ legalis tenetur obuiare damno proximi, quando sine magno suo incommodo potest illud obuiare cum hoc incommodo quando damnum imminet propriæ communitati, aut Reipublicæ, aut personæ maximæ authoritatis, & necessariæ ad illius conseruationem, vt est apud omnes ferè indubitatum: ergo si saluo sigillo Sacramenti, eiusque reuerentia potest quis vti scientia habita in confessione tenebitur ea vti in casibus positis in conclusione; & si enim hoc medium difficile sit, eius difficultas in eo sita est quod quis possit præfata

notitia vti ſaluo ſigillo, & reuerentia Sacramenti ſi ergo his ſaluis poteſt quis vti ſcientia præfata tenebitur vti, aut ſi non poteſt illis ſaluis, non poteſt vti tali ſcientia.

§. IV.

Si Parochus ſciat in confeſſione pœnitentem eſſe indiſpoſitum, ſi iſte ſecretò petat Euchariſtiam tenetur denegare: ſecus ſi in publico.

SVMMARIVM.

158 *Parochus ſi ſciat in confeſſione pœnitentem eſſe indiſpoſitum, ſi iſte ſecretò petat Euchariſtiam, tenetur denegare, ſecus ſi in publico.*

159 *Idem dic de Parocho reſpectu illorum qui volunt ſe coniungere matrimonio.*

158. EX hac concluſione infertur primò in materia Sacramentorum quod ſi quis ſcit in confeſſione aliquem eſſe in peccato mortali, & indiſpoſitum ad recipiendam Euchariſtiam, & ſecretò illam petat, tenetur eam illi denegare ſecreto, maximè ſi ſit extra Paſchale tempus, in hoc enim ſaltem tenetur dare ei ſchedulam communionis, vt appareat in publico ſe eſſe communicatum; nam ſi eam negat indirectè manifeſtat eius crimen in confeſſione ſcitum. Sic Authores citati, & ſpecialius Durandus *num.*3. & Paludanus; non enim poteſt Parochus, aut Sacerdos concurrere ad ſacrilegium indignè ſuſcipientis, quando illud poteſt euitare titulo honeſto abſque manifeſtatione confeſſionis.

159. Idem dicendum eſt de Parocho reſpectu illorum qui volunt ſe coniungere Matrimonio quos ſcit habere impedimentum dirimens; ſi enim publicè petant non poteſt negare, quia illi habent ius in foro externo; ſi petant in ſecreto tenetur negare. Sic Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 5. *verſ. Hinc fit.* limitans, & optimè quod ſi Sacerdos poteſt ſe excuſare abſque notabili damno, tenetur ſe excuſare, quam excuſationem non poteſt habere Parochus cui ex iuſtitia incumbit ſuis ouibus Sacramenta miniſtrare. Et quantum ad hoc eſt optimum diſcrimen inter Parochum, & non Parochum. Quod non aduertit Fagundez *numer.*16.

§. V.

Si quis ſciat in confeſſione Petrum cui aſſolebat confiteri non eſſe Sacerdotem, non poteſt illi confiteri.

SVMMARIVM.

160 *In confeſſione ſi quis ſciat confeſſorem cum quo ſolebat confiteri, aut non eſſe Sacerdotem, aut ſi eſt Sacerdos, non habere iuriſdictionem, tenetur illi non confiteri.*

160. INfertur ſecundò, quod ſi quis in confeſſione ſciat confeſſorem cum quo ſolebat confiteri non eſſe aut Sacerdotem, aut ſi Sacerdos ſit non habere iuriſdictionem teneri illi non confiteri, quia ſcientia habita in confeſſione poteſt licite vti, & ſic ne confeſſionem ſuam ſacrilegam faciat, tenetur ſe non confiteri, ſi enim ſcit ſcientia, qua vti poteſt, non poſſe rectè, & ritè abſoluere, qua ratione illi confiteri poterit peccata ſua.

§. VI.

Superior tenetur alios inferiores ad nũtum amouibiles amouere, ſi ſciat habere occaſionem proximam peccandi.

SVMMARIVM.

161 *Generalis, & Prouincialis tenentur amouere alios ſuperiores amouibiles, ſi ſciant illos habere occaſionem proximam peccandi.*

162 *Refellitur opinio Henriquez aſſerentis poſſe Generalem, aut Prouincialem amouere Superiorem, cuius gubernatio durat ad certum tempus, & mittere in alium locum, prætextu maioris perfectionis, ex ſola notitia habita in Confeſſione.*

INfertur tertiò, Prouincialem, & Generalem teneri amouere Superiores amouibiles, ſi ſciret habere occaſionem proximam peccandi, quam nolunt relinquere admoniti. Similiter Magiſtrum Nouitiorum teneri non dare ſuffragium Nouitio quem indignum profeſſionis agnouit, ex Confeſſione. Sic Capua *lib.*1. *Deciſion. cap.*13. *num.*8. Sotus *in Relectione de Secreto memb.*3. *q.*4. 161.

Non tamen aſſentio Henriquez *lib.*3. *de Pœnit. cap.*23. *num.*6. aſſerenti poſſe Generalem, aut Prouincialem amouere Superiorem, cuius gubernatio durat ad certum tempus, & mittere in alium locum, ſub cauſa, & prætextu maioris perfectionis ex ſola notitia habita in Confeſſione. Hoc enim quamuis verum teneat in Societate Ieſu, cuius vniuerſa gubernatio, & Superiorum deſignatio pendet à ſolo Generali, ab ipſius enim voto deciſiuo, quod vnicum eſt in hac Religione, (extra Congregationes generales) omnis electio dependet duntaxat, atque ita poteſt dependere quando voluerit. Hoc, inquam, in hac religione verum eſt, quod docet Henriquez, imo & tenebitur Generalis id facere quando aliter non poteſt auertere ſubditum ab occaſione peccandi, ſecundum dicta in concluſione. Tamen in aliis Religionibus id non eſt licitum Generali, & Prouinciali ex præciſa cognitione habita in Sacramento Pœnitentiæ, quia Superiorem amouere ſine cauſa, & ad libitum non eſt permiſſum ſecundum regulas. Quamuis ſi poſſit illum in alium locum mutare, mutando etiam Prælatum, tenebitur id præſtare. Male tamen citatur pro hac ſententia Sylueſter, *vbi ſuprà num.*9. Sic Vaſquez 3. *p.*1. 93. *art.*4. *dub.*8. *num.*5. *§. ex dictis* à Fagundez *num.*10. pro ſe adductus, cum ibi loquatur de Prioratu, qui eſt ad nutum Abbatis amobilis, alias verò illationes, quæ tam Sylueſter *à num.*7. *vſque* 11. quam Fagundez *cap.*2. *citato à num.*3. *vſque ad* 15. ſecundum doctrinam traditam regulandæ ſunt in his quæ hucuſque poſuimus. 162.

§. VII.

§. VII.

Secunda Concluſio, Non eſt illicitum ſecundum ſe vti notitia habita in Confeſſione, ſtabilitur, & roboratur.

SVMMARIVM.

162 *Non eſt contra ſigillum Sacramenti pœnitentiæ, quòd quis vtatur ſecretò ſcientia habita in Confeſſione, ad regimen externum ſuarum actionum, Reipub. aut Communitatis, &c.*
Inſignis Auctorum chorus applaudit huic concluſioni. ibid. & n. 163.
164 *Prælibantur quædam vt Concluſio fundamentaliter probetur. & n. ſeqq.*
167 *Nullus ad reuelationem Confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari.*
Hoc etiam tenet verum de pœnitente. ibid.
Hiſpalenſis egregia verba referuntur ibid. & num. 168.
169 *Fundamentum noſtræ concluſionis ponitur.*
170 *Actiones poſitiuæ, vt fugere per aliud iter, facere leges, &c. ſi fiant cum debita aduertentia ne aliquatenus Confeſſio manifeſtetur, &c. hæ actiones vt ſic non ſunt de ſe ſignificantes determinatè ſcientiam, quæ ipſas dirigit.*
171 *Confeſſor ſcit peccatum vt Deus in ordine ad non manifeſtandum, & non reuelandum, ſed occultandum.*

162. Dicendum eſt ſecundò non eſt contra ſigillum Sacramenti Pœnitentiæ, quod quis vtatur ſecreto ſcientia habita in confeſſione ad regimen externum ſuarum actionum, Reipublicæ, aut Communitatis, & ſic ex vi Sacramentali, ſecreti non eſt ſecundum ſe illicitum tali ſcientia vti, quando nec directè, nec indirectè manifeſtatur confeſſio. Sic ego intelligo Authores citatos pro prima ſententia, & multi ex illis ita loquuntur. Sic Suarez *vbi ſuprà* D. Thomas, Bonauentura, Sotus, Durandus, & alij Scholaſtici, dum dicunt licitum eſſe denegare ſacram Communionem peccatori ſecreto, quem ſcio eſſe in peccato mortali. Idem, & ad idem propoſitum ſentiunt Authores quos adduxi *conc.* 1. Quibus adde Syluium *in Additionib. ad 3. p. q. 9. art. 1. quæſito* 3. Tannerum *3. p. diſp. 6. q. 9 dub. 6. num.* 141. Villalobos *tract. 9. de Pœnitentia diffic. 75.* Vaſquez *3. p. q. 93. art. 4. dub. 8. num. 6.* Saà emendatus, *verbo Confeſſor. §. vltimo* dicens hanc eſſe communem ſententiam. His connumera triginta quatuor Authores, quos refert Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 16. num. 2. qui num. 4.* dicit *quod pro hac ſententia militant authoritates tot, tantorumque virorum, & fortiſſimæ rationes quibus fulcitur. Quare negari non poteſt eſſe probabiliſſimam.* Sequitur etiam hanc concluſionem Scotus, & Sylueſter *loco citato ſupr. p. 2. huius §. notatione* 2. quibus adiunge Samuelem de Lumblino *in ſua ſummula verbo Confeſſor num. 15.* Coninchum *diſp. 9. de Pœnitent. dub. 4. num. 68.*

163. Quare cum tantus, & tam inſignis Authorum Chorus, tam modernus, quam antiquus hanc applaudant concluſionem, exiſtimo non eſſe probabile aſſerere ſecundum ſe non eſſe licitum vti ſcientia habita in Confeſſione in aliquo caſu, quod velint nolint tenentur fateri Authores contrariæ ſententiæ, ſi quidem omnes nullo dempto affirmant quod ſi Confeſſarius ex Confeſſione nouit necem alicui parari, aut proditionem imminere ciuitati, admonendus eſt in genere ille cui periculum imminet, vt ſibi conſulat cauendo peccata. Ita Bonacina *diſp. 5. de Pœnitent. q. 6. ſect. 5 punct. 4. num. 19.* dicens quod ſic ſentiunt Lazarius, Reginaldus, Graffius, Nauarrus, Onofrius, Zerola, Delrius, Sayrus, Suarez, atque hæc admonitio, etſi generalis ſit virtute ſcientiæ habitæ ex ſola Confeſſione, quæ ſcientia ipſum Confeſſarium dirigit ad talem admonitionem faciendam: ergo non eſt probabile aſſerere illicitum eſſe ſecundum ſe aliquando dirigi in actionibus externis à ſcientia habita in Confeſſione. Legatur S. Thom. *in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. ad 1.*

Vt tamen hæc concluſio fundamentaliter pro- 164.
betur, & non ſolum per media extrinſeca petita ab authoritate Doctorum, prælibanda eſt doctrina Sapientiſſimi, & nunquam ſatis laudati viri Illuſtriſſimi D. D. Deza Archiepiſcopi Hiſpalenſis Erectoris inſignis Collegij Sancti Thomæ Aquinatis præfatæ Ciuitatis Ordinis Prædicatorum *in 4. diſt. 21. q. 2. art. 3.* vbi idem tenent Capreolus, Paludanus *q. 3. art. 3. conc. 1. verſ. item quod D. Thom.* Viguerius *in Summ. cap. 16. §. 4. verſ. 20.* & multi alij Thomiſtæ & eſt expreſſa S. Doctoris loco immediatè citato, quod ſigillum ſecreti Sacramenti pœnitentiæ ita eſt de intrinſeca natura Sacramenti Pœnitentiæ, quod ſine illo ex vi præſentis inſtitutionis eſſe non poſſit, nec conſiſtere Sacramentum hoc, in quo ea quæ exterius aguntur figura ſunt eorum quæ interius contingunt. Atque ita Confeſſio qua quis Sacerdoti ſe ſubiicit, ſignum eſt interioris qua quis Deo ſubiicitur, Deus autem peccatum illius qui ſe ſibi ſubiicit per pœnitentiam tegit, radicitus euellendo priuationem gratiæ, gratiam infundendo, & deformitatem contractam ex actu præterito (quæ nunquam deletur materialiter, quia qui peccauit fieri non poteſt quod non peccauerit) non imputando
ad culpam, ſed eam deformitatem gratia, & chari- 165.
tate tegendo & radicitus euellendo vt egregie explicuit S. D. in Pſalm. 31. explicans illa verba *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et ideo de neceſſitate Sacramenti eſt quod quis Confeſſionem celet, & tanquam violator Sacramenti peccet qui reuelat. Vnde Confeſſor, & Deus in ordine ad celandum Confeſſionem non ponunt in numero, ſed faciunt idem prorſus Tribunal, ſicut faciunt Vicarius, & Epiſcopus, & ſic Confeſſor non celat Confeſſionem vt particularis perſona, ſed vt Deus, nec ſcit peccata niſi vt eſt eiuſdem Tribunalis cum Deo. Et hæc eſt ratio quam adducit Eugenius Secundus *in cap. Si Sacerdos de officio iudicis ordinarij*, cum Sacerdos eum quem ſcit in Confeſſione eſſe criminoſum non debet eum nominatim à communione remouere, quia licet ſciat eum eſſe reum, *quia non vt iudex ſcit ſed vt Deus* debet celare peccata, & ea tegere ſicut regit Deus.

Vnde miror Gabrielem Vaſquez *vbi ſup. dub. 1.* 166.
qui impugnata ratione D. Thomæ, & diſcipulorum eius in eandem incidit velit nolit, cum aſſerat ex vi inſtitutionis Sacramenti Pœnitentiæ eſſe præceptum naturale diuinum de non reuelanda confeſſione, quod præceptum negatiuum eſt obligans ſemper, & pro ſemper, vt dicit *num. 9.* atque ita natura Sacramenti ex vi præſentis inſti-

tutionis exigit quod fiat illi iniuria, confeſſionem reuelando, cum ex vi huius Sacramenti tam Confeſſor, quam Deus vnicum conficiant tribunal. Quare ſi reuelet quod vt Deus ſcit ex natura ipſius Sacramenti, iniuriam facit & Sacramento, & ipſi Deo, & per conſequens pœnitenti; iſti enim ſecundario competit vtilitas Secreti Sacramentalis, quamuis propter ipſum ſit inſtitutum Sacramentum, cui primario, & ex natura ſua ex vi præſentis inſtitutionis competit ſigillum; quamuis enim potuiſſet inſtitui Sacramentum cum ſola obligatione ſecreti naturalis, qualis eſt inter homines, tamen modo non eſt ſic inſtitutum, ſed prout exigit ſtrictius ſigillum vt tradit vſus Eccleſiæ, & traditio ab ipſius exordiis emanans.

167. Ex qua doctrina quæ me quidem iudice indubitata eſt colligitur. Primò, optimè docuiſſe S. Thom. *vbi ſupr. ad* 2. Quod ſicut præceptum de confeſſione facienda eſt de iure diuino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel iuſſione humana homo abſolui ab eo, ita nullus ad reuelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari. Quod etiam tenet verum de ipſo pœnitente, vt egregie Hiſpalenſis *vbi ſup. in* 2. *notabili*, vbi ſic loquitur: *Expræmiſſis inferri poteſt quod Confeſſor etiam de licentia pœnitentis non poteſt abſque peccato mortali, & ſine fractione ſigilli confeſſionis reuelare alicui peccata ſibi confeſſa, itaut dicat ſe illa audiuiſſe in confeſſione. Probatur hoc, quia ſic dicendo dicit ſe illa audiuiſſe vt Deus, & non vt homo, ſed nec qui confitetur, nec aliquis purus homo licentiare poteſt Confeſſorem quod reuelet alteri ea quæ ſcit, vel audiuit vt Deus, & non vt homo.* Vnde S. Thom. *loco præallegato ad* 3. *in corp. expreſſe tenet quod Confeſſor non poteſt dicere, ego audiui hoc in confeſſione, neque ita aduerſantur his quæ S. Thom. dicit loco proxime allegato art.* 2. *quod quando is qui confitetur licentiat ad dicendum peccata quæ ab eo audiuit in confeſſione non*
168. *frangit ſigillum confeſſionis, ſi illa dicat; quia aliud eſt dictum Confeſſorem reuelare ea quæ audiuit in confeſſione, & aliud eſt dicere illum reuelare quæ audiuit in confeſſione, nam hoc eſt reuelare quod audiuit ea vt Deus, ad quod nec is qui confitetur, nec alius homo purus licentiam dare poteſt, ad illud autem ſic, quia per talem licentiam Confeſſor ea quæ audiuit in confeſſione, iterum videtur audire ſaltim implicite, & interpretatiue extra confeſſionem vt homo ad quod reuelandum non videtur inconueniens quod is qui confitetur poſſit licentiare.* Hactenus illuſtriſſimus vir. Non tamen aſſentior ei quod dicit quod Confeſſor tranſgrediatur præceptum ſigilli ſi celet peccatorem, & peccata in confeſſione reuelet. Hoc enim falſum niſi ex reuelatione peccatorum ſaltim indirectè pœnitens reueletur, cum hoc ſigillum in ordine ad ipſum tam ſtricte ſit impoſitum.

Ex libamine huius doctrinæ fundamentum ſo-
169. lidum noſtræ concluſionis elicio. Quia illud ſolum obeſt ſtrictiſſimo ſecreto Sacramenti pœnitentiæ quod obeſt occultationi, quam ipſum Sacramentum ex vi præſentis inſtitutionis exigit; atqui vti ſcientia habita in confeſſione non manifeſtando, nec reuelando aliquo modo nec directè, nec indirectè ea quæ ſunt audita non obeſt ſigillo: ergo ſecundum ſe talis vſus non eſt illicitus. Conſequentia eſt euidens. Minor autem probatur manifeſtè, quia vſus huius ſcientiæ, aut eſt negando aliquid, quod aliàs non negaret, ſi talis ſcientiu non adeſſet, aut eſt faciendo ali quid quod ſine tali ſcientia non faceret; atqui negationes iſtæ, vt non ferre ſuffragium, ſiue occultum, ſiue publicum non tribuere beneficium, non conſtituere hæredem, non præbere Sacram Synaxim in ſecreto, & alia huiuſmodi, non ſunt per ſe ſignificatiuæ talis ſcientiæ, ſed ſecundum ſe ſunt indifferentia ſigna, nec determinata ad eam ſignificandam, ſicut erant antequam ſciret in confeſſione confeſſor pœnitentis peccata: ergo ex talibus negationibus non frangitur ſigillum per ſe cum ex eis non reueletur per ſe id quod eſt in confeſſione: ſicut non eſt Hæreticus formaliter in foro externo ille qui profert hæreſim per ſigna de ſe indifferentia; quod enim pœnitens ſuſpicetur has negationes oriri ex ſcientia confeſſionis, hoc eſt per accidens cum id per ſe non ſignificetur, & ſigillum ſolum per ſe prohibet quod per ſe reuelat, & manifeſtat.

Similiter actiones poſitiuæ, vt fugere per aliud iter, facere leges, reſeruare caſus, viſitare domum, mutare Religioſum, conſilium dare iudi- 170.
ci, aut Gubernatori aduertere, parietes erigere, muros reficere, & aliæ huiuſmodi ſi fiant cum debita aduertentia, ne aliquatenus confeſſio manifeſtetur, itaut ex vi talium actionum deueniatur in cognitionem, aut ſuſpicionem pœnitentis, hæ, inquam, actiones vt ſic factæ non ſunt de ſe ſignificantes determinatè ſcientiam, quæ ipſas dirigit, ſiquidem poſſunt fieri ſine tali ſcientia: ergo ſecundum ſe non ſunt reuelatiuæ confeſſionis, vt etiam Authores contrarij dicunt; quod enim pœnitens ſuſpicetur, aut intelligat has actiones fieri, & procedere ex notitia confeſſionis, & aliquomodo retrahatur, vel triſtetur, nihil obeſt, quia ad euitandum damnum publicum, aut particulare, & maiorem offenſam Dei, id licitum eſt ſecundum ſe, & honeſtum.

Quod enim confeſſor peccatum ſciat vt Deus, 171.
& non vt homo, & in hoc regimine externo procedat vt homo, ac per conſequens videtur non poſſe vti ſcientia, quam habet vt Deus non obſtat, quia ſcit vt Deus in ordine ad non manifeſtandum, & non reuelandum, ſed occultandum; in his autem negationibus, & actionibus nihil exterius manifeſtat, aut ex vi illarum reuelat, ſed ſcientia illa interna, & omnino occulta ipſum dirigit vt rectè, & ſecundum prudentiam ſe gerat ad damnum euitandum; licet enim ſit in eodem tribunali cum Deo cum quo non ponit in numero in ordine ad hoc iudicium, tamen ſcientia iſta eſt in homine, qui illa poteſt vti, ſaluo ſemper ſigillo, & quod non faceret actionem per ſe illius reuelatiuam, ad hoc enim ſolum habet ius pœnitens, non tamen vt det illi id quod gratioſum eſt, & ad quod ipſe Confeſſor habebat ius non dandi ante auditam confeſſionem; non enim iſte ius ſuum amiſit, nec pœnitens reſpectu inferioris ius aliquod acquiſiuit vt daret illi ſuffragium, quia confeſſus eſt ſuam indignitatem. Legatur Syluius *vbi ſup. verſ. Nec eſt illa ordinis peruerſio*, & Layman, *infrà* citandus, qui *num.* 20. ex noſtro fundamento id neceſſario eſſe fatendum dicit ſecutus Ægidium Coninch *diſp. 9. de Pœnitent. dub.* 4. *num.* 54.

§. VIII.

§. VIII.

Tertia, & vltima conclusio quod regularibus id nullo modo sit licitum probatur.

SVMMARIVM.

172 *Regularibus nullomodo licet vti notitia habita ex præcisa confessione in ordine ad regimen regulare.*
173 *Omittenda est censura Fagundez circa propositum.*
174 *Confessor scit peccatum, vt Deus,*
175 *Fundamentum huius sententiæ.*
176 *Confessionis sigillum qua ratione ita strictum institutum sit à Christo Domino?*

172. DIcendum est tertiò, regularibus nullo modo licet vti notitia habita ex præcisa confessione in ordine ad regimen regulare. Sic Syluius *vbi sup.* Tannerus *num.*143. *regul.*3. Sanchez *de matrimon. lib.*3. *disp.*16. *à num.*3. Bonacina *num.*19. & multi quos citat ibi. Diana *tract.*4. *de Sacram. resol.* 76. vbi relata opinione contraria sic dicit: *Hæc opinio opus est vt non doceatur, nec in practicam adducatur, vtpote periculosa, & nociua honori, ac Religioni Sacramenti, & ideo contrariam sustinendam esse puto, quam Claudius Aquauiua Generalis Societatis, præcipit à Superioribus obseruari, & à Professoribus Societatis Iesu publicè, & priuatim doceri.* Sed huius Authoris censuram non admitto; est enim contra omnem antiquitatem Theologorum, vt vidimus, qui sine aliquo nocumento Sacramenti id esse secundum se licitum affirmant.

173. Quare etiam omittenda est similis censura quam dat Fagundez infra citandus *num.*2. in fine; eamdem sententiam sequuntur Layman *tom.* 2. *lib.*4. *tract.*6. *de Sacram. Pœnit. cap.*14. *num.* 22. Coninch *vbi sup. num.* 64. Delrius *lib.*6. *disquisitiou. sect.*2. Malderus *tract. de sigillo cap.*14. huius verba satis grauitate plena refert Diana *vbi suprà*, Fagundez *præcep.*2. *lib.*6. *cap.*3. *à num.*1. *vsque ad finem capit.* Ioannes de la Cruz *de Sacram. Pœnit. quæst.*6. *de sigillo dub.*1. *conc.*3. Basilius de Leon *lib.*5. *de Matrim. cap.*35. *num.*2. Filliucius *tom.*1. *tract.*4. *cap.*9. *num.*279. Hurtado *de Pœnitent. disp.*12. *diff.*9. Bañez 2. 2. *q.* 33. §. *nos inter.* Barbosa *in cap. si Sacerdos de Officio iudicis Ordinarij.* Hieron. Onofrius *de sigillo sect.* 4. *q.* 7. *dub.*4. *pag. mihi* 312. Sanchez *in select. disput.* 8. *num.*10. licet malè asserat id esse definitum *in cap. si Sacerdos de Officio Ordinarij.* non enim iste Author textum intellexit, & Eugenij intentum quod erat de finire iudicem Ordinarium non posse procedere nominatim contra aliquem quem criminosum scit, etiam si talis criminosus eidem iudici sit confessus in pœnitentia, nunquam enim excommunicabit eum ipsum exprimendo, quia sic proderet peccatorem, & sigillum confessionis frangeret *cap. omnis vtriusque sexus de Pœnitentiis, & remissionib.* sic Glossa ibi verbo *confessus.*

Et ad hoc propositum manifesta est ratio Pontificis, *quia non vt iudex scit, sed vt Deus*; iudex
174. enim ad excommunicandum aliquem nominatim, aut contra eum nominatim procedendum in iudicio, debet procedere secundum ordinem iuris, & allegata à partibus, non verò secundum id quod scit vt Deus in confessione, quia si in iudicio externo excommunicaret propter delictum positum in tribunali interno pœnitentiæ, absque dubio esset reus fractionis sigilli Sacramentalis. An vero possit Sacerdos, & Episcopus vti scientia in confessione habita ad aliud regimen absque eo quod reuelet, nihil determinat Pontifex.

Huius sententiæ fundamentum est, quia ex iure 175.
humano Pontificio sic determinatum est vt constat ex Motu proprio Clementis VIII. edito anno 1594. die 26. Maij: *Tam Superiores*, inquit, *pro tempore existentes, quam confessarij qui postea ad superioritatis gradum promoti caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Hæc ibi Pontifex vere Clemens; quamuis enim vsus iste scientiæ actus interior sit, qui non cadit sub præcepto humano, si prout interior est consideretur, tamen potest per suam legem Pontifex prohibere actum externum, aut priuationem actus externi, prout imperantur ab ista scientia sicut de facto prohibuit, & quidem non incongruis rationibus motus.

Quia ratio propter quam sigillum confessio- 176.
nis ita strictum est institutum à Christo Domino, est ne fiat Sacramentum pœnitentiæ formidabile hominibus, & odiosum; at nihil magis odiosum est, quam si pœnitentes intelligant posse à confessore priuari officiis, ordinibus, mutari in alia loca, & sibi negari suffragia ad communes honores; ad hoc enim quod homines retrahantur à confessione sat est si ipsi antecedenter sciant posse Superiores iuuari notitia confessionis ad regimen externum; cum enim Christus Dominus sub occultissimo sigillo Sacramentum hoc instituerit, vt homines fidentius ad illud accederent. Quæ fiducia maximè impediri videtur, si Superiores possent vti scientia habita in confessione ad regimen externum.

Alias rationes ad idem probandum omitto quas
adducit Fagund. quia videntur probare id esse illi- 177.
citum, etiam secluſa lege Pontificia, & tamen id non probant, vt vidimus §. 2. & 3. Religio enim Sacramenti, & sigillum solum violatur quando dictis, vel factis, vel alio quouis modo confessor prodit pœnitentem, vt dicitur *in cap. omnis de Pœnitentiis* quod non fit quando quis vtitur scientia in confessione habita, si vsus iste fiat eo modo quo diximus in Superioribus.

§. IX.

Variæ illationes præcedentium conclusionum educuntur.

EX prima conclusione conditionali aliquas veras consequentias, & illationes ibi fecimus. Alias tamen hic faciemus ex tribus conclusionibus positis, vt magis in particulari earum veritas demonstretur, & casus singulares decidantur.

§. X.

Si quis ſciat aliquos immiſſuros vino venenum tenetur deſiſtere à celebratione, etiam ſi dies feſtus ſit.

SVMMARIVM.

178 *Sacerdos tenetur, ſi ſciat in confeſſione aliquos maleuolos immiſſuros vino venenum ad ipſum enecandum, deſiſtere à celebratione, etiamſi ſit dies feſtus, & n. ſeqq.*

179 *Adducuntur verba Layman.*

181 *Proponitur difficultas, & reſoluitur.*

178. INfertur primò. Teneri Sacerdotem qui ſcit in confeſſione aliquos maleuolos immiſſuros vino venenum ad ipſum enecandum deſiſtere à celebratione, etiam ſi ſit dies feſtus. Sic tenent Fagundez *vbi ſup. lib. 6. cap. 2. num. 5.* Coninch. *diſp. 9. de Pœnit. dub. 4. num 54.* Layman *vbi ſup. num. 20. §. ſed contrarium.* cuius verba placuit referre. *Quia vt optime notauit Adrianus aliud eſſe facto ipſo alteri ſignare peccatum quod ex ſola confeſſione cognitum eſt; aliud vero reuelare confeſſionem peccati factam eſſe, nam illud prius nullo caſu fieri poteſt, abſque violatione ſigilli; at vero hoc poſterius interdum licitè fit quando ille alter peccatum aliunde manifeſtè cognitum habet. Sacerdos verò exhibet ſignum quod nullo modo expectatis omnibus circunſtantiis aptum eſt ad manife-*

179. *ſtandum peccatum ſecundum ſe, ſed ſolum ad peccati confeſſionem manifeſtandam iis qui peccatum ſecundum ſe antea cognitum habent; exempli cauſa, Si confeſſarius hominem ob publica latrocinia morte damnatum apud alios commendet, quod bene de peccatis ſuis confeſſus fuerit, nullo modo violat ſigillum, quia non exhibet ſignum quo cognoſci poſſit hunc hominem commiſiſſe latrocinia, ſed ſolum vt ij qui latrocinia eius ante cognita habent exinde colligant quod illa confeſſus eſt.*

Et ego pono exemplum aliud de publica meretrice quam ſi commendem apud aliquem di-

180. cens habuiſſe ardentiſſimam contritionem ſuorum criminum, non ſum reus ſigilli Confeſſionis, cum hæc verba ſolum denotent crimina huius fœminæ fuiſſe confeſſa, ſic in propoſito ſi Sacerdos ex confeſſione intelligens inſidias ſuæ vitæ parari eas tamen cautè declinat, aut fugiat vt impoſſibile ſit aliquem hominum ex hoc eius facto deuenire in ſuſpicionem, vel cognitionem peccati, ſeu conſpirationis, ſed ſolum vt illi qui conſpirationem antea cognitam habent, vnde coniiciant aliqui hoc peccatum Sacerdoti confeſſum fuiſſe, cenſeri non debet confeſſionis ſigillum reuelatum fuiſſe. Ex quo non improbabiliter infert Coninch. *num. 56.* tamen & ſi ponamus ex fuga Sacerdotis confitenti periculum imminere, ne à ſociis propterea occidatur, nihilominus tum fugere poſſe, cum id agendo ſigillum Sacramenti non violet, quapropter ius naturale ipſi permittit, vt vitam propriam alienæ anteponat.

181. Obiicies: exinde ſequi quod confeſſio hominibus odioſa reddatur ſi occaſione eius aliquis tantum periculum ſubeat.

Reſpondeo confeſſionem ſecundum ſe, & ſimpliciter odioſam non reddi, ſed tantum quatenus ſpectatur cum talibus circunſtantiis, quæ tam rariſſimè, aut vix vnquam concurrunt ac proinde talis caſus, potius ſpeculatiuus, quam practicus, & moralis cenſeri debet, vt notat Sanchez *lib. 3. de Matrimon. diſp. 16. quæſt. 1. num. 4.*

Ex qua doctrina Sapientiſſimi Patris colligitur 182.
in caſu noſtræ illationis teneri Sacerdotem non ſumere vinum quod veneno mixtum nouit ex confeſſione, quia tenetur ſi poteſt abſque fractione ſigilli, & abſque damno pœnitentis in vita, aut notabili nocumento in fama, ſuæ vitæ proſpicere, cum quis ex caſu poſito ſigillum non frangat, neque ex fuga, aut ceſſatione à Miſſa mors pœnitentis non ſequatur, ex vi præcepti naturalis conſeruandi vitam tenetur, aut fugere, aut venenum non bibere; imo addo hoc etiam habere verum, etiam poſito præcepto iuris humani de non vtendo ſcientia habita in confeſſione, quod præceptum humanum non obligat quando interponitur obligatio præcepti diuini naturalis.

§. XI.

Non poteſt confeſſor, ſi confitenti mortis periculum immineat, dicere Petrum ſibi confeſſum, maximè inter Hæreticos degentem.

SVMMARIVM.

183 *Confeſſor tenetur ſub ſigillo celare perſonam pœnitentis, quando ex eius manifeſtatione, etiamſi non manifeſtetur peccatum, ſequi poteſt ipſi pœnitenti graue damnum, quod in terris Hæreticorum maximè aduertendum.*

INfertur ſecundò, contra Layman *vbi ſup.* aſſe- 183.
rentem: *Si dominus hæreticus intellexerit aliquem ex ſuis famulis Sacerdoti confeſſum fuiſſe, mortemque ſerio minetur confeſſario, niſi dicat quiſnam ille ſit confeſſarius non prohibetur eum nominare; tamet ſi intelligat exinde mortem confitenti ſeruulo inferendam fore.* Hæc, inquam, doctrina, falſa eſt, & me quidem iudice improbabilis, quia confeſſor tenetur ſub ſigillo celare perſonam pœnitentis, quando ex eius manifeſtatione, etiam ſi non manifeſtetur peccatum, ſequi poteſt ipſi pœnitenti graue damnum, ex eo quod confeſſus fuerit, quod in terris Hæreticorum maximè aduertendum eſt, in quibus celandi ſunt pœnitentes ex vi, & reuerentia debita Sacramenti; ſi enim manifeſtari poſſent, confeſſio in illis regionibus odioſa fieret, & formidabilis, ex quo non paruus fructus ſpiritualis animarum impediretur. Quod ni contingat ſi ab hæretico quæratur an aliquis confeſſus fuerit, tenetur confeſſor non propalare etiam cum periculo propriæ vitæ, quia quamuis non frangeret propriè ſigillum, eſſet tamen cauſa quod confeſſio formidabilis fieret Catholicis occultis, in illis regionibus demorantibus.

§. XII.

Non potest confessor finita confessione colloqui cum pœnitente de peccatis confessis.

SVMMARIVM.

184 *Confessarius non potest finita confessione colloqui cum pœnitente de peccatis confessis.*

185 *Auctores qui sequuntur doctrinam huius corollarij recensentur.*

184. INfertur tertiò, non posse confessarium postquam absoluit pœnitentem ipsum de peccatis confessis colloqui etiam ad consilium, vel ad aliud quodlibet, vt admonendum quod desistat à patrando scelere quod intendit patrare, & multo minus ad improbanda, & reprehendenda peccata confessa; etenim sigillum Sacramenti non solum est respectu tertiæ personæ, sed etiam respectu ipsius pœnitentis, vt latè probant Fagundez, *vbi sup. cap. 5. num. 1.* qui *cap. 1. eiusdem libri n. 4. & 5.* optimè docet sigillum Sacramenti tam strictè obligare, quod inducat debitum non loquendi de re confessa cum ipso pœnitente ad quod non obligat secretum naturale, quod non impedit quominus quis loquatur de re secreta cum eo qui eam scit. Quare si plures Sacerdotes audiant eiusdem pœnitentis crimina non possunt de illis inter sese colloqui.

Idem corollarium contra Viualdum *in candelabr. 1. p. vbi de sigillo numer. 38.* & Medinam *in summ. q. 51.* probant Henriquez *lib. 3. de Pœnitent. cap. 20. num. vnico.* qui sibi contrarius non est quando *cap. 11. num. 1.* dicit, *quando ex causa publicè fit pœnitentia, vt olim mos erat, non tenetur confessarius ad sigillum*; etenim eo ipso quod pœnitentia fiat hoc modo pœnitens cedit iuri suo, & licentiam dat vt de suis criminibus quilibet loquatur, secundum ea quæ in Superioribus diximus, ex circunstantia enim publicitatis peccata scit confessor, non solum vt Deus, sed etiam vt homo, vt quilibet alius ex circunstantibus. Quod non aduertit Fagundez quando dicit Henriquez sibi esse contrarium. Sequuntur etiam doctrinam huius corollarij Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. vers. Quod si sciscieteris.* Ledesma *2. p. 4. quæst. 10. art. 5. dub. 6.* Palacios *dist. 21. disput. 2. §. ibidem*

185. *Deus.* Philiarchus *de officio Sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 3.* Angles *in 4. quæst. 3. de confessione art. vltimo diffic. 14. fol. 304.* Valentia *3. p. quæst. 15. punct. 8.* Tannerus *3. p. disp. 6. quæst 9. dub. 6. numer. 132.* Malderus *de sigillo cap. 10.* & est certa sententia; etenim confessor solum vt Deus scit peccata: ergo facto aliquo, vel signo per se ea significante nequit externè eam confessionem reuelare, nec de ea loqui; manifestè enim odiosa, & formidabilis redderetur, pudoreque, & ignominia pœnitentem afficeret in foro in quo non habet ius dicendi, vt optimè Vasquez *3. p. q. 93. art. 4. dub. 1. num. 2. & 3.* Neque *in cap. si Sacerdos.* contrarium innuitur, sed solum quod in secreto, vt ibi notat Glossa, *verbo admonere* id est, in confessione pœnitentem indispositum admoneat ne ad Sacram Synaxim accedat.

§. XIII.

Si scio aliquem futurum pernicioſum Reipublicæ, aut Communitati teneor ipsum non eligere.

SVMMARIVM.

186 *Si in conferendo suffragium ad alicuius electionem, quem in confessione scio fore pernicioſum Reip. aut Communitati Religioſa, si eligatur ad officium, possum ex tali notitia suffragium negare.*

187 *Ratio traditur.*

188 *Magister Nouitiorum non potest negare suffragium Nouitio ad profitendum, motus ex notitia alicuius vitij, habita in confessione.*

INfertur quartò. Quod si in conferendo suffra- 186.
gium ad alicuius electionem quem in confessione scio fore pernicioſum valdè aut Reipublicæ, aut Communitati Religioſæ, si officium ad cuius consecutionem datur electio, acquirat, possum ex tali notitia suffragium negare; imò & teneor, dummodo aliquo modo non manifestem, aut reuelem confessionem.

Ratio est manifesta ex dictis, quia secundum se non est illicitum vti scientia in confessione habita, vt vidimus conc. 2. & si possum, teneor, vt 187.
vidimus conc. 1. & quod non possit ex prohibitione iuris Ecclesiastici; hæc autem prohibitio, aut præceptum non obligat, quando interuenit alia maior, & strictior obligatio iuris naturalis, qualis est qua quilibet è Republica tenetur euitare damnum totius aut Ciuitatis, aut Prouinciæ Religioſæ. Exiſtimo tamen hoc damnum sequendum, quo præuiso quis deobligatur à præcepto Ecclesiastico, non esse quod electus malè fungetur officio, aut quod luxuriæ vacabit, aut faciet aliquod peccatum, quod non est contra bonum commune. Vnde addo Magistrum Nouitiorum non posse negare suffragium Nouitio ad profitendum, motus ex notitia alicuius vitij, habita in confessione, quia forsan profeſſus emendabitur 188.
disciplina regulari, aut pœnis afflictus, vt quotidie contingit; nisi sciat machinare aliquid contra bonum commune exequendum post profeſsionem.

§. XIV.

Non potest Prælatus regularis negare licentiam subdito ex notitia habita in confessione.

SVMMARIVM.

189 *Prælatus Regularis non potest negare licentiam subdito ex notitia habita in confeſsione.*

190 *Prælatus potest ex notitia habita in confessione, interius magis aduertere, vt notatis aliis signis, ex ipsis sufficienter motus, possit licentiam negare.*

INfertur quintò. Non posse Prælatum Regularem negare licentiam subditis, vt domo exeant aut solito diligentius inuigilare, aut ianitorem admonere vt videat, & attendat quæ sint perso-

næ quæ ad ianuam accedunt inquirentes pro Religioſis feneſtras claudere, muros erigere & alia huiuſmodi motus ex ſola notitia habita in confeſſione, aut Prælatum inferiorem, etiam nutu amobilem Prælatura priuare. Poteſt enim, vt ait S.Doctor citatus à Sylueſtro *verbo Confeſſio 3. num.9. Poteſt Prælatus ſine læſione conſcientiæ relinquere impunitum huiuſmodi peccatum.*

190. Ratio horum omnium eſt, quia ex vſu ſcientiæ habitæ in confeſſione odioſa redditur & formidabilis confeſſio; quod odium; & formidinem voluit auertere Summus Pontifex ſuo Decreto, & conſtitutione, vt ſic liberius Regulares accederent ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Verum eſt quod Prælatus ex notitia habita in confeſſione poteſt interius magis aduertere, vt notatis aliis ſignis ex ipſis ſufficienter motus poſ-
191. ſit hæc omnia perficere. In quo caſu non redditur odioſa, & formidabilis confeſſio ſecundum ſe, ſed ratione ſubditi malitioſi; neque enim ex huius malitia, & ex eo quod confeſſus eſt cum Superiore iſte amiſit ius quod habet ad hæc omnia, licet vt illa exequatur motus ex aliis indiciis ſolicitetur à notitia, quam habet ex confeſſione; quãuis enim Prælatus ius impeditum habeat per notitiam hanc ex præcepto Summi Pontificis, tamen ſi habeat alia indicia, & motiua de nouo ius eius impeditum non eſt, ſed manet ſicut antea.

§. XV.

Epiſcopus, & alij Sacerdotes non Regulares poſſunt vti notitia habita in confeſſione.

SVMMARIVM.

192 *Epiſcopus & alij Sacerdotes non regulares licitè poſſunt vti ſcientia habita in confeſſione in ordine ad regimen externum; iuxta opinionem probabilem.*

192. INfertur ſextò. Satis probabile eſſe Epiſcopos, & alios Sacerdotes non Regulares licitè poſſe vti ſcientia habita in confeſſione in ordine ad regimen externum. Ratio eſt, quia vt vidimus conc. ſecunda, id eſt licitum ſecundum ſe, & ſolum prohibitum præcepto Summi Pontificis, atqui hoc præceptum ſolum datum eſt pro Regularibus, & cum ſit reſtrictiuum poteſtatis licitæ, & honeſtæ non debet extendi ad non Regulares. Vnde Epiſcopus licite poteſt non conferre beneficium, aut dimiſſorias illis qui ſunt indigni cogniti in confeſſione. Similiter Sacerdos poteſt non reſignare beneficium, aut conſtituere hæredem illum quem male vſurum cognouit ex confeſſione, & alia plura. De quibus Fagundez ad longum *vbi ſup. cap.2. à num.3.*

§. XVI.

Oppoſitum eſt probabilius.

SVMMARIVM.

193 *Opinio oppoſita probabilior eſſe oſtenditur, & n. ſeq.*

193. DIxi hoc ſolum eſſe probabile, quia oppoſitum probabilius eſt; licet enim conſtitutio Clementis VIII. ad ſolos Regulares ſit directa, & ſit etiam odioſa, & reſtrictiua poteſtatis, tamen eſt lata in fauorem animarum, & ſic quando militat eadem ratio in non Regularibus ad eos extendi debet ſicut & omnis alia lex odioſa, quæ lata eſt in fauorem animarum. Sic Couarruuias *c. Alma p.2.§.4. num.7. verſ.3. & lib.1. variar. cap.12. num.5.* Marius Antonius Genuenſis *in practica Eccleſiaſtica. quæſt.* 541. Aymon *de antiquit. tempor. part.4.§. Redeamus num.*10. Villadiego *de extenſione legum. Rubric. de extenſione legis correctoriæ, & pœnalis num.* 80. Pariſius *de Reſignat. lib.12. quæſt.2. num.17.* Farinacius *in Fragmentis criminalibus part.1. littera E. num.11.* Sanchez *de Matrimon. lib.1. diſput.39. num.5. vbi §. Præterea.* plures alios citat, vt aſſolet. Quare 194.
ſicut lex irritans pœnam in Matrimonio non eſt pœnalis ſed ſpecialiter lata in fauorem animarum ad occurrendum peccatis, & ſcandalis, & ſic extenditur ad pœnam appoſitam in matrimonio ſpirituali Religionis, ita lex iſta Pontificia de non vtendo ſcientia confeſſionis pœnalis proprie non eſt, cum lata ſit ad euitandum odium, & timorem quem poſſunt concipere fideles, & ſic retrahantur à Sacramento Pœnitentiæ. Quare extendenda eſt ad ipſos, & alios Sacerdotes ſæculares, & etiam ad alios Religioſos qui ex peculiari priuilegio eximuntur à legibus Pontificiis pœnalibus datis ad alios Religioſos.

§. XVII.

Satisfit fundamentis primæ Sententiæ.

SVMMARIVM.

195 *Reſpondetur ad primum fundamentum primæ ſententiæ.*

196 *Reſpondetur ad ſecundum.*

QVamuis fundamenta primæ ſententiæ, quæ adduximus noſtram ſecundam concluſionem probent, quia tamen ſecundæ videntur aliquatenus oppoſitæ ea diſſoluere neceſſe eſt. Ad 195.
primum reſpondetur quod poſt confeſſionem habet confeſſor ius quod ante habebat ex præcepto Eccleſiaſtico impeditum, & ſic non poteſt licite illo vti, & ſic poſt confeſſionem rationabiliter conqueritur pœnitens ſi illi neget ſuffragium, quia ſine iure illud negat, & ſic patet ſolutio ad ſecundum.

Ad tertium reſpondetur, quod licet non frangat ſigillum, nec ſit fractionis reus, tamen facit odioſam & formidabilem confeſſionem, & ob 196.
hoc ſolum iure Eccleſiaſtico prohibetur ea vti. Illud autem quod addunt Authores illius ſententiæ iuxta dicta illatione quinta moderanda ſunt.

CAPVT XII.

Notabilia circa alias tres Regulas Sancti Doctoris.

SVMMARIVM.

197 *Regula ſexta adducitur, & quam ſit certa, oſtenditur; & magno Authorum nume-*

ro exornatur, & numero 198.

TRES aliæ regulæ ſuperſunt enodandæ ex his quæ poſitæ ſunt à Diuo Thoma in
197. articulo illo primo quæſt. 70 Duæ priores continent doctrinam circa obligationem teſtium, circa reuelanda, vel celanda ea quæ illis commiſſa ſunt ſub ſecreto naturali, & in tertia dicit Miniſtros Altaris compelli non poſſe ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis.

Igitur in ſexta regula in ordine dicit S. Doctor *quod ſi ea quæ alicui committuntur ſub ſecreto ſunt talis qualitatis, quæ ſtatim, ac ſciuntur, homo ea manifeſtare tenetur, vt ſunt ea quæ pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius perſonæ tenetur quis ea manifeſtare, vel teſtificando, vel denuntiando, & contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum.* Hanc concluſionem certam eſſe omnes fere quotquot ſcripſere docent
198. Sic Sotus *lib. 5. de iuſtitia, & iure quæſt. 7 artic. 1. conc. 3.* Salonius 2.2. *quæſt. 70. art. 1. controu. 3.* ibi Bañez *dub. 4.* Aragon, Caietanus, Siluius, & cæteri expoſitores, Summiſtæ *verbo Teſtis*, vbi Sylueſter *quæſt. 8. num. 8. dicto 1. & 2.* D. Antoninus 2. *part. tit. 1. cap. 19. §. 7.* Nauarrus *in cap. inter verba. coroll. 63. num. 702.* Sanchez *tom. 2. conſilior. lib. 6. cap. 5. dub. 1. num. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 6.* Tannerus 2.2. *diſp. 4. quæſt. 4. dub. 6. n. 116. & 117.* Bonacina *diſput. 10. circa Decalogi 8. qu. 3. punct. 3. num. 6.* Azor *tom. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 4.* & plures alij.

RESOLVTIO XXXIII.

Teſtis tenetur vltro ſe offerre ad ferendum teſtimonium, quo eripiatur particularis, vel communitas à damno.

SVMMARIVM.

199 *Quando crimina ſunt in damnum alicuius particularis, vel communitatis, &c. Teſtis tenetur vltro ſe offerre ad ferendum teſtimonium.*

200 *Probatur authoritatibus, & ratione.*

199. DVplicem partem continet regula hæc. Prima eſt quando crimina ſunt in damnum alicuius particularis, vel communitatis, damnum inquam, corporale, vel ſpirituale, tenetur quis lege ſaltem charitatis, aut iuſtitiæ legalis vltro ſe offerre ad teſtimonium ferendum, vt impediat quantum in ſe eſt damnum, quod tertio imminet futurum. Probat D. Thom. ex illo verſ. Pſ. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Secundò, quia qui poteſt innocentem liberare, cum ſine ſui notabili damno poteſt, & tacet, non offerens teſtimonium ſuum vt liberetur conſentit in eius iniquam condemnationem.
200. Quod reprobat Paulus *ad Rom. 1. Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* vbi *conſentire* eſt *tacere, cum poſſit redarguere, vt notat* ibi Gloſſa ordinaria D. Thom. *ibi lect. 8. in fine.* Cornelius à Lapide *num. ſuo 86.* & cæteri expoſitores. Tertiò, quia ex præcepto eleemoſynæ tenemur ſuccurrere extremè indigenti ne pereat: ergo & ferre teſtimonium vel ne pereat, vel ne damnum notabile in fama, honore, bonis fortunæ illi veniat. Quare vbi quis videt ad hoc ſuum teſtimonium prodeſſe poſſe, tenetur vltro ſe offerre ad teſtificandum.

RESOLVTIO XXXIV.

Etiamſi ſecreto naturali, aut iuramento ſit conſtrictus tacere.

SVMMARIVM.

201 *Teſtis in prædicto caſu tenetur, etiamſi ſecreto naturali, aut iuramento conſtrictus ſit, tacere.*

SEcunda pars huius regulæ eſt, ab hac obligatione non eximi illum cui hoc eſt commiſſum ſub ſigillo ſecreti naturalis. Adde & tu etiam ſi iuramenti religione ſe adſtrinxerit, ſi enim illicitum eſt in hoc caſu ſecretum ſeruare, certe iuramentum de illo ſeruando cum ſit prorſus de re illicita, ac per conſequens, cum non poſſit eſſe vinculum iniquitatis, nullam, inducit obligationem. Et quidem quod obligatio ſecreti in caſu huius regulæ nulla ſit, per ſe eſt manifeſtum, quia fidelitas ſecreti non obligat, quando interuenit damnum, tertiæ perſonæ, quod ſit maius quam reuelatio ſecreti 201.

RESOLVTIO XXXV.

Et ſi filius reſpectu Patris, & Pater reſpectu filij in criminibus læſæ Maieſtatis humanæ, aut diuinæ.

SVMMARIVM.

202 *Filius tenetur reſpectu Patris, & Pater reſpectu filij in criminibus læſæ Maieſtatis humanæ, aut diuinæ.*

203 *Quid ſentiat Abulenſis in caſu propoſito.*

204 *Eiuſdem verba referuntur.*

205 *Refertur Gloſſa* in C. litteras de præſumptionibus.

206 *Ratio prædictæ reſolutionis traditur.*

AMplia primò, regulam hanc ad filium reſpectu parentum, & ad parentes reſpectu filiorum de crimine læſæ Maieſtatis humanæ, aut diuinæ. Hanc ampliationem ſanciuit Deus in libro 202.
Deuteron *cap. 3.* dicens: *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius Matris tuæ, aut filius tuus, aut filia ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clam dicens: eamus, & offeramus diis alienis, ne acquieſcas eis, neque parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum.* in quæ verba D. Cyprianus *lib. de exhortat. Martyrij cap. 5.* dicit: *Si hoc fuit obſeruatum ante aduentum Chriſti, quanto magis poſt eius aduentum?* Caietanus etiam *in hunc locum* habet, eamdem eſſe rationem de Patre, & Matre quos occidere tenebatur filius ſi ad idololatriam ſuaderent, & ad minus tenetur denuntiare Patrem, & Matrem.

Sed huius contrarium acerrimè defendunt 203.
Abulenſis *ibi quæſt. 3. & lib. 3. reg. cap. 13. q. 16.* & Additionator, & defenſor maginalis ad præfatas quæſtiones. Et quidem quod non tenerentur filij occidere ſuos parentes in lege veteri mihi omnino

omnino certum eſt; non enim in aliquo caſu tenemur auferre vitam vitæ noſtræ Authori. Ob hoc in hoc loco parentes non exprimuntur; eſt enim ſummum debitum quo illis tenemur adeo quod dicat Toſtatus *quod nulli poſt Deum tantum tenemur quantum Patri noſtro; magis namque ei tenemur quam Angelis, & quam Apoſtolis, atque Beatæ Virgini Dominæ noſtræ, quia maius bonum ab ipſo recipimus, quam ab omnibus iſtis ſub Deo.* 204. *Quid ergo eſſet Patrem, aut Matrem occidere, quam totam naturam deſtruere?* Quæ omnia intelligi debent exaggeratione dicta ad denotandum ſummum debitum quo parentibus tenemur, & ſic aſſentior Abulenſi quantum ad hoc quod non poſſumus in quocumque caſu parentes occidere; ſicut Aſa non occidit Matrem ſuam idololatram, & idololatrarum fautricem 3. *reg.* 18. non tamen aſſentior quod debeat ipſos occultare, & non propalare hæreſim, ſi poſtquam moniti non reſipiſcunt; hoc enim videtur à Chriſto reprobatum, dicente *Luc.* 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem ſuam*, &c.

Sic defendunt Gloſſa *in cap. litteras de præſumptionibus.* 205. Hoſtienſis, & Panormitanus ibi, Archidiaconus *in cap. vt officium. §. veram* 20. *diſtinctio.* Ioannes Andreas *in cap. delictorum de teſtibus cogendis.* Nauarrus *in cap. inter verba à concluſione* 6. *num.* 327. Summiſtæ idem ſentiunt Syluester *verbo teſtis num.* 1. *quæſt.* 1. *dicto* 8. quos, & alios citat, & ſequitur Salonius 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 2. *controu.* 2. §. *prior pars.* Quibus ego addo Bonacinam *tom.* 1. *diſp.* 6. *de onere, & obligatione denuntiandi* §. 3. *punct.* 1. *num.* 6. Farinacium *tom. de hæreſi quæſt.* 19. §. 1. *num.* 40. *vſque ad* 46. vbi verſ. *& hæc contraria.* contra Simancas *tractat. de Patre Hæretico numer.* 41. ſentit quod filius non ſolum poteſt denuntiare Patrem Hæreticum, ſed quod etiam tenetur; & quidem ſi ab Inquiſitoribus interrogetur teneri etiam concedit ipſe Simancas, tam *ibi* quam *lib. de Cathol. inſtitution. tit.* 29. *rubric. de filiis*, &c. idem docet Peña *in ſuo director. p.* 2. *com.* 15. Paramus *de orig. Inquiſition. lib.* 8. *quæſt.* 8. *num* 83. Caſtro *de iuſta Hæreticor. punit. lib.* 2. *cap. vltimo.* Suarez *de fide diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 21. Sanchez *tom.* 2. *opuſculor. lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 6. *conc.* 4. & alij multi.

206. Ratio eſt, quia crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, & humanæ opponuntur, & deſtruunt bonum commune ſpirituale, & temporale, quare filius vt membrum Reipublicæ, quodcumque bonum particulare tenetur poſtponere, ne talis corruptio ſequatur.

Resolvtio XXXVI.

Tunc tenetur filius denuntiare Patrem quando iſte eſt dogmatizans.

SVMMARIVM.

207 *Filius tenetur denuntiare patrem Hæreticum quando eſſet dogmatizans, alios peruertens, &c. aliàs non tenetur.*

207. SEd hæc ampliatio limitanda eſt primò, quod filius teneatur denuntiare Patrem Hæreticum, quando eſſet dogmatizans; alios peruertens, eſſetque eius hæreſis valdè pernicioſa multis; aliàs non tenetur. Sic Sanchez *vbi ſup. num.* 9. *conc.* 6. citans Viguerium, Alenſem, Palacios, Rubium, Simancas. Et ſic intelligo ego Abulenſem *vbi ſup.* & latiſſimè probat Perez *lib.* 8. *ordinamenti tit.* 9. *lib.* 1. *à folio* 220. qui addit filios in hoc caſu non denuntiantes Patres non incurrere excommunicationem.

Resolvtio XXXVII.

Filia non tenetur denuntiare Patrem ſolicitantem in confeſſione.

SVMMARIVM.

208 *Filia non tenetur denuntiare patrem ſolicitantem in confeſſione.*

209 *Filius tenetur patrem hæreticum denuntiare, quando ad id obligatur poſt factam diligentiam, vt ipſam reducat ad gremium Eccleſiæ.*

ADde contra Bonacinam *vbi ſup.* non teneri filiam, aut filium denuntiare patrem qui ipſam ſolicitauit in confeſſione, quia hoc crimen etſi ſit grauiſſimum, & ſecum trahat ſuſpicionem de hæreſi; tamen non ita graſſatur in Rempublicam, ſicut hæreſis; quare ſicut iſtam filius non tenetur de patre denuntiare, niſi quando multis eſt pernicioſa, ita nec ſolicitationem. 208.

Addo ſecundò, filium teneri patrem hæreticum denuntiare, quando ad id obligatur poſt factam diligentiam, vt ipſum reducat ad gremium Eccleſiæ. Addo tertiò, poſt factam hanc diligentiam reducendi filium, ſi non reducatur teneri patrem ipſum denuntiare, etiam ſi filius non ſit dogmatizans, ſed hæreticus. Et ratio eſt quia non tenetur tam ſtricto iure pater defendere filium atque filius Patrem, vt bene notat Abulenſis. Vnde dicto cap. 13. Deuteron. Pater iubetur occidere filium Idolis ſacrum facientem, & non occultare ipſum, quod non iuberetur niſi eſſet conforme legi naturali. Et id ipſum iubetur Inquiſitorum edictis; atque ita pater reſpectu filij, & mater comprehenduntur, & incidunt in pœnas & excommunicationem, ſi non denuntient. 209.

Hoc autem debet intelligi, vt notat Salonius, quando hæreſis eſt in fieri, hoc eſt, perſeuerat in hæreſi, quia ſi iam emendatus eſt, & nullum timetur periculum recidiui, nec pater filium, nec filius patrem tenetur denuntiare, nec teſtificari, etiam ſi à iudice interrogetur; ſi enim iam emendatum eſt crimen, durum iugum eſſet hanc obligationem illis imponere. Eamdem limitationem patitur hæc ampliatio reſpectu criminis læſæ Maieſtatis humanæ, quando non eſt in fieri, ſed iam factum, & nullum timetur damnum, &c.

Resolvtio XXXVIII.

Si ſint alij teſtes poteſt filius non teſtificari contra Patrem, ſed melius eſt teſtimonium ferre.

SVMMARIVM.

210 *Filius poteſt non teſtificari contra patrem, ſi ſint alij teſtes.*

211 *Sed melius eſt teſtimonium ferre.*

212 *An id, quod dicitur de Patre & Matre reſpectu filiorum, & è contrà; idem dicendum ſit reſpectu reliquorum aſcendentium.*

213 *Religioſi*

213 *Religiosi tenentur post factam correctionem fraternam testificari, aut denunciare illum qui alios sollicitat ad peccandum.*

210. LImitat secundò, ampliationem perdoctus Magister Salonius *vbi supr.* quod filius teneatur testificari, & denuntiare Patrem, & è contra quando non sint alij qui commodè possint testificari, quia si existant, durum etiam mihi videtur exigere testimonium Patris contra filium, vel è contra in re adeo atroci, cum tunc necessarium non sit, sed ex aliis commode haberi possit. Imò ego addo quod etiam si alij existant, melius erit filio alios præuenire, & denuntiare, vt optimè
211. notant Sanchez *vbi suprà num.* 10. & Simancas *num.* 46. & 47. dicentes sic decreuisse Federicum Imperatorem quod Filius denuntians patrem hæreticum eximendus est ab infamia, & aliis pœnis positis filiis hæreticorum, est enim iste de Republica benemeritus; si quidem fidei ardore accensus nec proprio Patri pepercit.

212. An verò id quod dicimus de Patre, & Matre respectu filiorum, & è contra idem dicendum sit respectu reliquorum ascendentium, vt aui, proaui &c. Videtur negatiuè respondendum quia vt supra ex Caietano diximus, reliqui ascendentes à Patre, & Matre non sunt causæ per se filiorum, vnde istorum obligatio non videtur tam stricta, sed nihilominus contrarium etiam est probabile, quia pietas per se respicit omnes ascendentes.

213. Amplia secundò, Regulam S. Doctoris quod teneat verum in Religionibus quæ strictiore regula viuunt, & in quibus maxima viget obseruantia, quod quilibet tenetur post factam correctionem fraternam testificari, aut denuntiare illum, qui alios sollicitat ad peccandum, præcipuè in peccatis contra naturam, furtis, & similibus aleatum, & taxillarum, ludis immoderatis; hoc enim pertinet ad corruptionem spiritualem communitatis, & cedit in maximam illius perniciem. Quare ad hoc damnum quod imminet, semper quod adest ille sollicitator, tegendum, vel celandum non sat est vinculum secreti, aut iuramenti.

Resolvtio XXXIX.

Qua ratione inducat obligationem Edictum Episcopale manifestandi furem.

SVMMARIVM.

214 *Qualiter id quod scitur sub secreto reuelandum sit, quando publicatur edictum aliquod ab Episcopo sub pœna excommunicationis.*

215 *Ratione declaratur.*

EX doctrina huius regulæ colligitur qualiter quod scitur sub secreto reuelandum sit quando
214. publicatur Edictum aliquod ab Episcopo sub pœna excommunicationis. De quo latè Sanchez *vbi suprà dub.* 24. v. g. vt Scriptura compareat, vt res furtiua restituatur; si enim fur, aut occultator restituere tenetur ille qui hoc scit sub secreto, & fide silentij manifestare, & si non manifestat peccat mortaliter, & excommunicationem incurrit.

215. Ratio est, quia hîc non agitur per talem denuntiationem ad puniendum, sed ad satisfaciendum læso, qui damnum patitur, si adhuc scriptura extet; & fur rem furtiuam non consumpsit, & habet vnde possit satisfacere, tenetur sciens reuelare, denuntiando, etiam si ipse solus sciat, quia vt diximus non intenditur, nisi satisfactio. Quod si scriptura rupta, aut fur est impotens hic & nunc ad restituendum, & moraliter impossibilitatus aliquando restituere, non potest, nec tenetur reuelare, cum damnum inferat famæ proximi, vt nihil damnum passo proficiat.

Resolvtio XL.

Qua ratione subditus regularis teneatur delicta denuntiare suis Prælatis.

SVMMARIVM.

216 *Religiosi subditi non tenentur denuntiare delicta suis Prælatis, quando dubitant, an isti sint aliquod remedium adhibituri, &c.*

COlligitur amplius subditos Religiosos non 216.
teneri denuntiare delicta suis Prælatis, quando dubitant, an isti sint aliquod remedium adhibituri, & forsan aliquando sibi timent aliquod damnum, vel inimicitiam cum aliquo de quo delictum reuelat. Ita Sylvest. *verbo correctio q.* 20. *num.* 8. citans S. Antoninum 2. *p. titulo* 9. *cap.* 6. §. 4. & probat, quia inutilis videtur, & frustra talis manifestatio, quod adnotare volui, quia sic multi excusari possunt non manifestando delicta in visitationibus regularium, quia ex tali manifestatione nullum speratur remedium. Sic Bonacina *disp.* 6. *de onere denuntiandi punct.* 1. §. 4. *n.* 3. qui optimè addit id esse licitum quando probabiliter creditur nullum remedium adhibendum à Prælato: aut visitatoribus quia si solum dubitetur, an remedium sit applicandum, in dubio obediendum est Superiori præcipienti.

Caput XIII.

Septima Regula Sancti Thomæ enucleatur.

SVMMARIVM.

217 *Amicus, si quid sub secreto naturali mihi commisit, & non cedit in damnum publicum, aut alicuius particularis, non possum illud propalare etiam à iudice interrogatus, &c.*

219 *Probatur auctoritate & ratione.*

219 *Adducitur Barbosa in contrarium.*

220 *Euertitur fundamentum eius sententiæ.*

SEPTIMA Regula S. Doctoris est: *Quando vero sunt talia quæ quis prodere non tenetur; vnde potest obligari ex hoc quod sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris, quia seruare fidem est de iure naturali.* 217.

Ex qua regula colligitur quod illud quod quis amicus, vel quilibet alius sub secreto naturali mihi commisit, & non cedit in damnum publicum, aut alicuius particularis non possum propalare etiam à iudice interrogatus, vt præcepto, aut Sacramento obligatus. Sic est communis senten-

tia.

tia. Sic Leſſius *de iuſtitia lib.2. cap.30. num.45.* Nauarrus *cap. inter verba conc.6. num.300. & in ſumm. cap.18. num.60. & 61.* Corduba *lib.2.quæſtionar.quæſt.43.* Guttierez *lib.1. Canonicar.c.21. num.75.* Sanchez *vbi ſup. dub.24.num.4.* Sylueſt.
218. *verbo teſtis quæſt.8. verſ. ſecundum.* vbi contra Bonauenturam, & Summam Angelicam optima ratione defendit S. Thomas: *Quia in his in quibus quis per ſummum Prælatum, id eſt, Deum eſt liber ab inferioris imperio non ſubintelligitur excepta Superioris authoritas, quo caſu nulla eſt.* Tabiena *verbo Confeſſio 3. num.4. verſ. ſimiliter, quamuis antea dixerit, quod ſi ſuperior præcipiat teneatur reuelare in caſu in quo poteſt præcipere, quia acceptatio ſecreti non potuit præiudicare Superiori*; at D. Thom. dicit quod quando ea quæ ſub ſecreto accipit quis talia ſunt quod non vergant in damnum non poteſt Superior præcipere vt manifeſtentur. Eandem doctrinam tenent D. Antoninus *2.part.tit.1.cap.19.§.7.* Nauarra *de Reſtit. lib.2. cap.4 .num. 222.* Henriquez plures citans. *lib.25.de excommunicat. cap.18 num.5.* Paludanus *in 4.diſt.27. quæſt.2.art.3.caſu 9.* Bonacina *diſp.6. citata. punct.1.§.5.propoſit.1.* Suarez *diſput.20. de Pœnitent. ſect. 3. num.11.* Salonius *2.2. quæſt.70. artic. 1. in commentar. conc. vltima.* vbi Syluius Aragon, Bañez, Filliucius *tract.14.cap.2.quæſt.8. num.39.* Auila *de cenſur.diſp.5.dub.2.conc.3.* Clauis Regia *lib.12.cap.14. num.2.* Azor *3. part. lib. 13.cap.31.dub.5.& cap.28 dub.2.§. dubium eſt an Titius.* vbi optimè hanc rem enucleat Reginaldus *in praxi lib.24.num.47.* & alij plures.

219. Sed contra hanc reſolutionem ſic firmatam authoritate, & ratione tenet Barboſa *in cap. Qui ambulat 5.quæſt.5. num.2.* exiſtimans quod quando teſtis legitimè interrogatur à iudice tenetur aperire veritatem, & citat Innocentium, Panormitanum, Felinum, Capellam Maſcardum, & & tenent ex Theologis Sotus *lib.5. de iuſtit. q.7. art.1. ad 1.* & *de Secreto memb. 2. quæſt.7. conc.4.* Bonauentura *in 4. diſt. 21.* Eman. Rodriguez *in Summ.tom.2.cap.7.num.10.* Fundamentum huius ſententiæ eſt quia Fides ſecreti non obligat contra ius *l.iuriſgentium §. ait Prætor D. de pactis.* & *l.pacta. quæ contra C. eodem.* atqui ſi quis teſtis interrogatus iudice præcipiente taceat veritatem, etiam ſub ſecreto acceptam facit contra ius iudicis, & ſuperioris qui præcedente infamia, aut ſemiplena probatione habet ius ad compellendum teſtes, vt veritatem manifeſtent: ergo etiam ſi hæc accepta ſit ſub ſecreto tenebitur reuelare, aliàs dabitur bellum iuſtum ex vtraque parte.

Sed hoc fundamentum non ſubſiſtit, quia, vt aiebat Sylueſter *vbi ſup.* hoc ius Superioris non poteſt eſſe contra ius quod habet quis ex lege na-
220. turali, vt fides ſecreti ſeruetur, non enim eſt ius illud ſpeciale, ſed legale, ius autem vt ſeruetur fides ſecreti ſpeciale eſt, ac per conſequens iudex iſte interrogat, ſed iudex procedit ex ignorantia quod veritas quam inquirit ſit ſub ſecreto accepta à teſte qui non poteſt eam propalare in iudicio, atque ita non datur bellum iuſtum ex vtraque parte.

* *
*

Resolvtio XLI.

Quod tenetur quis fidem promiſſi ſecreti ſeruare, etiam ſi damnum illi ſequatur ſi ſic promiſit.

SVMMARIVM.

221 *Secreti promiſſi fidem tenetur quis ſeruare, etſi ſequatur illi damnum notabile, ſi ſic promiſit.*

EX doctrina huius regulæ Magiſtralis colligitur primò, cum Maldero *2.2. tract.6. cap.2. dub.8.* teneri quem ad fidem ſilentij, etſi ſequatur illi damnum notabile, ſi promiſit eam ſeruare, etiam ſi hoc damnum illi immineat; niſi hoc damnum creſcat, vt ſi dum exiſtimet futurum in bonis fortunæ in mediocri quantitate, & dum ventum eſt ad occaſionem quantitas iſta notabiliter excreuit, aut ſi putauit damnum imminere in bonis fortunæ, & imminet in fama, aut vita, aut exilio ad longum tempus: ſi enim dum promiſit ſilentij fidem hoc damnum non præuidit non cenſetur ſe voluiſſe obligari ad illud ſubeundum. 221.

Resolvtio XLII.

Si quis dubitat an iudex iuſtè interroget ſeruanda eſt fides ſilentij.

SVMMARIVM.

222 *Silentij fides ſeruanda eſt, quando dubitatur an iudex iuſtè interroget.*

COlligitur ſecundò, cum eodem, quando agitur de liberando aliquem, etſi regulariter loquendo in dubiis ſemper ſit ſtandum pro Superiore, & illi ſemper obediendum, cum ſtet in poſſeſſione ſui iuris, & poteſtatis, tamen in caſu præfato quando dubitatur an ſit obligatio ſeruandi fidem ſilentij, quia dubitatur an iudex iuſtè interroget, melior eſt conditio teſtis poſſidentis ſuam libertatem, vt docuit Salonius *2.2. quæſt.69. art.2.controu.10.* Similiter in dubio fauendum eſt reo, potius quam iudici, & actori. 222.

Resolvtio XLIII.

Aduocatus non poteſt teſtificari, etiam interrogatus à iudice, contra fidem ſilentij.

SVMMARIVM.

223 *Aduocatus etiam interrogatus à iudice non poteſt teſtificari contra fidem ſilentij.*

COlligitur tertiò, quod aduocatus non poteſt teſtificari etiam interrogatus à iudice de eo quod aliquis litigantium circa ſuam litem propalauit; quamuis enim non exigatur explicitè fides ſilentij, & ſecreti, tamen ſi materia id exigit, ſemper implicitè talis fides implicitè exigitur, & ſic eodem modo obligat. Vnde fit quod nec Chirurgi, Obſtetrices, Tabelliones, Procuratores, Medici, Conſiliarij, & alij huiuſmodi quibus aliqui ſuas 223.

suas fragilitates declararunt, aut aliquid simile, etiam interrogatæ à iudice cum iuramento debent occultare veritatem; nisi sit in damnum proprium, aut alterius, quod magis damnosum sit quam reuelatio secreti ei qui illud commisit sub fide silentij. Sic Sanchez, Salonius, Bonacina, & multi ex adductis pro nostra sententia locis citatis. Addunt Sanchez *num.* 7. Nauarra, & alij quod si reuelent mortaliter peccent, cum transgrediantur præceptum naturale in re graui.

CAPVT XIV.

De vltima regula remissiuè.

SVMMARIVM.

214 *Quando, & quomodo personæ priuilegiatæ, & Ecclesiasticæ possint, & teneantur, siue in criminalibus cum potestate, siue in ciuilibus, remissiuè.*

CIrca vltimam regulam multa erant tractanda dubia, sed maiori ex parte pertinent ad Canonistas, & legumperitos. Quando autem, & quomodo personæ priuilegiatæ, & Ecclesiasticæ possint, & teneantur, siue in criminalibus cum potestate, siue in ciuilibus, res est magis ad punctum iuris attinens quam ad Theologum Moralem. 214

TRACTATVS SEPTIMVS,

DE VOCVM ÆQVIVOCATIONE, ET NOMINVM RESTRICTIONE MENTALI.

GRAVIS quidem controuersia, cuius decisio ad humanum conuictum maximè necessaria reputari debet. Cum enim homines signis sensibilibus vtantur, quæ ex impositione humana destinata sunt ad proprios conceptus mentales exprimendos, ex quorum recta significatione societas humana maximè pendet in ordine ad ea quæ tractant, & homines negotiantur publicè, aut priuatim, videndum est an liceat huiusmodi signis eorum restringendo per occultam intellectionem significata. In qua controuersia, & cum Hæreticis est agendum reprimendo eorum petulantiam, & insuper cum Catholicis qui nimis habenas laxant huiusmodi mentalibus restrictionibus.

CAPVT I.

Reprimitur Hæreticorum insolens petulantia contra Doctores Catholicos.

SVMMARIVM.

2 *Liber cuiusdam Hæretici, in quo reprehenditur praxis & vsus Catholicorum circa restrictionem mentalem, &c.*

3 *Recensentur quanam reprehendat iste hæreticus & num. seqq.*

7 *Reprimitur Hæreticorum insolens petulantia contra Doctores Catholicos, & probatur ex variis scripturæ locis licitum esse absolutè loquendo, & non indecens naturæ intellectuali mutare nomen proprium, & vti æquiuocatione amphybologica, &c. & numer. seqq.*

13 *Probatur auctoritate, & ratione, & numer. seqq.*

19 *Respondetur ad argumenta in contrarium, & num. seqq.*

VIVSDAM Anonymi Hæretici ann. 1609.
2. quidam liber cuius extat titulus: *Capitula doctrinæ Iesuitarum, & quorumdam aliorum Pontificiorum Doctorum.* in cuius libri capite 4. valdè traducitur, & reprehenditur praxis, & vsus Catholicorum circa restrictionem mentalem, & circa significationis nominum comprehensionem, & ipsorum æquiuocationem ex libera loquentis intentione.

Vnde reprehendit Hæreticus iste in Catholicis, primo quod dicant licitum esse vti fraudu-
3. lenta duplicitate coram Magistratu Hæretico, item nomina, vt vestes mutare, fingere, & refingere, & veritatem tegere, & occultare, quando ita expedire visum fuerit. Ita Nauarrus *ad cap. humanæ aures* 2. 2. *q.* 5. dicens, *liberum esse Catholico se esse Catholicum occultare.*

4. Secundò quod licitum sit occultare veritatem, & coram iudice Catholico ex eo solum quod reus, aut testis habeat prætextum quod hic, & nunc non legitimè interrogetur, aut à non competenti iudice, id quod ferè omnes Catholici docent, vt supra latè, & probauimus licitum esse in tali casu vti æquiuocatione, & non respondere secundum interrogantis mentem. Vnde si custodes murorum, & ciuitatum tempore pestis ab aliquo sub iuramento inquirant an de loco infecto veniat, vel ipse infectus sit, non tenetur respondere secundum interrogantis mentem, sed æquiuoce, vel restringendo mentaliter nominum significationem. Quod etiam tenet Samuel Lumblinus *in summ. verb. iuramentum num.* 18.

5. Tertiò quod licitum sit, & non teneatur quis proximo suo, etiam Catholico respondere secundum suam intentionem, sed quod liceat amphibologia vti, & interrogantes decipere.

6. Quartò, quod nostri dicant quod ars amphibologizandi vtilis sit, & bona, prouidentia laudabilis, & vera virtus, prouidaque defensio, & ideo laudabile esse prouerbium: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.*

7. Hæc sunt quæ Anonymus ille Catholicis nostris obiicit. Sed quis non videat nullius momenti esse, & efficaciæ contra doctrinam quæ sacris litteris est comprobata exemplo virorum sanctitate fulgentium, & rationum pondere fulta; est enim verissima doctrina intellecta, & correcta per ea quæ in sequent bus dicemus; nec enim Catholicus quilibet omnem doctrinam aliorum Catholicorum tenetur defendere (nunquid & tu hæretice hoc facis in doctrina aliorum hæreticorum, etiam eiusdem sectæ, & Religionis) solum enim lege amicitiæ, & fraternitatis, quamdiu doctrina alicuius Doctoris nostri inter nos censura non est digna ab incursibus hæreticorum defendere, & tutari.

8. Et quidem licitum esse absolutè loquendo, & non indecens naturæ intellectuali mutare nomen proprium, & vti æquiuocatione, amphibologia, & restrictione mentali eo modo quo infra dicemus, adeo certum est quod sit error in fide id negare; constat enim manifestè ex Sacra Pagina ex qua ad longum id possumus probare. Sed quia breuitati consulit, id solum tribus, aut quatuor locis veteris, & noui testamenti comprobabo.

9. Primus sit Matth. *cap.* 24. *num.* 16. vbi Christus discipulis interrogantibus quando futurus esset dies iudicij generalis quando venturus est iudicare viuos, & mortuos, respondit: *De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum.* & Marcus *cap.* 13. addit, *neque filius, nisi solus Pater.* vbi si non liceret vti aliqua æquiuocatione, aut amphibologia correcta, vt infra dicimus, vel Christus ignorans, vt ex hoc loco Hæretici Agnoitæ collidebant, aut Christus mentitus esset, at neutrum illi competere potest, cum sit plenus gratia, & veritate; ideo autem non est mentitus quia vere dicebat quod solus Pater, hoc est, Deus id scit, ex intrinseca scientia diuina; Christus autem etsi id etiam vt homo sciret, tamen non ex vi scientiæ à natura humana prouenientis, sed à diuina infusione. Ita intelligunt hunc locum fere omnes Ecclesiæ Patres Hieronymus, Chrysostomus, Origenes, Beda, Theophylactus ibi, Augustinus *lib. quæstion.* 83. *quæst.* 63. Athanasius *serm.* 3. *contra Arrianos.* Nazianz. *orat.* 4. *de Theologia num.* 60. Cyrillus Alexandrin. *lib.* 9. *thesauri cap.* 4. Ambros. *lib.* 5. *de fide c.* 8. D. Tho. 3. *p. quæst.* 10. *art.* 2. vbi omnes expositores. Legatur P. Vasquez *ibi disp.* 51. *cap.* 3. Qui summa diligentia vt assolet Patres plures citat in huius loci intelligentiam.

Secundus locus est Lucæ 24. *num.* 28. vbi dicit 10.
quod Christus apparens duobus discipulis euntibus Emmaus, *dum appropinquarent Castello quo ibant, & ipse finxit se longiùs ire.* In quæ verba S. Augustin. *lib.* 20. *quæstion. Euangelicar. cap.* 51. sic ait: *Cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* quem locum refert S. Thom. 2. 2. *q.* 111. *ar.* 10. *ad* 1. Quæ fictio aliqualis simulatio est, etsi non propria qua vsus est Christus, etiam si videret discipulos putaturos se habere voluntatem longius abeundi. Vnde in textu Arabico habetur: *Et ipse erat in existimatione eorum quod iret in locum distantiorem.*

Tertius locus sit Exodi 32. *n.* 8. vbi Deus aliud 11.
demonstrat habere in locutione externa quam haberet in sua mente, quando dixit Moysi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Et sic optime ille alter: *A fraude iusta nec Deus quidem abstinet.* vnde dicitur in Osea cap. 2. *Ducam eam in desertum, & ibi seducam eam.* & sic in *l. Labeo D. de dolo malo* dicitur: *Posse sine dolo malo aliud agi, aliud simulari.* legatur Scotus *in* 3. *dist.* 20. vbi optime, & acute distinguit modos simulationis licitos, aut illicitos.

Quartus locus sit Tobiæ *cap.* 5. *num.* 18. vbi 12.
Raphael Angelus dixit seniori Tobiæ: *Ego sum Azarias magni Ananiæ filius*, vbi non solum nomen proprium tacuit, sed aliud diuersum apposuit, vt se occultaret vsque ad opportunum tempus seipsum manifestandi. Vnde Athanasius *in Synopsi* dixit; *Raphael comitatus est illum in specie hominis qui Azarias diceretur. Alias*, inquit Augustinus *serm.* 226. *de tempor. si diceret ego sum Angelus non esset Tobiæ Mercenarius.* Et sic licita est nominum mutatio, quando adest licita causa mutationis, quamuis ex ea mutatione futura sit interrogantis deceptio.

Legantur ad hunc locum Lyranus, Hugo 13.
Cardinalis, & Carthusianus. Qui optimè aduertunt Angelum non fuisse mentitum, cuius contrarium blasphemans dixit impudens Vvitherus *lib.* 1. *contra Martyrem Campianum fol.* 77. vt contra ipsum alij etiam hæretici notarunt vt Drucius ad hunc locum, & Caluinus *ad cap.* 31. *Genes.* vbi excusat à mendacio Angelum quando dixit: *Ego sum Deus Bethel.* Quæ omnia satis doctè aduertit Serarius *in Quæstiunc. ad præfatum*

tum cap. 5. Tobiæ. Legatur etiam Malderus *in opusculo de Restriction. mental. abusu cap. 12. sect. 1.*

Vnde egregiè S. Aug. *lib. de mendacio ad Consentium* dixit: *Mendacium est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi: non est autem falsa significatio, vbi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si rectè intelligatur.* Legantur ad hoc propositum idem Augustinus *ibidem cap. 10. & lib. 16. de Ciuitate c. 20.* Abulensis *ad cap. 12. Genes. quæst. 32. §. reddebat autem.* vbi concludit quod quando Abraham in- 14.
struxit Saram vt diceret Regi sororem esse, non docuit Saram mentiri, sed veritatem occultare; quod si non egisset valde grauiter peccaret, tentando Deum: recte ergo possumus veritatem catholici occultare ad euitandum damnum, quod vel religioni, vel nobis ipsis imminet. Legatur idem Abulensis *quæst. 31. ad cap. 24. Matth.* ad illa verba *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui?* vbi profunde de hac materia fatur.

15. Addo id quod non parum confirmat nostrum placitum aduersus hæreticos quod cum Sacra Scriptura ad homines data, & reuelata sit absque suspicione mendacij, præteritum ponitur pro futuro quod late probant Ambrosius *lib. 3. de fide, cap. 4.* Leo Papa *serm. 16. de Passione* August. *lib. de serm. Dom. in Monte cap. 42.* & *lib. 1. de Genesi contra Manichæum cap. 7.* Gregorius *lib. 34. Moral. cap. 20.* Hieronymus *ad cap. 5. Isaiæ.* & Nazianzenus *orat. 3. de Theolog.* Et est indubitatum apud omnes Patres, & expositores; imo & præteritum pro præsenti, vt doctè satis ostendit Ioannes de Payua *in doctrinali S. Scripturæ lib. 3. cap. 13.* legatur etiam *cap. 22.* vbi explicat illud Christi dictum absque mendacio de Ioanne Baptista, *Matth. 11. cap. num. 14. Ipse est Helias qui venturus est.* Legatur S. Thom. 2. 2. *quæst. 110 art. 3. ad 3.*

16. Ex quibus omnibus, & aliis pœnè innumeris, quæ omitto, liquido constat non esse oppositum virtuti veracitatis vti aliquando æquiuocatione aut restrictione mentali, aut nomen proprium mutare, aut occultare veritatem etiam si sciatur per talem occultationem decipiendum fore interrogantem, quando ad hoc faciendum subest rationabilis causa, & iusta excusatio.

17. Neque hic Catholicæ veritati, quidquid garriant Hæretici, aliquid officiunt ea quæ notauit Anonymus ille. Non primum, quia Magistratus Hæreticus in his quæ ad Religionem attinent non habet iurisdictionem interrogandi, ac per consequens Catholicus licitè illi occultat veritatem quocumque modo illam occultet, dummodo absque mendacio vtatur æquiuocatione figurata, locutione dicendo vnum, & tacendo aliud, & restringendo mentaliter vocum significationem. Vnde licitè vt liberius Catholicam doctrinam semiplenam, aut securius negotietur, potest mutare vestes Religiosas, & regulares in sæculares illis regionibus consuetas. Nunquid id non faciunt omnes Hæretici? dum negotiandi causa, aut suam falsam doctrinam seminandi regiones adeunt Catholicorum. Excipio tamen cum Ca-
18. tholicis expositoribus D. Thoma 2. 2. *q. 3. art. 2.* vestes quarum gestationem significent ex suo proprio instituto aliquam falsam Religionem, vt sunt vestes Sacerdotum idololatrarum, & aliæ huiusmodi.

19. Ad secundum respondetur ita esse quod veritas indubitata est apud omnes Catholicos, Theologos, Canonistas, & iurisprudentiæ Doctores, quorum authoritas magis penderet, quam hæreticorum impudens querela. Illud etiam quod additur si petatur iuramentum ab aliquo si veniat ex loco peste infecto, quidam ex nostris tenent quod si ipse qui interrogatur peste infectus non sit, possit respondere vtendo æquiuocatione, aut restrictione mentali, & non respondere iuxta mentem interrogantis.

Sed hoc mihi non placet, quia etiam si ille qui 20.
interrogarur re ipsa non habeat pestem, ita occultari potest in vestibus quæ postea grassetur ad reliquos, sicut sæpè contingit. Amplius quia si in hoc casu licita est æquiuocatio in illo qui reipsa infectus non est, dabitur locus aliis qui infecti interrogantur, vt tali æquiuocatione vtantur. Quare cum res ista magni ponderis sit, nunquam ratio generalis legis cessat, quæ fuit omnibus modis euitare periculum contagij.

Ad tertium in sequentibus latius respondebimus, & explicabimus qualiter ars æquiuocandi, & restringendi mentaliter nomina licita sit, & honesta.

CAPVT II.

Aliqua prænotantur, & verus sensus controuersiæ inter Catholicos Doctores aperitur.

SVMMARIVM.

21 *Mendacium nullo casu licitum est, etiam pro redemptione totius generis humani.*

DE fide est, & sic apud Catholicos indubita- 21.
tum nullo casu licitum esse mendacium, etiam pro redemptione totius generis humani, vt latè probant expositores D. Thom. 2. 2. *quæst. 110. & quæst. 111.* & videri possunt Bañez, Salonius, & Lessius, Syluius *quæst. 110. art. 3.* qui id confirmant ex Scriptura, & Patribus, vt enim notat S. Doctor *quæst. 110. art. 3. ad 4.* mendacium non solum est malum ex malo quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione, qua non licet vti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum, sicut non licet furari ad dandam eleemosynam, & ideo hoc vt certissimum supponens ad alia pergo quæ ad hanc controuersiam decidendam me vocant.

RESOLVTIO I.

Quod abusus æquiuocationis, & restrictionis mentalis malitiam habet mendacij, vel ad minus virtuti simplicitatis oppositam.

SVMMARIVM.

22 *Æquiuocationis abusus, iuxta multos Auctores, mendacij malitiam continet, virtuti veracitatis oppositam.*

In quo consistat mendacij malitia? ibid.

23 *Veritas siue veracitas constituitur à D. Thoma specialis virtus.*

24 *Simplicitas pertinet ad virtutem veritatis.*

25 *Afferuntur verba D. Thomæ* quæst. 11. art. 3. ad 2.

26 *Mendacij ratio formalis vnde colligatur, & num. seqq.*

28 *S. Augustini* verba in Enchirid. ad Laurentium cap. 22. adducuntur.

29 *Ex vi virtutis simplicitatis, & veracitatis tenetur quis dum loquitur proximo suo ad conformandum verba sua non solum menti, & intentioni propriæ, sed etiam menti eius cui alloquitur, & n. seqq.*

32 *Ratio huius doctrinæ traditur.*

33 *Veracitas propriè inclinat ad non mentiendum.*

34 *Fallacia, & mendacium idem dicuntur.*

35 *Præcedens doctrina roboratur, magisque declaratur, & num. seqq.*

MVlti ex Authoribus quo infrà adducemus satis probabiliter existimant quod abusus æquiuocationis, & mentalis restrictionis solius mendacij malitiam contineat virtuti veracitatis
22. oppositam. Quare prius libandum est in quo consistat mendacij malitia quod rectè præstari nequit, nisi cognita prius quidditate, & essentia virtutis veracitatis, cui opponitur mendacium.

Igitur S. Thom. 2.2. *quæst.* 109. *art.* 2. veritatem,
23. siue veracitatem constituit specialem virtutem, quia est specialis ratio bonitatis moralis secundum quod exteriora nostra vel verba, vel facta debitè ordinantur ad aliquid; sicut signum ad significatum, & ad hoc perficitur homo per virtutem veritatis. Vnde simplicitas secundum quod dicitur per oppositum duplicitati, qua, scilicet, aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius, pertinet ad hanc virtutem excludendo du-
24. plicitatem qua homo vnum prætendit, & aliud intendit. Et *art.* 3. *ad* 1. dicit, quod quia homo est animal sociabile naturaliter vnus homo debet alteri id sine quo societas humana seruari non potest; non autem possent homines ad inuicem conuiuere, nisi sibi inuicem crederent tanquam sibi inuicem veritatem manifestantibus. Vnde *q.* 111.
25. *art.* 3. *ad* 2. dicit: *quod ad simplicitatem pertinent directè se præseruare à deceptione, & secundum hoc virtus simplicitatis est eadem virtuti veritatis, sed differt sola ratione, quia veritas dicitur secundum quod signa concordant significatis; simplicitas vero secundum quod non tendit in diuersa, vt scilicet aliud intendat interius, & aliud prætendat exterius.* Hæc ibi.

Ex qua doctrina colligit S. Doctor *quæst.* 110.
26. *art.* 1. *in corp.* rationem formalem mendacij dicens: virtus veracitatis, & per consequens opposita vitia, in manifestatione consistit, quia fit per aliqua signa, quæ quidem manifestatio, seu enuntiatio est rationis actus conferentis signum ad significatum, in quantum tamen huiusmodi manifestatio, siue enuntiatio est actus moralis oportet quod sit voluntarius, & ex intentione voluntatis dependens: obiectum autem proprium manifestationis est verum, vel falsum; intentio verò voluntatis inordinatæ potest ad duo referri, quorum vnum est quod falsum enuntietur; aliud est effectus proprius falsæ enuntiationis, vt scilicet aliquis fallatur: si ergo ista tria concurrant, scilicet quod falsum sit id quod enuntiatur, & quod adsit voluntas falsum enuntiandi, & iterum intentio fallendi tunc est falsitas materialiter
27. quia falsum dicitur, & formaliter propter voluntatem falsum dicendi, & effectiuè propter voluntatem falsitatem imprimendi; sed tamen ratio mendacij sumitur à mortali falsitate, secundum hoc, scilicet quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi.

¶Vnde egregiè S. August. *in Enchirid. ad Laurentium cap.* 22. *Sunt enim verba*, inquit, *instituta non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur vti ad fallaciam non ad quod instituta sunt peccatum est.* Hæc ibi. 28.
Quod sequitur Bernardus in sententiis, quarum vna *num.* 40. est: *Chaos magnum inter nos firmatum est, nisi interueniente quasi instrumento verborum fiat ad inuicem transitus quidam cordium in communicatione cogitationum hac necessitate inuenta sunt verba.* Hæc ibi. Ad hoc Chaos tranandum inclinat virtus simplicitatis, & veritatis cui opponitur directe mendacium, Cæterum aduertit S. Thomas *quæst.* 109. *art.* 1. *ad* 3. quod contra veracitatem peccatur, & per excessum quando quis ea quæ sua sunt imporrunè manifestat, & per defectum quando occultat quod manifestare oportet.

Ex quibus principiis clare, & manifestè colli- 29.
gitur quod ex vi virtutis simplicitatis, & veracitatis tenetur quis dum loquitur proximo suo ad conformandum verba sua non solum menti, & intentioni propriæ, sed etiam menti eius cui alloquitur; si enim huic præcipue interroganti non conformat verba læditur ius, & debitum. Colgitur ex illo principio quod posuit Doctor Angelicus ad probandam veracitatem esse partem iustitiæ, quia vnusquisque debet alteri id sine quo societas humana seruari non potest; si autem licitum esset non conformare sua verba menti interrogantis vsurpando verba sua intentione ad aliud quam societas humana ea solet accipere commercium politicum euerteretur, & semper esset rationabilis timor an loquens verba vsurparet in communi significatione ad manifestandum id quod significant, & sic non sibi inuicem crederent.

Deinde ex alio principio idem colligitur quod 30.
simplicitas formaliter habet hominem præseruare à deceptione proximi sui, vnde veracitas dicitur simplicitas secundum quod non tendit in diuersa, vt scilicet aliud intendat interius, & aliud prætendat exterius; atque ita tenetur se conformare menti interrogantis, ne iste decipiatur iniuste si alio sensu formarentur verba, quam ipse audiens intendit.

Et confirmatur manifeste quod sermo mixtus ex mentali restrictione, & voce externa oppositus sit veritati, secundum quod simplicitas est; repugnat enim simplicitati ea mixtio quæ non aduertitur, neque aduerti potest à proximo qui se puram mentem tuam hautire putat; atque ita per se ex locutione tua mixta sequitur deceptio cum proximus nullum habeat principium ex quo colligat insinceritatem, & mixtionem loquelæ suæ.

Id ipsum constat ex illo Apostoli *ad Ephes. ca-* 31.
pite 4. *num.* 20. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quia sumus inuicem membra.* In quæ verba S. Thom. lect. 8. ait: *Membra se inuicem diligunt, & mutuo se iuuant in veritate.* & Chrysostom. ibi: *Nihil est quod æque pariat inimicitias, atque decipi, & falli.* Inimicitia autem societati hominum est opposita, ad quam conser-

uandam

uandam veracitas inclinat, atque ita non ſolum vt quis conformet verba menti ſuæ, ſed etiam menti interrogantis ne decipiatur, & ſoluatur amicitia. Legatur D. Iſidorus *lib. 1. de ſummo bono. cap. 32.*

32. Ratio huius doctrinæ eſt quia ex vi ſocietatis humanæ, & ex vi virtutis veracitatis debet quis ſic proferre verba quod euitetur deceptio in mente proximi, quia ex vi huius virtutis tenetur conformare dicta ſecundum communem vſum ſignificantia, cum propria mente: ergo non poteſt malagmate æquiuocationis, aut reſtrictionis mentalis corrigere vocum ſignificationem, & illud quaſi dimidiare & mutilare, & offerens proximo orationem mutilam, & decurtatam, ex qua eius deceptio ineuitabiliter ſequitur; etenim oratione iſta mixta ex voce ſignificante, & reſtrictione mentali pure interna vere decipitur proximus, & habet effectum mendacij, qui effectus ſemper quoad fieri poſſit euitandus eſt.

Confirmatur, quia ſi quis mihi interroget, num viderim Petrum & ego dicam: Non vidi, intelligens non vidi Romæ, cum viderim Hiſpali, certe per hæc verba addita non vidi Romæ, non corrigitur mendacium reſpectu proximi, ſed ſolum reſpectu mei, ſibi autem propriè quis non mentitur ſicut nec verax eſt. Vnde hæc mentalis reſtrictio non corrigit ſermonem externum qui in ordine ad proximum ſemper manet mendacio affectum proximus enim cum conſtet ex anima, & corpore non attendit ad conceptum internum loquentis, niſi prout ſignificatur per voces, aut facta, quæ non immutantur ex vi reſtrictionis mentalis. Quare veracitas obligat vt quis loquatur ſecundum mentem interrogantis. vnde ſatis docte Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap. 38. Iuſta, & digna præſcriptio eſt in omni quæſtione ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis. Cæterum ad aliud conſulenti aliud reſpondere dementis eſt.*

33. Cæterùm aduertendum eſt, & maximè ne contrarij nugentur quod veracitas propriè inclinat ad non mentiendum, vt ſcilicet quis conformet ſigna ſignatis, & quod non habeat intentionem dicendi falſum, diſcordans dicta à conceptu, in quo formaliter ſitum eſt mendacium. Cæterum ſimplicitas inclinat ad non vtendum reſtrictione mentali, vt ſcilicet aliud intendat interius, & aliud prætendat exterius vt proximus decipiatur; quamuis enim non intendat explicite quod proximus decipiatur, & ex hac parte deficiat à mendacio, tamen eo ipſo quod reſtringit mentaliter pure orationem ad quam proximus non poteſt deuenire ex aliquo ſigno, aut circunſtantia externa, deceptio per ſe ſequitur, & aliud interius intendit, & aliud ſaltem implicitè prætendit exterius. Et ita habet duplex cor, & rendit ad diuerſa, & ſic non habet ſimplicitatem; & quamuis non eſſet propriè mendax, eſſet tamen propriè duplex habens cor. *Væ autem duplici corde, & labiis ſceleſtis Eccl. cap. 2. n. 14.*

34. Hoc idem clarè docuit Auguſtinus *lib. de conflictu virtutum, & vitiorum cap. 19.* (ſi liber eſt Auguſtini) docens quod fallacia, & mendacium vnum dicuntur, fallacia autem fit ingenio, mendacium autem ſimplici verbo. Quod exemplis declarans fallaciam ponit in amphibologia, vt ſi quis petenti reſpondeat, non habeo quid tibi poſſim dare, occultans quod ſibi reſeruat dicit eſſe fallaciam; ſi vero ſimpliciter reſpondeat, *non habeo*, dicit vocari mendacium; vnde fallacia, & mendacium idem ſunt re, ſed ratione differunt, ſicut ſimplicitas, & veracitas & ſic fallacia ſimplicitati, mendacium veritati opponitur.

Totum hoc confirmatur ex doctrina Sapientiſſimi Doctoris Franciſci Suarez *tom. 2. de Religion. tract. 5. lib. 3. cap. 11. num. 4.* vbi poſtquam hæc meditatus ſum probationem, & doctrinam egregiam inueni; aſſerit enim quod vtens amphibologia, æquiuocatione, aut oratione mixta ex voce externa, & reſtrictione mentali non mentitur proprie, nec peccat defectu veritatis, aut per contrarietatem falſitatis, ſed per nimiam occultationem veritatis reuelandæ, & per quamdam circumuerſionem doloſam, quæ licet ſine rigoroſo mendacio fiat, ſimplici veritati contraria eſt. 35.

Et quidem propriè non eſſe mendacium ex eo liquet, quia dum quis vtitur verbis ambiguis, & oratione mixta, licet teneatur vti ſenſu quem verba ex ſua impoſitione habent; tamen iſte abuſus verborum non tollit quin verba ſuam ſignificationem habeant, quam ſecundum ſe habent, vel poſſunt habere; atque ita licet iſte talis peccet peccato oppoſito ſimplicitati, poteſt tamen loqui in ſenſu vero intendens non aliud ſignificare, quam quod habet in mente. Vnde non mentietur, cum *mentiri propriè ſit contra mentem ire*; peccat tamen quia ex tali modo locutionis ſequitur iniuſta deceptio, & eſt per ſe ſimulata locutio indebita. Vnde huic ſimulatæ locutioni iuramentum ſi adiungatur eſt peccatum contra religionem; non tamen eſt proprie periurium, cum ibi non deſit veritas, eſt enim vera locutio, etſi imprudens, deceptoria, & ſimulata, & duplex oppoſita ſimplicitati quod certe docuit Caietanus 2.2. *q. 89. art. 7. § adhoc dicitur*, vbi ſic dicit: *Si vero non interueniant verba falſa, ſed plures ſenſus habentia, & in vno vera, & in alio falſa, & à iurante intenduntur in ſenſu in quo ſunt vera, ſi non eſt in iudicio, aut materia præiudiciali, quamuis ſit intentio vt audiens fallatur abſque peccato mortali fit tale iuramentum, quia eſt veritas, & iuſtitia, licet diſcretio deficiat. Quare non debet diuinum teſtimonium his miſceri quaſi duplicitatibus; ſi autem artificioſè compoſita verba dicuntur cum iuramento, vera quidem, ſed non penetrabilia ab audiente niſi falſo, ceſſante præiudicio iuris, & hominis, abſque peccato fieri poteſt quando contingit huic iuramento omnes tres adeſſe conditiones, cum ſcilicet ex rationabili cauſa fit.* Hæc ibi ſatis illuſtrè, & ex Caietano ſumpſere Bonacina, & Sanchez *infra* §. *ſequenti* citandi. 36.

Verum eſt vt ſatis doctè aduertit Paulus Layman infrà citandus quod qui vtitur reſtrictione mentali, aut ſermone amphibologico duplicem habet in mente cogitationem, ſicut de mentiente dixit Auguſtinus *lib de Mendacio cap. 3.* Vna eſt rei quam exterius loquitur, & ſignificat, vt ſi dicat ſe non aperuiſſe feneſtram, cum enim ſciens, & volens hæc verba ad ſignificationem falſam omnibus circunſtantiis determinata ad alterum dirigit, & ſic contra mentem loquitur, non quidem abſolutè, ſed ſecundum quid hæc verba profert ad falſum ſignificandum cum falſum ſit abſolutè ſe non aperuiſſe feneſtram. Alia eſt cogitatio quæ in mente retinetur, & per verba nullo modo exprimitur, quo videlicet reſtringis te apud te ipſum ſolum, quod menſe præcedente feneſtram 37.

ſtram non aperuiſti, & hac ratione nec falſum dicis, nec mentiris, cum nihil de hac cogitatione ſecunda exterius proferas, mendacium enim eſt ſignum externum alteri intimatum.

Resolvtio II.

Quomodo licitus ſit vſus æquiuocationis, & amphibologiæ.

SVMMARIVM.

38 *Æquiuocationis, & amphibologiæ vſus quomodo ſit licitus?*
39 *Idem dicendum de reſtrictione mentali, ac de Amphibologia dictum.*
Verba Malderi ibid. & n. 40.
41 *Prædicta ſententia exornatur ſuis auctoribus & n.* 42

38. DIxi ſupra contra Hæreticos licitum eſſe aliquando vti æquiuocatione, & ſermone amphibologico. Prius tamen quam cum Catholicis diſputemus enucleandus eſt modus quo licitus ſit hic vſus. Et in quo omnes Doctores Eccleſiæ Romanæ conueniunt. Quia tamen modum iſtum licitum perſpicue ſatis traddidit Reuerendiſſim. Ioannes Malderus Epiſcopus Antuerpienſis in ſuo libello de hac controuerſia edita, quia libellus iſte non ita manualis eſt, placuit eius verba adducere, ſic enim loquitur *cap. 12. ſect. 2. Nota ſecundo, quandò ratio iuſta id poſtulat, licet vti verbis, ſenſu non intelligendo ab audiente, etſi inde futurum ſit vt ipſe erret, atque ita licebit vti verbis amphibologicis, etiam in ſenſu minus obuio, abeſt enim mendacium, vt ſuppono; aliud enim incommodum non incurrit, præter nudum errorem circa ſenſum verborum; alioquin ſi audiens ex illo errore alia incommoda incurrat, vel alicui tertio alia incommoda eueniant, oportebit prudenti iudicio ponderare an ratio quæ eſt pro amphibologiæ vſu præponderet iſtis incommodis.*

39. *Noto tertiò, eodem modo quo de amphybologico ſermone ſumus locuti, etiam iudicare nos poſſe de reſtrictione mentali, quando ea aliquomodo verbis exterioribus propter circumſtantias ſignificatur. Quod facilius fit quando interroganti reſpondemus; poſſumus enim ſenſum interrogationis eo modo accipere ab ipſo quando exorbitans non ſit, ſed quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat, v. g. Si inquirat de aliquo quod ſecretum eſſe debet, poteſt ei reſpondere quaſi neſciat, quia debebat non vlterius inquiri, quam quatenus reuelari poteſt v. g. cum ſis Legatus Regis interrogatus ab illo Principe ad quem miſſus es An Rex cogitet inferre bellum tali Prouinciæ reſpondebis rectè te neſcire, etiam ſi ſcias quia interrogans debebat exigere ſcientiam huius ſecreti, cum ea reſtrictione, ſi dicere id ſibi liceat, & quia nemo præſumitur peccare merito præſumis non alio ſenſu te eſſe interrogatum; dicens ergo te neſcire, eo ſcilicet modo vt liceat dicere, ſatisfacis importunæ interrogationi eius exorbitantiam quodammodo reducens ad modum debitum; quando enim reſtrictio mentalis aliquomodo in verbis indicatur, dum hic, & nunc, & tali occaſione & cum eiuſmodi circunſtantiis proferuntur non eſt maior in eius vſu difficultas, quam in caſu amphibologici ſermonis; eoque modo poſſunt Dei, & Chriſti Domini, ac Sanctorum verba accipi, quæ ſubintellecto aliquo videntur indigere vt verificentur.*

40. *Si ergo ratio ſubſit ſic loquendi, & abſit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet, licebit tibi vti reſtrictione, aut ſubintellectione mentali; falſitas enim, & mendacij deformitas ceſſat, quia etiam iſti mentis conceptui qui rei reſpondet verba reſpondent in quodam ſuo ſenſu. Vbi obſeruo differentiam inter caſum quo locum habet reſtrictio, ſic vt debeat dicere, & illum quo locum habeat reſtrictio ſic vt poſſit dicere, prior locum habet, quando indebite actu exercito interrogans tanquam debitam exigit reſponſionem, vt de vſurpante officium iudicis; alter tamen ſemper locum habet quando non poteſt dicere quod ineerrogaris; qui enim petit à te reſponſum, cum nemo præſumatur malus, aut male agere, merito cenſetur petere reſponſum poſſibile, ſalua lege diuina, aut naturali, ac æterna; meminiſſe tamen oportet ſemper ſatius eſſe quando id fieri commodè poteſt, ſilentio, aut alio diuerticulo euadere, quam tali verborum artificio, vt quam perfectiſſimè abſtineamus ab omni ſpecie mali.* Hactenus effatur Sapientiſſimus Vir.

41. Quam ſententiam, & modum vtendi æquiuocatione, & reſtrictione mentali defendunt Saarez *vbi ſup. cap.* 10. & Caietanus *ibi* citatus, Salonius 2.2. *q.* 69. *art.* 2. *contron.* 11. *ration.* 4. *& ad* 1. *&* 5. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 90. *&* 91. Sanchez *de præcep. Decalog. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 15. *&* 16. Toletus *lib.* 4. *ſumm. cap.* 21. *num.* 9. Barboſa *ad cap. vtilem* 2. 2. *q.* 2. & Nauarrus *ad cap. humanæ aures q.* 3. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia cap.* 42. *dub.* 9. Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. §. *interim vero.* vbi aſſerit ſe non negare omnem mentis reſtrictionem, ſed eam tantum quæ aliena eſt ab hominum loquentium conſuetudine; ſeu quæ in externa locutione neque explicitè, neque implicitè ſignificatur. Bonacina *circa* 2. *Decal. præceptum diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 12. *num.* 3. Syluius 2.2. *quæſt.* 79. *art.* 7. *quæſit.* 3. *conc.* 5. Coninch *diſp.* 20. *de actib. ſupernatural. dub.* 3. *conc.* 3. Tannerus 2.2. *diſp.* 6. *q.* 2. *dub.* 1. *aſſert.* 1. *num.* 28. Valentia *diſp.* 5. *q.* 13. *punct.* 2. *& diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 4. Azor 1. *p. lib.* 11. *cap.* 4. *quæſt.* 5. Filliucius *tract.* 25. *cap.* 11. *quæſ.* 1. Clauis Regia *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 26. Rodriguez *in ſumm. cap.* 191. *numer.* 7. Villalobos *in ſumm. tract.* 36. *diff.* 6. *tom.* 2. Lumblinus *in ſumm. verbo iuramentum num.* 18. qui omnes pro certo habent, quod quando ſubeſt rationabilis cauſa poſſit quis vti reſtrictione mentali eo modo quo ex Maldero retulimus, & approbauimus, quia ſaltim implicitè datur intelligi ex circunſtantiis occurrentibus talis æquiuocatio, & mentalis reſtrictio.

Igitur difficultatis, & controuerſiæ cardo eo vertitur, vtrum ſecundum ſe ea oratio quæ falſa erat ſine reſtrictione mentali, poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione mentali pura, itaut externo ſigno, neque implicitè neque explicitè talis reſtrictio denotetur, & ſic à mendacio, & cordis duplicitate ſit libera.

Caput

CAPVT III.

Adducitur ſententia affirmans circa principale intentum huius Tractatus.

SVMMARIVM.

41 *Vtrùm ſecundùm ſe ea oratio quæ falſa erat ſine reſtrictione mentali, poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione mentali pura, itaut externo ſigno neque implicitè, neque explicitè talis reſtrictio denotetur, & ſic à mendacio, & cordis duplicitate ſit libera? adducitur ſententia affirmans multis rationibus munita, & n. ſeqq.*

42. CIRCA præſentem controuerſiam inter Catholicos plurimi affirmatiuam ſententiam defendunt, ſic Valentia, Salonius, Suarez, Leſſius, Reginaldus, Toletus, Sanchez locis citatis, Villalobos, Lumblinus. Quibus adde Sylueſt. *verbo iuramentum* 3. *q.* 2. *&* *verbo iuramentum* 4. *q.* 7. *§.* 2. Angelum *verbo iuramentum* 5. *n.* 9. Tabienam *verbo iurare quæſt.* 13. Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *miſcellan. reſolut.* 30. Sanchez *in ſumma lib.* 3. *cap.* 6. *à num.* 11. Peſantium 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 4. *diſput.* 1. Stephanum Emonerium *diſput. de hac re edita cap.* 9. *& ſeqq.* Raynaudum erudito libro de hac re edito, per totum quidem omnino Stephani Emonerij. Diana nullum fundamentum à ratione petitum ponit, ſed ſupponit fundatam ab aliis Authoribus. Quod ſæpè Author iſte facit non ſine iniuria Theologiæ Moralis, quæ rationibus etiam vtitur in omni ſua concluſione.

43. 44. Sed hæc ſententia probatur primò, (omiſſis locis S. Scripturæ, de quibus D. Tho. 2. 2. *q.* 109. *art.* 9. *ad* 3.) quia verba ſunt ſigna, & notæ paſſionum animæ. & conceptuum mentis, vt docet Ariſtoteles 1. *lib. Perihermenias.* ergo ad ipſorum veritatem ſufficit quod menti meæ reſpondeant, etiam ſi non reſpondeant menti interrogantis; non enim tenemur interroganti totam noſtram mentem aperire, ſed poſſumus ei vnam ſolam partem explicare, & aliam reticere, quod fit in reſtrictione mentali; quamuis enim hæc reticentia adſit, non tamen ipſam locutionem falſam efficit; ſiquidem loquens non intendit illud quod ſolitariè ſumptum eſt falſum ſolitariè affirmare, ſed ſolum vt eſt coniunctum verbis tacitè, & mentaliter intellectis, quibus iunctis oratio illa efficitur mixta, & abſolutè vera.

45. Secundò, quæ per iocum dicuntur neminem ſeducunt, aut fallunt, eo quod ioco eſſe dicta noſcuntur; ita etiam reſtrictiones mentales, quando in materia debita introducuntur non decipiunt cum ſatis notum ſit etiam veraces ſolere artificio reſpondere ſimilibus interrogationibus.

46. Tertiò, quia ſi partem orationis alta voce proferam quæ poſſit percipi ab audiente, vel interrogante, & alteram partem ſubmiſsè, itaut non audiatur, quamuis illa pars alte producta falſa ſit niſi coniungatur iſti, quæ non auditur, tamen abſolutè eſt vera, quia reipſa, & cum effectu vtramque partem coniunctam profero: ergo etiam oratio mixta ex voce externa, & reſtrictione mentali vera erit, etſi ſolum voce externa falſa cenſeatur.

47. Quartò, qui illegitimè interrogatur poteſt tam liberè verba ſua vſurpare ad ſignificandum ſenſum, quem vult, ac ſi ſibi ſoli loqueretur, atqui apud ſe poteſt verba, quæ profert, accipere eo ſenſu quo ſibi placuerit, cum nullus ſibi propriè mentiatur: ergo etiam quando non legitimè interrogatur. Antecedens autem probatur, quia per interrogationem nihil iuris amittit loquens.

48. Quintò, ex cap. *intelligentia de verbor. ſignificat.* vbi habetur: *verba ſunt intelligenda non ſecundum quod ſonant, ſed ſecundum mentem proferentis.* Ex quo textu Tiraquellus *l. ſi vnquam numer.* 48. *C. de reuocandis donationibus.* Souſa *de largitione munerum fundament.* 3. *num.* 29. Mantica *de coniectur. vltimar. voluntat. lib.* 3. *titul.* 3. *num.* 9. & plures alij, quod verba debent ſeruire intentioni, non intentio verbis, & quod verba pendent à mente non mens à verbis; vnde iſta ſe habent vt corpus, intentio autem & mens vt ſpiritus, & anima vt notant Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ Gloſſa* 48. *n.* 56. Quæ doctrina fundari videtur in illo Apoſtoli: *littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Idem videtur denotari *in cap. humanæ aures* 2. 2. *q.* 5. vbi S. Gregorius dicit, *quod in diuino iudicio verba homines æſtimant non qualia foris ſonant, ſed eo ſenſu quo loquens ea intellexit.*

49. Sextò, verba externa mere materialiter ſe habent ad mendacium, & nihil prorſus refert ſiue vera, ſiue falſa in ſe ſint, ſed ſola proferentis mens attendenda eſt, ſiquidem mendacium formaliter conſiſtit in deformitate verbi ad mentem loquentis: cum ergo loquens vtens oratione mixta non intendat aliud verbis afferere, aut negare, quam ipſe concipit, verba non aduerſantur menti, atque ita non eſt mendacium.

50. Septimò, quia mendacium non conſiſtit in falſitate in mente interrogantis impreſſa, aliàs non liceret vti verbis ex ſe ambiguis; nec conſiſtit in vſurpatione verborum quæ ex communi vſu loquendi eam amphibologiam non admittunt, ſed mendacium conſiſtit in intentione negandi eam ipſam veritatem, quam quis concipit, quod non contingit quando quis vtitur oratione mixta ex mentali reſtrictione, ſed diſparata quædam veritas ab illa quam voces deberent ſignificare, ſignificatur ſaltem inadæquatè per illa verba, etiam ſi amphibologia ſit extraordinaria.

51. Octauò, quia vt docet S. Thom. 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. mendacium non ſolum committitur verbis, ſed etiam factis, atqui non mentitur quis ſi aliquo facto dirigendo greſſus verſus aliquam partem, ad quam ire non intendit, non volens ſignificare animum illuc eundi habere, etſi videntes id concipiant, ſed tantum vult occultare animum ſuum aliò eundi: ergo eadem reſtrictione mentali poteſt vti in verbis abſque mendacio.

52. Nonò, quia compoſitio, & prolatio orationum ſignificantium mentem, liberè fit pro hominis loquentis voluntate: ergo poteſt illas componere ex partibus diuerſarum rationum, vna externa, & interna, aut intellectuali altera. Conſequentia probatur, quia vnum integrum ſignum componi poteſt ex ſenſibili, & inſenſibili, vt conſtat in Sacramento Pœnitentiæ quod componitur ex confeſſione externa, & contritione interna, & in Sacramento Euchariſtiæ quod conſtat ex ſpeciebus externis, & Chriſto ibi inuiſibiliter exiſtente.

CAPVT IV.

Sententia negatiua, vt vera, enucleatur, & adstruitur.

SVMMARIVM.

53 *Sententia negatiua, quod non liceat absolutè vti restrictione mentali in communibus locutionibus, &c.*

53. SENTENTIA negatiua quod non liceat absolutè vti restrictione mentali in communibus locutionibus, quod saltem implicitè non significetur exterius per verba externa prolata, attento iure interrogantis, & officio respondentis, aut eorumdem obligationibus, & consideratis aliis quæ secundum præsentem iustitiam occurrunt, si verba secundum communem loquendi vsum talem restrictionem non admittunt, aut ex sua saltim interpretatiua communi impositione æquiuocationem, aut amphibologiam non patiantur. Sic tenent ex Authoribus citatis, supra Caietanus, Layman, Coninch, Bonacina, Syluius, Tannerus, Malderus quibus adde Rebellum *de obligation. iustitiæ, part.* 1 *lib.* 4. *quæst.* 10. Sydonium *contra Epistolam Isaaci Casauboni cap.* 5. & 8. Sotum *de iustitia, & iure. lib.* 5. *quæst.* 6. *art.* 2. *conc.* 7. Alcocer *in summ. c.* 15. Cordubam *in Summ. quæst.* 65. Ledesmam 2. *part. Summ. tract.* 8. *cap.* 24. *post sextam conc. dicto* 3. Lopez 1. *p. instructo. cap.* 42. *versic. item qui non.* Puente Hurtado 2. 2. *disp.* 18 §. 47.

§. I.

Augustini testimonio probatur.

SVMMARIVM.

54 *Negatiua sententia multis Diui Augustini auctoritatibus comprobatur, & numeris seqq.*

54. HÆc sententia, quam verissimam existimo, probatur primò, *ex cap. nec artificioso* 2. 2. *quæst.* 2. quod desumptum est ex Augustino *lib. de conflictu vitiorum, atque virtutum cap.* 19. vbi habetur: *Nec artificioso mendacio nec simplici oportet decipere quemquam.* In quæ verba Glossa ibi: *verbo artificioso vt si hoc modo dicat, iste equus nescit scandere arborem, intelligens quod nesciat ire sic per pontem, & vbicumque aliquid obscure & ambigue loquitur, vt habetur l. ita fides D. de iure fisci.* Ita Glossa, & quidem satis secundum huius libri authoris sensum; dixerat autem *quod fallacia est dum quis dicit, non habeo quod tibi tribuere possim celans vtique in corde qui habet, vel qui tibi conseruet, vel quod aliis, si voluntas inest, tribuat.* Quid clarius?

55. Et quidem hanc esse ipsissimam Augustini mentem manifeste constat ex *lib. de mendacio capite* 13. *tom.* 4 *operum Augustini in fine cap.* 15. vbi sic ad propositum eleganter loquitur: *De falso testimonio quod in decem præceptis Decalogi positum est, nullo modo quidem contendi potest dilectionem veritatis in corde seruandam, & præferendum falsum ad cum quem dicitur, testimonium cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda est, cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum est, quia homo non est cordis inspector.* vbi Augustinus fundamentum principale huius sententiæ posuit, quod infra expendam.

56. Et quidem, me iudice, contra hanc restrictionem mentalem, & orationem mixtam ex vocali quæ vt prolata est exterius falsa est; vera tamen secundum quod pure interius, & intellectualiter restringitur contra hanc, inquam, mixtam orationem existimo disputasse S. Augustinum *in lib.* quod scripsit *contra mendacium*, præcipue contra quosdam Catholicos qui exterius se reputabant, & simulabant Priscillianistas, vt horum latebras penetrantes ipsos Christo lucrifaceret; referens enim S. Doctor horum errorem *cap.* 2. sic dicit: *Hoc tam magnum malum mendacij, ideo iustum existimant, quia dicunt in corde retinendum esse quod verum est; ore autem ad alienos proferre falsum, nullum est peccatum.* Hæc ibi. Et quid est hoc, obsecro? nisi vti oratione mixta vocali quæ falsa est nisi veritate interius concepta restringatur, vt scilicet audiens decipiatur, qui non iudicat de veritate interius concepta, & retenta, sed de voce exterius prolata, quæ vt expressa exterius, & in conuictu, & societate humana falsa est.

57. Quem abusum sic Sanctus Doctor redarguit ab inconuenienti, *cap.* 4. *Si enim suspicantur etiam ipsa catholica dogmata non mendaciter loqui, vt ne sero quid aliud occultemus, quod verum putamus corde talia suspicanti dicturus est hoc tunc ideo feci vt caperem te. Sed quid respondebis dicenti, vnde igitur sero vtrum etiam nunc id facias ne capiaris à me? an vero cuiquam persuaderi potest hominem non mentiri ne capiatur, qui mentitur vt capiat? vide ne quo tendat hoc malum, vt scilicet non solum nos illis, ipsique nobis, sed omnis frater omni fratri non immerito videatur esse suspectus, atque ita dum per mendacium tenditur vt doceatur fides id agi potius vt nulli habenda sit fides.* Hæc Augustinus satis doctè, & argutè.

58. Quamuis enim directè agat contra Priscillianistas veros, qui asserebant licitum esse negare fidem exterius dummodo retineatur interius, & contra Catholicos qui se Priscillianistas simulabant, tamen argumento quod retulimus horum omnium fundamentum potissimum euertit quod scilicet sit licitum vti oratione mixta falsa prout exterius significat, & vera dumtaxat ipsi loquenti, quia veritate interius concepta falsitas illa vincitur interius. Et quis dubitat quod si ab Hæretico Priscillianista Tyrannus interrogaret an esset Catholicus credens in Christum, dum responderet se Catholicum non esse, & hoc etiam firmaret iuramento, retenta tamen fide Catholica interius quod oratio illa *non sum Catholicus*, exterius prolata modificatur, & restringitur per conceptum veritatis interius retentæ, & sic faciat hunc sensum, *non sum Catholicus tibi*, vel *vt tibi dicam.* quam falsam doctrinam à maximo absurdo reiicit Augustinus, *quia non immerito omnis frater omnis fratri videtur esse suspectus.* Quare Priscillianistarum fundamentum restrictio mentalis, & oratio mixta erat, quod euertit Sanctus Doctor.

Quod latius confirmat *cap.* 7. dicens, *Quis ita euanescat, vt existimet A postolum Petrum hoc habuisse*

habuisse in corde quod in ore quando Christum negauit ? nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foras mendacium proferebat. Cur lachrymis diluit, quod ore negauerat ? cur loquens in corde suo veritatẽ, tam amaro fletu puniuit mendacium? quod ore deprompsit? nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad iustitiam, sed ore non confessus est ad salutem. Quibus clare Augustinus restrictionem mentalem quam potuit habere D. Petrus non admittit, vt eum excusset à mendacio, sicut multi voluerunt eum excusare. Vt D. Ambrosius itaut dum dixit *Non noui hominem*, interius per veritatem fidei retentam restringeretur illa oratio, & faceret ipsi Petro hunc sensum. *Non noui hominem purum*, & tamen hoc dicere, inquit Augustin. *Mendacium fuit foris prolatum, quod lachrymis, & amara pœnitentia diluit.* Vnde Augustinus S.Petrum redarguit, non solum quia fidem negauit exterius quod opponitur præcepto affirmatiuo confitendi exterius fidem *quando & vbi oportet*, sed quia mendacium protulit dicendo *Non noui hominem*, retenta fide interna quæ orationem illam externam limitabat, restringebat, coarctabat.

Et tandem *cap.* 18. ponit casum quem Authores contrarij ponunt his verbis: *Ecce graui morbo periclitatur ægrotus, cuius iam vires ferre non possint, si ei mortuus vnicus, & charissimus filius mentietur, si à te quærit an viuat, quem vitã finiisse tu nosti, quid respondebis, quando quid aliud dixeris præter vnum de tribus, mortuus est, aut viuit, aut nescio, nihil aliud credit ille quam mortuum quod te intelliget nolle dicere, & nolle mentiri? tantumdem valet etiam, si omni modo tacueris; ex illis autem tribus duo falsa sunt, viuit, & nescio, nec abs te dici possunt, nisi mentiendo; illud autem vnum verum id est mortuum esse si dixeris, & perturbati hominis mens fuerit subsecuta abs te occisus clamabitur.* Cui casui sic respondetur, cap.19. in fine, *Quisquis itaque dicit pro periclitantis hominis salute temporali, vel vita esse mentiendum, nimis ipse abstinere exorbitat æternæ salutis, & vitæ.* Quibus verbis euidentissimè Augustinus contrariam sententiam redarguit, dicit enim quod ex illis tribus, *nescio, viuit, & mortuus est*, duo priora non possunt dici absque mendacio, & tamen si in sententia Augustini licita esset oratio mixta, vtique posset iste patri moribundo dicere quod filius eius viueret, in alia vita intelligendo, vel quod non sciret, intelligendo vt patri diceret.

Sed obiicies has Augustini authoritates, vel melius hanc Augustini sententiam, etiam esse contra nos qui asserimus aliquando licitam esse restrictionem mentalem, & orationem mixtam, amphibologiam inusitatam, & extraordinariam æquiuocationem, quod negat S. Doctor, qui in contraria semper fuit sententia.

Respondetur nihilominus quod nos, & Authores nostræ sententiæ nunquam somniauimus dicere licitam esse orationem mixtam, & restrictionem purè mentalem, & contra hanc procedit Augustinus arguendo; sed dicimus hanc restrictionem licitam esse quando saltim implicitè significatur oratione exterius prolata, itaut ex circunstantiis occurrentibus possit ab aliquo colligi saltim penetrantis iudicij, & ingenij hanc restrictionem mentalem interuenire; etenim quod audiens, quia non ita ingeniosus est, decipiatur, non est à me intentum, sed permissum, potuit enim ex vi, & significatione orationis exterius à me prolatæ deuenire in cognitionem mentalis conceptus. Quod si hæc saltem implicita, & inuoluta significatio non interueniat, mendacium, & cordis duplicitas est.

§. II.

Rationibus fulcitur.

SVMMARIVM.

59 *Traditur prima ratio nostræ conclusionis, quia homines cum constent anima & corpore, nequeunt ea quæ sunt in animo comprehendere, nisi per signa corporalia, & n seqq.*

64 *Affertur secunda ratio fundamentalis ex D. Thoma, vbi distinguitur duplex genus mendacij, vnum in verbis, aliud in factis.*

65 *Eluditur solutio Sanchez, nam argumento facto non sufficienter occurrit.*

66 *Si quis per nomina omnino disparata, addita mentali locutione vera, vellet occultare veritatem, vtique mentiretur.*

67 *Locutio nostra debet esse significatiua præcisè, vt exteriùs prolata, non quatenus interiùs restricta, restrictione omninò interna, &c.*

68 *Locus ad propositum Leuitic.*19.Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum.

SEd non minori rationum pondere firmata est hæc verissima sententia negans. Prima sit qua vtitur S. Augustinus *lib. de mendacio cap.*18. *citato*, & potest ad hanc formam reduci. Quia homines cum constent anima, & corpore nequeunt ea quæ sunt in animo comprehendere, nisi per signa corporalia: non enim homo est cordis alieni inspector: ergo dum homo homini loquitur signa exprimentia conceptus cordis, etiam prout sunt in ore corporis debent esse vera; nec pura mentalis restrictio quæ nullo modo exterius significatur, falsitatem signi potest corrigere, sed in ordine ad hominem, cui diriguntur, semper falsa sunt; ac per consequens proferens volens loqui alteri verba exterius falsa mentitur, quia vult falsum dicere proximo, qui cum malagma restrictionis mentalis nullo modo cognoscat semper cognoscit falsitate verba infecta. 59.

Vt tamen concipiatur huius rationis energia quæ maxima est, noto quod qui vult vti oratione mixta quæ exterius falsa est, & interius à voluntate corrigatur mentali, duplicem habet mentem, hoc est, duplicem actionem mentis, vnam quo vult dicere verba falsa exterius prolata, & dum illa profert re ipsa ex vi huius voluntatis contra mentem vadit, nam verba exterius significantia, cum vt sic falsa sint, discordant ab illo quod est in mente. Alia est voluntas, qua quis vult corrigere, & limitare verba, & cum hæc voluntas prorsus interior sit, non potest corrigere falsitatem exteriorem, quæ in vocibus reperitur, in quantum sunt signa, quibus homines vtuntur ad suos conceptus significandos; cum enim voluntas purè interior sit, respectum significationis qui ad alios refertur constantes anima, & corpore corrigere est impossibile, quamuis possit loquens tali restrictione corrigere tale signatum in ordine ad seipsum. 60.

Confirmatur primò ratione eiusdem S.Doctoris, 61.

ris, qua vtitur *libro contra mendacium.* Quia ſi oratione mixta poteſt quis vri dum loquitur proximo ſuo proferens falſum retinens in occulto veritatem, qua coarctat falſitatem, nulli eſſet adhibenda fides, quia dum loquitur verum, iure optimo dubitare poſſemus an vtatur reſtrictione mentali; imò vt optimè notat Azor, in omnibus interrogationibus, hac arte duplicitatis poſſemus vti, cum nulla ſit interrogatio, in cuius reſponſione non poſſimus verba falſa exterius corrigere per voluntatem interius. Ei quidem ſi ſemel licita eſt huiuſmodi reſtrictio abſque labe mendacij in omnibus licebit ex hoc capite quod non ſit mendacium quamuis ex aliis capitibus poſſet eſſe mala; non tamen erit mala periurij malitia, cum periurium ſit ponere teſtem Deum ad confirmandum mendacium quod non interuenit in oratione mixta, quod admitti, me quidem iudice, non poteſt, tum quia omnia periuria Priſcillianiſtarum, & Catholicorum, qui vt illos caperent ſe Priſcillianiſtas ſimulabant non eſſent periuria oppoſita Religioni, quod quam magnum abſurdum ſit ſatis ponderat Auguſtin. *lib. contra Mendac. cap.* 18. *Sunt in eis docti*, inquit, *qui etiam regulas figant finesque conſtituant, quando debeat, & quando non debeat periurari. O vbi eſtis fontes lachrymarum? & quid faciemus? quo ibimus?*

62. Confirmatur ſecundò. Quia ſi reſtrictionis mentalis vſus licitus eſſet, qui nullatenus exterius propaletur B. Petrus à mendacio, & periurio excuſaretur. Quod licet Ambroſius *in Lucam lib.* 10. & Hilarius *can.* 32. *in Matth.* quos ſequitur amiciſſimus meus, & inſignis verbi Dei Prædicator perdoctus Pater Fr. Didacus de Cea, in Curia Romana, Generalis Commiſſarius *in lib.* 1. *ſuorum Archielegior. Archieleg.* 4. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 473. excuſent à mendacio, ac per conſequens à periurio, tamen in contraria ſententia eſt Auguſtinus, qui in hac parte omnino ſequendus, quia rem hanc non expoſitorio modo, ſed rigore ſcholaſtico explicuit, ponderauit, diſcutit dicens, *Mendacium fuit foris prolatum quod lachrymis, & amara pœnitentia diluit.*

63. Confirmatur tertiò, Quia ſi oratio mixta, & reſtrictio mentalis, & purè interna veracitati non opponitur, & cordis ſimplicitati: ergo Deus poteſt ea vti in ſuis reuelationibus, ac per conſequens poteſt dicere verba falſa, prout exterius prolata, licet iuncta reſtrictioni mentis ſuæ (nullo modo exterius ſignificatæ) veritatem contineant reſpectu Dei. Probatur ſequela, quia hoc modo loqui non eſt mendacium: conſequens autem abſurdum eſt, quia ſi omnis diuina ſcriptura diuinitus inſpirata hanc pateretur calumniam, ſiquidem agiographus citra mendacium potuerit falſa ſcribens mente ſola corrigendo exteriorem falſitatem, & ita in omnibus eius authoritas vacillet, ſuſpicari enim, & dubitare quis iure optimo poſſet an tali reſtrictione vſus fuiſſet. Quod quam abſurdum ſit ponderat Auguſtinus *tom.* 2. *epiſt.* 29. *ad Hieron.* & Vaſquez ipſum ſequens 12 *diſp.* 182. *cap.* 4. & 5.

64. Secunda ratio fundamentalis eſt qua vtitur S. Thom. *in* 3. *diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 5. & *quodlib* 8. *art.* 14. & optimè premit Vaſquez *vbi ſupr. num.* 29. ex S. Thom. 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. vbi diſtinguit duplex genus peccati mendacij, vnum in factis quando quis per exteriora ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificat contrarium eius quod exiſtimat: aliud intentionis proferendi verba falſa exterius prolata, & vtrumque menda n peccatum eſt, ſed eſt inter vtrumque man.eſtum diſcrimen hoc eſt inter verba, & res, quia verba ita ſunt ex communi ſenſu inſtituta ad ſignificandum, vt non poſſit quiſque mutare ſignificationem illorum vt illis aliquid aliud diuerſum à communi ſignificato ſignificent, prout ſib placuerit; etenim nominum ſignificatio ex communi ſenſu eſt æſtimanda, cum ex hominum conſenſu communi ſic impoſita ſint ad ſignificandum vt communicent in conceptibus. Et ſic qui vtitur nominibus vt placet ad ſignificandum aliquid præter id quod ex communi æſtimatione ſignificat, etiam ſi directè non dixerit contra totum quod eſt in mente, tamen contra veracitatem peccaret, & proximo mentiretur, non ſecus ac ſi directè vellet contra mentem dicere, etenim virtus veracitatis eo tendit, vt auertat deformitatem, quæ interuenire poteſt dum quis abutitur nominibus ſignificantibus conceptus noſtros, quæ inordinatio ita eſt intrinſecè mala, vt nullatenus excuſari poſſit iſta autem inordinatio, & abuſus ſemper interuenit quod quis vtitur nominibus alio modo quo homines inſtituerunt vti debere ex communi ipſorum impoſitione, quæ cum ad exteriorem loquelam ſit ordinata, vt communicent in conceptibus, ſi exterior hæc loquela falſa ſit, à falſitate non medebitur malagmate reſtrictionis mentalis nullo modo exterius ſignificatæ, nec enim communi ſignificationi externæ derogari poteſt interna reſtrictio, ſi foris aliquomodo non exprimatur, quod ſecus contingit in rerum ſignificatione, hæc enim cum non ſit alligata communi hominum inſtitutioni, cum res naturaliter ſignificent, poſſumus rebus vti ad ſignificandum aliquid diuerſum ab eo quod qui vident intelligant, vt quotidie fit in bellicis ſtratagematibus, de quibus ſatis eruditè Marquez *lib.* 2. *del Gouernador Chriſtiano cap.* 7. §. 2.

Neque ſatisfit huic manifeſto argumento ſi dicas cum Sanchez *vbi ſupr. num.* 15. in fine, & Suarez *cap.* 10. *citato num.* 4. quod oratione mixta non mutatur vocum ſignificatio, & extrahitur à communi aliam illi imponendo, cum reſtrictio iſta proportionata debeat eſſe verbis quibus coniungitur, & ſic per verba ſic reſtricta conſonat os exterius ori interiori, & verbum exterius verbo interiori. Hæc inquam, ſolutio argumento facto non occurrit ſufficienter. Primò, quia expreſſe opponitur Auguſt. *in Enchirid. ad Laurentium cap* 22. *tom.* 3. dicenti: *Et propterea verba ſunt inſtituta, non per quæ ſe inuicem homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat.* Quod in fine *cap.* confirmat ex illo Matt. 5. *num.* 37. *Sit in ore veſtro, Eſt, eſt, non, non, quod amplius eſt à malo eſt.* Quibus verbis ait Auguſtin. denotat Chriſtus quod in hæredibus ſuis fallacia non remuneratur, ſed ſimplicitas; ſi enim verba ſunt inſtituta vt quiſque in alterius notitiam cogitationes ſuas perferat. Qua ratione non fallit ſi in oratione pure externa falſitas eſt, cum reſtrictio mentalis ex nulla circunſtantia, aliove modo innoteſcit; qua arte qui ſic loquitur cogitationem ſuam in alterius notitiam perfert; fallaciam ergo non excuſat per reſtrictionem pure mentalem, & nomina à ſua inſtitutione exorbitare facit, abſque eo quod audiens aliquo vel leui ſigno talem exorbitationem agnoſcat. 65.

Secundò. Quia ſi quis per nomina omnino diſparata addita mer li locutione vera vellet occultare veritatem v ique mentiretur vt ſi quis 66.

come

dere dicat, fauum mellis, intelligens amphibologia mentali, & variis restrictionibus per illam comestionem faui, hominis occisionem quæ sibi dulcissima fuit: ergo etiam si quis velit proferre verba quæ sic prolata falsa sunt exterius, etiam si interius habeant qualemcumque voluerit restrictionem, mentitur. Antecedens concedunt Authores contrarij vt videre est in Sanchez *num.15.citato in fine.* Et per se manifestum vt probat Vasquez 1.2.*q.*103.*art.*4.*disp.*182.*num.*29. non enim est in cuiusuis arbitrio significationem vocibus imponere. Consequentia vero probatur quia si interrogatus an comederim, respondeo, *Non comedi*, intelligens catulum Leonis, vtique extraho orationem illam, *Non comedi*, à sua significatione negatiua quam habet ex communi institutione, qua homines conceptum negatiuum interiorem agnoscunt: ergo malagma interioris significationis, & restrictionis non curat orationem à falsitate, quæ in exteriori locutione est imbibita, sed semper manet falsa, cum non sit in mea potestate hanc significationem mutare, dum alteri alloquor, cum significare vocum à mea intentione sit prorsus independens, vt enim dixit Augustinus *lib.2. de Doctrin.Christian.cap.1. Signum est quædam res quæ præter speciem quam sensibus ingerit, facit aliquid aliud in cognitionem venire.* Quæ definitio euidens est in præsenti dum tractamus de vocibus, quæ sunt signa omnino requisita ad significandum conceptum nostrum alteri homini, quæ necessitas nō est dū loquor Deo, Angelis, & nobis.

67. Quare locutio nostra debet esse significatiua præcisè, vt exterius prolata, non quatenus interius restricta, restrictione omnino interna, quæ nullo modo valet locutionem externam complere; neque hoc est in hominis potestate, cum loquutio, & restrictio purè interna non habeat rationem signi respectu alterius hominis, & sic restrictione pura interna, & oratione externa, nequit vna oratio componi, cum ista non se habeat respectu alterius, vt signum ad significatum.

68. Et sic ex natura significationis externæ sequitur falli, & decipi proximus cum quo loquimur. Quod Leuitici 19. prohibet Deus, dicens: *Non metiemini.* addens: *Nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Quid enim obest quod quis non intendat decipere proximum, si dicit verba, quæ prout exterius prolata sunt falsa. Ex quibus sequitur infallibiliter quod proximus decipiatur, & non euitatur mendacium, siquidem ex vi huius intentionis profert exterius id quod ex vi talis significationis iudicat esse falsum, quamuis addita restrictione mentali existimet verum; hoc autem est propriè habere intentionem, virtualem saltem fallendi, & decipiendi, quæ virtualis intentio à malitia mendacij non est immunis.

CAPVT V.

Fundamentis in contrarium adductis occurritur.

SVMMARIVM.

69 *Vt quis loquatur verum cum proximo suo non sufficit quod restrictione mentali corrigat verbum falsum, si hæc correctio proximo nota non sit aliquo modo.*

70 *Eæ, quæ per iocum dicuntur, non sunt similia iis quæ proferuntur restricta sola mente.*

71 *Respondetur ad alia fundamenta in contrarium adducta, vsque ad num.77.*

78 *Non est in hominis potestate componere orationem ex pura restrictione interna, & locutione externa.*

NI fallor, satis efficaciter probatum manet orationem mixtam falsam esse, si id quod exterius profertur falsum significet, quamuis restrictione mentali quis vtatur, si talis restrictio aliquatenus exterius non significetur. Quare argumentis oppositæ sententiæ respondere facillimum erit.

Ad primum respondetur, quod vt quis loquatur verum cum proximo suo non sufficit quod restrictione mentali corrigat verbum falsum, si hæc correctio proximo etiam nota non sit aliquomodo; aliàs verbum exterius non conueniret cum verbo interiori. Quam conuenientiam debere esse explicuit Christus quando dixit: *Sit sermo vester: est, est, non, non.* Quasi dicat: *est externum* correspondeat *est interno* quod significatur, *& non exterius* correspondeat *non interno* quod exprimitur. Quod claris verbis explicat Innocentius III. *in cap. etsi Christus de iureiurando. Etsi Christus præceperit, secundum Euangelicam veritatem sit sermo vester est, est, non, non, vt affirmatio, vel negatio sicut procedit ex ore, ita procedat ex corde.* Quasi dicat Pontifex: regula Euangelica est, non restringat mens quod lingua non restringit, sed vtraque lingua interior, & exterior sibi semper consonent, ne proximus ex mea loquela externa fallatur, & decipiatur; quamuis enim non tenear mentem totam meam proximo aperire, sed partim possim celare, vt fecit Abraham instruens Saram quod diceret esse sororem eius, tacendo quod esset vxor, tenetur tamen non mentiri, mentior tamen si profero verba, supplendo solum quod ad veritatem externæ locutionis requiritur, sine quo si est falsa, semper relinquitur sua falsitate infecta. 69.

Ad secundum respondetur, quod ea quæ per iocum dicuntur non sunt similia iis quæ proferuntur restricta sola mente, nam illa vt iocosa dicuntur, & sic intelliguntur dicta ab audientibus, atque ita non decipiuntur, quia exterius non extrahuntur à communi significatione, sicut & ea quæ figuratè dicuntur, cum figuratè debeant exterius concipi. Quod secus est in orationibus mixtis; istæ enim prout exterius significatæ falsæ sunt, & ex vi suæ significationis decipiunt, proferensque ea non proferat animo expresso decipiendi, sed occultandi veritatem, habet tamen voluntatem virtualem quod proximus decipiatur. 70.

Ad tertium respondetur esse disparem rationem quia ille qui partem orationis alta voce profert, & partem submissa, iam aliquid addit exterius, quod secundum se significat aliquid limitans partem orationis elatioris, quamuis per accidens sit quod non audiatur. Cęterum pura mentalis restrictio secundum se est occulta, nec per se significat aliquid alteri homini, & sic non valet corrigere falsitatem. 71.

Ad quartum respondetur, negando antecedens, quia qui alteri loquitur debet verba in eo sensu proferre, in quo saltim à prudentioribus, & viuacioribus ingeniis possint intelligi eo sensu, quo proferuntur. 72.

Ad

73. Ad quintum respondetur verum esse totum quod in illo continetur, quando intentio aliquo modo implicito, & virtuali saltem exprimitur; verba enim significant conceptum, non conceptus intentionem.

Ad sextum respondetur quod licet verba externa materialiter se habeant ad mendacium quod
74. est cum expressa intentione fallendi, tamen non se habent materialiter ad mendacium, quod est cum intentione virtuali fallendi, quæ intentio virtualis imbibita est in voluntate dicendi verba, quæ exterius prolata falsa sunt.

75. Et sic patet ad septimum quod mendacium consistit, quantum attinet ad propositum, in voluntate dicendi verba, quæ exterius prolata sunt falsa, cuius voluntatis dissonantia ad rationem non tollitur per restrictionem mentalem, sicut nec voluntas faciendi eleemosynam aufert malitiam à voluntate furandi, etsi quis sit misericors; hoc enim argumento vtitur passim Augustinus *lib. de mendacio, & contra mendacium.* Si mendacium ex aliquo fine bono amittit malitiam, quam corrigit bonitas finis. Etiam furta, homicidia,
76. & alia huiusmodi, si fiant ex bono fine licita erunt; atqui ita idem erit, si licitum est vti restrictione mentali, quæ corrigat malitiam voluntatis dicendi falsum exterius, quæ est virtualis intentio fallendi; si enim hæc virtualis voluntas esset sola sine restrictione mentali, & voluntate expressa fallendi, esset mala malitia fallendi: ergo restrictio mentalis, cum non alteret significationem externam non aufert malitiam mendacij quæ annexa est illi voluntati.

77. Ad octauum respondetur quod, vt iam constat ex dictis diuerso modo significant verba, atque res, istæ enim significant facto ipso naturaliter, & ita possumus vti illis ad significandum aliter quam est in mente, quia hîc non immutatur (si non sit animus expressus fallendi) significatum ipsarum; at voces significant ex hominum institutione, quam nullus potest immutare libera restrictione purè mentali adhibita.

78. Ad nonum respondetur negando quod sit in hominis potestate componere orationem ex pura restrictione interna, & locutione externa, vt constat ex dictis. Nec exempla Sacramentorum ad rem faciunt, cum contritio interna aliquo modo significetur externis signis confessionis, & satisfactionis, & similiter Christus Dominus verbis etiam significatur quibus ponitur sub speciebus Sacramentalibus.

Resolvtio III.

Quibus titulis obligemur ad non vtendum restrictione mentali.

SVMMARIVM.

79 *Bonum commune ciuile, & hominum societas exigit vt quilibet interrogatus teneatur respondere secundum interrogantis mentem.*

80 *Præcepto negatiuo prohibitum est, ne vtamur oratione mixta, ne mentiamur, & duplicis simus cordis.*

81 *Primus titulus quo obligamur ad non vtendum restrictione mentali, est charitatis.*
Secundus, ratione officij.

82 *Tertius titulus, est ex iustitia.*

83 *Quartus, ex obedientia.*

84 *Quintus, ex obligatione illius virtutis, cui error illius qui decipitur aliquo modo opponitur.*

85 *In quo hi tituli differant à titulo euitandi mendacium.*

IN Superioribus vidimus nos teneri titulo veri- 79.
tatis, & vitandi mendacium, loqui veritatem cum proximo, & non vtendi restrictione mentali, quæ saltim virtualiter, & implicitè non exprimatur, & in hoc impugnauimus sententiam affirmantem, quatenus dicit vti tali restrictione non esse contra præceptum negatiuum non mentiendi, & sic nunquam licet ea vti, sicut nunquam licet mentiri. Cæterum fere omnes authores citati pro hac sententia dicunt esse contra præceptum positiuum dicendi verum; exigit enim bonum commune ciuile, & hominum societas, & communicatio, vt quilibet interrogatus teneatur respondere secundum interrogantis mentem. Sic tenent Sanchez *vbi sup. num.* 16. Caietanus 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *vers. ad hoc dicitur.* Suarez *lib.* 10. *citato cap.* 10. *num.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 9. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 13. *punct.* 2. *ad* 2. Coninch *disp.* 10. *de actib. dub.* 3. *à num.* 44. Tannerus *vbi sup. assert.* 6.

Cæterum multi ex his addunt hoc præceptum 80.
affirmatiuum, non obligare quando subest iusta causa occultandi veritatem, malagmate restrictionis purè mentalis, & internæ: quod vltimum in Superioribus excluimus, non quia existimemus hoc præceptum affirmatiuum semper, & pro semper obligare, sed quia putamus esse præcepto negatiuo prohibitum ne vtamur hac oratione mixta, ne mentiamur, & duplicis simus cordis. Sed præter hunc titulum plures alij sunt, quibus ad idem adstringimur, quos optimè expressit Coninch *vbi sup.*

Primus est charitatis, quando ex errore con- 81.
cepto audita hac oratione aliquod sequitur notabile damnum proximo decepto, hoc enim teneor ex charitate euitare. Secundus, ratione officij, tenemur enim auertere errorem, & deceptionem quam possunt concipere ex huiusmodi locutionibus hi qui nobis se tradidere instruendos, præcipuè in his qui se instrui desiderant. Sic Magistri, præcipuè spirituales respectu suorum discipulorum, Superior respectu subditi, isti enim, vt ait S. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. *art. vltim. ad* 5. *veritatem tenentur conseruare ex suo officio in iudicio, vel doctrina, contra quæ si mentiantur erit mendacium, quod est peccatum mortale.* Hæc ibi. Circa quæ legatur Caietan. §. *in eodem articulo.* de quo etiam ego infrà.

Tertius titulus est ex iustitia, vt quando cum 82.
alio contrahimus tenemur ex iustitia verba nostra proferre secundum mentem alterius contrahentis, quando alter deciperetur circa substantiam contractus, aut si aliàs aliquod damnum ei immineret.

Quartus ex obedientia vt quando Superior le- 83.
gitimè interrogat, teneris ex obedientia non vti restrictione mentali.

Quintus, ex obligatione illius virtutis, cui er- 84.
ror illius qui decipitur aliquomodo opponitur, vt potest contingere in materia fidei, aut castitatis, etiam si ob inuincibilem ignorantiam, nam tenemur etiam huiusmodi peccata, etiam materialia, euitare in proximo, quantum in nobis fuerit.

Hi autem tituli in hoc differunt à titulo euitandi

tandi mendacium, quod vt modo dicebamus de titulo obligante ex vi veracitatis non obligant pro semper, sicut obligat titulus non mentiendi. Quare in particulari varij casus sunt decidendi, vt sermo iste moralis, quem liber noster, vt verum prædicat in vniuersali, magis in particulari enucleetur. Quare discurrendo per singulos hos titulos, prius videndum est, quibus casibus non possumus vti restrictione mentali, & postea quibus occasionibus licitum sit ea vti, vt supra eam admittimus, quæ aliquo modo exterius significetur.

§. I.

De titulo euitandi errorem in proximo.

SVMMARIVM.

86 *Error si sequatur ex vsu restrictionis mentalis nullo modo explicatæ per signa vocum exterius prolata, teneor ea non vti.*

86. PRimus titulus est ex charitate, qua obligamur auertere errorem à proximo, etiam si sit inuincibilis, qui si est in materia alicuius virtutis, etiam inerit nobis obligatio auertendi talem errorem ex obligatione illius virtutis, cui talis error opponitur, vt dicebamus *titulo* 5. Quare si error huiusmodi sequendus est ex vsu restrictionis mentalis nullo modo explicatæ per signa vocum exterius prolata, teneor ea non vti; quod si error sit in materia virtutis obligantis ad mortale, etiam obligatio non vtendi tali restrictione erit sub mortali.

Resolvtio IV.

Fidelis non potest interrogatus à Tyranno vti restrictione mentali.

SVMMARIVM.

87 *Si quis interrogatus ab infideli, an esset Christianus, & coram aliis restrictione mentali omnino interna vteretur, taliter quod ex locutione interiori omnes circunstantes aduerterent se negare fidem, peccat contra fidei confitendæ præceptum.*

88 *Affertur ratio.*

87. EX quo infertur primò, Quod si quis interrogatus ab infideli, an esset Christianus, & coram aliis restrictione mentali omnino interna vteretur, taliter quod ex locutione interiori omnes circunstantes aduerterent se negare fidem, peccat contra fidei confitendæ præceptum. Ita D. Thom. expresse 2.2. *q.* 3. *art.* 2. quam sequuntur ibi Doctores communiter, Tannerus, *disp.* 1. *de fide q.* 7. *dub.* 5. *num.* 112. Ratio D. Thom. est quia ex tali locutione subtrahitur honor debitus Deo, cum Tyrannus videns, & audiens hanc negationem in signo exteriori, quia interior restrictio, illi nullo modo est nota, iudicat fidem nostram, & Religionem veram non esse. Rursus alij fideles adstantes idem concipiunt, & facilè auertuntur à fide, & infideles non conuertuntur, sed permanent in suo errore.

88. Ratio ex dictis manifesta est, quia qui profert verba externa falsa, negãdo fidem, implicite negat fidem, etiam si interius eam conseruet, siquidem auditoribus dat occasionem ex qua per se sequitur vt iudicent esse falsam fidem, quam exterius negat. Sic præter citatos tenent Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 18. Pesantius 2.2. *q.* 3. *art.* 2. Caietanus, Filliucius, Malderus, Turrianus 2.2. *disp.* 35. *dub.* 5. Coninch infrà adducendus, qui egregiè id confirmat, quia si licita est in hoc casu mentalis restrictio non essent omnino certo condemnandi Hæretici, qui metu mortis coram Tyrannis negant fidem, quia deberemus præsumere eos negasse exterius, cum restrictione mentali, qua confessio fidei exterior vera redderetur, sicut quælibet alia oratio mixta.

Resolvtio V.

Non est licitum comedere carnes diebus prohibitis coram Hæreticis.

SVMMARIVM.

89 *Carnes comedere diebus prohibitis ab Ecclesia Romana non est licitum cum hæreticis, quando ille qui comedit antea est habitus pro fideli, & Catholico, & hæretici hæc videntes iudicant ipsum ad hæresim translatum.*

89. COlligitur quartò quod comedere carnes diebus prohibitis ab Ecclesia Romana non est licitum cum hæreticis, quando ille qui comedit antea est habitus pro fideli, & Catholico, & Hæretici hoc videntes iudicant ipsum ad hæresim translatum; non enim in facto illo potest coniungi mentalis restrictio, quæ ipsum excuset. Quod maximè tenet verum si carnes comedat adstantibus Hæreticis, vt notant Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *q.* 6. Serarius *in lib.* 1. *Machabæor. cap.* 6. exemplo Eleazari, & Machabæorum qui hoc illicitum reputarunt ne alij in errorem inducerentur, vt Sanctus Eleazarus dixit: *Non enim ætati nostræ dignum fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & sic propter meam simulationem decipiantur.* Legatur S. Cyprianus *lib. de singularit. Clericor.* Sic etiam Vindemius ille Martyr Anglicanus, qui rogatus vt solum Hæreticorum templum adiret, noluit, dicens exemplum adeo prauum aliis dare nolle. Hoc autem optime intelligunt Azor *vbi supr. q.* 5. Tannerus *num.* 123. Valentia 2.2. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. Quando non aditur templum Hæreticorum, nisi ad confitendam Hæreticorum sectam, hoc enim illicitum esse declarauit Paulus V. *in quodam Motu proprio* propter Catholicos Anglicanos, qui iussu Regis cogebantur templum adire, quo ingressu hæretici iudicant Catholicos à fide Romana deficere.

Secus tamen est si in templis promiscue Catholici, & hæretici ingrediuntur. Videatur Coninch *de actibus disp.* 15. *dub.* 2. *n.* 9. & *dub.* 5.

§. II.

De secundo titulo ratione Magisterij, & Officij.

SVMMARIVM.

90 *Magistri, & Doctores tenentur non vti restrictionibus mentalibus, æquiuocationibus, &c. ex quibus discipuli possint haurire errorem contra fidem, &c.*

91 *Probatur ratione.*

93 *Idem dic de viris spiritualibus, qui alios in via spiritus dirigunt.*

93 *Grauissima verba Malderi referuntur.*

90. CVm vt suprà sit probatum, malagma restrictionis mentalis, non sufficere ad excusandam orationem externam à mendacio, in illis in quibus Magistri, & Superiores peccant mentientes, peccabunt etiam si restrictione mentali vtantur. Quare Magistri, & Doctores tenentur non vti restrictionibus mentalibus, æquiuocationibus, aut amphibologiis non vsitatis, ex quibus discipuli possint haurire aut errorem contra fidem, aut licentiam peccandi, aut opinionem scandalosam, aut piis auribus offendentem.

91. Ratio est quam tradit Caietanus *quæst.* 110. §. *in eodem articulo. vlt.* quia ille qui profert verba, exterius falsa, ex quibus sequitur error discipuli, eo ipso quod intendit ea proferre, intendit deceptionem nociuam proximo cui medicina restrictionis prorsus est ignota, ac per consequens peccat mendacio pernicioso quod erit mortale si materia in qua concipitur error, notabilis, & grauis sit. Idem est dicendum de Superiori qui restrictione mentali vtitur loquens subditis, qui ex suo loquendi modo arripiunt ansam peccandi. Idem de confessore qui restrictione vtens loquitur pœnitenti, qui sumit occasionem non restituendi; tenebitur enim ipse confessor restituere, si non clarè loquatur. Idem de iudice dum reo loquitur oratione mixta, ex qua sequitur illi damnum, quod restituere tenetur. Idem de Magistro Nouitiorum qui si vtatur restrictione, falsum proferens sermonem ex quo Nouitius, aut à Religione se auertit, aut aliquid aliud indignum facit, ipsi Magistro imputabitur.

92. Quæ doctrina verum tenet in viris spiritualibus qui in via spiritus alios dirigunt; tenentur enim omnino ab his orationibus mentaliter restrictis maximè abstinere, etiam quando virtualiter restrictio significatur, cum homines qui viam spiritus alios docent tenentur sincere, & clare illos dirigere, & secundum Euangelicam doctrinam eorum sermo debet esse, est, est, non, non, quia quid ab alio est à malo est.

Subiungo grauissima verba Doctoris Malderi

93. *tract. de hac re cap. 12. sect. 2. Est tamen huiusmodi peccatum solummodo veniale, nisi simul occurrat obligatio prouenies ab alia, virtute, puta iustitia, charitate, aut simili, eleuat nihilominus consuetudo sic loquendi valdè authoritatem loquentis, & quia est veniale non est sub correptione, sed cum plena deliberatione, & formato dolo grauius est in sanctioribus secundum doctrinam S. Thom. 1. 2. quæst. 73. art. 10. Ideoque iste mos agendi longissimè debet esse à personis spiritualibus, & iis qui perfectionem sequi profitentur, & omnino ab eorum conuersatione qui sibi mutuo peculiariter debent sinceritatem.*

Vnde multa colligi possunt, in primis non licere filio, etiam spirituali, aut discipulo, statim Patri suo, aut Matri, aut tutori ambiguis verbis, vel per restrictionem mentalem illudere, quando ex veritatis aperta manifestatione aliquale incommodum ipse reuelans incurreret, sed sæpissimè accidere, vt veritatem candidè nihilominus fateri teneatur, eo quod debitum candidi sermonis erga Patrem, &c. sit arctius quam vt soluatur occasio vitandi talis incommodi, & maioris incommodi sit fucatus sermo inter personas ita coniunctas, quam quod ex reuelatione veritatis timetur. Hæc ille.

RESOLVTIO VI.

Grauiter peccant iudices, dum reum aut testes examinant, vtentes restrictione mentali, &c.

SVMMARIVM.

94 *Iudicibus est illicitum, siue criminaliter procedant, siue ciuiliter interrogare reum, aut exminare testes vtendo oratione mixta, cuius restrictio mentalis omnino occulta manet.*

95 *Qua ratione intelligendi Doctores quidam asserentes permissum esse iudici vti simulationibus, & fictionibus.*

EX quo infertur. Primò, illicitum esse iudicibus, siue criminaliter procedant, siue ciuiliter interrogare reum, aut examinare testes vtendo oratione mixta, cuius restrictio mentalis omnino occulta manet, aut æquiuocatione, amphibologiave prorsus inusitata, vt si dicat reo, si veritatem confiteatur se alimenta præbiturum quoad vixerit, vel domum procuraturum, intelligens quod si confiteatur viuet parum, & per domum intelligens sepulchrum. Sic defendunt Iulius Clarus *in praxi §. finali quæst. 55.* Antonius Gomez *num. 7. vers. circa 1. tract. 1. tom. 3. variar. cap. 12.* & sequitur Tannerus *2. 2. disp. 6. quæst. 2. dub. 1. num. 37.* Lessius *lib. 2. de iustit. c. 29. dub. 18. num. 173.* Farinacius *in praxi p. 3. quæst. 81. n. 312.* & sequentib. qui *num. 278.* & seq. latè probat confessionem, & manifestationem veritatis extortam fallaciis non esse sufficientem ad condemnandum reum, nisi ab eo liberè, & sponte fuerit ratificata; nec enim ius habet prætor eruendi veritatem his fictionibus. ex quibus reo oriri potest præiudicium, vt optimè notauit Sigismundus Scaccia *lib. 1. de iudiciis causar. cap. 86. n. 35. vers. si difficultas.* Sicut enim reus iuridicè interrogatus non potest iudicem deludere his restrictionibus mentalibus, ita nec iudex reum simulationibus his potest decipere, potest tamen cautelis laudabilibus, vt latè, & eruditè probat Peña *in director. Inquisitor. p. 2. com. 23. folio mihi 467. & fol. 470. vers. Hoc semper.* 94

Quare quando aliqui Doctores affirmant permissum esse iudici vti simulationibus, & fictionibus, de istis simulationibus iustis loquuntur, sicut fecit Salomon in iudicio mulierum litigantium super vnico filio, & Carolus Magnus eadem simulatione vsus est iubens Patrem simul, & filium suspendi ad requirendum quis eorum commiserit homicidium, quod videns Pater, & quod sibi nulla spes salutis superesset confessus est veritatem, 95.

tatem, & filium liberauit. Sic intelligendus est Couarruuias *lib.1. variar. cap.2. num.16.*

Resolvtio VII.

Nec quæsitores fidei pro hæresi, nec iudices sæculares pro crimine læsæ Maiestatis, possunt reis, vt eruant veritatem, absolutam immunitatem promittere.

SVMMARIVM.

96 *Inquisitores in crimine hæresis, nec iudices sæculares pro crimine læsæ Maiestatis, possunt reis vt eruant veritatem, absolutam immunitatem promittere.*

96. INfertur secundò, quæsitores fidei in crimine læsæ Maiestatis diuinæ, & iudices sæculares in crimine læsæ Maiestatis humanæ pro eruenda veritate, licet possint absolutè promittere se facturos gratiam reis, quam quantum est in se debent adimplere; adimplebunt tamen si minimam gratiam faciant; non tamen posse absolutam immunitatem promittere; tum quia hoc promissum ad implere non possunt, cum sint adstricti ad iudicandum secundum allegata, & probata; tum etiam quia fallacia contra ius rei extortè veritatem inquirit. Sic Farinacius vbi suprà *num.* 296. & 297. Peña *commentar. citato vers. & inquisitor. fol.*468. Bertazolus *lib.1. consiliorum, conclusione 95. à num. tertio.*

Resolvtio VIII.

In saluis conductis non est licita æquiuocatio, aut mentis restrictio.

SVMMARIVM.

97 *Principes tam Ecclesiastici, quàm sæculares non possunt vti in saluis conductis, quos tribuunt hæreticis, aut aliis exteris nationibus, orationibus mixtis, aut restrictionibus mentalibus.*

98 *Quia sic commercium humanum, & fides humana periret.*

97. INfertur tertiò, Principes etiam supremos tam Ecclesiasticos, quam sæculares non posse vti in saluis conductis quos tribuunt Hæreticis, aut aliis exteris nationibus huiusmodi orationibus mixtis, aut restrictionibus mentalibus, sed debent eos adimplere secundum quod verba prolata, aut scripta sonant, iuxta sensum quem ex communi hominum vsu habent. Sic tenent S. Ambrosius *lib. 1. de officiis cap.29.* Augustinus *epist.207. & 223.* Glossa *in cap. Noli.23. q.1. & cap. Innocentes 2.2. qu.4.* Ioannes Molanus *lib. de fide hæreticis seruanda.*

98. Et ratio est, quia ablata fidelitate quam significant verba externa, si Princeps posset vti restrictione mentali, commercium humanum, & fides hominum periret, siquidem homines non essent securi de fide alterius hominis, ex quo confusio magna inter gentes oriretur. Quare Concilium Tridentinum Spiritu Sancto ductum in saluo conducto quem *anno* 1536. Protestantibus Alemaniæ concessit firmissimis verbis illum struxit, renuntians specialiter iuri, si quod erat adquisitum, ex facto Concilij Constantiensis contra Hieronymum de Praga, de quo videri potest Beccanus *in opusculo de hac re edito*, & Ludouicus Turrianus 2.2. *disp.19. dub.1. & 2.* Molina *tom.1. de iustitia tract.2. disp.111.*

Resolvtio IX.

Pœnitens non potest vti restrictione mentali, amphibologia, &c. vbi contra Dianam certa doctrina statuitur.

SVMMARIVM.

99 *Pœnitentiæ in sacramento non potest pœnitens vti æquiuocatione.*

100 *Diana reprehenditur, & cur?*

101 *Circunstantiæ mutantes speciem cur necessariò debeant confiteri in Sacramento pœnitentiæ.*

102 *Peccatum mortale est materia necessariò subdenda clauibus.*

INfertur quartò, Pœnitentem non posse in Sacramento Pœnitentiæ vti æquiuocatione, amphibologia, aut vocum restrictione mentali, occultationéve veritatis, est indubitatum apud omnes, cum enim tribunal illud pure spirituale, & veridicum sit, nihil debet esse in ore, quod non sit in corde, aut in corde quod non sit in ore. Hoc enim est quod desiderabat Regius Propheta *in Psalm.50. Pœnitentiali* dum exposcebat à Domino dicens. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Qua autem ratione esse potest mundum cor, & spiritus rectus, dum adest duplicitas cordis, & veritatis occultatio, aut vocum mentalis restrictio? 99.

Vnde omnino falso dixit Diana *p.3. tract.4. de Sacramentis Resolut.62.* asserens quod si quis incidit in peccatum, & non vult Confessario manifestare tunc illud commisisse, si faciat cum illo confessionem generalem poterit inter alia peccata prius confessa, etiam illud vltimum peccatum non confessum confiteri, sine eo quod dicat non confessum fuisse. Hoc, inquam, ex se patet quàm falsum sit, quia confessio sacramentalis, vt est de fide, fit per modum iudicij, in quo confessor vt iudex sententiam fert contra pœnitentem, secundum ea quæ ipse de seipso, seipsum accusando, dicit; atqui diuersa omnino est sententia de delicto quod remissum est, & pro illo reus manet obligatus ad pœnam duntaxat temporalem, & pecuniariam, ac est illa quæ fertur de delicto, quod meretur pœnam æternam, & capitalem, quale est peccatum mortale non confessum, & nunquam subiectum clauibus: ergo istud non confessum inter alia confessa ritè confiteri nequit, nisi dicat non esse confessum. 100.

Secundò, Quia ideò Concilium Tridentinum, *sess.14. cap.5.* & omnes Scholastici affirmant circunstantias mutantes speciem deberi necessariò confiteri in Sacramento Pœnitentiæ, quia istæ substantialiter mutant iudicium Confessoris in ordine ad ferendam sententiam, & pœnitentiam imponendam salutarem; atqui non mutat minus hoc iudicium confiteri peccatum nunc commissum inter peccata multis ab hinc annis confessa, 101.

siquidem diuersum omnino facit confessor iudicium, diuersamque imponit pœnitentiam pro peccatis confessis,ac pro non confessis,diuersamque medicinam applicat, vt ex totius Ecclesiæ vsu,& praxi constat:non est ergo admittenda hæc Dianæ sententia.

102. Tertiò, quia peccatum mortale est materia necessariò subdenda clauibus,vt est de fide;at peccata semel rite confessa sunt sicut & venialia, materia voluntariè subdenda si pœnitenti placuerit, atqui diuersum iudicium fit de materia necessaria,ac de voluntaria.

Nec Dianæ iuuant Bonacina, *disp.5.de Sacramento Pœnit.q.5.sect.2.punct.2.§.3. diff.4.num.5.* Coninch *de Sacrament.disp.7.dub 8.conc.8.num. 68.& seqq.* iste enim loquitur de illo qui dubitat, aut habet probabile iudicium se confessum fuisse aliquod peccatum mortale. Eodem modo loquitur Bonacina,licet hic addat non esse necessarium dicere peccatum mortale commissum fuisse post vltimam confessionem. Quod ego etiam sentio, quia dum pœnitens nihil exprimit, implicite intelligitur commissum fuisse post vltimam confessionem, & nunquam confessum, & sic licet confessum fuerit pœnitens cedit iuri suo, vt pro non confesso habeatur. Cæterum quando quis aduertenter confessionem generalem facit vt inter peccata quæ fatetur confessa, aliud non confessum intromittat, decipit confessorem, & subiicit materiam necessariam clauibus, ac si libera esset, & voluntaria subiectio.

Resolvtio X.

Mendacium veniale in confessione Sacramentali,si committatur in tota materia confessionis, læthale est.

SVMMARIVM.

103 *Philippus Faber arguitur, quòd dixerit mendacium, etiam quando est tota materia confessionis,esse tantùm veniale.*

104 *Pœnitens mentiendo in materia totali Sacramenti,facit ipsum irritum.*

103. INfertur quintò,male dixisse Philippum Fabrum *in 4.dist.17.q.vnica disp.14.c.3.num.51.* Quod mendacium in Sacramento Pœnitentiæ (& idem est ad propositum de restrictione mentali) veniale,etiam quando est tota materia confessionis, esse tantum veniale. Opponitur enim vniuersæ Theologorum sententiæ,vt videre est in Layman *lib.4.tract.6.cap.8.num.18.* Coninch *disp.6.dub. 3.num.8.* Fagundez *in 2.Præcep. lib.3.cap.2.num. 10.*Filliucio *tom.1.tract.7.cap.4.num.112.* Suarez *de Pœnitent.disp.22.sect.10.num.7.* Vasquez *3.p. q.91.art.1.dub.7.num.7.* Sayro *de Pœnitent.cap. 13.num.15.* Reginaldo *lib.6.Praxis num.67.& 68.*Nunnio *in Addition q.6.art.4.dub.1.* vbi Syluius, & Summistæ *verb.Confessio 1.* vbi Siluester *q.8.*Angelus *num.16.* & Scholastici *in 4.dist.17. & 19.* vbi Sotus *q.2.art.4.conc.3.* Secutus est S. Doctorem ibi *q.3.art.4.quæstiunc.vltima.* vbi explicans conditiones confessionis dicit, *quod confessio habet ex sua ratione quod sit manifestatiua, quæ quidem manifestatio per quatuor impediri potest,per falsitatem, & quantum ad hoc dicitur fidelis,id est,vera. Secundo per obscuritatem, & quantum ad hoc dicitur nuda,vt non inuoluatur obscuritate verborum,&c.4.vt non subtrahatur aliquid de his quæ manifestanda sunt,& contra hoc dicitur integra.* Hæc ibi. Quibus illationes anteriores enucleantur.

Ratio vero huius quintæ illationis est, Quia 104.
pœnitens mentiendo in materia totali Sacramenti facit ipsum irritum, & sic ipsum iniuriat grauissime.Legatur Suarez *vbi supr.*

§. III.

De tertio titulo iustitiæ, tam commutatiuæ, quam distributiuæ.

SVMMARIVM.

105 *In contractibus non est licitum vti restrictione mentali.*

IN contractibus licitum non esse vti restrictione mentali,aut oratione mixta,præcipuè quando versatur circa substantiam contractus certissimum est,etiam apud Authores oppositæ sententiæ,vt videre est in Sanchez, Suarez, & aliis Authoribus supra citatis. Quare iuramentum adhibitum contractibus, etiam minorum debent intelligi secundum id quod exterius sonant verba in communi, & vsuali significatione, & iuxta mentem illius,cui fit obligatio. Sic S.Thom.2.2. *qu.89.artic.7.ad 4.* probans id ex D.Isidoro *lib.2. de summo Bono cap.31.* & ibi Caietanus *§.in solut.ad 4.* Siluester *verbo iuramentum 2.q.2.* Lopez *1.part.Instructor cap.42.* Sayrus *in claui lib. 5.cap.6.numer.12.* & plures alij quos isti referunt. 105.

Resolvtio II.

In contractibus cum infidelibus non est licitum vti restrictione mentali.

SVMMARIVM.

106 *Nec in contractibus initis cum infidelibus in ordine ad commercium ciuile licitum est vti restrictione mentali.*

EX quibus infertur primò, quod etiam in con- 106.
tractibus initis cum infidelibus in ordine ad commercium ciuile tenemur lege iustitiæ non vti oratione mixta, sed simplici vocum significato, secundum communem vsum; hæc enim simplicitas iure naturæ, & gentium est necessaria, aliàs nihil firmum maneret inter homines.

Resolvtio XII.

Periurus est qui huiusmodi contractibus iuramento firmatis adhibet restrictionem mentalem.

SVMMARIVM.

107 *Si quis in huiusmodi contractibus adhibeat iuramentum vtens restrictione mentali peccat mortaliter.*

Infer

107. INfertur secundò; quod si quis huiusmodi contractibus adhibeat iuramentum vrens restrictione mentali peccat mortaliter, quia ponit Deum pro teste grauis deceptionis proximi, cum autem materia sit grauis periurium mortale erit. Sic Lessius *lib. 2. de iustitia cap.42. dub. 9. n. 46.* Toletus *lib.4. summ.cap.21. n.9.* Sayrus *in Claui lib.5. cap.4.num.21.* Filliarch. *de officio Sacerdot. tom.1.p.2. lib.3. cap.14.* & est indubitata sententia apud omnes, qui asserunt testem iuridicè interrogatum non posse non aperire sincere veritatem secundum mentem interrogantis, etsi iuratus restrictione vtatur periurium facere, de quo videndus est Sanchez *vbi supr. cap.7.*

Resolvtio XIII.

In contractu Matrimonij non est licita mentalis restrictio.

SVMMARIVM.

108 *Non potest aliquis restrictione mentali vti in contractu Matrimonij.*

109 *Intentio mente retenta, nec parti expressa, nihil operatur in humanis contractibus.*

108. INfertur tertiò, non posse aliquem restrictione mentali vti in contractu Matrimonij, vt si interrogetur à Parocho si vult Bertam pro vxore, respondeat *volo*, intelligendo ad vnam horam, aut noctem, non tamen pro semper. Ratio est, quia verba debent intelligi iuxta subiectam materiam, & naturam contractus *l. damni infecti, D. de damno infecto l. si vno D. locati.* & optimè adnotat Guttierez, *in tom. consilior. consili. 12. num. 16.* ergo cum Matrimonium ex sua institutione perpetuum sit, perpetuum debet intelligi, & in perpetuum celebrari.

109. Secundò: quia intentio mente retenta, nec parti expressa nihil releuat, vel operatur in humanis contractibus *l. cum plures 62. §. locator horrei D. locati*, vbi Bartholus, Baldus, & reliqui Doctores. Quare contrahens cum hac animi duplicitate tenetur in conscientia, itaut absolui non possit, nisi mutet animum habens simplicem intentionem secundum verba exterius prolata, secundum communem significatum. Verum est quod si nondum animum mutans, & persistens in intentione non assumendi in vxorem, nisi ad tempus, & alio diuertat, vbi non cognoscitur, & matrimonium contrahat cum vera intentione, matrimonium hoc erit validum in foro conscientiæ, quamuis in foro externo & nullum sit, & puniri possit; vt tamen is qui restrictione fictè protulit verba possit cum alio coniuge vitam maritalem agere, necessarium non est, vt propalet alteri se fictè contraxisse, sed sat est si veram intentionem mutet. Sic Thom. Sanchez *lib. 2. de matrim. disp.32.* plures referens.

§. XIV.

Elector non potest vti restrictione mentali, vt dignior desistat ab oppositione.

SVMMARIVM.

110 *Elector, aut Prouisor beneficiorum Reipublicæ, restrictione mentali vti non potest, vt dignior desistat ab oppositione.*

INfertur quartò, Electorem aut Prouisorem beneficiorum Reipublicæ, cui alicui ex prouidendis, aut eligendis loquitur in sermone duplici, aut oratione mixta vt desistat ab oppositione, si est dignus, aut alio dignior peccat mortaliter, non solum contra iustitiam commutatiuam, sed etiam distributiuam, quæ exigit vt dignior præferatur; contra commutatiuam, etiam quia fraude, & dolo malo, saltim externo decipit proximum, sic tenet communis, & certa sententia. 110.

§. XV.

De aliis duobus titulis obedientiæ, & & aliarum virtutum.

SVMMARIVM.

111 *De obedientiæ titulo, & de titulis aliarum virtutum, remissiuè.*

DE titulo obedientiæ quando subditus tenetur, sincere, & absque restrictione Superiori si laicus sit, siue Ecclesiasticus veritatem propalare, in Superioribus latè disputatum est; adduximus enim varias casuum decisiones, dum, de testibus sermo institueretur, & de Reo à iudice requisito, de titulis etiam aliarum virtutum iam aliqua prælibaui sup. 111.

TRACTATVS OCTAVVS,

VTRVM POSSESSOR MALÆ FIDEI POSSIT TVTA CONSCIENTIA PRÆSCRIBERE.

CAPVT I.

Quid nominis bona, vel mala fides.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit mala fidei possessor, & num. seqq.*

1. PERÆPRETIVM est examinare quid sit malæ fidei possessor, quid vero bonæ fidei. De qua quantum ad nominis originem latè Couarruu. *in regul. possessor. p.2. §. 6. per totum.* Quæ magis ad eruditionem, quam casuum conscientiæ decisionem pertinent, & apud ipsum videri possunt ea quæ satis doctè congerit. Dicit igitur sapientissimus Præses, & Præsul §. 7. *num.6.* quem sequitur Thomas Sanchez *lib.2. summ. c.23.n.159.* bonam, vel malam fidem esse quid facti, non vero quid iuris, est enim bona, vel mala fides nihil aliud quam bona, vel mala conscientia. Colligitur clarè *ex cap. finali de præscriptionib.* ibi: *Omne quod non est ex fide peccatum esse,* id est, *ex conscientia*, vt explicat ibi Glossa, & ipse Innocentius *in fine cap.* dicens: *Qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ,* id est, *malam fidem.* Et sic bona, vel mala fides idem est quod bona, vel mala conscientia. Vnde possessor malæ fidei, idem est quod possessor malæ conscientiæ. Sic Gloss. in regulam *possess. vers. pro intellectu.* id est conscientiæ læsæ: possessor vero bonæ fidei est possessor bonæ conscientiæ, id est, integræ, & non læsæ. Quare optimè Couarr. *vbi sup. n.1.* quem sequitur Sanch. citatus, dicit quod bona fides nihil est aliud, quã iusta credulitas rei
3. propriæ, sicut mala fides est credulitas rei alienæ; & sic possessor bonæ fidei dicitur is qui iustè credit rem quam possedit ad se pertinere, & possessor malæ fidei is erit qui credit rem quam possidet ad
4. se non pertinere. Ita Doctores *ad l. bonæ fidei D. de verbor. significatione l. si fundum §. fundi D. de vsucap.* vbi Barthol. & Canonistæ *ad cap. finale citatum de præscriptionibus.*

2. *Sententia affirmatiua traditur, & n. seq.*
9 *Secunda sententia distinguit, & n.10.*
10 *Debitor non soluens pecuniam, quam scit creditori debitam non habet malam fidem quam excludunt Canones, quia isti requirunt peccatum, quale non committit iste debitor, non enim debitum negat, nec in solutione tergiuersatur, & n. seq.*
12 *Leges correctoriæ cùm sint odiosæ, strictè sunt interpretandæ, & n. seq.*
14 *Lex limitari debet iuxta causam finalem, & rationem quam habuit legislator, cùm ratio legis sit ipsius anima.*
15 *Confirmatur, & amplius declaratur secunda sententia, & num. seqq.*

RESOLVTIO I.

Vtrùm sit possessor malæ fidei qui rem alienam non restituit ob rationes iustas.

SVMMARIVM.

5 *An vt quis dicatur malæ fidei possessor, sat sit si rem credat alienam, tamen non peccat mortaliter non restituendo ob rationes iustas sibi occurrentes, & à restitutione excusantes, &c. & num.6.*

SEd modò est non parua difficultas, an vt quis 5.
dicatur malæ fidei possessor sat sit si rem credat alienam, tamen non peccat mortaliter non restituendo ob rationes iustas sibi occurrentes, & à restitutione excusantes. An, inquam, iste talis dicatur malæ fidei possessor, quantum ad effectum præscriptionis dispositæ lege ciuili, vel Canonica. Dixi quantum ad effectum præscriptionis quia absolutè malè possidet ratione rei retentæ, quam nosci esse alienam. Similiter non procedit difficultas quando quis à principio rem aliquam habuit malo titulo, vt quia furatus est eam, & factus est impotens eam restituere, semper enim est malæ fidei possessor ratione iniustæ acceptionis, numquamque præscribit in foro conscientiæ, sed manet semper cum obligatione restituendi, quamuis excusetur ob impotentiam. Quare difficultas est si quis aliquo titulo bono vt *pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote,* &c. habet rem quam scit esse alterius, tamen ob ra- 6.
tiones sibi iustas non tradit vero domino, an iste ita sit possessor malæ fidei quod nullo tempore præscribat in foro conscientiæ, de ipsoque intelligatur *cap. vltimum de præscriptionibus.*

§. I.

Adducuntur duæ sententiæ circa possessorem malæ fidei, vt possit præscribere.

SVMMARIVM.

Prima

7. PRima sententia affirmat istum talem nunquam præscribere esseque possessorem malæ fidei, de quo agitur *in præfato capite*. Ita Couarruu. *in regul. possessor p.2. §. 11. num.8. vers. verum aduersus* Panormit. *in cap. vlt. de præscriptionibus.* Ancharranus,& Francus *ad regul.possessor.* Paulus de Castro *lib. 2. consilior. 98.* Baldus, Bartholus, & alij quos citat Couarruuias, quibus adde Molinam *de iustitia tract. 2. disp. 64. & seqq.* Salon. *2. 2. tom.1. column.* 570. Aragonium *pag.*274. & est communis inter Theologos,& iuristas vtriusque iuris. Fundamentum est sumptum *ex regul. possessor malæ fidei in 6.*in qua habetur quod nun-
8. quam præscribit. Vnde Innocentius III.*in cap finali de præsumptionib.* omnes leges ciuiles quæ præscriptionem concedunt possessoribus, malæ fidei vt iniustas damnat. Idem habetur *in cap.vigilanti eodem.* in quo Pontifex damnat possessorem malæ fidei, & dicit nunquam præscribere,siue creditor agnoscat, siue ignoret debita; ibi *cognitis & latentibus debitis.* Et ratio est, quia eo ipso quod possessor agnoscat rem alienam, agnoscit se eam alteri debere: ergo si non det, semper habet conscientiam rei alienæ, & si non restituat, peccat, atque ita ex peccato suo commodum præscriptionis accipere nequit.

9. Secunda sententia distinguit inter actiones reales, & personales, & dicit quod possessor malæ fidei præscribit debita manantia ex actionibus personalibus: secus vero ex actionibus realibus. Ita Hostiensis *in summa tract. de præscription.rer. immobil. §. Quæres vers. actiones personales* Barthol. *in l. sequitur §. si viam D. de vsucap.* & ibi Romanus, Baldus *lib. 2.consilior.* 437. Corneus *lib.2. consil.*206. *& lib.3. consil.*246. Petrus Ferra-
10. riensis *in practica verbo præscriptio* Carolus Molineus *ad Alexand. consil 99. lib.4. column.2.* qui dicit eam sententiam esse veriorem, & communiorem, & in praxi seruari. Huius sententiæ duo sunt fundamenta.

Primum quia debitor non soluens pecuniam, quam scit creditori debitam non habet malam fidem quam excludunt Canones, quia isti requirunt peccatum,quale non committit iste debitor, non enim debitum negat, nec in solutione tergiuersatur, sed ob iustas rationes eam non offert:
11. quod si creditor negligens sit in petenda pecunia ab eius negligentia incipit præscriptio debitoris, etenim in præscribendis actionibus personalibus solum requiritur negligentia creditoris non petentis, in cuius pœnam legislator statuit quod amittat ius, quod ex tali actione illi debebatur, ad hoc enim parum refert quod debitor agnoscat esse debitorem illius pecuniæ: quod secus est in actionibus realibus ex quibus acquiritur ius in re, contra quod vt præscribatur præscriptio incipit à possessioue, quæ debet esse iusta, saltem opinione possidentis; debet enim necessario in præscribendis his actionibus realibus factum præscribentis iustum esse.

12. Secundum fundamentum est, quia leges correctoriæ cum sint odiosæ, vt optimè, & egregiè adnotauit Adrianus *in 4. fol. mihi 165. §. Dico igitur.* strictè sunt interpretandæ; atque ita cum iuxta *l. derogatur D. de verbor. signific.* & Gloss. *in cap. in istis dist.* 4. aliud sit legem abrogare, aliud derogare legi, nam prius verbum significat
13. in totum auferri, posterius autem verbum denotet partem auferri: leges ciuiles concedentes præscriptionem possessoribus malæ fidei non abrogantur legibus, & Canonibus Pontificiis, sed derogantur solum quatenus mala fides, & possessio ciuilis potest esse cum peccato mortali: quod si hoc absit non abrogantur, sed in sua vi manent leges ciuiles, imò nec Pontifices possunt eas abrogare, nisi in terris; quarum habent dominium temporale. 14.

Cuius doctrinam satis egregiam ponit ibi Adrianus VI. Pontifex Maximus, prius nostræ Hispaniæ Regius Consiliarius, quam desumpsit ex Glossa *in Regul. Possessor. de Regul. iuris in 6. verbo.Possessor.vers in his autem.* Quia lex limitari debet iuxta causam finalem, & rationem quam habuit legislator,cum ratio legis sit ipsius anima. *l.non dubium C. de legibus, & constitut. Princip.* Quod ita tenet verum vt contra verborum tenorem lex restringat ad metas causæ finalis *l cum Pater §.Dulcissimus D.de legatis.2.* Sed ratio, & causa finalis quare Pontifices decernunt leges ciuiles concedentes præscriptionem cum mala fide est,quia seruari non possunt sine peccato mortali, vt habetur *cap finali de Præscriptionibus:* ergo in his casibus, in quibus non interuenit talis culpa Pontifex non potest eas leges abrogare, nisi in terris in quibus habet dominium temporale. 15.

Confirmatur primò, Quia Innocentius III. *in præfato cap.* non dicit hac leges esse abrogandas, sed solum decernit id quod certissimi iuris est, scilicet, omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest obseruari: si ergo cum mala fide, & absque peccato mortali obseruari potest non abrogatur hoc canone,sed in sua vi manet. 16.

Confirmatur secundò, Quia Pontifex in isto Canone solum dicit *quod qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Vbi per *conscientiam* non intelligit quamlibet scientiam certam,& euidentem, qua ego cognosco me habere rem alienam, vt in simili intelligunt Nauarrus *in Canon.Si quis de Pœnitentia dist.7.num.* 128. Couarruuias *lib.1. Variar.cap.1. num.7.* sed intelligit per conscientiam iudicium practicum, quo iudicamus aliquam actionem nostram in particulari hic, & nunc licite fieri, & secundum 17.
legem Dei,& non cõtra.Vnde *c.1.de sent.& re iudicata.Et Clem.1. de Hæreticis,* præcipitur Iudici, vt secundum propriam cõscientiam ferat sententiam,non secundum propriam,& extraiudicialem scientiam,quantumuis euidentem, vt determinatur *Cap.accipimus cap.contingit de fide instrumentor. l.adoptio D. de adoptionib.* Vnde cum possit quis habere scientiam rei alienæ, non tamen conscientiam poterit præscribere,etiam cum scientia rei alienæ, sciens se habere debitum alicuius,& licite non soluere,& sic præscribere,quia non habet conscientiam iniustæ detentionis, etsi formaliter non habeat malam fidem, quæ denotat iudicium practicum contra iustitiam, sed solum iudicium speculatiuum rei alienæ, quod leges ciuiles malam fidem nuncuparunt, & infra latius expendam. Vnde bene Glossa *in Re. Possessor.*quem sequuntur aliqui dicunt quod mala fides est con-
scientia rei alienæ, in quo sensu sumitur malæ fi- 18.
dei possessor ab Alexandro III. *in cap.Vigilanti de Præscriptionibus.*

§. II.

Enucleatur tertia Sententia.

SVMMARIVM.

19 *Tertia ſententia aſſerentium quòd poſſeſſor malæ fidei tempore immemorabili præſcribit, tam in realibus, quàm in perſonalibus actionibus.*

20 *Referuntur verba Adriani VI. in 4. & num. ſeqq.*

19. TErtia Sententia eſt aſſerentium quod Poſſeſſor malæ fidei tempore immemorabili præſcribit tam in realibus, quam in perſonalibus actionibus. Ita Salicetus *l.2.num.8. C.de ſeruit.& aqua* Decius *conſil.496.num.9.* & *conſil.638. & l.Traditionibus colum.3.C.de pactis*, Boerius *deciſ. 39.num.7.* Quæ ſententia poteſt dupliciter intelligi primo. Quod mala fides ſit mala conſcientia mortaliter peccaminoſa, & ſic ſuſtineri non poteſt cum ſacris canonibus leges ciuiles in hac parte ſunt derogatæ, *cap vigilanti.cap.finali de Præſcriptioniqus & Regul.Poſſeſſor.de Regul.iuris in 6.* vbi omnes Canoniſtæ. Quorum plures refert, & ſequitur Couar. *Regul.Poſſeſſor.p.2.§.8.num.5.* & eſt indubitatum inter Theologos, quorum plures refert, & ſequitur Barboſa *in Collectan.ad præfatam Reg.* Alio modo poteſt intelligi ſententia Saliceti itaut mala fides ſit non mala conſcientia rei alienæ, ſed rei alienæ ſcientia quæ ſit abſque peccato mortali, & ſumendo malam fidem in
20. hoc ſenſu Adrianus VI. *in* 4. loquens de Reſtitut. *pag.165.* in paruis ſic dicit: *leges decernentes præſcriptionem currere cum mala fide non ſunt per ius canonicum abrogatæ, id eſt in totum ablatæ, ſed derogatæ id eſt, pars earum detracta iuxta l. derogatur D.de verbor ſignificat. Et notat Gloſſa in cap. iniſtis 4.diſt. Vnde dico pro tanto eſſe eis derogatum, quia præſcriptio cum mala fide, & cum mortali peccato præſcribentis per ius Canonicum irritata vt iam ferre non poſſit in iudicio opem exceptionis, vel rei vindicationem; ſi etiam bona fide ab initio rem occupauerit de quo in l. Si quis emptionis.§ ſecundo C. de Præſcription. triginta, vel quadraginta annorum, ſed ſi mala fides mortale peccatum connexum non habuerit de occupando, vel non*
21. *ſoluendo nullam, credo huic præſcriptioni per Canonis diſpoſitionem ſubſtractum fuiſſe ciuilis iuris efficaciam ſiue inferendo opem exceptionis, ſiue rei vendicationem, aut huiuſmodi: ergo qui dicit iuris diſpoſitionem tutari hominem in foro conſcientiæ quoad materiam præſcriptionis habebit inquirere à præſcribente, ſi cum mala fide ſciebat alteri obligatum tempore medio præſcriptionis, aut occupare alienum ſimul, ſi mortaliter peccauerit ad cauſam occupationis vel non ſolutionis, à quo ſi immunem repererit nullum debet ei de reſtituendo ſcrupulum ingerere, v g. Si quandocumque ſe aduertebat occupare alienum paratus erat reſtituere, ſed incertus de domino rei inquiſiuit pro tempore medio iterum*
22. *lapſus eſt à memoria, & vſque in finem temporis ad præſcribendum præfiniti occupauit, iſte enim non occupat alienum inuito domino cum teneatur conſentire in tempus occupationis, quod neceſſarium fuerit ad inquirendum de rei vero domino; nec contra hoc militat l. Qui vas. §. vetere. D.de furtis. Aut certe certus de Domino veriſimilibus de cauſis præſumpſit, tum conſentire in non ſolutionem, vel occupationem, puta ſi ſciat Dominum noſſe quod ipſe proferre tota ſubſtantia ſua emerit ab eo,*
23. *quem credidit quoad hoc veri Domini procuratorem miſeræ conditionis, vt nihil poſſit ab eo vendicare, vel cognoſcit ad ſeruitutem prædium ſuum obligari, & Dominum ſeruitutis, ſcire, nec forte aduertit præſcriptionem currere, aut quod Dominus tanto tempore ſeruitute ſua neglexerit vti, his caſibus nullum incurrit mortale peccatum.* Hactenus Pædonomus ille Caroli Quinti Imperatoris. Cuius ſententia probabilius in foro conſcientiæ in ſequentibus diligenter eſt oſtendenda, & enucleanda.

§. III.

Aliqua notabilia pro Adrianæ ſententiæ ponuntur intellectu.

SVMMARIVM.

24 *Notabilia quædam pro intellectu prædictæ ſententia, & num.ſeqq.*

DE Poſſeſſore bonæ, & malæ fidei hic agimus 24.
in ordine ad præſcriptionem, cuius præſcriptionis ſignificatum proprium quantum attinet ad præſens inſtitutum nihil eſt aliud quam *dominij acquiſitio, ſiue alicuius iuris realis, ſiue perſonalis per continuationem temporis à lege definiti.* Sic Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 1. num.3.* eſt communis acceptio apud Theologos, & vtriuſque iuris Doctores, Ciuiles *ad lib. 41. digeſtor. & ad lib. 7. Codicis.* Canoniſtæ *ad titul. de præſcriptionib. in Decretalib. & in 6.* quorum aliqui quos ſequuntur plures recentiores diſtinguunt vſucapionem à præſcriptione quod iſta ſit rerum immobilium, illa vero mobilium. Sed Leſſius *num.4.* hanc diſtinctionem reiicit, quia inſtituta de vſucapion. in principio *& l. vnica C. de vſucap.* vſucapio ad res immobiles refertur, & etiam res mobiles præſcribimus. Legendus eſt Ioachimus Minſſyngerus *lib 2. inſtitut. tit.6. de vſucap.* 25.
& præſcription. vbi dilucidè de hac materia tractat aſſerens quod vſus per lapſum temporis res
corporales, & incorporales priori Domino adi- 26.
mit, & transfert in alium, eſt enim præſcriptio veluti quidam fructus, & effectus vſucapionis *l. emptor 7.C.de præſcriptio longi tempo.* Vnde Ioannes Sanchez *ſel.48. num.59.* adnotauit quod vſucapio, aut præſcriptio propriè ſumpta iure Cæſarum, & Pontificum introducta proprium dominium confert præſcribenti. Principes enim ſupremi ob bonum publicum, & ad litium multitudinem præludendam inuenerunt leges vſucapionis; ſic enim habetur *l.1. D. de vſucapion. Bono publico vſucapio introducta eſt, ne ſcilicet quarumdam rerum diu, & ferè ſemper incerta dominia eſſent.* Et ſic ibi *l.2.* Iuriſconſultus Modeſtinus definit vſucapionem quod ſit *adiectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti.* & Gothofredus ibi *littera H.* dicit, quod 27.
vſucapio *eſt dominij acquirendi ciuilis modus.*

§. IV.

§. IV.

De titulis ad præscribendum in iure positis.

SVMMARIVM.

28 *Primus titulus ad præscribendum in iure positus, appellatur* Pro soluto.
Secundus titulus dicitur, Pro emptore, *ibid.*
29 *Tertius est* Pro transacto.
Quartus, Pro hærede,
30 *Quintus*, Pro donato.
31 *Sextus*, Pro derelicto.
32 *Septimus*, Pro legato.
33 *Octauus*, Pro dote.
34 *Nonus titulus est*, Pro suo. *ibid.*
35 *Decimus titulus*, Pro iudicato.
36 *Afferuntur alij duo, ex Azorio, & n. seqq.*

TItuli autem quibus dominij adiectio fieri potest decem sunt, qui ferè omnes habentur
28. *lib.*41. *DD. tit.*3. *& lib.*7. *C.* Primus habetur *l.*2. *D. pro emptore*, & appellatur *pro soluto*, vt si existimans me tibi debere centum, aut mihi commodasse torquem, & tu bona fide accipias, aut si per errorem tibi secundo soluam, quod iam solutum est.

Secundus titulus dicitur, *Pro emptore* vt si emas rem à furioso, quem putabas sanæ mentis, secus si à prodigo, vel aleatore, cui interdicta est administratio, quia requiritur bona fides, non solum in accipiente, sed etiam in tradente. *l.*2. *D. pro emptore.* Sed qua ratione id verum teneat in conscientiæ foro, dicam infra.

29. Tertius est *Pro transacto*, vt cum aliquid bona fine est traditum, & acceptum causa transactionis, vt à lite recedatur. *l. ex causa.* c. de vsucap. pro emptore, &c.

Quartus est *pro hærede*, vt cum quis vere est hæres, aut bona fide se hæredem putat.

30. Quintus est *Pro donato*, vt cum quis bona fide donauit rem alienam ignoranti *l.*2. *D. pro donato.* Quæ lex intelligitur quando donatio non est inualida ex inhabilitate personæ vt Religiosi, pupilli: vxoris respectu mariti, aut è contra, vt habetur *l.* 1. *D. eodem.* Qui tamen emit à coniuge quod sic donatum nouit, potest illud vsucapere, quia cum consensu coniugis præsumitur venditum, vt habetur *l. si id quod D. pro derelicto.* Quod secus est in donationibus Religiosi, & pupilli.

Sextus est *Pro derelicto*, vt quando quis cœpit bona fide possidere quæ à domino putabantur haberi pro derelicto *l. si id quod citata.* Vnde potest
31. quis habere malam fidem, etiam canonicam ex aliquo titulo ex annumeratis, & annumerandis, & habere lapsu temporis bonam fidem ex hoc titulo pro derelicto, credens probabiliter ex aliquibus circunstantiis rem alienam, quam apud se habet esse derelictam à vero domino, & sic ipse incipere potest vsucapionem, cum bona fide.

32. Septimus est *Pro legato*, vt si testator credebatur sanæ mentis, cum non esset, si ignoratur legatum sublatum esse per codicillum *l.*4. *D. Pro legato & l. forali D. eodem.*

33. Octauus est *Pro dote*, vt si res aliena bona fide pro dote donata sit. *l.* 1. *pro dote* vbi etiam habetur quod si sponso aliquid ab sponsa detur aut è contra, cum intentione vt statim fiat eius, potest vsucapere titulo *Pro suo*, non titul. *Pro dote.*

Nonus titulus *Pro suo*; qui titulus oritur ex omnibus his quibus putamus nobis acquiri dominium, namque possidemus, vt nostram *l.*1. *D.* 34. *Pro suo.* Vnde possum vsucapere fructum rei furtiuæ, quam bona fide emi, & si rem ipsam vsucapere non possim *l.*4. *D. eodem* in quo *l. finali*, habetur quod si quis in rebus suis inuenit aliquid non furtiuum, aut vi possessum, quod bona fide ex aliquo titulo putat esse suum, potest illud vsucapere.

Decimus titulus est *Pro iudicato*, vt cum res 35.
est iudicata, & spatio decem dierum non est appellatum. Quem titulum etiam recipit Ecclesia *cap. anteriorum* 2. *quæst.*6. quos titulos adducunt Lessius *lib. & cap. citat. dub.* 7. Azorius *tom.* 3. *lib.*1. *cap.* 21. per totum, addens duos alios titulos. Primus dicitur *Pro permutato*, vt si permutatione rem alienam acquisierim, cum qua permutaui rem meam, putans bona fide esse Titij, qui re ipsa eius dominus non erat. Secundus est
Pro socio, vt si finita societate in partitione lu- 36.
crorum mihi obtigit res aliena putanti bona fide communem esse societatis.

His omnibus titulis præscribere possum, aut vsucapere, si tamen adsit bona fides, hanc enim exigunt iura citata ad vsucapionem, aut præscriptionem ordinariam triennalem, decennalem, aut viginti annorum. Cæterum quia præscriptiones longissimi temporis triginta, aut quadraginta annorum hanc bonam fidem non exigunt, imo nec aliquem titulum, sed solummodo possessionem, amplius enucleandum est, quid sit bona fides, quid mala.

§. V.

Duplex bona, vel mala fides Ciuilis, & Canonica explicatur.

SVMMARIVM.

37 *Conscientia, & fides in præsenti pro eodem sumuntur.*
38 *Fides bona ciuilis dicitur, quæ legibus ciuilibus concordat.*
39 *Conscientia bona canonica dicitur, quia legibus Ecclesiasticis congruit.*
40 *Assignatur discrimen inter has fides, & conscientias bonas, & num. seq.*
Lex Canonica, & Ecclesiastica respicit primario forum animæ ibid.
41 *Fides mala ciuilis quænam dicatur?*
42 *Fides mala canonicè, quæ?*
46 *Adducuntur verba Couarruu.* in Reg. Possessor p.2. §.7. n.11. vers. Ego sanè.

SEcundò notandum quod cum, vt supra vidi- 37.
mus: conscientia, & fides in præsenti pro eodem sumantur, & conscientiæ bonitas, & malitia quantum attinet ad præsens sumatur in ordine ad leges quæ sunt illius regulæ, & mensura, sicut est duplex potestas, ciuilis vna, & Ecclesiastica alia, ita duplex conscientiæ regula à qua suam malitiam, & bonitatem accipiat, considerandaest: dicitur enim conscientia, aut fides bo- 38.
na ciuilis, quia legibus ciuilibus concordat. Dicitur etiam conscientia bona canonica, quia legibus Ecclesiasticis congruit. Inter quas fides, & 39.
conscien-

conscientias bonas hoc interest notandum discrimen quod aduertunt Doctores dum de legibus disputant quod lex ciuilis cum primariò attendat
40. bonum, & pacem politicam, quæ exterius quid est, primariò non inducit obligationem conscientiæ, sed vt sic loquar, secundariò, quatenus si iusta est ad hunc finem consequendum obligat ratione materiæ prohibitæ, vel præceptæ subditos in foro animæ, vt notat S. Thom. 1.2. *quæst.96. art.4.* & sic in ordine ad hanc legem sumitur.

Lex tamen canonica, & Ecclesiastica respicit primariò forum animæ, & in ordine ad illud lata est primariò, nisi pertineat ad forum contentiosum, etenim Summus Pontifex, cæterique Prælati Ecclesiastici, reddituri sunt de animabus nostris rationem, & sic suis legibus inuigilant pro salute nostra spirituali, & sic in ordine ad istam legem fides dicitur bona bonitate excludente peccatum.

41. Ex quo fit quod fides mala ciuiliter est illa quæ est contra dispositionem legis ciuilis, & contra iura. Sic expresè habetur *l. quemadmodum C. de agricolis, & censitis.* ibi, *Malæ fidei possessorem esse nemo ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mereatur.*

42. Fides tamen mala canonicè dicitur illa quæ inuoluit peccatum mortale, sic *cap. vigilanti cap. Quoniam omne de præscription.* Vnde ille qui ciuiliter habet bonam fidem, hoc est conscientiam conformem legibus ciuilibus, si in ea est læsio peccati, est absolutè mala fides, nec qui sic possidet potest tuta conscientia rem præscriptam possidere etiam si longissimi sit temporis, & immemorabilis, etiam si transeat ad hæredes *suos vel non*
43. *suos*, si isti sciant primum possidentem cum peccato iniustæ acceptionis, aut detentionis possedisse.

Ex quo fit quod bona fides ciuilis, & bona fides canonica se habeant sicut regimen ciuile, & ca-
44. nonicum, ex quibus leges quibus conformantur manant; atque ita sicut regimen canonicum damnat ciuile in eo quod opponitur animæ, ita bona fides canonica in eodem excludit ciuilem; quod si bona fides ciuilis sit sine peccato, eam non damnat, nec damnare potest lex Ecclesiastica, cum Pontifex ad regimen ciuile per se non extendatur. Similiter si sit mala fides ciuilis absque peccato mortali eam in foro animæ non damnat lex canonica, quæ capitibus citatis præscriptionem malæ fidei vniuersaliter damnat, sumens malam fidem pro mala conscientia, quæ absolute dicitur bona, vel mala, quatenus est sine peccato, aut cum illo. Quod si mala fides ciuilis possit esse absque peccato, vt egregie notabat Pontifex Adrianus, & possessori tali malæ fidei concedatur præscriptio, aut vsucapio, hoc non euertit Pontificia lex, quæ damnans leges ciuiles fundatur in præsumptione peccati; quod si veritas non sit, in sua vi translatiua dominij manet.

45. Quare possessor malæ fidei ciuilis, vt præscribat præsupponit bonam fidem Canonicam, hoc est, conscientiam non læsam peccato mortali iniustæ acceptionis, vel detentionis. Quare eo ipso quod lex ciuilis concedat possessori malæ fidei ciuilis præscriptionem intra spatium definiti temporis, eo elapso iam non est possessor malæ fidei, sed bonæ, tam ciuiliter, quam Canonicæ, vt constat ex *l. Iuste possidet D. de acquirenda possessione.*

Hanc distinctionem malæ fidei canonicæ, & ciuilis, & quod mala fides ciuilis simul cum bona fide canonica sat sit ad præscribendum in foro conscientiæ, mihi post longam diligentiam ad inquirendum Authorem, qui meam considerationem protegeret dedit Sapientissimus D. Didacus de Couarruias *in Reg. Possessor. p.2.§.7. num.11. verſ. Ego ſane. circa medium*; vbi sic loquitur: 46.
Quantum ad præscriptionem iuris error excluditur, neque ex eo præscriptio procedit, quia illa culpa est negligentia in iuris errore, & in non inquirendo diligenter, quid leges humanæ de illo actu, ad eius iustitiam statuerint, efficit vt ad effectum præscribendi iuris error, vel mala fides iudicetur, vel eius vicem habeat ex Regula cui contra iura, de regul. iur. Quo fit, vt si contingat, errorem iuris, etiam resistentis inuincibilem esse, tunc præscriptio in animæ iudicio obtinebit, atque ita defendi poterit Ioannis Medinæ opinio; imo ea sic intellecta apud iudicem exteriorem admittenda est, sicut apertissime probatur, quam statim exponemus. Sed si error iuris vincibilis sit culpamque proferat, etiam si quoad pactum in animæ iudicio possessor bonam fidem habuerit, quippe qui existimauerit rem à se possessam propriam esse, tunc humanæ leges seruandæ sunt, nec locus erit præscriptioni. 47.

Et infrà *num.17. Qui habet inuincibilem ignorantiam, quæ iusta est, iustam præbet præscriptionis causam, cum ius ciuile ideo repellat ab vsucapione* 48.
iuris errorem, quia cum iniustum esse constet ob negligentiam, & culpam ignorantis. seu errantis, qui non fecit quod agere tenebatur ad eum errorem effugiendum, sicut paulo ante dicebam. Ea conclusio probatur authoritate ex cap. Cum dilectus de consuetudine. Quem ita interpretatur Abbas, & Immola ibi, idem Abbas in cap. de quarta. De Præscription. Francus in cap. Sæpe de Appellationibus &c. legatur *num.13.* vbi ex doctrina Bartholi, Baldi, Dini, Felini, & Balbi *ad l. si vir D. de vsucapio pro donat.* dicit quod error facti simul cum errore iuris bonam fidem inducit sufficientem ad præscriptionem, etiam si ea titulum exigat. Sic etiam defendunt Socinus *lib.2. consil.47. num.11.* cui adde Marcandum *de Probation. concl.639. num.20.* Cardinalem Tuschum *verbo Ignorantia concl.13. n.18.* Farinacium, *in fragment. criminalibus p.2. verbo ignorantia à num.27.* vbi latè id confirmat probans quod ignorantia iuris excusat mulierem, rusticum, militem, & minorem.

§. VI.

Error iuris facit malam fidem ciuilem, non canonicam, si error inuincibilis sit.

SVMMARIVM.

49 *Si error iuris faciat malam fidem ciuilem, quæ obstat ad præscribendum in foro externo, tamen si sit inuincibilis, & inculpabilis compatitur cum bona fide canonica, quæ sat est ad præscribendum in foro conscientiæ, & interiori.*

50 *Fulcitur auctoritate, & ratione, & numer. seqq.*

58 *Obiicitur argumentum valde efficax; roboratur, n. seqq.*

61 *Soluitur supradictum argumentum, & eius confirmatio & n. seqq.*

Ex

49. EX quibus omnibus colligitur tertium notandum, quod ſi error iuris faciat malam fidem ciuilem, quæ obſtat ad præſcribendum in foro externo, tamen ſi ſit inuincibilis, & inculpabilis compatitur cum bona fide canonica, quæ ſat eſt ad præſcribendum in foro conſcientiæ, & interiori. Sic primus Theologorum ſuo ſæculo Medina Complutenſis *C. de Reſtitut. q.* 17. cui adſtipulatur Pontifex Adrianus *vbi ſuprà* Leſſius *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 5. *num.* 17. *verſ. Quarto multi.* concludens: *Ex dictis patet Medinæ ſententiam eſſe valde probabilem, & iure veriorem in præſcriptione triginta annorum, Quod titulum non*
50. *requirit.* (Ego addo ex ſententia Couarru. etiam ſi titulum requirat) *in præſcriptione autem ordinaria, quæ titulum requirit in foro conſcientiæ non eſſe improbabilem, imo non videri improbabile etiam in foro externo admittendam eſſe, ſi probatum fuerit nullam negligentiam poſſeſſoris interueniſſe, ſed illum feciſſe quantum pro ſua conditione potuit, vt iura cognoſceret.* Hæc Leſſius, quæ deſumpſit ex citatis Authoribus.

51. Quibus adiungo Imolam, *in Cap. de Quarta, & Repetit. ad Cap. Quoniam de Præſcription.* Antonium de Butrio *in Cap. Cura de iur. Patronat.* & *in Cap. Peruenit. de emptione* Paulum de Caſtro *conſ.* 152. §. *circa præſentem caſum*, & *in l. Celſus* 21. *D. de vſucap.* Romanum *conſ.* 123. Alexandrum
52. *conſ.* 125. Iaſon *l. ſi quis notabil.* 8. *D. de iuriſdiction. omnium, iudicum.* Antonium Rubeum *conſil.* 75. qui affirmat hanc eſſe communem opinionem. Silueſtrum *verbo ignorantia q.* 3. *n.* 20. §. *Septimum.* Quod latè probat *num.* 12. cuius optimã rationem *infrà* §. *ſequenti concl.* 1. dabo. Addo etiam Baldum *ad cap. Quoniam omne de Præſcrip.* dicentem poſſe præſcriptionem admitti, etiam ſi præſcribens malam fidem habuerit, modo fiat lex qua ſtatuatur leges omnes præſcriptionem aliquam inducentes habere vicem, & vim. Conſenſus ipſorum priuatorum qui legumlatoribus ſubiiciuntur, quia in hac ſpecie non datur mala fides canonica propter conſenſum illius contra quem præſcribitur, vt §. *ſeq.* amplius enodabo.

53. Et quidem quod error inuincibilis, & inculpabilis non faciat malam fidem canonicam, etſi faciat malam fidem ciuilem, quæ non obſtat præſcriptioni in foro conſcientiæ, Probatur primò, Quia poteſt quis facta ſufficienti diligentia, quam ſui ſtatus homines ſolent facere ad cognoſcendas contractus leges, inuincibiliter ignorare illas abſque peccato: ergo licet ciuiliter non habeat bonam fidem, quia ius ciuile eam fidem quæ cum ignorantia iuris malam appellat, canonica tamen habet bonam fidem. Probatur conſequentia, quia vt eſt indubitatum apud DD. vtriuſque iuris, quãdo ius eſt obſcurum error iuris non obſtat præſcriptioni, quia talis error poteſt eſſe inculpabilis, ſed etiam quando ius clarum eſt poteſt aliquis illius habere ignorantiam inuincibilem, & abſque peccato: ergo talis ignorantia, aut error iuris non impedit præſcriptioni.

54. Secundò, Ideò iuris error impedit præſcriptionem, quia præſumitur illum habentem malam fidem poſſidere, ſed in iure ciuili poſſeſſor malæ fidei præſcribit ſpatio triginta, vel quadraginta annorum *l. ſi quis emptionis C. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum*: ergo iure ciuili huiuſmodi præſcriptio valet cum errore inuincibili iuris. Conſequentia probatur, Quia etſi error iuris faciat malam fidem, tamen cum mala fide iure ciuili procedit præſcriptio in foro non ſolum animæ, ſed etiam externo.

Quod ſi dicas, Has leges ciuiles abrogatas eſſe iure Canonico. 55. Contra eſt manifeſte, quia ius canonicum non corrigit ius ciuile, niſi quoad malam fidem quæ eſt cum peccato, & diſpendio ſalutis, vt conſtat *ex cap. Vigilanti, & cap. Quamuis omne. de Præſcription.* at quando eſt iuris ignorantia inuincibilis poſſeſſio eſt abſque peccato, & animæ diſpendio, vt omnibus notiſſimum eſt: ergo licet hæc ignorantia ſecum portet malam fidem ciuilem, tamen ſimul eſt cum bona fide canonica. Quæ doctrina non ſolum tenet verum in 56. præſcriptione longiſſimi temporis triginta, vel quadraginta annorum, ſed etiam in præſcriptione longi temporis decem, vel viginti annorum; imo & in præſcriptione triennali, in omnibus enim iſtis ignorantia iuris præſcriptioni non derogat, ſi quidem compatitur cum bona fide canonica. Etſi enim ignorans ius, & leges contractus, præſumptione iuris, & de iure præſumatur habere malam fidem, contra quam præſumptionem non admittitur probatio. Primò, quia hoc procedit in foro externo. Secundò, quia in hoc etiam probatio admittitur (quando ſubeſt euidens cauſa) vel iudicis benignitate, vel reſtitutione in integrum ex clauſula generali, *ſi qua mihi iuſta cauſa* de qua *in l.* 1. *D. ex quibus cauſis maiores*: non tamen pro- 57. cedit in foro interno, in quo non obligant leges fundatæ in præſumptione, quando id quod præſumitur non ſubeſt. Legantur Molina *lib.* 2. *de Primogeniis cap.* 7. *n.* 69. Baldus *in l. venditioni C. de vſucapion. pro empt.* & *in l. Poſſeſſiones C. ſi quis ignorans rem minoris eſſe.*

Sed obiicies contra dicta ſatis efficaciter, Quia 68. præſcriptio rei alienæ introducta eſt iure ciuili ob bonum publicum ad euitandas lites, & vt iura, & dominia rerum certa ſint apud ſuos poſſeſſores. Vnde Princeps, & legiſlator dominium rei transfert in poſſeſſorem; atqui in vſucapione, & præſcriptione ordinaria, & contra pupillum leges ciuiles determinant ignorantiam iuris facere poſſeſſorem malæ fidei. Qui (aiunt) non poteſt vſucapere, aut præſcribere. Ita habetur *l ita iuris D. de facti, & iuris ignorantia*, & *l. Nunquam D. de vſucapion.* & *l.* 2. §. *ſi à pupillo D. Pro emptore*: ergo licet error inuincibilis excuſet à peccato non reſtituendi, tamen non ſufficiet ad veram præſcriptionem, quæ dominium transferat.

Confirmatur. Quia quando lex, aut conſtitutio 59. irritat contractum aliquem conſtituens ſubſtantialem formam illius, ſi quis inuincibiliter legem ignoret, & faciat contractum, iſte nullus ipſo facto eſt, neque ex vi illius acquirit dominium, aut illius tranſlatio fit, vt eſt indubitatum apud ferè omnes vtriuſque iuris interpretes, & vniuerſos Theologos: ſi quis enim ignoret inuincibiliter legem Tridentini Concilij circa contractum Matrimonij quod debet fieri coram Parocho, & teſtibus non facit contractum validum, licet ignorantia inuincibili excuſetur à petendo, & reddendo debitum, ita vt non peccet; & ſic nunquam acquirit verum dominium alterius conſortis: & 60. quotieſcunque ignorantiam iuris excluſerit, tenetur nec reddere, nec petere, etiam ſi cum ignorantia inuincibili bonæ fidei poſſeſſor fuerit: ergo cum præfatæ leges ciuiles cum ignorantia iuris decernant non procedere vſucapionem, nec præſcriptionem, contra pupillum cum tali ignorantia præſcribens non habet verum dominium

rei

rei præſcriptæ, aut vſucaptæ, ſed quotieſcumque ſciuerit eſſe alienam tenetur reſtituere in conſcientia, etiam tranſacto tempore à lege texato ad præſcribendum, & vſucapiendum.

61. Fateor argumentum hoc, quod apud nullum ſolutum vidi, valde eſſe efficax ad probandum, intentum, ſed nihilominus reſpondetur, quod quando leges ciuiles dicunt quod ignorantia iuris, non facti obſtat vſucapioni, ex emptione contra pupillum, fundantur in præſumptione malæ fide, quod ſi hæc non adſit, manent in ſua vi aliæ leges de præſcriptione, & vſucapione, per quas transfertur dominium in poſſeſſorem.

62. Ad confirmationem reſpondetur, quod aut contractus quo lex, aut conſtitutio irritat ipſo facto, inducunt obligationem naturalem, aut nullam talem obligationem inducunt, ſed omnino omnem obligationem tam ciuilem, quam naturalem excludunt, vt ſunt contractus pupilli, & minoris de re immobili precioſa, quæ ſeruando ſeruari poteſt. Si quis contrahat priori modo habens ignorantiam inuincibilem iuris, tranſacto tempore determinato ad præſcriptionem, aut vſucapionem verum acquirit dominium, & ratum; nec tenetur reſtituere tranſacta ignorantia: ſecus vero ſi contrahat ſecundo modo, in quo nullum acquirit dominium, etſi excuſetur à reſtitutione ratione ignorantiæ inuincibilis: cum enim contractus nullam obligationem naturalem, aut ciuilem inducat, ratione illius nulla fit dominij tranſlatio: verum tamen eſt, quod ex-

63. cluſa ignorantia ille qui à pupillo emit poteſt rem emptam retinere iure retentionis, aut compenſationis, quouſque pupillus pretium reſtituat, ad quod tenetur iure naturali, imò, & ciuili quatenus factus eſt locupletior *l. 1. D. de authorit. tutorum.* Legantur Sarmiento de Reditibus *p. 1. cap. 20. num. 60.* Bañez 2.2. *quæſt. 62. dub. 30.* lex autem Tridentini irritans matrimonium clandeſtinum omnem obligationem, etiam naturalem excluſit, reddens inhabiles contrahentes ad contrahendum, niſi coram Parocho, & teſtibus.

§. VII.

Pontificis Adriani opinio aliquibus concluſionibus adſtruitur, & enucleatur.

VT tamen probabilitas Adriani ſententiæ eluceat, ex qua plura valdè notabilia ad conſcientiarum quietem deducenda ſunt, per aliquas concluſiones aperienda eſt.

PRIMA CONCLVSIO.

SVMMARIVM.

64 *Poſſeſſor malæ fidei ſi abſque peccato mortali non poteſt in conſcientiæ foro præſcribere, nec etiam poteſt retinere rem præſcriptam poſſeſſor bonæ fidei, ſed eam tenetur reſtituere adhuc tranſacto tempore præſcriptionis eo ipſo quòd ſciat rem eſſe alienam.*

64. SIlle qui eſt poſſeſſor malæ fidei abſque peccato mortali non poteſt in conſcientiæ foro præſcribere, nec etiam poteſt retinere, rem præſcriptam poſſeſſor bonæ fidei, ſed eam tenetur reſtituere adhuc tranſacto tempore præſcriptionis, eo ipſo quod ſciat rem eſſe alienam.

Probatur concluſio hoc argumento, quia ideo 65.
poſſeſſor bonæ fidei rem præſcriptam facit ſuam, non quia ex natura rei hoc dominium acquirat, ſed ex legum, & principum diſpoſitione. *l. Lucius D. de euictionibus l. Bene à Zenone C. de quadragenaria præſcriptione*, ne ſcilicet dominia rerum ſint incerta, & ob alia motiua reſpicientia bonum publicum, & commune: atqui eadem diſpoſitio eſt in iure ciuili de poſſeſſore malæ fidei, tamen reſpectu præſcriptionis longiſſimi temporis triginta, vel quadraginta annorum: ergo ſi iſte poſſeſſor malæ fidei abſque peccato mortali poſſideat tempore determinato à lege non tenetur reſtituere, ſicut nec poſſeſſor bonæ fidei. Conſequentia eſt euidens, quia in vtroque caſu legiſlator, & Princeps transfert dominium eodem modo in poſſeſſorem bonæ, & malæ fidei in qua tranſlatione dominij facta à Principe, dominio alto vtente, fundatur quod præſcribens tutus ſit in conſcientia, etiam ſi tranſacto tempore ſciat rem eſſe alienam, atque ita ſicut bonæ fidei poſſeſſor non tenetur reſtituere poſt præſcriptionem, ita nec poſſeſſor malæ fidei poſt legale tempus à Principe taxatum, ſi tamen obſit mortale peccatum.

Quod ſi iſte poſſeſſor malæ fidei ciuilis non 66.
præſcribit, nec facit rem ſuam in conſcientia, nec poſſeſſor bonæ fidei rem ſuam facit, ſed excuſabitur à reſtitutione, quamdiu bona fides durauerit, & ſemper quod ſciet rem eſſe alienam tenebitur reſtituere, & non poterit apud ſe retinere. Conſequentia eſt manifeſta, quam probat 67.
Sylueſter *verb. præſcriptio 1. num. 13. Quia iura faciunt hoc meum, & hoc tuum cap. quo iure diſt. 8. & conditor legis, aut canonis poteſt mihi dare rem alienam, & tutus ero. l. Lucius de euictionibus l. Bene à Zenone de quadrag. præſcriptione. Quod intellige ex cauſa, puta in pœnam, vel quia expedit bono communi, cui hoc expedit ad lites dirimendas propter quod bonum ſi alicui poſſum auferre vitam, multo magis ſubſtantiam.* Hæc Sylueſt. quare ſi poſſeſſor malæ fidei ciuilis, abſque peccato mortali non facit rem ſuam præſcribens, nec etiam facit poſſeſſor bonæ fidei, ſed tenebitur ſemper, & quocumque tempore rem vero domino reſtituere, quando ſciuerit eſſe alienam. Et 68.
quidem has leges de præſcriptione malæ fidei derogatas, non eſſe iure canonico, conſtat ex his, quæ diximus §. *ſecundò notatione ſecunda*, & notant Leſſius, Couarruuias, & alij Authores *ibi citati.*

Confirmatur concluſio valdè vrgenter, quia ſi quis cum bona fide contraxit putans non habere impedimentum dirimens, & ſic poſſideat abſque peccato, ita vt licitè vtatur vxore, tanquam re ſua, licitéque petat, & reddat debitum, tamen ſi poſtea ſciat certo, & indubitate eſſe matrimonium nullum, quia interuenit impedimen- 69.
tum dirimens, tenetur non vti vxore, nec poteſt petere aut reddere debitum, etiam ſi centum anni tranſierint in bona fide, quia hæc facit quandiu perſeuerat quod quis non peccet, tamen iſte poſſeſſor non facit ſuum corpus vxoris, niſi ratione ignorantiæ inuincibilis, qua ablata iam non manet dominus alterius ergo etiam poſſeſſor bonæ fidei, ſi ius naturæ attendamus, & ius gentium, quamuis ratione ignorantiæ inuincibilis præſcribat, & rem faciat ſuam, eaque licitè vtatur, tranſactoque tempore à lege taxato non detur contra ipſum actio in foro contentioſo, tamen

men ſemper quod ſciat rem non eſſe ſuam, & inueniat verum illius dominum in foro conſcientiæ tenetur ei reſtituere etſi centum anni tranſierint in bona fide: quod ſi non tenetur, & facit rem ſuam hoc ideo eſt quia dominium illius eſt collatum à Principe vtente plenitudine poteſtatis, qua plenitudine etiam vtitur quando diſponit quod poſſeſſor malæ fidei rem faciat ſuam, quod iure canonico coarctatur ne hoc fiat cum conſcientia peccati mortalis, atque ita, vel in vtroque res fit in conſcientia præſcribentis vel in nullo. Et ſic quidam iuriſperiti hunc diſcurſum amplectentes dixere quod titulo præſcriptionis non transfertur dominium rei, ſed ſolum vſumfructum, cuius eſt verus dominus præſcribens, & ſic ſublata ignorantia in qua fundatur bona fides tenetur rem præſcriptam vero domino reſtituere, non tamen fructus quos percipit poſt tranſactum tempus ad præſcribendum taxatum.

70.

71.

§. VIII.

Secunda Concluſio.

SVMMARIVM.

72 *Princeps poteſt ſtatuere, quòd poſſeſſor malæ fidei præſcribat tranſacto aliquo tempore. Auctores hanc concluſionem tenentes adducuntur ibid. & num. ſeqq.*

76 *Primum argumentum ex Regula de triennali poſſeſſore, &c.*

77 *Secundum argumentum ſumitur ex diſpoſitione* c. placuit de præſcription. *& num.* 78. *& aliis ſeqq.*

79 *Verba Couarruu. referuntur, & n. ſeqq.*

PRinceps, ſupremuſque legiſlator, ſiue Eccleſiaſticus ſit, ſiue ſæcularis licitè poteſt ſtatuere quod poſſeſſor alicuius rei abſque peccato, vel iniuſtæ acceptionis, aut iniuſtæ retentionis, etiam ſi ſciat rem alienam eſſe, & ſic ciuiliter dicatur poſſeſſor malæ fidei, præſcribat tranſacto aliquo tempore iuxta prudentiam Principis taxato, itaut in conſcientia talis poſſeſſor rem faciat ſuam ſiue ſit in actionibus realibus, ſiue in perſonalibus.

72.

Hanc concluſionem ſic abſolutè poſitam tenent Authores quos citaui *ſupr. §.3. not.3.* Quibus addo Barboſam *in collectan. ad cap placuit de præſcription. n.* 2. & Deciſiones S. Rotæ *in antiquis, anno* 1534. *in vna Conchen. Priſtinio, & in altera Valentina Parochial, ann.* 1537. in quibus DD. Auditores ſecundum regulam de triennali poſſeſſore ſtatuerunt quod ſi quis cum titulo, etſi colorato pacifice poſſedit, per triennium beneficium aliquod, ab ipſo non poteſt excludi, aut ab aliquo perturbari ſed beneficium iuſte retinere, cum Pontifex ob bonum commune Eccleſiæ vtens plenitudine poteſtatis dominium conferat talis Beneficij pacifico triennali poſſeſſori, itaut non ſolum in foro contentioſo, ſed etiam in foro animæ, & conſcientiæ fructus beneficij faciat ſuos, etiam ſi poſſeſſor ſit malæ fidei ciuiliter dummodo non habeat malam fidem canonicam, quæ non eſt abſque peccato mortali.

73.

Sic etiam tenet loquens de triennali poſſeſſore cum mala fide ciuili ſapientiſſimus Sacræ Rotæ Romanæ auditor D. Ludouicus Gomez explicans regulam præfatam *de triennali poſſeſſore quæſt.* 42. *aliquantulum ante finem fol. mihi* 423. *in paruis* cuius verba ſunt: *neque obſtat hoc fortè procedere in foro contentioſo, vt ſuperius dicebatur, ſecus in foro conſcientiæ. Quia reſpondetur quod textus in cap.* 2. *de præſcriptionibus, procedit etiam in foro conſcientiæ, vt ibi dicunt Doctores, & tamen ibi diſponitur poſſeſſionem cum mala fide valere, alias ille textus imponeret nobis laqueum contra id quod dicitur in cap. de viduis* 27. *quæſt.* 1. *& ſic conditio poſſidentium beneficia deterior eſſet quam mercatorum fœnerantium, quod præſumendum non eſt; nam clara eſt doctrina doctorum poſt Baldum in cap. quæ in Eccleſiarum de conſtitutionibus, quod ſi lex eſt iuſta in foro fori vtique iuſta erit in foro poli, quod latiſſimè per exempla iuridica probaui in cap.* 2. *de conſtitut. in* 6. *Hinc videmus quod diſpoſitio cap. cum dilecti de emption. & venditio. quæ loquitur de contrahentibus decipiendis procedit ſecundum D. Thom. in foro poli. Papa igitur à fortiori id facere poterit in beneficiis Eccleſiaſticis; imo tanta eſt in beneficiis Papalis poteſtas quod non ſolum exceptionem ex titulo colorato cum poſſeſſione triennali, ſed etiam rerum ius, & dominium poſſet conferre, & etiam ſtatuere quod beneficia tranſirent ad ſucceſſores, ſicut res profanæ, quia iſta omnia ſunt de iure poſitiuo, ſupra quod eſt papalis poteſtas. cap. propoſuit, de conceſſione præbendæ cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Hæc, & plura alia in huius concluſionis confirmationem ibi ſatis doctè adducit prædictus Doctor.

74.

75.

Ex quibus ſumitur primum argumentum. Regula de triennali poſſeſſore ſancita à concilio Baſilienſi confirmata, & aucta à Summis Pontificibus præcipuè ab Adriano VI. vt notat Ludouicus Gomez in præfat. illius amplectitur, & defendit poſſeſſorem malæ fidei ciuilis, quæ eſt abſque peccato, & tamen per illam tutus eſt in conſcientia, talis pacificus poſſeſſor, tranſacto triennio, quo elapſo vſucapit beneficium illud faciens ſuum.

76.

Secundum argumentum ſumitur ex diſpoſitione *c. placuit de præſcript.* quod deſumptum eſt ex concilio Africano 9. *cap.*89. vbi ſic habetur: *Placuit, vt ſi quiſpiam aliquem ad Catholicam vnitatem conuerterit, & ſecum per triennium, nemine repetente tenuerit, vlterius ab eo non repetatur: ſi tamen per ipſum triennium fuerit Epiſcopus qui poſſit repetere, & tacuit; ſi autem non fuerit non præiudicetur Matrici Eccleſiæ, ſed liceat cum locus acceperit Epiſcopum ex ipſo die intra triennium repetere.* Sic ibi. Quæ verba vim habent legis, etſi deſumpta ſint ex Concilio Prouinciali, cum inſerta ſint à Summis Pontificibus in corpore iuris Eccleſiaſtici Decretalium.

77.

Conſtat autem ex præfato *c.* quod Pont. in fauorem fidei Catholicæ ſtatuit, quod etſi quis Epiſcopus ſciat ciuitatem aliquam ad alienam Diœceſim pertinere, etſi ſit poſſeſſor malæ fidei ciuilis, quia tamen ardore fidei Catholicæ eam ad vnitatē fidelium reduxit, ſi per triennium poſſederit, ſi adſit Epiſcopus qui poſſit repetere, & non repetat, ita facit ſuæ iuriſdictionis, vt non ſolū in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ talem ciuitatem iuſtè retinet, quia Summus Eccleſiæ Paſtor vtens plenitudine poteſtatis in pœnam negligentiæ Epiſcopalis ab Epiſcopo negligente per triennium aufert villicationem illius ciuitatis, & alteri confert, ergo ſi Summus Pontifex vtens ſumma poteſtate legem hanc valet ſtatuere, ſimilem legem

78.

poteſt edere princeps ſæcularis vtens dominio alto, qui in pœnam negligentiæ, & ad lites, & diſcordias abſcindendas ſtatuit quod ille qui abſque peccato mortali retinet rem, quam ſcit alienam, ſi intra tantum tempus non repetatur, illius acquirat verum dominium, itaut tutus ſit in conſcientia.

79. Cuius textus, & argumenti vim perpendens Couarruuias *in Relect. ad Regul. Poſſeſſor. 1. p. §. 11. à num. 13.* poſt varias illius interpretationes, quia rei difficultati non adæquant. Sic concludit: *Hanc verò præſcriptionem horum canonum, interpretes cum ſcientia rei alienæ, & ſic eum quadam mala fide ex eo procedere cenſent, quod de fauore fidei hic tractatur, vnde vt qui ſemel catholicam fidem dimiſere, eidem diligenter, & ſedulo reſti-*
80. *tuantur, obtinuit prædicta præſcriptio, quia verè malam fidem non habet, quamuis adſit rei alienæ ſcientia, quia legibus canonicis ex cauſa iuſtiſſima permittitur loca ad alium pertinentia occupare, & retinere. Quorum Canonum deciſio iuſtificatur maxime ex eo quod Epiſcopus negligens reſtituere chriſtianæ Religioni loca ad eius diœceſim pertinentia videtur ea deſerere, aut habere quaſi derelicta, atque ideo mirum non eſt ſi acquirantur alteri Epiſcopo, qui ſedulo conuerſioni operam dedit, iuxta notata in l. 1. D. Pro derelicto. His accedit textus ſingularis in l. locorum & l. Qui agros. C. de omni agro deſerto. Quibus reſponſum eſt quod ſi quis prædium tributarium Reipub. excolere neglexerit, nouus, qui cultor & agricola id colere curauerit: poſt biennium ſibi acquirit nouus hic cultor, veteri excluſo, cui biennium iſtud datur à lege, ad repetendum prædium, quod videtur quaſi dereliquiſſe. Nec quicquam oberit ſcientia noui cultoris*
81. *qui aliorum prædium occupauerit, quia cum id prædium ſit Reipub. tributarium, deſertumque fuerit à cultore veteri, præſumitur quaſi derelictum, & in fauorem Reipub. permittitur cuilibet idem prædium colere, qua ratione bonam fidem habet, authoritate dictæ legis, Qui agros, eamque Cæſaream reſponſionem fere omnes intelligent de prædiis tributariis Principi ſupremo, & Reipublicæ habenti ius reprimi principatum vt infrà dictum eſt in dictis Canonibus præſcriptionem admitti cum mala fide, fauore catholicæ fidei, & Religionis Chriſtianæ, nam etſi præſcribens habeat ſcientiam rei alienæ, non omnino ex hoc malam fidem habere dicitur, modo rem alienam legis authoritate iuſtis ex cauſis capiat, vtque à Domino deſumptam, vel quaſi derelictam ſibi acquirat.* Hactenus doctiſſimus vir. Quibus in totum concluſit noſtram ſententiam, rationem à priori illius, & fundamentalem tradens, quam ad hanc formam reduco.

82. Scientia rei alienæ mala fides eſt in phraſi ciuili, etſi non canonica, quia iſta requirit ſcientiam rei alienæ peccaminoſam, at cum ſcientia rei alienæ ciuili compatitur præſcriptio, vt conſtat ex Canonibus citatis: ergo poſſeſſor malæ fidei ciuilis aliquando præſcribit.

Vrgetur hoc fundamentum manifeſto argumento, Quia Princeps habet dominium altum omnium quæ ciues vaſſalli poſſident, ratione cu-
83. ius Dominij poteſt diſponere in ordine ad bonum publicum, & commune cui cedit quodlibet bonum cuiuſcumque particularis. Ita Rota *in nouis apud Farinacium tom. 1. deciſ. 72. num. 2. cap. Bona de Poſtulat. Prælator.* quod eſt indubitatum principium apud Politicos, & Theologos: ergo iuſtis ex cauſis poteſt Princeps lege ſua ſtatuere quatenus ad bonum publicum conducit, vt Parladorus *infrà citandus §. 4. num. 2.* probat: quod ſi quis abſque peccato mortali cum ſcientia rei alienæ aliquid alienum poſſideat, tanto, vel tanto tempore illud faciat ſuum: & quidem ſi hoc non poſſet facere Princeps; nec poſſet lege ſua impedire quod tranſacto tanto, vel tanto tempore, via executiua non concedatur à iudice: conſequens autem falſum eſt, vt oſtendit egregiè do-
84. ctiſſimus Parladorus *lib. Rer. quotidian. cap 1. § 11. num. 15. in fine,* vbi ſic loquitur: *Illud tamen vno ore fatentur omnes ſimiles leges valere quatenus inducunt præſcriptionem temporalem aduerſus ius exequendi; hanc enim præſcriptionem exequendi, etiam cum mala fide concedunt vbique omnes.* Hæc ibi. Quod intellige de mala fide ciuili, non canonica, quam ciuilis Princeps non præſumit, ſed ſolum finem politicum attendit, quod ſi fides mala canonica adeſſet neutiquam poſſet ſua lege ſtatuere, quod præſcribatur aduerſus ius exequendi, hoc enim ius, nec ab aliquo poteſt auferri iniu-
85. ſte, & cum peccato mortali; quod ſi hoc ius poſſeſſor malæ fidei ciuilis, poteſt in conſcientia præſcribere, poterit etiam præſcribere, & rem ipſam, ſi peccatum abſit, & adſit Principis lex ita ſtatuentis. Et quidem, me iudice, hoc argumentum intentum euincit.

Confirmatur. Quia Pontifex in vniuerſali Eccleſia poteſt conſtituere quod ſtante rationabili
86. cauſa quis præſcribat, etiam ſi ſit poſſeſſor malæ fidei. Sic docent Felinus, Panormitanus, Baldus, Gloſſa *in Cap. inter hoc 32. q. 2.* Innocentius *in cap. Cura de iure patronat.* quos omnes citat, & ſequitur Franciſcus Balbus *tract. de Præſcriptionib. in 2. p. 3. l. 4. num. 14.* Vnde mala fides de qua loquuntur iſti Authores intelligi debet mala fides
87. ciuilis, non canonica, quia eſt cum peccato. Quare ſicut Pontifex poteſt ſtatuere quod hac mala fide quis præſcribat, ita Princeps ſæcularis, ſubſiſtente rationabili cauſa, & motiuo.

§. IV.

Aliorum argumentis fit ſatis.

SVMMARIVM.

88 *Euertuntur fundamenta primæ ſententiæ.*
89 *Euertuntur item argumenta ſecundæ, & numero 90.*

EX dictis operoſum non erit aliarum ſententiarum euertere fundamenta. Ad primum
88. primæ Reſpondetur Summos Eccleſiæ Paſtores illis ſuis legibus ſolum damnare præſcriptionem, quia eſt cum poſſeſſione malæ fidei canonicæ, & cum peccato mortali, vt conſtabit legenti, & ex intento Pontificum, qui animæ ſaluti attendunt. Solutione iam meditata inueni eam apud Molinam *tom. 1. tract. 2. diſp. 64. num. 7. Porro* (inquit) *eiuſmodi mala fides, quia ſine culpa Theologica interuenit non eſt de qua Summi Pontifices cap. Vigilanti & cap. vltimo de Præſcriptionib. loquuntur, dum eas præſcriptiones damnant, quia fiunt mala fide.*

Ad primum, ſecundæ ſententiæ Reſpondetur:
89. Quod ſi in actiones reales acquiratur ius in re, & præſcriptio incipit à poſſeſſione, tamen iſta poteſt

poteſt eſſe abſque peccato mortali, etiam in actionibus realibus, vt infra exemplis fiet manifeſtum, & quidem cum etiam in actionibus perſonalibus dominium in re acquiratur debet eſſe abſque peccato, & ſi in iſtis actionibus ſine peccato poteſt eſſe mala fides ciuilis: etiam poterit iſte in realibus. Vnde magis conſequenter alij Doctores in vtriſque actionibus realibus, & perſonalibus æquè negant, vel concedunt præſcriptionem procedere in mala fide ciuili, nam cum canonica in
90. vtriſque actionibus procedere nequit. Alia duo fundamenta, ſatis efficienrer noſtram confirmant ſententiam; ex qua varia, & vtilia ſunt deducenda, vt ex vniuerſali principio quibus varij caſus decidantur in patticulari.

Resolvtio II.

Vtrùm poſſeſſor malæ fidei ciuilis pœnam à lege taxatam præſcribat in conſcientiæ foro.

SVMMARIVM.

91 *Poſſeſſor malæ fidei ciuilis an pœnam à lege taxatam præſcribat in conſcientiæ foro?*

91 *Secundum ius canonicum eſſe iudicandum in ciuili in præſcribendis bonis hæreticorum, qui poſt mortem damnantur, &c. dicit Azor.*

92 *Pœnam conuentionalem poſſe præſcribi, probatur auctoritate, & num. ſeqq.*

95 *Idem dic ſi pœna non ſit conuentionalis, ſed propter delictum alicui tertio, qui non ſit fiſcus per ſententiam applicata, &c.*

91. POena, aut eſt conuentionalis, aut eſt debita ex delicto & iſta, aut eſt per ſententiam fiſco applicata, aut per ſententiam applicanda, aut eſt particulari alicui applicata. Rurſus aut eſt fiſcus Eccleſiaſticus, aut ſæcularis.

Hoc poſito prima ſententia eſt Azorij *cap. 3. lib. 1. cap. 17. quæſt* 8. qui ſequitur Gloſſam *in cap. accuſatus* §. *in eo de hæreticis in 6.* aſſerentem pœnam non poſſe præſcribi, niſi bona fide. Fundamentum eſt, Deciſio *in cap. ſi qui de præſcription. in 6.* vbi Pontifex ad hoc quod Hæretici hæredes poſſint præſcribere expreſsè bonam requirit fidem, ibi. *Spatio 40. annorum fuerint bona fide*
91. *poſſeſſa.* Vnde concludit Azor. *Secundum ius ius canon icum eſſe iudicandum in ciuili in præſcribendis bonis Hæreticorum, qui poſt mortem damnantur, & non præſcribantur ante lapſum quadraginta annorum, quia ita iure canonico ſancitum.* Hæc ibi.

§. I.

Pœna conu entionalis præſcribitur.

92. SEd dico primò. Si loquamur de pœna conuentionali, etiam ſi reſidens teneatur in conſcientia illam ſoluere ante ſententiam declaratoriam, ſciatque in conſcientia illam teneri dare, vtpote alicui debita m, nihilominus poteſt eam præſcribere, itaut tranſacto tanto tempore, non teneatur eam in conſcientia ſoluere ſi à debitore poſt latam ſententiam non exigatur. Sic tenent expreſsè Bonacina *diſp. 1. de legib. q. 1. punct. 3. §. 2. num. 30.* vbi ait *Quamo brem obſeruandum eſt pecuniam, ſeu aliam pœnam legis, quia non petitur*

ab eo cui ſoluenda eſt non deberi, ſi dominus ſciat, 93.
& non petat, nam debitor ſibi perſuadere poteſt dominum condonare, ſeu cedere iuri ſuo, conſequenter reus poteſt huiuſmodi pœnam ſpatio triginta annorum præſcribere.

Quam ſententiam, & doctrinam ſumpſit ex Rebuffo *in proœm. conſtit. Gloſſ. 1. num. 47.* ſequuntur Reginald. *lib. 13. praxis num. 283.* Vaſquez *1. 2. diſp. 173. c. 3. num. 16.* Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 3. num. 52. & 82.* Citans alios. Caſtro Palau. *tract. 3. diſp. 2. punct. 3. num. 5.* Suarez *de leg. lib. 5. cap. 6. num. 8.* Molina *tract. 2. diſp. 97.* & eſt communis vt videre licet in Couarruu. *lib. 1. de matrim. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 13.* plures alios referens 94.
probantes reum non teneri ad pœnam poſt ſententiam, niſi promittere quod iudex exequatur. Et ſic etſi reus ſciat pecuniam ſententia taxatam alteri deberi, & eſſe ius alienum, tamen poteſt præſcribere tale ius, quia ſi tale ius non petatur, credere poteſt debitor creditorem nolle iuri ſuo vti, ſed gratis remittere: ſicut contingit in hærede à quo legatarius non petit legatum; & in domino qui ſcit feudatarium cecidiſſe in commiſ- 95.
ſum, & non petit, vt optimè adnotauit Caſtro Palau. Idem dicendum eſt ſi pœna non ſit conuentionalis, ſed propter delictum alicui tertio, qui non ſit fiſcus per ſententiam applicata, quod ſcilicet cum iſtam non teneatur condemnatus tradere, niſi petatur, ſi non petitur expreſsè, aut implicitè, elapſo tanto tempore in foro poli præſcribatur.

§. II.

Etiam bona fiſco applicata.

96 *Bona etiam fiſco applicata poſſunt præſcribi. Fulcitur ratione, & auctoritate Couarruu. & n. ſeqq.*

101 *Bonifacius VIII.* in cap. ſi qui de præſcriptionibus in 6. *expenditur.*

102 *Reſpondetur ad fundamentum contrariæ ſententiæ.*

DIco ſecundò, etiam bona quæ per ſententiam ſunt applicata fiſco, & quæ tenetur reus tradere ſi petantur, ſi non petuntur, præſcribi poſſunt in conſcientia, etiam ſi habeat malam fidem ciuilem, quatenus agnoſcit illa bona non eſſe ſua, ſed fiſci, & quod ex vi ſententiæ tenetur ſe negatiuè habere, vt ab illo auferantur ab habente poteſtatem, & ſic non habet malam 97.
fidem canonicam, cum reus abſque peccato mortali talia bona retineat, etiam poſt latam ſententiam, vt tenent Molina *tract. 2. diſput. 66.* Bañez *2. 2. q. 62. art. 3.* Sanchez *in ſumm. lib. 2. cap. 22. num. 55.* & alij: noſtram tamen concluſionem expreſsè tenet Couarruuias *vbi ſup num. 21. & 22. pœna* (inquit) *præſcribi poteſt, etiam cum mala fide, eo quod non debeatur in foro conſcientiæ. Ita Abbas, & Felinus in cap. finali de præſcript. Francus, & Baldus. Idem notat Ioannes Crot. in l. Nemo poteſt D. de legatis 1.* Hæc Couarruu.

Et ratio eſt quia eo ipſo quod pœna quæ petit 98.
actionem in ſui executione (niſi à Principe explicetur in ſua lege) non debet tradi debitori ab ipſo reo qui ſolum ſe negatiuè habere debet, ſi ex ipſo bona ſua auferantur: ergo ſi ab illo, cui applicata eſt non petatur intra tempus determinatum à lege, in conſcientia præſcribitur, & vſu-

capitur. Legatur Lessius *lib.2. cap.6. dub. 6. n.21.* asserens quod hæc conscientia à iurisperitis appellatur mala fides.

Sed audiamus doctissimum Couarruuias de tempore requisito ad præscribendum contra fiscum, sic loquentem: *Ex quibus infero iure ciuili aduersum fiscum sæcularem bona ob non solutum vectigal ei ipso iure delata vsucapi, aut præscribi quinquennio, etiam mala fide l.2. de vectigal. quem textum commentat Abbas in cap. cum nobis* 99. *de præscriptionib. Romanus sing. 477. Bertach. in tract. de Gabell. p.9. num.5. addo tamen in hac re leges Regias l.5. tract.7. p.5. & l.9. tract.10. lib.9. colligitur etiam iure ciuili post quinquennium ab obitu Hæretici nondum accusati, tute ab hæredibus bona illius obtineri, eosque dicta præscriptione defendi, licet sciuerint illum esse hæreticum, sentit Barthol. l.2. C. de Apostatis cuius opinionem de fisco sæculari procedere existimant Abbas in dicto cap. cum nobis colum. 3. & ibi Felin. Francus in cap.2. de præscriptionib. in 6. Baldus de præscript. p.5. in principio col.7. pro quibus facit Glossa in l. Manichæi. c. de Hæreticis dicens in crimine læsæ Maiestatis non posse quem accusari post quinquen-* 100. *nium ab eius morte. Ex quibus illud sane colligere licet, ius ciuile hæc tempora statuisse in his pœnalibus actionibus, data criminis scientia in hæredibus delinquentis. Verum in fisco Ecclesiæ aliud disponit textus in dicto cap.2. cui adde textum in cap. accusatus de hæreticis in 6. quo limitat hæreticum, quoad bona etiam posse post mortem accusari.* Et infrà. *Imò in his Regnis quoad bonorum confiscationem fisco sæculari applicandam locum habet illius cap. constitutio ex his quæ instituit repert. Inquisit. verbo præscriptio, & instructio Inquisitor. cop.20.* Hæc Couarruu. & legi etiam potest Sanchez infra citandus num.39. & 40.

Sed aduerto quod *in c. si qui de præscriptionib. in 6.* 101. Bonifacius VIII. dicit quod in illis qui sunt bona fide possessores possunt præscribere bona Hæretici (qui Catholicus dum viueret putabatur) ad quam præscriptionem etiam contra Romanam Ecclesiam, sufficit spatium quadraginta annorum. Vnde si hæredes huius Hæretici (etiam si post transactum tempus Hæreticus probetur) bona sua retinebant, tuta conscientia retinent.

Ex dictis respondetur ad fundamentum contrariæ sententiæ Pontificem ibi loqui de possessore qui habet bonam fidem canonicam, id est, si- 102. ne peccato, quamuis habeat malam fidem, id est scientiam rei debitæ fisco quam quis potest habere absque peccato mortali, vt constat ex dictis. Legatur Sanchez *lib.2. summ. cap.22. n.41.*

Resolvtio III.

Si quis sciens rem alienam absque peccato in publico foro emit, potest licite eam vsucapere.

SVMMARIVM.

103 *Vsucapere rem alienam licitè potest si quis sciens eam absque peccato in publico foro emit. Fulcitur auctoritate, & num. seqq.*

106 *Fundamentum huius doctrinæ traditur.*

103. CAsus iste quotidianus esse potest, quotidie enim contingit quod quis agnoscat rem esse alienam, & non venditoris, ignorans tamen cuius sit, eam emit iusto pretio, & forsan eo animo vt si compareat Dominus, pretio sibi dato, restituat, vel ex aliis capitibus eam emere iustum iudicet. Iste talis secundum leges præscriptionis & vsucapionis, si Dominus non pareat intra tempus à lege institutum licitè, & in conscientia vsucapit, & præscribit, itaut transacto tempore non teneatur in conscientia restituere. Sic Azor *part.3. lib.4. cap.4. quæst.11.* vbi sic loquitur *Si emptor bona fide rem alienam emit, potest sibi retinere, si vsuceperit legitimo temporis cursu, quia* 104. *quamuis ipsa emptione non fecerit statim suam, ius tamen vsucapionis aquisiuit: qui vero rem alienam mala fide emit, vsucapere vllo tempore non potest.* Et infra. *Vnde iusta sunt statuta si decernunt, vt res alienæ emptæ bona fide in publico foro, domino ad certum tempus non comparente, fiant eorum qui bona fide emerunt.* Cuius rationem infra tradit, qua ostendit se loqui de mala fide canonica, quia est cum peccato, non vero de scientia rei alienæ, *quia dominus*, inquit, *intra tempus, consuetudine, vel lege constitutum non comparens, aut repetens rem suam tacite videtur pro* 105. *derelicta habere, & lex ex quadam fictione, & interpretatione iuris habet eam rem pro derelicta, quemadmodum*, teste Gabriele *in 4. dist.15. quæst. 3. art.3. dub.6 propos.3. ligna vi fluminis ad limen deportata, consuetudine, vel lege possunt fieri occupantium, si dominus intra certum tempus non compareat, aut non requirat.* Hæc Azor.

Cuius doctrinæ fundamentum est. Quia 106. quando cognosco rem esse alienam, & sublatam & publico foro vendi, non est moralis spes comparendi dominum; quare emo illam ea conditione, vt si compareat eius dominus, mihi restituto pretio, quia eius negotium gessi eam rem restituam; quod dictamen excludit peccatum, & si maneat scientia rei alienæ, quæ est mala fides ciuilis.

Resolvtio IV.

Licite emuntur ab Hæreticis, & Mauris ea quæ publicè venalia ponuntur.

SVMMARIVM.

107 *Emuntur licitè ab Hæreticis, & Mauris ea quæ publicè venalia ponuntur. & numero* 108.

109 *Quantum temporis in his rebus requiratur ad vsucapionem? & num.111.*

112 *Quid si res est immobilis?*

EX quo fundamento colligunt Azor *vbi sup.* 107. *quæst.12.* Molina *tom.1. disput.18. §. illud postremo.* Lessius *lib.2. cap.21. dub.18. num.137.* licitè Catholicos à Mauris, Turcis, & Hæreticis emere merces publice venales propositas, quas in mari rapuerunt, aut bello, licet iniusto. Vt contingit in Hollandia, & in locis maritimis afferunt, ad quæ veniunt cum saluo conductu cum magna copia iumentorum quam *Cafilas* dicunt, ducentes res à Christianis sublatas, his enim non est verisimile deuenturas vnquam in potestatem suorum dominorum, & sic licitum est eas emere vili etiam pretio, eo animo, vt si proprius dominus comparuerit, illas accipiat pro eodem pretio, sin minus illas emptor sibi retineat: quoniam

108. niam verosimile est eam esse præsumptam dominorum voluntatem, qui quodammodo essent irrationabiliter inuiti, nisi id ita vellent. *Atque ita respondi*, ait Molina, *aliquibus Christianis captiuis, qui in Africa emerunt vili pretio à Mauris aliqua de spoliis Christianorum, quando Rex Sebastianus occubuit.* Hæc ille. vnde dominium hoc conditionatum circa rem alienam emptam ab istis raptoribus fit absolutum transacto tempore vsucapionis, & præscriptionis à lege instituto, quo transacto, etiam comparente vero
109. domino non tenetur in conscientia restituere.

Quantum verò temporis his rebus requiratur ad vsucapionem, non determinant hi Doctores;
110. ex communi tamen doctrina potest id decidi: nam aut res sunt mobiles, & istæ cum contra priuatum hominem, Ecclesiam, aut communitatem vsucapiantur triennio. Ita Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 7. num. 22.* Azor *3. p. lib. 1. cap. 22. q. 1. & 2.* Sic habetur *l. vnica C. de vsucapio transf.* Institut. *de vsucap. §. 1.* & Autenth. *Quas actiones C. de Sacrosanctis Ecclesiis* & habetur *13. q. 3. cap. vlt.* & est communis inter vtriusque iuris interpretes. Glossa *in præfat. Autenth. verbo durantibus.* Speculator *in titulum de Restitut. in integrum §. 1. vers. tamen,* Cardinal. *Clement. 7. notab 8. de sequestranda possessione.* Couarruuias *in Reg. Possessor. p. 1. §. 2. num. 5.* plures alios citans. An vero hoc tempus sufficiat ad harum rerum mobilium præscriptionem con-
111. tra Romanam Ecclesiam, alij negant, alij affirmant. Vtrumque est probabile, sed negatiua sententia probabilior, vt videre est in Lessio *vbi suprà vers. petes.*

Quod si res sit immobilis & quæ seruando seruari potest, vt sunt gemmæ, aurum, argentum, & similia, plus temporis requiritur, vt constat *ex*
112. *cap. Sanctorum de Præscriptionibus*, requiritur enim inter præsentes, id est habitantes idem territorium, spatium decem annorum: inter absentes tamen, id est, habitantes diuersum territorium, viginti annos elabi necesse est. Sic habetur *l. Cum in longi Cod. de præscriptione longi tempor.* & ibi. Doctores, & potest legi Siluester, *verbo præscriptio 1. quæst. 7.*

Resolvtio V.

Vtrum bona naufragantium præscribi possint.

SVMMARIVM.

113 *Pontifices recensentur qui varias. Edidere Bullas contra eos, qui naufragantium bona furripiunt.*
114 *Bullæ cœnæ excommunic. 4. verba referuntur, & n. 115*
116 *Vt incurratur prædicta excommunicatio, debet interuenire mala detentio, aut acceptio.*
117 *Tunc est peccatum mort. quando materia quæ furripitur notabilis est.*
118 *Materia debet esse valoris duorum aureorum, ad hoc vt incurratur excommunicatio, & n. 119.*
120 *In quibus casibus accipiens bona naufragantium, non peccet, nec excommunicationem incurrat & n. seqq.*
124 *Surripiens bona naufragantium, suadens sibi ea esse derelicta à propriis dominis, nec peccans in eorum retentione, aut ablatione, potest ea vsurpare, & præscribere.*
125 *Ratio conclusionis ponitur, & declaratur, num. seqq.*
129 *Obiicitur difficultas & soluitur n. seqq.*
134 *Verba Azorij circa propositum.*

MVlti Summi Pontifices misera naufragantium sorte commoti varias edidere Bullas 113.
contra eos qui eorum bona furripiunt, vt aliqua ratione miseriam subleuarent. Honorius II. *anno* 1130 Honorius III. *anno* 1220. Paulus III. *anno* 1545 Alexander III. *cap. Excommunicatus de Raptorib.* & alij plures. Et in Bulla Cœnæ, excommun. 4. sic habetur: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate, siue intranersum, vt dici solet, iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, siue in eisdem nauibus, siue ex eisdem eiiciantur mari, vel in littore inuenta, cuiuscumque generis bona, tam in nostris Thyrreni, & Adriatici, quam in cæteris cuiuscumque maris regionibus, & littoribus, furripuerint. Itaut nec ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.* Sic ibi, circa quam excommunicationem videndi sunt Sfortia *in epitome Bullar. epitom. 7. & thorem. 22. & 66.* Bonacina *de censur. disp. 1. q. 5. punct. 2. & seqq.* Suarez *disp. 21. sect. 2. à n. 29.* Caiet. *verb. excommunicatio cap. 23.* Siluester *verbo Naufragium quæst. 1.* Angelus *ibidem num. 3. & vltimo.* 114. 115.

Igitur omnes isti conueniunt, & plures alij quos ipsi citant, in hoc, quod ad hoc vt incurratur excommunicatio ista malam detentionem, aut acceptionem debere interuenire. Quod denotat illud verbum *furripuerint*, Quod non solum significat violentiam, & rapinam, sed furtum, & ablationem rei alienæ inuito domino, quæ sit peccatum mortale, sine quo non incurritur excommunicatio maior, vt est omnino notum: at cum adest peccatum lethale, est mala fides canonica, cumque non potest esse præscriptio, aut vsucapio *cap. finali de Præscription.* Nec aliqua lex ciuilis potest in contrarium iuuare, sicut nec priuilegium, cum potius sit morum, & conscientiæ corruptela; tunc autem adest peccatum mortale, 116. 117.
quando materia quæ furripitur contra Domini rationabilem voluntatem notabilis est, quia vt multi dicunt duorum aureorum valoris debet esse, ad hoc vt incurratur excommunicatio, vt notant Sayrus *de censur. lib. 1. cap. 9. num. 30* Quaranta *verbo Bona naufrag.* vbi ait: *Quantum vero attinet ad excommunicationem Papalem non incurritur, si furtum non excedat duos aureos, quamuis peccet mortaliter. Ita tenuit Præceptor meus P. Marius Andria in expositione dictæ Bullæ per textum in l. Si oleum. §. fin. cum l. sequenti D. de dolo.* Ita ille, licet post dicat tutius fore quod si adesset peccatum mortale absolutio petatur à Summo Pontifice. Quod absolutè tenet Vgolinus *de censur. in expositione Bullæ cap. 4. vers. 7. fol. 143.* Quod ego etiam sentio, nam quando absolutè fertur excommunicatio ipso facto incurrenda contra furantes, furripientes &c. dubio procul incurritur, eo ipso quod furtum, & furreptio peccatum mortale sit; nec contrarium dici posset: quamuis enim iuxta 118. 119.
Decretum Concilij Tridentini non sit primo ferenda excommunicatio pro re vulgari, qualis

videtur esse valoris duorum aureorum ; tamen quando absolutè fertur excommunicatio contra surripientes,quis dubitat quod si surripiens mortaliter peccat,quod intendat ipsum Pontifex anathemate ferire.

120. Tunc autem bona naufragantium accipiens non peccat, nec excommunicationem incurrit, primò,Quando animo restituendi, vero Domino comparente,accipit. Ita omnes *sup.citati.*

Secundò,si ea bona, quamuis sciat naufragantium esse, quia tamen naufragantes isti perierunt in mari,& eorum res ad littus peruenere, vel in ipso mari accipit, vnde ignorat proprium dominum. Ita Suarez *vbi supra num.*39. *Si vero talia bona naufragantium recta intentione, & conscientia custodirentur, ne perirent,& fieret omnis diligentia moralis ad verum Dominum inueniendum, non esset iniqua lex: quæ de his bonis in hoc statu constitutis sanciret vt post elapsum tempus moraliter sufficiens ad amittendam spem inueniendi verum Dominum in hos, vel illos vsus distribuerentur: tunc enim eadem est ratio de his bonis,ac de aliis derelictis seu perditis.* Hæc ille,& recte,quia vt notat Angelus *vbi supr. num.*4. Siluester *q.*4. alios citans.Si naufragantium bona pro derelictis habeantur,absque peccato accipiuntur,cum bona derelicta fiant primi occupantis,vt habetur,*instit. de rerum diuis. §.* 1. Si vero, aiunt præfati Doctores, quis ea accipit non considerans an essent derelicta, vel non, sed solum ea accipit,quia occasio ea obtulit excusatur à furto,& ab excommunicatione,ait Angelus *ex l.si falsus § si autem D.de furtis.*

Tertiò. Non peccat, & excusatur ab excommunicatione qui naufragorum bona surripuit inuincibiliter ignorans, Vetitum esse sub censura, aut probabilitate credens id esse licitum, aut credens quidem aliena esse,sed nescіens esse naufragorum bona.Ita formaliter Bonacina *vbi supr. punct.*4.Suarez *num.*30.

His positis colligitur talis conclusio. Quando quis bona naufragantium accipit suadens sibi ea esse derelicta à propriis dominis, non peccans in eorum retentione, aut ablatione, potest ea vsucapere,& præscribere. Ita Angelus *vbi suprà vers. Naufragium.* Siluester *ibi quæst.*3.asserens : *Quæ quidem vera sunt* (quod inuenta, sint restituenda) *nisi haberentur pro derelictis, quod Federicus conc.* 17.*credit esse, si Dominus tacet,non perquirens per se,vel per alios, iuxta Gloss. in l. falsus §.fin.D.de furtis.* Sequitur Farinacius *de furtis q.*168. *n.*86. Molina *tract.*2.*disp.*55.Azor 3.*p.lib.*1. *cap.*13.*q.*5. §.*dubia quæstionis.*

Ratio huius conclusionis est , quia eo ipso quod quis *prudenter* iudicet aliquid , quod scit esse naufragantium, quia tempestas ad littus proiecit , ignorans dominum , quia alio diuertit,aut sufluratus fuit, iudicat (inquam) esse pro derelicto , habet bonam fidem canonicam ad vsucapiendum , quia non peccat , & bonam fidem habet ciuilem cum titulo *pro derelicto l. si id quod, pro derelicto D. pro derelicto.* vbi Iurisconsultus Pomponius sic habet ; *id quod quis pro derelicto habuerit , continuo fit meum , aut aues amiserit , quamuis incertæ personæ voluerit eas esse, eius fierent, cui casus tulerit , eaque cum quis pro derelicto habeat , simul intelligitur voluisse alicuius fieri.* Ita ibi. Quibus verbis optimam rationem tribuit nostræ conclusionis , quia eo ipso quis mittit res in mare, dum naufragium patitur, à se abdicat dominium, sub conditione , & sub conditione pro derelicto habet, si ipse saluus fiat, & recuperare possit : quod si saluus in naufragio non euadat, aut recuperare non possit, quia ignoratur qui eas acceperit,iste habet titulum pro derelicto , & earum rerum iustam possessionem acquirit , in qua fundatur vsucapio, & præscriptio, quia iure naturæ hæ res fiunt primi occupantis, dum verus dominus non comparet,cui tribuantur.

121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132.

Dixi *Prudenter* , quia si quis imprudenter , & falso iudicat rem pro derelicto habitam , iste talis non vsucapit *leg. nemo ibidem.* Vnde quando *in l. si quis merces* , dicitur , *quod quis vsucapere non potest merces ex naui iactatas , quas inuenerit* , intelligendum est quando imprudenter, & falso iudicat eas habendas pro derelicto , cum enim titulus iste falsus sit , & culpabilis non potest fundare vsucapionem iuxta ea quæ Summi Pontifices determinarunt.

Nec obstat huic conclusioni communis doctrina , quam videre est apud Lessium *lib.*2. *c.*14. *dub.*6. *num.*35. Glossam Gothifredi *ad l. si res D. pro derelicto* , asserentis quod pro derelicto res habita statim desinit esse ipsius etiam antequam per alium occupetur , & efficitur occupantis , si sciuit iam pro derelicto habitam ; & sic bona incerti domini quæ quis inuenit non sunt habita pro derelictis , sed iuxta magis receptam sententiam debent restitui pauperibus , aut in pias causas dispendi , nisi adsit lex , aut statutum quo Princeps aliquibus ea applicet , vt lex Hispaniæ bona incerti domini , quæ communiter dicuntur *Mostrencos* , applicat vel magnatibus , aut in redemptionem captiuorum : ergo cum naufragans suas merces proiiciat ad nauim subleuandam , vt vita conseruetur, si illa conseruari possint non videtur eas habere pro derelictis,vt expressè dicitur *c.penultim.institut.de rer.diuisio* ex Caio iurisconsulto ; præcipuè cum proiectio ista non sit perfectè voluntaria , & nec earum rerum admittitur dominium, atque ita accipiens non facit suas aliquo tempore , nec earum possessio fundat vsucapionem , sed eas tenetur restituere , sicut cætera inuenta in pauperes , & in pias causas , sicut de omnibus inuentis est lex Gallica , quod magnatibus quibusdam applicentur teste Couarruuia *ad regul. peccatum p.*3. §.1. *num.*5.

Respondetur ita esse , quod non eo ipso, quod res sit incerti , & ignoti domini, non eo ipso habetur pro derelicta , vt optimè Azor adnotat *vbi sup.* §. *sciendum.* Si enim *animal* domesticum aufugit , non fit occupantis , aut adamas perdatur in ciuitate , aut via publica , non habetur pro derelicto , sed facta sufficienti diligentia , vt dominus inueniatur , potest ea sibi retinere in conscientia, vt volunt Sarmiento *lib.*6. *selectar.c.*10. *num.*3. & plures alij quos citat, & approbat Diana *tract.* 17. *p.*2. *resol.* 5. etsi opposita sententia, quod pauperibus debeat restitui , quam defendit Salon. 2.2. *quæst.*62.*art.*5. *controu.* 5. est communior. Quare tales res non habentur pro derelictis, sed in commodum dominorum meliori modo quo potest debet cedere secundum rationabilem interpretationem eorumdem voluntatis,iuxta *authentic. omnes peregrini C. de successio* , etsi hoc authenticum satis abundè interpretetur Sarmiento *num.*4.cuius sententiam probabilissimam iudico , & tutam in praxi , quam sequendo bona inuenta naufragantium potest quis sibi retinere, & bona fide canonica vsucapere , & præscribere,

itaut

itaut transacto tempore, etiam comparente domino non teneatur restituere, etiam publicato anathemate: si enim ex dictamine rectæ rationis ea quæ in nullius bonis sunt, occupantes fiunt §. *ferè instituta de rerum diuisione*, idem dicendum
133. erit de his bonis quæ in cuius bonis sunt apparere non potest, cum hæc paria sint *lege in lege D. de contrahenda emptione*, quod optimè explicant ibi Iauolenus, & Gothifredus ibi, *littera A Paria*, inquit, *sunt nullum, & non apparens.*

Addit Azor §. *quinti generis. Quæ longo temporis recessu naufragio amissæ res, vel iactatæ in fundo maris iacent, & inde modo aliquo, vel arte extrahuntur, vel reperiuntur in littore, statim fiunt capientium, quia pro derelictis habentur.* Ita
134. ille. Quare Iustinianus *in* §. *adducto*, quando dicit quod huiusmodi res non habentur pro derelictis, loquitur quando est aliqua spes probabilis eas recuperandi. Legatur ibi Mynsingerus *n.6.*

Resolvtio VI.

An pignus præscribi, & vsucapi possit à sciente esse alienum.

SVMMARIVM.

135 *Pignus an præscribi, & vsucapi possit à sciente esse alienum, & num.139. & seqq.*
136 *Non posse præscribi pignus, & hypothecam sentiunt Doctores vtriusque iuris.*

135. QVamuis pignus, & hypotheca pro eodem vsurpentur in iure, vt constat *institut. de actionibus* §. *item Seruianus*; tamen frequentiori vsu pignus propriè est rei mobilis, hypotheca vero rei immobilis. Dubium igitur est, an pignoratitia actio possit præscribi à sciente pignus, aut hypothecam esse alienam itaut in conscientia sit tutus præscribens.

Et quidem communiter non posse præscribi
136. pignus, & hypothecam sentiunt Doctores vtriusque iuris *ad l. serui nomine C. de rei vindicatione.* Baldus *in l. ne creditores C. de pignoratitia actione.* Felinus *cap. si diligenti de præscription.* Vnde Baldus, & Angelus *l. si quis emptionis C. de præscriptio 30. annorum* dicunt, quod regulariter eo ipso quod probetur scientia rei alienæ, probata est mala fides; intellige, *ciuilis*; etenim secundum ius ciuile non præscribuntur, etiam spatio vigin-
137. ti annorum, & cum bona fide ea quæ nomine retinentur alieno, vt precarium, commodatum, conductum, pignus, hypotheca, aut res feudalis *cap. si diligenti 17. de præscriptione l. cum notissimi 7. §. in his C. de præscriptione 30. vel 40. annorum*; hæc tamen omnia possunt præscribi ab hæredibus particularibus, quibus titulo donati, empti, legati, &c.

138. Quod si iste hæres sit vniuersalis, & suus ista non potest præscribere, si ille à quo accepit hæreditatem malæ fidei possessor fuit *l. cum hæres D. de diuersis temporalibus actionibus*; quamuis si iste hæres sit possessor bonæ fidei, non est improbabile quod præscriptione trigenaria possit vsucapere, & præscribere. Legatur Couarruuias, *regula possessor p. 2. §. 9. num. 4. & 5.* quod tenent Glossa *in reg. cum quis de regul. iur. in 6.* Baldus *l. nihil. C. de vsucap.* & alij quos citat, & sequitur Lessius, *de iust. & iur. lib. 2. cap. 6. dub. 13. num.42. §. aduerte.*

Sed an pignus &c. possit præscribi à sciente esse alienum, Tiraquellus *tract. de priuileg. piæ causæ priuileg. 131.* dicit quod in fauorem piæ cau- 139.
sæ si quis præsente, & tacente creditore donaret fundum obligatum pio loco censetur pignus remissum, sequitur Barthol. *l. 1. C. de rem. pig.* in qua fauorem libertatis, sic statuitur. Idem docent Alexander, & Romanus idem repetens *cons. 3. num. 11. vers. vndecimo dubio.* Ioannes Andreas *in reg. qui aut. de regul. iur. in 6.* vbi idem docent omnes illi quos citat Barbosa *ibi num. 6. & 7.* & quos adducit *num. 9.* asserentes, quod ille præsumitur consentire, dum tacet in fauorabilibus, & legi potest *num. 15. & seqq.* ex quo fit quod si creditor cui obligatum erat pignus, aut hypotheca videns quod debitor illud Ecclesiæ donat præsumitur remisisse ius pignoris; vnde Ecclesia præscriptione ordinaria in conscientia acquirit dominium illius.

Quod non solum rei Ecclesiæ, & fisci, sed 140.
etiam respectu particularis tenet verum; si enim ego hypothecam, seu pignoratam habeam domum, aut adamantem in præsentia creditoris dem filiæ in dotem, aut amico in donationem liberalem, si creditor videns, & sciens, & potens impedire non impedit, præsumitur consentire, præcipue si tempore præscriptionis creditor non repetat, sed semper tale pignus, accipiens illud retinet bona fide, conscientia, & absque peccato, & sic præscriptione iusta retinet in conscientia. Legatur Barbosa senior *in l. 2. §. vltimo. num. 29. D. soluto matrimonio.*

Nec obstat *lex Filiusfamilias. D. de Procura-* 141.
toribus & *l. sicut §. non videtur. D. quibus modis pignus, aut hypotheca soluitur*, vbi dicitur, quod creditor per taciturnitatem non videtur consentire alienationi rei sibi obligatæ, quin possit pignus prosequi, nam prima lex lata est in fauorem filijfamilias qui ob verecundiam paternam, & immaturam ætatem videtur non consentire, si taceat: secunda autem lex loquitur, quod ex præcisa taciturnitate non colligitur consensus creditoris, cum quis possit tacere, & dissentire, & sic sola taciturnitate non præsumitur consensus *l. cum indebito 25. vers. Qui enim D. de probation.* 142.
& Glossa Canonica ad regul. Qui tacet & Glossa *ciuilis ad l. Qui tacet D. de Regul. iur.* Quare ex taciturnitate simul cum præsentia creditoris non impediti ad reclamandum, & non reclamantis per tot annos fundant præsumptionem consensus & quod creditor ius pignoris vel renuntiauit, vel dimisit.

Resolvtio VII.

Vtrum ius pacti de retrouendendo aliquis præscribere possit, quamuis cum mala fide ciuili.

SVMMARIVM.

143 *Adducitur prima sententia, maxima probabilitate fulta, ex rationum & auctoritatis pondere, & n. seqq.*
148 *Secunda sententia non minus probabilis ostenditur, & num. seqq.*
152 *Probatur rationibus, & roboratur, & num. seqq.*
158 *Euertuntur fundamenta contraria. & n. 149. 160. & 161.*

143. SEnsus resolutionis est an si Petrus vendat Francisco domum iusto pretio, ea tamen conditione, & pacto quod semper Petrus Francisco offerat dictum pretium iste teneatur reuendere, an ius quod habet Petrus ad redimendam domum possit præscribi à Ioanne sciente tale ius redimendi esse Petri, quæ scientia facit ipsum possessorem malæ fidei ciuilis cum agnoscat ius esse alienum.

Duplicem inuenio sententiam apud Couarruuias *tom.2. lib.1. variar. resolut. cap.9.* Prima est
144. quam ipse sequitur *num.5.* negatiua asserens: *Mihi certissimum est scientiam rei, vel alienæ, vel propriæ obligationis, & si in solutione, vel restitutione differenda, nullum mortale, aut veniale crimen committatur, ipsam præscriptionem impedire.* Idem docent Fabianus à S. Sabino, Barbatius, Parisius, Brotus, Alciatus, Gerardus, Ioannes igneus, Cassianus, quos citat ibidem Couarruu. *num.* 2. Quibus ego addo Misingerum *centur.1. obseruat.26.* vbi testatur ita sæpe iudicatum in camera Imperiali, Andream Gail. *lib.2. obseru.18.* Fulgosum *consil.* 123. Siculum *consil.* 51. *lib.1. & consil.22. lib.4.*

Fundamentum est, Quia iste talis est conscius promissionis, & obligationis suæ, & ita habet
145. scientiam rei alienæ, vnde mala fide possidet. *cap. si tergo* 34. *quæst.3. cap. Finali de præscriptio.* Barthol. *in l. Celsus num.19. D. de vsucapio.* quia consensus redimendi rem venditam nisi definitum tempus contractui apponatur in perpetuum ius redimendi tribuit. *l. Quod si nolit. §. requisita. & l si fundum C. de pactis inter emptorem, & venditorem*, dicit enim Imperator Iustinianus: *Forsitan enim multum eius (venditoris cum pacto de retrouendendo intererat, ne ei vicinus, non solum quem nollet, aggregaretur sed etiam pro specialiter interdictum est: cum enim venditor, vel alter alienator non alia lege suum transferri passus est, nisi tali factus conuentione aliquam cautionem ex varia peti, cum interpretatione.* Hæc textus. Cuius ratio fortissimè currit in præsenti, quia iste venditor, non aliter transtulit dominium, nisi cum pacto & conditione de retrouendendo.

146. Tertiò, Quia ea quæ sunt potestatis non possunt præscribi, tale est ius reuenditionis, cum collatum sit in liberam primi venditoris voluntatem. *l. viam publi. D. de re publica.*

147. Quartò, Ius offerendi præscribi non potest *l. pure §. vltimo, D. de doli exception.* vbi Paulus Iurisconsultus sic determinat: *Non sicut de dolo, actio certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est, nam hæc perpetuo competit cum actor quidem in sua potestate habeat, quando vtatur iure suo, is autem cum quo agitur non habeat potestatem quando conueniat.* Hæc ibi. Cuius legis ratio clare applicatur nostræ Resolutioni, siquidem venditor semper habet potestatem offerendi pretium vt domus ipsi reuendatur.

148. Sed quamuis hæc sententia maxima sit fulta probabilitate, orta ex rationum, & authoritatis pondere, existimo contrariam non minus probabilem esse, quam communem dicit fuisse Couarruuias suo tempore, quod hoc ius reuendendi possit præscribi, cum mala fide ciuili, quæ consistere potest sine peccato mortali, aut veniali contra iustitiam, & sic hæc sententia tuta erit, etiam de iure Canonico, quod solum euertit præscriptionem quæ foret peccatum, & animæ periculum. Sic tenet Angelus *consil.55.* Ancharanus *consil.132. columna.2.* Baldus *cons.330. lib.1. num.3.* Iason *in l. si mater num.5. C. de institut. & substit.* Et plures quos citat Couarru. *n.1.* quibus addo 149.
Cumanum *ad l. Qui Romæ D. de verbor. obligation.* Tiraquellus *de Retract. conuent. §.1. Glossa 2. num.28. & 29.* vbi omnia fundamenta contraria diluit addens optime *num.32.* quod præscriptio hæc procedit si contractus de retrouendendo non sit aliqua ratione illicitus, tunc est possessor malæ fidei canonicæ quicumque præscribit. Felin. *cap. Cum accessissent. column.13. de constitutionib. & Cap. si diligenti de foro competenti.* Balbum *de præscription. q.4 p.5. partis principalis num.2.3. & 4. p.4.59. in paruis*, vbi citat Baldum *consil.253. volum.2. dub. vlt.* dicentem *quod licet emptor fecerit pactum de retro vendendo venditori ad in perpetuum, & absque temporis præfinitione, nihilominus tali facultati præscribitur spatio triginta annorum, non obstante mala fide; ibique ponit duos casus in quibus mala fides non obest iuri canonico.* Ita ex Balbo. Et Felinus addit *in rubrica de præscription. column. antepenult.* quod promissio de reuendendo habet vitam solum triginta annorum, & con- 150.
ditionem tacitam, si reuenditio petita fuerit intra illud tempus, etiam si iuramentum interpositum sit super ea. Idem docent Tiraquellus *vbi sup. num.7.* addens quod etiam si in pacto ponatur. *Non obstante quacumque præscriptione.*

Hoc vltimum mihi non vsquequaque placet 151.
quia renuntiare potest quis in foro conscientiæ iuri, quod ex legum dispositione illi obuenit, maximè si sit ius particulare, & sic Barthol. *in l. Nemo potest D de legibus.1.* concludit quod præscriptio per pactum tolli non possit. Quod maxime verum est in præscriptione 30. vel 40. annorum, sed legantur circa hoc punctum. Iason, Alexander, & Aretinus ad dictam *l. Nemo potest.*

Et quidquid sit de hoc nostra tamen sententia 152.
probatur primò, Quia hoc pactum de retrouendendo, semper quod venditor velit iterum emere ab emptore generat actionem personalem, quæ spatio triginta annorum præscribitur, etiam in foro Canonico, vt docent omnes quos supra in principali dubio citaui, & deciditur *in lib.1. C. de Præscriptione 30. vel 40 annorum*, vbi Theodosius sancit ita: *Personales actiones vltra 30. annorum spatium minimè protendantur; sed si qua res, vel ius aliquod postuletur vel persona qualicumque actione, vel persecutione pulsetur nihilominus erit egenti triginta annorum præscriptio metuenda.* 153.

Et quidem quod hæc lex non sit correcta iure canonico ex eo fit manifestum, quia ius canonicum solum corrigit, & derogat leges ciuiles de præscriptione, quia præscriptio est cum mala fide, quia est peccatum, ne ius ciuile vergat in animæ periculum, & detrimentum: atqui in hoc contractu potest quis scire ius alienum, & tamen absque peccato illud tenere spatio triginta annorum: ergo in foro conscientiæ præscribit, & ex- 154.
tinguitur in primo emptore ius quod habet primus venditor ad iterum vendendam domum, quia vt optimè Socinus iunior *consil.145. lib.1. n.73.* emptor non est in mala fide canonica, etsi habeat scientiam iuris alieni, quousque emptor obtulerit pretium ad redimendam domum, etsi in contractu de retrouendendo semper sit implicita hæc conditio, si venditor obtulerit pretium. Quod si spatio triginta annorum non offerat contra ipsum præscribitur.

Confirmatur, quia vt egregiè dicunt Couarruuias

ruuias *vbi sup. num.5. vers. & ideo.* Tiraquell. *ad l. si vnquam num.311.* multis aliis citatis ibi, & Balbus *de præscription. q.1. p.4. partis principalis num.* 3. legatum alicui relictum in testamento amittitur per præscriptionem triginta annorum si hoc legatum toto hoc tempore non petatur, iure præmittitur quod ipsum nolit, cum petere possit, & non petat: cum ergo venditor etiam
155. toto hoc tempore non habeat pretium ad redimendum possit nihilominus emptori dicere quod ideo non redimit, quia pecuniis caret, si hoc non dicat emptor contra ipsum præscribat ius redimendi, & tutus est in conscientia.

156. Confirmatur secundò, quia vt ait Baldus *consil.303.colum.2. lib.1.* non valet pactum quo sine præfinitione temporis vsque in infinitum teneatur emptor reuendere venditori; infinitatem enim in obligatione emptoris abhorret ius, & natura-
157. le dictamen *l. si quis vina §. vino D. de periculo, & commodo rei venditæ.* vbi Iurisconsultus Vlpianus abhorret in vinorum venditore obligationem infinitæ custodiæ, & *l. qui bona fide D. damno infecto: Nec enim*, inquit Vlpianus §. *vltimo quis in infinitum obligatus esse debet.* Vnde *l. fidei commissæ D. de legatis* 3. §. 18. idem iurisconsultus: non enim onerandus est hæres in infinitum restituere tantumdem debeat; vnde cum emptor bona fide canonica, etsi cum cognitione iuris alieni triginta annorum spatium cucurrit absque oblatione pretij, aut insinuatione venditoris ad redimendum ex iuris dispositione æquissimè tuta conscientia præscribit,

Nec difficile erit diruere fundamenta contra-
158. ria. Ad primum respondetur concedo antecedens, nego tamen quod iste habeat malam fidem canonicam, & cum peccato, quæ sola impedit præscriptionem, & constat ex dictis, conscius enim est emptor obligationis, & iuris alieni, tamen quousque offeratur pretium, non est in mala fide canonica.

Ad secundum respondetur, quod verbum *in perpetuum* contractibus appositum, imò etsi non apponatur intelligitur in iure spatium 30. annorum, vt habetur *in l. minor. §. statu liberum D. de euictionibus & institut. de perpet. & tempor.*
159. *act.* §.1. & tenent Couarruuias *vbi sup. num.4.* & Tiraquellus *num.9.* de aduerbio *semper, quandocumque*, & similibus: imo Glossa *in l. nam Imperator D. de legibus* dictionem *perpetuo*, ibi positam explicat decennio. Vnde Ancharanus *consil. 331. colum.2. vers. 3. est aduertendum*, dixit *quod ius redimendi rem venditam, decennio præscribitur.* Sed ipse solus hoc dixit, vt notat Tiraquellus *num.3.*

Ad tertium respondetur, quod quæ sunt meræ facultatis, & ad factum pertinent, vt ire ad Ecclesiam, & peregrinationem arripere, præscribi non possunt; secus tamen ea, quia sunt ex facultate procedente ex aliquo contractu. Sic respon-
160. dent Couarruu. *num.2.* & Tiraquellus *num.23.* lex autem ibi adducta loquitur de potestate viæ publicæ, non vero de potestate, & iure priuatorum, quia præscribi potest *l.1. D. de vsucap. & l. si quisquam D. de diuers. & temporal. præscript.*

Ad quartum respondetur quod ius offerendi quod competit ad actionem acquirendam tollitur præscriptione, vt multis citatis resoluit Couarruu. *n.* 3 dicens esse communem sententiam, quam latè probat Paulus de Castro *cons.220. lib.2. per totum*: secus tamen quando ius offerendi iungitur iuri excipiendi, quod ius nunquam præscribitur, nam ea quæ sunt temporalia ad agendum, 161.
sunt perpetua ad excipiendum *l. pure in fine D. de exceptione doli & l. licet cap. de exceptio & cap. si autem de rescriptis*, vbi Panormitan. & Felinus *verbo tempori ad agendum*, & plures alij quos citat Barbosa *ibi num.6.*

Resolvtio VIII.

An cum mala fide ciuili sit gabellarum præscriptio.

SVMMARIVM.

162 *De gabellis iustis à summa potestate impositis hîc est sermo.*
163 *Gabellæ iustæ debentur in conscientia.*
164 *Vectigalia imposita pro vsualibus potest quis non soluere, ex Bonacina.*
Tributa, & vectigalia iusta, quod ex omni parte, & titulo debeantur in conscientia foro, probatur ex multis Auctoribus, ibid. & num. seqq.

LOquimur in præsenti de gabellis iustis à sum- 162.
ma potestate impositis, & de quarum iustitia, & titulis nullum est dubium exortum inter cordatos, & prudentes viros; nam de gabellis, vectigalibusque ex aliquo capite iniustis non procedit resolutio, cum ista, etsi petantur, non teneatur quis soluere, possitque vti occulta compensatione, si ab ipso auferantur, vt est omnium Doctorum communis sententia.

Gabellas iustas deberi in conscientia, commu- 163.
nis, & certa sententia est; at quidem vectigalia, & gabellas ex omni circunstantia iustas deberi Regibus, & Principibus in foro conscientiæ, itaut qui non soluerit furtum committat, indubitatum mihi est, neque aliquis est Author qui contrarium dicat loquendo de gabellis, ex omnibus circunstantiis iustis, & de quibus nulla extitit dubitatio. Lessius enim *lib.2. cap.33. dub.8. n.55.* loquitur de vectigalibus multum onerosis, vel de his rebus, quæ sunt ad solatium extremæ, aut magnæ necessitatis.

Bonacina etiam *disput.2. quæst. 9. p. 3. conc.1.* expressè fatetur quod vectigalia iusta tenetur quis in conscientia soluere, & *conc.* 2. dicit quod vectigalia imposita pro vsualibus potest quis non 164.
soluere, *quia*, inquit, *multi Doctores, & Caietanus, & alij sentiunt hæc vectigalia iniustè exigi, quia iniusta sunt, & plus grauantur subditi, quam grauari debeant.* Angelus etiam *verbo pedagium num.6.* loquitur de pedagiis, quæ vt ait communiter sic instituuntur, statuimus quod quilibet soluat sub pœna cadendi in commissum. Et istud statutum non obligat ad mortale, nec etiam ad pœnam, nisi post condemnationem, vbi loquitur Angelus ex vi statuti, non obligari ad mortale, non verò ex diuino, & naturali præcepto, si constet, aliàs esse legitima, & iusta. Vnde Lyra citatus à Iacobo Vngarello in adnotationib. ad Angelum verbo *si sunt legitima* in illa verba *Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, ait *iustum est ita, quod dominis soluatur.* Et in illud ad Rom. 165.
13. *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*, sic loquitur egregiè: *Ex ordinatione diuina est quod Superiores regant inferiores, & inferiores eis obediant, vt patet in elementis quæ reguntur ex influentia*

fluentia corporis cœlestis, & istis superioribus tributum debetur, quia nemo militat stipendiis suis. Vnde Apostolus subdit, ideoque necessitati, scilicet soluendæ, vel per superiorem procurandæ subditi estote soluendo ram debitam, non solum propter iram, scilicet vitandam punitionem, sed etiam propter conscientiam, quia quilibet tenetur reddere debitum; ideo enim præstatis, ad hoc enim principaliter sunt instituta, ministri enim Dei sunt,
166. *quia executores sunt diuinæ iustitiæ in hoc ipsum seruientes, scilicet Deo, & etiam hominibus rem publicam conseruantes, ideo concludit: reddite ergo hominibus debita, qui ergo aufert alteri debitum, peccat.* Hæc ibi, ex Lyra refert Vngarellus, qui optimè hæc addit ad explicandam sententiam Angeli, qui loquitur de gabellis prout sunt statutæ, per modum pœnæ non vero de illis, quæ de omni exceptione sunt iustæ, & impositæ ad iudicis sustentationem, & ex pacto inito cum Re-
167. publica, vt ipsam conseruent, & tutentur, sicut enim seruo in conscientia debetur salarium, sic Principi vectigal, vt adnotauit Petrus Nauarra *lib.4. de restit. cap.1. num.230.*

Nauarrus etiam in Manuali. *cap.17. de septimo præcept.num.201.* expresè loquens de Gabellis iustis dicit *peccare quis si non soluat*, & *cap.23.n.60.* solum dicit, quod non peccat quis asportando occulte merces non soluendo vectigalia etiam iusta non tamen dicit quod si vectigal petatur non tenetur reddere, imo expresse dicit quod non potest vi se defendere, *Quia resistit iuste aggredienti*, & citat Barthol. *in l. vt rem D. de iustitia, & iur.* Malderus etiam *2.2.tract.5 cap.6.* idem sentit nisi persona sit pauper existens in graui necessitate, qui necessaria victui defert. Vnde *dub.15.* ait, *Vrgendos esse ad restituendum defraudatores Gabellarum: quod si periculum sit onus iniunctum restituendi non adimplendum, posset confessor ei opinionem probabilem indicare cui conformetur; sed*
168. *hoc parum consultum erit, cum non sit confessarij docere pœnitentem, sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam cum præiudicio tertij.* Hæc Malderus. Quod aduertere debuit Diana *tract.10. de legib. resol.19.* qui multoties ansam arripit ex verbulo Authorum, vt faciat probabile, quod minus probabile, & minus tutum est, quia non tam legit, & selegit sententias, quam verba.

169. Igitur quod tributa, & vectigalia iusta ex omni parte, & titulo debeantur in conscientiæ foro, mihi omnino certum est. Sic Malderus, *vbi sup. dub.13.* Bonacina *vbi sup. conc.1.* Iacobus Vngarellus *in Adnotation. ad Angelum.* Sylvester *verbo Gabella 3.n.8.* dicens esse furtum, si sit in quantitate notabili. Molina *tom.3.disp.674.conc.1.* dicens esse communem Doctorum, vbi sic loquitur *Tametsi pauciſſimi alij refragentur non attendentes tributa non esse pœnas impositas per leges, nec deberi solum ex obedientia, quia præcepta, solui quocumque modo, sed deberi vt res solui præceptas, iuxta id quod postulat natura rei, ac debitum subditorum suæ Reipub. ac Principi, vi institutionis ipsius Reipub. in Reipub. bonum, ac conseruationem, atque pro administratione, & defensione Reipub. esseque proinde res eo ipso ex iustitia debitas, quod concurrentibus conditionibus explicatis statuuntur, ac solui præcipiuntur, solum vt melius ab*
170. *omnibus soluantur pœnæ, eisdem legibus statuuntur tributa non soluentibus, aut alia transgredientibus, quia ad maiorem cautelam merito sunt statuta.* Hæc ibi sequitur Aragon *2.2. quæst.62. art.3 pag.* 223. Suarez *de legib. lib.5. cap.18. num.11. concl.1.* Guttierez *tract. de Gabellis quæst.2. num.22.23.& 24.& quæst.120.* dicens, *quod contraria iure defendi non potest.* Couarruu. *in Regul. Peccatum 2. part. cap.5. num.5.& seqq.* Parladorus *lib.1. rerum quotidianar. cap.3.* Bañez *2.2. quæst.63. art.3. pag.* 217. Valentia *2.2. disp.5. punct.5. versic.2. pag.926.* Alphonsus à Castro *li.1. de leg. pœn. c.4.& 5.* & innumeri quos isti citant. Ita vno, vel altero excepto omnes Theologi, & iuris vtriusque periti vno ore loqui videntur.

Quibus adiungo D. Thom. *lib. 4. de Regimi. Princip. cap.20.* sic fantem: *Tributa, & vectigalia dominio debentur quodam iure naturæ. Probat Apostolus ad Rom.13. Ideo, inquit, tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. In prima Epistola ad Corinth. Quis, inquit, militat stipendiis suis vnquam? quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat?* Ita ibi. 171.
quod antea dixerat *lib. 3. c.5.* est enim inter Regem, & Vasallos quoddam initum pactum, vt pro defensione Reipublicæ in mercedem accipiat tri- 172.
buta, & vectigalia. Quibus omnibus ponderatis, mihi non est probabilis sententia, quæ asserit non deberi in conscientia tributa ex omni parte licita.

Resolvtio IX.

An debeantur in conscientia, si non petantur.

SVMMARIVM.

173 *Gabellæ an debeantur in conscientia, si ab exactoribus non petantur?*
Sententia affirmatiua quos habeat auctores, quonitatur fundamento, & qua ratione firmetur ibid. & n. 174.
175 *Contraria sententia quæ asserit non teneri in conscientia, valde probabilis, exornatur multis auctoritatibus, & rationibus roboratur. ibid. & n. seqq.*
184 *Respondetur argumentiis in contrarium adductis & num. seqq.*

ETsi mihi constantissimum sit gabellas iustas 173.
deberi in conscientia, tamen non est certum, an debeantur antequam ab exactoribus exigantur, nam etsi non exigantur, deberi, tenent multi ex sup. relatis. Nauarra *n.29.* Malderus *dub.14.* Gutierez *num.6.* Suarez *num.11.* & plures quos ipsi referunt. Fundamentum est quia vectigalia iusta non ideo sunt, quia exiguntur, sed ideo exiguntur quia iusta: ergo si iusta ex iustitia debentur, antequam exigantur. Vnde *in l.120. Codicis* quæ hodie est *lex 31. tit.19. lib.9. nouæ recopilationis*, statuitur quod venditor teneatur notam facere publicanis, & aliis collectoribus, intra quinque dies venditionem ipsam, vel permutationem, de qua vectigal debetur.

Confirmatur: quia Princeps potest iustè præ- 174.
cipere, quod antequam petatur exhibeatur tributum: ergo ita fecisse præsumendum est, cum in conscientia sit debitum tributum, de iustitia est enim debitum per modum stipendij, & mercedis, ad quam habendam Principes suis legibus obligant subditos quantum possunt. Item si lex expresè non dicat quod soluatur antequam petatur, quia materia ipsa legis determinantis ius naturæ

turæ id exigit, & vt dixi est in materia iustitiæ,& & non præcisè obedientiæ.

175. At contraria sententia quæ asserit non teneri conscientia quis soluere gabellas, etiam iustas, nisi ab exactore, per se, vel per suos Ministros exigantur, valdè probabilis est. Sic tenent Soto *lib.3. de iust. q.6. art.7. in fine, & lib.4. quæst.6. art.4. vers. de illo autem.* Bañez 2. 2. *q.62. art.3. conc.2.* Vega *in suis casibus casu* 13. Angles *p.2.q. de vectigal. restit. dub. 1. pag.234.* dicens, *sic esse consuetudine receptum in Hispania.* Parladorus *lib.1. rerum quotidian. n.29.* Toletus *lib.5 summ. cap.75. n.2.* sic loquens: *Sufficit soluenti gabellas, vt sine vlla fraude merces suas vehat, paratus sol-*

176. *nere gabellam; quod si non exigatur ab eo, non tenetur ipse quærere exactores. Quod limitandum videtur, quando est consuetudo in illis terris exigere, & custodias ponere, quod si consuetudo esset quod ipsimet præsentarent merces, vtique teneretur facere in gabella iusta.* Sic ibi.

Ex quibus habes quod eo ipso quod sint custodes portarum Ciuitatum, non tenetur quis solue-

177. re nisi ab eo petatur gabella. Idem tenent Tabiena *verbo pedagium num. 9.* pro quo citat Ostiensem, Archidiacon. Raymundum Panormit. *Et sic,* inquit, *debet intelligi Rosella, & alij qui dicunt quod tenentur soluere, si scilicet habent illas conditiones, & exiguntur.* Hæc ibi. Quod expressius docet ibi *conc.* 3. eamdem sententiam authorum qui eam docuerunt, verba referens tenet Thom. Sanchez *lib.2. consil. cap.3. dub.10. num.5.* quod dicit esse probabile, etiam si quis occultet merces, & seipsum, vt non exigatur ab eo hoc tributum, addens *num.* 5. quod lex illa 120. Codicis, non est hodie vsu recepta, sed contraria consuetudine euanuit; quam sententiam affirmat tenuisse multos viros doctos tum ex societate, tum ex aliis familiis. Quare iure optimo dicit Ioannes Gutierez *vbi sup. numer.* 6. hanc opinionem *graues habere Authores viuos, & mortuos.*

178. Nec incongruè videtur colligi ex *Matth.17. num.27.* vbi vt Christus pro se, & pro Petro didragma tributi soluere expectauit, vt exactores peterent, & dicerent Petro, *Magister vester non soluit didragma?* Quare *lib.10. Codic. tit.29. de Exactoribus tributorum*....Constantinus Imperator rescribit Adotianum Proconsulem Africæ, non prius debere exactores tributorum aliquam ex debitoribus conuenire, quam à tabulario Ciuitatis nominentur, quia videlicet tributa non debent soluere quousque ab exactoribus intimentur.

Sed in huius opinionis maximam probabilitatem, & securitatem in praxi placuit adducere verba sapientissimi P. M. Ioannis Tabienæ vbi supra sic loquentis: *Illi qui non soluunt gabellas, seu vt dicitur eas fraudantes, siue gabellæ sint iustæ,*

179. *siue iniustæ, nisi inueniantur portantes, vel exigantur ab eisdem, non tenentur ad restitutionem, neque peccant mortaliter, nisi forte ratione conscientiæ erroneæ, seu periurij mendacij, vel periculi. Primo, quia non tam ementes gabellas, quam fraudantes sciunt conditiones earum, & volunt supponere fortunæ ita quod ementes sciunt, quod multi non soluunt, & volunt sic emere; valet quod si inueniant eos soluunt gabellam, & pœnam, & ratione huius possunt retinere illam pœnam: si vero non inueniantur nihil petant, & ad hoc sunt multi solliciti. Similiter fraudantes, vel melius non soluentes sciunt, quod si inueniantur condonabuntur; & sic volunt etiam se supponere fortunæ, vt soluant pœnam; vnde est præsumptio, quod velint sibi inuicem donare, prout dicit Panormitan. in simili in cap. Clerici 2. de vita, & honest. Clericor. quod si aliqui possunt se submittere fortunæ communi consensu, vt sibi inuicem condonent id quod accidit secundum fortunam, institut. de rerum diuisione §. per traditionem, vbi dicitur quod nihil tam naturale, quam quod quis possit donare suum &c.* quæ sequuntur valde pulchra.

Secundò probatur: Quia tributa & vectigalia, 180.
Gabellæve, & alia huiusmodi quantumuis iustæ, & iustissimæ sic recipiuntur à Republica, vt exactæ, & postulatæ soluantur, durissimum enim iugum esset venditores, & emptores obligare quærere exactores, & publicanos, vt illis ante eorum petitionem exsoluantur. Vnde satis vere Martinus de Ledesma *2.p.4.q.18. art.3. conc.3. pag.259.* Sic dicit: *Gabella, vt nunc soluitur communiter scilicet petita à Publicano, & non alias est tributum honestum, & moderatum, & tenentur Ciues soluere.* Quamuis enim vt notauit Eminentiss. Caietanus *in summ verbo decimarum solutio,* quilibet subditus pro rata sua tenetur sustentare Pastorem suum, si non habet vnde viuat honeste. Similiter & Ciues iure naturæ suum Regem alere, ad quod subministrant tributa, & vectigalia iusta, sed iam vsus recepit, & consuetudo inualuit, vt has gabellas non soluant, nisi petantur, ad quarum exactionem tot Ministri publici sunt instituti.

Tertiò, Quia in decimis soluendis, etiam ex 181.
prædiis, & fructibus agrorum potest esse consuetudo, vt non soluantur, nisi petantur, & si non petuntur non tenetur quis in conscientia soluere, si vigeat talis vsus, & consuetudo: ergo idem dicendum est in vectigalibus Principibus debitis. Consequentia tenet, non solum à paritate, sed à maiori, quia æquè tenetur, imo strictiore iure quis alere pastorem animarum, qualis est Sacerdos, Episcopus &c. quam corporum, qualis est Rex, & Princeps. Antecedens probatur, quia sic tenent grauissimi Doctores, quos nominatim refert Couarruuias *lib.1. variar. cap.17. num.18. vers. Ex his colligi potest.* Quibus adde doctissimum Balbum, *de Præscription.1.p 5. num.* 12. vbi sic loquitur: *Sed vnum est perpetuo, & singulariter notandum pro laïcis in hac via decimarum, quod si decimæ prædiales, suo tempore, id est, recollectionis fructuum, non fuerint petitæ, non possunt amplius peti, quia ad ipsas quis non tenetur, nisi suo tempore petantur. Et istud fuit singulare dictum Archidiaconi in cap.2. de decim. in 6. Et sic quis non tenetur pro decimis præteritis, nisi à tempore petitionis, siue interpolationis, & hoc singulare dictum refert, & sequitur Felinus in cap. Si autem column.4. ante medium de rescript.* Hæc ille satis ad rem.

Adde etiam D. Thom. 2.2. *q.87 art.1. ad 5.* vbi 182.
loquens de decimis idem clare docet, quidquid dicat Suarez *tom.1. de Relig lib.1. cap.37. num.2.* D. Thomam sequitur ibi Caietan. *§. in Respons. ad 5. & §. ad hoc dicitur,* vbi sic loquitur: *Quantumcumque sit debitor alicui, si is cui debetur satisfactum sibi dicit, nulla est violentia iuris cuiusque. Ministri autem Ecclesiæ, vbi non petent, fateri videntur sibi satisfactum.* Hæc ibi. Quibus verbis egregium, & vniuersale principium ad varios casus decidendos continet, quo nos vtimur non raro in sequentibus.

His adiunge valde probabile esse & tutum in 183.
praxi,

praxi,quod lex pœnalis pura,aut mixta,non obligat,nisi expresse id declaret legislator. Sic tenent Villalobos *tom.1.summ. tract 1. diffic.22. num.6.* citans Nauarrum, Gomez, Ioannem Andræam, Scæuolam,& Decium,quibus adiunge Angelum, & Tabienam, *vbi suprà*. Valentiam *tom.2.disp.7. q.5.punct.6.§.3.in sexto signo.* Salas *disp.10 de legib.sect.9.num.7.& disp.15 sect 1.num.17.& seqq.* atqui Gabellarum, & tributorum leges sunt pœnales, aut mixtæ : ergo quousque petantur potest quis se tueri opinione ita probabili.

184. Nec argumenta opposita vigoris sunt alicuius. Ad primum, Respondetur,quod vectigalia iusta sunt, antequam petantur,& debita ex iustitia non absolute,sed si petantur,quia si non petuntur non est obligatio ea reddendi : sic enim acceptatum est à Republica tributum, etsi iustissimum, vnde lex illa *del fuero*, vt vidimus non est recepta,&
185. propter eius rigorem non est acceptata. Et patet ad secundum,quod licet Princeps stricto illo modo præciperet vt soluantur antequam petantur, tamen vitans rigorem non sic præcipit, vt suauitate condiatur impositio oneris,vt omnes Doctores dicunt,in materia de legibus, non omnia quæ secundum iurisdictionem altam & de plenitudine potestatis possunt Principes imperare, imperant, sed sese populo fragili attemperant, non est obligatio ex sola obedientia : doctrina tradita vera est in omnibus tributis regiis,siue soluantur *en la Aduana* siue in saltibus, hoc est *Puertos secos*,siue sint *Pechos de fisa*,Sic Sanchez *vbi suprà num.7.* ex Palacios,Angles,Medina,& alijs.

186. Qui *num.6.* addit. Quod si artifices alicuius artis conueniant,vt se ipsis sumant obligationem soluendi gabellam, nullus artifex Ciuitatis illius, potest se excusare, sed etiam non petita gabella tenetur soluere,nec potest occultare,quia ratione contractus ad hoc tenetur, & si ipse non soluat redundat in alterius detrimentum, cum ex omnibus in Capitatis colligi debeat tanta summa. Sed non est improbabile contrarium,quia dum artifices alicuius artis incapitantur se obligantes regiis Ministris dandi tantam summam attendunt ad huiusmodi defraudationes, & ad minus obligantur : tum etiam quia artifices exactores, si non
187. exigant Gabellam, illorum est negligentia, cum cæteri semper sint soluere parati.

Resolvtio X.

Vtrum cum mala fide ciuili possit esse Gabellarum præscriptio in vtroque foro.

SVMMARIVM.

189 *Qui non soluit gabellam etiam transacto tempore à lege statuto, non est securus in conscientia, sed tenetur sub mortali restituere, itaut nullo tempore currat præscriptio in foro animæ, &c. ex sententia Gutierez.*

190 *Aliud dictum eiusdem.*

191 *Fundamentum huius secundi dicti : eiusdem verba n.191. & 192.*

193 *Contraria sententia probabilior ostenditur & num. seqq.*

198 *Si quis occultè, & secretò transuehat merces, & eas vendat, non tenetur soluere gabellas, nisi petantur, & etiam valdè probabile est quòd præscribat intra tempus à lege taxatũ.*

PErdoctus Ioannes Guttierez *in Tractatu satis* 189.
erudito, de gabellis q. 120. sentit, quod qui non soluit gabellam etiam transacto tempore à lege statuto, non est securus in conscientia, sed tenetur sub mortali restituere, ita vt nullo tempore currat præscriptio in foro animæ, cum habeat malam fidem canonicam, *ex cap. finali de præscription. & regul. possessor de regul. iur. in 6.* Addit tamen *q.*121.quod ex vi legum Hispaniæ, non soluens gabellas transacto tempore præscribit in foro externo, ita vt gabellario non detur actio in iudicio. Sic enim statuitur *l.19. & l.20. tit.17. lib.9. nouæ recopilationis*, ibi, *Sean obligados à pedir assi el alcabala, como las penas, en todo el año de su arrendamiento, y en dos meses despues del otro año, y no las puedan pedir dende adelante.* Addit quod gabella debita ex hæreditatibus venditis, si venditio fuerit facta coram scri- 190.
bis numeri exigi possit toto anno sequenti, post terminum exactionis suæ : si tamen venditio harum hæreditatum, coram aliis scribis qui non sint numeri, post duos annos à die contractus celebrati.In locis autem exemptis qui dicuntur *de Señorios, y Ordenes militares* (quamuis loca horum ordinum incorporata sint ferè omnia Regali Patrimonio, & sic de istis incorporatis eadem sit ratio ac de aliis Regiis locis) gabella potest exigi quocumque tempore, & non præscribitur prædicti temporis interuallis. Legi etiam potest *leg.*20.

Huius secundi dicti fundamentum sic proponit (& me quidem iudice euertens fundamentum prioris) *Quia decisio textus in dict. reg. pos-* 191.
sessor agit de possessione mere legali, quæ procedit absque voluntate, & consensu, & nonnunquam etiam absque scientia eius contra quem præscribitur. At nos in hac q. agimus de ea præscriptione, quam ipsemet dominus rei, propria voluntate constituit, & induxit contra suos conductores, qui est Rex, & in re sua quilibet est moderator, & arbiter l. in re mandata C. mandati vel de ea quæ est conuentionalis inter Reges, & subditos, & conductores : licet enim præscriptio mere legalis dicatur esse contra naturalem æquitatem secundum Baldum in l. ancilla num.10. vers. sed an per ius canonicum C. furti, Hoc non sic est in ea quæ præsupponit consensum, & voluntatem spontaneam, & 192.
proprium motum ipsius Regis, de qua in dicta l.19. Por releuar a nuestros subditos, y naturales de molestias, y refactiones iniustas, &c. iuxta Glossam in l 2. D.de Minor. quin imo præscriptio mere legalis (si expressè hoc statuit, ipsa lex) procedit sine bona fide, eaque lex sic disponens irritat in subditis malam fidem, & tunc cessat authoritate legis in tractat. de peste in 3. part. de mediis præseruat. numer. 253. quem refert, & sequitur Auendaño, in 1.p.cap.1. prater num.21. Hæc ibi.

Sed contraria sententia probabilior est, quia 193.
ex his quæ diximus §.2. manifestè colligitur, & ex hoc fundamento, quod pro se posuit Gutierez, quod in propriis terminis tenet Vasq. *opusc. de restitut. cap.6. §.3. dub.6.* quem sequitur Thomas Sanchez *vbi sup. dub.11. conc.1.* vbi sic fatetur : *Supposita opinione quam amplexus sum dubio præcedenti.scilicet non teneri quemquam ad gabellas donec petantur, certissimam credo hanc secundam propter rationem dictam.* Ratio autem est quam adducit *n. 5.* quia debitor alicuius quantitatis non obligatus ad illam offerendam, donec petatur, præscribit, si tempore signato à lege ad

id

id petendum, non fuerit petita, vt optimè Panormit. *cap. finali de præscriptio.* Angelus *verbo, præscriptio num.* 42. Medina *C. de restitut q.* 16. *vers. verum*, sed non tenetur quis soluere gabellas donec petantur à publicano: ergo si publicanus non petat tempore à lege destinato præscribentur gabellæ. Sic docti recentiores, tenetque Corduba *lib.* 1. *summ. q.* 36. *pag.* 282.

195. Secundò probatur eadem sententia ex principio illo posito à D. Caietano: *quantumque aliquis sit debitor alicui, si is cui debetur satisfactum sibi dicit, nulla est violentia iuris cuiusque ministrantium Ecclesiæ*, (& idem iudicium est de Regiis) *vbi non petunt, videntur sibi satisfactum.* Hucusque Caietan. cui consonat Angelus *verbo præscriptio n.* 42. *littera B.* ex Panormit. *cap. finali de præscriptio & cap. claritatis de foro competenti*, qui distinguit, *quod sicut debitor sciens debitum non tenebitur offerre, ita quod cessando ab absolutione non fuit in culpa, & sic præscribet, quia non est in mala fide de eo quod potuit cogitare, quod voluit donare, vel relaxare.* Hæc Angelus satis ad rem.

196. Tertiò, idem probatur ex fundamento oppositò, quia Rex cuius sunt gabellæ, & tributa voluntate sua inducit ipsorum præscriptionem, si elapso tempore à se statuto exactor non exegerit eas gabellas, ergo relaxat, & donat, tum in fauorem suorum subditorum, & naturalium, ne molestentur litibus iniustis; tum etiam in punitionem negligentiæ exactorum, siquidem præscriptio à Principe Catholico inducta, vel præsupponit bonam fidem canonicam, vel ipsam facit irritans malam fidem, quæ authoritate legis cessat, & cum bona fide canonica currit præscriptio in foro conscientiæ. Et sic solutum manet fundamentum Gutierez; siquidem ipso rectè intellecto fouetur nostra sententia.

197. Cæterum, quia *in l.* 19. citata dicitur: *En los Lugares de los Señores, y Abbadengos las alcabalas se pueden demandar, en qualquier tiempo, y no se pueden prescribir, por causa de los dichos terminos.* Quibus verbis videtur lex in his locis præscriptionem impedire; potest dici quod hic sit sermo quantum ad forum externum, in quo datur actio exactoribus vt in his locis semper possint repetere vectigalia, quia cum sint exempti ab immediata iurisdictione Regis patiuntur exactores plures difficultates, & tamen in foro conscientiæ, si quis bona fide canonica non soluat, qui ab eo non exigitur aliquomodo, existimo præscribi vel quinquennio, vel decennio. Dixi aliquomodo, quia si ante elapsum tempus petatur, vel insinuetur, aut notificetur debitum non præscribit in conscientia.

198. Ex quo fit, quod cum sit valdè probabile, quod si quis occultè, & secretò transuehat merces, & eas vendat, non tenetur soluere gabellas, nisi petantur, ita etiam est valde probabile, quod etiam præscribat intra tempus à lege taxatum, non solum in foro ciuili, sed etiam in foro animæ. Ita Suarez *vbi sup. num.* 8.

CAPVT II.

De præscriptione debiti, & legati.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm legatum possit quis cum mala fide ciuili, iure canonico stante in conscientia præscribere.

SVMMARIVM.

199 *Legatum est donatio à testatore relicta, & ab hærede præstanda.*
Fidei commissum sic dicebatur, quia olim pendebat ex fide hæredum. ibid.

200 *A die mortis testatoris rei legatæ in particulari pertinere ad legatarium dominium fictum.*
A die aditæ hæreditatis, ad legatarium pertinet dominium verum, absque aliqua rei legatæ traditione, etiamsi legatarius ignoret sibi legatum relictum, aut aditam esse hæreditatem.

201 *Quid si alicui legatum certum quid in quantitate, sed incertum in indiuiduo.*

202 *Secundum leges Castellæ legatario acquiritur verum dominium rei legatæ à die mortis testatoris.*

203 *An hæres possit præscribere legatum contra legatarium? resoluitur, & n seqq.*

LEgatum, & fidei commissum (notant Syluester verbo *legatum* 1. *num.* 1. Angelus *ibi*, & vterque iisdem verbis loquitur) *est donatio à testatore relicta, & ab hærede præstanda*; debetur 199.
enim post mortem testatoris, & post aditam hæreditatem ab hærede. *institut. de legatis* §. 1. fideicommissum autem dicebatur, quia olim pendebat ex fide hæredum, & ideo fideicommissarij dicuntur, quorum fidei soluenda legata committuntur. Quare quidquid iuris est in legato, est in fideicommisso *l.* 1. *D. de legat.* 1. & ibi Barthol. & alij Doctores & *ad cap. Raynutius de testam.* vbi Couarruuias.

Et quidem communis; & certa omnium sen- 200.
tentia est, teste Couarruuias *vbi sup.* §. 1. *num.* 1. quod à die mortis testatoris, rei legatæ in particulari pertineret ad legatarium dominium fictum. Cæterum à die aditæ hæreditatis (id est à die qua hæres acceptat hæreditatem) ad eundem legatarium pertinet dominium verum, absque aliqua rei legatæ traditione, etiam si legatarius ignoret sibi legatum relictum, aut aditam esse hæreditatem. Ita Sanchez *tom.* 2. *consil. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 16. Molina *tom.* 2. *disp.* 3. § *certius est.* Qui optime notat ex Antonio Gomez *tom.* 1. *Variar cap.* 2. *num.* 221.
8. & ex communi sententia, quod si alicui legatur certum quid in quantitate, sed incertum in indiuiduo, vt quod dentur ei tot mensuræ certæ olei, vini, & similium, aut item pecuniæ certa summa, iste talis non acquirit dominium adhuc adita hæreditate, eo quod incertum est legatum in singulari, attamen omnia bona defuncti hypothecata manent ad solutionem talis legati, itaut legatario non solum detur actio personalis aduersus hæredem, sed etiam in defectum hæredis detur

illi realis actio aduerſus bona quæ fuerunt defuncti, vt qui illa poſſident vel legatum ſoluant, vel ea tradant, vt ex his ſoluatur legatum *l.1.C. de legat.* & eſt indubitatum apud Doctores taliter quod ſi legatarius monitorium ex poteſtate Eccleſiaſtica proueniens publicare faciat teneatur ſciens, aut retinens bona defuncti ſub anathemate manifeſtare.

202. Notat & optimè Thomas Sanchez *vbi ſuprà* quod ſecundum leges Caſtellæ *l.1.tit.4. lib.5.nouæ recopilation.* legatario acquiritur verum dominium rei legatæ à die mortis teſtatoris, non expectata aditione hæreditatis, aut culpabilis mora vt expectatur iure comm. Vnde fructus rei legatæ fiunt legatarij à die oblatus teſtatoris, quando iſte rem propriam legauit: ſecus ſi alienam, cuius vt transferatur dominium in legatarium expectatur aditio, aut mora, vt tenet Matienzo *ad l.citatam, Gloſſ.14. à num.24.* legatur *num.35. & 36.* in quibus doctrinam præfatam recte enucleat, & defendit.

203. His poſitis Dubium eſt, An Hæres poſſit præſcribere legatum contra legatarium, itaut tranſacto tempore à lege præſcripto tutus ſit hæres in conſcientia, ſi non ſoluat legatum, etiam ſi ſciat legatum ad legatarium pertinere, illiuſque eſſe dominium verum, vt vidimus. Si tamen ipſe legatarius intra triginta annorum ſpatium (quod taxatum eſt à lege ad præſcribendas actiones perſonales,) non petat legatum. Et quidem mihi videtur iuxta ea quæ dixi, hæredem tuta conſcientia præſcribere, & non teneri legatum, & eius fructus reſtituere. Quia hæres non tenetur reddere antequam petatur legatum, & à legatario acceptetur, & ſic quouſque petatur, & acceptetur hæres non eſt in mala fide canonica, quæ peccatum inuoluat. Sic tenent Ancarranus, Barthol. Socinus Decius, Francus, Baldus, Ripa, Socinus iunior, Marianus Scotus, quos citat Couarruuias *lib.1. variar cap.9.num.7.* & late probat Tiraquellus *ad l.ſi vnquam D. de reuocand. donat. verb. reuertatur num.390.* 204. *Quando*, inquit, *is qui poſſidet, aut debet non tenetur offerre, aut adire domum creditoris, nec aliquid facere, niſi petatur ab eo, cui ea actio competit; tunc etiam de iure Canonico, illo non petente præſcribit, quia nihil eſt quod ſibi imputari poſſit, ſiue quod eum conſtituat in mala fide.* Hæc ibi, citans Panormitan. Corneum, Felinum. Vnde *num.391.* idem ſpecifice tenet de hærede præſcribente contra legatarium; cuius rei rationem tradit *ex cap. ſine poſſeſſione de reg. iur. in 6.* Si per acceptationem alicui competit actio, poteſt interim 205. contra eum præſcribi, dum non acceptauerit: ergo ſi legatarius non ignorans legatum non acceptauerit contra ipſum in foro poli præſcribatur, cum hæres non ſit in mala fide canonica, non enim peccat, ſi non portet legatum legatario. Idem tenet Balbus *de Præſcript. cap.2.p.3.q.13.num.9.* legatur Bonacina *de contract.3. q.17. punct.8.§.8.num.3.verſ.Quinta cauſa.*

206. Imo adde valde probabile eſſe quod etiam poſtquam legatarius acceptauerit legatum, qua actione dominium rei legatæ ſit irreſolubile, ſi non petat legatum intra tempus præſcriptum à lege, poteſt hæres contra ipſum in foro conſcientiæ præſcribere, quod tenent Authores citati.

207. Fundamentum ſumitur ex doctrina Caietani, Angeli, Panormitani, Tiraquelli in ſuperioribus adducta, quia hæres non tenetur offerre legatum legatario illud deferendo ad ipſius domum, ſi legatarius ſcit ſibi debitum: ergo ſi iſte non petat toto tempore à lege taxato, ſi ipſe hæres non fuit in mora culpabili, non eſt in mala fide canonica; poteſt enim prudenter, & abſque peccato iudicare, quod voluit donare, vel relaxaſe, & ſic eſt in bona fide canonica, & præſcribit. Quæ opinio magis roboratur ex his quæ ſupra Reſolut.7. probata reliquimus, quod quis præſcribat in foro conſcientiæ contra ius de retrouendendo, & contra ius de ſoluendis gabellis. Quare contra hanc reſolutionem nihil in oppoſitum occurrit, quod in ſuperioribus non ſit ſolutum.

RESOLVTIO XII.

Vtrum debitum ex furto præſcribatur.

SVMMARIVM.

208 *Fur nullo modo præſcribit cum ipſe ſemper ſit poſſeſſor malæ fidei canonicæ & num. ſeqq.*

211 *Latronis hæres an poſſit præſcribere rem furtiuam, aut affectam vitio reali, & num. ſeqq.*

215 *Si vitium fuerit perſonale, vt mala fides precarij, depoſiti, & ſimilium, ſi hæres ſit ſingularis, & non vtatur occaſione temporis ſui auctoris malæ fidei, &c. præſcribit præſcriptione longiſſimi temporis 30.vel 40.annorum, non verò longi 10.vel 20.*

216 *Quid dicendum ſi hæres ſit ſuus, aut vniuerſalis? declaratur & n.ſeqq.*

DEbitorem ſe conſtituit aliquis reſpectu alterius, aut ex peccato contra iuſtitiam patrato, aut ex contractu inito, cum tertio, aut quia fecit aliquid contra ſtatutum prohibens. Et quidem omnino certum debet eſſe quod debitum ortum ex peccato contra iuſtitiam commutatiuam v.g. ex furto, aut rapina, nullo modo ipſe fur præſcribat, cum ſemper ſit poſſeſſor malæ fidei canonicæ, *regul.Poſſeſſor.2. de reg. iur. in 6. l.Sequitur § quod autem D. de vſucapio l.vitia,* vbi Gloſſa Magiſtralis *C. de acquirend. poſſeſſ. §. quod autem & §. furti inſtitut. de vſucapio.* & legi poſſunt Couarruuias *in Reg. Peccatum p.2.§.8.num.4. & §.11.num.3.* Gutierrez *lib.1.canon. cap.34. à num.68.* Rationem reddunt Barboſa *ibi num.1.* quia nullus ex delicto, & eius conditione legis authoritate præmium, & commodum acquirere debet *cap. intelligimus de iudiciis, & cap. ex tenore de Reſcript.* Quæ ratio ita concludit, vt nec tempore immemorabili præſcribat, cum eo magis peccatum graueſcat, quo magis durat, & eſt diuturnius, & ſic ſemper quod probatur aliquis poſſeſſor malæ fidei, etiam poſt mille annos tenet 210. probatio, & præſcriptio non iuuat, quia nulla fuit: attamen à tempore immemorabili ſemper præſumitur bona fides præſumptione iuris, & de iure. Legatur Barboſa *num.3.* qui optimè id inculcat.

Sed quamuis, vt dixi, id indubitatum ſit loquentes de ipſo latrone, raptore, aut violento, & iniuſto inuaſore, dubium Quæſtionis eſt An id etiam verum teneat & in hærede ipſius latronis, quod ſcilicet iſte non poſſit præſcribere rem furtiuam, aut affectam vitio reali, quale eſt furtiuitas violen

208. 209. 211.

violenta, aut vitio perſonali; qualis eſt ſcientia rei alienæ, quod duplex vitium notatur *in l. vitia*, & ibi Gloſſa ſingularis *D. de acquirenda poſſeſſione.* Et omiſſis multis quæ ab Authoribus inculcantur, & potius ad forum externum pertinent, mihi placet ſententia Franciſci Balbi *2.p.3.p.de Præſcription.q.12.* quam vt breuiter explicem, notandum alium eſſe hæredem vniuerſalem, qui ſuccedit titulo vniuerſali, & hæreditario, quia hæreditas eſt ſucceſſio in ius vniuerſum *l. nihil aliud eſt hæreditas D. de verbor. ſignific.* Hic autem vniuerſalis hæres non eſt idem ac hæres ſuus, ius enim ſuitatis competit filio, aut filiæ, reſpectu Patris, aut nepoti, aut nepti reſpectu aui. Sic habetur *§. ſui, inſtitut. de Hæred. qualitat, & differ.* Hæres ſuus apud Græcos dicitur quaſi domeſticus à vocabulo quod ſignificat domus, quia
212. Pater, & Auus, filium, & nepotem in domo habent, ſub patria poteſtate conſtitutos. Alius eſt hæres particularis qui ſuccedit in aliqua re titulo particulari, & in quem non tranſit vniuerſitas iuris, vt titulo emptionis, donationis, legati, & ſimilium.

Et quidem hæredem ſuum, aut vniuerſalem,
213. rem affectam vitio reali non poſſe præſcribere de iure ciuili præſcriptione ordinaria decem, vel viginti annorum, bene tamen præſcriptione longiſſimi temporis 30. vel 40. annorum, quia per tantum tempus purgatur vitium reale, vt dicit Gloſſa magna *l.1. C. de ſeru. fugit & l.3. in Gloſſa finali C. de præſcript.* 30. *annor. & l.1. §. ad hæc C. de annali except. l. Pomponius §. cum quis.* vbi Barthol. & Alexand. *D. de acquirend. poſſeſſ.* Quæ doctrina etiam tenet verum de hærede particulari quia vt notatur *in l. citata*, vitium reale comitatur rem ad quemcumque tranſeat donec purgetur; purgatur autem ſpatio longiſſimi temporis iure ciuili, non tamen iure canonico, ſi poſſidens rem affectam vitio reali habet malam fidem
214. canonicam: ſecus ſi ſine peccato illam retineat, iuxta noſtra principia iacta in ſuperioribus: quod ſi non ſit hæres immediatus, ſed tertius, etiam præſcribit ſpatio triginta annorum, ſi habeat etiam bonam fidem Canonicam, vt habetur *l. ſi quis emptionis §.1. C. de præſcript.30. annor.* quia vt notat Balbus non eſt correcta per ius canonicum, dummodo iſte talis ſucceſſor inchoet præſcriptionem in præſentia ſua non vtendo acceſſione temporis auctoris ſuæ malæ fidei, vt notat Panormit. *cap. nihil de præſcription.*

215. Si vitium fuerit perſonale, vt mala fides precarij, depoſiti, & ſimilium, ſi hæres ſit ſingularis, & non vtatur occaſione temporis ſui authoris malæ fidei, ſed in perſona præſcribit præſcriptione longiſſimi temporis 30. vel 40. annorum, non vero longi 10. vel 20. *Sic authenticum malæ fidei C. de præſcription. longiſſimi tempor.* vbi habetur, *Quod ſi dominus non ignorauerit ius ſuum, & ſciuerit alienationem factam, fides mala ſui Authoris nocet ad præſcribendum præſcriptione longiſſimi temporis, bene tamen longi.*

216. Quod ſi hæres ſit ſuus, aut vniuerſalis etiam ſi non vtatur acceſſione temporis ſui Authoris malæ fidei, ſed ipſe habens bonam fidem canonicam abſque peccato velit inchoare præſcriptionem, communis eſt iuriſperitorum ciuilium ſententia quod non præſcribat in foro animæ. Ita Balbus *vbi ſup. num. 12. verſ. breuiter communis opinio.* & Panormit. *in cap. ſi diligenti de præſcription.* Alexand. *conſil. 99. colum. vlt. 4. volum.* Roman.

conſil. 201. Aretinus *§. ſed tamen inſtitut. de vſucap.* tum quia hæres tenetur exonerare defuncti conſcientiam. *cap. finali de ſepult.* & ſi non reſtituat, & ſoluat debitum non exonerat, *quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum de reg. iur. in 6. reg. non dimittitur*; tum etiam, quia etſi ſucceſſor habeat bonam fidem, tamen cum ſit 217.
hæres ſuus, & vniuerſalis deceſſoris ſui, non habet alium titulum poſſidendi, & ſic cenſetur continuare poſſeſſionem ſui deceſſoris, & ex ipſius titulo. Vnde cum deceſſor non habeat titulum, cum ſit poſſeſſor malæ fidei: nec ſucceſſor habebit in quo omne ius cauſatur à defuncto, & ſic non poteſt inchoare præſcriptionem in propria perſona ſuo tamen ſi alia ab alio tertio habeat alium titulum, ſecundum quem præſcriberet, etiam ſi non eſſet hæres argum. *ex l. an vitium §. final. D. de diuerſ. & tempor. præſcription.* & eſt ad hoc propoſitum Gloſſa ſingularis *in cap. cum quis in ius de reg. iur. in 6.* dicens quod vbi hæres non ſe fundat in titulo, & iure defuncti ſibi eius mala fides non nocet.

Quæ ſententia dupliciter à ſuis Authoribus li- 218.
mitatur. Primò, quod non procedat in ſucceſſore vniuerſali in Prælatura, dignitate, & beneficio, quia licet prædeceſſor fuerit in mala fide non impeditur præſcriptio ex ſua perſona. Sic omnes *in cap. cura de iure patronatus.* Secundò, limitatio eſt quod ſi hæres vniuerſalis fecerit inuentarium ſolemne ad formam *l. fin. C. de iur. deliberat*, poſſederitque rem 30. annos bona fide, præſcribit rem ſine titulo ex propria perſona, tunc enim inuentarium facit, quod non ſibi noceat mala fides defuncti, cuius titulo vti non vult. Limitatur 3. mala fides præſumpta ex ignorantia iuris inuenta in deceſſorem non nocet ſucceſſori, & hæredi. Sic Gloſſa magna, & ſingul. *ad l. tutorum D. de adminiſtrat. tutor.* & ſequitur Paulus de Caſtro *l. nunquam D. de vſucap.*

Sed quamùis hæc ſententia valdè probabilis ſit, 219.
exiſtimo non minus probabilem eſſe opinionem aſſerentium, quod hæres vniuerſalis deceſſoris malæ fidei poſſit præſcribere rem alienam, ſi ipſe hæres habeat bonam fidem canonicam, & ille cuius eſt res non ignoret alienatam, dummodo ex propria perſona incipiat præſcriptionem. Sic tenent Dinus *ad regul. poſſeſſor. column. vlt.* Alexander *ad l. Pomponius §. cum quis D. de acquir. poſſeſſion.* Barthol. *in l. vitia C. de acquirend. poſſeſſ.* & plures alij quos refert Leſſius *lib.2. de iuſt. & iur. cap.6. dub.13. num.42. verſ. aduerte tamen.*

Ratio eſt perſpicua quam tradit Baldus *ad l. ni-* 220.
hil C. de vſucap. pro hærede & ad l. cum eam qui. §. in hac & l. ſi ego §. partus D. de Publiciana, quia licet ad præſcriptionem decem, vel viginti annorum, hæres vtatur accretione tituli ſui Authoris, quia hæc præſcriptio requirit titulum, tamen iſte hæres poteſt præſcribere præſcriptione longiſſimi temporis 30. vel 40. annorum, cum hæc non requirat titulum, ſi adſit bona fides canonica. Confirmatur, quia mala fides præſumpta non nocet hæredi in foro animæ, eſt communior 221.
ſententia, quod leges fundatæ in præſumptione, ſi non ſubſiſtat res præſumpta non obligant in conſcientia.

Ex his patet fundamentum contrariæ ſenten- 222.
tiæ, nam hæres quando vtitur titulo deceſſoris ſui tenetur eius conſcientiam exonerare quoad illam rem, quia tunc continuatur in eo mala fides ſui Authoris: ſecus tamen quando non vtitur eius

titulo, quia tunc tanquam extraneus procedit, vt notat Balbus.

Resolvtio XIII.

De debitis ex homicidio.

SVMMARIVM.

223 *Homicidam iniuſtum teneri reſtituere damna, & intereſſe certiſſimi iuris eſt.*

224 *An quis poſſit præſcribere, tuta conſcientia huiuſmodi debitum ex homicidio? & num. ſeqq.*

229 *Et quid ſi occiſus occiſori remittat omne debitum? & num. ſeq.*

231 *An homicida teneatur ad reſtitutionem faciendam propinquis occiſi à quo accipiebant alimenta ad vitæ ſuſtentationem, & n ſeqq.*

234 *Si quis non præuideat damnum illatum vxori, filiis aut parentib. occiſi, an teneatur ad reſtitutionem? & n. 235.*

236 *Homicida ſi aduertens ad damnum creditorum, licèt non eo animo vt ipſi damnificentur, occidiſſet, an teneatur creditoribus reſtituere.*

237 *Homicida præſcribit ſi amicus, propinquus, creditor, aut familiaris occiſi tempore à lege præſcripto non petant debita in foro conſcientiæ.*

238 *Prouocans ad duellum ſi prouocantem occidat tenetur reſtituere damna.*

239 *Occiſus non poteſt in damnum ſuorum facere, neque in damnum ſuorum creditorum.*

223. INiuſtum homicidam teneri reſtituere damna, & intereſſe certiſſimi iuris eſt, & videri poſſunt Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 19.* Couarruu. *lib. 2. variar. cap. 10.* Sotus *lib. 4. de iuſtitia q. 6.* Vaſq. *opuſc. de reſtitut. cap. 2. §. 3.* Summiſtæ, verbo *reſtitutio* vbi Sylueſt. *reſtitut. 3. q. 2.* Armilla *n. 21.* Tabiena *num. 8.* Diana *p. 5. tract. 4. reſol. 53.* cum enim occidens, aut notabiliter mutilans, aut vulnerans ſit causa damni, illud reſarcire debet eo modo quo poteſt: illatio enim damni ad iniuſtitiam pertinet, quia ad reſtiturionem obligat, quidquid ſit, an hæc ſatisfactio facienda ſit pro vita, aut pro membro mutilato, an pro damno ex hoc ſecuto, quod modò non diſputo. Legatur Sanch. infra citandus, *dub. 1.* qui vt aſſolet id diſputat.

224. Sed dubium quæſtionis eſt an quis poſſit præſcribere, tuta conſcientia, huiuſmodi debitum, itaut tranſacto tempore determinato (quod erit triginta annorum cum ſit ius actionis debiti ex homicidio, non teneatur in conſcientia ſoluere, & damna reſarcire. Et iuxta principia à nobis poſita dico ſi ab hæredibus occiſi petatur debitum, tenetur illud ſoluere ex iuſtitia, & non poteſt præſcribere, ſi tamen non petatur, non tenetur ſoluere, etſi tranſeat tempus præſcriptionis hæredes non poſſunt petere in conſcientia, nec homicida tenetur ſoluere, ſiue occidat iniuſtè, ſiue ob defenſionem.

225. Prima pars huius concluſionis ex eo mihi eſt manifeſta, quia vt notant optime Diana *vbi ſup. reſol. 58.* Sanchez *tom. 1. conſilior. lib. 1. cap. 4. n. 6. dub. 12.* Mercado *lib. 3. de contract. c. 6. paulo ante finem,* Salon. *2. 2. fol. mihi 639.* Sotus *vbi ſup. ad 3.* Ledeſma *2. p. 4. fol. mihi 242. pag. 2.* Aragon. *2. 2. fol. mihi 180.* Nauarrus *in ſumm. Latina cap. 15. n. 25.* Bonacina *diſp. 2. de Reſtit. punct. 1. num. 16.* Beccanus *quæſt. 10. de reſtitut. conc. 2. Quando creditur partem læſam nullam velle ſatisfactionem, præter ſupplicium, vt inter nobiles, non teneri homicidam ad illam exibendam. Hanc etiam tenent nonnulli recentiores valde docti à me conſulti.* Quæ doctrina extenditur ad omnes cuiuſcumque generis homines; ſi enim ſatisfactionem non petant, videntur eam nolle, & ſic præſcribitur actio contra homicidam, & eius hæredes, etiam in foro animæ (ſicut ſupra dicebam de tributis) niſi hæredes occiſi ita ſint pauperes, & miſeri, quod timore graui impulſi non audeant ſatisfactionem exigere; tunc enim occiſor tenetur ſatisfactionem offerre etiam ſi facta reſtitutione ſit in maxima neceſſitate conſtituendus, præcipue ſi hæredes occiſi in ſimili manerent & cum ſit poſſeſſor malæ fidei canonicæ nunquam præſcribit, vt conſtat. 226.

Huius concluſionis doctrina maiori firmatur fundamento ſi homicida vita priuetur à iudice, & pœna talionis mulctetur. Et ſi enim Malderus *tractat. 3. de iuſt. & iur. cap. 3. dub. 3.* Petrus Nauarra *de Reſtitut. lib. 4. cap. 1. n. 91.* Sanchez *vbi ſupr. dub. 2. num. 2.* & alij cum Vaſquez *de Reſtit. cap. 2. §. 3. dub. 5.* Bonacina infra adducendus affirment, quod ſi occiſor in vita mulctetur adhuc hæredes ipſius teneri ad reſtitutionem, quia pœna mortis non eſt ſatisfactio parti læſæ, ſed Reipublicæ offenſæ, vt aliis terror inuehatur; tamen Bañez *2. 2. quæſt. 62. artic. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 22. num. 139.* docent contrarium. Qua opinione nixus hæres homicidæ poteſt formare bonam fidem, & ſic præſcribere, itaut hæres occiſi non poſſit tranſacto tempore damna exigere in conſcientia, cum hæc opinio valde ſit probabilis, vt videre eſt in Diana *vbi ſup. Reſol. 60.* 227. 228.

Quod ſi occiſus occiſori remittat omne debitum, exiſtimo, ſi occiſus habeat filios non valere remiſſionem, niſi quoad quintum, de quo ſolum poteſt diſponere. Sic Tannerus *tom. 3. diſput. 4. dub. 4. num. 116.* & *num. 122.* Ratio eſt euidens quia homicida tenetur ex iuſtitia reddere ſatisfactionem ad reſarciendum damnum illatum occiſo ſi petatur: ergo occiſus non poteſt in damnum filiorum omne debitum remittere, ſicut non poteſt diſponere de omni ſua ſubſtantia: ius enim ad ſatisfactionem valde æſtimabile eſt, præcipue inter plebeios qui forſan nihil aliud habent laborantes operibus manuum, & in ſudore vultus ſui, quibus alant familiam; vnde & peccat remittendo omne debitum, & remiſſio nulla eſt. 229.

Bene video quod Leſſius *vbi ſup. n. 157.* Bañez etiam *vbi ſup. dub. 6.* Bonacina *diſp. 2. de reſt. q. vlt. ſect. 2. punct. 2. n. 16.* tenent contrarium; ſed exiſtimo loqui de nobilibus, & non indigentibus; nam de indigentibus exiſtimo non eſſe valde probabile id aſſerere: dum enim pater pauper qui ſudore vultus alebat filios, vxorem, & familiam, vere iſti læduntur in bonis fortunæ, læſo patre à quo alebantur. Quare exiſtimo quod ſi iſti petant debitum, homicida tenetur ſoluere, nec poſſe præſcribere, nixus remiſſione occiſi. 230.

Inquires: an homicida teneatur ad reſtitutionem faciendam propinquis, & amicis occiſi à quo accipiebant alimenta ad vitæ ſuſtentationem? negant Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 83. num. 6.* Leſſius *vbi ſup. num. 154.* Salon. *quæſt. 62. art. 2. controu. 7.* & alij apud Dianam *reſol. 56.* Sed affirmant Nauarra *lib. 4. cap. 1. num. 76.* Azor *part. 3. lib. 5. cap. 3. quæſt. 11.* Vaſquez *vbi ſup. dub. vlt.* Sanchez *dub. 3.* 231.

num.

*num.*11. Adrianus *in* 4. *de reſtitut.* quam prius do-
232. cuerat Scotus *in* 4. *diſt.*15. *quæſt.*3. quam ſequuntur Faber ibi *diſp.*51. *n.*77. Cuius ratio eſt (quam iure optimo euidentem dicit Vaſquez) quia ille qui præſcius, & præuidens damnum alicuius, ſi fraude, dolo, aut iniuſtitia eſt cauſa illius damni, tenetur in conſcientia ad reſtituendum: qua ratione, ſi ego fraude, vi, aut dolo, ſiue iniuſtitia impedio aliquem à beneficio conſequendo quod Epiſcopus liberaliter volebat concedere, teneor reſtituere quantum valebat ſpes illa conſequendi beneficium, vt eſt indubitatum in materia de beneficiis: atqui homicida iniuſte fuit cauſa damni amico & propinquo, aut fratri, aut ſorori, alimentorum aut alterius beneficij, quod ſperabatur conſequi: ergo tenetur reſtituere. Solum enim excuſari poteſt, quia non fuit præſcius, aut præuidens, vt optime notat Sanchez *vbi ſup.* vt ſi quis
233. adiret ad impetrandum beneficium, & ego ignorans illum vi detinerem, itaut quando acceſſit iam beneficium fuit datum, non teneor reſtituere, quia ignorans feci, non præuidens damnum.

Dices: Ergo ſi quis non præuideat damnum illatum vxori, filiis, aut parentibus occiſi, quia eos
234. ignorabat, non teneor ad reſtitutionem aliquam. Reſpondetur cum Salon. 2.2 *controu.*7. Soto Ledeſma, Aragon. citatis negando ſequelam quia iſti ſunt aliquid occiſi, & ad eius familiam pertinent, ſuntque hæredes illius neceſſarij, & homicida tenetur alere in defectum occiſi eius familiam dando alimenta neceſſaria, quod ſecus eſt de amicis, & familiaribus, imo & de marito filiæ, aut filio ſpurio, & naturali, qui non ſunt hæredes neceſſarij: ſecus eſt de filio ſpurio, aut naturali, reſ-
235. pectu patris quem hæreditaret etiam ex teſtamento; quare hæredes neceſſarios tenetur prouidere, quia eo ipſo, quod occidit Patrem, aut matrem illis ex natura rei damnum infert. Quare Molina, & alij Doctores adducti à Diana intelliguntur, ſi occiſor non præuideat damnum, quod amicis familiaribus inferat: & quidem Diana non tam conſiderat pondus ſententiæ, quam authorum verba, ex quibus ordinariè Reſolutiones ſuas conſarcinat.

236. Et conſequenter ad fundamentum dictum reſoluit Thom. Sanchez *dub.*4. *num.*2. cum Salonio *controu.*8. Molina *loco etiam citato num.*8. Layman *lib.*3. *ſect.*5. *tract.*3. *p.*3. *cap.*6. *num.*4. Si homicida aduertat ad damnum creditorum, licet non eo animo, vt ipſi damnificentur, occidiſſet; tenetur creditoribus reſtituere; quia iſtis ex iuſtitia erat obligatus occiſus: verum tamen eſt quod non tenetur homicida illis offerre debita, ſed ſi petantur tenetur reddere tantum quantum valebat ſpes quam creditores habebant ea recuperandi ab occiſo; quod ſi nullam ſpem habebant ad nihil tenetur homicida.

327. Ex quo fit quod ſi amicus, propinquus, creditor, aut familiaris occiſi, tempore à lege præſcripto non petant debita in foro conſcientiæ, præſcribit homicida, & eo tranſacto, non poſſunt petere, quia iam amiſerunt ius.

238. Iuxta principia poſita circa debitum ex homicidio, poſſunt plura alia dubia reſolui circa materiam præſcriptionis. Solum aduerto contra Dianam *reſol.*50. quod ſi prouocatus ad duellum prouocantem occidat tenetur reſtituere damna. Sic Torres 2.2. *tom.*2. *diſp.*28. *dub.*4. *n.*13. Salon. *q.*62. *art.*2 *controu.*11. & alij. Ratio eſt, quia iſte eſt homicida iniuſtus, & ex homicidio iniuſto oritur obligatio reſarciendi damna illata: nec poteſt colligi certa remiſſio damnorum ex eo ſolum quod quis prouocet aliquem ad duellum, quod non eſt iuſtum medium ad vitandam infamiam. Et ſicut non poteſt eſſe aliqua cauſa excuſans duellum à peccato, ita non eſt excuſans à reſtitutione damnorum; quod ſi adeſſet etiam ab obligatione excuſaret, ſicut excuſat illum qui modum non excedens occidit aggreſſorem, moderamine inculpatæ tutelæ. Imo addo, quod etiam ſi inter prouocatum, & prouocantem tale interceſſerit
239. pactum, quod ſibi damna remitterent, ſi habeant familiam, quam tenentur alere, tale pactum nullum eſſet & homicida iniuſtus tenetur reſtituere, quia occiſus non potuit in damnum ſuorum facere; ſicut neque in damnum ſuorum creditorum, quos habere agnoſcebat occiſor.

Resolvtio XIV.

De debitis ex iniuſto ſtupro.

SVMMARIVM.

240 *Stuprum eſt defloratio virginis exiſtentis ſub cura parentis.*

241 *In ſtupro eſt ſpecialis circunſtantia contra iuſtitiam, ex qua oritur reſtitutionis obligatio ipſi virgini facienda.*

242 *Si quis Monialem ſtuprauerit, nec ipſi, nec monaſterio tenetur de damno.*

243 *Stuprator non tenetur, niſi explicitè, vel implicitè petatur.*

244 *Si non petatur intra tempus à lege ſtatutum Stuprator præſcribit in conſcientia.*

STuprum definitur S. Thom. 2.2. *q.*154 *art.*6. *Quod ſit defloratio virginis exiſtentis ſub cura parentis.* Quam definitionem egregiè explicat Caietanus *ibi*, addens ſtuprum fore etiam ſi virgo conſentiat, & non ſit actu ſub alicuius cura: quia virgo ex natura ſua parentum cuſtodiam exigit, cui cuſtodiæ nequit virgo cedere. Vnde etſi non fiat iniuria virgini conſentienti ſit tamen contra ius cuſtodiæ paternæ. Quare ſtuprum vltra malitiam contra temperantiam, eſt ſpecialis circun-
241. ſtantia contra iuſtitiam, ex qua oritur reſtitutionis obligatio, ipſi virgini facienda, in ſubſidium dotis. Quod ſi antequam nubat moritur, non eſt obligatio reſtituendi hæredibus, quia hoc debitum erat perſonale, vt virgo læſa matrimonio iungeretur, & ſic in ordine ad iſtud non eſt paſſa detrimentum, & nihil eſt hæredibus reſtituendum. Et idem dicendum eſt ſi virgo vel propter ſolemne votum, vel alia ex cauſa impediente neceſſario matrimonium, & alias violatio fuit occulta ad nil tenetur ſtuprator. Vnde ſi quis Mo-
242. nialem ſtupraverit, nec ipſi, nec Monaſterio tenetur de damno, quia incapax eſt matrimonio, niſi publicè fiat, & propter honorem deperditum, damnum notabile aut Monaſterium, aut ipſa patiatur, tenetur reſarcire, ſi petatur, etſi ipſe capite plectatur, iuxta dicta.

Addo quod totum illud quod tenetur iniuſtus ſtuprator reddere virgini læſæ, aut honeſtæ vi-
243. duæ, propter damnum illis illatum, quidquid, & quantum ſit quod tenetur dare (de quo videantur Turrianus *vbi ſupr. diſp.*30. *dub.*2. 3. & 4. Vaſquez *opuſc. de Reſtitut. cap.*2. §.3. Bonacina *de iis quæ pertinent ad vſum matrimonij q.*4 *punct.*17. Azor

3.p.lib.5.cap.5. per totum Salonius *loco citat. cont.* 5. & ibi Aragonius, Gutierrez *de Matrim.cap.* 10. Molina *tom.* 4. *diſp.* 106.) quidquid, inquam, hoc ſit non tenetur reddere niſi explicite, vel implicitè petatur, cauſa ſtatus aſſumendi, vel in religione, vel in matrimonio: quod ſi non petatur intra tempus à lege ſtatutum ſtuprator præſcribit in conſcientia, quia niſi virgo, aut eius parens, aut tutor, aut curator non exigat videtur remittere,
244. niſi ob metum cadentem in conſtantem virum, ipſa non audeat repetere, aut niſi ita prematur neceſſitate, vt in periculo proximo ſit peccandi cum aliis ad ſuccurrendam neceſſitatem: tunc enim alimenta debet præſtare, niſi ipſa in ſtuprum conſenſerit.

Resolvtio XV.

De Salariis debitis Seruitoribus.

SVMMARIVM.

245 *Seruitores ſi intra trium annorum ſpatium nullo modo petant à Dominis ſalarium, an teneantur Domini?*

246 *Leges præſcriptionis ſalarij ſeruorum debent intelligi ſi adſit bona fides in foro interno.*

247 *Bona cautela, ſi famulus faciat debitorem in iudicio iurare ſi debeat.*

248 *Dominus non tenetur ſalarium offerre nec deferre famulo.*

249 *Ius canonicum derogat leges ciuiles de præſcriptionibus, quatenus videntur fouere peccatum.*

250 *Adducuntur verba D.Thom.* quodlib. 12. art. 24.

251 *Declaratur magis noſtra reſolutio, & variis argumentis munitur, n.ſeqq.*

245. LEgibus noſtris ſtatutum eſt quod ſi Seruitores intra trium annorum ſpatium nullo modo petant à Dominis ſuis ſeruitij ſalarium, non teneantur Domini, etiam ſi petant reddere, ſed valeant muniri præſcriptione. Sic habetur expreſſe. *l.6.titul.15.lib.4.nouæ recopilat.* & *l.3.tit.13.lib.3. ordin.* & *l.63. Tauri.* & *in Pragmatica Sanctione edita à Carolo.V.anno* 1528. & alibi ſæpe. De qua materia videndi ſunt Tello *ad l.Tauri.* Azeuedo *ad l.6.citat.p.*519 & 520. Rebuffus *tom.2. conſt. Franciæ tit.de famul.ſalar. Gloſſ.*3. & 4. Gutierrez *in l.Nemo poteſt num.*485. *de legat.*1. Dueñas *reg.* 6. & *reg.*306. Alphonſus de Caſtro *lib.2. de poteſtate legis pœnal.cap.*10. *verſ.*5. *aduert.* Mexia *in l. Reg.Toleti.de los terminos, fundam.*10.1. *p.num.*9.
246. *fol.*20. Couarruu. *Reg.Poſſeſſor p.*2. §.11. *num.*2. Qui omnes affirmant præfatas leges præſcriptionis ſalarij ſeruorum debere intelligi ſi adſit bona fides in foro intetno, quia præſumitur in foro externo, iuxta præfatarum legum ſanctionem, quæ diſponunt, quod elapſo triennio famulus non audiatur, niſi præceſſerit iuramentum de ſoluendo, quod perpetuat actionem, vt notat Dueñas, *Reg.* 106. *num.*2. vel niſi debitor in iudicio fateatur debitum, tunc non obſtante elapſu triennij dicunt
247. iſti iudicem debere ſententiam ferre, quod ſoluatur ſalarium. Idem *num.*9. & Gutierrez *num.*488. qui n. ſequenti addit bonam eſſe cautelam, ſi famulus, aut creditor faciat debitorem in iudicio iurare ſi debeat.

Hæc ſententia, & communis eſt, & ſecurior; ſed forſan non videbitur alicui improbabile quod ſi dominus ſit in mala fide ciuili, ſi tamen eſt in bona fide canonica, quia abſque peccato tenet ſalarium famuli, cum non teneatur illud offerre, nec deferre famulo, extra domum ſuam exiſtenti, 248. ſi famulus per triennium non petat, præſcribere in foro animæ, itaut ſi ab ipſo iuramentum petatur, ſi tale ſalarium debeat, poſſet reſpondere non debere. Sic de magnatibus qui ſuis Miniſtris iubent quod ſalaria ſeruis ſoluant, qui ſunt in bona fide canonica, & abſque peccato, ſentiunt Bernard.Diaz *reg.*579. Menchaca *de ſucceſſ.* §.10. *num.* 33. quod ſi aliis dominis fuerit talis bona fides, cur non præſcribent in foro animæ?

Ratio eſt, quia ius canonicum derogat leges 249. ciuiles de præſcriptionibus, quatenus videntur fouere peccatum, quale committit poſſeſſor malæ fidei: at quando lex, vel ſtatutum non fouet peccatum, ſed conſiderat poſſeſſorem non tribuere rem quam poſſidet, vel non ſoluere debitum quod non tenetur offerre, optimè poteſt in pœnam negligentiæ ſerui creditoris ſtatuere quod in conſcientia ius ſoluendi amittatur, & quod non teneatur ſoluere. Audi S.Tho. *quodlibet* 12. *art.* 24. *Si quis præſcribat bona fide poſſidendo non te-* 250. *netur ad reſtitutionem, etiam ſi ſciat alienum eſſe poſt præſcriptionem, quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia priuare re ſua, & illam alteri dare, & concedere.* Cuius rationem aſſignaret dicens: *Quia finis iuris Canonici tendit ad quietem Eccleſiæ, & ſalutem animarum, nullus autem in peccato ſaluari poteſt.* Ecce vbi ius canonicum in tantum derogat iuri ciuili in quantum iſtud non attendit peccatum, ſed pacem ciuilem, ſicut attendit ius canonicum: ſi ergo mala fides ciuilis, ſtat cum bona fide canonica abſque peccato, ſine dubio ius canonicum non derogat iuri ciuili. Cum ergo Reges Catholici attendant poſſe dominum ſine peccato, non ſoluere 251. per triennium ſeruis ſalarium, iuſtam præſcriptionem in foro animæ determinant, in pœnam negligentiæ ſeruorum creditorum.

In cuius confirmationem adduco elegantia verba Sylueſtri *verbo præſcriptio* 1. *quæſt.* 13. vbi conſequenter ad verba D.Thom. ſic fatetur: *Itidem diceret omnis Theologus, quia ſecundum S. Thom.* 2.2. *q.*62. *tenetur quis ſoluere pœnam iudicialem ad quam condemnatur à iudice, & conſe-* 252. *quenter ille cui applicatur eam in conſcientia poteſt retinere, & conſequenter licitum eſt tenere eam, quam infligit legiſlator; cuiuſmodi eſt præſcriptio, quia inducta eſt principaliter in pœnam negligentium, & quietem ciuitatis.* Et infrà: *Et ita indubitanter tenendum eſt, niſi quando reſtitutio petitur in integrum, & admittitur, quia iſta ſtatuerunt leges, & canones, tum in pœnam, tum etiam propter bonum commune, cui hoc expedit ad lites dirimendas, propter quod bonum ſi alicui poſſunt auferre vitam, multo magis ſubſtantiam. Vnde iura faciunt hoc meum, hoc tuum cap. quo iure diſt.* 8. 253. *& conditor legis, aut canonis poteſt mihi dare rem alienam, & tutus ero. l.Lucius D. d.l. Bene à Zenone C. de quadri. præſcrip. quod intellige ex cauſa, puta in pœnam, vel quia expedit bono communi: qui vero non poteſt deponere conſcientiam ligantem ad contrarium, reſtituere tenetur per accidens.* Hæc ibi ſatis eleganter.

Secundò, lex tribuens præſcriptionem gabel- 254. larum, non ſolum tenet in foro externo denegans actionem executiuam gabellario, ſed tenet in foro

foro animæ vt vidimus ſup. ex Vaſquez, & Sanchez, quia quamuis ſint debitæ ex iuſtitia, tamen ſi petantur: ſecus tamen, non tenetur quis illas exhibere exactori, & ſic præſcribuntur: Cuius rationem à priori tradidimus ex Caietano, & Panormitano, quia quando debitor ſciens debitum non tenetur offerre, ita quod ceſſando à ſolutione non fuit in mora culpabili, & ſic præſcribit, quia non fuit mala fide, quia potuit cogitare quod voluit donare, vel relaxare, vel quod creditor eſt ſatisfactus; quam doctrinam approbat Angelus ibi adductus: ergo cum eadem ratio currat in ſalariis ſeruorum, lex tribuens præſcriptionem tenet etiam in foro animæ, eo quod ſic decernat in pœnam negligentiæ ſeruorum ad euitandas fraudes. 256.

Idem dicerem de aliis debitis ex contractu aliquo, quod ſi à die ſolutionis creditor non petat, poſt 20. annos debitor præſcribit in conſcientia, quam præſcriptionem tribuit *lex 6. tit. 15. lib. 4. nouæ recopilationis* corrigens leg. Tauri, & ordinamenti, quæ tantum requirebat decennium, quæ præſcriptio iuxta modo dicta, non ſolum tenet in foro externo, denegans actionem executiuam creditori, ſed etiam debitor præſcribit in conſcientia, dummodo ſine peccato retineat debitum, ſecundum doctrinam Panormitani, & Caietani, quia eſt in bona fide canonica. Vnde fit vt ſi quis frangit in negotiatione, & ſe cum creditoribus componit, quod ad tantum temporis interuallum ſoluat debitum, ſi adueniente die præfixo tranſeant 20. anni, qod directè, nec indirectè petat per ſe, vel per alium, præſcribit in conſcientia, nec in eius foro tenebitur ſoluere, quod ſi creditor petat intra præfatum tempus, tamen dicit ſe velle amplius differre ſolutionem, non currit præſcriptio. 257. 258.

§. XVI.

Explicatur, & fulcitur quædam regula generalis in materia præſcriptionis in foro animæ.

SVMMARIVM.

259 *Quando quidam eſt inhabilis ad dandum, aut qui recipit ad recipiendum, nulla currit præſcriptio in foro animæ, & iure canonico, niſi adſit ignorantia inuincibilis talis inhabilitatis,*

260 *Adducitur* cap. ſi diligenti de præſcriptio cap. clerici, & cap. non liceat.

261 *Concubina non poteſt præſcribere quæ accepit à Religioſo, aut à pupillo & n. 262.*

263 *Inferuntur quædam alia corollaria, & num. ſeqq.*

259. VT tamen ea quæ in anterioribus, & in ſequentibus ſunt dicenda clarius innoteſcant hæc vniuerſalis regula conſtituenda eſt. Quando quidam eſt inhabilis ad dandum, aut qui recepit ad recipiendum, nulla currit præſcriptio in foro animæ, & iure canonico, niſi adſit ignorantia inuincibilis talis inhabilitatis. Ratio regulæ eſt euidens, quia eo ipſo quod iure in dante ſiue in recipiente ſit inhabilitas huiuſmodi; non eſt illis capacitas ad acquirendum dominium, & ſic ſunt incapaces præſcriptionis, qua præſcribens acquirit dominium rei præſcriptæ. Quam regulam tradunt Doctores, ſub aliis verbis dicentes quod illi, & omnes qui ſuo nomine proprio poſſunt poſſidere, non autem qui alieno, poſſunt præſcribere. Sic Canoniſtæ *ad c. ſi diligenti de præſcriptio. cap. Clerici & cap. non liceat, tit. eodem.* vbi Ioannes Andreas, Panormit. & alij. Qui enim rem proprio nomine non poſſidet, incapax eſt eius dominium in alium transferre. 260.

Ex qua regula infertur primò, quod ea quæ concubina, aut quælibet accepit à Religioſo, vel Religioſa, vel à pupillo non poteſt præſcribere, ſed ſemper eſt poſſeſſor malæ fidei Canonicæ, quia huiuſmodi perſonæ inhabiles ſunt ad dandum, nec transferre poſſunt dominium in recipientem. Idem eſt de illo qui eſt ſub poteſtate Patris *l. quicumque C. de bonis quæſit. l. finali C. in quibus cauſis reſtitutio in integrum non eſt deneg.* Vnde *cap. ſi Sacerdos 16. q. 3.* Statuitur à Concilio Toletano 9. quod contra Eccleſiam non procedit præſctiptio tempore Prælati non potentis alienare rem Eccleſiæ, quod notarunt Barboſa *ibi numer. vnico* Balbus *in 1. part. quintæ partis principalis q. 1. num. 8.* cum Gloſſa *in cap. 2. de præſcription.* Bartholus *in l. qui fundum §. ſi mitor D. de vſucapion. pro tempore.* 261. 262.

Infertur ſecundò. Quod ea quæ quis à pupillo aut minore, Religioſo, aut Religioſa lucratus eſt in ludo etiam non prohibito per leges, nullo tempore poteſt præſcribere ex eodem principio, quia non poſſunt in contractu ludi transferre dominium, nec ea quæ ludunt proprio nomine poſſident, niſi lucrans inuincibili ignorantia teneatur, quod ludens ſit Religioſus, aut minor; vel niſi probabiliter iudicet ſuperiorem, & Patrem licentiam ad ludendum impertiiſſe, vel quod minor ea quæ ſunt bona caſtrenſia ludat; aut quod Religioſus nomine alieno ludat. 263.

Infertur tertiò. Leges quæ officialibus publicis, aut Scribis, Secretariis, Notariis, Aduocatis, & ſimilibus taxant Salarium, vt in plurimum temporum mutatione abſoletæ ſunt vt mihi videtur, nec vim obtinent in conſcientia: nec *Aranzel* quod ponitur *lib. 2. Recopil. tit. 10.* vigorem habet in foro animæ, ſtipendiis enim illo ſtatutis alere non poteſt quis familiam, cum tam notabili rerum alteratione, qualis hodie eſt. Legatur Molina *tom. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 83.* Quare operæpretium eſt vt nouum *Aranzel* conſtitueretur. 264.

Nec tamen huiuſmodi abolitio anſam tribuere debet vt huiuſmodi Miniſtri pro qualibet expeditione, quantum poſſunt accipiant, ſed prudentis, & timorati arbitrium conſiderandum eſt. Quod ſi huiuſmodi antiquæ tationes in ſua perſiſtunt vi, de illis affirmandum eſt quod ſi inhabiles fiunt ad reſtituendum id quod vltra taxam accipiunt, nunquam in conſcientia præſcribant; ſicut de iudicibus (ſub quibus comprehenduntur Regij officiales & Miniſtri *Corregidores, Aſſiſtentes, Oydores, Secretarios, Relatores, Contadores, Alcades de Corte, y Ordinarios, Apoſentadores,* & alij qui immediate accipiunt ſalarium regium) ſtatuitur quod in conſcientia teneantur, ſi quid amplius quam taxatum eſt accipiant. Sic enim *lex 1. tit. 18. lib. 2. nouæ Recopil.* lata à Ferdinando, & Elizabetha Regibus loquens de Scribis qui dicuntur de Camara; *Iuren de aſſi guardar lo ſuſodicho, y de pagar las penas, ſi en ellas cayeren, en las quales les condenamos deſde aora: por manera que ſean obligados a las pagar in foro conſcientiæ, ſin que mas ſean, ni eſperen ſer condenados en ellas.* 265. 266

267. Quæ lex ſolum loquitur de ſcribis *de Camara*, & non de aliis Miniſtris Regiis : in qua duo ſtatuuntur. Primò, quod ea quæ accipiunt teneantur reddere in conſcientia, & ad hoc non requiritur iuridica declaratio criminis, ſed ipſo facto teneatur reddere, quia donatio nulla fuit. Aliud quod reddatur in quadruplicem, quod eſt pœna, & hæc non tenetur quis exhibere, niſi poſt declarationem criminis, vt eſt communis ſententia; & primum non poteſt præſcribi, benè tamen ſecundum iuxta ea, quæ diximus ſupra. Quare minus bene Molina *vbi ſup. diſp.* 88. abſolutè docet huiuſmodi donationes factas Miniſtris non eſſe nullas, ſed annullandas; etſi enim hoc verum te-
268. neret loquendo de aliis Miniſtris, de quibus *lex* 5. *& 6. tit.* 9. *lib.* 3. *noua collectionis*, tamen de ſcribis *de Camera* id aſſerere non eſt verum, cum id expreſsè ſtatuatur, quod *in conſcientia* teneantur acceptum reſtituere, quod cum ſit pœnale, ad alios non videtur extendendum.

269. Idem quod de huiuſmodi ſcribis ſtatuit Rex Ferdinandus, ſtatuit Bonifacius *in cap. ſtatutum* §. *ſi quid de reſcriptis in* 6. de delegato Summi Pontificis ſtatuens, quod ſi quid contra conſtitutionem præſentem receperit ad ipſius reſtitutionem integram teneatur, nulla eorum de quibus reſtitutio facienda remiſſione vllatenus profectura eidem. Circa quam l. lega tur ibi Gloſſa, verbo *remiſſione*. Non pigebit.

270. Idem ſtatuitur de ipſis Epiſcopis viſitantibus, ſi aliquod receperint. Ita determinauit Gregor. X. *cap. exigit de cenſib. & exactionib.* quod ſi aliquid receperint in duplum tenentur reſtituere, etiam ſi fiat libera remiſſio à dantibus : quæ pœna debetur ante ſententiam iudicis; quod eſſe ſingulare adnotauit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 2. *numer.* 37. quod etiam adnotauit Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 37. *numer.* 44. Quam conſtitutionem innouauit Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat.*
271. *cap.* 3. Sed alicui forſan non videbitur improbabile, quod quantum ad duplum non teneatur, niſi poſt ſententiam declaratoriam, ſicut ſupra dicebamus de quadruplo; nam remiſſio propriè quæ non iuuat in præſenti eſt alicuius quod remittenti conuenit; at niſi poſt ſententiam duplum hoc non conuenit Eccleſiæ danti tanquam proprium : ergo. Vnde Trident. *vbi ſupr. cap.* 14. dicit quod Canonicus non reſidens choro non facit diſtributiones proprias, etiam remittentibus Canonicis ad quos pertinent. Et in Clementina *Nolentibus de Hæreticis.* ſimiliter ſtatuitur, quod ſi
272. Inquiſitores prætextu ſui officij pecunias extorſerint, teneantur reſtituere nullis remiſſionibus ſuper hoc valituris. Quod ſi in iure ciuili ſimilis lex inueniatur, illi abſque dubio ſtandum in foro conſcientiæ, quæ quantum ad inhabilitatem obligat ante ſententiam iudicis vt eſt conſtans omnium ſententia : quod ſi facta reſtitutione, ſi ille cui facta eſt non pendeat à Secretario, & delegato iterum donet, poteſt retineri. Sic Gloſſa *citata*. Legatur Vaſq. *de reſtitutione cap.* 7. *dub.* 6.
273. Dixi in regula data, *niſi adſit ignorantia inuincibilis* inhabilitatis, quia hæc ignorantia facit bonam fidem canonicam, vt dixi ſupra.

CAPVT III.

De his qui faciunt aliquid contra ſtatutum prohibens.

HANC difficultatem moueo, vt appareat non eſſe idem aliquid poſſidere cum peccato mortali, aut veniali, & eſſe poſſeſſorem malæ fidei, etiam canonicæ. Igitur ſtatutum poteſt eſſe à Principe, vel à Rege, quo ſtatuatur ne quis venetur, aut piſcationem exerceat, ne etiam in ſaltibus, & montibus ligna cædat, & quod mineralia Regi deferat, etiam ſi in proprio inueniantur agro. Et de his omnibus ſingillatim agendum.

RESOLVTIO XVII.

De aucupe, venatore, & piſcatore facientibus contra ſtatutum prohibens, an poſſint præſcribere cum mala fide ciuili.

SVMMARIVM.

274 *Quinam comprehendantur ſub verbis aucupe, venatore, & piſcatore.*
275 *Apum examen etſi ſit in arbore nemoris mei, tamen fit primi occupantis.*
276 *Examinis apum etiam cum induſtria in alueario incluſi qua ratione dominium amitti poſſit.*
277 *Venatio triplex?*
278 *Venatio an licita?*
279 *Venatio an prohiberi poſſit, & cur? & numer. ſeqq.*
Anceps, venator, & piſcator an poſſint præſcribere? ibid. & num. ſeqq.

SVb verbis *Aucupe*, & *venatore* comprehendo 274.
quemcumque capientem animalia terreſtria, vel volatilia, & ſub *piſcatore* capientem piſces, ſiue in mari, ſiue in flumine. Et quidem hæc animalia dupliciter poſſunt conſiderari, vel vt appropriata alicui Principi, qui ſibi, vt propria, concluſa habet, quia facile poteſt ipſe eorum egreſſus impedire, occludendo foramina, quibus egredi valent : aut non ſibi appropriata, quia etſi ſint in proprio fundo, & ſepi, non tamen ſibi appropriata ſunt, ex vi cuius appropriationis poteſt impedire ne exeant : qua ratione ſi examen apum ſit in arbore memoris mei, tamen fit primi occupantis etiamſi ingreſſus in nemus ſit prohibitus, quia nondum appropriatum eſt domino memoris examen, nec induſtria in aluearium impulſæ apes, vt 275.
notat Nauarrus *in Manuali cap.* 17. *num.* 129. eſtque expreſſa lex Caſtellæ *l.* 22. *tit.* 28. *part.* 3. idem etiam ſtatuit fauis mellis qui ibi in arbore fabricati fuerint, niſi à domino arboris impediatur, ne auferantur. Quod addit legiſlator ad euitandum rixarum occaſionem : quod ſi impeditus adhuc accipiat, exiſtimo ſuum fore.

Addit deinde, quod ſi examen apum, iam in 276.
alueario incluſum induſtria, & diligentia alicuius, & ſi hoc non obſtante, inde auolet, vt vel non compareat, vel capi ab ipſo non poſſit, iſte dominium amittat, & ſit primi occupantis. Quæ lex diſpoſitiua eſt, & non pœnalis, vt conſtat ex ipſius

ipsius verbis. Vnde primus Dominus ius non habet ad repetendum ab occupante.

277. Igitur, vt notat Sylvester, Angelus, Tabiena verbo *Venatio num.* 1. Venatio triplex est (id notauit prius Glossa *in cap. qui venatoribus. distin.* 86. alia est oppressiua hominum, quæ semper prohibetur §. *is ita. dist.* 6. Alia est *arenaria*, qua quis pugnat in arena cum bestia dentata, & ad hoc locat operas suas, quæ etiam est prohibita *cap. Qui venatoribus. distin. citata.* Vnde qui eam exercet mortaliter peccat ordinariè, nisi quis experientia iam edoctus sit quod sua dexteritate euincat semper, sed semper est maximum vitæ periculum, vnde iure ciuili infamis notatur hic arenarius venator (cui correspondet taurorum lusor pedestris) *l.*

278. 1. §. *item Senatus D. de post.* Tertia est saltuosa, vel montuosa, quæ est exercitium ad capienda animalia terrestria, & si fuerit auium dicitur *Aucupium* si piscium *piscatio.* Quæ venatio licita est, & iure naturæ nulli prohibita, vt S. Thom. 1. *part. quæst.* 96. *art.* 1. & 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 1. & 3. *contra gent.*

279. *cap.* 22. potest tamen prohiberi vel ratione personæ, vel ratione temporis, vel ob bonum commune, vel quia Principi placet aliquem locum sibi eligere, quo nullus accedat ad venandum, sine speciali licentia, quod si secus fecerit puniatur. Quare princeps dupliciter potest hoc facere, vel appropriando sibi nemus, non tamen animalia. Rursus potest impediri venatio ne fiat hoc, vel illo instrumento, sic, vel sic affecto, hoc vel illo retium genere.

280. Et quidem certum est apud fere omnes, qui de acquirendo rerum dominio tractant, quod solum prohibitio Principis non inducit obligationem restituendi animalia capta in memoribus (communiter dicuntur Bosquez) ita Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *controu.* 3. Aragon. *ibi dub. vlt.* Toletus *lib.* 5. *summ.* Molina *tom.* 1. *disp.* 51. qui duo asserunt venatores acquirere dominium animalium captorum, teneri tamen ad restitutionem; sed minus consequenter, quia dominus non tenetur rem suam restituere, sequitur Bañez *dub.* 5. *circa art. cit.*

Ratio est quia eo ipso quod ista animalia non

281. sint principi, aut alicui particulari ex priuilegio appropriata manent in sua libertate, & fiunt primi occupantis, & qui huiusmodi nemora conducunt hoc sciunt, quod ipsi non ignorantes conductionem faciunt, sicut exactores tributorum, & gabellarum. Quare venantes, se pœnis subiicientes non tenentur ad restitutionem. Addo tamen cum Bañez *vbi supr.* contra aliquos Recen-

282. tiores, quod si memora ista conducta sint à Principe, vel à domino illorum, fiatque notabilis deuastatio in animalibus, qualis non poterat deuenire in mentem conductoris, tenetur damnum rependere, maxime si petatur à conductore, quia dominus memoris vel ex priuilegio, vel ex consuetudine habet ius ad illud nemus, in quo iure habet maximam suæ substantiæ partem, quod ius damnificatur, si fiat maxima deuastatio, nullus enim erit conductor deinceps, nisi maxima cum diminutione, dominus autem transfert ius suum conductori, & sic notabilis, & extraordinarius de-

283. uastator tenetur excessum deuastationis restituere, quod maximæ æquitati est conforme, & sic nunquam præscribit deuastator in foro animæ, maximè si damnum ab illo petatur, quod si animalia sint appropriata non possunt capi, & tenetur quis restituere, cum vere sit illorum fur, & sic nunquam præscribet.

DIGRESSIO I.

Vtrùm Æthiopum emptio celebrata à Lusitanis mercatoribus sit licita.

SVMMARIVM.

284 *Inter venationes à Summistis relatas, prima est hominum oppressiua.*
Æthiopum emptio celebrata à Lusitanis mercatoribus an sit licita? ibid. & num. seqq.

CVm inter venationes à Summistis relatas prima sit *hominum oppressiua*, quia velut bestiæ saltus homines capiuntur, quæ iure diuino, & naturali illicita est, quod imitarur ius humanum locis citatis, visum mihi est & hoc exagitare dubium an licita sit Lusitanorum emptio, quam faciunt in vtraque Guinea, & Insula Capitis viridis, Angola, Cafraria, & aliis, in quibus vt fama est, potentiores Æthiopum venantur opprimentes inferiores, quos vel macello tradunt, nisi aliquis ipsos redimat, tantum tribuens quanti æstimaretur discerptus in frusta, vel diuendunt mercatoribus, qui ex multis orbis partibus ibi confluunt. 284.

Quia tamen visitatissimus est modus iste per- 285.
mittentibus Principibus Catholicis, & Christianissimis examinandus est diligenter, vt videamus si sit aliqua excusatio, secundum quam licitè fieri possit huiusmodi emptio hominum rationalium ab ipsorum venatoribus, vel venditoribus, nulli enim credendum est Summum Pontificem, & Principes Christianos hunc illicitum contractum permittere, cum in materia contractus, & similium, qui non sunt tanti ponderis constitutiones suas ediderint peccata reprimentes. De hoc dubio disputant Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *à disp.* 34. *vsque ad* 37. *inclusiuè.* Rebellus *de obligation. iust.* 1. *p. lib.* 1. *q.* 10. Sotus *lib.* 4. *q.* 2. *art.* 2. 286.
Mercado *de contractib. lib.* 4. *cap.* 20. Thomas Sanchez *tom.* 1. *consilior. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4. & nouissimè Diana *part* 7. *tract.* 7. *resol.* 70. *lib.* 7. *cap.* 7. *dub.* 8.

SECTIO I.

Ea quæ sunt certa statuuntur.

SVMMARIVM.

287 *Recensentur iusti quidam tituli quibus vnus homo potest alium redigere in seruitutem, & num. seqq.*
290 *Mater an necessitate compulsa possit vendere filium, & num. seqq.*
293 *An hoc ius competat auis respectu nepotum?*

PRimò conueniunt omnes citati quosdam esse 287.
iustos titulos quibus vnus homo potest alium redigere in seruitutem. Primus est propria voluntas hominis venditi, vt fecit S. Paulinus, qui se ipsum vendidit, vt alium redimeret. Verum iure Imperatorio sex requiruntur conditiones, vt venditio ista valida sit, quas ponunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 16. Turrian. 2. 2 *disp.* 31. *dub.* 2. Sylvester *verbo seruitus q.* 3. *ex l.* 4. *D. quibus ad libert. proclamare liceat & l.* 1. *tit.* 21. *part.* 4. est enim homo dominus sicut suæ famæ, ita & suæ libertatis,

libertatis, ſi huius amiſſio non vergat in damnum aliorum, quibus liber ſatisfacere poterat, & non ſeruus. Legatur Sotus *lib.4.de iuſt.q.2. art.2.*

Secundus titulus eſt in Patre ad vendendum filium, ſi fame, aut neceſſitate ſit compulſus. Ita omnes citati. Et ratio eſt quia filius exiſtens ſub patria poteſtate eſt quædam res Patris, & filiorum voluntas reputatur Patris. Sic etiam determinatur *l.2.C.de patrib. qui filios diſtraxerunt.* Et *in l. noſtris l.8. tit.17.p.4.* Circa hunc titulum aduerte contra Sanchez *vbi ſup. dub.13. n.4.& 2.* quod Pater non ſolum poteſt filios diſtrahere venditione ob famis anguſtias, quam cauſam ponit lex Imperatoria, vt enim notauit optimè Turrianus, *vbi ſup. num.7.* etſi hæc cauſa ponatur exempli cauſa, non tamen excluditur alia grauis, & ſic Molina *diſp.33.* dicit quod poſſet Pater vendere filium, ne ipſe ab hoſtibus in ſeruitutem redigatur, vel ne occidatur, niſi venderet filium.

290. Secundò aduerte contra eundem, & contra Pinellum *rubr.2. C.de Bonis matern.* Hoc etiam iure naturæ competere Matri, etſi hæc non habeat patriam poteſtatem ex iure ciuili; tamen cum filius ſit etiam aliquid ſui etiam poteſt conuenire, ita Turrianus ibi: quod ſi Pater offerat pretium filij diſtracti tenetur emptor filium redere. Ita ius ciuile, & huius Regni, vt notant Frã-

291. ciſcus Garcia *lib.de contract.cap.17.* & alij, quia filius iſte non tam ſeruus, quam obligatus ſeruire, vt notant Gregorius Lopez *ad l.9.tit.17.p.4.* & notant Baldus, & Paulus de Caſtro *l.2. C. qui filios diſtraxerunt*, quos ſequitur Sanchez *vbi ſupr. num.8.* quod maxime eſt notandum; quia ſi quis æthiops à patribus vendatur, hoc iuſto titulo tenentur emptores notare, cum poſſit habere aliquid proprium, & non quidquid acquirat, domino acquirat, & filia quæ venditur, ſi dum eſt in ſeruitute concipiat, & pariat, filius non efficitur ſeruus, quia ſiue filia vendatur à patre, ſiue ſe

292. ipſam vendat non eſt verè ſerua, ſed obligata ſeruire, quare ex vi huius venditionis filius natus, & conceptus in ſeruitute, non fit proprie ſeruus, nec obligatus ſeruire, quare hic Author, minus conſequenter loquitur in conſiliis.

Sed an hoc ius competat auis reſpectu nepotum negat Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.24. num.16.& loco citato num.3.* quia huius legis permiſſio eſt contra dictamen naturæ, quod vendere

293. perſonam liberam non licet, & ſic extendi non debet ad auum. Sed oppoſitum non eſt improbabile, ſi ius naturæ attendamus, quia ſaltem mediate nepos eſt res aui, & ſic eſt ſub patria eius poteſtate, & voluntas eius aui reputatur. Ex ſententia tamen Sanchez infertur, & ſatis bene, quod ſi pater vendat filiam, vel iſta ſe ipſam vendat dum prægnans eſt, filius non eſt ſeruus, quia tempore conceptionis mater libera erat. Idem conſtat ex modò dictis.

Tertius titulus eſt belli iuſti, quale eſt inter

194. ipſos æthiopes, ſaltem ex parte illorum, qui inculpata tutela ſe defendunt: qui ergo in hoc bello iuſto capiuntur licitè fiunt ſerui, & venduntur, & emuntur, ſi enim qui bello iuſto capiuntur vita poſſunt priuari, multo melius redigi in ſeruitutem, ſi ſint infideles. Hoc conſtat *inſtit. de rerum diuiſ. §. item ea, quæ ex hoſtibus l. hoſtem D. de capti.* dixi ſi ſint infideles, quia Chriſtiani à Chriſtiano etiam in bello iuſto capti non poſſunt ſerui fieri. Ita Couarr. *vbi ſuprà §.11. num.6.* qui plures refert.

An vero ſi bellum ſit iniuſtum ex vtraque parte, quia neutra curat de iuſtitia, aut iniuſtitia, ſeſeque mutuo iniuriis affecere, itaut ſolus viuat, qui vincit, qualia ſunt multa barbarorum bella, & fere omnia idololatrarum illorum, an, inquam, homines vtrinque capti, poſſint redigi in ſeruitutem, & in mancipia vendi. Et mihi videtur quod ſic. Ita Molina *vbi ſupr.diſp.35.num.35.* tum quia belligerantes hoc modo, videntur renuntiare iuri quod habent ad tuendam libertatem, eo ipſo quod ſic præliantur, & ſic capiens poteſt ipſum vendere vt ſeruum, ad quam ſeruitutem ipſemet ſe reduxit, & virualiter ſeipſum vendidit, ſicut multi ſentiunt ſatis probabiliter. Quod ſi quis prouocat alium ad duellum, eo ipſo videtur renuntiare iuri quod habebat ad damna quæ ex morte ſibi, & ſuis prouenirent, vt multis citatis docent Diana *p.5. reſol.50.* & Thom. Sanchez *tom.1.conſil.lib.1.cap.4.dub.20.num.1.& 3.* Tum etiam, quia etſi in bello iniuſto, & ex vtraque parte peccatum manifeſtum committatur, etſi quis alterum occidit peccet contra quintum decalogi præceptum, tamen poteſt vnaquæque pars (ſicut in duello) cedere iuri ſuo, & ſi peccando vincat, poteſt ex tacito pacto, & renuntiatione partis victæ ipſam in ſeruitutem redigere, & vendere, quia virtualiter iſta pars ſe ipſam vendit, quamuis, vt dixi, peccet debellando, ſicut ſi quis paciſcatur cum meretrice, vt copiam ſui faciat, quamuis peccet vterque contrahens, tamen pretium iuſte accipitur *l.3. D. qui ob turpem cauſam.*

Quare iſti æthiopes ex vtraque parte iniuſte debellantes implicite ſe vendunt, & tradunt in ſeruitutem, & ſic reuendi poſſunt, ſicut ſe ipſum quis vendere valet. *Exod.21.& Leuitic.15. & inſtitut. de iure perſonar. §. ſerui autem*, vt ſupra. Non tam requiruntur conditiones appoſitæ ex iure ciuili, quæ apud æthiopes non obligant, ſed ſat erit quod habeant iudicium ſufficiens ad diſcernendum quid faciant. Quibus adde quod etiam ſi re ipſa ex vtraque parte ſit manifeſta iniuſtitia belli, tamen neutra Reſpublica bellum gerens iudicat iniuſte belligerare, ſed inuincibiliter ignorat iniuſtitiam, putantes ſibi licere maius dominium acquirere per vires, & potentiam ſuam, & ſic ad inuicem quaſi contractu ſtatuunt, quod capti in bello ſerui fiant renuntiantes, vt dixi, iuri ad tuendum libertatem. Quare in hac renuntiatione non eſt iniuſtitia, aut inæqualitas, ſed æqualitas, etſi ex delicto proueniens.

Quartus titulus eſt etiam iuſtus, ne æthiops ad macellum, tanquam bos occidendus ducatur, vt mos eſt apud Antropomorphitas in Congo, & Regno *de los Pumbos*, ſi enim mercator adſit qui plus offerat pro æthiope, quam in macello appenſus venderetur, ei tradetur in ſeruum, non quidem à Tyranno, qui iniuſte, & contra ius naturæ id facit, ſed ipſemet occidendus virtualiter conſentit ſe venundari, & in ſeruitutem redigi, pro tuenda vita. Vnde niſi expreſſe velit eligere mortem, cenſendum eſt velle illam ſeruitutem: nec enim eſt obligatio ſubueniendi exiſtenti in extrema neceſſitate, quando poteſt aliter ſubueniri, ſcilicet vel commodando, vel emendo, quod ipſe poteſt vendere, poteſt autem ſe ipſum vendere, nec mercatores tenentur gratis dare, nam nec cenſus regius ſufficeret ad eos liberandos; quare proprias domos relinquere, & tot ſubire pericula mari, terraque ſufficit, vt Mercator illuc eat il-

295.

296.

297.

298.

299.

los

los redempturus cum aliquo intereſſe.

298. Quare Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 95.* addit quod ſi ita non conciliatur bonũ opus redimendi hos æthiopes, vt à morte impediretur, cum gratis redimere, nullus, vel rarus faciet: hoc vero modo redimere multi facient, & faciunt. Addit ſecundò quod qui ſic emuntur vt à morte liberentur poſſunt ſe (oblato pretio dato iuxta valorem ſuæ Regionis) redimere, & ſic ſecundus emptor admoneri debet de modo quo emptus eſt æthiops, ſic enim minoris æſtimatur, cum pacto de retrouendendo, vt de prædio venditur. Hoc modo ſentiunt communiter Doctores. Addit tertium quod primus emptor poteſt iuſtum intereſſe accipere pretio oblato ad illum liberandum à morte.

SECTIO II.

Opinio Molinæ, & aliorum expenditur.

SVMMARIVM.

299 *Adducitur opinio Molinæ ſuis rationibus fulta, ſed ab Auctore non probatur, & cur? ſuadetur multis rationibus in n. ſeqq.*

316 *Reſpondetur ad argumenta, & num. 317. & 318.*

299. PAter Ludouicus Molina *ſuprà citatus, diſp. 35. conc. 4.* dicit: *negotiationem hanc ementium huiuſmodi mancipia ab infidelibus illis in locis, eaque inde aſportantium iniquam eſſe, omneſque qui illam exercent eſſe in ſtatu damnationis æternæ, niſi quem inuincibilis ignorantia excuſet, in qua neminem eorum eſſe affirmare auderem.* Ita ille, quem ſequuntur Sanchez, & fere omnes citati ſupra.

Probatur primo, Quia peccatum lethale contra
300. iuſtitiam eſt, cum obligatione reſtituendi emere ea quæ quis prudenter præſumere debet eſſe aliena, & furto ſublata, niſi præcedat examen diligens, vt omnes fatentur, ſed emens in illis partibus æthiopes, debet præſumere iniuſte, & furtim eſſe ſublatos, & ſeruituti ſubiectos; tum quia præ lio iniuſto quale eſt quodcumque gerunt Barbari iſti; tum quia multoties contingit, quod ille qui inter ipſos eſt valens viribus alios inferiores, velut agreſtes beſtias venari, vique, & vi armata, aut etiam dolo ad nauim mercatorum ducere, illicque velut aues includunt, & ſic velint nolint, ad exteras nationes diuendunt.

301. Secundo. Quia præfatis titulis multæ miſcentur iniuſtitiæ ob quas iniuſte ſerui fiunt, nam bella non inferunt iure, ſed leuiſſima ex cauſa; & cum vident externas nationes illuc venire, vt pro rebus neceſſariis ibi cambient homines, hos venantur velut lepores. Deinde ſæpiſſime filij diuenduntur, & diſtrahuntur à parentibus, non exiſtentibus in graui neceſſitate vitæ, pauperiei, aut famis, ſæpe enim ſunt coniugati, & ſic nec ſeipſos poſſunt vendere. Et tandem quia iſti Barbari, cum ſint rudes ignorant ſeruitutem cui ſubiiciuntur, nec vendentes, aut ementes eius grauitatem explanant.

302. Tertiò. Quia ſi quis adduceret ad portum nauim magnis mercibus onuſtam, quas eſſe alienas & furto ablatas communis eſſet fama, & ſi cum illis eſſent plures quæ propriæ eſſent. Nihilominus nullus poteſt merces aliquas illarum emere, niſi præmiſſa diligentia an id quod emit, ſit propriũ venditoris, an alienum, alias emptio peccaminoſa eſt obnoxia reſtitutioni, cum intercedat mala fides, ſi non præcedit diligentia: at communis fama eſt à fide dignis, quod multi, imo maior pars Æthiopum, quos mercatores emunt ab infidelibus ſunt contra ius capti: ergo, &c. Et multo magis in hac emptione currit hoc morale prin- 303.
cipium quando agitur de libertate, cuius poſſeſſio antiquiſſima eſt, & homini naturaliſſima. Vnde Nauarrus *vbi ſupr.* dicit ementes teneri manumittere, quia ſunt malæ fidei poſſeſſores, dum credunt, vel credere debent Æthiopes eſſe iniuſte captos. Idem docent Moncada, Garcia, *vbi ſupr.* & Ledeſma *2. part. 4. fol. 225. pag. 2.*

Sed nihilominus hæc ſententia ſic abſolute 304.
prolata, mihi non probatur; nec enim arridet damnationem æternam ita ineſſe huiuſmodi Luſitanis Mercatoribus exercẽtibus huiuſmodi contractum emptionis, ſi alias ipſi nec ſolicitent, nec inducant infideles ad Æthiopum iniuſtam captionem, ſed emunt quod ipſi infideles vendunt, nihil curantes de titulo, quo ipſi faciunt, & cum poſſint eſſe multi tituli iuſti, vt vidimus, potius præſumere debent iuſtos eſſe titulos, quam præſumant eſſe iniuſtos, niſi euidenter, itaut nulla tergiuerſatione liceat oppoſitum dubitare conſtet eſſe iniuſte reductos à ſuis in ſeruitutem.

Hoc mihi perſuadeo primò. Quia res iſta ita 305.
grauis eſt, vt nulla grauior contingere poſſit, quod homines iniuſtè vendantur, & à Chriſtianis emãtur, vt iterum reuendi poſſint, & ſi non adeſſet iuſtus titulus, quo id fieri poſſet, ementes, ad ſummum Eccleſiæ caput, & ad Regem pertineret id reprimere, & prohibere.

Secundò, quia vt eſt communis ſententia Theo- 306.
logorum *2. 2. quæſt. 40. art. 1. & 1.* vt videre eſt in Turriano, *ibi diſp. 90. dub. 3.* Victoria *de iure belli. num. 49.* Molina *tract. 2. diſp. 120* Bañez *dub. 10. & 11. & vltimo.* Ægidio Coninch. *diſput. 31. de Bello dub. 7. à num. 115.* Milites non tenentur examinare iuſtam cauſam belli. Vnde quamuis re ipſa ſit iniuſtum, tamen ſi hoc non conſtat manifeſtis indiciis ea bona quæ in illo accipiunt ſua ſunt, & capientes poſſunt iuſte in ſeruitutem redigere, & ſic vendere vt ſeruos ementibus, qui non tenentur examinare an ille qui vendit iniret iuſtum bellum, quod inter nos clare conſtat, hodie enim duo potentiſſimi Reges Hiſpaniæ, & Franciæ bellum gerunt, quod cum non poſſit re ipſa eſſe ex vtraque parte iuſtum, & ſi quilibet ſuam opinionem ſequatur, & nos dicamus ex parte noſtra eſſe iuſtum, at contrarium dicunt Galli ſuam eſſe iuſtitiam: ſi ſpolia quæ Galli accipiunt à nobis diuen- 307.
dant, emptor non tenetur examinare quo titulo Rex Franciæ belligeret, vel an ſit iuſtus, ſed ad ſummum debent habere illam animi præparationem, quod ſi conſtet iuſtum eſſe ex parte Regis Catholici, eam rem ſi conſtet cuius fuerit illi reſtituatur, ſed quando actu emit à Gallo non tenetur examinare titulum belli, ſed iuſta conſcientia emit, quamuis in Hiſpania ſit certa fama quod Rex Franciæ iniuſte bellum gerit: ergo etiam ſi apud nos ſit hæc fama quod Barbari iuiuſte capiunt inferiores, & in ſeruitutem redigunt, mercatores dum emunt non tenentur inquirere an re ipſa huiuſmodi tituli ſubſiſtant, ſed bona fide eme- 308.
re, forſan enim apud ipſos eſt alius gubernandi modus qui ſi non opponatur manifeſte naturali rationi non eſt ita facile condemnandus. Et ſicut

pro

pro furto vnius gallinæ reus eſt mortis fur, quæ lex non eſt ita facile condemnanda, cum ſit ita conueniens, vt Reſpublica ſit à latrociniis immunis: ſicut in exercitu non damnamus quælibet minima puniri pœna mortis, vt loquens de his barbaris aduertit Molina *diſput. 35. num. 6.*

Vnde pro ſimilibus proſunt iſtæ ſimiles leges, etſi ſunt morte digni, etiam poſſunt in ſeruitutem tradere. Quare etſi apud nos tyrannis ſit, & 309. crudelitas maxima, tamen non ſic apud ipſos iudicatur, quia ſic oportet ad pacificè barbaros, & indociles gubernandos. Quare niſi euidenter conſtet Mercatoribus Luſitanis, hos iniuſtè ſecundum ipſorum regimen politicum in ſeruitutem redactos, cum ipſi non teneantur leges eorum examinare, nec titulos quibus vendunt, poſſunt emere in conſcientia.

Tertiò, quia vt docet Palacios *lib. 2. de contractib. cap. 8. fol. 155.* hi ſerui licitè emuntur à pri- 310. mis mercatoribus; poſtquam ad nos adducti ſunt, & publicè venduntur, nec tenentur ampliorem facere diligentiam; quod quidem quidquid dicat Sanchez *vbi ſup. num. 15. verſic. Hinc fit.* optimè dictum eſt, quoniam eo ipſo quod publicè vendantur apud nos, quælibet diligentia ſuperflua videtur, nam ipſis ſeruis credendum non eſt, nec mercatores aliud dicent, quam quod iure vendunt; atque idem manifeſtè conſtat dicturos infideles venditores, & ex aliis id certo conſtare nequit, cum vel ſint qui vendunt, vel interuentores contractuum: ergo eo ipſo quod apud infideles publicè venduntur, & poſſint iſti tituli iuſti venditionis eſſe, non eſt neceſſarium inquirere de iuſtitia titulorum, maximè quando huiuſmodi ſerui ſunt neceſſarij tum ad ſeruitium domeſticorum Chriſtianorum, tum in Indiarum regionibus ad aurum, & argentum eruendum.

311. Quartò, quia ſi ex eo quod mercatores Luſitani dum emunt à venditoribus infidelibus, habent dubium ſpeculatiuum de iniuſta ſeruitute horum æthiopum, tenentur facere exquiſitam diligentiam, vt certi reddantur, aliàs iniuſtè emunt, etiam dum quis à mercatoribus Luſitanis emit dum eos aſportant: at non teneretur facere ſimilem diligentiam, alias peccaret, & teneretur reſtituere: conſequens autem eſt contra communem vſum inter Chriſtianos receptum, quia aliud eſt dubium ſpeculatiuum, aliud perſuaſio practica, quod iſti iniuſtè capiuntur; etſi enim dum adeſt perſuaſio practica de iniuſtitia, non poteſt quis tuta conſcientia hos emere, ſiue ſit primus, ſiue ſecundus emptor, quod operatur contra conſcientiam, tamen cum dubio ſpeculatiuo poteſt eſſe perſuaſio practica quod hic, & nunc non committitur iniuſtitia in tali venditione, id enim 312. manifeſtum eſt in vxore habente dubium ſpeculatiuum an ſit validum matrimonium, an emiſerit votum caſtitatis, & tamen hic, & nunc ex variis circunſtantiis ſibi perſuadet, quod ſit validum, & quod non emiſerit votum; vnde poteſt petere debitum.

313. Quintò, licet non ſint facienda mala, vt eueniant bona, tamen quando bonum ſpirituale eſt maximi ponderis, qualis eſt Baptiſmus, & fidei Catholicæ inſtructio, & auerſio ab Idolatria, quæ eſt maximum homini malum, ſicut illud maximum bonum, poteſt quis omittere facere exquiſitam diligentiam. vt examinet titulos quibus venduntur huiuſmodi æthiopes, quibus ex venditione accreſcit cognitio veritatis, & via ſalutis, dum ipſis ianua ſaluationis aperitur, medio Baptiſmo. Nec enim teneor cum tanto periculo ſalutis proximi inquirere, quomodo ſint capti, & 314. quo titulo vendantur, ſed poſſum vti ignorantia vt medium ad ipſorum ſalutem. Si enim aliquis accedat ad confeſſorem cum ignorantia inuincibili nullitatis matrimonij, quod nullum agnoſcit confeſſor, ſi expulſione ignorantiæ vrgens incommodum, ſiue corporale, ſiue ſpirituale ſequitur alicui, non tenetur expellere ignorantiam, ſed poteſt confitentem in illa relinquere. Ita multis citatis docet Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 2.* 315. *diſp. 38. num. 6. verſ. tandem*, quia nulli laqueum debemus iniicere, &c. addens *num. 9.* id verum tenere, quamuis ignorantia ſit contrà ius diuinum naturale, ſi enim probabiliter credat confeſſarius conſilium non profecturum, tenetur non admonere, quando ea ignorantia inuincibilis eſt, argum. ex cap. quia circa de conſanguinitate cuius textus explicationem egregiè ibi *numer. 12.* adducit.

Nec argumenta oppoſita nimium vrgent. ad primum reſpondetur quod emptor Luſitanus dum 316. emit ab infidelibus mancipia non tenetur præſumere mancipia iſta eſſe iniuſtè capta, niſi de hoc euidentem habeat notitiam, quam ſi non habet, etſi habeat dubium aliquod ſpeculatiuum, propter ea quæ dicunt Authores contrarij: at poteſt habere iudicium practicum per ea quæ ego dixi id ſibi licere.

Ad ſecundum reſpondetur quod ſi euidenter 317. conſtet vera eſſe ea quæ ibi dicuntur non poſſunt emi talia mancipia, at mercatoribus Luſitanis non conſtat, quamuis conſtet de aliqua credulitate, quam potentiores exercent; neque credere tenentur mercatores eos eſſe iniuſtè captos ob motiua ſupra allata, ſed poſſunt ſe tueri inuincibili ignorantia, & titulis iuſtæ venditionis. Vnde eſt diuerſa ratio de illo qui portat nauim maiori ex parte onuſtam mercibus furtiuis, quæ non ita miſcentur propriis, vt diſcerni non poſſint, ſed ſeparatæ exiſtunt, de quibus certa fama eſt eſſe furtiuas, quas vt quis emat tenetur facere moram diligentiam, vt ſciat an res empta ſit propria 318. venditoris, aut furto ſublata, quia reſpectu horum non eſt titulus aliquis quo emptor iuſtus poſſit ſe tueri, & excuſari à præfata diligentia, ſicut eſt in emptione æthiopum, quando euidenter non conſtat de eorum iniuſta captione. Et ſic manet ſolutum tertium argumentum.

SECTIO III.

Opinio Authoris enucleatur.

SVMMARIVM.

319 *Luſitanorum negotiatio non eſt abſolutè condemnanda, ſed probabiliter fore excuſandam iudicat Auctor, ob iuſtos titulos, & num. ſeqq.*

324 *Inferuntur quædam corollaria, & n. 327.*

HIs viſis, quæ me quidem iudice valdè probabilia ſunt iudico non eſſe abſolutè condem- 319. nandam negotiationem Luſitanorum, ſed probabiliter fore excuſandam ob titulos ſupra enumeratos, quos ſecundum circunſtantias dictas veſtitos, iuſtos eſſe vidimus, & fatetur Sanchez vbi *ſup. num. 2.* Quod enim Barbari potentiores tyrannide vtentes inferiores capiant, & vendant, admiſcentes iuſtitiam titulo iuſti belli, hoc negotiatores.

gotiatores examinare non tenentur, quia forsan secundum Barbarorum leges, & consuetudines ita introductum est, vt captus iuri libertatis cedat, si capiatur, etsi per iniustitiam contra ius naturæ in bello iniusto ex vtraque parte capiatur, quod posse fieri supra vidimus. Ita Diana *vbi sup.* Caspensis Capuccinus 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 11. & Fagundez *vbi sup. à n.* 15.

320. Adde quod in multis æthiopum regionibus ad quas accedunt Lusitani, etsi intuitu lucri accedant ad emendos miserabiles æthiopes, tamen re ipsa opus faciunt redemptionis; tum emendo eos ab idololatria, & Barbarorum misera seruitute, tum eripiendo eos à morte crudeli, qua, veluti boues occiduntur in macello publico, quia eorum carnes diuenduntur, quo nihil magis contra naturam; quare si adest emptor qui eorumdem vitæ redemptor sit, tam iste, quam illi tenentur, & non solum possunt illos redimere, & isti seipsos vendere finere, etsi enim libertas sit de iure naturalissimo, tamen à naturaliori, & potiori iure oritur conseruatio vitæ, siquidem in ista ius libertatis fundatur, & sic iure possunt ipsi æthiopes pro vita commutare libertatem se ipsos in seruitutem redigendo pro tutanda vita, & Lusitani

321. possunt ipsorum seruitutem emere rebus quæ in illis partibus pretio habentur, iuxta illarum gentium æstimationem, præcipuè cum illos reducant ad veram fidei cognitionem, & ad salutis portum.

332. Quibus congruunt ea quæ de Indis dixit Occidentalibus D. Michaël de Luna *lib.* 3. *de Iurisdict. cap.* 12. *num. finali*, & approbat Salorzano, *tom.* 2. *de Indiar. gubernatio. cap.* 6. *num.* 1. *Indos omnes Occidentales naturali quodam iure teneri Hispano, & Americo Regi nostro Philippo opera præstare pro tanto beneficio accepto, quo eos à fœdissima seruitute, siue stultitia redemit, & meliores vsu rationis, ingenti diligentia redidit, & sine periculo vitæ præstare iubentur argum. l. eius* 26. *in principio & l.* 38. *D. de oper. libert. l.* 12. *D. de legat.* 3. *& l.* 31. *D. de solut.* Hæc ille. Quod ergo Rex iure regio habet pro conquirendis Regnis vt in illis propagetur fides, & ad melioris gubernationis modum illi barbari reducantur possunt Lusitani habere ad licite pecunia illos redimendos miseros à morte crudeli, ab Idololatria, & tot contra naturam criminibus.

323. Quæ redemptio, etsi fiat causa temporalis lucri, tamen debet habere altius motiuum, tum supernaturale, quod tot homines baptizentur, tum etiam politicum, vt Christianis inseruiant indigentibus eorum operibus, in quorum seruitute melius degunt, quam in sua libertate barbarica. Vnde grauissime peccarent Lusitani si huiusmodi æthiopes, infidelibus, & hæreticis diuenderent. Legatur Valmasedanus 2. 2. *disp.* 159. §. 21. vbi cum aliis dicit non teneri quis redimere aliquem à seruitute, sed tenetur redimere à morte, etsi viuens maneat obligatus ad seruiendum. Cui consentit Diana *p.* 5 *tract.* 8. *resol.* 6.

324. Ex dictis infertur primò, quod fodinarum auri Magistros, aut dominos, qui pro eruendis metallis ab Lusitanis ibidem apportantibus, onustis æthiopum nauibus, hos in magna quantitate emunt, maiori iure securos esse in conscientia, nec teneri illos manumittere.

325. Tum quia si Lusitani iure optimo emunt à Barbaris, iure etiam reuendunt Christianis, & sic isti emere possunt tuta conscientia. Tum secundo, Quia fodinarum Magistri, & domini possunt fidem dare Lusitanis, quod æthiopes isti empti sunt vel vt liberentur à misera morte, vel quia capti in bello apud ipsos iusto, vel si ex vtraque parte iniusto, quia quilibet cessit iuri libertatis, si captus fuerit; præcipuè cum Lusitani testimonium coram Tabellione factum monstrant protestationis factæ, quod prima emptio facta fuit virtute iusti tituli, qui si non subsisteret, emptio pro infecta est habenda ab ipsis primis venditoribus.

Tertiò, Quia si ab his Mercatoribus Lusitanis 326. hos æthiopes in magno numero emere non liceret, nec vnum liceret emere, quia si mala fides adest in multorum emptione, etiam adest in vnius, siue ematur à Lusitanis immediatè, siue ab eo cui Lusitanus vendit; imo emptor quilibet tenetur inquirere ab immediato venditore an à Lusitano mercatore emerit. Et quidem cum constet experientia fere omnes hos æthiopes ex nauigatione Lusitanorum, & aliorum huc aduentasse, si negotiatio ista iusta non est ex titulis supra enumeratis maximis scrupulis ansa tribueretur, & rarissimus erit, qui huiusmodi seruis licite vti possit, quod non est admittendum.

Infertur secundò omnes hos æthiopes in ser- 327. uitutem redactos ob titulos supra recensitos, præter quam ob titulum iusti belli, nō esse incapaces dominij, & sic posse habere proprium, & validos facere contractus, testari posse, emere, & vendere, &c. Ratio est euidens, quia si vendantur vt à morte liberentur, vel ex patria potestate, vt parentes euadant extremam necessitatem, non efficiuntur vere, & propriè serui, sed solum obligantur ad seruiendum, in recompensationem beneficij facti, vel sibi, vel parentibus, & sic emptor est quasi vsufructuarius empti, qui suas operas præstat illi vt 328. satisfaciat, non tamen amisit libertatem suam, & ingenuitatem, quare si illi aliquid donatum, vel ex testamento relictum, sibi acquirit non Domino, & de illo potest libere disponere; non tamen possunt licite fugere, sed adstricti manent debitum soluendi, licet enim re, & nomine liberi sint tamen habent restrictam, & adstrictam libertatem ad suas operas, & seruitutem præstandam, vt de adscriptitiis hominibus, qui compelluntur ad fundi culturam, nec ad aliud officium, militiam, vel ministerium poterant adspirare, vt dicitur. *l.* 329. *quemadmodum l. omnes profugi. C. de agricolis, & censitis, l. super matrimoniali* 4. *C. de mancipiis, & colon.* de quibus adscriptitiis videndi sunt Couarru. *in cap. Quamuis peccatum* 2. *p.* §. 1. Acuña *in notis ad cap.* 7. *dist.* 94. Eruditissimus Solorzano *vbi supr. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 20. *& seqq.* Quod secus contingit si in bello iusto sint capti, tunc enim totaliter libertatem amittunt, etsi illis licitum sit dum apud captores sunt ad postliminium, & patrios lares reuerti, tamen dum serui detinentur incapaces sunt dominij, nec aliquid proprium valent accipere, nisi ex Domini consensu, & beneplacito. Et de hoc dubio ad præsens dixisse sufficiat. Sed de mancipiis & seruis tract. integrum edidit Diana *q.* 7. verum resolutiones multa continent examinanda quæ ad secum tom. meorum tractatuum remitto Deo duce & vita comite.

Resolvtio XVIII.

De lignorum Cæſoribus.

SVMMARIVM.

330 *Adducuntur Doctores de hac materia tractantes.*

331 *Saltus, & ſiluæ poſſunt eſſe alicuius particularis perſonæ, aut alicuius ciuitatis, aut oppidi, & tunc committit furtum, & ad reſtitutionem tenetur, qui inuito domino ligna cædit.*

332 *Oppoſita ſententia etiam probabilis, ſi ſilua non ſit circundata.*

333 *Quid ſi duo populi vicini, & quilibet habeat ſuam ſiluam, & vtriuſque populi habitatores mutuò cædant ligna ex ſilua alterius populi, an peccent?*

334 *Item quid dicendum, ſi vnus populus habeat ſyluam, & alter vicinus non habeat, & huius incolæ ligna cædant in ſilua alterius? reſoluitur, & n. ſeqq.*

330. VArij poſſunt eſſe caſus de quibus difficultas procedit, quos deſumpſi ex Medina Complut *C. de Reſtitut. q.* 12. Soto *lib.* 4. *de iuſt. q* 6. *art.* 4. Mercado *lib.* 6. *Sum. cap.* 16. Corduba *in ſum. q.* 71. Trullench *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 7. Sanchez *lib.* 1. *conſil. cap.* 5. *dub.* 1. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 10. *diff.* 19. Couarru. *practicar. Quæſtion. c* 27. vbi latè, & erudite, vt aſſolet, de paſcentibus pecora in paſcuis communibus, prohibitis tamen.

331. Primò, ſaltus, & ſiluæ poſſunt eſſe alicuius perſonæ, aut alicuius Ciuitatis, aut oppidi, quod illos habet iure particulari, vt rem propriam quam locat, aut cædit ad propriam vtilitatem, ſicut poteſt habere domum, aut aliqua propria; & de his eodem modo eſt philoſophandum, ac de aliis rebus alienis, quarum ſublatio, domino inuito, furtum eſt. Quod non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum; ſic tenet communis ſententia, vt videre eſt in Molina *tract.* 2. *de iuſtit. diſp.* 57. Nauarra *lib.* 3.

332. *de Reſtit. cap.* 1. *num* 300. Soto *vbi ſup.* Lopez 1. *p. inſtructor. cap.* 149. Quamuis oppoſita ſententia, etiam ſit probabilis, ſi nemus, aut ſilua non ſit circundata. Ita Sanchez *num.* 35.

333. Secundò, Poteſt eſſe quod duo populi vicini quilibet habeat ſuam ſiluam, & vtriuſque populi habitatores mutuo cædant ligna ex ſilua alterius populi. In quo caſu Soto, Medina, & Mercado ſentiunt iſtos non peccare, nec obligari ad reſtitutionem, quia, inquiunt, datur in hoc compenſatio, non quidem particularis perſonæ ad particularem, vt falſo putauit Vaſquez *de Reſtit. cap.* 5. §. 3. *dub.* 1. *num.* 5. Sed eſt compenſatio populi ad populum in bonis communibus, quia læſio iuris communis vnius populi compenſatur læſione iuris communis alterius. Quare populi ſibi gratiam faciunt damnorum dum vident incolas ſuos, ſibi inuicem ligna furripere contentos. Quod ſi cæſor capiatur pœnam luat.

334. Tertiò, poteſt eſſe quod vnus populus habeat ſiluam, & alter vicinus non habeat, & huius incolæ ligna cædant in ſilua alterius. In quo caſu cum non poſſit eſſe compenſatio populi ad populum, duo mihi dicenda ſunt primò, aut populus læſus contentus eſt quod cædens ligna, aut paſcua ſuis animalibus tribuens, ſi capiatur pœnam luat, & ſoluat iuxta ſtatuta facta, quæ in aliis executioni mandauit, & ſic cædens, etſi mortaliter peccet, quidquid dicat Trullench. *vbi ſupr. num.* 4. maximè ſi notabilis ſit læſio, tamen non tenetur reſtituere, niſi condemnatus, ab illo exigatur pœna, & damni recompenſatio, & iuxta dicta in ſuperioribus poteſt præſcribere pœnam in foro animæ, quia iſta non debetur niſi poſt ſententiam.

Secundum eſt, aut populus non eſt contentus 335.
quod cædens ligna, aut paſcens pecora pœnam luat, ſed exigit reſarciri damnum illatum, vltra pœnam debitam, propter iniuriam factam communitati, & tunc variè ſentiunt Doctores. Ego quidem exiſtimo, quod ſi damnum notabiliſſimum ſit, vt ſi tota ſilua, aut magna eius pars cædatur, aut comburatur, tenetur reſtituere quanti æſtimabitur damnum, nec de hoc poteſt eſſe aliquod dubium, cum damnum iſtud communi, & ordinaria pœna non reſarciatur, ſitque illatum toti communitati. Legendus eſt omnino Molina *tom.* 1. *diſp.* 58. cui conſentiunt Ledeſma 2. *p.* 336.
4. *q.* 18. *art.* 3. *pag.* 259, Soto *vbi ſup. verſ. dub.* Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *controu.* 3. qui dicunt tunc nocumentum hoc eſſe conſiderabile quando eſt inſignis deprædatio, vt non maneant ligna aliis incolis, & ſic illis damnum notabile prouenit; ſi tamen damnum tale non ſit, ſed notabilem ſtruem lignorum cædat, quæ aliqualiter compenſaretur pœna, ſi cædens caperetur, exiſtimo quod iſte non tenetur reſtituere, niſi cogatur per ſententiam, & mulcta expoſcatur, ſi enim non cogitur non tenetur, quia ex voluntate interpretatiua populi, ſeu ex vſu colligitur, quod ad ſolam pœnam tenetur, ſi capiatur. Ita Vaſq. *vbi ſup. num.* 6. Sanchez *num.* 19. & ſic poteſt in foro ani- 337.
mæ huiuſmodi damnum præſcribi iuxta dicta *de las Alcabalas.*

Resolvtio XIX.

De incertis debitis.

SVMMARIVM.

338 *Debita incerta quæ dicantur? & num.* 339.

340 *Quiſquis eſt debitis incertis obligatus, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè contractis tutus eſt in conſcientia ſi pauperibus, & piis locis, & operibus impendat, & ad hoc tenetur ex iure poſitiuo, & num.* 341.

IGitur per debita incerta iuxta communem ſen- 338.
tentiam vt videre eſt in Bonacina *diſp.* 1. *de reſtit. q. vltim. punct.* 2. Leſſio *lib.* 2. *de iuſtit. c.* 16. *dub.* 11. Villalobos *tract.* 29. *diffic.* 1. Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *controu.* 5. Vaſquez *de reſtit. cap.* 5. §. 4. *dub.* 1. intelligimus id quod quis ſcit eſſe alienum, ignoratur tamen cuius ſit in particulari, ſiue illud habeatur ex iniuſta acceptione, quia per contractum vſurarium, aut per furtum, aut alio quouis modo peccaminoſo, ſiue illud habeatur abſque peccato, ſiue quis ſciat rem alienam apud ſe eſſe, ignoratur tamen eius proprius dominus, qui vel mortuus eſt, vel abſens, & vbi ſit prorſus ignoratur: nec etiam ſcitur quis eius hæres ſit, proprius dominus ignoratur in particulari, etiam ſi in communi ſciatur eſſe in tali ciuitate, vel Regno, vt dum miles deuaſtauit iniuſtè ciuitatem, vſurarius in illa exercuit illicitas vſuras, carnifex,

vel

339. vel mercator in mercibus, & carnibus diuendendis minutatim plura ſurripuit à ſuis conciuibus, ignorans tamen illos determinatè, qui ſint, vel quantum ab illis ſurripuit, facta ſufficienti diligentia, quæ vt pertinet ad forum conſcientiæ, etiam ſi ſit magni pretij non debet fieri iuridicè, coram iudice Eccleſiaſtico, aut ciuili, vt falſo putauit Trullench *lib.7. cap.* 14. *dub.* 5. *num.*14. ſat enim eſt, quod quis faciat diligentiam moralem quam ſuis rebus quiſque prudens faceret.

340. Igitur conueniunt omnes citati cum communi, & certa ſententia quod quiſquis eſt huiuſmodi debitis incertis obligatus, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè contractis, tutus eſt in conſcientia ſi pauperibus, & piis locis. & operibus impendat, & ad hoc teneri ex iure poſitiuo *cap. cum Tu. de vſur.* notant ibi Gloſſa, Barboſa *num.*2. Couarruu. *in reg. peccatum p.*3. §.1. *num.* 2. Valentia 2.2. *diſput.*5. *q.*6. *punct* 4. Sayrus *in Claui lib.*10.*cap.*20. Azor *p.*3. *lib.*4. *cap.*26. *q.*1. Vaſquez *vbi ſup. num.*6. D.Th. 2.2. *q.*62. *art.*3 vbi Caietanus, & cæteri expoſitores, Aragon, Salonius, Syluius, Bañez, & omnes Summiſtæ *verb. reſtitutio*, vbi Sylueſter *verbo eodem* 8. Tabiena, & alij. Et eſt clara quia debitor tenetur alienum reddere domino vel iuxta ipſius rationabilem voluntatem, vel alio meliori modo quo poteſt vti in vtilitatem domini non quidem ſpiritualem, quia ſi dominus infidelis, vel Hæreticus ſit mortuus ad nullam illius vtilitatem ſpiritualem cedet, cum ſit illius incapax, ſed vel ſuorum, vel vt eius voluntas rationabilis compleatur, qualis eſt vt declarauit Pontifex, quod tale debitum expendatur in opera pia.

341.

Resolvtio XX.

Vtrùm ſatisfiat per Bullam compoſitionis.

SVMMARIVM.

342 *Debitor incertorum bonorum tutus eſt in conſcientia, ſi ſe componat ſumendo compoſitionis bullam, ex Vaſquez, Leſſio, & aliis & num ſeqq.*

345 *Rationibus comprobatur, vſque ad n. ſeqq.*

342. NOtarunt, Vaſquez, Leſſius, & Trullench, vbi ſupra, & in Bullæ compoſitionis explicatione, & omnium optimè Ludouicus de la Cruz *diſput.*3. *de expoſitione Bullæ compoſ. dub.*1. quod iſte debitor ininſtus, ſiue iuſtus incertorum debitorum tutus eſt in conſcientia, ſi ſe componat ſumendo compoſitionis Bullam, quia ſicut Princeps ſæcularis de bonis incertis poteſt diſponere ea applicando cui libuerit, vt conſuetudo Gallica, & Hiſpaniæ teſtatur, & conſtat *ex leg.*1. *tit.*12. *Ordin. & l.*2. *tit.* 13. *lib.*4. *Fori.* Ita Pontifex cum habeat ſupremam poteſtatem, & iuriſdictionem de rebus ad forum conſcientiæ pertinentibus, poteſt ita ſtatuere compoſitionem de debitis incertis iuſtè, vel iniuſtè habitis, illaque
343. applicare cui ex rationabili cauſa viſum fuerit, & toties quoties ipſe voluerit, & debitor componens ſic tutus manebit in conſcientia, adeo quod ſi facto diligenti examine de rei vero domino, & non inuento ſi compoſuerit, quamuis res ipſa exteret pro qua bullam compoſitionis accipit, rem nullatenus reſtituere teneatur in foro interno, niſi condemnetur in externo, quia poſt condemnationem tenetur reddere. Ita (quidquid dicat Ludouicus de la Cruz *vbi ſup. dub.* 4.) ſentiunt Bañez 2.2. *q.*26. *art.*5. *dub.*8. Acoſta *in expoſit. Bullæ q.*93. Henriquez *lib.*7. *de indulgentiis cap.* 34. *n.*96. quos ſequitur Trullench *lib.*3. *explicat Bullæ dub.*4. *num.*8. dicens hanc eſſe veram ſententiam, & bene, me quidem iudice. 344.

Primò, quia hæc compoſitio æquiualet præſcriſcriptioni, atqui præſcriptio authoritate Principis tribuit ius, & dominium tranſacto tempore determinato, itaut non teneatur quis in conſcientia res præſcriptas reddere domino comparenti 345.
cap. placuit de præſcriptio. l. bene à Zenone C. de quadriennij præſcriptione.

Secundò, quia ſi facta ſufficienti diligentia dominus non comparet, Pontifex vtens plenitudine poteſtatis debiti incerti quantum ad forum conſcientiæ abſolutè transfert dominium. Quod quidem facere poteſt ob bonum commune, & tunc 346.
rectè poſſidetur, *nam iuſtè quis poſſidet, quod Authore prætore poſſidet*, vt eſt commune proloquium inter legis peritos, & Doctores. Quare dicere quod hæc compoſitio facta eſt ſub conditione, niſi verus dominus comparuerit, ea facilitate qua dicitur, contemnitur: aliud enim eſt quod compoſitio facta ſit, quia verus dominus non comparet, quia iſto non comparente debitum ſit incertum; 347.
aliud quod facta ſit ſub conditione, quod verus non compareat: primum eſt verum, ſecundum autem falſum, quia ſuppoſita incertitudine debiti, tempore quo fit compoſitio, ita abſolutè fit, non conditione, ſicut abſolutè fit dominij tranſlatio in vſucapione, & præſcriptione, quæ iam pro eodem vſurpatur ex legibus noſtri Regni, iure codicis, & Eccleſiaſtico, vt conſtat *ex C. de vſucap. transformanda*, & iure canonico, vbi non fit mentio de vſucapione, ſed duntaxat de præſcriptione, abrogato iure pandectarum, in quo diſtinguuntur vſucapio, & præſcriptio. Hæc dixerim contra quoſdam.

Tertiò, Quia vt docent Caietanus 2.2. *q.*66. 348.
*art.*5. §. *ad tertium.* Sotus *lib.*4. *de iuſtitia q.*7. *art.* 1. *ad* 3. Nauarrus *in Summ. cap.*17. *num.*93. & 171. & Ludouicus de la Cruz *vbi ſupr. num.*5. ſi quis habeat debita incerta, & ea, quia pauper, ſibi applicet, authoritate confeſſarij non tenetur reſtituere, etiam ſi compareat Dominus, quia talis applicatio facta fuit abſolutè; atqui maiorem authoritatem habet Summus Pontifex cum habeat 349.
in huiuſmodi bona plenitudinem poteſtatis: ergo applicatio horum bonorum facta ex vi Bullæ Compoſitionis abſoluta etiam erit; vel ſi his ſit non abſolutè, nec applicatio facta à confeſſario titulo paupertatis, imo iſta maiori titulo non ſit abſolutè. Quia vt optimè Vaſquez *vbi ſupr. num.* 11. debitum non tollitur per neceſſitatem, ſed conſopitur, & ſic ſi compareat verus Dominus, & pauper cui applicuit Confeſſor bona incerta, ſi dies factus fuerit, tenetur reſtituere, niſi præſcripſerit.

Resolvtio XXI.

Vtrum possit quis propria authoritate sibi applicare, si verè pauper sit.

SVMMARIVM.

350 *Si quis sit verè indigens, propria auctoritate potest sibi debita incerta applicare.*

351 *Regula generalis: In omnibus illis casibus in quibus aliquis potest vti indultis Bullæ compositionis circa bona aliena incerta, &c. potest titulo paupertatis prudenter sibi applicare & n.352.*

353 *Quæ paupertas sufficiat ad huiusmodi applicationem?*

354 *An extrema, vel sufficiat grauis? & num. seqq.*

350. NOtant etiam Vasquez *vbi suprà* Lessius *num.49.* quod si quis sit verè indigens, propria authoritate potest sibi ea debita applicare, sicut potest pauperibus, etiam Patri, Matri, aut aliis consanguineis, aut affinibus, & cum nullus magis coniunctus quam idem sibimet: vnde ex quo ea sibi applicauit est possessor bonæ fidei canonicæ, cum absque peccato mortali illa retineat, & sic illa præscribit, & vsucapit: nullatenusque transacto tempore tenetur restituere, etiamsi, vt docet Sanchez, debitum non tollatur, sed consopiatur per necessitatem, quia præscriptione tollitur, etsi per necessitatem consopiatur.

351. Plura alia de debitis incertis tractant Ludouicus Lopez, & Trullench in expositione *Tertiæ Bullæ, quæ dicitur Compositionis*, quæ iuxta principia tradita determinari possunt, an præscribi valeant in foro conscientiæ etiam si sciantur esse aliena. Vnde hæc sit regula generalis, quæ nullam patitur exceptionem, in omnibus illis casibus in quibus aliquis potest vti indultis Bullæ Compositionis circa bona aliena incerta iuste, vel iniuste habita, potest titulo paupertatis prudenter sibi applicare, vel ad sustentandum parentes, & sanguine, vel affinitate sibi coniunctos, qua applicatione facta cum prudentia excludat peccatum, & malam fidem canonicam potest tuta conscientia præscribere, itaut transacto tempore à legibus statuto nullatenus teneatur aliquatenus restituere.

352.

Sed quæ paupertas sufficiat ad huiusmodi applicationem. In primis debet esse vera, & re ipsa subsistens, non apparens, & existimata, aut dubia, vt notat Vasquez *vbi supr. num.10.* quia si dubia melior est conditio pauperum, si apparens, & existimata *mentita est iniquitas sibi*, & sic applicans fur est, & latro, atque possessor malæ fidei canonicæ, & sic vllo tempore non præscribit, sed est in damnationis statu, donec restituat, debet ergo esse vera paupertas.

353.

354. Sed an extrema vel sufficiat grauis? per extremam intelligo cum Diana *§.5. tract.8. resol.1.* quando quis caret illis quæ sunt necessaria simpliciter naturæ vel propriæ, vel eorum quos alere teneor: grauem vero quando desunt necessaria iuxta decentiam, vel conditionem status, vel proprij, vel eorum quibus adstringor prouidere iure naturali, vel diuino. Quid autem intelligatur nomine decentiæ status, optimè Sanchez *lib.1. consilior. cap.5. dub.5.* & quidem mihi omnino certum est non requiri necessitatem extremam, sed grauem sufficere.

Ratio est manifesta, quia qui est in graui necessitate, vt conseruet statum suæ personæ decentem potest à diuitibus surripere ea quæ sibi necessaria sunt, cum diuites teneantur facere eleemosynam ex superfluis, grauem necessitatem patientibus, vt tenet communis sententia, vt videre est apud Dianam *p.5. tract.8. resol.14.* adducens Valmasedanum dicentem oppositum esse improbabile, & non tutum in conscientia, & reuera ita est, vt in materia de eleemosyna latius probo: ergo quis in graui necessitate constitutus 355. 356. potest sibi applicare iure naturæ incerta debita, siue iuste, siue iniuste acquisita; itàque præscribere tuta conscientia.

Resolvtio XXII.

Qua ratione Beneficiarius possit vti compositionis Bulla.

SVMMARIVM.

357 *Parochus, vel Beneficiarius qua ratione possint vti Bulla compositionis?*

358 *Idem dicendum de Canonico non assistente in choro, circa distributiones quotidianas, & de Episcopo, vel Parocho absque iusta causa non residente; ac de Beneficiario dictum, & num. 359.*

EX qua regula, & doctrina verissima plura deducuntur non inutilia: primum, quod Clericus Parochus, vel Beneficiarius, qui compositionem facere potest, vel quia non soluit pensum recitandi officium, vel quia canonicè non est adeptus Beneficium, quia per simoniam, vel quia est excommunicatus, qui si absolutionem negligat non facit fructus suos, vel quia accepit beneficium absque intentione assumendi ordinem tali beneficio necessarium. Isti, inquam, si grauem necessitatem patiantur possunt sibi fructus applicare. Quod si grauis necessitas duret toto præscriptionis tempore, præscribit, & vsucapit tuta conscientia. 357.

Idem dic de Canonico non assistente in Choro circa distributiones quotidianas, & de Episcopo, vel Parocho absque iusta causa non residente, vel de eo qui habet simul duo beneficia incompatibilia, etsi enim isti non possint facere compositionem virtute Bullæ Pontificum, possunt tamen iure naturali eos fructus sibi applicare ob grauem necessitatem, sic enim ista vrgente potest ab extraneo surripere necessaria ad subleuandam hanc necessitatem (vt docent Ægidius Coninch *de actib. supern. disp.27. dub.10. num.162.* Vasquez *opuscul. de eleemosyna cap.1. dub.7. num.60.* Valmasedanus *vbi supr. §.92.* Castro Palau. *tom.1. tract.6. disp.2. punct.10. num.5.* & alij plures quos isti citant, & sequitur Diana *p.2. tract.3. Miscell. resol.29.*) quanto magis licitum erit sibi hos fructus, etsi malè perceptos applicare. 358. 359.

Resolvtio XXIII.

Potest hæres componi, vel sibi applicare legatum, si grauem patiatur necessitatem.

SVMMARIVM.

360 *Hæres potest componi vel sibi applicare legatum, si grauem patiatur necessitatem.*

SEcundum quod colligitur est, quod si quis legatum loco pio relinquat, vel expressum in testamento, vel ore tenus, vel dicat quod mulieri, vel confessario dentur mille aureos ad faciendum opus pium quod relinquit alicui Hospitali, vel Ecclesiæ, ad suæ conscientiæ leuamen Hispane *Por descargo de su conscientia*, sicut potest componi per Bullam, ita potest sibi, & mulieri applicare in conscientia, si grauem passura est necessitatem; nec tenetur, etiam si monitorium sub anathemate interponatur, reuelare. 360.

Resolvtio XXIV.

Vtrùm iudex de bonis acceptis pro ferenda sententia possit componi.

SVMMARIVM.

361 *Iudex an possit componi de bonis acceptis pro ferenda sententia? & n. seqq.*

TErtiò colligitur, contra Ludouicum de la Cruz *vbi sup. dub.* 11. *num.* 5. posse iudicem Ecclesiasticum facere compositionem circa bona accepta pro ferenda sententia, non solum circa causas temporales, sed etiam circa spirituales; etsi enim sit contra ius quod iudex Ecclesiasticus pecuniam accipiat pro ferenda iusta sententia in causa spirituali, vt aduertunt Glossa *cap. credentis* 1. *q.* 3. Nauarrus *de datis, & acceptis notat.* 9. *n.* 14. tamen etiam est contra ius, quod iudex Ecclesiasticus pro ferenda sententia in causa temporali pecuniam accipiat, imo est contra ius naturæ quod dicat quod veritas, & iustitia gratis est facienda, & tamen iudex Ecclesiasticus pro ferenda sententia in causa temporali potest se componere, vt expressè dicitur in Bulla. 361.

Secundò, quia etsi interueniat simonia quando iudex paciscitur de pecunia, pro ferenda sententia in causa spirituali non obstat quominus compositionem facere possit; quia etiam si quis beneficium acquisierit per simoniam, potest facere compositionem circa fructus acquisitos vt ipsemet dicit *dub.* 7. *num.* 3. & est communis sententia: ergo eamdem potest facere iudex Ecclesiasticus in casu posito, quamuis simoniam commiserit, vt optimè notant Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 35. *num.* 4. & 5. Quod intellige de simonia in aliis rebus, non vero quæ committitur in beneficio, aut mala ordinum susceptione. 362. 263.

Vt autem simonia intercedat in ferenda sententia in huiusmodi causis spiritualibus intercedere debet pactum implicitum, vel explicitum; quod si non intercedat, potest iudex Ecclesiasticus compositionem facere ex vi Bullæ, vel sibi applicare, si grauem patiatur necessitatem, iuxta dicta: quod si iudex Ecclesiasticus potest facere, etiam poterit iudex sæcularis, & omnes alij Ministri, tam curiæ sæcularis, quam Ecclesiasticæ, & Ministri Regij.

Resolvtio XXV.

Vtrùm circa bona incerta ex ludo acquisita possit fieri compositio.

SVMMARIVM.

364 *Compositio an possit fieri circa bona incerta ex ludo acquisita? & num. seqq.*

QVartum colligitur quod ea quæ acquiruntur per ludum etiam sunt bona incerta, etiam si à quo lucratus est sit minor, vel filiusfamilias, aut Religiosus, si transacto ludi tempore, quo est facienda restitutio, ignoretur quis, aut ibi sit ille à quo bona sunt lucrata v. g. lucratus est quis à Religioso quem facta sufficienti diligentia non scit vbi sit, aut cuius Conuentus fuerit, vt dicit Ludouicus de la Cruz *dub.* 13. *num.* 4. 364.

Sed mihi hoc non probatur si sciat Religiosi Prouinciam, aut Superiorem agnoscat. Quod si Superior tali Religioso facultatem dederit exponendi aliquam summam in vsus sibi proprios, vel in donationibus faciendis; existimo (vt latius dico in materia de ludo) quod si expendat in ludo, vel aliis, etiam turpiter, donet, qui accipit, vel lucratur non teneri ad restitutionem, quia eo ipso quod Superior facultatem concessit expendendi summam illam, eius à communitate abdicauit dominium. Etsi enim Superior bona intentione concesserit facultatem istam, & subditus malè faciat expendendo in illicitis rebus, tamen factum tenet, sicut quilibet alius, qui etsi contra legem, & præceptum Dei faciat rem expendendo in meretricibus, & comessationibus, tamen factum tenet, nec tenetur accipiens restituere. 365. 366.

Resolvtio XXVI.

Vtrùm pecuniam incerti domini acceptam pro celebrandis Missis possit quis componere per Bullam.

SVMMARIVM.

367 *Pecuniam incerti domini acceptam pro celebrandis Missis an possit quis componere per Bullam? num. seqq.*

QVintum colligitur quod si quis ingentem pecuniæ summam accipit à diuersis pro celebrandis Missis non potest vti compositione ex vi Bullæ. Etsi enim dominus à quo eleemosynam accepit incertus sit, & incognitus accipienti, non tamen est incognitus Deo, qui impertitur fructum sacrificij. Quare tenetur accipiens sacrificium offerre pro intentione dantis eleemosynam. Ita Trullench *in casu* 19. *in fin.* Ludouicus à Cruce *dub.* 16. & seqq. licet iste falso vtatur fundamento, scilicet quod sacrificium non tantum prodest multis, quam vni; omnibus enim æqualiter prodest, vel inæqualiter ratione dispositionis, quam is pro quo offertur habet, vt latius dixi in materia de sacrificio, & coram Eminentissimis Cardinalibus in Sacra Congregatione iunctis latè docui Romæ *anno* 1624. dum censurarem *opus* quod 367. 368.

de hac materia edidit Magister Montagnolus Nea politanus Ordinis Prædicatorum.

Quare ibidem dixi, & probaui, quod si quis Sacerdos accipiat à tribus diuersis tres eleemosynas, satisfacit omnibus si vnam Missam pro tribus offerat, & nulli faciat iniuriam, cum sacrificium omnibus æqualiter applicetur, in illisque
369. operatur per modum Sacramenti, iuxta vniuscuiusque dispositionem. Faciet tamen manifestam iniuriam, si aliquis det illi eleemosynam pro centum sacrificiis, & pro illo offerat quinquaginta, priuat enim illum fructu aliorum quinquaginta, ad quæ habet ius ex pacto.

Hæc dixerim secundum ius naturæ, & diuinum, quia secundum speciale Decretum S. D.N. Vrbani VIII. de quo Peyrinis *tom. 3. priuileg.* Marchinus de Sacram. Ordin. & alij recentiores, vbi receptum est, aliter iudicium ferendum, de quo aliàs. Quod si Sacerdos qui tot stipendia accepit impotens fiat soluendi, vel restituendi pe-
370. cuniam quam accepit, vel celebrandi tot sacrificia quot debet offerre, existimo iure naturæ teneri ad faciendam restitutionem, meliori modo sibi possibili: quod si non possit aliquomodo satisfacere, naturæ ius illum excusat. Sed de his latius *in opusculo de triplici sacrificio.*

Resolvtio XXVII.

De bonis quæ quis acquirit ficta paupertate.

SVMMARIVM.

371 *Quid dicendum de bonis incertis acquisitis fingendo se pauperem, aut sanctum? & num. seqq.*

380 *Item si quis fingeret se virtuosum ad impetrandum beneficium, talisque virtutis simulatio causa esset, vt alteri æquè digno in scientia præferretur? & num.* 381.

371. SExtum colligitur, quid dicendum sit de bonis incertis quæ quis acquisiuit fingendo se pauperem, aut sanctum, qua fictione plures expiscatus est eleemosynas; ignorat tamen quis donauerit. Plures graues Doctores existimant istum non teneri restituere, maximè si eleemosynæ acceptæ à singulis paruæ sint. Ita Nauarrus, Soto, & alij quos refert, & sequitur Henriquez *lib. 4. de indulgent. cap. 35. §. 5.* Granado *tract. 11. de charitate disp. 7. num. 4.* Caietanus *in summ. verbo restitutio, & cap. vlt. casu 4.* Angelus etiam eodem §. 8. Medina *in summ. lib. 1. cap. 4. §. 35.* & censent probabile multi recentiores, quia dans eleemosynam, etsi sensibiliter moueatur ad illam elargiendam ex paupertate ficta, tamen principale motiuum quod habet est solus Deus ob cuius amorem vult releuare miseriam, & sic abs se ab-
372. dicat dominium illius quod erogat. Nec in eleemosynis quotidianis quis vult recompensationem, etiam si sciat pauperem se fingere: quod secus esset in eleemosyna magnæ summæ, vt ad vxorem ducendam, vel captiuum redimendum, vel quia se finxit Episcopum qui ab Hæreticis expoliatus est: his enim non sic existentibus, in dante fuit inuoluntarium circa substantiam actus, vt optimè aduertit Vasquez *opusc. de eleemosyna cap. 3. dub. vlt. n. 13. & seqq.*

Sed mihi videtur eamdem esse rationem si eleemosyna sit in parua, vel in magna quantitate, vt optimè Ludouicus de la Cruz, *vbi supr. dub. 14. num. 2.* Vasquez *vbi supr. num. 15.* vbi meo iu- 373.
dicio rem demonstrat, quia de ratione actus dandi aliquid, vel contrahendi cum aliquo est voluntarius simpliciter, sineque ratione voluntarij actus dandi, vel contrahendi non subsistit, & si actus sit inuoluntarius circa substantiam circa quam versatur, rationem dationis amittit, nec transfert dominium rei datæ, atqui actus dandi eleemosynam, etsi sit propter Deum, tamen prout eleemosyna distinguitur ab aliis actibus externis charitatis respicit essentialiter subleuare miseriam indigentis: & ob hoc motiuum dat pecuniam vel aliquid, quo talis miseria releuetur: ergo si talis miseria subleuanda non subsistit, sed est
374. mentita, & fictitia est, error interuenit circa substantialia talis actus dandi eleemosynam, est simpliciter inuoluntarius, & sic non habet vim transferendi dominium in eum qui pauperem se simulauit eo fine vt eleemosynas expiscaretur.

Quod enim parua sit materia quæ in quotidianis eleemosynis expiscatur à quolibet non euertit præfatum argumentum: quia multa parua vnum magnum constituunt, & licet à dantibus parua, quia bona fide procedunt, ex ignorantia 375.
meritum eleemosynæ accipiant intendentes subleuare miseriam, tamen accipientes, cum fingant pauperiem eo fine, & motiuo vt eleemosynam accipiant malitiosè sua fictione dant causam tali donationi, eo fine factæ, vt subleuet miseriam. Quare incapaces sunt habendi dominium rei datæ, non secus ac si furto accepissent: quamuis enim in his quotidianis eleemosynis dantes non velint restitutionem, sed absolute eas faciant, & à se abdicent dominium, tamen illud non possunt 376.
acquirere accipientes ficta paupertate, eo fine vt eleemosynam accipiant, sed veri pauperes ad rem datam accipiunt dominium, & ita illis facienda est restitutio, non danti, nisi fiat compositio ex vi Bullæ, vt notat Ludouicus *citatus*, quem sequitur Trullench tum *in expositione Bullæ, tum lib. 1. in Decalogum cap. 5. dub. 10. n. 10.* 377.

Danti vero est facienda restitutio, si cum aliquis se pauperem fingit se consanguineum alicuius diuitis, qui summam notabilem motus ex consanguinitate dedit: hæc enim donatio sub 378.
conditione consanguinitatis fuit facta: at quæ fit propter paupertatem absolutè fit propter Christum, & sic eius pauperes rei datæ acquirunt dominium. Non est tamen improbabilis sententia Vasquez *vbi sup. num. 24.* quod etiam eleemosyna facta titulo paupertatis fictæ possit restitui danti, quia illi facta est iniuria fraudis.

Addit tamen, & optimè *num. 15. & 16.* quod si quis non fingat paupertatem, sed personam, quia elargienti inimicus est, quem si agnosceret, 379.
non elargiretur; aut fingat virtutem, & sanctitatem, vt sic copiosiorem eleemosynam expiscetur, etiam si hanc fictionem ex industria faciat, non tenetur iste talis acceptum restituere, quia circa materiam substantialem eleemosynæ actus non fuit inuoluntarius simpliciter, imò voluntarius, cum solum fuerit error circa personam, & in individuo, & circa aliquid accidentale respectu eleemosynæ, cuius actus substantialiter validus fuit.

Quod si quis fingeret se virtuosum ad impe- 380.
trandum beneficium, talisque virtutis, & sanctitatis simulatio causa esset, vt alteri æquè digno

in

in scientia præferretur, existimo teneri ad restitutionem, quia simulata sanctitas fuit adæquata causa largitionis beneficij, quæ inuoluntaria fuit simpliciter, & sic nulla. Quare etiam si iste talis conetur postea sanctè viuere, & virtuosè, non facit beneficium suum, nisi nouiter explicitè, vel implicitè conferatur, quia *quod à principio fuit nullum, tractu temporis non conualescit*, præcipuè in materia iustitiæ. Quare iste tenetur beneficium renuntiare, si commodè, hoc est, absque notabili infamia, potest vel à Pontifice impetrare, facta relatione fictæ sanctitatis, vel vti compensatione ex vi Bullæ retractata cum Commissario, existimo enim fieri posse talem compositionem cum huius beneficij acquisitio simoniaca non sit.

381.

Resolvtio XXVIII.

De bonis inuentis.

SVMMARIVM.

382 *Bona incerta vbi facta fuerit diligentia pro inueniendo vero domino, si non inueniantur possunt retineri.*

383 *Firmatur auctoritate, & ratione, & num. seqq.*

Nisi ius canonicum aut ciuile aliter disponat. ibid. & num. seqq.

388 *Philippus II. statuit omnia mineralia esse Regis vbicumque existant, approprians sibi dominium omnium venarum auri, argenti, &c.*

Idem statuitur de thesauris, ibid.

389 *Prædicta statuta non solum obligant externos alterius regni, sed etiam naturales regnicolas, & subditos Regis.*

382. DE his aliqua prælibaui supra dum de bonis agerem naufragantium, vbi dixi quod si quis inueniat rem aliquam pretiosam, si facta diligentia pro inueniendo vero domino, & non inuento posse sibi eam retinere quasi pro derelicto, vt Sarmiento ibi citatus, & Diana quos sequitur Trullench *lib. 6. cap. 14. dub. 6. n. 3.* tenent probabiliter, & tuto in praxi, sed quod debeat pauperibus distribui communior, & securior sententia docet, quam præter Salonium ibi adductum

383. tenent Vasquez *de restit. cap. 5. §. 4. dub. 4. n. 43.* Caietanus *in summ. verbo furtum*, Lessius *de iust. lib. 2. cap. 4. dub. 7. num. 49.* Bonacina *disp. 1. de restit. punct. 4. num. 3.* Sylvester *verbo inuentum q. 1.* Couarruu. *in regul. peccatum p. 3. §. 1. num. 2.* & innumeri alij. Ratio est euidens, quia licet iure naturæ quando huiusmodi res perditæ habentur pro derelicto, vel quas inuentor possit sibi in conscientia retinere, vt expressè docet S. Thom. *2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 2.* & ibi Caietanus, Salonius *controu. 5.* & plures alij quos Ludouicus de la Cruz *vbi sup. dub. 15. num. 2.* refert: tamen si adest ius canonicum, aut ciuile de huiusmodi inuentis disponens illa applicans pauperibus, & piis operibus, absque dubio obediendum est, & in illa opera determinata distribuenda sunt, & non aliter: alias mortaliter peccabit contra faciens.

Ratio est, quia sicut debita incerta, ita & inuenta non comparentibus dominis pertinet eo-

384. rum distributio, & applicatio ad caput Reipublicæ, cui competit ea applicare, nam iure naturæ nullius determinati sunt. Quare Gubernator succedens Domino, & ius naturæ determinans illa applicat præfatis operibus, & sic Pontifices debita incerta habita iniustè applicant pauperibus *in cap. cum Tu de vsuris*, & etiam alia debita iustè, componunt cum retinentibus ex vi Bullæ compositionis, in qua etiam componit de inuentis.

Rursus in nostro Regno *lib. 1. recopil. tit. 13. leg. 6. & 7.* de inuentis sic loquitur: *Mandamos que el mismo dia que fuere hallada la cosa lo notifique el que la hallare ante el Escribano del dicho Lugar.* Quæ lex cum sit præceptiua, directiua, & declaratiua iuris naturalis obligat in conscientia ante sententiam, vt optimè Couarruu. *vbi sup. num. 5.* & debet esse omnibus indubitatum, cum 385.
non sit lex pœnalis, sed directiua, & præceptiua, & sic leges Imperiales, vel cuiuscumque Regni, quæ circa huiusmodi inuenta, vel circa thesauros, aut mineralia metallorum, & piscationem gemmarum, & lapillorum, quæ omnia iure naturæ nullius sunt, sed primi occupantis, obseruandæ sunt, vtpote obligantes in conscientia; sunt enim leges determinantes rerum proprietates, & dominia, contra quæ si fiat est contra iustitiam, vt optimè Nauarrus *in summ. c. 17. n. 175.* Villalobos *tom. 2. tract. 10. diffic. 2. num. 8.* notant cum communi sententia (quidquid dicat Sotus *lib. 5. de iustitia quæst. 3. art. 3. ad 2.* Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 17. num. 66.*) 386.

Cuius ratio est euidens quia Respublica, & Princeps, supremum habet Dominium altum eorum omnium quæ sunt in suo districto, & territorio. Quare anteaquam fiant alicuius particularis potest disponere, quod si inueniantur, sit cum tali, vel tali conditione, qua adstringitur inuentor, nec hoc meo iudicio potest quis dubitare, siue fundum sit proprium, siue sit publicum; quia de rebus quæ communiter non accidunt, nec venditor nec emptor cum prorsus laborent ignorantia disponere possunt, sed ea ad Rempublicam, & Principem iure supremo competunt, & ipse potest de illis disponere, vt Dominus absolutus sub certis conditionibus, quæ diuersæ sunt secundum 387.
ius Cæsareum, aut Regni particularis, vt videre est in Molina *de iust. tract. 2. disp. 89.* Couarru. *vbi supr. §. 3. num. 4.* Sayro *in claus lib. 9. cap. 8.* Bonacina *disp. 1. de Restitut. q. 3. punct. 6.* Salon *2. 2. q. 66. art. 5. controu. 5. column. mihi 1303.* Lessius, & Soto *vbi suprà.*

Quare iure optimo Philippus Secundus *lib. 6. nouæ Recopilat. tit. 13. leg. 3. & 4.* statuit omnia mi- 388.
neralia esse Regis vbicumque existant, approprians sibi dominium omnium venarum auri, argenti &c. & idem statuitur de thesauris *l. 7.* quæ ita obligant, vt notat Salon *vbi supr.* vt contrauenies teneatur restituere omnia quæ acquisiuit demptis expensis (nisi quis laborans ignorantia inuincibili iuris, præscribat bona fide canonica, & si mala ciuili) & non solum obligant externos alterius Regni, aut nationis, vt Gallos, & Germanos, vt vult Trullench. *lib. expositionis Bullæ casu 14. num. 13.* sed etiam naturales regnicolas, & 389.
subditos Regis nostri, alias si istos non obligant, nec externos, cum ius naturæ omnibus sit commune, Quare idem Author sibi contrarius *ibi. num. 5.* nobiscum conuenit.

Resolvtio XXIX.

Bona inuenta in Regnis Hiſpaniæ tenetur quis dare alicui ex Religionibus Redemptionis.

SVMMARIVM.

390 *Bonorum incertorum inuentor in regnis Hiſpaniæ an teneatur ea dare alicui ex Religionibus Redemptionis? & n. ſeqq.*

393 *Et an poſſit vi facultate conceſſa in Bulla compoſitionis? & n. ſeqq.*

390. EX quibus infertur primò, cum Ludouico de la Cruz *vbi ſupr. num 7. & ſeqq.* vbi ſatis doctè probat inuentorem omnium bonorum incertorum, quorum de proximo facta diligentia non comparet Dominus, teneri in conſcientia ea redere alicui ex Religionibus habentibus inſtitutum, & votum ſolemne redimendi captiuos in illorum redemptionem. Patet ex dictis quia Reges Hiſpaniæ ab Henrico Secundo, vſque ad Philippum Secundum in prædictos ordines tranſtulerunt omne ius quod habebant in prædicta bona. Quæ donatio facta eſt in bonum publicum, & confirmata à Summis Pontificibus à Leone X. vſque ad Gregorium XIII.

391. Quare cum vterque, ſupremus Gubernator ſæcularis, & Eccleſiaſticus huiuſmodi bona applicuerint his piis operibus, inuentor non poteſt illa in conſcientia retinere, quia ius regium, & Pontificium, his rebus inuentis præuenit quodcumque ius particulare, ſecundum quod erant primi occupantis, & ſic inuentor non habet ius retinendi, & ſic quantumuis occulta ſit inuentio, res inuenta Redemptionis eſt, cui reſtituere tenetur, quamuis non petatur, nam ex vi priuilegiorum dominium illius acquirunt huiuſmodi Religiones, vt impendant in Captiuorum fidelium redemptionem.

392. Huc enim pertinent egregia verba Silueſtri *verbo Præſcriptio 1. num 13. Iura faciunt hoc meum, & hoc tuum cap. Quo iure diſt. 8. & conditor legis, aut Canonis poteſt mihi dare rem alienam, & tutus ero. l. Lucius D. de euictionib. l. Bene à Zenone C. de quadriennij præſcriptio. quod intellige ex cauſa, quia expedit bono communi.* Quæ doctrina apprime præſenti difficultati conuenit dum agitur de inuentis incerti Domini, quorum dominium ab Eccleſia, & Republica in redemptionem fidelium captiuorum applicatur, & ſic illorum dominium non accipit inuentor, etſi valde occultus, ſed reſtituere tenetur Redemptioni.

393. Non obſtat quod Pontifex in Bulla compoſitionis facultatem tribuat, vt quis ſe componat ſuper rebus inuentis, non comparente domino. Qua Bulla derogantur omnia priuilegia quæ in contrarium poſſunt eſſe quantum ad effectum compoſitionis in rebus de quibus ibi fit mentio, & ſic ex vi Bullæ poteſt quis ſe componere ſuper huiuſmodi inuentis, & non reſtituere Redemptioni. Nam omiſſis ſolutionibus Ludouici *vbi ſup. n.* 18. Dico primò, quia illa Bulla datur de in-

394. uentis pro illis partibus, in quibus fieri non poteſt reſtitutio redemptioni, vel quia ibi non ſunt huiuſmodi ordines, vel quia ita diſtant vt commodè illis fieri non poſſit.

Dico ſecundò, quod Bulla loquitur de iure vniuerſali iuxta quod poſſunt componi ex vi illius 395.
bona inuenta: de quibus proximè non comparet dominus, & ex vi priuilegiorum Regalium, & Pontificum iure ſpeciali pertinent inuenta ad redemptionem captiuorum fidelium: hæc autem priuilegia non poſſunt reuocari qualibuſcumque verbis reuocatoriis, niſi nominatim, & expreſsè fiat de illis mentio, quia cum fundentur in iure particulari, quod ex vi illorum habent redemptionis pauperes, & Reges illis ceſſerint omne ius quod ad illa bona habent, quam ceſſionem Summi Pontifices confirmarunt, niſi Reges expreſsè retractauerint ceſſionem, & donationem, cum hæc ſit acceptata publicè, & iuridicè ab his Religionibus nomine fidelium captiuorum, & ſic habeant iſti ius iuſtitiæ, & non poſſunt talia priuilegia reuocari, niſi expreſsè, & nominatim explicentur, quia ob rationes nouas inſurgentes viſum eſt Regi, & Pontifici illa reuocare, & in hoc ſpeciali iure fundantur Patres Redemptores, dum 396.
anathemate publicato huiuſmodi bona expoſcunt tanquam propria fidelium captiuorum, ad quos pertinent de iuſtitia, ſuppoſita donatione Regia, confirmata à Summo Pontifice ob bonum commune. Quare mihi non probatur ſententia Nauarræ *lib. 4. de reſtitut. cap. 2. num. 64.* exiſtimantis non deberi hæc bona inuenta Regi, aut priuilegiato ante ſententiam iudicis illa expoſcentis. Hoc autem falſum eſt vt conſtat ex dictis, maximè cum applicantur operibus piis ex voluntate regia, & Pontificia. Legatur Couarruu. *vbi ſup. num. 5.* & abſque dubio hæc videtur voluntas rationabilis non comparentis domini.

Resolvtio XXX.

Cuiuſdam caſus ſingularis.

SVMMARIVM.

397 *An poſſit quis tutâ conſcientia res inuentas dare alteri Religioni?*
Ratio dubitandi ibid. Quid exiſtimet Auctor num. 398. & num. ſeqq.

COlligitur ſecundò reſolutio cuiuſdam caſus de quo in hac Ciuitate Hiſpalenſi anno 297.
præterito ſum interrogatus, an poſſit quis tuta conſcientia res inuentas, non comparente Domino non dare his duobus Ordinibus B. Mariæ de Mercede, vel SS. Trinitatis, ſed vel alteri Religioni, quæ licet non habeat votum redimendi, ex particulari legatione certis annis ad Mauros abit, vt captiuos redimat; aut alicui particulari, qui ex deuotione huiuſmodi opus vult exercere. Ratio dubitandi eſt. Quia Reges, & Pontifices ius ſuum quod habent ad huiuſmodi inuenta tranſtulerunt huiuſmodi in iſtos duos Ordines: ergo cum vt vidimus huiuſmodi ceſſio, & iuris tranſlatio pariat ius iuſtitiæ quod acquirunt redemptoriæ Religiones, ſi alteri fiat reſtitutio non fit ſatis obligationi.

At nihilominus exiſtimo. Primò, quod huiuſ- 398.
modi inuenta non poſſunt reſtitui niſi ob fidelium captiuorum redemptionem. Ratio eſt, quia redemptio fuit motiuum tranſlationis iuris quod Reges habent, & ſub hoc motiuo ius ſuum tranſtulerunt, & non aliter: quod ſi aliter fiat reſtitutio, etiam in alia opera pia, actus eſt ſimpliciter

ter inuoluntarius, respectu Regis. Quare restituens non satisfacit. Sicut si quis legatum relinquat pro maritandis puellis, non potest legatarius transferre legatum in aliud opus pium, vt est certa, & indubitata sententia, nisi accedat expressa Summi Pontificis commutatio. 399.

Existimo secundò, quod si quis bona inuenta restituat alicui de quo certum est quod opus Redemptionis exercet, & non huiusmodi Religionibus priuilegiatis satisfaciet, & tutus erit in conscientia. Ratio est, quia in hac restitutione obseruatur Regium, & Pontificum motiuum, quod fuit opus redemptionis; hoc enim primario fuit intentum; & sic actus restituentis fuit voluntarius secundum substantialia; quod enim his duobus Ordinibus factum sit priuilegium accidentale est, quia solum sunt constituti tanquam exactores, & procuratores fidelium captiuorum, quia eorum Ordinum institutum illorum redemptio est, & sic si alia via, bona ista in redemptionem captiuorum cedant, absque dubio restituens tutus erit in conscientia. Sicut si quis tributum iustum quod Regi debet, non det publicis exactoribus à Rege constitutis, sed alia via in bonum Regis conuertat, proculdubio satisfacit obligationi in foro animæ, quamuis in foro externo condemnari possit, tamen in foro conscientiæ ita tutus erit; quod si excommunicatio publicetur non tenetur amplius restituere. Hæc fuit mea resolutio, cui multi viri docti subscripsere. 400. 401.

Resolvtio XXXI.

De Thesauris inuentis.

SVMMARIVM.

402 *Thesauri definitio.*
Thesaurum inueniens in domo alicuius familiæ an teneatur restituere? ibid. & n. seqq.

402. COlligitur tertiò, quod si quis inueniat Thesaurum impropriè, qui definitur à Doctorib. quod sit *depositio pecuniæ aut diuitiarum, in aliqua certo loco, causa lucri faciendi, aut metus, aut custodiæ, vel honoris*, vt sepulchris defunctorum vt olim erat mos apud Hebræos, & alias Gentilium nationes, de quo more latè Alexander ab Alexand. *lib. 3. cap. 40.* vbi latè Tiraquellus *num. 10.* si, inquam, aliquis huiusmodi thesaurum inueniat, si thesaurus sit in domo alicuius familiæ quæ Hispane dicitur *Solariega* in qua semper sunt morati successores domus, vel in thesauro inueniatur aliquod vestigium quod illius familiæ, & domus originarius illum illic condidit, successoribus, & hæredibus illius debet in totum restitui, demptis expensis. Et idem est si diuitiæ causa Religionis, aut custodiæ in sepulchris recondantur. Ita Sotus *lib. 5. de iust. q. 3. art. 3.* Salonius *2. 2. q. 66. art. 5. controu. 5. conc. 1.* 403.

Ego etiam addo contra Bañez *ibi dub. 2.* Sayrum *in Clau. lib. 9. cap. 9. num. 12.* quod etsi in sepulchro superstitionis causa diuitiæ reponantur, qualiter faciebant Gentiles, & Indi, si dominus sepulchri cognoscatur non possunt, ipso inuito, auferri. Ratio est clara, quia etsi Indi existimarent quod mortui eas diuitias ad aliam vitam secum deportabant ad suos vsus, aut eas falsis diis sacrificarent, tamen hæc superstitio non auferebat ab eis ius iustitiæ, quod ad illas reipsa habebant, quia hæc superstitio consistebat in falsa imaginatione per quam non abdicabant à se verum dominium, nec illas pro derelicto habebant sed verè manebant domini diuitiarum, quamuis cum falsa existimatione quod mortui, vel dij illis vtebantur; cumque re ipsa non vterentur apud illos manebat dominium, quia non abdicabant à se absolutè, sed sub illa conditione impossibili, quod mortuis deseruirent, conditio autem impossibilis habetur pro non adiecta *cap. finali de conditionib. appositis.* 404. 405.

Si vero thesaurus iste sit repositus causa custodiæ, aut metus, qualiter Mauri ab Hispania expulsi in agro, vel domo plurima pretiosa reliquerunt abscondita, vel domini illarum diuitiarum mihi dixerunt ibi esse reconditas, & sic si illas eruam non teneor Regi, aut redemptioni illas restituere, nisi forsan post sententiam latam, quia inuentio ista non fuit casualis, de qua videntur loqui leges regiæ, quæ cum sint determinatiuæ iuris naturalis strictè sunt interpretandæ; vel diuitiæ istæ casualiter sunt inuentæ, & sic existimo quod si fuerit magna summa debeat restitui Regi; si vero non sit magna, vel sibi, aut pauperi potest quis commodare, vel redemptioni iuxta ea quæ in superioribus sunt dicta. 406.

Caput IV.

De aliis casibus in quibus præscriptio procedit in foro conscientiæ cum mala conscientia ciuili.

DOctrina tradita de distinctione malæ fidei canonicæ & ciuilis adeo est vniuersale principium in re morali, vt præter casus in superioribus decisos, plures alij non iniucundi decidendi sint, in quibus non solum continetur doctrina ad materiam præscriptionis attinens, sed etiam ad plures alias. Id quod etiam præstabo in capite sequenti, & tam in illo, quam in isto resolutiones ponam multorum dubiorum quæ ab aliquibus abhinc annis triginta mihi variis in locis proposita fuere. Quare sequentes Resolutiones miscellaneæ erunt.

Resolvtio XXXII.

Vtrum si quis testamento ordinet, quod bona aliena restituantur, si hæres sciat aliqua à testatore bona fide canonica præscripsisse teneatur restituere.

SVMMARIVM.

407 *Testator si testamento ordinet, quod bona aliena restituantur, si hæres sciat aliqua à testatore bona fide canonica præscripsisse an teneatur restituere? & n. seqq.*

EXempli gratia. Petrus habet rem pretiosam, quam tuta conscientia præscripsit, aut vsucepit, cum sit aliena relinquit in suo testamento, quod omne quod fuerit alienum restituatur, hæres Petri scit rem illam alienam esse, Dubitatur an hæres in subsidium animæ defuncti teneatur restituere 407.

reſtituere. Authores illi qui diſtinguunt inter vſucapionem, & præſcriptionem, quod illa acquiritur rei dominium, iſta vero ſolum quod contra præſcribentem non detur actio in iudicio, nec acquiritur rei dominium, abſque dubio ſi talis teſtator non vſucapit, ſed ſolum præſcripſit tenetur reſtituere, cum ex vi præſcriptionis ſemper res maneat aliena. Et iuxta hos authores poſſidens in conſcientia teneatur reſtituere eo ipſo quod ſcierit eſſe alienam, ſi ſolum præſcripſerit: ſecus vero ſi vſuceperit. *l.Si aliena D.de vſucap.* Quare hæres cum obligationem conſcientiæ
408. ſubear teſtatoris, rem quam ſcit eſſe alienam tenetur reſtituere, etiam ſi teſtator bona fide illam præſcripſerit, ſuppoſita diſtinctione præfata inter vſucapionem, & præſcriptionem. Probabilis eſt ſententia iſta.

Cæterum cum iure Canonico, & iure ciuili Codicis,& noſtri Regni nulla diſtinctio ſit inter vſucapionem,& præſcriptionem, ſed per iſtam,ſi bona fide proceſſerit,rei dominium directum, & proprietas acquiratur, vt patet *ex capitib.4.& 6. de præſcriptionib. & cap. Clerici* 26. *q.* 5. & late probant Couarruu. *Reg.Poſſeſſor.p.3.§.2. num.3.* Caietan.*in ſuum verb.Præſcriptio*, conſequens eſt vt iſte talis hæres non teneatur reſtituere rem, quam ſcit eſſe alienam, cum illius teſtator verum acquiſierit dominium & de ea tanquam ſua potuerit diſponere: hæres autem ſucceſſit teſtatori
409. in omnibus iuribus ſuis, & ſic tutus eſt, ſi non reſtituat.Ita tenent Ioannes Gutierrez *lib.2.Practicar.q.1.num.26.*Felinus *in cap.Ex parte 2.num. 3.de officio iudicis delegati.*

Hæc autem reſolutio verum tenet niſi Dominus ſciens rem ſuam præſcriptam petat reſtitutionem in integrum, cuius beneficio,authoritate Principis, ſi probet rem eſſe ſuam poſt ſententiam latam illi reſtituenda eſt in foro conſcientiæ,vt latè Doctores *in Authentic. Quas actiones. C.de Sacroſanctis Eccleſ.*verbo *excluduntur.* Leſ-
410. ſius *lib.2.cap.6.dub.*18.Couarruu. *vbi ſup. num.7.* Layman *tom.2. tract.1.cap.9.* eſtque communis. Hoc autem beneficium ſpatio quatuor annorum durat, poſtquam quis ſciuerit completum eſſe præſcriptionis tempus *l.finali. C. de tempore in integr.reſtitut.* Quod priuilegium conceditur Eccleſiis,Pupillis, Minoribus, etiam ſi ipſis ſcientibus, & impedire valentibus præſcriptio facta fuerit. Maioribus autem conceditur in præſcriptione decem,vel viginti annorum. Sed de his latius iuris ciuilis Doctores.

Resolvtio XXXIII.

Qua ratione poſſit filius illegitimus cum mala fide ciuili præſcribere bona relicta à Patre.

SVMMARIVM.

411 *Filiorum illegitimorum duo genera.*
Filius illegitimus qua ratione poſſit cum mala fide ciuili præſcribere bona relicta à Patre? & n.ſeqq.

411. QVantum ad præſens duo genera illegitimorũ diſtinguenda duntaxat ſunt,quia aut ſunt illegitimi *naturales*,nati ex concubitu ſoluti,& ſolutæ,aut ſunt illegitimi qui *ſpurij* propriè dicũtur nati ex damnato concubitu per leges, & canones vt ex vxorata, ex Religioſa,& Patre non ſoluto, aut Eccleſiaſtico &c. Inter quos hæc eſt differentia quod natus ex damnato concubitu incapax eſt hæreditatis, aut legati titulo lucratiuo, niſi alimentorum cauſa qui iure naturali debentur: at filius naturalis capax eſt hæreditatis, & matrem ab inteſtato hæreditat.

Hoc poſito eſt difficultas an huiuſmodi filij, 412.
præcipuè ſpurius ſi habeant malam fidem ciuilem,quia ignorant ius quo arcentur ab hæreditate, aut naturalis quia laborat ignorantia facti putans ſe eſſe legitimum aut legitimationem factam validam eſſe,cum reipſa ſit inualida, & ſubreptitia poſſit vterque bona relicta à Patre titulo *Pro hærede*, cum mala fide ciuili, non tamen canonica, quia inuincibiliter ignorat ius, aut factum, poſſit tuta conſcientia præſcribere, itaut tranſacto tempore præſcriptionis non teneatur reſtituere.

Et quidem ignorantiam iuris facere malam 413.
fidem ciuilem indubitatum eſt apud iuris Doctores ex regula. *Qui contra iura*, quæ mala fides ciuilis obſtat vt quis in foro externo, & ciuili præſcribat. Cæterum vt *ſupr.cap.1.* Reſolutione prima probaui ex Couarru.Medina, Leſſio (quorum verba dedi) & ex multis aliis, quod error iuris non obſtat quamuis quis præſcribat in foro animæ,ſi bona fide canonica, & abſque peccato poſſedit quis tempore præſcripto.

Ex qua doctrina loco citato,ni fallor, manifeſtè probata huius caſus deciſio deducitur, & ſic dico: filius illegitimus, quicumque ille ſit, ſi habet ignorantiam iuris diſponentis quod non
poſſit aliquid haberi à Patre titulo hæreditatis 414.
tranſacto tempore à lege taxato ad præſcribendum, maximè ſi ſit triginta, vel quadraginta annorum,in quo etiam ius ciuile concedit mala fide poſſidentibus præſcriptionem, iſte, inquam, illegitimus tutus eſt in conſcientia & non tenetur reſtituere bona à Patre relicta, & quidem quod ſi loquamur de præſcriptione longiſſimi temporis tenet expreſſe concluſionem Balbus *de præſcript. 4.p. partis 4.principalis q.17.num.7.*& citat Paulum de Caſtro *in l.Celſus column.1.* & 415.
ratio eſt clara ex dictis ſupra, quia error inuincibilis iuris excuſat à peccato,& facit bonam fidem canonicam, vt vult Balbus. Vnde dico ſecundo. Multo magis hoc verum tenet ſi error ſit facti, qui nec malam fidem ciuilem facit niſi in certis caſibus.Ita Paulus de Caſtro *conſil.227. dub.1.*qui loquitur de præſcriptione longi temporis, nam de longiſſimi temporis præſcriptione, idem tenet Balbus *vbi ſupr.*

Ex quibus fit, bene me reſpondiſſe in ſpecie
huius caſus interrogatum à filio cuiuſdam Cleri- 416.
ci qui à Patre relictam ſummam conſiderabilem ignorabat ius quo incapax redebatur habendi bona à Patre titulo lucratiuo, & dixi quod ſi in hac bona fide canonica perſtitit tempore à lege taxato tutus erat in conſcientia, nec in foro animæ tenebatur reſtituere.

Resolvtio XXXIV.

Vtrum seruus ingressus Religionem, si intra triennium non repetatur à Domino, libertatem præscribat in conscientia.

Svmmarivm.

417 *Seruus Religionem ingressus si contra triennium non repetatur à Domino, an libertatem præscribat in conscientia? & numer. seqq.*

421 *Seruus, elapso triennio cùm repeti non possit à Domino, validè professionem emittit.*

422 *Difficultas proponitur, & resoluitur, & num. seqq.*

425 *Quomodo seruus cùm sit in mala fide canonica sciens se furtum commisisse sui corporis & non esse sui iuris, sed alieni potest seipsum mancipare, & consecrare Religioni? & num. 426.*

427 *Casus singularis, de quo Auctor interrogatus, & quomodo responderit?*

417. Resolutio est affirmatiua, quam expresè sanciuit Bonifacius V. relatus *in cap. Si quis incognitus* 17. *q.* 2. vbi statuit quod *si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præstetur; si tamen intra triennium à Domino non fuerit requisitus, postea quari non potest*, & sic manet liber libertate præscripta nec repeti potest à Domino. Ita Azor 1. *p. lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub* 3. *num.* 31. Bartholomæus de Vecchis *in praxi de admitten. Nouitiis disp.* 2. *dub.* 2. *num.* 3. Siluester *verbo Religio.* 2. *q.* 2. & 3. & est communis sententia: hoc autem triennium vt aduertunt Ludouicus Miranda *in Manuali tom.* 1. *q.* 17. *art.* 1. *conc.* 4. Reginaldus *in Praxi. lib.* 3. *tract.* 2. *num.* 68. Sanchez *tom.* 2. *summ. lib.* 5 *cap.* 4. *num.* 44. 45. & 46. numerandum est à die quo Dominus scit seruum eius admissum fuisse ad Religionem.

418. Quod si intra triennium in quo Dominus potest repetere, professionem emittat existimo nullam esse, & irritam contra Suarez *lib.* 6. *de Relig. cap.* 6. *num.* 3. Lessium, Mirandam, Bartholom. de Vecchis *num.* 4. *vbi supr.* Sed mecum sentiunt Sanchez *num.* 49. Barbosa ad præfat. *cap. si quis incognitus num.* 5. Azor *vbi supr. vers. Respondeo.* Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 2. *num.* 30. & multi alij. Ratio est perspicua, quia sicut coniux ingressus religionem, & ibi possessionem emittens, si sine licentia alterius ingrediatur, professio nulla est, vt statuitur in iure, & est indubitata sententia, quia coniux iste non potest promitere absolutam castitatem, quæ est de substantia religionis, ita seruus etsi absolutè possit vouere absolutam castitatem, at non potest vouere omnimodam subiectionem Prælato, cum prius teneatur obedire Domino; at omnimoda subiectio per obedientiæ votum est de substantia professionis solemnis, quæ irrita erit si quis non possit se omnino subiicere.

419. 420. Dixi intra triennium in quo potest repeti, quia 421. ipso elapso cum repeti non possit à Domino, valida est professio: si tamen seruus intra præfatum triennium professionem emittat, & ante elapsum illius à Domino repetatur existimo contra Azorium, & alios non manere obligatum seruum voto castitatis, etiam simplicis, vt dicit Sanchez *vbi suprà num.* 104. & 105. sicut nec manet coniux qui sine licentia alterius professionem emisit ipso iure nullam, non manet obligatus voto simplici religionis, ita nec simplici, voto castitatis, aut obedientiæ &c.

422. Sed modò est non parua difficultas. Quia transacto isto triennio libertas serui vel præscribitur, & vsucapitur à seruo, & hoc non, quia seruus cum se ipsum seruum agnoscat cognoscit se esse alienum, & sic habet malam fidem canonicam, sicut habet fur, aut latro qui surripuit rem inuito domino: sic seruus dum inuito domino fugit, facit furtum corporis sui, & expresè *l.* 1. *D. de seru. fugit.* & sic *in cap. si seruus* 19. *dist.* 54. dicitur quod si seruus absente, & nesciente domino ordinetur Presbyter ab Episcopo id sciente duplici satisfactione ipsum debet Episcopus domino compensare *ex cap. ex antiquis* statuit Pelagius *quod si quis seruus ad Sacerdotium sit euectus sine consensu domini, peculium quod habet auferatur, & domino in recompensam reddatur: quod si peculium non habet seruus domino reddatur non vt illi seruiat vt ante, sed pro mysteriorum celebratione obligatur*, vt statuit idem Pelagius *cap. frequens eadem dist.* 423. Quare ex eisdem iuribus ostenditur quod Ecclesia, aut Monasterium non potest præscribere eo ipso quod sciat esse seruum, quod si ignoret statum seruitutis à seruo decepta, iam habet bonam fidem etiam ciuilem, cum ignoret esse alienum.

424. Hoc argumento conuicta Glossa *in cap. si quis incognitus verbo intra triennium* dicit quod Ecclesia debet recompensare damnum serui domino, quia res furtiua vsucapi, aut præscribi non potest. Vnde D. Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 98. *ad Fontinum.* & refertur *in cap. comperimus* 14. *q.* 6. dicit res sublatas à Iudæis, & mancipatas cultui diuino non esse restituendas in specie. sed earum pretium. Sed non placet sententia Glossæ quia opponitur textui vbi dicitur: *Quod si elapso triennio dominus requisierit seruum seruus non restituatur, sed tantum ea quæ in Monasterium seruus adduxit.* Quare Sanchez *vbi sup. num.* 44. censet quod si religio habeat bonam fidem putans talem non esse seruum, Religionem non teneri ad aliquam compensationem domino faciendam, sed transacto tempore triennij, si seruus factus sit liber per professionem ad nihil tenetur.

425. Sed quo modo seruus cum sit in malâ fide canonica sciens se furtum commisisse sui corporis & non esse sui iuris, sed alieni potest se ipsum mancipare, & consecrare Religioni? Respondetur quod seruus qui animo se Deo vouendi ad Religionem confugit toto triennio quod Pontifex determinat ad suæ libertatis præscriptionem debet esse in præparatione animi, vt si dominus repetat, se ipsum illi tradat, & sic est in bona fide canonica, etiam si sciat esse alienum, nec tenetur se offerre domino suo, atque ita transacto triennio libertatem consequitur, & efficitur sui iuris, argumento euidenti ex *cap. placuit de præscription.* 426. Quare etiam religio quamuis sciat illum esse seruum, si tamen parata sit reddere domino, si intra triennium petierit habet bonam fidem canonicam, & transacto triennio præscribit. Quod concessum est in fauorem Religionis, & libertatis.

Ex quibus constat me optimè respondisse ad casum

caſum de quo interrogatus ſum. Quidam Religioſus ſine licentia ſui Prælati (& idem eſt de
427. Moniali) tranſiuit ad aliud Monaſterium in quo profeſſionem emiſit, & degit pacificè per triennium ſciente priore conuentu, & non repetente, aut reclamante. Reſpondi quod tranſacto triennio repeti non poteſt, ſed in ſecunda religione profeſſus manet. Ita tenet expreſsè Tiraquellus *tract. de præſcription. pag. mihi* 424. *num.*83. qui enim ſciens, & potens reclamare non reclamat, nec repetit cum poſſit, conſentire videtur, & tacitè concedit licentiam. Idem iudicium eſto de ſeruis adſcriptitiis, & colonis, qui ſpeciali iure ſeruituris adſtricti ſunt alicui prædio, à quo ſeparari non poſſunt; neque ad militiam, aut aliud
428. officium aſcendere valent, de quibus latè Solorzano *tom.* 2. *de iure Indiarum lib.* 1. *cap.*3. Quod ſi omnes ſerui adſcriptitij ad Religionem confugiant & per triennium à domino non repetantur, & ibi profeſſionem emittant, Colonia, aut prædium cui adſcripti erant tranſit ad Religionem, quia ex iuris diſpoſitione illi non poſſunt eſſe ſine ſuo, prædio, & qui voluntariè amittit adſcriptitios, etiam voluntariè amittit prædium. Quare etſi acceſſorium communiter ſequatur ſuum principale, tamen in hoc caſu principale ſequitur acceſſorium, & iſtud illud ad ſe trahit, vt ex multis oſtendit Solorzano *vbi ſup.*

Resolvtio XXXV.

Vtrùm qui bonis ceſſit, etiam ſi ad pinguiorem deuenerit fortunam poſſit bona creditorum præſcribere.

SVMMARIVM.

429 *Bonorum ceſſio quando fiat?*
Dupliciter fieri poteſt ibid.
430 *Opinio Dianæ adducitur; & huius fundamentum, & num.*431.
432 *Per bonorum ceſſionem non tollitur naturalis, aut ciuilis obligatio.*
433 *Sententia Auctoris ponitur, & declaratur, num. ſeqq.*
437 *Reſpondetur ad fundamentum oppoſitum.*

429. BOnorum ceſſio tunc fit quando quis impotens factus ad ſoluendum creditoribus in carcerem coniicitur, ibique ceſſionem omnium bonorum, & iurium quæ habet, creditoribus facit, & ſic ſoluitur, & excarceratus liber manet *l.*1.*C. qui bonis cedere* & *l.*4. *tit.*15. *partita* 5. & hic eſt proprius effectus ceſſionis bonorum. Hæc bonorum ceſſio dupliciter fieri poteſt ex Couarruu. *lib.*2. *variar. cap.*2. *à num.*5. *&* 6. quia aut fit abſque ignominia, ſed ceſſis omnibus quæ de facto habet præſtat cautionem, aut iuramentum de ſoluendo ſi ad pinguiorem deuenerit fortunam;
430. aut fit quia debitor in loco publico ſedens quibuſdam infamibus cæremoniis omnibus ſuis bonis cedit, Hiſpane *hazer ceribones.*

Antonius Diana abſolutè docet 4. *p. tractat.*4. *reſol.*78. iſtum bonorum ſuorum ceſſorem ſemper teneri in conſcientia reſtituere, ſi ad pinguiorem deuenerit fortunam. Citat pro ſe Filliucium, Leſſ. & Henriquez, quibus addo Couarruu. *vbi ſup. num.*6. Sotum *de iuſt. lib.*4. *quæſt.* 7. *art.*4. *in fin.*
431. §. *vtrum vero* & nouiſſimè Trullench *in expoſition. decalog. lib.*7. *cap.*15. *dub.* 5. *num.* 4. Huius ſententiæ fundamentum eſt, quia ignominia quam quis patitur in flebili, ac miſerabili remedio ceſſionis bonorum non eſt loco ſolutionis, ſed pœnæ pecuniariæ, pro culpa præſumpta à lege in accipiendis mutuis, & faciendis aliis contractibus cum eſſet impotens ad ſoluendum, & ſic ſi fiat potens ad ſolutionem tenetur. Vnde *in l cum & filij C. qui bonis cedere* dicitur: *Si quid pinguius poſtea eis acceſſerit hoc iterum vſque ad modum debiti poteſt à creditoribus legitimo modo auelli.* Et idem ſancitur *in l. is qui bonis eodem.* Quare per 432.
bonorum ceſſionem non tollitur naturalis, aut ciuilis obligatio, ſed tantum competit cedenti bonis exceptio, quam impedit litis conteſtatio.

At nihilominus ſi quis cedit bonis, præfatis cæremoniis infamibus, cenſeo non teneri in conſcientia reſtituere, etiam ſi ad pinguiorem deuenerit fortunam. Ita tenet Eliſeus Danza *in pugna Doctorum cap.*3. *numer.* 12. Nouarius *collect.* 35. *à num.* 2. Guidius Papa *quæſt.* 343. Delphinatus Cæpola, Paulus Caſtrenſis, Angelus, Iaſon. Decius *in l. ſi quis D. de iuriſdict. omn. iudicum.* Quos omnes refert Couarruuias quibus adde Gloſſam *in l. vbicumque D. de fideiuſſorib.* quæ expreſsè fatetur cedentem bonis liberari ab obligatione ciuili, & multo magis liberabitur ab obligatione naturali, quia conſopita eſt, & conuerſa in infamiam paſſam, quæ irrogatur loco ſolutionis, vt docet Gloſſa *in cap. ſicut de homicidio voluntario, & caſuali* §. *eos inſuper verbo, ſi habent.* & Gloſſa *in cap. ſi res aliena* 14. *q.*1. vbi Aug. expreſsè id docet *Quia etſi non eſt vnde reddat* 434.
ablatam pecuniam, merito tamen dum eam per moleſtiam perſonalem reddere compellitur, peccati, quo malè ablata eſt, pœnas luit: Hæc S. Doctor vbi noſtræ reſolutionis rationem reddit, quia videlicet pœna iſta corporali ablata eſt obligatio ſoluendi.

Quod ſi quis cedat bonis, non infami modo, 435.
ſed præſtita cautione, aut iuramento de ſoluendo ſi ad pinguiorem deuenerit fortunam, ſi ita contingat tenetur reſtituere, quod ſi dum creditores ſciunt potentem ad ſoluendum, & tamen debita non exigant exiſtimo non improbabile poſſe cedentem bonis in foro animæ præſcribere, ſicut de aliis debitis diximus ſupr. reſolut. Addit Diana vbi ſup. quod etiam ſi debita ſint iniuſtè accepta, & ex notorio delicto, dum quis cedit bonis poteſt ſibi retinere neceſſaria vt tam ipſe quam ſua familia non indecorè viuat, quamuis contrarium in foro externo iudicetur, in quo ſolum relinquitur veſtimentum quo veſtitur; cætera autem omnia inſtrumenta artis, & veſtes lineæ creditoribus applicantur, vt docet Couarr. *vbi ſup.* & hoc modo intelliguntur Adrianus, & Molina citati, & malè intellecti à Diana. 436.

Ad fundamentum oppoſitum reſpondetur negando aſſumptum, imo pœna illa conſumit debitum ſoluendi, nec enim æquitas patitur quod quis fiat infamis ob non ſolutionem, & quod teneatur ſoluere, & ſic per bonorum ceſſionem infamem, omnis obligatio ſoluendi extinguitur: leges autem adductæ loquuntur expreſsè de ceſſione bonorum, quæ non eſt infamis, nec infamibus cæremoniis celebratur. 437.

Resolvtio XXXVI.

De repræsaliis, an sint licitæ, & præscribi possint.

SVMMARIVM.

438 *Repræsaliæ an sint licitæ, & præscribi possint?*

440 *An Rex Hispaniæ possit concedere repræsalias contra Gallos mercatores, qui in suis ciuitatibus degunt pacificè habitantes, merces suas diuendentes, &c.? & n. seqq.*

446 *Rex Hispaniæ nullo modo potest præscribere bona habita per repræsalias.*

438. APud veteres vetustissima fuit lex, & consuetudo, vt iniuriam passis ob aliquod homicidium Respublica potestatem pignorandi (quam Græci *Androlypsiam* nominabant) concederet, quam nos barbarè *Repræsalias* vocamus, vt notat Budæus *ad l. aut facta §. euentus D. de pœnis.* & latinè possunt dici *Pignorationes.* sic eas nominat Bonifacius VIII. *cap. 1. de iniuriis in 6.* vel Clarigerationes, vt volunt aliqui ex Legisperitis. Igitur dubium est non paruum, An si Galli in Hispanos, vel Hispani in Gallos damnum notabile intulerint, & requisitus Rex vt de iustitia prouideat, & nolit, possint Hispani authoritate Principis, vel Princeps ipse Gallos spoliare tantum quantum damnum illatum resarciatur, etiam si expoliati innocentes sint.

439. Et quidem mihi omnino certum est Androlypsiam, vel pignorationem, aut Repræsalias Principi supremo, & eius authoritate licitas esse detinendo bona innocentum Reipublicæ cedentis, si laici sint, & non plus notabiliter auferatur, quam sat est, vt damnum resarciatur illarum, & constet moraliter Principem nolle iustitiam facere læsis. Hæc est communis sententia pro qua plures Doctores refert Diana *p. 4. tract. 4. resol. 72.* quibus addo Trullench *in expositio. Decalog. cap. 2. dub. 3. num. 12.* Ratio est, quia huiusmodi repræsalia conceduntur à Principe in satisfactionem damni, ad quam possunt cogi innocentes, quatenus partes sunt Reipublicæ inferentis damnum, quia bona innocentium etiam pertinent ad Rempublicam, quæ in illa habet dominium altum, & sic possunt accipi in satisfactionem, si aliter satisfactio haberi non posset non solum in bonis fortunæ, sed in vita, si aliter satisfactio, vt dixi, haberi non possit, vt est omnium fere sententia.

440.

Sed quamuis hoc in communi dictum verum teneat firmatumque sit tot grauissimorum Doctorum dictis, tamen ad speciales casus descendendo inquiro, an Rex Hispaniæ possit concedere Repræsalias contra Gallos mercatores qui in suis Ciuitatibus degunt pacificè habitantes, mer-

441. ces suas diuendentes, an, inquam, possit Princeps horum bona auferre titulo repræsaliæ, & pignorationis, & sub disiunctione respondeo, quod aut isti Galli pertinent ad Respublicas Regi Galliæ subiectas, quia huc dumtaxat veniunt ad merces diuendendas, vt iterum illuc reuertantur, & existimo quod etiam si isti damni illati non fuerint causa, sed sint innocentes, quod possunt bonis suis spoliari, quatenus subditi sunt Regis nolentis satisfactionem dare pro damno illato, & hoc est quod dicunt Authores citati, & fundamentum adductum probat.

442. Aut isti Galli sunt à Gallia oriundi, tamen si in Hispania nati facti ciues, & domestici nostri, & à Matre, vel Patre Hispano, vel si ab auis Gallis tamen iam parentes proximi ad Hispaniam pertinent, ibi solum & larem habitantes, & ab his huiusmodi bona auferre prorsus existimo iniustum, quia sunt innocentes, & non sunt membra Reipublicæ nocentis, imo potius membra Hispaniæ: quo ergo titulo possunt lædi, fateor me non inuenire; sicut nec inuenit Illustrissimus D. Fr. Dominus Cano Episcopus Gaditanus de hac re à me consultus. Quod si huiusmodi Galli ex priuilegio Regio in Hispania sunt connaturalizati, vt de multis mihi constat, nescio qua ratione, quia Galli, possunt bonis propriis spoliari, 443. quod si spoliati sint Rex tenetur in conscientia, bona quæ abstulit restituere, & ipsi possunt vti recompensatione occulta, si non restituantur.

Huius resolutionis ratio est euidens, quia ideo innocentes vt notauit Molina *de iust. & iur. tr. 2. disp. 122.* Valentia *disp. 13. q. 26. punct. 3. §. 4.* Co- 444. ninch *de actib. superiorib. disp. 31. dub. 7. n. 112.* possunt directè spoliari bonis externis, & mitti in seruitutem, quia sunt partes Reipublicæ inferentis damnum à qua non potest accipi sufficiens satisfactio: atqui Galli de quibus hic fit mentio, non sunt partes, nec iure pertinent ad Respublicas damnum inferentes: ergo isti spoliari non possunt, nisi alias sint suspecti de crimine proditionis.

Et de repræsaliis contra hos intelligo ego Authent. *Vt non fiant pignorationes collect. 5. & c. etsi* 445. *pignorationes de iniuriis in 6.* vbi dicit Bonifacius VIII. *huiusmodi repræsalias æquitati naturali esse contrarias*, at non sunt contrariæ quando innocentes sunt partes Reipublicæ damnum inferentis: ergo omni æquitati naturali repugnat quod qui non est alicuius totius politici, pro illo luat pœnas, quia cum ad illud non pertineat non censetur facere, etiam fictione iuris, quod totum illud facit. Hoc etiam modo intelligo sapientissimum Magistrum meum Fr. Petrum à Lorca 2. 2. *sect. 3. disp. 52. in dubio appendice* dum absolutè negat repræsalias esse licitas, intellige de repræsaliis quæ contra puerum innocentem conceduntur, quales sunt Galli de quibus hic loquimur.

Ex quo fit quod Rex nullo modo potest præscribere bona habita per repræsalias, vt hic dicimus, quia semper est possessor malæ fidei canonicæ, sicut est qui furatur bona aliena: at vero mi- 446. les, aut Minister cum non teneatur examinare harum repræsalium iustam causam, sicut nec belli, potest præscribere, quia non habet malam fidem canonicam, & idem est de Rege si à Ministris Catholicis illi dicatur quod id sit licitum.

Resolvtio XXXVII.

An compensatio valida sit in foro conscientiæ, si adsint alij creditores anteriores. Et an res compensata possit præscribi.

SVMMARIVM.

447 *Compensatio an valida sit in foro conscientiæ, si adsint alij creditores anteriores? Res compensata an possit præscribi? ibid.*

Sententia affirmatiua quos habeat auctores? ibid. & num.448.
449 *Eius fundamentum.*
450 *Reprehenditur Diana, & cur?*
451 *Sententia Auctoris traditur, & auctoritatibus exornatur & n. ſeqq.*
454 *Quædam notanda, & ſupponenda pro maiori intelligentia huius ſententiæ afferuntur, vſque ad n.463.*
464 *Leges quæ determinant ordinem reſtituendi ſeruandæ ſunt in foro animæ.*

447. ANtoninus Diana *p.3. tract.5. miſcell. reſol. 10. & in Addition. reſol.8. & p.5. tract. 13. qui eſt primus Miſcel. reſ.79.* affirmatiue reſpondet, etiam ſi compenſatio fiat in re quæ titulo depoſiti habetur, dicens ſuam reſolutionem multis viris doctis placuiſſe, quia caſus quotidianus eſt, & qui torquebat multorum ingenia. Refert pro ſua ſententia Diana Ioann.de la Cruz *1.p.Direct. q.7.art.8.dubio 2.conc.3.* Molin.*de iuſt. tract.2.diſp. 336.num.42.* dicentes quod quando debitor ſoluit poſteriori creditori, iſte non tenetur reſtituere, etiam ſi ſolutio facta ſit contra ordinem reſtitutionis.

448. Et quidem quod compenſatio valida ſit in foro conſcientiæ tenent Raynaudus *de Monitor. p.1.cap.2.q.6.* Marchantius *in Reſolut. Paſtor.ad Decalog.cap.7.q.9.* Comitolus *in Reſponſion. moral.lib.3.q.39.* Homobonus *in examin. p.2.tract. 10.q.6.conc.7.* Fernandez *in exam.Theolog.moral. p.4 cap.5. §.13. num.4.* Tannerus *2.2. diſp.5.q.6. dub.14 n.141.*

449. Fundamentum eſt, Quia non tenetur quis ita rebus alienis prouidere, quod propriarum faciat iacturam ſinens è manibus elabi quod ſibi applicare poteſt. Dictis etiam conſentit Lumblinus *in ſum.verb.Pecunia num.17.*

450. Cæterum Diana rem grauiſſimam, ſuperficialiter, & abſque examine tractat, cum deberet plura diſtinguere, & non ita nude affirmare poſſe vti compenſatione, ettam ſi ſint alij creditores, & iure, & tempore antiquiores. Quod ita abſolute prolatum mihi omnino falſum eſt, quare vt id quod verius eſt proponatur aliqua ſupponenda ſunt in quibus ſanior Doctorum pars conuenit.

Prius tamen proponam meam ſententiam quam enuclatiſſime poſt longam, & exquiſitam
451. vtriuſque iuris diligentiam his verbis propoſuit Azor *tom.3.lib.4.cap.39.* vbi ſic loquitur: *Ex dictis in hoc cap. & præcedenti ſequitur ordinem in reſtitutione ſeruandum eſſe ſequentem. Primò, quandiu res aliena extat in ſubſtantia eſt primo loco ſuo Domino reſtituenda. Secundò, omnes hypothecarij creditores præferri debent creditoribus Chirographarijs, ſiue priuilegiatis, etiam legatariis. Tertiò, inter hypothecarios qui habent hypothecam expreſſam, id eſt, ex conuentione factam, ſiue generalem, ſiue ſpecialem, ſi tempore ſint priores*
452. *præcedunt omnes hypothecarios habentes tantum hypothecam tacitam poſteriorem tempore. Quartò, inter hypothecarios habentes expreſſam hypothecam præcedunt qui ſunt tempore antiquiores. Quintò, inter hypothecas tacitas præcedit ea, quæ eſt tempore antiquior, niſi poſterior ſimul habeat priuilegium prærogatiuæ ex l.qualis eſt dotalis hypotheca. Sextò, poſt hypothecarios incidunt chirographarij Creditores, ſed inter eos præcedunt qui priuilegium habent ex lege: inter habentes vero priuilegia temporis antiquitas non tribuit prærogatiuam, ſed omnes ſuccedunt æqualiter.* Huc vſque vir Sapientiſſimus.

In quibus veriſſimam ſententiam ſequitur, quam amplectuntur doctores tam Theologi, quam iuriſprudentes Medina *C.de Reſtitut.q.2.§.* 453. *quartum dictum.* Vaſquez *opuſcul de Reſtitut.cap. 9.dub.2.num.48.* Torres *2.2.tom.2.diſp.19 dub.4. num.4.* Nauarr. *in ſumm.cap.17.num.51.* Nauarra *lib 4.cap.vlt.dub.5.* Bonacina *diſp.1. de Reſtitut. in genere qu.8. punct.2.num.15.* Valentia *tom. 3. diſp.5.q.6.punct.10.* Bañez *2.2.q.62. art.8.dub.3.* vbi Arragonius, & Salonius, Filliucius *tract.32. cap.4.* Clauis Reg. *lib.2.cap.15.num.23.* Rebellius *de obligation.q.19.num.5.* Reginaldus *lib.10.num. 240.* Molina *tract.2. diſp.536. num.17.* Silueſter *verbo Reſtitutio.6.* & omnes antiqui Summiſtæ *eodem.* Tabiena, Armilla, Angelus, ſequitur etiam Ægidius Trullench *lib.7.in Decalog. cap.14. dub. 12.* Villalob.*tom.2.tract.11.diffic.24.* Layman *lib. 3.ſect.5.tract.2.cap.9.* Ioannes de la Cruz *vbi ſupr.* male citatus à Diana pro ſe, Ledeſma *in ſumm. cap.17.de iuſtitia.*

Vt tamen hæc ſententia quæ veriſſima eſt ita vt ab ea tuto recedi non poſſit, intelligatur, notandum eſt id quod præfati Doctores aduerterunt 454. præcipue Leſſius *infrà* citandus, qui egregie de hac re tractat. Quibus addo Paulum de Maqueda Caſtellano *in comm. ad l. Priuileg.16. D. de Priuileg. Creditorum.* Creditores alios eſſe reales, qui hypothecarij dicuntur, qui habent actionem in rem, vel ad rem debitoris, quia illis eſt hypotheca ta ſpeciali, vel generali hypotheca inducta, vel ex pacto inito, vel *ex lege D.& C.de his qui potiores, aut pignorata.* inter hos autem creditores hypothecarios alij aliis præferuntur, vt conſtat *ex l.interdum & l.Lucius D.qui potiores, & l.idemque eodem & l.Si tutor. C.de ſeruo pignor. & l.licet C.qui potiores.* Alij ſunt Creditores perſonales, & iſti aut ſunt priuilegiati. *De quibus in l.* 455. *priuileg.16. D.de priuilegiis Creditorum*, quales ſunt qui in ſepeliendum aliquem ſumptus fecerũt animo recuperandi illos, hic enim ita priuilegiatus eſt, vt ad recuperandum moderatos ſumptus (de quibus Tellus, Fernandez *ad l.30. Tauri)* omnibus etiam hypothecariis præferatur, & poſt ſequitur qui habet depoſitum apud nummularios publicos qui dicuntur *Depoſitarij Generales*, quorum officium eſt publicum, cuius officij publica fides maximi ponderis eſt, cui nititur is qui depoſitat rem ſuam, aut pecuniam *l.quod priuilegium* 8. *D.depoſiti leg.9. tit.3.leg.11. tit.14.part.5.* 456. & alij tandem ſunt creditores qui non ſunt priuilegiati nec hypothecarij, & appellantur Chirographarij qui nuda tantum perſonali obligatione nituntur *l.ſi ventri 8.§. in bonis D. de Priuilegiis Creditorum l.12. tit.14. part.5.* de quibus *Molina tract.2. de iuſt.diſp.536.* Matienzo *ad l.7.tit.18.lib.5. compilat.gloſſ.5.num.15.*

Eſt tamen diſcrimen notandum inter hæc duo 457. genera creditorum perſonalium, quod quando creditores priuilegiati veniunt ad bona communia creditoris, eorum debita conſiderantur ex cauſa, quæ quò potior eſt, eò præfertur debitum omnibus aliis, quæ non ita potiorem habent cauſam, quod ſi æqualem habeant cauſam, conſideratur prioritas temporis, *vt qui prior eſt tempore potior ſit iure l.Priuilegia.citat.* Et creditores mere Chirographarij, neque ex tempore, nec ex cauſa eorum debita æſtimantur per ſe, ſed omnes potius vnum gradum conficiunt, & ſi bona non ſuf-

ficiunt

ficiunt pro rata ſimul admittuntur *l. Priuilegia addu&ta & l.* 11. *tit.* 14. *par.* 5. & videndus eſt Matienzo *citatus.*

458. Secundo ſupponendum eſt has leges ciuiles circa prælationē creditorū latas quatenus eum modū,& ordinem reſtituendi concernant,ſanciendo varias diſpoſitiones quibus lites euitētur,& ſuum vnicuique reddatur, non ſolum obligare in foro externo, ſed etiam in foro animæ; Ita euidenter colligitur ex omnibus authoribus citatis, quia dum agunt de foro animæ dicunt Creditores hypothecarios præferendos eſſe aliis qui non ſunt hypothecarij,nec priuilegiati,& expreſſe ſentiunt obligare in conſcientia. Azor *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 36. Caietan. *in ſumm. verbo Reſtitutio cap.* 8. vbi ſic grauiter loquitur. *Seruanda videntur ſtatuta mu-*

459. *nicipalia, ſi extant,circa reſtituendi ordinem: ſi vero nullum extat ſtatum, ius ciuile ſeruandum videtur, vbi diuerſitas opinionum occurrit, tutior pars eligatur,ſi vera neſcitur: eſto ergo cautus in huiuſmodi iudicio interrogando, ſi ibi extant ſtatuta aliqua.* Silueſter *verbo Reſtitutio.* 6. *q.* 7. in qua poſtquam conſtituit ordinem creditorum ſecundum ius ciuile, quæritur vtrum liberetur in conſcientia qui ſimpliciter ſoluit ſupradicto ordine non ſeruato, & dicit: *quod non niſi credidiſſet ſore ſoluendo omnibus, vel niſi ignoraſſet vnum cre-*

460. *ditorem eſſe potiorem alio, & concordant Hoſtienſis,& Menochius, quod limita niſi laboraſſet ignorantia non excuſante, cui conſonat Iacobus Vngarellus in Addition. ad Angelum reſtitutio ſecundo num.* 16. *ad* 49. Medina *de rebus reſtituendis. q* 2. *dub.* 5. Armilla *in ſumm. verbo Reſtitutio. num.* 34. Salonius 2. 2 *q.* 62. *art. vlt. pag.* 968. vbi ſic: *Poſſunt leges humanæ ſtatuere ordinem ſeruandum in ſoluendis debitis propter bonum commune, etiam ſi decernant debita minus antiqua prius ſolui, vt de*

461. *dote mulieris, maius nanque eſt transferre dominium ab vno in alium, quam conſtituere ordinem in ſoluendis debitis. Vnde cum poſſint leges humanæ prius illud ob bonum commune, poterunt & poſterius, eruntque ſeruandæ in vtroque foro.* Hæc ille. Cui accedit Arragon. ibi *concl. vlt. pag.* 300. *Ordinationes Regionum,niſi cum ratione naturali aperte pugnent obſeruari debent in conſcientia, vt omnes Doctores fatentur, quantum ad ordinem reſtituendi.*

Sequitur Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 4. *num.* 36. vbi poſtquam varias prælationes Creditorum

462. omnium quos ſupra enumerauimus, quas illis tribuit ius Cæſareum, ita loquitur: *Quæ hactenus dicta iuri communi cæſareo ſeruanda ſunt, vbi & quatenus illud eſt receptum. Quod ſi in aliquibus locis hac de re hæ aliquæ leges,vel conſuetudines rationi conſentaneæ, eæſunt ſeruandæ, & quidem in foro conſcientiæ, vt docent communiter Doctores. Vnde fallitur Gabriel in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *dub. vlt. vbi dicit quod Canoniſtæ diſceptant quinam iure potiores ſint in reſtitutione, potius ad iudicij,quam ad conſcientiæ forum ſpectare: nam hæ leges non nituntur præſumptione, ſed æquitate naturali,ex qua propter bonum commune ſtatuunt hunc ordinem, quod non minus potuerunt facere, quam transferre dominia vſucapione. Omnis autem lex humana rectæ rationi conſentanea,quæ non nititur falſæ præſumptioni ſeruanda eſt in conſcientia foro.* Hactenus ille.

463. Ita Emmanuel Rodriquez *tom.* 2. *ſumm. cap.* 46. *conc.* 12. & 13. Villalobos *tom.* 1. *tract* 9. *cap.* 24. *num.* 2. & ſic fere loquuntur omnes antiqui Theologi, & Iuriſprudentes. Quare miror intrepidum animum Dianæ qui propter vnum, vel alterum Authorem qui vel antiquatus eſt, vel non eſt nimis claſſicus,velit abſolutè introducere præfatum ordinem reſtituendi à legibus ciuilibus ſtatutum non obligare in conſcientia, cum ſit indubitatum principium quod ipſe Diana defendit etiam,quod lex quæ nec eſt pœnalis, nec mixta,ſed pure diſpoſitiua, & declaratiua æquitatis naturalis obligat in conſcientia. Quod principium ita verum, & indubitatum eſt, vt de illo nullatenus dubitari poſſit. Legantur Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 21. Sotus *de iuſtitia lib.* 1. *q.* 6. *art.* 4. Sanchez *lib.* 3 *ſum. cap.* 19. *à num.* 34. Valentia 1. 2. *diſp.* 7. *q.* 5 *punct.* 6. Bonacina *de legib. q.* 1. *punct.* 7. §. 1. Lorca *diſp.* 21. Caſtro de *lege pœnali lib.* 1. *cap.* 4. & 5. Vaſquez *diſput.* 158. & Bellarminus *lib.* 3. *de laicis cap.* 11. *tom.* 2.

Ex quo principio ſic concludo, Poteſtas ciuilis vim habet, & efficaciam obligandi conſcientiam ſuis legibus, & præceptis, & non ſolum quantum ad forum externum: ergo leges quæ determinant ordinem reſtituendi ſeruandæ ſunt in foro animæ. Conſequentia probatur,quia licet ſit opinionum probabilium varietas an lex fundata in præſumptione, vel pure pœnalis,vel mixta obliget in conſcientia,aliis negantibus,& aſſerentibus aliis, tamen iam hodie nullus Catholicorum dubitat quod lex diſpoſitiua, & præceptiua declaratiua naturalis iuris obliget in foro animæ. Si quæ vero in iure ciuili,aut municipali eſt lex,huiuſmodi eſt,quæ præſcribit ordinem reſtituendi, in quo præter bonum commune,vnus creditor alteri præfertur: obligat ergo in conſcientia. 464.

Resolvtio XXXVIII.

Quod creditor perſonalis non poteſt hypothecario præferri.

SVMMARIVM.

465 *Creditor perſonalis non poteſt hypothecario præferri.*

466 *Afferitur ratio.*

EX hac ſuppoſitione colligitur, primò. Quod ſi quis ſit creditor perſonalis, & habeat rem hypothecatam creditori hypothecario, cui non præfertur perſonalis, niſi expenſis funeris,vt docet Caſtellano *vbi ſupr. num.* 18. & ſtatuitur *in l.* 30. *tit.* 13. *part.* 5. nec poteſt facere compenſationem pro debito ſuo perſonali, ſed tenetur in conſcientia reſtituere, & ligatur excommunicatione, & anathemate,ſi publicetur. Ita omnes quos ſupra enumeraui, quibus adiunge Molinam, & Cruz,quos pro ſe adducit Diana,loquuntur enim in alio caſu longe diuerſo, de quo infrà; in quo etiam vdentur locuti Lumblinus, Fernandez, & etiam Marchantius, qui non ex propria loquitur ſententia, ſed conformiter opinioni Gabrielis, Raynaudus etiam loquitur,ſicut Lumblinus. 465.

Ratio huius eſt euidens, quia creditor hypothecarius habet ius iuſtitiæ ſtrictè in hypotheca,& pignore, vel ex pacto inito, vel à lege: ergo niſi alius ex legis reſcripto præferatur nullus alius præferri poteſt vſurpando ius alterius,nec debitor habuit poteſtatem transferendi hypothecam, niſi cum hoc onere, & ſic creditor perſonalis 466.

sonalis non potest facere in illa compensationem.

Resolvtio XXXIX.

Creditor priuilegiatus aliis antefertur, quando, & quomodo.

SVMMARIVM.

467 *Creditor priuilegiatus quando & quomodo aliis anteferatur? & n. seqq.*

472 *An dos præferenda sit omni creditori hypothecario anteriori hypotheca explicata?*

467. COlligitur secundò, Creditores priuilegiatos, & ex dispositione legum, siue ciuilium Imperatorum, siue cuiuscumque Regni, aut ciuitatis, prælationem habentes esse anteponendos aliis creditoribus puris qui dicuntur Chirographarij. Quare si aliquis creditor Chirographarius habeat rem debitoris non potest illam sibi assumere in compensationem debiti, sed tenetur in conscientia restituere creditori priuilegiato. Ita Naldus *in summ. verbo Restitutio num.* 9. Nauarrus *in summ. cap.* 1 7. *num.* 53. *vers.* 2. *quod ego.* Villalobos *vbi supr. num.* 15. & colligitur manifeste ex dictis, quia priuilegium legis tribuit ius ad rem creditoris quod ius est in materia iustitiæ, quamuis alterius creditoris non priuilegiati: ergo iste non potest in conscientia hoc ius à priuilegiato auferre.

468. Vnde fit quo modo deponens aliquid apud publicum nummularium sit creditor priuilegiatus. Et relicta sententia Pauli de Maqueda, *vbi supr. num.* 28. verior, & clarior solutio est, quam tradit. Azor *vbi supr. cap.* 38. *q.* 5. quod depositum est duplex, vnum quod transit in dominium depositarij, quale est pecunia, quæ non obsignata, aut inclusa in aliqua capsa datur, sed numerata, & hoc dispositum est post hypothecas, & omnia priuilegia, & sic creditor non est priuilegiatus *l. si ventri* §. *in bonis D. de priuileg Creditorum.* Aliud est depositum quod non transiit in dominium depositarij quale est rerum quæ non consistunt in pondere, & mensura, vt gemma, torques aureus, adamas, & pecunia si obsignata detur, & hoc depositum habet ius prælationis ex priuilegio. *l. si hominem* §. *quoties l. finali. C. depositi*, vbi Barthol. Baldus, Socinus, & alij, & huiusmodi depositi proprio significatu, & acceptione repellitur antimonia harum legum.

469. Huiusmodi priuilegio prælationis gaudet sponsa de futuro, quæ tradit dotem, & post renuntiatum est sponsalibus, & non contracto Matrimonio de præsenti, huiusmodi enim debitum præfertur omnibus creditoribus non priuilegiatis, etiam si anteriores sint temporis *l. si sponsa* 77. *D. de iure dotium l.* 2. §. *si sponsa D. de priuilegiis Creditorum*, non tamen præfertur creditoribus hypothecariis, vt multis citatis docet Vanderanus *de priuileg. creditorum cap.* 4. Tiraquellus *post l. connubij Glossa* 2. *num.* 18. quos sequitur Castellano, *vbi supr. num.* 30. cui addo Azor *vbi supr. cap.* 38. *vers.* 2.

470. Sed an idem iuris sit si contracto matrimonio de præsenti dumtaxat rato, & dissoluto, quia alter ad Religionem euolauit, & ibi professionem solemnem emisit existimo istum creditorem præferri omni hypothecario. Ratio est quia pro dote, bona mariti sunt hypothecata tacite, vt est certum in iure: ergo quandocumque fuerit contractus dotalis dos habeat suum priuilegium: at celebrato matrimonio de præsenti iam perfectus est contractus dotalis, ad quem per accidens se habet quod Matrimonium consummetur. Vnde si ante consummationem sponsa moriatur, bona mariti hypothecata manent pro dote: ergo etiam manebunt si sponsus, aut sponsa ciuiliter moriatur per professionem in religione, quia quantum ad hoc idem operatur mors ciuilis, & naturalis. Pro dote autem esse hypothecata bona mariti, 471. quæ hypotheca tacita omnes tacitas antecedit, etiam anteriores constat *ex l. assiduis C. qui potiores & l.* 33. *tit.* 13. *p.* 5. hanc autem prælationem inter hypothecarios non habent bona paraphernalia vxoris, vt ex Couarruuias docet Villalobos *vbi supr. num.* 13.

An vero dos præferenda sit omni Creditori 472. hypothecario anteriori hypotheca explicata perplexa quæstio est inter iurisprudentes, de qua late Castellano *num.* 51. Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.* 7. *num.* 1. Gregor. Lopez *l.* 33. *cit. Glossa* 4. Antonius Gomez *l.* 50. *num.* 39. *Tauri* Ceuallos *in Pract. q.* 371. & sic expresse statuitur *in præfata l.* Quod etiam si mulier pro dote accipiat expressam hypothecam, non antefertur expressis prioribus, sed posterioribus. Et hæc sententia sequenda est quamuis Aretinus, & alij *lib.* 1. *num.* 7. *D. solut. Matrim.* contrarium sentiant. Quod priuilegium dotis, à tempore quo dos fuit marito promissa ante traditionem; si tamen contractum est Matrimonium de præsenti. Ita Castellano *num.* 71.

Resolvtio XL.

Constituuntur quatuor regulæ pro creditoribus priuilegiatis.

SVMMARIVM.

173 *Prima regula pro creditoribus priuilegiatis, adducitur, & ratione declaratur. numer.* 474.

475 *Secunda regula.*

476 *Tertia regula.*

477 *Quarta regula traditur, & ratione firmatur num.* 478.

479 *Amplius explicatur, & n.* 480.

PLacuit tamen quatuor regulas quas iste Doctor assignat pro creditoribus priuilegiatis hic proponere. Quæ maxime deseruient nostro instituto. Et quia relectio ista non omnibus est obuia, fere ad verbum eas traducere decreui, quum quantum ad præsens attinet fere pari passu currant forum poli, & forum fori.

Prima regula. Quando sunt Plures Creditores 473. personales priuilegiarij eiusdem tituli, & ordinis hoc est, qui titulo depositi, vel funerariæ, non ex tempore eorum priuilegia æstimantur, nec qui prior est, in deponendo, aut faciendo sumptus funerarios posteriori præfertur, sed simul omnibus 474. pro rata satisfaciendum est. Colligitur *ex l si hominem* 7. §. *finali D. depositi l.* 11. *vers. Mas si todo tit.* 14. *p.* 5. Ratio est quia priuilegiati vnius ordinis, & tituli pari priuilegio vtuntur, & sic nullus priuilegio suo gaudet *l. verum.* 12. §. *finali D. de Minor. l. sed & milites* 10. *vers. coæqualitas*

D. de

D.de excuſat.tutor. & eſt communis,vt videre eſt in Gregorio Lopez *ad l.*11.*citatam.*

475. Secunda Regula. Quando creditores priuilegiati ſunt diuerſi tituli, & ordinis,qui potentiori priuilegio nituntur reliquis præferuntur, cum priuilegia ſi non ex tempore, ex cauſa tamen æſtimentur, *l.Priuilegia D.de priuileg.Creditorum. l.ex facto* 53.*verſ.ſi dos D.de peculio.* Illud autem priuilegium potentius erit cuius ratio bono communi, & vtilitati publicæ magis accedit, & maioribus ex cauſis conceſſum eſt. Vnde cum maius bonum publicum reſplendeat in ſepeliendis mortuis, quam in conſeruandis viuis, teſte Baldo *l. finali num.*7. *D. de negotiis geſtis* funeraria præferenda eſt depoſito, niſi depoſitum perſiſtat in eadem ſpecie,vt notat Villalobos;niſi funerandus ſit in extrema neceſſitate, quæ inter fideles non contingit, cum poſſit eleemoſyna peti, aut conuocari aliqua confraternitas.

476. Tertia regula. Si creditores priuilegiati diuerſi tituli ſint, & non conſtet quis habeat potentius priuilegium, vt ſi Reſpublica, & pupillus aduerſus eum qui verus tutor non fuit, ſed ſe geſſit pro vero tutore vt ponitur caſus *in l. dabimus* 4. §. 1. *D. de priuilegiis creditor.* nullus eorum alteri eſt præferendus, ſed ac ſi eſſent eiuſdem tituli pro rata eſt ſatisfaciendum. Ita Mena *lib.* 1. *variar. q.*6. *art.*3. *num.*38. Matienzo *in l.*7. *tit.*16. *lib.*5. *gloſſa* 5. *num.*13.

477. Ex quibus deducunt quartam regulam. Si alter ex prædictis creditoribus diligentior ſit iudicialiter, aut extraiudicialiter in conſequenda executiua ſolutione,tum aliis præfertur,& diligentia ſua priuilegiatus exiſtit ante alios. Ita Matienzo *num.*14. Caſtellano *num.* 38. Nauarrus *in ſumm. cap.* 17. *num.* 53. Syluester *verbo reſtitutio* 6. *q.*8. Molina *tract* 2. *diſp.*536. *num.* 42. Villalobos *vbi ſuprà num.* 18. Leſſius *loco citato dub.*5. *num.* 39. Clauis Regia *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 37. &

478. plures alij apud Bonacinam *vbi ſup.n.*20.Et ratio eſt quia in ſpecie tertiæ, & primæ regulæ vnus creditor reſpectu alterius non gaudet priuilegio. Quare ſua diligentia magis priuilegiatum facit, vt conſtat *ex l. pupillus D. quæ in fraudem creditor. & l. qui autem* §. *apud Labeonem D. eodem* quia vt dicunt ibi, *alij creditores ſuæ negligentiæ expenſum ferre debent.*

479. Quæ lex etiam habet verum in foro conſcientiæ cum iuſta ſit, & conueniens vtilitati publicæ, vt ait Molina, qui addit hoc etiam verum tenere, etiam ſi creditor cui ſoluitur priuilegiatus non ſit; alii vero quos ſua diligentia præuenit priuilegium habeant. Quia *l.vltim. C. de iure liberandi*, & Gloſſa *ibi*, *verbo repellantur*, aduertit cui ex parte conſentit Villalobos,ſolum loquitur de creditoribus hypothecariis, non vero de priuilegiatis perſonalibus. Et ratio eſt quia diligentia melius priuilegium concedit. Sed contrarium eſt verius. Tenent alij citati, quibus adiungo Vaſquez *de reſtitutio.cap.*11. *dub.*5. *n.*108.

480. Et ratio eſt quia vt colligitur ex *l. ſi pupillus citata*, hoc priuilegium datum diligentiori, eſt, vt negligens penſum ſuæ negligentiæ ſoluat, & ſic eſt pœnalis lex. Quare niſi repetatur in iudicio, & ſententia de executione feratur,non cenſetur ablatum priuilegium à creditore priuilegiato, & ſic accipiens ſolutionem debiti, vel à debitore, vel ab hærede, vel ſibi accipiat in recompenſationem contra priuilegiatum non eſt tutus in conſcientia,

RESOLVTIO XLI.

Quod inter creditores perſonales puros non eſt prælatio.

SVMMARIVM.

481 *Nulla eſt prælatio inter creditores puros, & num. ſeqq.*

COlligitur tertiò, quod inter creditores perſonales puros per ſe, & ex iuris diſpoſitione nulla eſt prælatio inſolutione, ſed omnes æqualiter conueniunt ad bona debitoris pro rata diuidenda, nec qui *prior eſt tempore potior eſt iure.* Ita ferè omnes Authores citati in ſuperioribus, & expreſsè determinatum *in l. priuilegia & leg.*11. *tit.*14. *p.*5. ibi *Si de los bienes del deudor no ſe pudieſſen pagar las deudas deuen los partir, ſegun la quantitad que deue hauer.* Vnde fit primo quod debitor qui huiuſmodi creditoribus ſoluit integrum debitum,peccat mortaliter contra iuſtitiam ſi aliis creditoribus integrè non poteſt ſoluere, creditor tamen tutus eſt in conſcientia. Ita Aragon *vbi ſupr. pag.*300. Emmanuel Rodriguez *vbi ſupr. conſ. vltim.* Bonacina *num.*27.Molina *n.*42. Leſſius *dub.*5. *num.*41. & eſt communis. 481. 482.

Ratio eſt quia creditor non accipit ſolutionem debiti in fraudem creditorum, ſed ſolum accipit id quod ſibi debetur, debitor autem id quod facit attendat,nam creditor ſolum tenetur aduertere quod ſibi conuenit. Idem habetur *in leg. quod autem* §.6. *&* 7. *D. quæ in fraudem creditor.* 483.

Debitor etiam non peccat mortaliter duobus caſibus; primo ſi ſoluat pauperi, omiſſo diuite. Ita Molina *C. de reſtitut. q.* 1. *dub.* 5. Salon. *vbi ſup. fol.*969. Syluester *verbo reſtitutio* 6. *n. vltim.* & eſt expreſſa S.Thom. *opuſc.* 73.*cap.* 18. quam probabilem putant Leſſius *vbi ſupr. dub.*7. *n.*47. Rodrig. *conc.*7. Villalob. *num.* 19. & dicit tutam in praxi. Sequuntur abſolutè Valentia *vbi ſuprà verſ.*8.Aragon *conc.*5. Rebellus *de obligat. iuſtitiæ q.*19. Clauis Reg. *num.*36. 484.

Ratio eſt, quia pauperi maius damnum infertur, ratione cuius aliis præfertur. Et ſic interpretatur lex quæ omnes chirographarios æquales facit: nomine autem pauperis intelligo etiam Religioſos qui voto paupertatis ſunt adſtricti, ſicut ſi quis legatum relinquat, quod pauperibus eſt reſtituendum, nomine pauperum Religioſi intelliguntur, vt aſſerit communis opinio: quod ſi pauper ſit in graui neceſſitate, debitor ſatisfaciet ſi illi reſtituat prius. Ita Torres *vbi ſupr. dub.*3. *num.*4. Et in ſpecie huius caſus licita eſt occulta recompenſatio, quam quis ſibi ſoluit, etiam in damnum creditorum, retinendo rem, vel pecuniam debitoris, niſi ſit hypothecata alteri, vel loco depoſiti, cuius non eſt tranſlatum dominium. 485. 486.

Secundò,non peccat mortaliter debitor ſoluendo alicui integrum, *quando antes que ſe alçaſſe, ò ſe determinaſſe alçar, ò eſtuuieſſe en eſtado que no podia ſer menos, ſe ha de dezir que pudo pagar a quien quiſieſſe, ne eſtando ſus bienes hypothecados; mas no deſpues de alçado, ò eſtando en eſtado, ò diſpoſicion de hazerlo, porque ya en eſſe caſo ſeria en agrauio de los demas.* Ita Villalobos *num.* 2. quæ tranſcripſit ex Rodriguez *conc.*7.quamuis contrarium doceant Molina *diſp.*536 *citata n.*30.Leſſius *vbi ſup. num.* 40. 487.

Resolvtio XLII.

Creditor chirographarius poteſt vti recompenſatione, ante alios eiuſdem Ordinis.

SVMMARIVM.

488 *Creditor chirographarius ſi comparetur ad alios eiuſdem ordinis, & tituli, & habeat rem debitoris, poteſt illam ſibi detinere in compenſationem ſui debiti, etiamſi alij damnum ſint accepturi, & num.* 489.

490 *Quid dicendum ſit de ſententia Dianæ quòd ſit licita compenſatio.*

488. COlligitur quartò, quod ſi creditor chirographarius comparetur ad alios eiuſdem Ordinis, & tituli, & habeat rem debitoris poteſt illam ſibi detinere in compenſationem ſui debiti, etiam ſi alij damnum ſint accepturi. In hoc caſu loquuntur Authores quos pro ſe citat Diana, quibus conſentio. Quare etiam ſi publicetur edictum anathemate confirmatum non tenetur quis prædium propalare. Ratio eſt, quia vt ferè omnes Doctores adducti dicunt, inter hos creditores non *qui prior eſt tempore potior eſt iure*, ſed omnes æquale ius habent ad repetendum debita: ergo ſi quis habet in quo ſibi ſatisfaciat, poteſt ſibi retinere, in qua ratione vtitur maiori diligentia, quæ ipſum priuilegiatum facit. Quare præfertur aliis non priuilegiatis, & ſatisfacit rem ſuam. Vnde determinatio legum quod omnes iſti creditores pro rata diuidãt bona debitoris intelligitur de bo-
489. nis debitoris quæ publicata ſunt, & nota; at res iſta eo ipſo quod cum non ſit alteri obligata, aut ad illã non habeat ius prælationis alius creditor, ſi iſte creditor ſibi retineat in debiti ſolutionem, iam nõ eſt debitoris, ſed in ipſius creditoris tranſit dominium ſicut ſi ab ipſo creditore eſſet conceſſa.

490. Colligitur quintò, quid dicendum ſit de ſententia Dianæ quod ſit licita recompenſatio, nam ſic abſolutè prolata eſt omnino improbabilis, opponitur enim ferè omnibus antiquis Doctoribus, & modernis, cum in re hypothecata implicita, vel explicita hypotheca omnes contrarium teneant. Et ſic ſi contra creditores hypothecarios non liceat vti compenſatione, contra priuilegiatos etiam non licet, & contrarium aſſerere minus probabile eſt, at contra chirographarios probabile eſt, vt vidimus.

Resolvtio XLIII.

Vtrùm ſi creditor vtens recompenſatione laboret ignorantia inuincibili iuris poſſit præſcribere.

SVMMARIVM.

491 *Creditor vtens recompenſatione ſi laboret ignorantia inuincibili iuris an poſſit præſcribere? & num.* 492.

491. COlligitur ſextò, quod ſi quis laboret ignorantia inuincibili iuris, in quo præferuntur creditores, & ſtatuitur ordo habendus in reſtitutione, tutus eſt in conſcientia, & poteſt præſcribere longa, vel longiſſima præſcriptione, quia ignorantia iſta facit ipſum poſſeſſorem bonæ fidei canonicæ, quæ vt in ſuperioribus eſt oſtenſum ſufficit ad vſucapiendum, & præſcribendum in foro animæ, quidquid ſit in foro externo. Quod ſi hoc ius difficile ſit, etiam tenet præſcriptio, in foro externo. Vnde optimè notauit Bonacin. *vbi ſup. num.* 27. §. *dixi* 2. quod ſi quis etiam titulo gratuito aliquid accipit à creditore, ignorans acceptionem eſſe in fraudem credito- 492.
rum, ſi à creditoribus intra annum à die ſcientiæ non repetatur præſcribit in conſcientia, & amplius non tenetur reſtituere. Sic habetur *l. ignoti C. de reuocandis quæ in fraudem creditor l.* 1. *D. eodem.* Et ratio eſt, quia iſte non iniuſtè accipit, & accipit rem à vero domino: ergo non eſt titulus quare reſtituat, niſi petatur intra annum, quia lex præſumit donationem factam in fraudem creditorum. Ita Leſſius *vbi ſup. n.* 20. *dub.* 19. *n.* 170. Molina *tract.* 2. *diſp.* 329. *num.* 7.

Resolvtio XLIV.

Vtrùm prius ſint ſoluenda debita, quam legata, etiam pia.

SVMMARIVM.

493 *Debita an priùs ſint ſoluenda, quam legata etiam pia?*

AFfirmat D. Thom. opuſc. citato c. 18. quem ferè omnes ſequuntur, ſic enim loquitur
S. D. *Conſuetudo fere in omnibus apud nos habet* 493.
quod prius ſoluantur debita, quæ clara ſunt, & poſtea fiant reſtitutiones, & vltimo legata ſoluantur. Et huius conſuetudinis poteſt eſſe ratio quod legata ſunt ſecundum quid debita, & non ſimpliciter, ratio enim legati duo importat, ſcilicet quod non eſt res donata ſimpliciter, niſi per mortem legatoris, vnde ſemper viuente legatore poteſt reuocare, & quod ſint legata propter vtilitatem legantis. Quare cum neceſſaria ad ſalutem præcedant ea, quæ ſunt deuotionis, & ſupererogationis, iuſtè ſoluuntur debita ante legata. Et infrà. *Quando reſtituenda ſunt clara, & aperta, & determinata per apertam confeſſionem reſtituentis, debet iure præcedere omnia debita; ſecus tamen quando debitum eſt clarum, & determinatum; non vero reſtituendum, quia ignoratur quantitas, perſona, tunc enim determinatum, & clarum præcedit iure indeterminatum, & obſcurum.*

Resolvtio XLV.

Vtrùm prius ſit reſtituendum quod maiori delicto ablatum eſt.

SVMMARIVM.

494 *Priùs an ſit reſtituendum, quod maiori delicto, & peccato ablatum, & n. ſeqq.*

497 *Regula iuris interpretatur,* Qui prior eſt tempore, potior eſt iure.

VAldè probabilem eſſe ſententiam D. Thom. attendendo ad ius naturale, aſſerentis prius eſſe reſtituendum quod ablatum eſt maiori delicto, & peccato quod ſecum affert maiorem iniu- 494.
riam aſſerit Medina *de reſtitut. q.* 2. *dub.* 5. Salon. *vbi ſupr. pag.* 968. *conc.* 2. vbi ſic loquitur: *Primo loco*

loco sum restituenda quæ per rapinam, secundò per furtum, tertiò quæ per vsuras, quartò quæ per contractus illicitos, quintò debita ex lege, aut promissionibus orta. Ita Ille.

495. Et ratio est. Quia si attendamus ad ius naturale, ablatum ex delicto, etsi sit æquale omnibus quantum ad rationem genericam, vt sic loquar, iniustitiæ, quia furtum, rapina, & vsura æqualem rationem iniustitiæ participant, & æqualiter faciunt inæquale, tamen non æqualiter, sed inæqualiter, quia maiori ininria afficit raptor eum à quo rapit, quam fur, & iste quam vsurarius, cum raptor maiorem faciat violentiam quam fur, & iste quam vsurarius, & raptor maiori iure intra species iustitiæ tenetur, quam fur, ergo maiori obligatione iustitiæ, & sic prius debet restituere ei à quo rapuit, quam ei à quo furatus est. Dixi attendendo ad ius naturale, quia si aliqua lex positiua æqualitatem ponit inter istos, seruanda est, vt notat Aragonius, *vbi sup. conc.6.*

496. Et eodem modo intelligendus est D. Thom. quando loco citato dicit quod inter creditores chirographarios antiquiori in tempore, est restituendum prius, quem sequuntur Gabriel, Medina, Salon, Toletus, & alij quos citat Lessius *vbi supr. dub. 6.* quorum sententia, ait, est satis rationi consentanea, quia quando prius debitum contrahitur debitor est magis soluendo, quam postea quando alia debita accrescuut, siue ex contractu, siue ex delicto. Vnde creditor melius negotium habet in recuperando debitum. Quare non est æquum quod creditor in peiori statu ponatur, ex eo quod debitor alia debita contrahat, sed melioramentum suum semper habebit, & sic illi prius restituendum, non enim par est quod creditor absque culpa detrimentum patiatur.

497. Sed contrarium *ex l. ciuili, & nostri Regniverius est l. 1. D. de separationib. & l. 3. & 4. C. qui potiores in pignore & l. Regia 11. tit. 14. part. 5.* & est communis. Quare regula, *qui prior est tempore potior est iure*, interpretatur à Doctoribus, quod locum teneat in creditoribus hypothecariis.

Resolvtio LXVI.

Vtrùm qui bona fide canonica pecunias furtiuas accepit teneatur restituere domino comparente, & exigente, & an possit illas præscribere.

SVMMARIVM.

498 *Qui bona fide canonica pecunias furtiuas accepit, an teneatur restituere Domino comparente, & exigente, & an possit illas præscribere? & n. seqq.*

498. EXempli gratia. Fur abstulit à Petro centum aureos, quibus à Ioanne emit equum, & latrone fugiente Petrus à Ioanne exigit centum aureos, an Ioannes teneatur eos restituere. Negatiuè respondet Diana *4. p. tract. 4. resol. 67.* citat Sanchez *tom. 1. summ. lib. 2. cap. 23. num. 25.* Sed hic Author in alterius casus specie loquitur, quando quis rem furtiuam quam emit à latrone alteri etiam bona fide vendidit. Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 3. num. 23.* & loquitur dummodo pretium non possit discerni. Quo sensu loquitur Vasquez *de restitut. cap. 9. §. 2. dub. vlt. n. 27.* Nauarra *de restitut. lib. 4. cap. 1. num. 7.* & prius *lib. 3. cap. 4. num. 116.*

Probatur, quia Ioannes non tenetur restituere ratione iniustæ acceptionis, quia bona fide egit, nec ratione rei acceptæ, quia alienos nummos non possidet, quia eo ipso quod vel consumpsit, vel cum suis miscuit alieni non sunt, cum dominium pretij transeat ad venditorem *l. si ea pecunia C. de rei vindicatione & l. 1. C. si quis alteri vel sibi & l. 49. tit. 5. p. 5.* & quod magis est fur qui rem furtiuam vendit illius pretij acquirit dominium, vt expressè definitur *in l. qui vas 49. §. vltimo D. de furtis*, & quamuis fur venditor non transferat rei furtiuæ venditæ dominium, at pretij dominium in venditorem transfertur *l. ex empto D. de actionibus empti & l. 1. §. 1. D. de actionibus empti. & l. 1. §. 1. D. de rerum permutatione*; nec tenetur restituere quia factus non est ditior cum pretio iusto equum vendiderit latroni. 499

At mihi contrarium est omnino dicendum, existimo quod si dominus centum aureos non exigat non tenetur reddere Ioannes ob fundamentum adductum, nam pretij accipit dominium, & bona fide pro illo reddidit rem suam, at si dominus exigat, tenetur restituere, etsi non restituat potest dominus vti occulta compensatione. Ratio est euidens, quia centum isti aurei, si apud venditorem extiterint impermixti, si peterentur à domino erant necessario restituendi, vt fatentur Authores ferè omnes contrariæ sententiæ: ergo etiam si permixti sint: consequentia patet, quia licet ex permixtione venditor equi dominium acquisierit, tamen semper domino manet actio vindicatoria *l. Marcellus §. Pomponius D. de rei vindicatione & §. si duorum instit. de rerum diuis.* Quare si exigat restituendi sunt aurei, si enim mihi certo constat rem meam permixtam esse rei alterius, cur non possum mihi vindicare quantum de meo est inpermixto illo? Quod enim alter habeat illius rei dominium non obstat, quia pecunia data vsurario pro vsura illicita, si misceatur cum pecunia vsurarij, iste acquirit illius dominium, vt docet communis sententia, *ex l. si aliena 78. D. de solutionibus & l. qui vas 49. citata.* pretij rei furtiuæ dominium transfertur in furem vendentem, tamen dominus habet ius contra vsurarium, & furem, & vterque tenetur summam illam restituere, etsi non restituat, potest vti dominus occulta recompensatione, ac per consequens ei debet satisfieri ex iustitia: ergo in specie nostri casus venditor equi tenebitur reddere aureos nummos illi à quo fuerant ablati si exigantur tanquam id quod ad se non pertinet. 500. 501.

Secundò, quia si quis à ratione bona fide rem furtiuam emit, quam alteri etiam bona fide vendit, si sciat rem fuisse furtiuam, & illius verus dominus compareat, tenetur venditor restituere pretium rei vero domino: ergo si vendat equum proprium latroni ementi pretio furtiuo tenetur vero domino comparente ei restituere pretium quod suum erat, & non latronis. Consequentia est manifesta. Quia vtroque casu venditor accipit dominium pretij. Antecedens autem docent Aragon *2. 2. quæst. 62. art. 6. dub. 1. conc. 3.* Salon. *controu. 2.* Bañez *dub. 2. conc. 3.* Ledesma *in summ. tom. 1. tract. 8. cap. 14. dub. 2. post 4. conclus.* Sayrus *in Claui lib. 10. tract. 2. num. 13.* Vasquez *1. 2. disp. 172. cap. 1. num. 4. §. Deinde.* vbi dicit omnes id docere. Et ratio est euidens quia emens rem 502.

503. furtiuam non accipit dominium illius, quod fur non potest illi conferre. *l. ex empto & l. 1. D. de rerum permutatione*, citatis, & sic dominium manet apud verum dominum: ergo si emptor à latrone rem vendat, & pretij dominium acquirat, hoc tamen semper manet obligatum vero domino, sicut erat res ipsa: etenim siue in iudiciis
504. vniuersalibus, in quibus vnius iuris petitione plures res petuntur, siue in iudiciis particularibus pretium rei succedit loco rei *l. si & rem, & pretium 25. D. petitione hæreditatis.* vtriusque enim iudicij par est ratio, quantum ad forum animæ; quia si iudiciis vniuersalibus, vt in petitione hæreditatis, dotis, depositi, etiam si pretium ad venditorem pertineat, & iste illius habeat dominium, nihilominus succedit pretium loco rei, & sicut ista debet restitui, ita & illud, etiam idem erit in iudicio particulari dum de re singulari agitur.

Tertiò, est mihi argumentum euidens, quia vt dicit Sanchez *num. 26.* iure optimo dicit Salon. *2.2. q. 62. art. 6. controu. 1.* ex omnium consensu esse certum, quod si quis emat rem alienam, & bona fide commutet pro alia, si non potest re-
105. scindere commutationem, tenetur si compareat verus dominus rem illam, quam loco commutationis habet, restituere vero domino rei pro illa commutata: ergo etiam tenetur restituere pretium equi quod furtiuum est.

Quamuis enim commutator rei commutatæ pro furtiua dominium non acquirat, & acquirat dominium pretij, hoc non obstat, quia etiam fur acquirit dominium pretij rei furtiuæ venditæ, & quia pretium substituitur loco rei, si rem non potest restituere, tenetur restituere pretium, quia
506. licet rei dominium acquirat, & obligatio realis, & specialis, quæ erat in nummis furtiuis, dum erant apud latronem ex communicatione cum pecunia venditoris amissa fuerit, si separari, & cognosci non possunt, vt expresè habetur *l. si alieni nummi 78. D. de solutionibus & l. si frumentum 5. §. 2. & 3. D. de rei vindicatione*, tamen ipse venditor manet obligatus personaliter ad nummos illos restituendos, si petantur à proprio domino, cui sicut competit actio furti contra furem, ita competit actio vindicatiua aduersus venditorem. Sic expresè dicitur *in l. si frumentum citata, ibi, Si plumbum cum argento mixtum sit, quia deduci possit, nec communicabitur,*
507. *neque communi agetur, quia separari potest, agetur tamen in rem actio, sed si deduci, inquit, non possit, vt puta, si as, & aurum mixtum fuerit, pro parte essei vendicandum, quia vtraque materia, etsi confessa manet, &c.* Hæc ibi. Atqui licet nummi furtiui misceantur cum pecunia venditoris, etsi *confusi manent*, tamen & sic datur actio aduersus venditorem, qui absque dubio tenetur restituere si petantur.

Adde quod licet materia mixta maneat, nec diuidi, & separari possit, at cum maneat in sua
508. specie, nec pristinam amittit, & numerus determinatus, & inconfusus manet, non est dubium, quod numerus centenarius in illa pecunia, cui accidit quod sit hæc vel illa numero, restitui debet, & dominus habet in illum aceruum actionem realem, sicut habet, si triticum meum cum suo misceatur, vt dicitur in præfata *leg. si frumentum.*

Ex quo patet ad fundamentũ contrarium, dicimus enim quod venditor tenetur, & actione reali,
509. & factione personali ad restituendũ pretium equi, ratione rei acceptæ, vt vidimus. Vnde notatum optimè Nauarrus *in summ. cap. 17. n. 8.* Couarruu. *reg. peccatum p. 3. §. 1. num. 3.* Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 14. dub. 1. num. 5.* si quis à fure bona fide accepit equum furtiuum à Petro, & illum vendat, si dominus equi non potest ab emptore titulo vendicationis equum recuperare, tenetur ille qui donatione accepit equum vero domino; aut pretium equi restituere.

Resolvtio LXVII.

An qui ab iniquo lusore largitionem accepit, vulgo *Barato*, ex pecunia falsis aleis lucrata teneatur restituere.

Svmmarivm.

510 *Adducuntur verba Dianæ, quæ desumpsit ex Layman; sed truncatam accepit eius sententiam, vt ostenditur num. 511.*

512 *Sententia prout à Diana proponitur videtur omnino improbabilis; vt fusius ab Auctore declaratur in num. seqq.*

Antoninus Diana, vbi supr. sic respondet: *Si aliquis ludendo falsis aleis pecuniam lucratus est, eiusque partem socio, vel amico suo donauit, quamuis scienti, quamuis non cooperanti ad fraudem committendam, rectè dici potest dictum socium, vel amicum ad nullam restitutionem obligari, si lusor ille, pecunias ludo acceptas iniquo, propriis commiscuerit. Notentur hæc à confessariis, quia multos scrupulos sedabunt.* Hæc ille. Quæ ad verbum desumpsit ex Layman *vbi sup. num. 22. vers. casus secundus.* qui pro se citat Medinam *l. de restitut. quæst. 10. §. notanter.* Cæterum Diana truncutam accepit sententiam à Layman qui ibidem se refert ad *num. 29. eiusdem cap. vbi §. Porro,* sic fatur: *Si donatio facta fuit titulo gratuito, v.g. donationis, vel dotis respectu filiæ, tunc à creditoribus res quæ donatur, reuocari potest; tametsi fraudis ignarus fuerit is cui alienatio facta est l. qui autem §. simili modo & l. ignoti C. de reuocandis iis quæ in fraudem creditor. alienata sunt: intelligo autem hanc reuocationem quatenus res donata extat, vel donatarius ex ea locupletior factus est.* Hæc ille. 510. 511.

Cæterum sententia prout à Diana proponitur sine distinctione, mihi omnino videtur improbabilis, si enim vt notat Vasquez *de restitut. cap. 9. §. 2. dub. 5. num. 27.* pecunia falsi lusoris parua sit, & quæ lucrata sit maxima, vt multoties contingit, non censetur commixtio facta sufficiens, vt amittatur dominium ab eo qui perdit, & transferatur in lusorem, cum parum pro nihilo reputetur, cum pecunia lusoris falsi omnino vincatur à pecunia lucrata, & sic ab illa facillimè discerni possit, maximè si pecunia lusoris sit ænea, & lucrata argentea, vel è contra. Quare pecunia lucrata manet indistincta, & in propria forma, & cum sit iniqua contra iustitiam acquisita, semper manet eius dominium apud perditorem. Et ita quicumque titulo donationis, & *de barato*, accipit partem notabilem, eam non potest retinere, sed tenetur quanto citius restituere, nisi ignorauerit iniquè esse lucratam, quia tunc ratione ignorantiæ potest rètinere, & præscribere in foro conscientiæ, secus tamen in specie nostri casus, in quo supponimus donatarium sciuisse iniquè lucratam: 512. 513.

lucratam : quod si pecunia ludo iniquè lucrata talis sit formæ, sigilli, materiæ, & quantitatis, quod sit eiusdem similitudinis cum pecunia lucrantis, itaut discerni non possit, existimo quod in propositione nostri casus donatarius non est obligatus ad restituendum.

Hoc commune est inter Doctores dum loquuntur de donationibus factis ab vsurario,& latrone, vt videre est in Lessio *lib.2.cap.20. dub.18.& 19.*
514. Vasquez *vbi supr. cap.12.dub.3.* & ratio est, quia per commixtionem translatum est dominium in lucrantem, & sic pecunia amisit obligationem realem ad eum qui perdidit, & solum manet lucrator obligatus personaliter, sicut supra dixi de pretio rei furtiuæ, cuius dominium tranſit ad furem *l. qui vas D. de furtis.* Quare accipiens non tenetur restituere, quia accepit ab eo qui dominium rei donatæ habebat.

Quod si impotens iste fiat ad restituendum, & donatarius sciat hoc, tenetur ad restituendum id quod accepit, post sententiam iudicis, nam iure
515. ciuili datur actio contra donatarium *l. quod autem 6. D. quæ in fraudem creditor.* in foro tamen conscientiæ, si donatarius non induxit ad donandum, sed lucrans sponte donat, non tenetur restituere. Ita Nauarra *lib.3. cap.4. n.218.* Molina *tract.2. de iust. disp.327. n.8.* Lessius *vbi supr. num.168.*Et ratio est quia donans in specie nostri casus est dominus illius pecuniæ, & nulla lege fit inhabilis ad transferendum illius dominium : ergo si donet transfert reipsa, nec donatarius,nec
516. lege charitatis, aut iustitiæ tenetur negligere suum commodum, quamuis inde per accidens sequatur alteri incommodum.Et tota doctrina hæc notetur à confessariis, sic enim secundum scientiam sedabunt pœnitentium conscientias.

517. Ex quo fit quod si lusor iste gemmas, aut res alias pretiosas iniquè lucratus sit, & de illis faciat donationes, & det *Baratos*, & donatarius vendiderit si dominus non potest titulo vindicationis, ab emptore recuperare, tenetur donatarius illi restituere pretium. Sic Nauarrus, Lessius, Couarr. *vbi supr.* quibus adde Layman *num. 25.* cum hîc pretium succedat loco rei, etiam si donatarius ignorauerit lusorem iniquè lucratum.

CAPVT V.

De obligatione resarciendi damnum quod intulerunt animalia, seruus, aut filius.

SVMMARIVM.

518 *Obligatio resarciendi damnum quod intulerunt animalia, seruus, aut filius, est casus frequens.*

HIc casus quotidie accidit, & quidem extant quam plurimæ leges detetminantes quod vel dominus damnum resarciat, aut quod
518. animal, vel seruum tradat noxæ. Ita habetur *institut. de noxalibus actionibus §. vltimo & l. si seruus D. eodem l.4. titulo 13. p. 7. & l. 5. tit.15. p.7.* & quod amplius est huiusmodi leges ciuiles confirmatæ sunt à Gregorio IX. *cap. si culpa de iniuriis, & damno illato*, & ita statutum erat Exodi 22.

RESOLVTIO XLVIII.

Vtrùm leges de pauperie, & noxa illata sint pœnales,

SVMMARIVM.

519 *Leges de pauperie, & noxa illata an sint pœnales ?*
Qui Doctores affirment ibid. & n.520.
521 *Qui negent ?*
522 *Sententia auctoris duobus dictis aperitur, & num. seqq.*

AN huiusmodi leges sint pœnales, non obli- 519.
gantes ante sententiam iudicis, vel sint directiuæ, & obligantes in conscientia ante sententiam. Dicunt esse pœnales, & obligantes in foro externo dumtaxat, Lessius *lib.2.c.9.dub.17.n.118.* Nauarra *lib.2.cap.1.num.38.* Layman *lib.3.sect.5. tractat. 3.p. 1. cap. 6. num. 2.* Molina *tractat. 2. disput.113.*

Probant primò, ex Augustin. epist.154. ad.... asserente, *nequaquam enim reus est Christianus si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat.* Secundò, quia istæ leges non 520.
aliter videntur receptæ, nisi pro foro externo,& sic ante iudicis sententiam non tenetur dominus serui, vel animalis, aut damnum aliquod resarcire, vel seruum, & animal pro noxa tradere. Idem docet Villalobos *tom.2. tract.2. different.4. num.13.*

At leges istas non esse pœnales sentiunt Vasq. 521.
de restit. cap.2. §.2.dub.1. num.4. Paludanus *in 4. dist.15. q.2. art.2. conc.5.in fine.* Torres *tom.2. in 2.2. disp.51. dub.1. n.3.& 5.* Gabriel *in 4. dist.19. q.14. art.3. dub.2. & q.15. dub.2.* Angelus *verbo restitutio 1. pag. mihi 169.* & ibi eius additionator Iacobus Vngarellus *§. ad omne damnum*, & verbo *restitutio 13. §. 8.* Rosella *eodem §. antepenultimo.* qui omnes, & plures quos omitto affirmant, quod si animal meum pauperiem fecisse dicatur, aut seruus meus noxam fecerit lege naturali teneor ad restituendum damnum, vel ad tradendum animal pro pauperie, vel seruum pro noxa, quibus adde Barbosam *cap.si culpa 9. de iniuriis.*

Dico primò,leges de pauperie facta ab animali, vel noxa à seruo, non sunt pœnales. Sic Less. 522.
vbi supr. Ratio est,quia lex propriè pœnalis supponit culpam, saltem præsumptam à legislatore, at leges istæ de noxa, & pauperie disponentes expresè supponunt, quod dominus serui, vel animalis, sit sine culpa, vt constat ex *l. si seruus 2. D. de noxal.* ibi, *Seruus sciente domino occidit in solidum dominum obligat, ipse enim videtur dominus occidisse, si autem in scienti noxalis est, nec enim debuit ex maleficio serui in plus teneri, quam vt noxæ eum cedat.* Idem habetur *toto titulo Si quadrupes pauperiem*, dicit, *est damnum sine* 523.
iniuria facientis datum, nec enim potest animal iniuria affecisse, quod sensu caret. Quare Gregorius IX. *in cap. si culpa 9. de iniuriis* dicit, *quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris nisi ea dando passis damnum velis liberare te ipsum ; quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueuerunt nocere fecissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere.* Quibus verbis dicit

Pontifex

524. Pontifex quod ſi negligens fuiſti in cuſtodiendo animalia, non ſatisfacis dando animalia, quæ damnum intulerunt paſtis, ſecus vero ſi ſine tua culpa, quia tunc ad ſatisfactionem teneris: & quidem cum Pontifex conſultus à quodam particulari non à iudice vt ſententiam proferat non inſtruit forum externum, ſed quid in interno faciendum ſit, reſpondet, hoc enim principaliter attendunt Pontificum reſponſa, niſi dum expreſsè quid agendum ſit in iudicialibus cauſis interrogantur.

525. Dicere autem quod huiuſmodi Gregorij reſponſum non eſt vſu receptum, gratis, & voluntariè dicetur, quia vt notat ibi Gloſſa *verbo animalia* reſponſum Pontificis deſumptum eſt, ex *l.* 1. *&* §. 1. *D. & inſtit. ſi quadrupes pauper. fe. dicatur.* Vnde quod ratio, & æquitas naturalis dictet declarauit, quæ ſemper vſu eſt recepta, & ſic *l.* 4. *tit.* 15. *p.* 7. declarat quod dominus tenetur reſarcire damnum factum à ſeruo, vel *deſamparar los ſieruos que hizieren mal en meterlos en poder de aquellos a quien robaron*, qui modus loquendi vtpote nitens naturali æquitati diſpoſitiuus eſt, non pœnalis.

526. Et quidem quod iſtæ leges ex naturali iure deſcendant, & ſic obſeruari debeant in conſcientia ſicut ſupra dicebamus de legibus circa ordinem ſeruandum in reſtituendo debita creditoribus ex eo mihi manifeſtum eſt, quia iure naturæ habeo ius ad reparandum damnum mihi illatum à quocumque libero, vel ſeruo, aut animali; hoc autem mihi ius non eſt ablatum per diuiſionem, & appropriationem rerum; atque ita animal, & ſeruus ſecundum valorem ſui obligatum manet pro damno infecto: cumque iſta obligatio non ſit in ſeruo, vt ſeruo, nec in animali, debet inesſe domino; cui ſicut accreſcit vtilitas ſerui, & animalis, ita debet accreſcere obligatio reſar-
527. ciendi damnum, vel dandi ſeruum, & animal pro noxa, & pauperie, vel illorum æſtimatum pretium. Quare cum leges poſitiuæ in hoc iure naturali fundentur obſeruandæ proculdubio ſunt in conſcientia, ante ſententiam iudicis. Fateor plures eſſe leges in iure ciuili *titulo de noxalibus actionibus, & titul. ſi quadrupes paup. feciſſ. dicatur.* quæ ſolum pertinent ad forum externum, & ſolum obligant poſt ſententiam, quia purè pœnales ſunt.

Dico ſecundò, dominus ſerui, aut animalis non tenetur in conſcientia ad id quod præfatæ
528. leges determinant faciendum, ni ab illo, qui damnum paſſus eſt ſaltem extraiudicialiter expoſcatur, quod ſi intra annum non expoſcat, præſcribit. Prima pars probatur, quia id expoſcit æquitas naturalis: cum enim dominus ſerui, & animalis, non teneatur ex dolo, aut culpa aliqua ad reſtituendum, & faciendum id quod leges diſponunt, ſed id in vtilitatem damnum patientis ſtatuant, ſi iſte non expoſcat, non tenetur dominus
529. reſarcire damnum; nec enim leges iſtæ ita rigoroſè ſunt intelligendæ, quod antequam à damnum paſſo expoſcatur teneatur dominus reſarcire damnum, aut tradere ſeruum, aut animal, pro noxa, aut pauperie.

530. Secunda pars probatur quia ſi intra annum non expoſcatur à domino, videtur damnum paſſus condonaſſe, ſicut de donationibus factis ab vſurario, ſi intra annum non expoſcantur à creditoribus docet communis ſententia apud Layman *lib.* 3. *ſect.* 3. *tract.* 4. *cap.* 37. §. 4. *num.* 30. Molina *tract.* 2. *diſp.* 318. Nauarra *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 218.

Ex quo fit quod ſi damno illato ſeruus, aut animal fugiat ad nihil tenetur dominus, ſed illa relinquere, vt ille qui paſſus eſt damnum quærat, vt ipſe damnum ſibi reparet. Quod intellige niſi dominus occultauerit, tunc enim impedit ſatisfactionem. Aduerte tamen, quod in quocumque 531. caſu ſatisfaciet ſi pretium ſerui, aut animalis det, nec amplius tenetur, niſi ſeruus damnum fecerit læſæ maieſtatis humanæ, & diuinæ, aut quod ſit contra bonum publicum, tunc enim ſi poteſt tenetur illum tradere.

Resolvtio XLIX.

Quod pater non tenetur pro filiofamilias.

SVMMARIVM.

532 *Filiusfamilias ſi damnum fecerit, non tenetur Pater damnum reſarcire.*

EX quibus infertur primò, quod ſi filiusfamilias damnum fecerit, non tenetur Pater damnum reſarcire, aut filium noxæ dedere, ſi abſque parentis culpa intulit. Sic Leſſius *vbi ſup. n.* 111. 532. eſt expreſſum in iure *lib.* 4. *inſtitut. tit.* 9. *de noxalib. actionib.* § 7. *Quis enim patiatur*, inquit Iuſtinianus, *filium ſuum, & maximè filiam in noxam alij dare? & ideo placuit in ſeruos tantummodo noxales actiones eſſe proponendas, cum apud veteres legum commentatores inuenerimus ſæpius dictum, ipſos filios familiarum pro ſuis delictis poſſe conuenire.* Vbi Imperator optimam rationem tradit, quia corpora filiorum libera ſunt, & ingenua, filiuſque liber, & dominij capax, & ſic contra Patrem actio noxalis non datur. Verum eſt quod damnato filio poteſt Pater de peculio conueniri *l. etſi* 35. *D. de noxal. action.* quod tenebitur exhibere poſt ſententiam.

Resolvtio L.

Vtrùm damnum paſſus à ſeruo poſſit vti occulta compenſatione.

SVMMARIVM.

533 *Compenſatione occulta vti poteſt, qui damnum paſſus eſt à ſeruo.*

534 *Quid dicendum de animali fero fugiente, ſi damnum fecerit.*

INfertur ſecundò, quod damnum paſſus poteſt 533. vti occulta compenſatione, ſi aliter non poteſt ſatisfactionem habere. Ita Vaſquez *vbi ſup. n.* 6. *in fin.* compenſatio autem tanta debet eſſe, quantum dominus tenebatur dare pro ſeruo, & animali, & non amplius, quod ſi ſeruus amens, furioſus, vel ebrius ſit ad nihil tenetur. Ita Torres *num.* 5. quia ſeruus ratione propriæ actionis non obligatur, & ſic nec dominus, niſi ſeruum furioſum culpabiliter non cuſtodierit, argumento *ex cap. ſi ex culpa de iniur. & l. ſi quadrupes D. ſi quadrupes*, &c. §. 4. 5. *&* 6. vbi id ſtatuitur de animalibus ferocibus, qui ob negligentiam dominorum damnum inferunt, & §. 10. ſtatuitur quod ſi animal ferum fugiat, & ſuam acquirat libertatem, cum tunc nullius ſit, ſi damnum fecerit 534.

non

non tenetur, qui antea erat dominus. Quod si ſtatua domus cadat, & damnum faciat ad nihil teneor, quia ſtatua non eſt mouens ſe, ſicut animal meum.

CAPVT VI.

De Expoſitis.

CVM iure tam antiquo, quam nouo illegitimi ſacros ordines ſuſcipere non poſſint, & incapaces ſint habendi Eccleſiaſtica beneficia; vt videamus qualiter expoſiti ea poſſint habere, obtinere, & præſcribere, aliquas reſolutiones expendere operæpretium eſt.

RESOLVTIO LI.

An expoſiti ſint illegitimi, & incapaces ad ordines, & beneficia.

SVMMARIVM.

535 *Expoſiti an ſint illegitimi, & incapaces ad ordines & beneficia.*
Adducitur ſententia Dianæ, dicentis non eſſe reputandos illegitimos. ibid.
536 *Fundamenta prædictæ ſententiæ, & n.* 537.
538 *Sententia contraria tutior, magno Doctorum numero exornatur, & n. ſeqq.*
541 *In dubio facti an quis ſit irregularis, irregularis cenſendus eſt in foro animæ.*
542 *In dubiis tutior pars eſt eligenda.*
543 *Ratio præcedentis doctrinæ.*
544 *Filij legitimi rariſſimè exponuntur.*
545 *Eſt quædam moralis certitudo quod expoſiti ſint illegitimi.*
546 *Vbi ſunt ſtatuta requirentia qualitatem nobilitatis Expoſiti non cenſentur in dubio facti habiles.*
547 *Expoſitus cenſetur ciuis illius ciuitatis vbi exponitur.*

535. ANtoninus Diana 2. *p. tract.* 15. *qui eſt primus Miſcellaneus reſol.* 22. dicit non reputandos illegitimos, nec indigere diſpenſatione, etiam Epiſcopali ad ordines ſuſcipiendos, & beneficia obtinenda, ſecutus Suarez *de cenſur. diſputat.* 50. *ſect.* 4. *num.* 4. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 19. *cap.* 5. *num.* 14. & 143. qui dicunt eſſe probabile, quos imitatur Sanchez *in ſelect.* 44. *num.* 50. & abſolutè eam ſequuntur Salas 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp. vnica ſect.* 24. *num.* 246. Sanctarell. *variar. reſolut. quæſt.* 44. Coninch *de Sacrament. diſput.* 18. *dub.* 12. *num.* 106. quibus addo Flauium Cherubinum *in compend. Bullar. ſchol.* 1. *ad Bull.* 44. *Gregorij* 14. Saytum *lib.* 6. *theſaur. cap.* 10. *num.* 30. Auilam *de cenſur. p.* 7. *diſput.* 3. *dub.* 4. Henriquez *lib.* 14. *de irregularit. cap.* 8. *num.* 10. Barboſam *de off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 51. *n.* 150. multis citatis. Homobon. *de exam. Eccl. tr.* 12. *c.* 3. *q.* 11. *ſuppo.* 3. Bendelum *li.* 4. *de conſcient. diſp.* 8. *n.* 24. *diſt.* 9. *n.* 14.

Huius ſententiæ fundamentum eſt primò, quia *lex nemini C. de Epiſcopali audientia & l. ſancimus C. de infantibus expoſitis* 536. dicitur quod huiuſmodi infantes habendi ſunt in dubio pro liberis, & non pro ſeruis. *Et cap. vnico de infantibus expoſit.* ſtatuitur quod ſint exempti à patria poteſtate. Vbi dicitur quod patria poteſtas eſt vis parentum in liberos ſuos, ſic autem dicuntur qui ſunt editi ex iuſtis nuptiis, vel alias legitimati. Vnde plures Authores ex citatis referunt *Bullam Gregorij XIV. editam anno* 1591. in gratiam confraternitatis Sancti Spiritus in Saxonia, vbi dicitur quod expoſiti ſunt habendi pro legitimis, & puri ſanguinis ad omnes præbendas.

Secundò, quia argumento *ex cap. cum deputati, de indiciis.* 537. vnuſquiſque præſumitur ſemper bonus, & idoneus donec probetur malus, & non idoneus. Quare ſicut iſti expoſiti præſumuntur nati ex parentibus fidelibus, & liberis. Ita debent præſumi legitimi, cum multi parentes preſſi inopia ſuos filios exponant. Eamdem ſententiam tenet Cornejo *de irregul. dub.* 1. *num.* 4.

Sed contraria ſententia mihi ſemper arriſit, tum quia tutior, tum quia verior, quam abſolutè defendunt Suarez, Filliucius, Sanchez *citati*, quibus adde Bonacinam *de cenſur. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 10. Toletum *lib.* 1. *ſumm. cap.* 58. *num.* 2. *in fine.* Rebellum *de obligat. iuſt. p.* 2. *lib.* 1. *q.* 3. *ſect.* 2. *num.* 15. Reginaldum *lib.* 3. *numer.* 77. 538. *verſ.* 7. Garciam *de beneficiis tom.* 2. *p.* 7. *cap.* 2. *n.* 8. vbi plures alios refert quos ſequuntur Sayrus *de cenſur. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 39. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 66. *num.* 48. Salzedo *in practic. cap.* 14. Barboſa *D. ſoluto p.* 1. *num.* 20. Maiolus *de irregularit. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 1. Couarruu. *in Clement. ſi furioſus p.* 1. *in principio num.* 9. & innumeri alij quos iſti citant. Quare optimè addit Hieronym. Rodrig. *reſol.* 76. *num.* 5. conſultius eſſe cum iſtis diſpenſare ſecundum terminos priuilegiorum regula- 539. rium. Doctor Ludouicus Monteſinus 1. 2. *diſp.* 19. *q.* 4. §. 3. *num.* 117. Magiſter Lorca 1. 2. *de actib. humanis diſp.* 38. §. *de dubiis in for. exter.* vbi cum Nauarro, & multis aliis hanc regulam conſtituit quod in dubio facti an quis contraxerit irregularitatem cenſendum eſſe irregularem. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. qui addit quod ſi expoſitus Ordines Sacros ſuſcipiat ſine diſpenſatione, poteſt in illis miniſtrare ſecurè, quia cum 540. ex ordinum ſuſceptione ius acquiſierit celebrandi, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Ita etiam Couarruu. & Bonacina, quod intellige, ſi bona fide ordines ſuſcepit, aut beneficia, & poſt agnouit ſe expoſitum, & dubitat de ſua legitimatione.

Et quidem quod expoſitus irregularis ſit duo 541. concurrunt, primum quia in dubio facti an quis ſit irregularis, irregularis cenſendus eſt in foro animæ. Quæ doctrina certa eſt, vt ait Toletus, & expreſsè diffinitum eſt *in cap. ad audientiam & cap. ſignificaſti el ſegundo del homicidio*, vt ſentit Lorca, licet enim ibi agatur de irregularitate ex dubio facti, tamen ratio quæ Pontificem mouit ad ſic determinandum vniuerſalis eſt, quia videlicet *in dubiis tutior pars eſt eligenda, & ea ſequenda cui non eſt annexum peccatum.* Quare conuincitur ſi quis in dubio facti ſacros ordines ſuſcipiat, aut in illis miniſtret. Quare perſeuerante dubio niſi accedat aliqua ratio probabilis qua dubium remittatur, in omni dubio facti tutior pars eſt eligenda, & quæ non eſt expoſita peccato. Quare Pontificia deciſio in facto homicidij vniuerſalis eſt in omni alia, quia motiuum deciſionis vniuerſale fuit, & ex illo vniuerſali principio, quod ratio naturalis dictat ſpecialem caſum de homicidio determinauit.

Ratio huius doctrinæ eſt quia licet in dubio 542. nemo

nemo sit condemnandus pœna imposita pro delicto, vt ex Innocentio, & Panormitano notat Toletus quos sequitur Vasquez, tamen quando in pœnam, vel alio modo imponitur præceptum obligans ad mortale, quale est præceptum imbibitum in irregularitate, ne vllus illegitimus ad Sacros ordines promoueatur, dubius facti an sit illegitimus pro illegitimo censeri debet in foro conscientiæ, quia in hoc dubio præceptum obligat nisi sit aliqua ratio qua saltem per media extrinseca dubium deponatur vt practicè quis se iudicet pro legitimo.

Secundum est quia in istis pueris expositis adsunt coniecturæ ita vehementes, vt ferè certum
544. constet esse illegitimos, cum filij legitimi rarissimè exponantur, & inter centum expositos vix duo sunt legitimi; idque verosimilius est, & plerumque fieri solet,
545. *l.* 114. *de regul. iur.* Quare vt optimè Bonacina, hoc non tam est dubium facti, quam moralis quædam certitudo quod isti expositi illegitimi sint, ac per consequens inhabiles ad ordines, & beneficia, ratissime enim filios legitimos parentes exponunt, vt experientia docet, cum notam infamiæ incurrant.

Confirmatur. Quia vbi sunt statuta requirentia qualitatem nobilitatis, & alia huiusmodi prout in officiis S. Inquisitionis, & in aliquibus Communi-
546. nitatibus huiusmodi expositi non censentur in dubio facti habiles: ergo nec ad sacros Ordines, aut Beneficia. Consequentia est euidens, quia non habet maiorem vim statutum particulare quam lex Pontificia. Antecedens docent Barbosa *vbi sup. num.* 151. Perez de Lara *lib.* 2. *de capellaniis cap.* 4. *à num.* 37. Gironda *de Priuileg. num.* 143. quamuis addat, & optimè *num.* 150. quod expositus censetur ciuis, & regnicola illius ciuitatis, & Regni cui exponitur: & sic dispensatus in irregu-
547. laritate illegitimationis capax est beneficiorum, quæ naturalibus, & ciuibus assignantur.

Resolvtio LII.

Vtrum sufficiat dispensatio Episcopi.

SVMMARIVM.

548 *Expositus sine dispensatione Pontificis non potest suscipere ordines sacros, & beneficia retinere.*

549 *Excipe tamen si occultum sit, quod aliquis sit Expositus.*

548. EX quibus infertur primò, Quod expositus sine dispensatione Pontificis non potest suscipere ordines sacros, & beneficia retinere, & dispensatio Episcopi cum nulla sit ad nihil iuuat, vt optimè Garcia *vbi supr. num.* 10. contra Henriquez, Suarez, Bonacina, Sayrum, & Filliucium citatos, qui asserunt, quod hæc dispensatio prodest ad pacandam conscientiam, sumpta opinione probabili, Hoc, inquam, nullius momenti est, quia opinio probabilis sufficit, & quod nullum est non iuuat, nec aliquem effectum causare potest. Ad quid ergo dispensatio Episcopi si nulla est? Excipio tamen si occultum sit quod aliquis sit expo-
549. situs, itaut à pauciſſimis sciatur, tunc enim probabile est quod Episcopus potest dispensare in irregularitate ita occulta, iuxta decretum Concilij Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. vt tenent Auila *vbi suprà dub.* 7. Ægidius *dub.* 14. *num.* 147. Diana *resol.* 21. Barbosa *lib.* 1. *de iur. Eccles. vniuers. cap.* 11. *num.* 156. quamuis oppositum sit probabilius, quia consilium loquitur de irregularitate ex delicto proprio occulto, vt notant Bonacina *vbi sup. num.* 5. *vers. Sed mihi* Nauarrus *in summ. cap.* 27. *num.* 154. Suarez *sect.* 5. & alij.

Resolvtio LIII.

Quod legitimatus à Pontifice est habilis ad omnia.

SVMMARIVM.

550 *Expositus si legitimetur à Pontifice est habilis ad omnia.*

551 *Expositus dispensatus ad habendum beneficium curatum, censetur dispensatus ad sacros ordines.*

552 *Expositus si legitimetur à Principe seculari solum habilitatur ad officia secularia, non verò ad Ecclesiastica.*

INfertur secundò, quod cum expositus sit inha- 550.
bilis, vtpote illegitimus tam ad ordines, quàm ad beneficia, quamuis si legitimetur à Pontifice censeatur habilis ad vtrumque, *cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Tamen si solum sit dispensatus solum fit capax illius actus in quo dispensatur, quia dispensatio est odiosa, & restringitur solum ad actum quem dispensat, nisi ad illum alium actum necessario à iure exigatur. Quare 551.
expositus dispensatus ad habendum beneficium curatum, censetur dispensatus ad Sacros ordines, quos iuxta iuris dispositionem *cap. licet, cap. cum ex eo. de electione* intra annum debet recipere, dispensatus ad beneficium simplex non censetur dispensatus ad Curatum; dispensatus tamen ad beneficium existimo dispensatum ad Sacros ordines, quia beneficium est propter officium, *& vbi est vnum propter aliud ibi est vnum tantum*, & dispensatus ad vnum ordinem Sacrum censetur dispensatus ad alios, non tamen si dispensetur ad ordines minores censetur dispensatus ad Sacros.

Dixi legitimatus à Pontifice, quia si legitimetur à Principe sæculari solum habilitatur ad offi- 552.
cia sæcularia, non verò ad Ecclesiastica, aut Sacros ordines, ad quæ non habent sæculares authoritatem, vt cum communi, & certa sententia docent Couarru. *Clement. si furiosus* 2. *p.* §. 8. Suarez *vbi suprà sect.* 5. *num.* 8. Saytus *lib.* 6. *de censuris cap.* 11. *num.* 15.

Resolvtio LIV.

Ex Religionum priuilegiis possunt dispensari.

SVMMARIVM.

553 *Illegitimus vel illegitima ex vi expositionis, quamuis sint irregulares, ex Religionum priuilegiis possunt dispensari & numer. seqq.*

INfertur tertiò, Illegitimum, vel illegitimam ex 553.
vi expositionis, quamuis sint irregulares, non obstante Motu Sixti Quinti contra illegitimos, & Bulla Moderatiua Gregorij XIV. hæc irregularitas

laritas, tam ad ordines, quam ad beneficia, aut dignitates regulares tolli vel habitus susceptione, vt vult Sanchez, vel per solemnem professionem, vt volunt alij, & sic sunt capaces illarum. Et quidem de fœmina latè probat Portel *p.3. Respon. casu* 14. Rodriguez *tom.1.q.13.art.21.* eius consobrinus *resolut.2.num.21.* Miranda *tract. de Monialib.q.6.art.3.* Quod multis probat primò, Quia
554. officium Abbatissæ non habet propriam iurisdictionem. Sed hoc non approbo, & magis consentio Vasquez *1.2.disp.166.cap.4.num.27. & 28.* & aliis Doctoribus contrarium sentientibus.

Secundò, quia tam *cap.1.& cap.finali de filiis Presbyteror.* quam in Motu proprio Sixti Quinti cõtra illegitimi. Solum fit mentio de viris, non de
555. fœminis, & sic, vt docet communis sententia ad istas non debet extendi. Respondet Sanchez contrarium tenenti *lib.5.summ cap.5. num.19.* quod lex pœnalis correctoria loquens de masculis, extenditur ad fœminas. Ita Decius cum multis aliis *l.fœmina 110.D.de reg.iur.* & Barbosa *ad regul.odia de reg.iur.in 6.n.5.*

556. Ratio ergo huius illationis est quia Eugenius IV. Fratribus S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia, vt constat ex eorum compendio *fol.9* hoc priuilegium concessit, vt admissus ad professionem inter illos, si habeat defectum natalium ipso facto sit dispensatus, non solum ad ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per fratres illius ordinis Prioratus, Rectoratus &c. *Quod priuilegium esse in praxi apud illos certe scio* (dicit Portel.) Quare eodem gaudent omnes Religiones quæ habent priuilegium participationis.

Sed quomodo hodie præfatum priuilegium est in vsu, siquidem Sixtus V. & Gregorius XIV. omnia ista priuilegia reuocarunt? Respondet re-
557. *solut.52.* Hieronym. Rodrig. reualidata esse per Clementem VIII. & Paulum V. confirmantem priuilegia, etiam per modum communicationis *ex certa scientia.* Quæ confirmatio habet vim innouationis, & reualidat inualidum, aut reuocatum, vt docet Emanuel Rodrigu *tom.2.q.33.art.4.* & tenent communiter Doctores *ad cap.1.de transactionib.& ad cap.quoties de pactis.* Quare optimè Sanchez *vbi supr.num.16.* docet id tenere verum, non attento iure communi, secundum quod contrarium est verius, sed ex Religionum priuilegiis.

Resolvtio LV.

Hæc irregularitas tollitur per ingressum Religionis ad educationem.

SVMMARIVM.

558 *Hæc Irregularitas ex defectu natalium tollitur, non solum per professionem, & per ingressum ad annum nouitiatus, sed etiam per ingressum ad educationem.*

559 *Existimat Auctor quòd si casus vrgeat, tales possint licitè ordinari.*

558. INfertur quartò, satis probabile esse quod hæc irregularitas ex defectu natalium tollatur, non solum per professionem, & per ingressum ad annum nouitiatus, sed etiam per ingressum ad educationem. Ita Emanuel Rodriquez *tom.1.q.13. art.4.* alter Rodriquez *resol.76.num.8.* & dicit esse doctissimorum virorum. Et colligitur *ex cap.1.de filiis Presbyteror.& cap.1.dist.56.* quod ego intelligo, si habitu religioso sint induti, vt in nostra Sacra Religione induuntur per quatuor menses antequam admittantur ad Nouitiatum: secus vero si habitu sæculari incedant, ideo enim per ingressum ad nouitiatum tollitur hæc irregularitas sub conditione nisi ad sæculum conuertantur, quia habitu sacro induti sæcularibus pompis incipiunt renuntiare, quod initium habent per quatuor illos menses, in quibus vt religiosi habitant, viuunt, & conuersantur. Quare existimo quod si casus vrgeat possunt licitè ordinari. Vnde non assentior Sanchez *vbi supr.num.13.* & aliis quos 559.
citat asserens quod huiusmodi irregularitas solum tollatur per professionem. Verum est quod per istam tollitur solum absolutè, sicut tollitur excommunicatio, sed per nouitiatum, & per ingressum ad educationem tollitur sub conditione, sicut tollitur excommunicatio.

Resolvtio LVI.

Vtrum Scholares Societatis per tria vota simplicia liberentur ab huiusmodi irregularitate.

SVMMARIVM.

560 *Scholares Societatis an per tria vota simplicia liberentur ab huiusmodi irregularitate? & num.seqq.*

563 *Si professio huius illegitimi Expositi probetur nulla, cùm dispensatio nullum sit sortita effectum, Irregularitas non fuit deleta.*

INfertur quintò, contra Hieronym. Rodrig. *vbi* 560.
supr.num.7. quod Scholares Societatis qui post biennium emittunt tria vota simplicia, cum per talem professionem, etsi vota non sint solemnia, efficiantur veri, & proprij Religiosi ex declaratione Gregorij XIII. *in Extrauag. Ascendente,* Quod hæc irregularitas ex defectu natalium, ita absolutè deletur, quod quamuis emittantur extra societatem, semper manet irregularitas dispensata, ita vt in susceptis ordinibus possint administrare, & illos suscipere, si in societate non susceperint. Ratio est clara, ex differentia, 561.
quæ versatur inter nouitium, & professum huiusmodi, quia nouitius vtpote talis nondum se Deo obligauit, nec Religioni, liberumque est illi ad sæculum redire, at professus ex Societate ex voluntate sua etiam si duntaxat tria vota simplicia emiserit absolutè se obligauit Deo, & Religioni, nec in eius libera situm est voluntate Religionem dimittere, & ad seculum redire, & sic quantum est ex parte sua, facit omnia, vt sit verè, & nominetur Religiosus, & sic in ipso dispensatio irregularitatis habuit absolutum effectum, & quamuis dimittatur, & à votis absoluatur non re- 562.
uiuiscit iterum irregularitas: hic enim non regreditur ad sæculum, & deserit Religionem, sed Religio ipsum absoluit ab statu Religioso, quem statum cum absolutè fuerit consecutus per professionem absolutè dispensatus est ab irregularitate, & dispensatio absolutè sortita est suum effectum, & sic quamuis in illo cesset status religiosus, qui fuit motiuum talis dispensationis, non cessat dispensatio, quia solum cessat quando ante quam sortiatur effectum cessat motiuum ipsius dispensationis, vt multis citatis docet

Thom.Sanchez *lib.8.de Matrim diſp.30.num.14. & 15.*verum eſt quod vt notat Barboſa *in collectaneis ad cap.1.de filiis Presbyteror.num.9.*Quod
563. ſi profeſſio huius illegitimi expoſiti probetur nulla, cum diſpenſatio nullum ſi ſortita effectum irregularitas non fuit deleta,ſed ſemper manet.

Resolvtio LVII.

Expoſiti reputantur liberi, non ſerui.

SVMMARIVM.

564 *Expoſiti habentur pro liberis, & non pro ſeruis.*
Soluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ ibid. & num.ſeqq.

564. INfertur ſextò ſolutio fundamenti oppoſitæ ſententiæ: ad leges illas ciuiles Reſpondetur quod ita dererminarunt quod expoſiti haberentur pro liberis, & non pro ſeruis, quia non eſt morale dubium quod ſint filij ſeruorum,& ſic in fauorem libertatis decreuerunt ſic: ſunt etiam exempti à patria poteſtate ob crudelitatem parentum, quibus ius ſuitatis non conceditur, ſi ex illegitimo coitu filios generant; habent tamen in illos patriam poteſtatem, quæ eſt vis in filios ſuos,id eſt, à ſe genitos, quamuis ius ſuitatis non
565. habeant. Bulla etiam illa non extenditur, niſi ad expoſitos ad Hoſpitale Sancti Spiritus, vel in illo educatos, illi enim conceſſit Pontifex hoc priuilegium, & ipſos habiles reddit, non tamen alios, imo ex hac Bulla noſtra confirmatur ſententia, ſiquidem illa erat neceſſaria,vt tales expoſiti habiles eſſent ad ordines, & omnia beneficia eccleſiaſtica.

567. Ad ſecundum reſpondetur quod non præſumuntur legitimi tales expoſiti, quia eſt moralis certitudo,quod ſint ex illegitimo coitu,ſicut quod non ſint nobiles.

Resolvtio LVIII.

Expoſitus bona fide habens beneficia præſcribere poteſt.

SVMMARIVM.

568 *Expoſitus, vel quilibet alius illegitimus bona fide habens beneficia præſcribere poteſt, per regulam* de triennali poſſeſſore, *& numer. ſeqq.*
569 *Solum ab illa regula excluditur ille, qui ſcienter per Simoniam acquiſiuit beneficium,& intruſus.*

568. INfertur vltimò, quod expoſitus, vel quilibet alius illegitimus bona fide canonica, & mala ciuili, quia ignorantia iuris inuincibili, vel facti, per triennium pacifice poſſedit beneficium aliquod, tutus eſt in conſcientia, & illud poteſt retinere,& facere fructus ſuos,per regulam *de triennali poſſeſſore*, quàm currere non ſolum in foro contentioſo, ſed etiam in foro animæ docet, & probat Lndouicus Gomez *in explication. illius Regul.q.42.* Et ab illa regula ſolum excluditur
569. ille qui ſcienter per ſimoniam acquiſiuit beneficium,& intruſus.Ratio eſt,quia vt notauit Abbas *in cap. contingit column.3. de dolo, & contumat.* poſſeſſio triennalis ſimilis eſt præſcriptioni; ad hanc autem ſufficit bona fides canonica, & iſta requiritur *cap.finale de præſcriptionib.* ignorantia autem inuincibilis iuris, vel facti facit bonam fidem canonicam,vt ſupra dixi.

Secundò, quia etſi ignorantia iuris malam fi- 570
dem cauſat, tamen iſta mala fides cum ſit dumtaxat ciuilis non facit fructuum perceptionem illicitam, vt docent Barboſa *in l.ſed etſi §.ſcire D. de petit. herered.* Abbas *in cap. ſi diligenti de foro competenti column.6.* Quare ſicut *in cap. placuit de præſcription.* per triennalem poſſeſſionem præſcribuntur iura Eccleſiæ, etiam ex vi regulæ *de triennali*, præſcribitur beneficium: hoc enim potuit diſponere Papa, qui in beneficialibus habet pleniſſimam poteſtatem, vt dicitur *cap. de*
571. *prabendis in 6. Imò tanta eſt,* (inquit eſt Gomez) *in beneficialibus papalis poteſtas quod non ſolum exceptionem cum titulo colorato, cum poſſeſſione triennali, ſed etiam verum ius & dominium poteſt conferre; ſicut alias incapaci propter illegitimationem concedit vſumfructuum perceptionem.* Quare iſte illegitimus, quantum ad effectum poſſidendi in conſcientia, non indiget diſpenſatione Pontificis, bene tamen ad alia cognita illegitimatione, quam per triennium inculpabiliter ignorauit: quod ſi intra triennium agnouit ſe incapacem, quia illegitimum, & in foro contentioſo tuetur, tamen in conſcientia non poteſt retinere,& ſic ad plenum effectum huius regulæ *de poſſeſſore triennali*, non ſufficit mala fides canonica, 572
& in hoc diſſentio à Ludouico Gomez, quem ſequitur Caſtro Palau. *tr.13. de beneficiis punct.33. num.10.*etenim ius canonicum nullum ius,aut exceptionem concedit peccantibus mortaliter, cum principaliter attendat conſcientias dirigere ad finem ſalutis. Quare ſi quis ſciat aliquem triennalem poſſeſſorem cum peccato, & mala fide canonica poſſediſſe poteſt contra ipſum agere per viam denuntiationis Euangelicæ. vt tradunt Abbas, & Imola *cap.1. de conceſſion. prabendæ.*

Caput VII.

De Minoribus, pupillis, & Religioſis, quatenus contra ipſos poteſt eſſe præſcriptio, ex rebus ludo acquiſitis, vel aliis contractibus.

SVMMARIVM.

573 *Ludus eſt contractus, quo ludentes res ſuas periculo exponunt propter ſpem acquirendi rem alterius.*
574 *Leges ludum prohibentes an hodie obligent? & num.575.*
576 *Ludi contractus iure naturæ non eſt illicitus.*

LVDVS, vt Doctores tradunt, eſt contra- 573
ctus, quo ludentes res ſuas periculo exponunt, propter ſpem acquirendi rem alterius. In quo contractu, re integra poteſt quilibet reſilire, ſed quando res incepta eſt, minimè, niſi alter conſentiat; quod ſi iſte non conſentiat, poteſt alterum cogere vt ludum inceptum proſequatur. Ita Bonacin. *de reſtit. in particulari diſput.2. quæſt.3. punct.1.*

punct. 1. *num.* 2. aliis citatis; de variis ludorum generibus, & modis. Legendus est Pantoja *ad titulum de aleatoribus*, in quo ludus aleæ (id est
574. qui magis fundatur in sorte, & casu, quam in industria, vt est ludus taxillorum, & chartarum, &c.) prohibeatur, sed huiusmodi leges hodie non obligare sentiunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 1. Salas *de contractib. dub.* 3. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. Filliucium *tract.* 37. *cap.* 4. *num.* 58. plures tamen sunt leges tam imperiales, quam nostri Regni, quæ ludos aliquos prohibent, & vigent in foro externo, de quibus latè Molina *tract.* 2.
575. *disp.* 512. & 513. & *seqq.* Verum est quod lex Regia 11. *tit.* 7. *lib.* 8. præcipit, quod si quis lucratum fuerit militibus *sea tenido el que lo gana de tornallo luego a quien lo ganaron*, abrogata est consuetudine, vt contra Bañez 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *colum.* 161. aduertit Molina *disp.* 512. quem citat, & sequitur Villalobos *in summ. tract.* 28. *diffic.* 2. *numer.* 2.

576. Rursus aduerte quod ludi contractus iure naturæ non est illicitus, vt probat Molina *disp.* 510. quia seclusis fraude, dolo, & vi est æqualitas inter colludores, quod enim vterque colludor lucrum speret non dicit iniustitiam, sed potius inseruit ad delectationem, languent enim ludentiũ animi dum præmium, lucrumve non eis proponitur sperandum, quo animus excitetur ad ludendum; potest tamen ludus vitiosus reddi ex multis capitibus, & illicitus, de quibus in materia de ludo tractant Doctores. Videantur Alcocer *in lib. de ludo*, & Molina *disp.* 511. Petrus Pantoja *in satis illo erudito commentario ad titul. de aleatoribus.*

Resolvtio LIX.

Vtrùm pupilli, & minores possint naturaliter obligari ex contractu.

SVMMARIVM.

577 *Pupilli, & minores an ex contractu possint naturaliter obligari? & n.* 578.

577. Hæc resolutio exigit illius grauissimæ difficultatis enodationem, vtrum pupilli, & minores ex contractu possint naturaliter obligari, itaut in foro animæ teneantur soluere. Vt tamen difficultas hæc clarè, & absque confusione enucleetur, aduerto. Quod quantum ad obligationem naturalem ex contractu prouenientem, eadem est ratio de pupillo, & de minori, sic habetur *l. si curatorem C. de in integrum restitut.* & ibi *Glossa, verbo non absimilis*, & adnotarunt Thomas Sanchez infrà adducendus *num.* 19. & *l.* 4. *tit.* 51. *part.* 5. *No vale la promessa del menor, que*
578. *tiene Curador, como ni del pupilo*, Antonius Gomez *in l.* 3. *Tauri num.* 5. Ioannes Gutierez *in authentic. Sacramenta puberum num.* 104. *C. si aduersus venditionem*, quæ habetur *tom. vltim. impression. Antuerpiens.* Petrus Pantoja *in commentar. ad l. final. C. de aleatorib. pag.* 183. *à n.* 43.

§. I.

Aliqua supponuntur.

SVMMARIVM.

579 *Pupillus aut minor si tutorem aut curatorem non habent obligantur naturaliter ex contractu obligatione naturali stricta, imò & ciuiliter, &c. & n. seqq.*

583 *Non obligantur naturaliter ex iustitia in contractibus celebratis circa res immobiles, & pretiosas, & quæ seruando seruari possunt & num.* 584.

585 *Duplex obligatio, naturalis vna, & ciuilis altera, & num.* 586.

587 *Discrimen inter vtramque obligationem, & vtra maiorem vim habeat, & n.* 588.

Svppono primò, quod si pupillus, aut minor, 579.
tutorẽ, aut curatorẽ non habẽt, obligantur naturaliter ex cõtractu obligatione naturali stricta, imo obligantur ciuiliter in eo quod factus est ditior. Priorem partem tenent Authores citati, & plures citandi. Sic enim expressè definitur *l si curatorẽ citata*, ibi: *Si vero sine curatore constitutus contractum feceris implorare in integrum restitutionem nõn prohiberis.* Hæc Imperatores Diocletianus, & Maximianus & *l.* 5. *tit.* 11. *p.* 5. *Item otro si dezimos que si alguno que fuesse maior de quatorze años, e menor de veinte y cinco que huuiesse guardador, hiziesse prometimiento para obligarse a otro en alguna manera que vale mas se sintiesse engañado, que lo hizo à su daño, puede* &c. petere restitutionem in integrum, solum aduerto quo lex tam Imperatoria, quam Regia videntur loqui, non de pupillo, sed minori, ibi, *minor viginti annis post puellarem ætatem*, & Regia *que fuesse maior de quatorze años, ò menor de veinte, y cinco.*

Et ratio esse potest, quia ante pubertatem quæ 580.
in viro impletur decimoquarto anno, & in fœmina duodecimo, non videtur esse vsus rationis, ita perfectus, sicut post impletam pubertatem, qua exit quis à pupillari ætate, & sic leges id statuunt de minore, & de illo qui post 14. annum contrahit, sed communis sententia est in contrarium, vt vidimus.

Secunda pars, quod obligetur ciuiliter in eo 581.
quod factus est ditior, tenent Cuiacius, & Duarenus, quos citat, & sequitur meus conciuis Petus Pantoja, *in comm. cit. num.* 48. sic habetur expressè *l. contra impuberes* 2. *C. de negotiis gestis & l.* 3. *D. commodati*, ibi, *Sed mihi videtur si locupletior pupillus factus sit dandam vtilem commodati actionem, secundum Diui Pij rescriptum & l. pupillus* 5. *D. de authoritate, & consensus tutor*, ibi: *Naturaliter tamen obligatur in quantum locupletior factus est, nam in pupillum non tan-* 582.
tum tutori, verum cuius actionem in quantum locupletior factus est dandam Diuus Pius rescripsit, quibus vetbis clarè ostenditur Imperatorem Pium statuisse contra ius commune, quod pupillus tutore carens potest conueniri ciuiliter actione vtili, in quantum factus est locupletior, & sic post rescriptum Pij datur aduersus illum petitio.

Suppono secundò, pupillum, aut minorem 583.
non obligari naturaliter ex iustitia in contractibus celebratis circa res immobiles, & pretiosas, & quæ seruando seruari possunt, in hoc conueniunt Authores citati, & citandi. Et ratio est, quia huiusmodi contractibus resistunt leges, ipsos irritos declarando, at quando lex contractui resistit iste nullam inducit obligationem, etiam naturalem, nam ad huiusmodi contractus requiritur Decretum iudicis, sine quo omnino sunt prohibiti. Ita Bartholus *l.* 1. *num.* 7. & 8. *D. de no-*

rationibus. Et quidem leges huiuſmodi contractibus reſiſtere conſtat *ex l. ſi ad reſoluendum 7. l. ſi minor 15. C. de prædiis minorum*, & expreſsè probat *l. dubium C. de legibus* ibi: *nullum pactum*
584. *nullam inuentionem nullum contractum inter vos volumus ſubſecutum, qui contrahunt, leg. contrahere prohibente.* Et quidem quando lex contractum vetat, ipſum vetans, & caſſans contractum, nullam obligationem, etiam naturalem inducere, probat optimè Thomas Sanch. *lib. 1. de Matrim. diſp 7. num. 16.* Quia licet obligatio naturalis ex quolibet contractu conſurgat ius enim naturæ præſcribit quod fides ſeruetur in conuictu humano, tamen lex ob publicum bonum poteſt hanc obligationem impedire, & tunc impedit quando contractum caſſat, & irritat. Ita omnes Summiſtæ *verbo obligatio*, vbi Sylueſter *q. 4.* Angelus *num. 9.* Tabiena *num. 6.* Couarruuias *de pactis part. 2. §. 4. num. 6.*

585. Suppono tertiò, duplicem eſſe obligationem, naturalem vnam, & ciuilem alteram; iſta eſt ad quam implendam datur actio in foro externo ex vi legis humanæ, & ciuilis, naturalis obligatio eſt ad quam implendam, licet non ſit iuuamen, & auxilium legis ciuilis, tamen habet fomentum iuris naturalis. Hæc autem duplex eſt, teſte Couarruu. *vbi ſupr.* ex Baldo *l. 1. num. 15. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* & tradidit S. Thom. *2. 2. q. 106. art. 4. ad 2. & art. 5. in corp.* vbi aſſignat duplex debitum, vnum legale, quod naſcitur ex obligatione iuſtitiæ commutatiuæ: alterum morale, cui fit ſatis per honeſtatem virtutis, quæ eſt ad alterum, ſecundum rationis æquitatem, & ex hoc
586. debito duplex oritur obligatio naturalis, vna ex debito, & honeſtate morali, qualis eſt recompenſandi beneficium benefactori, vt benefactor eſt, & etiam vt amicus, vt pulchrè S. Doctor *art. 5.* & Caietan. *ibi §. ad hoc dicitur*: altera eſt obligatio naturalis orta ex debito legali, quod manet ex legis, & iuris naturalis vinculo, & hæc pertinet ad iuſtitiam commutatiuam.

587. Inter vtramque obligationem naturalem eſt diſcrimen notandum in ordine ad effectum quem cauſat ſecundum ius ciuile, nam obligatio ex debito morali ſufficit ad nouationem faciendam: nouatio enim, vt dicitur *l. 1. D. de nouationib. eſt prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfuſio, atque tranſlatio*, hoc eſt, cum ex præcedenti cauſa ita noua conſtituitur, vt prior perimatur, & ad hanc nouationem faciendam ſufficit obligatio naturalis, ex debito morali: cæterum obligatio naturalis orta ex debito le-
588. gali maiorem vim habet, nam exceptionem, & retentionem inducit, atque in animæ iudicio neceſſitatem ſoluendi, & reſtituendi ſub peccati vinculo inducit.

§. II.

Si pupillus obligatur naturaliter non poteſt non ſoluere, niſi reſcindatur contractus.

SVMMARIVM.

589 *Minus benè dixit Sanchez, pupillum, & minorem poſſe tuta conſcientia non ſoluere quod debet obligatione naturali iuſtitiæ.*

590 *Pupillus ſi non petat reciſionem contractus coram iudice, tenetur reſtituere, ſi obligatur obligatione naturali, orta ex debito legali.*

591 *Pupillus ſi emiſit votum, quouſque irritetur à tutore, voto obligatur.*

EX quo colligitur minus bene Sanchez *loco infra adducendo n. 34.* quem ſequuntur multi ex citandis authoribus dixiſſe pupillum, & minorem poſſe tuta conſcientia non ſoluere quod debet obligatione naturali iuſtitiæ, *qua* (inquit) *cui datur actio, competit exceptio, & retentio l. inuitus 197. §. cui damus D. de reg. iur.* at minori datur actio aduerſus eum cui ſoluit: ergo poteſt retinere, & non ſoluere. Hoc, inquam, minus conſequenter dicitur, & magis conſequenter, Alcozer *de ludo cap. 33.* Gomez *l. 3. Tauri num. 124.* & multi alij dicunt quod pupillus ſi non petat re- 590.
ciſionem contractus coram iudice, tenetur reſtituere, ſi obligatur obligatione naturali, orta ex debito legali. Ratio eſt euidens, quia hæc obligatio pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, cuius obligatio ſemper ſtat efficax quouſque tollatur debitum *l. 1. D. de ſolut. & liberat.* ſed non tollitur debitum legale, niſi pupillus ex ſententia iudicis contractum reſcindat: ergo ante reciſionem tenetur reſtituere, vel ſi non tenetur reſtituere non eſt obligatio naturalis ſtricta, ſicut pupillus qui emiſit votum, quamuis iſtud poſſit irritari à 591.
tutore, etiam ſi ſit religionis, tamen quouſque irritetur obligatur voto.

§. III.

Pupillum obligari naturaliter multi ſentiunt.

SVMMARIVM.

592 *Prima ſententia, pupillum obligari naturaliter, quos habeat auctores, & quibus nitatur rationibus, & n. ſeqq.*

HIs ſuppoſitis circa præſentem difficultatem. Prima ſententia eſt pupillum, & minorem 592.
ex cõtractu obligari naturali obligatione ad ſtandum contractui, ad quem faciendum non requiritur decretum iudicis, ſed ſolum tutoris, & curatoris conſenſus, qui ſolum expoſcitur ad obligationem ciuilem. Ita Thom. Sanchez *lib. 6. de Matrimon. diſp. 38. num. 11.* Layman *lib. 3 ſect. 5. tract. 4. cap. 9. num. 7.* Rebellus *lib. 1. de contract. q. 8. ſect. 2.* Lopez *1. part. inſtructor. 124. quæſt. 3.* Anton. Gomez *lib. 2. variar. cap. 14.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. num. 61.* Molina *tract. 2. diſp. 224.* Diana *p. 3. tract. 5. miſcellan. reſol. 44.* Tannerus *2. 2. diſput. 4. q. 6. dub. 11. num. 249.* & hodie eſt communis, quam ſequitur Trullench *lib. 5. in Decalog. cap. 16. dub. 6. num. 5.* Filliucius *tract. 33. cap. 3. quæſt. 4.* Reginaldus, *in praxi lib. 25. num. 249.*

Probatur primò, quia minor, & pubertati pro- 592.
ximus habet ſufficiens iudicium, rationis deliberationem, & conſenſum: ergo ex vi contractus poteſt naturaliter obligari, ſiquidem obligatio naturalis oritur ex conſenſu, vt dicitur *in l. Stichum §. naturalis D. de ſolutio.* vnde *in l. 1. D. de nouation.* ibi: *obligatio aut ciuiliter tenet, aut naturaliter, vt puta ſi pupillus ſine tutoris authoritate promiſerit.* Quid clarius? Quare ſi pupillo oritur obligatio naturalis ex voto facto Deo, ita ex contractu, & obligatione facta homini.

Secundò,

593. Secundò, quia fideiussor potest obligari pro minore contrahente, sine authoritate tutoris, vt constat *ex l. finali D. de iureiuran.* & *l. pupillus* 40. *de rescript. arbit.* vbi id expressè habetur: ergo pupillus saltem naturaliter obligatur. Consequentia patet. Quia non obligatio principali, aliquo modo, non obligatur fideiussor *l. cum lex* 4. *D. de fideiussorib. l. naturaliter l.* 3. *D. de condition indebiti.* Hæc sententia valdè probabilis est, & tuta in praxi, & iuxta illius principia plurimæ deducentur illationes, ac casuum decisiones.

§. IV.

Opposita sententia est probabilior.

SVMMARIVM.

594 Adducitur contraria sententia verior. Eam qui exornent auctores ibid. & n. 595.

596 Eius fundamenta & rationes afferuntur & num. seqq.

594. VErum enim vero contraria sententia in tigore iuris verior est, quod pupillus, & minor ex contractu non obligatur naturaliter ex debito legali, sed solum ex morali. Ita tenent Couarruu. *ad regul. Peccatum p.* 2. §. 3. *num.* 11. *& de pactis p.* 2. §. 4. *num.* 16. *& cap.* 10. *de testam. num.* 10. *& num.* 21. dicit. *Hanc sententiam verissimam.* Aragon 2. 2. *pag.* 157. §. *sed in particulari & pag.* 160. §. 2. *conc.*. Salas *de legibus disp.* 16. *sect.* 4. Bonacina *de contract. disp.* 3. *punct.* 5. *num.* 7. Bañez 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Rodriguez 1. *p. Summ. cap.* 189. *conc.* 1. *&* 2. Duarenus *l. si pupillus* 127. *D. de verbor. obligation.* & valde probabilem dicit Lessius 2. *cap.* 17. *num.* 61. & eam exornat Petrus Pantosa in citato commentar. pro qua citat plures inter quos ego etiam iterum adnumero D. de Andrada iuris ciuilis primarium Moderatorem in Toletana Academia virum & sanctitatis vita, & legum peritia illustrissimum.

595. Probatur primò, Quia pupillus sine tutoris consensu, vel authoritate meliorem potest facere suam conditionem, at non potest deteriorare, & omnibus contractibus quibus deterioratur contradicit ius ciuile, illos irritos reddens: ergo non obligatur naturaliter. Minor probatur *ex l. contra* 28. *D. de pactis*, vbi sic habetur: *Contra iuris ciuilis regulas pacta, & conuenta rata non habentur, veluti si pupillus sine tutoris authoritate pactus sit ne à debitore suo peteret, vel ne intra certum tempus, veluti quinquennium, peteret l. obligari* 9. *D.*

597. *de authoritat. tutor. & obligat. Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nec iure naturali obligatur, & l. quod pupillus D. de condit. indebiti, quod pupillus sine authoritate tutoris promiserit, & soluerit, eius repetitio est, quia nec natura habet*; si enim naturaliter obligaretur, extra ætatem pupillarem, & factus maior viginti quinque annis repetere non posset argumento *ex l. naturaliter D. de action. indebiti*, vbi dicitur *quod seruus naturaliter obligatur, & ita si manumittatur non potest repetere, quod soluit iure Cæsareo.* Consonant Regiæ leges *l.* 17. *tit.* 16. *p.* 9. *& l.* 22. *tit.* 11. *lib.* 5. *Recopilationis.*

598. Ad hoc argumentum respondet Thomas Sanchez *num.* 56. huiusmodi leges non excludere obligationem naturalem à pupillis, & minoribus, sed solum impediunt ne pupillus, & minor transferant dominium, quod transfertur pacto, & traditione habili, qualis non est facta à minore, sine authoritate curatoris. Cæterum possessio habilis est, & reddit tutum in conscientia possidentem, nam non solum dominum deobligat à restitutione, sed etiam ius accipiendi, & retinendi, quod à iure quis obtinet solutione facta per minorem ad satisfaciendum obligationi naturali.

599. Verum licet hæc solutio plausibilis sit, re tamen ipsa est nulla, primò, Quia teste Thoma Sanchez tunc contractus factus à pupillo non inducit obligationem naturalem, quando illi ius resistit declarans irritam, & non ratam, & nullam inducere obligationem: & sic contractus qui requirunt iudicis decretum, sine isto non inducunt obligationem naturalem, quia lex potest illam impedire; atqui, vt constat ex iuribus citatis, contractus pupillares, sine authoritate, & consensu tutoris dicuntur non rati, & non inducere naturalem obligationem: ergo ex vi legis ciuilis, ista impeditur. Qui enim leges ciuiles *ex C. de prædiis*, aduerterit quales sunt *l. si ad resoluendum l. si quidem sine decreto & l. si minor*, non alio modo requirunt decretum iudicis, quam leges citatæ

600. requirunt consensum tutoris. Vnum solum potest esse discrimen quod decretum iudicis debet esse expressum, & rescriptum, at vt minor naturaliter obligetur, sat erit consensus tacitus, & præsumptus tutoris. Vnde si istæ leges solum resistunt traditioni habili, non obligationi naturali, ita etiam leges illæ solum resisterent traditioni habili rei immobilis, non vero obligationi naturali.

661. Secundò, Quia si lex vbi contractus pupilli dicitur nullus intelligitur de nullitate ciuili, vt interpretatur Thomas Sanchez: ergo dum *lex Regia* 2. 2. *tit.* 15. *p.* 5. statuit nullum esse contractum si pupillus emat pecunia credita intelligi etiam deberet de nullitate ciuili, non naturali; tamen ipse dicit *num.* 29. quod nullam obligationem, etiam naturalem parit.

662. Tertiò, Quia si solum ex consensu oritur stricta obligatio naturalis, ergo si infans, aut infantiæ proximus contrahat sine authoritate tutoris obligatur naturaliter ex contractu, sicut obligatur ex voto, neque enim est aliqua lex quæ dicat quod infans doli capax, & vsus rationis non possit naturaliter obligari: ergo si pupillus huius obligationis est capax, etiam infans, cuius contrarium tenet Thomas Sanchez *n.* 24.

663. Quartò, Quia stipulatio pro altero facta ab eo qui non potest stipulari nullam iuducit obligationem etiam naturalem, vt latè probat Thomas Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 7. *à num.* 17. ergo nec contractus factus à pupillo, sine authoritate tutoris. Consequentia patet, quia sicut ius ciuile dicit hanc stipulationem nullam esse, & ex illa nullam oriri obligationem *l. si ita stipulatus* 6. §. *Chrysogonus, D. de verborum obligation.* ita dicunt leges citatæ quod pupillus ex nullo contractu obligatur, & quod neque iure naturali obligatur quod est expressius.

664. Secundum huius sententiæ fundamentum tradidit D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. quia alienatio non potest fieri à pupillo: ergo incapax est obligationis naturalis. Antecedens præterquam quod docet Sanchez, est manifestum *ex l alienatum* 67. *D. de contrahenda emptione & l. alienatum* 66. *D. de verbor. significat.* vbi dicitur quod alienatio est quando transfertur in alterum dominium rei, &

pupillus non poteſt transferre dominium ſuum, cum non habeat rerum adminiſtrationem, cum adhuc ſub tutoribus, & actoribus eſt, etſi ſit Dominus omnium. 605. Conſequentia patet, quia obligatio naturalis ex iuſtitia orta, & obligans in conſcientia exigit dominij tranſlationem, & rei alienationem, vt alteri ſatisfaciat, & inæqualitatem ad æqualitatem reducat; & qua ratione quis poteſt tutus eſſe in conſcientia, poſſidens rem quæ non eſt ſua ſed aliena?

606. Addo cum Pantoja, & aliis, pupillum obligari naturaliter, itaut teneatur in conſcientia reſtituere id in quo factus eſt ditior per contractum initum ſine authoritate tutoris, nam vt dicitur *l. nam hoc natura* iuncta *l. naturaliter* §. *finali. D. de condition. indebiti natura æquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Vnde venit corrigenda lex *cum illud* §. *Hæres D. quando dies legati.* Vbi Papinianus dicit *pupillum naturaliter obligari.* Et ſupponit eius reſponſum pupillum locupletiorem factum non fuiſſe, ibi. *Nec locupletior factus eſſet.* 607. Quam legem dicit Cuiacius ibi corrigendam eſſe, & loco particulæ *nec* ponenda eſt coniunctio &, licet Gothofredus ibi corrigendam non eſſe dicat. Et ſic iuris Conſultor non loquitur de obligatione naturali ex debito Legali, ſed ex debito morali.

§. V.

Reſpondetur oppoſitis fundamentis.

SVMMARIVM.

608 *Euertuntur fundamenta oppoſita.*

608. AD oppoſita fundamenta reſpondetur, ad primum, quod obligatio naturalis ex debito le ali oritur à conſenſu, niſi eius ortus impediatur à lege ciuili, & ſic ſolum manet obligatio ex debito morali. Quare cum lex ciuilis non impediat obligationem ex voto illo ligatur pupillus niſi irritetur.

609. Ad ſecundum reſpondetur. Primò, quod vt fideiuſſor obligetur in foro externo pro pupillo, & minori ſat eſt quod iſti obligentur ex debito morali naturaliter. Reſpondetur ſecundò, quod fideiuſſor poteſt obligari in foro externo, quando pupillus factus eſt ditior, quia tunc obligatur naturaliter. Tertiò reſpondetur quod *in l. pupillus* non agitur de contractu, ſed de pœna adducta contractui; & quamuis iſte nullam obligationem naturalem inducat, vt conſtat in ſtipulatione facta. ab eo qui pro altero ſtipulari non poteſt, ex qua non oriri obligationem naturalem docet ipſe Thomas Sanchez *lib. 1. de matrimon. diſp. 7. n. 18.* 610. Molina *tract. 2. diſp. 283. §. operæpretium.* Et eſt hodie communis, & tamen pœna adducta valet, vt docet ipſe Sanchez *num. 19.* ex Couarruu. *de pactis p. 2. §. 4. num. 4. verſ. deinde.* quando pœna ad ſtipulationem pertinet, & ipſi ſoluenda eſt, & ſic pertinet pœna ad fideiuſſorem pupilli contra-
611. hentis, ſine authoritate tutoris. *lex etiam finalis D. de iureiur.* intelligitur quod fideiuſſor obligatus maneat, quia ſe obligauit pro pupillo, ſine authoritate tutoris, non quia pupillus obligatus ſit, ſed in pœnam, ac ſi pro furioſo, & prodigo fideiuſſerit, & tamen furioſus, & prodigus non habent obligationem naturalem ex pacto. Textus eſt optimus *in l. Marcellus 25. D. de fideiuſſor. ſi quis pro pupillo, ſine tutoris authoritate obligato, prodigove, vel furioſo fideiuſſerit, magis eſſe vt ei ſubueniatur, quoniam his mandati actio non competit.* Ecce vbi Vlpianus dicit quod fideiuſſor pro furioſo, vel prodigo eſt obligatus, & tamen iſti nullam contrahunt, etiam naturalem obligationem.

RESOLVTIO LX.

Si quis à pupillo aliquid lucratur in ludo tenetur reſtituere.

SVMMARIVM.

612 *In ludo ſi quis aliquid lucretur à pupillo, tenetur reſtituere in foro conſcientiæ, & num. 613.*

EX dictis infertur primò, iuxta noſtram ſen- 612.
tentiam quod cum pupillus non poſſit aliquid alienare, ſine tutoris conſenſu, vtpote cum naturaliter ex nullo contractu obligetur niſi ex iure naturæ quo prohibetur ne alius ex aliorum bonis ditetur, cum illorum detrimento, conſequitur, quod ſi quis à pupillo aliquid lucretur in ludi contractu, quamtumuis non prohibito, tenetur reſtituere in foro conſcientiæ. Ita expreſsè D. Thom. 2. 2. *quæſt. 32. art. 7. ad 2.* quem ſequuntur Authores pro noſtra ſententia relati, quia ſine obligatione naturali pupilli vincens eum in 613.
ludo non habet ius ad retinendum titulo ſatisfactionis, & ex alia parte non habet dominium: ergo tenetur reſtituere.

RESOLVTIO LXI.

Si quis ab vxorata, etiam paraphernalia, lucretur tenetur reſtituere.

SVMMARIVM.

614 *Vxorata non poteſt non ſolùm rem dotalem ludo exponere, ſed nec bona paraphernalia & n. 615. & ſeqq.*

616 *Quid ſub nomine paraphernalium intelligatur?*

INfertur ſecundò, vxoratam non poſſe non ſo- 614.
lum rem dotalem, ludo exponere, ſed nec paraphernalia. Licet enim iſta ſecundum ius commune ſubſint mulieris dominio, & ſi ea perdat non ſit in præiudicium Matrimonij, & ſic non ſunt obnoxia reſtitutioni, nec marito aduerſus lucrantem datur repetitio, vt determinant Barboſa *l. 1. num. 17. D. ſolut. matri.* Farinac. *in prax. q. 109. art. 5. num. 177.* & ſic mulier ſecundum ius commune poteſt ea alienare validè *l. ſi ego* §. *dotis D. de iur. dotium.* tamen ſecundum leges Hiſpaniæ contrarium eſt docendum, quibus mulieri omnino interdicitur horum paraphernalium, & quorumcumque aliorum bonorum alienatio. Ita *l. 55. Tauri.* Quare de his ſine conſenſu mariti, ſaltem 615.
præſumpto, ſi aliquo modo diſponat, etiam in eleemoſynam, diſpoſitio irrita eſt, nec acceptum ex vi illius retineri poteſt, ſed eſt reſt ituendum, vel eidem vxori, vel marito. Ita Alcoz er *de ludo cap. 30.* Ludouicus Lopez *2. p. inſtruct or. c. 33.* Gregorius Lopez *l. 6. tit. 55. part. 6. Gloſſa 4. colum. 5.* Sanchez *lib. 1. conſilior. cap. 8. dub. 7. num. 2.*

*num.*2. Trullench *lib.*7. *in Decal. cap.* 29. *dub.*5. *num.*10.

616. Quid autem ſub nomine paraphernalium intelligatur exiſtimo cum Molina *tract.*2. *diſp.*430. quidquid vxor acquirit ſponſalitia largitate facta, ſiue à marito, ſiue quæ tempore nuptiarum, aut ſponſalium donantur ab amicis, ſeu conſanguineis mariti, ſiue ea quæ celebrato matrimonio vxori data ſunt à marito in eis euentibus in quibus valet aut confirmatur donatio inter virum, & vxorem.

617. Dixi, ſine conſenſu mariti ſaltem præſumpto, quia vxor ex tacito conſortis conſenſu poteſt ludere ea, quæ attentis qualitate ludentis, diuitiis, tempore, & occaſione in qua luditur rationabiliter poteſt iudicari quod maritus (idem dic de patre reſpectu filij, tutoris reſpectu pupilli, & curatoris reſpectu minoris) non erit rationabiliter inuitus. Ita multis citatis Thomas Sanchez *vbi ſup. num.*3. quibus adde Trullench, Villalobos 2. *p. ſumm. tract.* 28. *diffi.*5. *n.*3. Bonacinam *diſp.*2. *de reſtit. quæſt.*3. *punct.* 2. *num.*10. Valentia 2. 2. *diſp.*75. *quæſt.*6. *punct.*5. Salas *de contractib. dub.*9. & 10. Azor 3. *part. cap.*24. *quæſt.* 5. Filliucium *tractat.* 37. *cap.*7. *à quæſt.* 2. Reginaldum *lib.* 10. *num.*386.

618. Huius quantitatis moderatio quanta debeat eſſe, attentis circunſtantiis præfatis latè Sanchez, & præfati ad quos remitto lectorem. Ego tamen ſequentia aduerto. Primò, quod in filiis nobilibus, & titulorum pro ratione redituum aſſignanda ſit quantitas, nam quæ vni eſt magna, alteri erit parua. Et idem eſt de vxore, maximè ſi inter mulieres nobiles, cum quibus conuerſatur, conſuetudo ſit ludendi, & mariti ſciant, & non contradicant expreſsè.

619. Secundò, quod talis poteſt eſſe conuerſatio cui vxor nobilis aſſiſtat, vt ſecundum rationem præſumatur maritum conſentire aliquam quantitatem pecuniæ ludere, quam nollet extra illam occaſionem: in quo caſu lucrans illam ſummam non tenetur reſtituere, vt ſi maritus ſit in prætenſione alicuius officij conſequendi ab aliquo Principe, & offeratur occaſio, vt ludo exponat pecuniam, vel cum Principe, vel cum aliquo eius amico, aut miniſtro ſi vxor perdat, lucrans non tenetur reſtituere. Sic reſpondi conſultus, & placuit viris doctis.

Tertiò, poſſe mulierem ludo exponere ea quæ priuata induſtria, & labore acquirit, & lucratur,

620. poſtquam muneri ſuo, & curæ domeſticæ plenè ſatisfecit. Ita Trullench *vbi ſuprà* Salon. *tom.* 1. *quæſt.* 5. *de dominio art.* 6. *dub. vlt.* Nauarrus *in ſumm. à cap.*12. *n.* 154. Bonacina *vbi ſupr. q.*20. *punct.*2. *num* 10. §.6. *poteſt.* Qui duo optimè addunt hoc eſſe intelligendum quando mulier competentem dotem ad ſui ſuſtentationem adduxit, non enim tenetur vxor familiam ſuo labore ſuſtentare, niſi alias familia ita creſcat, quod eius labore indigeat.

Quartò, Quod ſi maritus prohibeat vxori aliquid, moderatum etiam, exponat ludo, ſentio quod ſi prohibeat ne ludat ludis prohibitis, & quæ ſunt indecentes vxoribus, & mulieribus, ſe-

621. cundum Patriæ conſuetudinem, non poteſt ludere, & quod ſi ſit materia ſufficiens ad furtum mortale, lucrans tenetur reſtituere. Ita omnes fere citati. Qui fundantur in hoc quod vxor poteſt ludere, quia præſumitur virum velle quod ludat, vt dicitur *l. filiusfamil. D. de donation.* ergo ſi vir explicitè dicat ſe nolle quod illam moderatam pecuniam vxor ludo exponat, non poteſt quis eam lucrari. Conſequentia eſt euidens, quia mulier ſine conſenſu mariti eſt inhabilis ad contrahendum, non ſecus ac pupillus ſine conſenſu tutoris, imo multo magis, quia illa in omnium ſententia non obligatur naturaliter ex contractu, iuxta leges Regias. Etſi enim maritus rationabiliter teneatur conſentire quod mulier exerceat aliqualem ludum, qui pertinet ad neceſſitatem vitæ humanæ, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.*168. *art.*2. & ſic quod aliquid ludo per ſe licito, & conuenienti ludat, vt ſentiunt Angles 2. *p. q. de ludo pag.* 288. Rodriguez 1. *tom. ſumm. cap.*189. quibus conſentit Thom. Sanchez *vbi ſupr. num.*5. & ita hoc non poteſt maritus prohibere; tamen poteſt, & decet quod prohibeat ne ludat ludis mulieribus inde- 623.
centibus, ſecundum morem patriæ, vt ſunt taxilli, & alij ſimiles, quibus ſi pecuniam exponat inhabilis eſt contrahendum vxor. 622.

Resolvtio LXII.

Vtrum lucrata per adulterium, ſine conſenſu alterius coniugis poſſint liberè expendi.

SVMMARIVM.

624 *Mulier an poſſit exponere ludo, & aliter expendere etiam in magna quantitate, quæ habet inſcio marito, nimirum quæ ex adulterio lucrata eſt.*

625 *Sententia affirmatiua probabilis.*

626 *Sententia negatiua quos habeat Auctores? & num. ſeqq.*

QVartum addo deciſionem caſus, de quo ſemel, & iterum interrogatus ſum, an mulier 624.
poſſit exponere ludo, donationes facere, in cauſas pias, & alios contractus facere, de rebus, etiam ſi ſint in magna quantitate, quas habet inſcio marito, quia ex adulterio eas lucrata eſt.

Duplex eſt ſententia, prima affirmat. Ita Diana *p.*2. *tract.*17. *reſolut.*7. Megala *p.*2. *lib.*2. *cap.* 32. 625.
*num.*24. Bonacina *de reſtitut. diſp.*1. *q.*4. *punct.*3. *num.*14. Perez *in l.*2. *ordinamenti.* Graphius *tom.* 1. *Conſilior. lib.*5. *conſil.*2. Fundamentum eſt, quia vir non habet dominium in acquiſitis illicitè ab vxore, eſt enim huiuſmodi lucrum illi maximè odioſum, nec iura de illo loquuntur: nec enim corpus vxoris in illicitis marito fructificat, qui ſolum habet dominium corporis vxoris, quoad actus coniugales, & ſic cum vxor non teneatur reſtituere marito, & inter bona communia ponere ea quæ ex adulterio acquiſiuit, & poteſt ludo exponere, de illis donationes facere. Hæc ſententia eſt probabilis.

Secunda ſententia eſt negatiua ex diametro oppoſita præcedenti, quam tuentur Nauarra *de Reſtitut. lib.*3. *cap.*1. *num.*136. Sotus *lib.*4. *de iuſt.* 626.
*& iure q.*7. *art.*1. *ad* 2. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 193. Filliucius *tract.*31. *cap.*9. *q.*11. *num.*231. Bañez 2. 2. *q.*62. *art.*5. *dub.*5. Turrian. *diſp.*14. *dub.*1. *num.*5. Molina *tract.*2. *diſp.*94. *num.*14. Salomus *contro* 4. *parum ante finem column.*799. Villalobos *tract* 11. *diff.*16. *num,*11. *in fine.* Martinus *de Ledeſma* 2. *p.*4. *q.*18. *art.*5. *fol.*265. *column.* 1. vbi dicit, *An vxores teneantur viris reddere quæ per adulterium lucrantur, & virgines parentibus ſuis?*

Reſpondetur idem eſſe iudicium atque de aliis quæ leno, & lena acquirunt. Quibus denotat quod ſi magna ſit quantitas,& familiæ neceſſaria,tenetur reſtituere. Et hæc ſententia mihi placuit,cui ſubſcripſere multi viri docti. Et Ratio eſt quia legibus Caſtellæ quibus viuimus,gubernamur,& regimur,vir, & vxor contrahunt matrimonium ſub conuentione Societatis in bonis, itaut quidquid vterque durante matrimonio à quolibet fuerit lucratum conſtituatur in communi, & diuidatur in partes æquales,altero decedente .Quare etiam lucratum per adulterium, eamdem habet ſortem. ſicut vir pro aliquo occidendo, grandem acceperit ſummam in communi etiam eſt diuidenda.

629. Niſi dicamus maritum implicitè repudiaſſe dominium lucri adulterini, nollens inter ſua computare quæ cum tanta iniuria, & dedecore lucrata ſunt,& tanquam odioſa repudiare,in quo caſu, qui ſemper præſumendus,niſi maritus aliter explicet, vera eſt prima ſententia, ſi loquamur de marito reſpectu vxoris, non tamen de vxore reſpectu mariti ſi iſte per adulterium, aut Sodomiam aliquid acquiſierit, nam viri adulterium non ita opprobrioſum eſt.

Resolvtio LXIII.

Vtrum qui vna vice, vltra quantitatem quæ licite exponi poteſt à minore lucratur, totam teneatur reſtituere?

SVMMARIVM.

630 *Si quis ab vxorata, filiofamilias, & minore lucretur vnâ vice, vltra quantitatem quam licitè poſſunt perdere, tenetur totam reſtituere.*

630. INfertur tertiò, contra Thomam Sanchez *vbi ſupr.num.*7.quod ſi quis ab vxorata, filiofamilias,& minore lucretur vna vice, Hiſpane *de vna mano,* vltra quantitatem quam licitè poſſunt perdere,teneatur totam reſtituere. Ita Alcozer *lib.de ludo cap.*16. Et Ratio eſt clara, quia quod vna vice perditur amittitur vno contractu, qui totus irritus eſt,& non ex parte validus, & ex parte irritus, & ſic non eſt tranſlatum dominium. Dixi vna vice, *y de vna mano* quia ſi diuerſis,cum ſint diuerſi contractus vnus erit validus de quantitate, quæ licitè poteſt exponi, & alius non.

Resolvtio LXIV.

Minor qui habet bona caſtrenſia, vel quaſi, poteſt ea ludo exponere.

SVMMARIVM.

631 *Filiusfamilias ſi habeat bona caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia,poteſt de illis in quacumque quantitate ludere.*

632 *Omne illud quod acquiritur poſt clericatum, etiam ſi alias eſſet aduentitium, eſt bonum quaſi caſtrenſe.*

631. INfertur quartò, Quod ſi filiusfamilias habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, poteſt de illis in quacumque quantitate ludere. ſic omnes teſte Thoma Sanchez *vbi ſup. num.*8. qui addit cum Bañez *vbi ſupr.fol.*1179.idem eſſe dicendum de bonis aduentitiis, quando de his, qui donauit, non expectata Patris licentia, adminiſtrationem conceſſit. Idem etiam poteſt filiusfamilias maior, qui ſcilicet habet plus vigintiquinque annis de bonis aduentitiis,quoad proprietatem. Ita Alcozer *cap.*14. Dixi quoad proprietatem,quia vſumfructum non poteſt, quia pertinet ad Patrem,ſecundum legum diſpoſitionem.

Notandum eſt ex Leſſio *lib.*2. *cap.*4. *dub.*3. 632.
*num.*7. omne illud quod acquiritur poſt clericatum, etiam ſi alias eſſet aduentitium, eſſe bonum quaſi caſtrenſe, vt expreſsè habetur *Authentic, Presbyteros* 1.*C.de Epiſcop.& clericis. Quod,* inquit, *eſt valde notandum,nam de illis,etiam pupillus poteſt libere diſponere, & ludo exponere, ſine tutoris licentia, etiam ſi ſint res immobiles,& pretioſæ; ſi tamen læſus fuerit poteſt petere reſtitutionem in integrum.* Ita Leſſius *cap.* 17. *dub.* 8. *num.*62.

Resolvtio LXV.

Qua ratione bona quæ filiusfamilias abſens à Patre lucratur, poſſit diſponere.

SVMMARIVM.

633 *Bona,quæ filiusfamilias abſens à patre, lucratur, qua ratione de illis poſſit diſponere? & num.ſeqq.*

INfertur quintò, Quod ſi filiusfamilias abſen- 633.
tetur à Patre,ea bona quæ lucratur, ſiue negotiando, ſiue aliis inſeruiendo,ſi aufugit inſcio Patre, illorum bonorum vſumfructus, & adminiſtratio ad Patrem pertinet, quia diſtantia locorum non tollit ius patriæ poteſtatis *l. Pomponius in principio D. de procurator.* & notat Sanchez *lib.*1.*conſilior.cap.*1.*dub.*17.Quare ad ipſum Patrem talia bona pertinent, non tamen tenetur filius ad illum remittere, niſi à Patre petantur; imo etſi petantur, ſi cum bonis quæ eſt lucratus negotiatur. Si tamen Patre ſciente,& benedictionem impertiente abſens fiat exiſtimo, niſi aliud Pater exprimat, tunc filium liberum iri, cum facultate diſponendi illa ad libitum,negotiandi, & adquirendi. 634.

Quod maximè notandum pro filiis familiarum, qui negotiandi, & acquirendi cauſa ad occidentales oras vadunt cum Patrum conſenſu, & benedictione; hi enim ex Patris conſenſu implicito liberam habent diſponendi facultatem eorum quæ lucrantur. Quare ſi ludo exponant victor non tenetur reſtituere. Idem dicendum de filiis qui ex tacita Patrum voluntate, & remiſſione (quia ſcilicet Pater videt, & tacet dum filius percipit vſumfructum) talem vſumfructum faciunt ſuum, & ludo exponunt, vel donationem faciunt; talis enim remiſſio donatio quædam eſt, quæ reuocari non poteſt *l. cum oportet verſ. ſi autem C. de bonis quæ liber.* Ita Gutierez *de iurament. confirmat.* 1.*p.cap.*4. *num.*14. & 15. Antonius Gomez *ad l.*48. *Tauri num.* 9. & 10. Molina *tract.* 2. *de iuſt. diſp* 8. qui dicunt quod talis remiſſio,& donatio reuocari non poteſt reſpectu bonorum quæ filius percipit, non tamen reſpectu eorum quæ in tempore futuro eſt percepturus, & ſic poteſt illa ludo exponere, non iſta. 635. 636.

Resolvtio LXVI.

Qua ratione pupillus possit ludo exponere, quod ludo lucratus est.

SVMMARIVM.

637 *An possit filiusfamilias quod ludo acquisiuit, ludo exponere?*

637. INfertur sextò, resolutio illius difficultatis, an possit filiusfamilias, quod ludo acquisiuit, ludo exponere, itaut victor non teneatur restituere.

638. Thomas Sanchez *lib.1. consilior. cap.8. dub.8.* dicit quod in eodem ludo potest; in diuerso tamen etiam potest, siue cum eadem, siue cum diuersa persona, quia quando Pater concessit filio tacitè, vel expressè quod ludat, videtur etiam tacito consensu dare facultatem, quod totum lucrum ludo exponat. Citat Bañez sic sensisse 2.2. *quæst.32. art.7. fol.* 1179. dicitur autem idem ludus, id est, continuus, antequam consulto aliquid aliud exurgat, & intelligitur hoc, vt notat Ludouicus Lopez 2. *part. instructor. cap.35.* nisi filius lucrum primum dissipasset, & prodige desumpsisset. Et quod dicitur de filiofamilias respectu Patris, dicitur de pupillo respectu tutoris, minoris respectu curatoris; hæc enim lucra ex ludo videntur

639. quasi Castrensia, & videntur quasi annexam habere tacitam voluntatem Patris, tutoris, aut mariti, nisi isti expressè contrarium exprimant.

Ar ego siue sit cum eadem persona, siue cum diuersa, dummodo sit in diuerso ludo, siue pupillus sit, siue vxorata, siue minor, aut filiusfamilias existimo non posse ludo exponere, non so-

640. lum iuris subtilitate, sed nec conscientiæ æquitate, totum lucrum, maximè si notabilis sit quantitas; sed si quis in primo ludo sit victus, si postea in secundo ludo vincat pupillum, &c. non potest vti compensatione, sed tenetur restituere. Ita Armilla *verbo ludus num.8.* & Rosella *eodem.* Gabriel *in 4 dist.15. quæst.13. art.3. dub.6.* & ratio est, quia lucrum est quod in fine ludi reportatur, quare sicut lucra, & commoda quæ in aliis contractibus acquiruntur sunt, Patris, & sub administratione tutoris, sine cuius consensu iuxta dicta non possunt pupillus, & filiusfamilias validè alienare, nec ex illis aliquam contrahant obligationem naturalem, consequitur quod sicut si in primo ludo, si suam conditionem diminuant

641. victor tenetur restituere, ita si in secundo ludo lucrum acquisitum in primo deperdant, nec victus in primo ludo potest in secundo vti compensatione, alias in aliis contractibus idem esset dicendum, in omnibus enim est axioma iuris fundatum in æquitate naturali, *quod pupillus suam conditionem meliorem facere potest, etiam sine authoritate tutoris, deteriorem vero non vtique potest*, vt dicitur. *instit. de authorit. tutor. §.1. & ibi* Pichardus, & cæteri.

Resolvtio LXVII.

Qua ratione restituendum sit quod ludo prohibito lucratur.

SVMMARIVM.

642 *Ex eo præcisè quod quis ludat cum pupillo ludo prohibito, per leges non est obligatus ad restituendum.*

643 *Vincens si neget lucrum coram iudice, non tenetur restituere.*

644 *Qua ratione restituendum sit quod ludo prohibito lucratur, & n. seqq.*

INfertur septimò quod ex eo præcisè quod quis ludat cum pupillo ludo prohibito per leges 642. non est obligatus ad restituendum. Ratio est quod non est restituendum quod ludo prohibito lucratur, dummodo absit fraus, licet enim leges dicant quod post iudicis sententiam lucrum restituatur, tamen non impediunt translationem dominij, etsi concedant repetitionem. Ita pluribus citatis Thomas Sanchez *lib.1 consilior. c.8. dub.1. num.3.* quibus addo Salon. *de dominio q.5. art.6.* Lessium *lib.2. cap.26. dub.3. num.17.* Villalobos *tom. 2. tractat. 28. difficul. 2. num. 2.* Bonacinam *disput.2. de restitut. q.3. punct. 3. num.8.* Sayrum *lib.9. cap.12. à num.5.*

Addit Thomas Sanchez *dub.2. num.4.* quod 643. cum condemnatio ad restituendum fieri debeat à iudice in pœnam, si vincens coram illo neget lucrum, non tenetur restituere, quia pœna non est restituenda, nisi post sententiam, & si quis negat lucrum, etiam iuridicè interrogatus, etsi peccet contra obedientiam debitam, non tamen tenetur restituere pœnam taxatam delicto, vt latè probat ipse Sanchez *lib.10. de Matrim. disput.8. num.14.*

Sed aduerte malè citari D. Thom. pro oppo- 644. sita sententia, ipse enim solum loquitur secundum ius Cæsareum, in illis terris in quibus viget, & non est contraria consuetudine abrogatum, vt videre est 2.2. *quæst.32. art.7. ad 2.* si enim ius Cæsareum receptum est, existimo valdè probabile, quod si quis ludo prohibito ludat tenetur restituere. Ita D. Tho. Armilla *verbo ludus n.5.* Sylvester *q.13.* Tabiena *num.9.* Abulensis *q.56. ad cap.6.* Matthæ. Ledesma *2.p.4. quæst.15. art.9. fol.124. col.1.* dicens hanc esse opinionem tutiorem. Eam tenet Glossa *in cap. Episcopus 35. dist. & cap. Clerici el segundo, de vita, & honest. Clericor.*

Ratio est quia lex ista non est pœnalis, sed dis- 645. positoria, non solum prohibens contractum, sed ipsum irritans, quare illi contradicit, & sic ex vi illius non transfertur dominium, sic enim habetur *l. alearum 3. C. de aleatorib. Alearum vsus antiqua res est, & extra operas pugnatorias concessa, verum pro tempore abiit in lachrymas.* Et infrà. *Commodis igitur subiectorum prospicientes, hac generali lege decernimus, vt nulli liceat in publicis, & priuatis domibus, vel locis ludere, nec in genere, nec in specie, etsi contra factum fuerit nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur.* Hæc ibi.

Et quidem quod non sit pœnalis hæc lex ex eo est manifestum quia pœna non transit ad hæredes, vt enim ait Imperator Iustinianus §. *non autem instit. de perpetuis, & temporal. action. certissima iuris regula est ex maleficiis pœnales actiones in hæredes non competere, veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni, iniuriæ.* Hæc 646. ibi. At acquisitum ludo illicito, & prohibito potest repeti etiam ab hæredibus victi, & ab hæredibus victoris exigi, quia huius bona sunt hypothecata ad solutionem: ergo lex non est pœnalis.

Confirmatur

647. Confirmatur quia vt tenet Thomas Sanchez *ibi num.4. l.1. tit.7. lib.* 8. prohibet quod milites dum inſeruiunt in bello non poſſint ludere aleis, vel tabellis, *y qualquiera que alguna coſa ganare ſea tenido de lo tornar luego a aquel aquien lo ganò.* Hæc, inquam, lex obligat in conſcientia, ante ſententiam, ad reſtituendum lucrum, vt ſentiunt Soto, Alcozer, Bañez, Aragon, Lopez, Angles, Henriquez, citati à Sanchez, hoc
648. enim denotant illa verba *ſea tenido de lo tornar luego.* Tum etiam quia lex iſta lata eſt in bonum publicum ne milites diuerterentur his ludis, & rebus bellicis non incumberent, atqui lex alearum citata lata eſt ob bonum publicum, vt conſtat ex ipſius tenore; tum etiam dicitur *quod nulla ſequatur condemnatio* (id eſt ante condemnationem) *ſed ſolum reddatur.*

649. Sed quamuis hoc ſit valdè probabile iure codicis, tamen iure Regio lex iſta non eſt recepta in Hiſpania, imo nec lex illa de reſtituendo lucro militibus, vt notant Villalobos *vbi ſupr.* & Molina *tract.2.diſp.512.* etiam contraria conſuetudine eſt abrogata, quod etiam ſi non eſſet abrogata non obligaret milites alienigenas, qui in noſtro Regno pretio conducti bellum gerunt, cum alienigenæ legibus Regni, in quo quaſi in tranſitu ſunt non obligentur, ſicut nec peregrini.

650. Aduerto circa ludos prohibitos certiſſimam doctrinam Caietani 2.2. *quæſt.* 168. *art.* 4. *§. ad dubium* 3. *verſ. de qualitate demum ludi*, Quod aliud eſt loqui de ludo vt ludus eſt, aliud de ludo ſecundum illius abuſum, *nam ludus quatenus ludus eſt ex fine, qui eſt delectatio animalis qua in quiete rationalis motus conſiſtit penſandus eſt; itaque tanto melior eſt ludus, quanto magis fortunæ cõmiſſus eſt, quia tanto cæteris paribus accommodatior eſt quieti rationis, & quanto magis induſtrioſus, tanto minus quieti rationis, ſenſuumque conuenit, ideo abſolutè loquendo ludus ſchachorum peſſimus eſt in ordine ad finem proprium ludi, quamuis optimus ſit ad fugandum otium, vel ſomnum, propter induſtriæ diligentiam magnam in eo requiſitam; & per oppoſitum ludus alearum hoc eſt*
651. *fortuitus, maximè conuenit fini. Sed quoniam abuſus ludi ad auaritiam fræno egent, ideo ludos fortuitos leges prohibent; quo circa ſi non auaritiæ cauſa, ſed veræ recreationis cauſa ludatur ad aleam, & ſine ſcandalo, legis ratio ceſſat communiter, & ideo vbi tempore peſtis, aut conſuetudinis clerici ſoliciti ſunt ſine ſcandalo ludere recreationis gratia ad chartas vel tabellas cum aliis, nullum ex hoc crimen incurrent.* Hæc ex Caietano fere ad verbum. Legatur Barboſa *in collect. ad cap. Clerici el ſegundo de vita, & honeſtat. Clericor. num.*8.

Resolvtio LXVIII.

Si minor, aut pupillus lucretur ab eo qui ſui iuris eſt, non tenetur reſtituere.

SVMMARIVM.

652 *Si quis ſui iuris exiſtens ludat cum pupillo, minore, & aliis qui alienare non poſſunt, ſciátque hos eſſe incapaces contrahendi, ſi iſti lucrentur non tenentur reſtituere.*

653 *Contractus factus cum pupillo valet ex parte pupilli, & quatenus cedit in ipſius commodum, etſi non valeat ex parte alterius contrahentis.*

654 *Si ille qui ſui iuris eſt ignoret inuincibiliter alterum colluſorem eſſe minorem, minor non poteſt lucrari.*

655 *Declaratur amplius, & num. ſeqq.*

INfertur octauò, contra Martinum de Ledeſma, 652.
*vbi ſuprà fol.*132. *colum.*3. Sotum *lib.*4. *de iuſt. quæſt.*5. *art.*2. Caſtrum *lib.*2. *de poteſtat. legis pœnalis cap.* 2. Couarruu. *in reg. peccatum* §. 4. *n.*4. *& alios*, quod ſi quis ſui iuris exiſtens ludat, cum pupillo, minore, & aliis qui alienare non poſſunt ſciatque hos eſſe incapaces contrahendi, ſi iſti lucrentur non tenentur reſtituere. Ita Villalobos *vbi ſup. diff.*5. *num.*12. Diana *p.*2. *tract.*8. *reſolut.* 67. Nauarrus *in ſumm. cap.* 20. *num.* 12. Graffius *p.*1. *deciſion. lib.*1. *cap.*122. *num.*6. Toletus *lib.*5. *cap.*27. *num.*4. Trullench *lib.*7. *in decalog. cap.*27. *dub. vltim. num.*4. *verſ. ſecus autem quia ſcienti, & volenti non fit iniuria.* & vt dicitur *§. pupillus inſtitut. de inutilib. ſtipulation. &*
653. *§.1. de authorit. tutor.* contractus factus cum pupillo valet ex parte pupilli, & quatenus cedit in ipſius commodum, etſi non valeat ex parte alterius contrahentis, qui ſui iuris eſt, qui ſciens patitur inæqualitatem contractus eo ipſo quod velit ludere tenetur conſentire in eius lucrum.

Quod ſi ille qui ſui iuris eſt ignoret inuincibi- 654.
liter alterum colluſorem eſſe minorem, aut alienare non poſſe, cum error ſit cauſa contractus, minor non poteſt lucrari, & tenetur reſtituere, vt omnes citati tenent. Quibus adiunge Salon. 2.2. *quæſt.*5. *de dominio art.* 6. *dub. vlt.* Bonacinam *diſp.*2. *de reſtitut. quæſt.*3. *punct.* 2. *num.*16. non enim vtriuſque par fuit in ludo conditio; ſi enim minor dicat ſe habere libertatem ad alienandum, vel quia dicit quod ſunt bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, vel habere facultatem tutoris, aut patris, tunc minor habetur pro maiore. *l. ſi quis minor* 2. *C. ſi minor.* Si maior ſuo mendacio colludens decipitur, & aliàs non colluderet. Quare minor tenetur reſtituere. Lega- 655.
tur Salas *de ludo dub.* 13. & Villalobos *num.* 13. qui addit quod ſi ludens exiſtimet colluſorem eſſe habilem, vel quia habet licentiam, vel bona caſtrenſia, aut quaſi: ſi res ita non eſt, ille qui non poteſt perdere non poteſt lucrari, ſed tenetur reſtituere, quia non conſentit in tranſlatione dominij cum non agnoſcat inæqualitatem latentem, & ſic fit illi manifeſta iniuria.

Sed ego dico, quod ſi minor, pupillus, aut 656.
religioſus ſit nimis deditus ludo, ſemper eſt præſumptio quod ludat ſine licentia, niſi contrarium expreſsè conſtet. Quare ludens cum illis hoc aduertens agnoſcit inæqualitatem, etſi perdat, lucrum non debet reſtitui, quia implicitè vult lu- 657.
crum transferre eo ipſo quod ludat. Addo quod filiusfamilias, pupillus, aut minor, poteſt vigeſimam partem ſuorum alimentorum, quæ annuè illi dantur alienare, & ſic ludo exponere. Ita Valentia 2.2. *diſp.*5. *q.*6. *punct.*6. Molina *tract.*2. *diſp.*242. Leſſius *lib.*2. *c.*26. *num.*38. Salas *dub.*9. *num.*8. Nauarrus *vbi ſup.* Molfeſius *tom.*2. *tr.*12. *cap.*21. *num.*70. Villalob. *num.*4. & alij communiter. Quare etſi habeat bona caſtrenſia vel quaſi, tamen ex alimentis poteſt præfatam ſummam ludo exponere.

Resolvtio LXIX.

Non præscribitur contra pupillum.

SVMMARIVM.

658 *Contra pupillum non præscribitur, & num. seqq.*

658. INfertur nonò, quod si pupillus, & minor obligatur naturaliter, vt probabilis opinio fert, & sic lusor non teneatur restituere, nisi post sententiam iudicis, si pupillus sit non præscribitur contra eum quandiu fuerit in ætate pupillari. *l. sicut in rem C. de præscription. 30. annor.* Si vero fuerit maior 14. annis, & minor 25. requituntur 30. anni *l. vlt. C. in quibus causis restitutio in integrum necessaria non est.* Quod si quis etiam non pupillus, aut minor ludis prohibitis ludat requiritur præscriptio 50. annorum *l. alearum 3. C. de aleatoribus.* vbi statuitur, quod si hic qui perdidit, aut cuius hæredes negligentes sint in lucri repetitione possit id repetere defensor ciuitatis, aut quilibet ciuis illius, Episcopus, aut paupetum procurator, aut procurator fiscalis, id quod
659. sancitum etiam est *in l. 2. lib. 8. tit. 7.* iuxta cuius dispositionem intra duos menses debet fieri repetitio, quibus transactis præscribit lucrans, nec ab eo potest repeti, vt dicit *lex 10. titul. 7. lib. 8.* quam esse in vsu dicit Padilla *l. de fideicommisso C. de transactio num. 2.*

Cæterum *in l. 2. Regia citata dicitur: Si el que perdiere hasta ocho dias no lo demandare, qualquiera que se lo demandare loaya para si.* Quibus verbis duo continentur, & victo ponitur terminus octo dierum ad repetendum, quo elapso præscribit victor in vtroque foro, nec intra tale spatium alius admittitur, vt notant Azeuedo ad dictam *l. 2. n. 74.* Pantoja *vbi sup. num. 6. pag. 191.* aliis tamen restat spatium duorum mensium vt docent Molina *tract. 2. disp. 512. num. 5.* Ioannes Gutierez *de iuram confirmatorio part. 1. cap. 53. num. 3.* deinde in præfatis verbis statuitur, quod quilibet petens lucrum post sententiam licitè potest retinere, nam iustè quis possidet quod authore prætore possidet *l. iustè D. de acquir. possess.* Addit Thomas Sanchez *lib. 1. consilior. cap. 8. dub. 1. n. 7.* quod per pragmaticam *anni 1575.* non conceditur hæc repetitio perdenti, nisi sit minor quatuordecim annis.

661. Additetiam *dub. 2.* quod si quis extraiudicialiter, & priuatim repetat quod perdidit non tenetur vincens restituere, quia per talem ludum translatum est dominium, & solum per leges citatas conceditur actio in iudicio. Quare si illud non præcedat, & sequatur condemnatio non est obligatio restituendi. Quod etiam tenet verum licet iudex iniquitate ductus non ferat sententiam, vt restituatur. Ita Alcozer *lib. de ludo cap. 42.* Medina *C. de Restitut. q. 22.* imo etiam si neget victor lucrum coram iudice interrogatus iuridice, vt supra dicebam;
662. quæ intelliguntur nisi vinctus sit minor, aut pupillus, quibus in ipsorum fauorem conceditur restitutio in integrum, qua concessa non potest vincens negare lucrum iuridice interrogatus, quod si neget potest pupillus, vti recompensatione occulta.

Qua etiam posse vti omnem qui habet ius pe-
663. tendi in iudicio ea quæ amisit in ludo satis probabile existimo cum Adriano *in 4. in tract. de Restit. pag. 145. in paruis §. sed oritur ex his dubium.* Angles *in floribus 2. p. in materia de Restit. ludi fol. 293.* Et Ratio est, quia perdenti in ludo ante omnem sententiam iudicis competit actio personalis aduersus colluforem lucrantem: ergo si hæc actio veritate subsistat, potest vinctus, si aliter non potest sine detrimento famæ, aut alio graui incommodo sibi occulte ius dicere, & tantumdem accipere, quantum sibi lucratum est: etsi enim leges 664.
concedentes actionem victo aduersus victorem in ludo pœnales sint, quatenus dicunt condemnandum esse victorem ad restituendum victo, tamen hoc est ex vi actionis, quam victus habet ad repetendum concessæ sibi *ex ll.* Quare non in pœnam puram restituitur lucrum victo, sed quia habet actionem ad illud, & sic hæc actio transit ad hæredes victi. Quod secus est in aliis pœnis, ad quas nullam habet quis actionem ante sententiam iudicis. Quare quamuis quis euidenter sciat 665.
secundum allegata, & probata pœnam inferendam fore, non potest vti compensatione occulta, quia ad illam non habet actionem: quamuis enim per ludum victor dominium acquirat lucri, non semper manet obligatus personaliter ad restituendum ex vi actionis, quam victus habet ad repetendum: quod enim debeat fieri repetitio coram iudice, hoc pertinet ad forum exterius, non vero obligat in conscientia, quando ex repetitione iuridica aliquod graue incommodum sequitur repetenti.

Resolvtio LXX.

Qua ratione ille qui ludit credito teneatur restituere.

SVMMARIVM.

666 *Qui in ludo perdit pecuniæ summam credito, ludis prohibitis, nec Iure Cæsareo, nec Castellæ tenetur soluere ex vi contractus, & accipiens tenetur restituere.*
Qui auctores defendant quod non teneatur iure Cæsareo ibid. & n. seqq.

670 *Item qui defendant quod non teneatur iure Castellæ & n. 671.*

672 *Opponitur Thomas Sanchez, sed repellitur n. seqq.*

INfertur decimò. Quod ille, qui in ludo perdit 666.
pecuniæ summam credito (hispane *al fiado, ò sobre su palabra*) ludis prohibitis, nec iure Cæsareo, nec Castellæ tenetur soluere ex vi contractus, & accipiens tenetur restituere. Hæc illatio est contra Trullench. *vbi supr. dub. 4. num. 4.* & Sanchez *dub. 4. num. 2.* qui plures citat. Sed quod non teneatur iure Cæsareo defendunt Soto *lib. 4. de iustit. q. 5. art. 2.* Conarru. *in Reg. Peccatum p. 2. §. 4. num. 8.* Nauarrus *in summ. cap. 19. num. 17.* Molina *tract. 2. disp. 513.* Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 4.* vbi id optimè confirmat, addens *num. 26.* quod si vterque lusor renuntiet beneficio *legis Aleatorum vsus C. de Aleatoribus*, si renuntiatio fiat simplici verbo absque iuramento, poterit non soluere, etsi soluerit repetere, quia vt constat ex *l. citata* 667.
quæ tribuit ius non soluendi in fauorem boni communis, cui non potest quis renuntiare, *cap. si diligenti de foro competenti.* Quod si quis iurauerit renuntiationem, si iurauerit soluturum, & non

repe-

repetiturum, neutrum poteſt non facere, niſi iuramentum relaxetur, quia ſolutio, & non repetitio res licita eſt, & iuramentum de re licita obligat. *cap. Quamuis pactum de pactis in 6.* Eamdem partem quod non teneatur iure Cæſareo tenent Villalobos *vbi ſupr. diff. 3. num. 2.* Malderus 2.2. *tract. 1. cap. 12. dub. 3.* Ledeſma *tom. 2. tract. 31. cap. 2. conc. 11.* Toletus *lib. 5 cap. 27. num. 4.* & alij quos citat, & ſequitur Diana *p. 3. tract. 17. reſol. 8.* Salas *de contract. lib. dub. 20. num. 2.* Tannerus 2.2. *diſp. 4.*
668. *q. 6. dub. 11. num. 308.* & Ratio eſt quia cui datur actio ad repetendum, datur etiam exceptio ad non ſoluendum, ſed perdenti datur actio ad repetendum: ergo exceptio ad non ſoluendum. Tum etiam, quia vinctus iuxta legis diſpoſitionem non eſt cogendus ſoluere, & ita non eſt obligatus iure naturæ ad ſoluendum, parum enim eſſet deobligari in foro externo, niſi etiam deobligatus eſſet
669. in interno, quod poſſunt facere leges ob bonum commune vt ius naturæ non exeat obligationem, quam alias induceret, ſi non obſtaret lex.

Secundam partem defendunt Sotus *vbi ſupr.*
670. Villalobos *num. 3.* Alcocer. *lib. de ludo cap. 3.* Ludouicus Lopez *lib. 2. de contract. lib. cap. 22.* Medina *lib. 1 ſumm. cap. 14 §. 19.* Gutierrez *de iuram. confirmator. p. 1. cap. 35. num. 1.* Couarru *vbi ſupr.* Ludouicus Carbo *tract. de Reſtitut. q. 42. verſic 1. concl. 10.* qui addit, & optimè verſ. *lex humana,* quod ſi qui accipiunt pecuniam in ludo ſub credito acquiſitam id ex eo eſt quod qui perdiderunt poſſunt huic iuri renuntiare, quod nobiliores faciunt, vt ipſis alias fides habeatur, quamuis
671. ſciant promiſſiones illas eſſe irritas, quare potius ſunt donationes, quam ſolutiones debitorum, vbi enim nulla eſt promiſſio nullum eſt debitum, & vbi non eſt debitum, non poteſt eſſe ſolutio. Probatur hæc pars *ex l. 8. titulo 7. lib. 8. Reccopil.* quæ fuit lata à Carolo V. Madriti anno 1520. vbi expreſſe prohibetur ludus, quamuis licitus ſub fide crediti *(al fiado)* & concludit Imperator: *Y por la preſente damos por ningunas qualeſquiera obligaciones, eſcripturas, o promeſſas, que las tales perſonas cerca dello hizieren.*

At reſpondet Thomas Sanchez quod hac lege
672. non irritatur contractus ludi, ſed ſolum promiſſio ſoluendi, & ſic nullum eſt verbum, quod impediat dominij tranſlationem; quare facta ſolutione victor poteſt retinere ex vi contractus ludi, ſicut qui accipit legatum ſibi relictum ex teſtamento minus ſolemni, licet ante traditionem non poteſt petere, tamen poteſt in conſcientia retinere. Sed hæc ſolutio non ſubſiſtit, quia eo ipſo quod promiſſio irrita reddatur non ſubſiſtit contractus
673. ludi, nam pecunia promiſſa eſt de illius ſubſtantia, quare ſi promiſſio irritatur, ludum irritum iri neceſſe eſt, atque ita victor non habet titulum ex quo poſſit retinere pecuniam, non ex promiſſione, non ex contractu ludi qui irritus eſt, & corruit non ſubſiſtente promiſſione. Cuius ratio eſt perſpicua, quia victus in contractu ludi ad creditum ponit, & exponit pecuniam ſoluendam ſub
674. promiſſione, at ex vi huius legis nihil exponit, cum promiſſio pecuniæ ſoluendæ irrita ſit, & nulla: & ita cum non ſubſiſtat materia contractus, nec ipſe ſubſiſtet, cum ludens credito ex vi huius fidei, & promiſſionis non poſſit alienare; quod ſi victus ſoluat non eſt ex vi contractus ludi, & promiſſionis, ſed quia gratis donat, ne indecorum ſit, & vt illi aliis in rebus, & contractibus fides adhibeatur. Quare ſi ſoluat non poteſt repetere in iudicio, quia donauit, & non ſoluit; ſi tamen ſolum donet ne indecorum ſit, & vt in foro exter-
675. no, & publico ſatisfaciat, non animo verè donandi, exiſtimo poſſe vti occulta compenſatione. Legatur Sanchez *num. 5.* Exemplum autem quod adducit de legato in teſtamento minus ſolemni, quod ſi reddatur iuſte teneatur à legatario lõgam exigit diſquiſitionem, modo tamen reſpondetur quod ideo iuſte retinet, quia illa promiſſio iure naturæ eſt valida, nec eſt lex quæ illam in ſpeciali nullam reddat.

Resolvtio LXXI.

Qui pecunia credita, abſque animo dandi, ludit, ſi lucratur pecuniam præſentem, tenetur reſtituere.

SVMMARIVM.

676 *Si quis ludat pecunia credita, & alter colluſor pecunia præſenti, ſi ille non habeat animum dandi quod pecunia credita perdiderit, tenetur reſtituere, quod de pecunia præſenti lucratur & n ſeqq.*

INfertur ſecundò, Quod ſi quis ludat pecunia 676.
credita, & alter colluſor pecunia præſenti, ſi ille non habeat animum dandi quod pecunia credita perdiderit, tenetur in conſcientia reſtituere, quod de pecunia præſenti lucratur. Sic Bonacina *de Reſtitut. in particul. diſp. 2. q. 4 punct. 1. num. 9.* Reginaldus *lib. 25. num. 388.* Leſſius *lib. 2. cap. 26. num. 31.* Eſt contra Sanchez *vbi ſupr. dub. 5. num. 2.* nec me iudice poteſt in controuerſiam reuocari. Ratio eſt manifeſta, quia ſi ludens pecunia credi- 677.
ta non habet animum ſoluendi, vel donandi, quod ſibi fuerit lucratum non celebrat contractum ludi, qui ex mutua obligatione conſtat ſoluendi, obligatio autem oritur ex conſenſu *l. Stichum D. de ſolut.* ergo iſto deficiente, contractus in foro animæ non ſubſiſtit. Et quidem vel ipſo lumine naturæ iniquiſſimum eſt quod quis exponatur ludo ad lucrandum, & non perdendum: hæc enim ſumma eſt inæqualitas, quam iure naturali abhorrent contrahentes, dolus enim dat cauſam contractui, ſiquidem ſi deceptus defectum conſenſus ad ſoluendum agnoſceret, non contraheret.

Nec argumentum Sanchez efficax eſt quod lu- 678.
dens pecunia credita vtitur beneficio legis ſibi concedentis quod non ſoluat, & ſic victus ſibi imputet, cum hæc ſit natura ludi ad creditum, vt perdens non teneatur ſoluere. Item ſi petderet pecuniam præſentem, & haberet animum ſtatim repetendi, non teneretur lucrum reſtituere, quia vtitur iure ſuo. Tum inſuper, quia ſi quis luderet pecunia præſenti, quam fingit ſe habere, & habet animum non ſoluendi, ſi lucretur non tenetur reſtituere lucrum. Hoc, inquam, argumentum nullum eſt, quia eo ipſo quod quis ludit pecunia credita, ſi vult lucrum retinere non poteſt habere animum non ſoluendi, aut alio titulo recompenſandi, aliàs luderet, & non luderet, luderet vt ſupponimus, & non luderet, cum contractum non celebraret. Quare ex vi ludi non poteſt retinere lucrum. Natura etiam ludi ad creditum, vt inter nobiles, & republicos homines exercetur, eſt quod 679.

lucratum

lucratum reddatur eo meliori modò quo possunt, vt lucrans possit retinere, qui est, vt supra diximus, vt reddatur titulo non solutionis, sed donationis, & obligationis naturalis, non iustitiæ, & debiti legatis, sed moralis.

680. Ad confirmationem, Respondetur quod est diuersa ratio, quia iam ille transtulit dominium, qua translatione satisfecit, etsi postea vtatur iure concesso per leges.

681. Ad secundum, Respondetur quod ille tenetur soluere, quia eius fraus non debet illi patrocinari, sicut si quis exponeret pecuniam adulterinam ludo, tenetur soluere pecuniam veram, & legitimam, vt optimè ipse Sanchez *ibi n.3. in fine.*

Resolvtio LXXII.

Qua ratione possit lucrari qui alium importune ad ludendum traxit.

SVMMARIVM.

682 *Quid dicendum de eo, qui alium importunè ad ludendum attraxit, si ipse sic attrahens lucretur? & n.seqq.*

682. INfertur duodecimò, Quod si quis alium trahat ad ludendum aliàs non lusurum, nisi importunitatibus alliceretur, quibus fine nota resistere non valet, quia inurbanus, & agrestis iudicaretur, attrahens quidquid lucratur tenetur restituere. Ita D.Thom. *in 4.dist.15 q.2.ar.4. quæstiunc.3. ad 2.* Caietanus *2.2.q.32.art.7. circa solutionem ad 2.* & est communis ex quodam principio quod latè probant Sanchez *lib.4.de Matrim.disp 9. à num. 9.* Lessius *de iustit.& iur.cap.17.dub.6.num.46* eo quod contractus initi ex metu, etiam leui, non inducunt obligationem in conscientia, & sic non
683. valent transferre dominia, cum habeant admixtum inuoluntarium. Quod maxime verum est in contractu ludi, qui cum sit introductus causa recreationis valde voluntarius debet esse.

Hæc autem communis sententia sic intelligenda est quod tractus ad ludum semper perseueret in illo inuoluntario quo ludere incipit, si
684. enim vel quia lucratur, vel quia ludo delectatur, vel ex alia causa non perseueret in inuoluntario illo, sed voluntariè omnino ludat, ex tunc, quod ex signis dignosci possit, non tenetur attrahens restituere, & sic iudico sæpius contingere, multi enim nolunt ludum incipere, & respectu illius initij inuoluntarij sunt, non tamen respectu pro-
685. gressus, volunt enim lucrum percipere ludi, & sic mutant consensum, & amittunt inuoluntarium, quod prius conceperunt, & hoc præsumitur in foro externo, quod sufficit vt attrahens sit securus in conscientia, nec obligetur ad restituendum, nisi euidenter constet non mutasse consensum, sed in priori perseuerare, argumento *ex cap. ad id de sponsalibus.* Vbi mulier vi coacta ad matrimonium, si postea in domo mariti patienter, & iocunde inhabitat, vitam degens maritalem, matrimonium validatur, ad hoc vt maritus possit iustè reddere, & petere debitum. Legatur Ioannes Garcia *lib.de contract p.2 cap.19.fol.194.*

Qui folio anteriori dicit quod si tractus ad
686. ludum lucretur perseuerante in suo inuoluntario, ratione cuius non poterat perdere, tenetur in conscientia restituere lucrum. Ita Ludouicus Lo-

dez *lib.2.de contract lib.cap.22.p.2. instructor. c.34.* Alcorer *lib.de ludo cap.21.* quia alias non esset æqualitas inter contrahentes.

Sed contrarium est verius quod expresse docet 687.
D.Thom. *in 4.dist.15.q.2. art.4.quæstium 3.ad 2.* Salas *de ludo dub.7.num.5.* Filliucius *tract.37 cap. 2.num 99.* Bonacina *vbi suprà punct 2. num.99. vers addunt aliqui.* Villalobos *dissic.4.num.3.* Molina *disp.516.* Rebellus *de obligation. iust.p 2.lib. 12.q.3.num.8.* Thomas Sanchez *vbi supr dub.11.* Tabiena *verb.Restitut. q.17.* Siluester *verbo ludus q.13.* Petrus Couarruu. *de remedio lusorum p.3. cap.12.& 13.* Trullench. *vbi supr. num.4.* & est communis, quia quamuis attractus non potest perdere, at potest lucrare, quia attractus est per iniuriam ad ludum, sicut qui ludit cum alio qui 688.
habet adulteratas chartas, aut taxillos, cum quo non potest perdere, & tamen potest lucrare, nec tenetur restituere si lucratur. Et hæc inæqualitas oritur ex culpa alterius ludentis, quando autem ex parte alterius colluforis est iniuria non est necessaria æqualitas, imo hæc inæqualitas in hoc casu non videtur interuenire, cum pro iniuria illata in attrahendo attractus habet ius ad lucrandum, & non perdendum.

Ex dictis in hac illatione colligitur falsò dixisse Molinam, quem sequitur Villalobos *vbi supr.* 689.
quod ille qui attraxit aliquem, vt inuoluntariè luderet non tenetur restituere totum lucrum, sed solum prudentis arbitrio satisfacere iniuriæ, quibus consentit Bonacina *vbi supr. vers. Sed mihi videtur.* Hoc, inquam, falsum est, quia ad totum tenetur, cum contractus, vtpote inuoluntarius sit nullus iure naturæ, vel annullabilis ab ipso attracto. Quare si ab illo annulletur lucrans tenetur restituere totum lucrum: si autem attractus lucretur, non censetur irritare contractum, & sic iustè retinet lucrum: quod secus est ex parte attrahentis respectu cuius lucrum est inuoluntarium; & sic illius non acquisiuit perfectum ius.

Resolvtio LXXIII.

Si quis bona fide lucratus est ab eo, qui non potest perdere non tenetur restituere id quod expendit in chartis, &c.

SVMMARIVM.

690 *Lucratus bona fide ab eo qui non poterat perdere, & sic cognita veritate, tenetur restituere quod lucratus est, potest non soluere id quod expendit in chartis, lucernis, dulciariis conditis, & in aliis donationibus factis, &c. & n.seqq.*

INfertur decimotertiò, quod si quis bona fide 690.
lucratus est ab eo qui non poterat perdere, & sic cognita veritate, tenetur restituere quod lucratus est, potest non soluere id quod expendit in chartis, lucernis, dulciariis conditis, & in aliis donationibus factis vulgo *Barato.* Ita Sanchez *dub.10.* Alcozer *cap.58.* Ratio est quia qui rem alienam consumpsit bona fide, non tenetur cognita veritate restituere, nisi id in quo factus est ditior, vt est apud omnes certum, & notat Diana *part.5. tract.14. resol.39.* inter has donationes computandas fore eas quæ dominis domorum ludi dantur pro chartis, &c. licet quod datur excedat pretium chartarum, taxillorum, &c. Tum 691.

etiam quia donationes istæ fiunt ex communni ludentium consensu.

Dixi in illatione, *si bona fide*, &c. quia si mala fide lucretur, vel quia ille cum quo ludit non 692.
potest alienare, vel quia fraudibus, & falsis chartis, &c. existimo contra Sanch. *vbi sup. n.2.* quod tenetur restituere quidquid ab illo lucratus est iniustè, quia illud lucrum, non tam lucrum, quam furtum sit, est enim acceptio rei alienæ inuito domino, & malus possessor de re iniustè possessa donationes non potest facere, sed tenetur lege iustitiæ totam inæqualitatem ad æqualitatem reducere, & constituere victum indemnem: non secus, imo multo magis quam si vi attraxerit ad ludendum, vt fatetur ipse Thom. Sanch. *n.4.* quod enim expenditur in chartis &c. non deseruit perdenti cum fraudibus, &c. quia perdens, vtpotè decep- 693.
tus malitiosè, quæ deceptio malitiosa dat causam contractus non contrahit verè, & propriè, cum contractus nullus sit. Quare expensæ ipsæ factæ non debent pro rata illi tribui: sicut in omnium sententia expensæ factæ, vt quis restituat rem furto sublatam fieri debent omnes à latrone. Quare notat Naldus *verbo ludus num.6.* ex Lopez *tom. 1. instruct. cap. 33. in fine*, quod receptor in 694.
cuius domo luditur, si sciat aliquem fraudibus ludere, tenetur restituere, quod sibi datum est ex lucro iniusto, siue *de barato* siue pro chartis. &c. si principalis non restituat.

Resolvtio LXXVIII.

Quibus casibus sit peccatum mortale ludere.

SVMMARIVM.

695 *Casus recensentur in quibus est peccatum mortale ludere:*
Primò, si quis ludat magnam quantitatem, ex quo sequitur damnum notabile, v. g. filiis, vxori, creditoribus; &c. ibid.
696 *Secundò, si quis assuefactus est fraudulenter ludere, periurare, & blasphemare.*
697 *Tertiò, si ludant illi, qui non sunt sui iuris,*
Quartò, si adsit scandalum ibid.
Quintò, repræsentationes, & ludi theatrales, qui extra Ecclesiam sunt impediti, & peccatum mortale, est sacrilegium facere in Ecclesia ibid. & num.698.
699 *Sexto, in Hispania ludere taxillis est peccatum mortale, & n.700.*
701 *Septimò, personæ Ecclesiasticæ peccant mortaliter si ludis prohibitis deseruiant, & num. seqq.*
705 *Scholastici Salmantini peccant mortaliter, & sunt excommunicati ludentes vltra duos argenteos, contra præceptum latum à Magistro Scholarum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & n.706.*
707 *Clerici, & Religiosi inspicientes ludos fortunæ prohibitos non peccant mortaliter.*

695. INfertur decimoquartò, in quibus casibus sit peccatum mortale ludere. Primò, si quis ludat magnam quantitatem, ex quo sequitur damnum notabile v. g. filiis, vxori, creditoribus, quia licet ludere magnam quantitatem quando quis est sui iuris solum sit quædam prodigalitas, quæ secundum se non est peccatum mortale, sed veniale, at est mortale quando inde sequitur notabile damnum tertio. Sic Lopez, & alij quos citat & sequitur Thomas Sanchez *dub.24.num.8.* Caietanus *in summ. verbo prodigalitas.*

Secundò, si quis assuefactus est fraudulenter 696.
ludere, periurare, & blasphemare, dum malè succedit in ludo, odio prosequi, & iniuriis afficere lucrantem, & huiusmodi lusores non esse absoluendos quousque detestent. tenent Sanchez. Medina *lib.1. summ. cap.* 17. Lopez *tom. 2. c.31.* & alij.

Tertiò, si ludant illi qui non sunt sui iuris. 697.
Quartò, si adsit scandalum. Quintò, repræsentationes, & ludi theatrales qui extra Ecclesiam sunt impediti, & peccatum mortale eas facere, est sacrilegium facere in Ecclesia: si tamen extra Ecclesiam non est peccatum mortale, nec in Ecclesia, nam *cap. cum decorem de vita, & honestate Clericor.* solum prohibet Innocentius III. ludibria inhonesta, vt ibi Glossa, & Sylvester *verbo ludus* 698.
quæst.2. dicta, & Tabiena *q.4. num. 5.* dicit, *ludibria dicuntur narrationes rerum inhonestarum, & tales ludi non debent fieri in Ecclesia.* Et *cap.12. de immunitat. Eccles.* non est præceptiuum, vt notat Thomas Sanchez: vel si præceptiuum est, loqnitur sicut *cap. cum decorem.* de inhonestis, & turpibus. Quare non iudico mortale si in Ecclesia Monialium, aut Fratrum fiant repræsentationes, saltitationes *Bayles, Entremeses*, dummodo non sint inhonestæ, & turpes; sic enim consuetudine introductum, id Episcopis, & Prælatis videntibus, & consentientibus. Extra Hispaniam non ita facilè concederem, quia non sic introductum, nisi de rebus spiritualibus. 699.

Sextò, existimo quod in Hispania ludere taxillis est peccatum mortale. Ita Alcozer *lib. de ludo cap.12.* Castro *lib. de l. pœnali cap.12 §. secunda pars:* hic enim ludus maxima pœna prohibetur legibus Regiis *l.7.tit.7.lib.7.& l.15. tit.26. lib.8. nouæ collectionis*, quæ lex facta fuit à Philippo Secundo Rege prudentissimo, prohibente ne quis taxillos conficiat, aut vendat, aut asportet aliunde, & ordinante quod domus in qua tesseris luditur vendatur, & eius valor diuidatur inter fiscum, iudicem, & delatorem, & quod lu- 700.
dens, si nobilis fuerit exulet à Regno per quinquennium, etsi plebeius publicè flagelletur, & quinquennio remiget in triremibus. Quæ pœna non est imposita ludentibus ad chartas, imò istæ ex authoritate Regis diuenduntur. Quare lex prohibens chartis ludere non est ita strictè recepta, quod obliget ad mortale.

Septimò existimo personas Ecclesiasticas pec- 701.
care mortaliter si ludis prohibitis deseruiant. Ita Thom. Sanchez *dub. 28. num. 7.* Alcozer *lib. de ludo cap.11.* Angelus *verbo ludus num.4.* Tabiena *vbi sup. vers.3.* Armilla *num. 2. vers. 5.* & plures quos citat Sanchez, quibus addo Molinam *tr.2. disp.512. num.17.* Emmanuel Rodrig. *tom.2.q.37. art.1.* eius consobrinum *resol.48. num.41.* & plures alios quos citat, & sequitur Barbosa *in collect. ad cap. Clerici. el segundo de vita, & honestate Clericor.* Quibus adde Villalobos *vbi sup. diff.2.* Rebellum *lib.2. de obligat. iust. lib.12. q. vlt.*

Et ratio est, quia in iure sub graui pœna statui- 702.
tur ne Clerici ludis prohibitis taxillorum, & chartarum inseruiant *cap. Clerici el segundo citato cap. Episcopus 35. dist. & cap. Presbyter. 44. dist.* quas pœnas renouauit Concil. Trid. *sess.22. de reformat. cap. 1. & sess. 24. etiam de reformat. cap.12.*

*cap.*12. vnde *in cap. inter dilectos de exceſſib. Prælatorum*, quidam Clericus eo quod eſſet publicus aleator repellitur à quadam dignitate Eccleſiaſtica obtinenda. Et quamuis allegaretur quod in Gallia eſſet conſuetudo ludendi, non obſtante, repulſam paſſus eſt, *quia*, inquit Pontifex, *quod non conſuetudo, ſed corruptela erat.* vt notat
703. Molina *vbi ſup. diſputat.* 159. verſ. nihilominus, quem ſequitur Barboſa in præfatum *cap. num.* 3. addens, & optimè quod collatio facta Clerico aleatori eſt nulla, ſi de hoc conſtabat, tanquam facta indigno: etſi non conſtabat, quia erat occultus debet irritari, quod aduertit etiam Nicolaus Garcia *de beneficiis p.* 3. *cap.* 8. *n.* 39. & 40. dicens ſic cenſuiſſe Rotam Deciſion. 426. *num.*2. *in antiq.* videlicet Clericum aleatorem eſſe indignum cui beneficium conferatur,& ſi eſt publicus eſt collatio ipſo iure irritanda. Quod ego intelligo ſi publicitas ſit notoria, & cum ſcandalo; Clerici enim ſic publicè aleatores, vt docet cum pluribus idem Barboſa ſunt infames infamia facti. Vt autem publicus ſit aleator, vt notant Mo-
704. lina *num.*19.*in fine.* & Sanchez *num.*7. requiritur vt ſæpè id faciat, & ludis valdè ſeruiat, vt explicat Gloſſa *in cap.* 1. *diſt.* 35. *verbo aleæ inſeruiat.* Per perſonas Eccleſiaſticas intelligo beneficiarios, aut ordine ſacro inſignitos. Ita Lopez 2. *p. inſtructorij cap.* 31. Nauarrus *in Manuali cap.* 20. *num.*9.& 10. non tamen intelliguntur Clerici in minoribus, nec penſionarij.

705. Octauò exiſtimo Scholaſticos Salmantinos peccare mortaliter, & eſſe excommunicatos ludentes vltra duos argenteos, contra præceptum latum à Magiſtro Scholarum, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Quod præceptum quotannis fertur. Ita Sanchez *vbi ſuprà dub.* 27. Alcozer *cap.* 37. & Sotus *ibi citatus.* Et tunc ſtatutum eſt hoc, quia alias non cohiberentur à ludo, cuius peſtis ſerpit inter Scholaſticos,
706. cum maximo rei familiaris, & ſtudiorum detrimento. Hos autem duos argenteos ego intelligo ad vnum diem, & exiſtimarem pro qualitate perſonæ poſſe ad plus extendi, vt ſæpius conſultus dixi, quia hoc præceptum videtur fundari in præſumptione quod bona diſſipentur, & ſtudia impediantur.

707. Nonò exiſtimo non peccare mortaliter Clericos, aut Religioſos inſpicientes ludos fortunæ prohibitos. Ita Caietanus *in ſumm. verbo Clericorum peccata.* vbi egregiam, & vniuerſalem tradit doctrinam infra adducendam. Syluester *verbo ludus quæſt.* 8. niſi complaceant in ſubſtantia ludi mortalis, vel niſi ludum videndo exponeret ſe periculo peccati mortalis, ſi tamen non de ſubſtãtia ludi,ſed de dexteritate delectetur non mortale peccatum eſt. Quibus autem caſibus non ſit peccatum mortale ludere, tam in Clerico, quam in laico vide Sanchez *dub.*25. 26. & 28.

DIGRESSIO II.

Vtrùm inſpicere agitationem taurorum ſit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

708 *Taurorum agitationem inſpicere an ſit peccatum mortale?*

708. DE duobus caſibus in hac,& ſequenti Digreſſione ſæpius interrogatus ſum, & de ſecundo conſultus fui de ordine Gregorij XV. Romæ anno 1622. per Eminentiſſimum Cardinalem de Borgia, quare id quod tunc ſenſi aperiam.

SECTIO I.

Sententia affirmatiua adducitur.

SVMMARIVM.

709 *Eſſe peccatum mortale, qui Authores, quo nixi fundamento affirment? & n. ſeqq.*

INſpicere agitationem taurorum eſſe peccatum mortale in regularibus affirmant Gutierez *li.*1. *Canonicar. qq. cap.*7. Sanchez *dub.*31. *num.*10.& 709.
12. Emmanuel Rodriquez *tom.*3. *quæſt.*68. *art.*3. Vaſquez 1. 2. *diſp.*158. *num.* 44. Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſtit. cap.*3. *num.*369. Villalobos *tom.*2. *tract.*12. *diffic.*20. *num.*13. Mariana *tom. opuſcul. opuſc. de ſpectaculis. cap.*20.& 21. Hieron.Rodrig. *Reſol.*134. *num.*2. Lorca *de legib. diſp.*32.*§.*2. *Regula. pag.*455. & multi alij.

Fundamentum eſt, quia ſic prohibuerunt Pontifices. Primò, Pius V. *motu proprio edito anno* 1567. *Kalend. Nouembr. Pontificatus ſui anno* 2. qui omnino prohibuit ludum taurorum,tanquam cruentum, turpéque Dæmonum ſpectaculum, & nó hominum.Secundò Gregorius XIII *in ſuo Di-* 710.
plomate moderatiuo ad inſtantiam Philippi II. die 25.*Auguſt.anni* 1575. *Pontificatus ſui anno* 4. licentiam conceſſit, vt in Hiſpania tauri agitarẽtur & agitationi intereſſe poſſent omnes etiam Religioſi, equites militares: non tamen aliquis qui ſacris Ordinibus fuerit initiatus, ſiue ſæcularis, ſiue regularis. Tertiò, Sixtus Quintus *die* 14. *Aprilis anno* 1586.*Pontificatus ſui anno* 1.*in Breui directo ad Epiſcopum Salmantinum, contra quoſdam illius Vniuerſitatis Doctores, qui dicebant nullum reatum cõmittere clericos in Sacris, qui agitationi taurorum intererant*, dicit: *Nos autem vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiliter obſeruentur prouidere volentes, &c.* & tandem Clemens VIII. *die* 13. *Ianuarij anno* 711.
1596. *Pontificatus ſui anno* 4. omnia Breuia præfata reduxit ad terminos iuris communis: *Ablatis omnibus cenſuris,& pœnis dumtaxat Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæteriſque cuiuſcumque ordinis,& inſtituti Regularibus exceptis.* Hæc ibi: ergo cum ex Motu Sixti V. hoc ſit Pontificum præceptum,reatum aliquem inducit, & cum materia ſit grauis, vt conſtat ex verbis Pij V. *hanc agitationem non hominum,ſed Dæmonum eſſe ſpectaculum, reatus iſte mortalis erit.*

SECTIO II.

Sententia negatiua validè confirmatur.

SVMMARIVM.

712 *Sententia negatiua non caret probabilitate aſſerentium, etſi ſit culpa venialis Religioſos, taurorum agitationem videre, non tamen eſſe peccatum mortale, &c.*

713 *Adducuntur verba Petri de Ledeſma, Item & aliorum Doctorum auctoritatibus exornatur. ibid. & n.ſeqq.*

719 *Hæc ſententia validis nititur fundamentis.*

Primum fundamentum ponitur. ibid. & n. seqq.

722 *Secundum fundamentum adstruitur, & validè roboratur, vsque ad n.731.*

712. SEd quamuis hæc sententia valde probabilis sit, non caret opposita sententia probabilitate asserentium, etsi sit culpa venialis Religiosos Professos, cuiuscumque Ordinis, taurorum agitationem & ludum videre, non tamen esse peccatum mortale, ex vi prohibitionis Pontificiæ Pij V. & cæterorum, quos adduxi, sub excommunicationis ferendæ pœna. Ita tenent Petrus Ledesma *tom.2.summ.cap.3. de la excomunion conc.5.vers.à cerca desta conclusion.* vbi sic loquitur: *Pongo el exemplo. Pio Quinto en vn Motu proprio mandaua, so pena de excomunion maior non latæ sed ferendæ, que ningun Clerigo constituido en Orden Sacro, ò Religioso viesse los toros. La duda es si el que*

713. *los viesse pecaria mortalmente.* Et infra: *A esta duda respondo que es my mas probable, que el tal precept, y mandato no obligue a pecado mortal, sino que se ademirar la grauedad de la materia, para se pecado mortal, ò venial.* Idem tenet Mariana, *vbi supr. cap.22.* relato Diplomate Gregorij XIII. dantis facultatem ad taurorum ludum, dicit: *Hoc diplomate nihil de conditione huius ludi decernitur licitum, an illicitum sit agitare tauros.* & *c.23.* relato Diplomate Sixti V. *& Decreto* Concilij Toletani celebrati *an.1566. art.3. Decreto 26.* dicit, *Vtrobique nihil de grauitate peccati decernitur, sint ne mortis æternæ rei Clerici, ea spectacula spectantes, an tantum leuiter peccent.* & tandem *cap.24.* adducto Clementis VIII. Decreto subdit: *Nec hoc di-*

714. *plomate quidem de conditione ludi aliquid statuitur, sit ne rebus honestis, an illicitis annumerandus, ex ipsa natura rei, aliisque rationibus diiudicanda ea quæstio relinquitur, quæ sunt superius productæ.* Hæc ille. Quibus manifeste docet quod ex vi trium vltimorum Diplomatum explicantium, & declarantium motum Pij V. videre taurorum agitationem non esse prohibitum sub culpa lethali: atqui Motus Pij V. ad terminos iuris communis reductus fuit à Clemente VIII. in suo Diplomate,

716. vt constat, ibi: *Easdem Prædecessoris litteras ad terminos iuris communis perpetuo reducimus, ac statuimus, non obstantibus præmissis, nec non cæteris constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis.* Cumque ex iure communi nulla sit prohibitio de hoc taurorum ludo, non solum ablata est censura, sed & prohibitio, idque manifeste constat ex tenore præfati Diplomatis Clementis intendentis occasionem peccati scindere. Et quidem Rex Catholicus id exposcebat, parum enim illi concedebatur si prohibitione obligante sub lethali relicta, solum censura auferretur.

717. Eamdem sententiam insinuat Doctissimus Conciuis meus Petrus Pantoja *in Commentar. ad l. finalem C. de Aleatorib. pag.249. num.105.* cuius verba refero quia Liber obuius non est. *Qua salubri, leniſſimaque sententia subnixi, non solum laici, verum & Episcopi, & Clerici, securè, & absque lethalis criminis suspicione taurorum agitationi, sicuti ludis prohibitis, & reliquis spectaculis scœnicis possunt spectatores interesse, etsi satius esset vt homines tam suprema dignitate decorati, ab huiusmodi inspectione abstinerent.* Quibus etiam Religiosos comprehendit, & ratio quæ probat de Episcopis, etiam probat de Religiosis, vt infrà dicam.

Et tandem eamdem sententiam à fortiori de- 718.
bent tenere Villalobos *vbi suprà numero 16.* vbi dicit Religiosos laïcos & destinatos ad chorum, si non sunt ordinati in Sacris non peccare mortaliter; & illi qui dicunt quod si Conuentus aliquis fenestram, velturrim habeat versus forum, aut plateam in qua tauri agitantur non peccant Religiosi videntes huiusmodi ludos taurorum. Sic Auila *de Censuris*, & Valmasedanus *infra citandus.* Et tamen si præceptum Pontificium obligat ad mortale, quia materia grauis est, quo modo fit non grauis ex hac circunstantia? Legendi sunt Henriquez *in compend. casuum. Moral. cap.20. numero 33.* & Diana *5.part. tract.9. resol.21.*

Huius meæ sententiæ valida sunt fundamenta. Primò, quia taurorum agitatio non est prohibita, 719.
quia mala, sed mala est, quia prohibita, & sic eodem modo mala est huius ludi inspectio, ex qua capitur delectatio, vt constat ex Diplomatibus Pontificiis adductis: atqui hæc delectatio non est de hominum necibus, aut de vulneribus à tauris inflictis: hæc enim delectatio iure naturæ est mala, vtpotè de damno illato proximo, sed de velocitate tauri, de dexteritate lusoris, & aliis circunstantiis quæ in huiusmodi ludo interueniunt, quæ delectatio secundum se licita est, vt fatentur omnes expositores D. Thom. 1. 2. q.24. *art.4.* nec aliquo iure prohibita, quod si prohibeatur Religiosis hoc præceptum non obligat ad mortale, quia materia grauis non est.

Vnde Valmasedanus 2. 2. *disp.173. sect.29.* in- 720.
consequenter satis loquitur, cum enim §. 386. dixerit Religiosos omnes professos mortaliter peccare si adsint spectaculis taurorum, quia sic præceperunt quatuor Summi Pontifices supra relati subdit *p.387. Excipio eos qui vident tauros in Circo agitari, non tamen publicè, sed per cancellos, & occultè, itaut non videantur ab spectatoribus; illi enim nullam authoritatem dant ludo, quem prohibuerunt Pontifices: itaque si scandalum excludatur, non est peccatum mortale sic inspicere tauros.* Hæc ille, vt dixi, satis inconsequenter, quia in diplomatibus Pontificiis nullum verbum 721.
fit de scandalo, sed absolutè præcipitur ne Religiosi intersint ob rationes quas adducit Pius V. *quia non hominum, sed Dæmonum est spectaculum.* nullus autem dubitat quod si adsit scandalum sit peccatum mortale, at non adesse in Religiosis ordinariè dicimus, adesset tamen si quis Capuccinus, aut Carthusianus adesset: si ergo secluso scandalo non est peccatum mortale ex vi præcepti Pontificij, velit nolit, nobiscum sentit Valmasedanus.

Secundum fundamentum est, quia quando præ- 722.
ceptum aliquod imponitur à Superiori sub pœna excommunicationis ferendæ, transgressio talis præcepti non est mortalis, quando materia grauis non est, & sufficiens ad peccatum mortale, etiam si talis pœna non adesset: ergo cum Religiosis sit prohibita taurorum ludi inspectio solum sub excommunicatione ferenda, non lata, non peccabunt mortaliter, si tales ludos inspiciant. Antecedens docet Caietanus grauissimè *in summ. verbo Clericorum, peccata*, vbi adductis multis præceptis impositis à iure canonico Clericis sic loquitur: *Nec obstat dictis quod excommunicandus sit si quis ex Clericis comam relaxauerit, quoniam non in-* 723.
currit pœnam excommunicationis, non dico latæ sed ferendæ sententiæ, nisi contumax, & pertinax fuerit, quoniam quidquid sit de rigore iuris, æquitatis,

tatis tamen ratio habet, vt non sit excommunicandus nisi prænonitus à iudice suo: tum ne quasi ex improuiso tanta, talisque pœna inferatur, pro his quæ non sunt ex suo genere criminosa; tum propter tantam multitudinem impune solitam hæc transgredi, itaut non pro magno peccato transgressio reputetur, quæ ex suo genere mala non est, sed ex iure positiuo, excommunicatio enim, non nisi pro magno crimine inferenda est. Et propterea non incurrit iudicio meo mortale peccatum ante contemptum, seu contumaciam; & propter hanc rationem (quia
724. *scilicet pœnæ graues, grauiores, ac grauissimæ in iure appositæ, exceptis excommunicationibus latæ sententiæ aut sunt tales quæ sine peccato incurri possunt, aut sine peccato mortali incurri non possunt exigere videntur monitionem, vt non nisi in contumacem ferantur) extendi iudicium meum ad omnia clericis prohibita; & dixi quod si desit temeritas, contemptus, & contumacia non video ex vi præcepti peccatum mortale.* Hæc Eminentissimus Cardinalis quibus eminentissimè fulcimina nostræ sententiæ iecit.

Idem docent Valentia 1.2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 6.
725. §. 3. *vers. Quartum signum est*, qui citat Nauarrum *in summ. cap.* 23. *num.* 52. sed male, cum oppositum dicat. Martinez 1.2. *q.* 62. *art.* 4. *dub.* 3. *pag.* 164. Salonius 2.2. *q.* 77. *art.* 1. *controu.* 8. *conc.* 8. Armilla *verbo lex num.* 4. *vers. sexto*, & *verbo Præceptum num.* 6. Suarez *lib.* 4. *de legibus cap.* 18. *num.* 18 & *disp.* 3. *de censur. sect.* 10. *num.* 18. Cornesо *disp.* 5. *de excommunicat. dub.* 2. *conc.* 1. Lorca 1.2. *disp.* 22. *de legibus*, vbi sic loquitur: *Asseramus ergo excommunicationem, maiorem etiam, quæ non est latæ sententiæ, sed ferendæ esse argumentum mortalis culpæ, nisi requirat vt antequam feratur præcedat admonitio.* In qua doctrina conueniunt Suarez Armil-
726. la, Martinez, & dicunt esse mitiorem, Bonacina *de censuris in communi disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 9. *num.* 4. *vers. ad* 2. Candidus *de censuris disp.* 22. *art.* 8. *dub.* 2.

Probatur *ex cap. Sacro approbante de sent. excommunicat.* vbi statuitur quod nulla feratur ex-
727. communicatio, nisi præuia admonitione: atqui quando excommunicatio est ferenda vt incurratur de facto non sat est admonitio legis, sed alia est necessaria omnino. Quod declarauit Sixtus V. in re de qua agimus, siquidem cum Pius V. prohibuisset sub pœna excommunicationis ferendæ, ne clerici in Sacris agitationi taurorum interessent, videns Sixtus quod Doctores Salmantini etiam in Sacris, assistebant, quia illis non erat facta admonitio iuridica, Episcopo Salmantino committit liberam facultatem, ac authoritatem *monendi, ac illis præcipiendi, atque mandandi, necnon contra inobedientes, cuiuscumque authoritatis*
728. *fuerint, ipsis prius, etiam per edictum publicum..... summarie extraiudicialiter de non tuto accessu citatis.* Sentit ergo Pontifex quod ad hoc quod incurratur censura ista, necessaria erat admonitio præcedens per edictum, & sic contraueniens huic præcepto de non videndo ludo taurorum non peccat mortaliter, quia ante talem monitionem non est contumax, sicut clericus comam nutriens
729. non peccat mortaliter ante admonitionem, etiam si illi prohibeatur sub pœna excommunicationis ferendæ. Legantur Diana *p.* 5. *tract.* 9. *de excommunicat. resol.* 19. § *Sed mihi.* Hurtado *de censuris in comm. diffic.* 8. Vnde S. Thomas de Villanueua, *serm.* 2. *de S. Ioanne Baptista* dicit *se non audere condemnare inspectores ludi taurorum.*

Thom. Hurtado Resol. moral.

Horum omnium ratio à priori est, quia vt notant Doctores in materia de legibus tunc colli- 730.
gitur aliquod præceptum, aut legem obligare ad culpam mortalem, quando pœna imposita grauissima est, vt quando imponitur pœna mortis, priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, aut priuilegij Clericalis, & omnium beneficiorum ipso facto incurrenda, vt per varias resolutiones ostendit Diana *tract de legibus*, Martinez, Suarez, & Lorca locis citatis, atqui excommunicatio ferenda cum non incurratur eo ipso quod fiat aliquid contra præceptum, non censetur pœna grauissima: ergo transgressio præcepti huiusmodi non est mortalis, sed ad summum venialis. Vnde data opera Pius V. in suo Motu proprio, non vsus est verbo 731.
Præcipimus, aut *interdicimus*, sed verbo *Prohibemus*, ex quo, vt communiter Doctores asserunt, non colligitur obligatio sub mortali.

SECTIO III.

Satisfit oppositо fundamento.

SVMMARIVM.

732 *Respondetur ad fundamentum oppositæ sententiæ, negando quod assistentia agitationi taurorum sit materia grauis, &c.*

733 *Patres quos adducit Mariana loquuntur de pugna cum bestiis Gentilico more.*

AD fundamentum oppositæ sententiæ res- 732.
pondetur negando quod assistentia agitationi taurorum sit materia grauis; si enim quis assistat ea intentione vt hominum neces & vulnera videat, & de his delectetur, spectaculum est non hominum, sed Dæmoniorum: si tamen assistat vt dexteritatem ludentium, velocitatem bestiæ videat, & delectetur de his, spectaculum est hominum Hispanorum, cuius desiderio, & licita voluptate, ex ipsorum animositate oriunda, & cordis valentia sunt enutriti. Et sic ludi isti, prout illis vtimur in Hispania, non Gentilitio more quo vtebantur Romani in Circo Flaminio, sed Catholico moderato licitus est ex natura rei, vt notant Ioannes Medina *C. de Restit. q.* 21. Bar- 733.
tholomæus de Medina *in summ. lib.* 1. *cap.* 14. §. 28. Quare Patres quos adducit Mariana *vbi supra cap.* 20. loquuntur de pugna cum bestiis Gentilico more.

DIGRESSIO III.

Vtrum videre ludos theatrales vulgo *Comœdias*, sit peccatum.

SVMMARIVM.

734 *Comœdias videre an sit peccatum?*

EX dictis colligi potest non esse peccatum mortale ex natura rei, & per se loquendo as- 734.
sistere ludis theatralibus vt modo fiunt inter Catholicos *Comœdias, Bayles, Entremeses*, & similes repræsentationes, etenim Tractatu 1... Resolut.... ostendi officium Repræsentantium non esse secundum se malum.

SECTIO I.

Adducitur Sententia Valmasedani.

SVMMARIVM.

735 *An homines laici peccent mortaliter si permittant vxores, filios & filias &c. assistere Comœdiis. Sententia Valmasedani adducitur.*

736 *An peccent Clerici, & Religiosi assistentes Comœdiis.*

737 *An peccent omnes, qui pecuniam dant Comœdiariis.*

735. QVi Disputatione citata *sect.*28. *à* §.356. docet primum homines laicos peccare mortaliter si permittant vxores suas iuuenes filios, aut filias adire theatra ad Comœdias audiendas, quia ista spectacula sunt ingentis occasionis incentiua ad peccandum, quod probat ex Cypriano *epist.*2. *ad Donatum.* Chrysostomo *hom.* 28. *in Matth.*

736. Secundum dicit §.358. omnes clericos in Sacris, & Religiosos peccare mortaliter ratione scandali, quod esse scandalum theologicum, & non admirationes probat ex aliquibus Conciliis Prouincialibus Agathensi, & Nardaucensi prohibentibus Clericis ne assistant spectaculis, quæ in nuptiis, & scænis fiunt, ne auditus, aut obtutus sacris mysteriis deputati, turpi spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. Id confirmat quia sæculares dum reprehenduntur quia comœdias vident se excusant dicentes eas audire viros Religiosos,& Ecclesiasticos.

737. Tertium dicit §.362. peccare mortaliter omnes qui pecuniam dant Comœdiariis pro pretio audiendi comœdiam. Probat ex Augustino *in Psalm.*102. *vers.*9. *Faciens Misericordias Dominus, & Tract.*100. *in Ioann.* dicente. *Vitium esse immane res suas donare hystrionibus.* Deinde ratione. Quia histriones omnes sunt in statu peccati mortalis, sed qui dant illis pecuniam pro videnda comœdia cum illis paciscuntur, vt comœdiam quæ turpis est, & scandali causa repræsentent, & sic illos suis pecuniis iuuant, vt persistant in damnationis statu: ergo donantes peccant.

SECTIO II.

Opposita sententia negatiua eligitur vt probabilior, & secura.

SVMMARIVM.

738 *Comœdias videre secundum se licitum esse tam laicis quam Religiosis, probatur, & num.seqq.*

738. BEne lamentatur P.Ioannes Mariana eiusdem Societatis opusc.de spectacul.cap.20. *Miserum est negare non posse, quod pudet confiteri, quæ magna est nostri Ordinis.....nihil esse tam absonum, quod à Theologo aliquo non defendatur.* Hoc ille. Quod si ita est, & Pontifex Summus Clemens VIII. in Diplomate supra relato ideo concedat agitationem taurorum, *Quia,* inquit, *ob insitam, quasi animo vniuersis eius Regionis hominibus eorumdem congressum, & spectaculorum cupiditatem qua tenentur, vt nisi vi maxima ab illis arceri non possint &c.* Quæ ratio non minus curit in theatralibus ludis Comœdiarum, saltationum &c. Hoc tempore hæc tria dicta Valmasedani non solum non medentur animas, sed plurimum obsunt. Quare Theologi prudentis est conscientias fidelium quietare,& motiua tradere, quibus eam visionem exerceant sine detrimento animæ. 739.

Igitur dicendum est Comœdias videre secundum se licitum esse,tam laicis, quam Religiosis. 740. Ita tenet Sapientissimus P.Thomas Sanchez *tom.* 1.*consilier.cap.*8.*dub.*35.vbi sic loquitur: *Dico* 1. *Hos saltus, & Comœdias licet sint prophanæ non esse peccatum mortale dummodo non misceantur ibi res directè,& per se prouocantes ad luxuriam, tunc enim essent peccatum mortale.* Sic Alcoçer *lib. de ludo cap.*54.Silvester *verbo ludus q.*8. Angelus *ibi num.*3. D.Antoninus 2.*p.tit.*3.*cap.*27.*num.*11. *Et dicunt hi tres similiter peccare mortaliter eos ludos aspicientes, quando directè prouocant ad luxuriam, propter periculum probabile cui se exponunt.Vnde videtur quia cessante hoc periculo in vidente, non peccaret mortaliter hos ludos videns.* Hæc ille. Quæ prius docuerat *lib.*9. *de Matrim.disp.*46.*n.* 42. vbi ait: Clericos in Sacris non peccare mortaliter si Comœdiis intersint, cessante scandalo, quod hodie cessare credo, cum frequentissimum sit Clericos illis interesse. Idem docet Salas 1.2. 741. *tom.*2.*tract.*13.*disp.*6.*num.*165.Bonacina *de Restitut.in particular..disp.*2.*q.*3.*punct.*1.*num.*16. *& q.* 6.*de Matrimon.punct.*9.*num.*22. Diana *p.*2.*tract.* 17.*resolut.*35. *Si comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, etiam si res turpes repræsententur, & modus repræsentandi sit turpis, Ego puto non esse peccatum mortale.* Hæc ille, & citat Squillante *de obligation.Clericor.p.*2.*num.*25. Lorcam *disp.*28.*de peccatis memb.*3.§. *Ex dictis vers.*2.*si delectatio.* ibi. *Excusari possent qui audiunt Comœdias, vel legunt libros in quibus res turpes, & facinora repræsentantur.* Gregorius Martinez 1.2. *q.*74. *art.* 8. *dub.*1.§.*ad* 3.*vers.Probabilius.*Samuel Lumblinus *in summ.verbo ludus num.*30. 742.

Probatur primò, officium histrionatus, vt hodie exercetur in Hispania non est malum per se, & ex suo exercitio: ergo licitè potest exerceri: ergo illius exercitium licitè potest intueri. Vtraque consequentia euidens est, quod ab alio potest publicè exerceri secundum se non generat scandalum, & sic potest ad capiendam delectationem licitam videri. Antecedens docui tractatu"" resol""" ex D. Thoma, & Caietano, vtriusque verba dans. Modo tantum do verba Sylvestri *verbo ars num.*6. §. *septimo*, vbi inquirit. Vtrùm licita sit ars histrionatus, & respondet: *Quod histrio est qui sua persona ludum facit, sine vitæ periculo, & eius ars secundum D.Tho.* 2.2. *q.*168. *& alios Doctores, est licita si fiat moderatè loco,& tempore, & à personis congruis, id est, laicis, quia ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, quod humanæ vitæ necessarium est, sicut cibo, sale, & eo casu licitè perspiciunt.* Hæc ille. Nec obstat quod addat esse peccatum mortale si fiat cum verbis turpibus, aut actibus repræsentantibus turpia, quia hoc verum est loquēdo de turpitudine mortali, cui mortale periculum iunctum est scandali audientibus, aut videntibus; tamen officium secundum se licitum est. Similia habet Tabiena 743. 744.

verbo

verbo ars num. 9. & verbo histrio num. 1. Ægidius Trullench *lib. 7. in Decalog. cap. 27. dub. 6. n. 5.*

745. Et ratio D. Thomæ id demonstrat, quia hoc officium est vtile conuersationi humanæ, si quidem ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, & sic non est secundum se illicitum, nec histriones sunt in statu peccati mortalis, atque ita si hoc officium ordinatur ad solatium, & voluptatem hominibus exhibendam, si homines illo vtuntur prout oportet non est peccatum mortale.

SECTIO III.

Diruuntur fundamina opposita.

SVMMARIVM.

746 *Euertuntur fundamenta Valmasedani, & num. 747. 748. & seqq.*

746. EX quo ruunt, vt minus probabilia in praxi tria dicta Valmasedani, vtpotè illaqueantia conscientias hominum contra communem vsum totius Hispaniæ, in qua Regij Consiliarij, confessor Regius doctissimus, & Reges ipsi prudentissimi Comœdias permittunt ad solatium Reipublicæ, imò & Romæ, me præsente histriones Hispani tempore Gregorij XV. publicè repræsentarunt, annuente, & facultatem præstante Summo Pontifice. Quod si eas videre peccatum esset mortale, non introduceretur, sicut introductæ sunt, & repræsentatæ coram Eminentissimis Cardinalibus. Testem profero Eminentissimum Cardinalem de Borgia, qui intercessit coram Sanctissimo, vt Hispani histriones Comœdias suas agerent coram populo Romano, & sic omnino fal-
747. sum est peccare Patres qui consentiunt filios, aut filias, aut vxores iuuenes comœdias audire, vt hodie fiunt in Hispania.

Cyprianus vero, & Chrysostomus loquuntur de histrionibus, & Comœdiis, vt antiquitùs repræsentabantur summa impudicitia, & turpitu-
748. dine, qualis hodie non est, nec permittitur, etsi histriones viri, & fœminæ non sint bonæ vitæ, tamen hoc non est ex vi officij, sed ex ipsorum malitia, quod si aliquæ actiones, verba, motus incompositè fiant non fiunt animo incitandi ad luxuriam, sed ad delectationem, & risum aliis ingerendum, vt dicebat Caietanus, nec ita incompositæ sunt Comœdiæ, turpes vt ex natura sua proximè incitent ad venerem, vel ad eius desiderium.

749. Secundum dictum quoad Clericos sæculares contraria consuetudo euertit, vt dicebat Thomas Sanchez, nec illa Decreta iam sunt in vsu, nec obligant ad mortale, nisi ratione periculi proximi, si quod habeant videntes, quæ obligatio etiam est sine illis Decretis: existimo enim quod si quis sentit se consentire in peccatum ex visione Comœdiæ, tenetur non videre, sicut si quis sentit se incidere in consensum mortalem quoties videt aliquam mulierem tenetur fugere eius visio-
750. nem. De Religiosis etiam falsum existimo dictum Valmasedani, non enim sunt scandalo sæcularibus, qui licitè, vt videmus, vident Comœdias, vt in alio simili dixit Emman. Rodrig. *in suum. tom. 2. cap. 71. num. 5.*

Tertium dictum omnibus absurdius est, non enim mortaliter peccant dantes pretium, vt audiant comœdiam, nec enim fouent histrionum malam vitam, & mores, quos habent ex sua malitia, sed pecuniam dant, vt percipiant delectationem secundum se honestam, quod histriones vitient sua est culpa, non dantis, qui dat pro re, secundum se licita. Augustinus etiam loquitur de prodigalitate qua quis dissipat bona sua in histriones, qui tunc temporis inhonestissimi erant in suis repræsentationibus, vt interpretatur Tabiena *verbo histrio in fine.* Glossa *ad cap. donare 7. verbo talibus 86. distinct.* Vnde Augustinus ibi- 752.
dem etiam reprehendit qui donat venatoribus, qui vt notat ibi Glossa *sunt venatores illiciti.* 751.

SECTIO IV.

Peccat mortaliter qui Comœdiis prophanis loca sacræ Scripturæ prophanè explicat.

SVMMARIVM.

753 *Qui in Comœdiis prophanis, vt Principes adulentur, loca Sacræ Scripturæ, Historiam sacram, &c. prophanè explicant, vel applicant, peccant mortaliter.*
Concilij Trid. verba referuntur, & exponuntur. ibid. & num. seqq.
756 *Quid si mysterium relatum quis applicet alicuius Principis successui?*
757 *Enarratur casus singularis ad propositum.*

GRauissimè & mortaliter peccant qui in Comœdiis prophanis, vt Principes adulentur & captent, loca S. Script. aut Historiam Sacram, mysteriumve aliquod in S. Script. contentum prophane explicant, vel applicant. Ita Trullen. *vbi sup. dub. 1. num. 2. & dub. 6. num. 3.* & sancitum est 753.
in Trident. *sess. 4.* vbi sic habetur: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque conuertuntur, & torquentur verba, & sententiæ S. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, & fabulosa, & vanas adulationes, detractiones, &c. mandat, & præcipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrariis pœnis per Episcopos coërceantur.* Hæc Concilium.

Quam doctrinam sic exponit Author *voti Platonis de Exam. Propositio. c. 14. Ad irrogandam hanc censuram, non sat est si sacra prophanis, aut prophana Sacris immisceantur, sed præterea necesse est vt irreuerenter, vel ridicule, vel assentatorie, vel maledice, vel indecenter id fiat; aliter enim nihil peccatur, cum sæpe Sancti Patres, & Interpretes res, & locutiones Sacras per res, & locutiones prophanas Philosophorum, Poëtarum, & Oratorum explanent.* Ita Poza. Vnde si quis Poëta, aut Concionator accommodatitiè Historiam alicuius viri celebrati in Sacra Scriptura, & huius verba accommodet ad vitam, & actionem alicuius Prin- 755.
cipis, aut viri illustris, non miscet sacra prophanis, si moderatè, & reuerenter fiat, & non adulatoriè, & ad irrisionem mouens. 754.

Si tamen aliquod mysterium reuelatum applicet quis in Comœdia ad alicuius Principis succes- 756.
sum existimo talem Poëtam adulatorie poëtizasse & miscere irreuerenter Sacra prophanis, dignum-

que esse censura Concilij. Quare recte Reuerendissimus Pater Fr. Antonius de Saauedra, mihi omni veneratione dignus, & amicitia valde iunctus Prior in Conuentu S.Dominici de San-Lucar de Barrameda quondam sui Ordinis Prouinciam sancte,& prudenter gubernans, & Ego consuluimus excellentissimo Proincipi D. D. Gaspari de Guzmã Duci de San-Lucar,ne quædam introductio, *Loaj*, ad repræsentationes Sacramentales 757.
fieret, in qua Matrimonium tunc suum celebratum cum secunda vxore comparabatur Sacramento Eucharistiæ. Cui consultationi, ita assensit piissimus Princeps,vt iamiam incepta *Loa*, ab ea desisti iusserit,coram vniuerso populo.

Resolvtio LXXIX.

Qualiter quis obligetur voto facto de non ludendo.

SVMMARIVM.

758 *Qua ratione quis obligetur voto quod fecit non ludendi? & n.seqq.*

758. INfertur decimoquintò. Qua ratione quis obligetur voto quod fecit non ludendi, de quo latè tractant Sanchez *lib.3.summ. cap.*18.Candidus *disquisit.*26. *de iuramento à dub.*7. Suarez *tom.*2. *oe Religion. tract.*6.*lib.*2.*cap.*11.*num.*13. Et quidem vt hæc illatio breuiter, & compendiosè intelligatur, notandum est quod cum votum sit actus Religionis quæ habet pro obiecto cultum Dei, & Deus colatur virtutum actibus, materia, & obiectum voti non debet esse aliquid adiaphorum, & indifferens secundum speciem, sed aliquid secundum suam speciem honestum saltem imperatiuè, hoc est, ex imperio alicuius virtutis ordinantis obiectum indifferens ad finem hone-
759. stum, à quo participat suam honestatem. Ita Authores citati, quibus adde Lessium *lib* 2. *cap.*40. *dub.*7. *num.* 40. Sotum *de iust. & iur. lib.* 7. *q.* 1. *art.*3 *in* 2. *argument.* Nauarrum *in Manual. c.*12. *num.*37. Caietan. 2.2. *quæst.* 88. *art.*2. *vers. circa indifferentia.* vbi Raphaël de la Torre *disput.*4. Summistæ *verbo votum* 1. vbi Syluester *quæst.* 4. Tabiena *num.*4. Angelus *num.* 5. & est omnium, vt notat Azorius *tom.*1. *lib.*11. *cap.*14. *q.*5. quam expresè docuit S.Thom. *in* 4. *distinct.*38.*quæst.*1. *quæstiunnc.*2.

760. Ex hoc principio, quod vt dixi, indubitatũm est, plures deciduntur casus circa votum, vel iuramentum de non ludendo absolutè loquendo, prout comprehendit ludum tam illicitum, quàm honestum, & licitum, qui est obiectum virtutis eutrapeliæ, nullum est, & non obligat. Ita Emmanuel Rodrig. *in summ.tom.*1.*cap.*188. *num.*10. Villalobos *tom.*2. *tract.*34. *diffic.*2. *num.*2. & colligitur ex D. Thom. quem omnes sequuntur 2.2. *quæst.*168. *art.*1. & 2. vbi dicit, quod ludus moderatus est obiectum virtutis eutrapeliæ, ac per consequens est conformis rationi, & in aliqua occasione est sub consilio, & præcepto, vt notat Suarez, *vbi suprà*: ergo ludi (prout est obiectum virtutis) abstinentia, non est materia voti, etsi enim ludi, prout causet delectationem sensibilem,abstinentia, est mortificatio, sicut & non nu-
761. bere est materia voti, quia Deo magis placet quod quis mortificetur huius mundi recreationibus, & delectationibus licitis, hoc est, non illicitis; tamen non magis placet Deo abstinentia huiusmodi, quatenus est materia necessaria virtutis eutrapeliæ, sicut cibus moderatus est materia necessaria temperantiæ, non enim placet Deo omnimoda ciborum abstinentia. Quare egregiè S. Doctor loco citato *art.*4. ex Arist. *lib.*2. *Ethicor. cap.*7. *& lib.*4. *cap.* 8. dicit quod defectus in ludo est vitiosus; est enim, inquit, contra rationem, vt aliquis se aliis onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam aliorum delectationes impedit, & ideo talis durus, vitiosus,& agrestis dicatur: votum autem non est de vitio, & sic ille qui absolutè vouet nullo ludo vsurum, non tenetur voto, etiam si postea ludo 762.
illicito ludat, quia materia voti non fuit aliquis ludus in particulari, sed omnis omnino ludus, quæ materia vitiosa est: si tamen quis intendat, dum vouet, se abstinere à ludis, quatenus iuxta dictamen rationis moderati illi sunt permissi, & honesti, tenet votum non nubendi, & abstinendi à cibis moderatis à ratione, non tamen necessariis ad vitam naturalem.

Resolvtio LXXX.

Qui vouit non ludere cum determinata persona, &c. non tenetur voto, qualiter.

SVMMARIVM.

763 *Si quis vouerat non ludere cum aliqua determinata persona, vel aliquem determinatum ludum, vel in domo determinata, manente tamen libertate ludendi alibi, & cum aliis, vel aliis ludis, non obligat votum.* 763.

764 *Et quid si quis vouerat non lusurum vt vacet rebus diuinis? & num.*765.

766 *Item si quis vouerat non lusurum ne res familiaris dissipetur?*

767 *Item si quis vouerat non lusurum in certa domo, quia est ibi occasio peccandi, vel cum certa aliqua persona, quæ sibi occasionat rixas, & iuramenta, &c.? & n.*768.

SEcundò, si quis vouerat non ludere cum aliqua determinata persona, vel aliquem determinatum ludum, vel in domo determinata, manente tamen libertate ludendi alibi, & cum aliis, vel aliis ludis, non obligat votum. Sic Thomas Sanchez *vbi sup. n.*9. & Aragon 2. 2. *tom.*2. *fol.*976. *conc.*1. Raphaël *vbi supr. num.*4. vt si quis vouerat non ludere tali ludo, quia sibi molestus, & semper perdit, vel quia talis domus sibi infelix, vel quia alter collusor bene fortunatus, si tamen quia persona est Religiosa, aut non sui iuris, aut quia occasionat rixas, blasphemias, &c. aut quia 647.
ludus est occasio dilapidandi bona temporalia,tenet votum. Rursus si vouerat non lusurum, vt vacet rebus diuinis, &, & pœnitentiam agat, quia pœnitentibus luctus, & non ludus conuenit, vt dicit Aug. *de vera, & falsa pœnit. cap.*15. Ambrosius *lib.* 1. *de officiis cap.* 23. Chrysostom. *hom.*6. *in Matth.* votum tenet. Est communis, & certa. Ita Suarez *vbi supr.* Sanchez *num.*3. qui addit esse peccatum mortale, siue sit magna, siue parua quantitas quæ ludo exponitur, dummodo multum temporis insumatur, nam à multo, vel à paruo tempore desumenda est materiæ paruitas, vel maioritas in voto facto ex hoc motiuo, 765.

ex

ex quo homo intendit se priuare delectatione sensibili, & sic nec pro alio potest ludere.

Si vero quis voueat non lusurum ne res familiaris dissipetur, sumitur paruitas à paruitate pe-
766. cuniæ exposita iuxta qualitatem, & statum ludentis, qui hoc fine vouit, ait Sanchez, qui *num.6.* dicit quod nec per alium potest ludere. Sed ego contrarium sentio, nisi id expresse intenderit vouens, cum potius frequentius contingeret, quod quis per se ipsum ludens perdat, & non ita frequenter per alium, & iuramentum semper est restringendum vt minus obliget, vt notauit Abbas *in cap. Clerici de verbor. significat.* iuxta *cap.1. de iureiurand. in 6. & l. quidquid D. de verbor. signif.* Ita tenet Candidus *vbi sup. dub.9.* qui enim ludit per alterum non propriè ludit, vt est communis loquendi modus.

767. Tertiò, si quis voueat non lusurum in certa domo, quia ibi est occasio peccandi, vel cum aliqua persona, quæ sibi occasionat rixas, & iuramenta, si non fiat votum ob hoc motiuum, sed vt sumat vindictam, aut satisfaciat iniuriæ suæ, non tenet votum, quia materia illius nec tacitè est ordinata ad diuinum cultum. Ita Candidus *vbi supr. dub.11. conc.22.* Si tamen quis voueat non lusurum cum aliqua persona quia sibi est occasio, dum perdit, iurandi, potest cum illa, & aliis simul ludere, nullo cum illa ad inuicem ex
768. ludo lucro reportato. Ita Sanchez *num.11. & 12.* quia iuramentum ex suo motiuo non se extendit ad hunc casum.

Resolvtio LXXXI.

Qui vouit non ludere, sine consensu Patris, isto mortuo, cessat votum.

SVMMARIVM.

769 *Si quis voueat non lusurum sine consensu Patris aut sui amici, cessat obligatio voti mortuo Patre, aut amico.*

770 *Et quid si pater incidat in amentiam.*

771 *Item si quis voueat non lusurum quousque amicus ab India venerit, si in itinere morte præuentus sit amicus?*

772 *Nullus censetur perpetuam sibi imponere obligationem nisi expresse vel tacite id intenderit.*

769. QVartò, Si quis voueat non lusurum sine consensu Patris aut sui amici cessat obligatio voti, mortuo Patre. Ita Sanchez *num.14.* & Bonacina *disp 4.quæst.1.punct.16.num.6.circa præcept.2.Decalogi.* Qui addunt, quod si pater, vel amicus incidat in perpetuam amentiam non cessat voti obligatio. Sed mihi hoc non placet, & existimo tunc votum non obligare. Ita Barthol. *l.Sanctissimis 46.num.13. D. de verbor. significat.* Et ratio est, quia licet furiosus non dicatur amittere voluntatem, quam antea habebat aliquid retinendi, aut possidendi, sed semper præsumitur in ea perseuerare, vt dicitur in *Cap. Maiores. de Baptismo §. finali. & l. si iis qui animo 27. D. de acquirenda possession.* Et sic si quis ante amentiam voluit baptizari, vel animo possedit saltem, cen-
770. setur semper persistere in eadē voluntate, etiamsi amens, vel furiosus fiat: tamen si quis vouit non lusurum sine Patris consensu, si Pater incidat in amentiam, impossibile est consensum præbere: non secus ac si esset mortuus, quia iam amisit imperium in filium, quantum ad illius gubernationem.

Idem dico si quis voueat non lusurum quous- 771.
que amicus ab India venerit, si in itinere, vel antequam veniat, morte præuentus sit amicus, existimo quod à die mortis liberatur à voto. Cuius contrarium sentit Thomas Sanchez *num. 15.* licet enim in gratiis verum teneat huius Doctoris sententia, quam latè probat *lib.8. de Matrimon. disp.28. num.52. & 53.* quia iam gratiam concedens sub conditione, si aliquid fecerit, morte præ-
uentus, id non potest præstare, & sic gratia perpetuatur: at in obligationibus voti, & iuramenti sub conditione, si quis aliquid fecerit, & morte sit præuentus, non perpetuatur obligatio, nisi 772.
id intenderit vouens, nullus enim censetur perpetuam sibi imponere obligationem, nisi expresse, vel tacite id intenderit.

Resolvtio LXXXII.

Votum ludendi aliquo ludo ex omni circunstantia honesto tenet.

SVMMARIVM.

773 *An votum vel iuramentum ludendi aliquo ludo honesto ex omni circunstantia, quando, & vbi, & quomodo oportet, sit validum? & n.seqq.*

QVintò, Quod votum, vel iuramentum lu- 773.
dendi aliquo ludo honesto ex omni circunstantia, quando, & vbi, & quomodo oportet est validum multo magis quam votum adeundi agrum causa sanitatis. Huius contrarium sentit Raphaël de la Torre *num.8.* Ratio est quia non esse cuttapelum est vitium, & peccatum duritiei, & agrestitatis, vt vidimus ex D. Thom. ergo materia huius voti est referibilis in cultum Dei. Consequentia est euidens, quia Deo resultat cultus, & irreuerentia, ex carentia cuiuslibet vitij, nec enim ludus omnibus suis circunstantiis vestitus est actus solummodo imperfectorum, imo est perfectorum valde, in quibus perfectè est virtutum omnium chorus, & omnes in illo possunt suos exercere actus.

Fateor tamen aliquos esse ludos qui in Deum 774.
referibiles non sunt, vt fiunt à ludentibus, & de illis votum, & iuramentum factum non tenent: talis est ludus taurorum, cuius omne votum, & iuramentum irritum fecerunt quatuor Summi Pontifices in suis Diplomatibus supra relatis. Rursus actus & repræsentationes Sacramentales vt fiunt ab histrionibus publicis qui multa indecentia admiscent. Idem sentio de choreis factis 775.
ab hominibus conductitiis, multoties enim, & vt in plurimum indecenter ab illis fiunt: etsi enim saltus & choreæ coram Domino factæ licitæ sint, & in Deum referibiles, vt constat in Dauide qui ludebat huiusmodi ludo coram Arca Dei in ipsius honorem, & reuerentiam. Et sic qui vouerat inducere huiusmodi repræsentationes de rebus diuinis, & honestis faciendas ab hominibus modestis, quod tale votum teneret: vt enim optime notauit Lumblinus *in summ. verbo Cantus numero 4.* in huiusmodi voto potest esse motiuum excellens, vt videlicet homines propter nimiam

elon

elongationem à diuino cultu his ludis allecti diuinis interfint.

Resolvtio LXXXIII.

Qualiter obliget votum pœnale de non ludendo.

SVMMARIVM.

777 *Si quis vouit non lusurum sub pœna centum aureorum; si postea immemor voti ludat, non tenetur soluere pœnam.*

Idem dic de eo qui obliuione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, nimirum, quòd non teneatur restituere fructus, &c. ibid.

778 *Declaratur magis qualiter obliget votum pœnale de non ludendo, & n. seqq.*

777. SExtò, si quis vouit non lusurum sub pœna centum aureorum, si postea immemor voti ludat non tenetur soluere pœnam, quia naturalis obliuio æquiparatur ignorantiæ in iure ciuili. Ita docent Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 22. num.* 18. & alij. Idem dic si dum ludit memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiam si esset pœna Religionis, Castitatis, Peregrinationis Hyerosolimitanæ, vt probabiliter asserit idem Sanchez *n.* 19. Idem dicendum est de eo, qui obliuione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, nam non tenetur restituere fructus, non obstante lege pœnali irritante fructuum acquisitionem.

778. Hæc ex Diana *p. 3. tract. 6. Resolut.* 41. Quibus adde quod si quis vouit absolutè non lusurum sub pœna centum aureorum, quod sola prima vice obligat tale votum, nisi in voto explicet, toties quoties lusero. Ita Saà emendatus, *verbo votum num.* 26. Est tamen contra Sanchez *vbi supr. num.* 21. Ratio est, quia votum pœnale, sicut lex pœnalis, cum sit odiosum restringendum est, vt minus obliget, *vt suprà* docebamus ex Abbate, quamuis enim votum de non ludendo absolutè nuncupatum obliget pro semper, & non solum pro prima vice, quia quis in hoc voto primario ducitur ab honestate, quæ est in carentia ludi, & propter cultum Dei, qui in illa relucet, & sic latè interpretatur, vt extendantur eius obligatio ad semper. Tamen votum prout fertur ad pœnam, nisi expressè illa apponatur ad semper, solum obligat pro pri-

779. ma vice, sicut ipse Sanchez dicit, quod si pœna sit eleemosyna exorbitans, vbi non constaret de alia expressa vouentis intentione, eam fuisse ad solam primam vicem se obligare. Quod verum etiam iudico, quamuis quis eam pœnam sibi imponat, & sic se cohibeat à ludo.

Addo etiam quod si quis vouerat quod si ludat,

780. & iuramentum de non ludendo transgrediatur, quod non petet dispensationem, potest nihilominus huius voti dispensationem, aut relaxationem petere; imo etiam si vouerat non petiturum ab alio quam à Summo Pontifice potest ab Episcopo, vel ab alio potente dispensari. Ita Sanchez *lib. 4. summ cap. 8. num.* 34. Bonacina *circa præcept. Decalogi disp. 4. q. 2. punct. 1. num.* 28. & 29. Quia quamuis votum non petendi dispensationem validum sit, vt tenent Suarez *tom. 2 de Religion. tract. 6. lib. 2. cap.* 11. Filliucius *tract. 26. cap. 2. num.* 67. & multi alij, hoc enim gratum est Deo quod

781. reddamus Domino vota nostra, & rem debitam exacte adimpleamus. Rursus etiam validum est votum de non petenda dispensatione ab alio, quam à Summo Pontifice, quidquid dicat Sanch. *vbi supr.* cum talis vouens non coarctet potestatem Episcopis, sed vouerat non vtendi iure, quod habet ad petendum ab illo dispensationem, vt sic constantius perseueret in voto; tamen vtrumque votum potest ab Episcopo dispensari, cum per votum meum non sit ablata ab illo sua potestas. Quare potest dispensare in voto non petendi dispensationem ab alio quam à Summo Pontifice. Et idem poterunt Regulares ex vi suorum priuilegiorum, & in Regnis Hispaniæ quilibet Sacerdos approbatus virtute Cruciatæ Bullæ.

Idem esto iudicium si quis vouerat iturum Ro-

782. mam, aut Hierosolymam, si luserit. Huius contrarium sentiunt Bonacina, & Sanchez *vbi suprà* quia licet quando huiusmodi vota, sicut est votum Religionis fiunt intuitu maioris cultus Dei sint omnino indispensabilia, præterquam à Summo Pastore, tamen quando fiunt pœnalia, vel sub aliqua conditione, vt si Deus à tali periculo maris, vel infirmitatis liberet, possunt ab alio quam à Summo Pontifice dispensari, & commutari, vt tenent ipse Bonacina *loco cit. q. 2. punct. 7. §. 4. num. 17. vers. Dixi & num.* 18. Suarez *vbi sup. lib. 6. cap. 20. num.* 18. & 19. & *cap. 23. num. 1. & 6.* Filliucius *num. 295.* Layman *lib. 4. tract. 4 cap. 8.* 783. *num. 25. & 26.* Sanchez *loco citat. cap. 4. num. 91.* Ledesma *2. tom. tract. 10. cap. 8. in 3. illius parte fol. mihi* 300. Clauis Regia *lib. 6. cap. 11. num. 72.* ergo si quis vouerat non ludere sub pœna adeundi Romam, vel Hierosolymam, si ludat, poterit Episcopus dispensare, non solum in voto, sed etiam in pœna, quæ solum debetur ex vi voti ab ipso dispensabilis; est enim reseruatio nimis odiosa, & sic strictissimè interpretanda: cumque ante reseruationem Episcopi possent dispensare, etiam post reseruationem possunt in huiusmodi votis pœnalibus.

Resolvtio LXXXIV.

Vtrum licitum sit habere domum expositam ad ludendum.

SVMMARIVM.

784 *An liceat tenere domum expositam ludo? & num seqq.*

788 *In legibus ciuilibus graues pœnæ imponuntur huiusmodi receptatoribus ludentium, vt quòd verberentur tempore ludi à ludentibus, &c.*

789 *Sed hoc contraria consuetudine est abrogatum.*

790 *Refellitur opinio Dianæ & n. seqq.*

INfertur decimoquintò, Qua ratione licitum sit, 784. vel illicitum tenere domum expositam ludo, vt scilicet in ea ludus taxillorum, vel chartarum exerceatur. Et quidem domum istam habere in Hispania expositam ad taxillorum ludum, qui prohibitus est lege Regia obligante ad mortale, vt supra vidimus, etiam est peccatum mortale: si tamen Princeps suam legem abrogaret idem iudicium erit ac de aliis ludis, quibus sine peccato quis vtitur. Idem dicendum si exponat domum ad ludendum pupillis, & minoribus ea quæ ludere non possunt. Si tamen domum exponat ad lu- 785.

dendum

dendum Chartis,& aliis, quæ sine peccato mortali possumus vti, quamuis alias per accidens aliqui ludentes vel fraudibus vtantur *(fullerias)* dummodo domum exponens illis non consentiat, & adiuuet directè, vel indirectè non est peccatum mortale exponere domum, chartas,menses,& luminaria concedere.

Ratio est quia domum exponere cum circun-
786. stantiis præfatis, idem est ac illis domum locare ad ludum,ex quo quamuis aliqua peccata sequantur,vt iuramentum,blasphemiæ,rixæ,hoc non est ex vi locationis domus,& venditionis chartarum &c.quæ venditio licita est secundum se,sicut dum venditur in platea,sed ex malitia, aut bili ludentium, sicut dum quis domum locat meretricibus, & seruus,vel ancilla quæ sternit lectum, adornat dominam, quam scit peccaturam cum suo amasio, vt supra tract. 1. variis Resolutionibus ex communi authorum sententia dixi. Nec video quæ maior ratio sit,in vno,quam in alio casu.

787. Dicit Candidus *vbi sup. dub.* 17. quod domum exponere ad ludendum est prohibitum in iure *l.* 1. *D. de aleæ lusu, & aleatoribus, & Authent. Alearum vsus C.de Religiosis & sumptib. funer.* Vnde in legibus ciuilibus citatis à Siluestro *verbo ludus q.* 9. graues pœnæ imponuntur huiusmo-
788. di receptatoribus ludentium, vt quod verberentur tempore ludi à ludentibus, aut si aliquid ab eis fuerit furatum, non possit coram iudice aliquid exposcere, & si compulit alios ad ludendum etiam metu leui, aut suasione potest puniri iudicis arbitrio *l.* 1. §. 1. *D.de Aleatoribus.* Et fere omnia ista confirmat *lex Regia* 6. *titul.* 14. *part.* 7. Sed Respondetur cum Diana *p.* 2. *tract.* 15. *resolut.* 65, qui citat Homobonum *de exam. Ecclesiæ p.* 2. *tract.* 9. *cap.* 24. *q.* 23. Salas *de ludo dub.* 3. *num.* 5. Lessium *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 1. Filliucium *tom.* 2.
789. *tract.* 38. *cap.* 4. *num.* 58. has leges quantum ad hoc contraria consuetudine esse abrogatas. Vnde sicut ludentes ex vi harum legum, nec venialiter peccant,ita ex vi earumdem non peccat nec venialiter exponens domum suam ludis. Quare si peccant,debet esse propter scandalum,& occasionem peccandi, quam isti non tenentur euitare, in aliis (sicut in exemplis allatis manifeste constat) quando damnum temporale ex priuatione lucri sequitur, quia talis occasio illis est inuoluntaria.

790. Huius Resolutionis contrarium tenent mordicus Diana *vbi supr.* Sanchez *tom.* 1. *summ. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 39. Molina *de iust. disp.* 516. *num.* 5. Valentia *tom* 2. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. §. 2. iterum Sanchez *lib.* 1. *Consilior. cap.* 8. *dub.* 21. Bellochius *in praxi p.* 2. *q.* 4. *à num.* 492. & multi alij quos isti citant. Et horum fundamentum est quia illicitum est ministrare res indifferentes quando in talibus circumstantiis offeruntur, in quibus moraliter est certum illis esse abutendum, dum ad malum vsum destinantur, quod fit fere semper in ludi domibus, in quibus blasphematur, iuratur,dilapidantur bona, & alia innumera exoriuntur incommoda D. Antoninus refert viginti vnum *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 6. *Sexdecim* Hostiensis *in summ. tit. de exception. priuat. duodecim* D. Bernardus
791. *serm.* 33.

Sed hoc fundamentum non est efficax,primò, quia Sancti inconuenientia ludi enumerant, nos autem loquimur de ludis quibus sine peccato vti possumus, & de illis domum exponere dicimus non esse peccatum mortale,nam exponitur ad aliquid quod secundum se non est peccatum: quod enim ex malitia ludentium illa inconuenientia sequantur hoc non debet refundi in receptores, qui ad rem non peccaminosam recipiunt,& adiuuant. Secundò, Quia inter homines nobiles non est ita ordinarium, vt putat Diana, sequi rixas, blasphemias fraudes, &c. quod si vnus, vel alter hoc faciat,cum receptor non solicitet, sed corrigat, vel non recipiat, si absque incommodo fieri potest,satisfacit. Quare Principes possunt huiusmodi domos permittere absque peccato, sicut 792.
impressionem chartarum permittunt,imo est vna ex præcipuis Regaliis in Hispania, non enim Principes, & Artifices harum chartarum damna inde secuta ex malitia ludentium intendunt.

CAPVT VIII.

De Religiosis professis, si quis ab illis ludo aliquid lucretur sine licentia Superioris.

MVLTA non iniucunda, & ad conscientias pacandas Corollaria inducenda sunt in præsenti, sicut in superioribus; deducenda tamen erunt ex quodam principio generali quod diligentius examinandum decreui, vtrum Religiosi hodie post Concilium Tridentinum possint habere peculium, id est, annuos reditus,ad nutum Superiorum, saltem Summi Pastoris reuocabiles, saluo, & integro manente paupertatis voto.

DIGRESSIO IV.

De Peculio Religiosorum.

SVMMARIVM.

793 *Peculium tripliciter accipitur, & quibus modis,vide ibi.*

NOtat Azor *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9. *q.* 1. quod pecu- 793.
lium tripliciter accipitur, primò prout dicit bona quorum quis dominium, & proprietatem habet, dicitur enim peculium,quasi paruum patrimonium,*l. depositis D. de peculiis.* Accipitur secundò, pro bonis quorum quis habet liberam administrationem aut vsumfructum, aut vsum independenter ab alterius voluntate. Et tertiò, sumitur pro bonis quorum quis habet administrationem, &c. ad nutum alterius reuocabilem. Et quidem de duobus primis peculiis omnino certum est pugnare cum paupertate solemni Religiosorum, ex vi cuius sequitur abdicatio cuiuscumque peculij independenter à voluntate. De tertio est difficultas.

SECTIO I.

Vtrum Religiosi possint habere peculium.

SVMMARIVM.

794 *Religiosi an possint habere peculium, duæ referuntur*

referuntur ſententiæ; Prima negat: ſecunda longè probabilior affirmat, & n ſeqq.

794. PRima ſententia negat. Ita Leſſius *lib.2. c.4. dub.5.n.3.* Molina *de iuſt. & iur.tom.2.diſput. 276.* Vaſquez *opuſc.de reditib.Eccleſiæ c.3 dub.11. num.14.* Suarez *tom.3.de Relig.lib.8.cap.12.à n.7.* Azor *part.1.lib.17.c.9.quæſt.1.& 2.* Valentia *2.2. diſp.1 quæſt.4.punct.3.* & alij quos iſti citant, quibus addo Eman.Rodrig. *in ſum. tom.2.c.81.n.3.& qq.tom.2. quæſt.47.artic.15.& tom.3.q.29.art.12.* Trullench *lib.7.decalog.c.2. dub.5.n.7.* Huius ſententiæ fundamentum eſt Concil.Trid. *ſeſſ.25.c.2.*

795. *de Regul.* vbi prohibet, nouum ius inducens, ne liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vſumfructum, vel vſus adminiſtrationem, vel commendam. Quodque ideo conditum eſt ius, quia licet non ſit contra votum paupertatis huiuſmodi peculium habere cum continua dependentia à voluntate Superioris cum ſit amobile ad ipſius nutum, tamen videtur quandam proprietatis ſpeciem habere dum Religioſus huiuſmodi peculium adminiſtrans in quoſlibet vſus expendit.

Vnde ſic intellexerunt Decretum Concilij Eminentiſſimi Cardinales Congregat. eiuſdem,

796. & vt notat Leſſius *vbi ſupr.* hoc Decreto moti, nec nobiliſſimis Regularibus ſimile peculium concedere voluerunt. Et quidem Concilium ſuo Decreto inducere ius nouum conſtat ex illa dictione *ne deinceps*, quæ idem valet ac *poſthac*, vt ex iuris vſu. *l.nemo. Cod.de Epiſcopali audient.ex cap.6.eiuſdem ſeſſion.* vbi dicitur: *Ne in poſterum liceat Prouinciales*, &c. *in electionibus ſuffragia abſentium ſupplere.* vbi dictio *in poſterum idem* valet ac *deinceps*, & tamen *ibi* nouum introducitur ius.

797. Quod confirmatur efficaciter quia Concilium ibidem dicit quod non liceat Regularibus etiam nomine Conuentus bona mobilia, vel immobilia poſſidere. In quibus nouum ius inducere manifeſte videtur, quia non eſt contra paupertatis votum hæc bona non nomine proprio, ſed Conuentus poſſidere; nam eo ipſo quod aliquid nomine conuentus teneatur non habetur vt proprium.

798. Sed his non obſtantibus ſecunda ſententia longe probabilior eſt affirmatiua, quam tuentur Tannerus *2.2.diſp.6.quæſt.3.dub.4.num.208.* Malderus *tract.8. dub.6.* Sanchez *tom.3. ſumm. lib.7. cap.22 num.11.* Nauarrus *commentar.2. de Regular.num 15.& 18.* & *conſil.14.de Regular.* Fagundez *de Præcept. Eccleſ.tract.2. lib.8.cap.6. à n.13.* Peyrinis *de Religioſo ſubdito. c.2.quæſt.2.§.1.& 2.* Miranda *in Manual.Prælat.tom.1.quæſt.28.art.8.* Villalobos *in ſumm.tom.2. tract.35. diffic.30. n.2.* Diana *1.part. tract. 6. reſol.32.* plures alios citans quibus adiungo Hieron.Rodrig. *reſol.110.num.5.* Barboſam *in Collectan. ad cap. Monachi de ſtatu Monachor.numer.3.& de iure Eccleſiaſt.vniuerſo. cap.43.num.24.& 75.* Cenedo *de Religioſ.Paupertate dub.9. num.4.* Ioannem à Cruce *de ſtatu Religioſo lib.1.cap.3.dub.2.* Ledeſmam *in ſum. tom.2. tractat.de ſtatu Relig.cap.4.conc.3.dub.13.* Antonium Perez *in comm. ad Regul. Sancti Benedicti. cap.33.dub.1.num.23.* Iacobum de Graffis *in Aureis Deciſion. part.1.lib.3.cap.5. num.53.* Paulum Layman *lib.4.tractat.5. cap. 7. numer. 13. & alij innumeri.*

SECTIO II.

Quod Religioſi ab initio naſcentis Eccleſiæ, per votum paupertatis omnem vſum abdicarunt.

SVMMARIVM.

798 *Monachi, & Religioſi profeſſi ab initio naſcentis Eccleſiæ per votum paupertatis abdicauerunt à ſe non ſolum vſum, & vſumfructum rerum temporalium, ſed etiam omne dominium, & proprietatem & n. ſeqq.*

800 *Eraſmus reprehenditur, & cur?*

801 *Verba notabilia S. Baſilij afferuntur.*

DIco primò. Monachi, & Religioſi profeſſi 799.
ab initio naſcentis Eccleſiæ per votum paupertatis abdicauerunt à ſe non ſolum vſum, & vſumfructum rerum temporalium, ſed etiam omne dominium, & proprietatem. Hæc Concluſio eſt contra Vaſquez *1.2.diſp.163. cap.6.* Baſilium Legionenſ. *quæſt. quodlibetica 3. ſcholaſti. cap.9.& lib.7. de Matrimonio c.13.* Suarez *tom.3. de Religione lib.8. cap.7. à num 20.* At noſtram ſententiam tenent Valentia, in *Analyſi fidei. lib.de ſtatu & votis Monach.cap.6.* Bellarm. *tom.1. lib.2 de Monach.c.2.* Maldonatus *in cap.8. Matth. & in cap. 4 Lucæ.* Qui id manifeſte probant ex Patribus, & Conciliis, & Summorum Pontificum Decretis. Videndi ſunt *Vrbanus I.* qui rexit Eccleſiam circa annnum 226. tempore Alexandri 800.
Imperatoris *in ſua Epiſtola Decretali.* Auguſt *in Pſalm. 25. & lib.17. de Ciuit. cap. 4.* Baſilius *in Inſtitutionib. Monaſticis cap.vlt.* Caſſianus *lib.1. de inſtitut. Renuntiantium. cap. 13. & lib.4. c.13.* Dionyſius omnibus his antiquior *c.5. Eccleſiaſt. Hierarch.* vbi S. Maximus, & Pachimera in ſuis Paraphraſibus.

Vnde imprudenter, & contra omnem antiquitatem Eraſmus in vita S. Hieronymi Monaſteria 801.
dixit olim libera fuiſſe collegia, ex quibus qui diſcederent, & ad ſæculum redirent ſolum incurrerent inconſtantiæ notam. Hoc, inquam, imprudenter dictum eſt, cum Monachi olim voto ſe adſtrinxerint paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ & ex vi voti paupertatis omnem proprietatem, & dominium abdicabant, vt conſtat ex Patribus citatis. Et ſic Baſilius loquens de Monachis dicit *vbi ſup.* & repetit *Epiſt.ad Arſenium: Si quis ergo proprium ſibi eſſe dicat, ſine dubio alienum ſe facit ab Electis.* vbi nomine *Proprium*, non 802.
ſolum ſignificatur vſus rei ex propria authoritate ſine conſenſu, & ſcientia Prælati, vt exiſtimat Legionenſis *vbi ſupr. num. 20.* Sed etiam dominium. Quod mihi hoc diſcurſu fit euidens ad hominem contra Legionenſem. qui *in cap. citato* probat ex Aug. *ſerm. 1. & 2. de vita commun. clericor.* & *ex conſtit. 5. Leonis Imperatoris.* Concilio Lugdunen. *1.canon.2.* & Concilio Matiſconenſi *1.can.19.* Religioſos, vt ipſe putat, voto paupertatis adſtrictos validè, licet illicitè, condidiſſe teſtamenta; atque ita dominium habebant eorum de quibus teſtabantur, nam nullus de alienis poteſt validè condere teſtamentum: ergo etiam 803.
poterunt in vita transferre dominium earumdem rerum: ergo habebant illarum validum vſum ex propria authoritate, ſine conſenſu Prælati ſicut

ſine

sine eodem poterant testari: ergo habebant rerum proprietatem. Sicut si quis modo fecerit votum paupertatis simplicem nihil dandi sine consensu Confessoris, si sine isto aliquid dederit peccat mortaliter, contra votum; tamen suarum rerum habet proprietatem, & vsum validum.

804. Quod verò quis diceret istum non habere proprium, qualiter volunt Patres, quod non habeant Religiosi; vt enim aduertunt Scholastici cum Magistro *in. 4. dist. 15.* Et Iuris periti *ad l. Si quis D. de acquirenda possessione*, habere proprium, vel proprietatem in aliqua re nihil est aliud quam habere ius in illa dispensandi valide propria authoritate; & sic si valide illi Monachi de rebus suis disponebant, procul dubio proprium habebant, quod contrariari Patribus constat manifeste.

805. Ea autem quæ Basilius de Leon, Et Vasquez adducunt vt probent quondam Religiosos testamenta condidisse, nullius sunt ponderis, quia loquuntur de nouitiis, quibus conceditur ex vi illarum constitutionum, vt in Nouitiatu possint donationes facere, & condere testamentum, tunc forsan illis erat prohibitum, sicut modo prohibetur Nouitiis quæcunque renunciatio à Concilio Tridentino *sessione 25. de Regularibus. capite 16.* Augustinus tamen qui de Religioso Professo loqui videtur, illius testamentum inualidum reputauit, quamuis Ecclesia Hipponensis Hæres fuerat à Ianuario instituta, & ad filios Ianuarij legata conuenire, tanquam suos, & legitimos hæredes declarauit, qui ad patrem, quoad vixerit, vsumfructum reliquerunt, qui de consensu Superiorum administrabat filiorum bona.

806.

807. Quod enim Ecclesia renuntiasse dicatur ab Augustino, non significat validum testamentum Patris fuisse, quia ibi renuntiatio non sumitur in toto rigore iuris de quo loquuntur iurisperiti *ad titul. 56. Cod. de reuocandis donationib.* prout esset spontanea proprij iuris dimissio, sed prout idem est quod non acceptatio, & repudiatio hæreditatis quæ ad ipsam Ecclesiam non attinebat. Sic enim aliquando sumitur renuntiatio vt constat ex *l. 2. D. de diuortiis. Cap. ex parte de Clerico ægrotante*, & tradunt Ottomanus *de verb. significat.* & Thesaurus iuris ciuilis, *verbo renuntiatio.*

808. Concilium etiam Matisconense manifestè pro nobis est, & loquitur de Monacha professa vt videre est in Canon 12. ad quem se remittit Canon iste 19. Cæterum tam Monacha dans agellos, vel quascumque res ad se pertinentes, quam potes vt illam patrocinetur ad luxum, & apostasiam à Religione, recipiens, ipso facto excommunicatur quousque res restituantur, atque ita validè non donabat Monacha, siquidem donatum erat restitutioni subiectum. Igitur Concilium loquitur de Monacha quæ ad suos vsus habebat de licentia Superioris agellum, aut aliam rem immo-

809. bilem cuius erat vsufructuaria, absque aliqua proprietate, aut dominio, sicut modo sunt multi Religiosi. Et hanc esse mentem genuinam Concilij constabit legenti, & colligitur *ex Canone 12.* vbi loquens de Monacha Professa statuit: *Quod si transgredi præsumpserit ad coniugium, quod potius* (inquit Concilium) *stuprum est, quam coniugium iudicandum, &c.* ita Monacha Professa inhabilis erat ad matrimonium ex vi voti castitatis & sic inhabilis erat ex vi voti paùperiatis ad habendum proprium alicuius rei, & sic ad mouendum, & transferendum dominium. Ea autem quæ adducit Suarez nullius ponderis sunt, post- 810.
quam enim Apostoli dixere, *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, ex voto paupertatis facti sunt incapaces dominij*, vt notat Maldonatus *vbi supra*: Christus autem Dominus cum dominium haberet omnium, ex vi vnionis hypostaticæ, non poterat reddi dominij incapax, sicut neque obligari per votum, vt notat D. Tho. *2.2.q.186.art.6.*

SECTIO III.

Quod fuit etiam Monachus solemniter professus.

SVMMARIVM.

810 *Ab initio nascentis Ecclesiæ vsque hodie fuit, & erit Monachus solenniter professus, quòd nullius rei habet proprietatem, aut dominium directum.*

811 *Abdicatio proprietatis, & dominij est fundamentum religiosæ vitæ.*

DIco secundò. Ab initio nascentis Ecclesiæ 811.
vsque hodie fuit, & erit Monachus solenniter professus, quòd nullius rei habet proprietatem, aut dominium directum, & proprietatis, siue dominij indirecti vtilitatem; quia de essentia Monachatus solennis est abdicatio cuiuscumque dominij, aut proprietatis, quod est libera facultas disponendi propria authoritate de reliquis, nisi lege prohibeatur; vt prohibentur pupilli, & furiosi, prodigi, & similes. Hæc conclusio est expressa D. Thom. *2.2.q.186. art 6. & 7. & q.188. art.6.* estque omnium antiquorum, tam Summistarum, quam Scholasticorum *in 4. dist. 15.* & Canonistarum *ad cap. Monachi, & ad cap. Cum ad Monasterium de statu Monachorum*, vbi id expresè statuitur à Gregorio Magno, & ab Ale- 812.
xandro III. Hæc enim omnimoda abdicatio proprietatis, & dominij, vt iudicarunt Patres, Pontifices, & Concilia, ita est fundamentum Religiosæ vitæ, quod D. Thom. dixerit, quod paupertas voluntaria, est primum fundamentum perfectionis, idque probat ex illo Matth. *19. num. 21. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quare Monachatus solennis stare non potest sine hoc fundamento, quin statim ruat.

SECTIO IV.

Summus Pontifex potest peculium concedere Religiosis.

SVMMARIVM.

812 *Summus Pontifex potest Religiosis professis peculium concedere, & redditus annuos siue in pensionibus, siue in beneficiis, siue in administratione, siue in vsufructu, &c.*

813 *Affertur ratio.*

DIco tertiò, Summus Pontifex, qui est Primus 813.
Regularium Pastor, & Rector, potest Religiosis Professis peculium concedere, & reditus annuos siue in Pensionibus, siue in Beneficiis, siue in administratione, siue in vsufructu alicuius

rei immobilis, itaut de fructibus disponant ad libitum, ad vsus etiam prophanos,& superfluos, sicut ipsemet Pontifex poterat. Ita Authores supra citati. Quibus adiunge Trullench. *vbi suprà*, quamuis enim Concilium Trident. nouum induxerit ius, vt volunt Authores primæ sententiæ, tamen loquitur cum superioribus Regularibus, quibus prohibet peculium concedere Religiosis Professis, non tamen loquitur de Summo Pontifice. Et quamuis loqueretur nihil obstaret, cum Pontifex sit supra Concilium.

814. Ratio huius sumitur ex Regula *Potest quis de Regul.iur. in 6. Potest quis facere per alium, quod potest facere per se ipsum.* Dixi ad vsus prophanos & superfluos, non tamen ad vsus, qui ex natura rei sunt peccatum.

SECTIO V.

Idem possunt superiores Regulares, ad vsus licitos,& honestos.

SVMMARIVM.

815 *Superiores Regulares, Generales, Capitulum Generale, Prouincialis, Capitulum Prouinciale,&c. possunt concedere peculium,& annuos reditus Religiosis professis.*

816 *Rationibus,& auctoritatibus comprobatur& num.seqq.*

815. DIco quartò, Superiores Regulares, Generalis, Capitulum Generale, Prouincialis, Capitulum Prouinciale, & Præpositi locales possunt concedere peculium, & annuos reditus Religiosis Professis ad vsus proprios licitos, & honestos. Sic tenent omnes Doctores, pro secunda sententia adducti. Quibus addo Villalobos *tom.2.tract. 35.diffic.30. num.2.* Ledesmam *in addition. ad summ.cap.4.diffic.13.* qui dicit sic sensisse Magistrum Gallum qui interfuit huic Decreto Concilij. Nazarium,*opusc.de statu, & obligat.Religios.dub.3.§.ex dictis pag.85.* vbi de rebus mobilibus. *Et dub.4.pag.88.* agens de immobilibus dicit esse probabile, sed periculosum. Sed ego non video periculum, nisi valde remotum sicut in rerum mobilium vsu. Probatur primò, quia Clemens VIII. *in Bulla de largit.muner.* distinguit inter bona communitatis, & bona particularium Religiosorum. Et quidem hæc duo genera bonorum distingui manifestum est, etsi enim quidquid habet, retinet, possidet, & acquirit Monachus Professus ad Monasterium, & Communitatem pertineat, tamen bona communitatis non sunt 816. deputata vsibus alicuius particularis, sicut sunt alia bona quæ Religiosus de licentia Superioris sibi habet applicata, vel quia habet annuos reditus,vel beneficium, aut administrationem, quam distinctionem Clemens VIII. agnouit.

Secundò, Quia habere peculium,in rebus mobilibus,aut immobilibus,auferibile tamen ad Superioris nutum ex vi cuius, & non propria authoritate, de illo disponit Religiosus non est habere aliquam proprietatem,aut dominium, atque ita non opponitur substantialiter voto paupertatis, quo abdicamus omnem proprietatem, & sic ex vi talis voti, non abrenuntiamus peculium, sed tantum debemus habere præparationem animi ad acceptandam illius reuocationem, quando Superior voluerit: si tamen ipse ea quæ necessaria sunt, secundum personæ decentiam, & statum subministret iuxta consuetudinem Religionis.

Tertiò, Quia Concilium Trident. non fecit 818. nouum ius circa Religiosorum peculium, sed solum renouauit,& instaurauit *cap Monach.& cap. Cum ad Monasterium de Statu Monachorum*, hoc enim ipsum Concilium dicit *cap.1. eiusdem sess.* cum affirmet Decreta facienda circa Regulares,vt disciplina regularis vetus instauretur facilius,& vbi cõseruata est,perseueret:atqui non obstantibus præfatis capitibus iuris communis licitum erat peculium,vt constat *ex cap. Monachi. citato §.Qui vero & ex cap.finali. Qui clerici,vel vouentes.* Innocentius III. declarat validam esse professionem, quam quis facit ea conditione, vt domi suæ maneat, retenta portione suorum bo- 819. norum, ad necessaria vitæ subsidia, & alimenta: dependenter tamen ex Superioris voluntate. Vt tenent Lessius *lib.2.de iust.cap.41.num.63.* Glossa *hîc, verbo vt in domo* Nauarrus *de regularibus consil.20.* Nicolaus Garcia *de Beneficiis p.7.cap. 10.num.100.* Bartholus *in Authent. Ingressi.C.de Sacrosanctis Eccles.* Ceuallos *commun. contra commun.q.85.num.2.* Miranda *in Manuel.q.28. art.2.tom.1.* Rodriguez *tom.3.q.17.art.6.* Suarez *tom.3.de Religion.tract.6. cap.12. num.14. & 15.* Hieron.Rodriguez *Resolut.136.num.13.* Sanchez *tom.2.Summ.lib.5.cap.4.num.97.* qui plures alios citat,addens,*num.98.* quod in dubio quando quis reseruauit aliquid tempore professionis debet in- 820. telligi dependenter à consensu Superioris. Legendus est Antonius Genuens. *lib. de Practicabilibus Ecclesiasticis quæstion.q.265.* & Azor *lib. 12.cap.9.q.4.*

SECTIO VI.

Non est professio valida, si totus annus Nouitiatus peragatur extra Religionem.

SVMMARIVM.

821 *Professio an sit valida si totus annus nouitiatus peragatur extra Religionem ? & num.seqq.*

EX doctrina tradita colligitur incidenter probabile esse posse peragi annum nouitiatus ex- 821. tra Monasterium in domo propria, de licentia tamen Superioris, iusta causa interueniente. Sic enim videtur decisum *in hoc cap. finali, Qui Clerici,vel vouentes.* Ita Barbosa *ad præfatum cap. num.4. & de Potestat. Episcop. allegat.101. num. 28.* Nauarrus, *in noua edition. consil.32.à num.2. de clericis non residentibus.* Azor *p.1.lib.12.cap.2. q.8.& cap.3.q.7.* Emmanuel Rodriq. *tom.3.q.15. art.10.* & Nauarrus dicit sic censuisse Congregationem Cardinalium. Bonacina *de clausura q.2. punct.9.§.3.num.6.* Sanchez, *tom.2. Summ.lib.5. cap.4.num.26.& 27.* Diana *p.3.tract. de Regular. resol.84.*

Et Ratio est. Quia non est de essentia nouitiatus vt peragatur intra claustra,potest enim toto 822. anno Nouitius peregrinari, aut Hospitali inseruire,sic ex iusta causa ordinante, & consentiente Superiore,& de illius consensu,quia intra Monasterium censetur degere, qui extra illud ex Prælati licentia commoratur,

Ego

823. Ego tamen hoc intelligerem, quidquid in contrarium dicant Sanchez, & Azor, quando non est integro anno probationis extra Monasterium. Moueor, quia Clemens VIII. *in Decreto edito anno 1599. die 20. Iunij*, irritas reddit receptiones, & professiones, si nouitij non recipiantur in illis conuentibus qui à sua Sanctitate erant designandi. Quod Decretum quamuis vsu receptum non sit, tamen motiuum illius semper perseuerat. Quod etiam me mouet, quomodo enim regulari disciplina imbui potest nouitius, qui in domo sua totum annum nouitiatus peragit? quomodo austeritates Religionis agnoscet? & quomodo Religio illius mores experietur? Et vtrumque fuit
824. ratio legis ad determinandum annum probationis, vt constat *ex cap. ad Apostolicam de Regular.* vbi id expressè habetur. Et quæ ratio, iustaue causa potest esse vt Superior dispenset in toto anno, vt extra Religionem peragat? Quare existimo quod si intertumpendo tempus non sit intra Monasterium magna anni pars, professio nulla est. Ita Emmanuel Rodriqu. 2. *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. Hieron. Rodriq. *Resolut.* 101. *num.* 44. *§. adhuc tamen, & seqq.* vbi id satis neruosè probat. Miranda *tom.* 2. *q.* 22. *art.* 5. Portel *in dub. Regular. verbo Nouitij annus num.* 49. *& in addition. verbo Nouitius num.* 19. Legendus est Siluester *verbo Religio.* 5 *q.* 4. vbi dicit: *indubitate sic tenendum esse.*

SECTIO VII.

Possunt Superiores concedere peculium ad quoscumque vsus indeterminate.

SVMMARIVM.

825 *Prælatus Regularis potest concedere Religioso professo peculium ad quoscumque vsus indeterminatè, itaut possit in vita donare, & disponere quibuis in eos vsu, & eo modo, in quos, & quomodo ipse prælatus posset disponere & n. seqq.*

825. DIco quintò, Prælatus Regularis, vt supra, potest concedere Religioso Professo peculium ad quoscumque vsus indeterminatè, itaut possit in vita donare, & disponere quibuis in eos vsus, & eo modo in quos, & quomodo ipse Prælatus posset disponere. Ita Nauarrus *vbi supr. num.* 21. Antonius Perez *dub.* 4 *num.* 96. Sanchez *num.* 12. & consentiunt Nauarra *lib.* 3. *de Restitut. cap.* 1. *p.* 3. *dub.* 1. *num.* 166. & 167. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 30. Peyrinis *tom.* 1. *de subdito Relig q.* 2. *de paupertate cap.* 2. *§.* 1.

826. Ratio sumitur *ex Regula iuris* 68 *Id potest quis facere per alium, quod potest per se ipsum.* Quam optimè corroborat ibi Barbosa *num.* 1. & 2. & explicat Sanchez *vbi sup. lib.* 5 *cap.* 3. *num.* 8. Cum ergo superior in quoslibet vsus possit expendere res quæ illi donantur, idem poterit subditus ex consensu Superioris, & illius licentia ex iusta causa concessa, quæ quantum est de se intelligitur ad vsus licitos, & qui non sunt peccata, ad hæc enim sicut Superior non potest expendere, ita nec facultatem concedere, cum non sit nisi Minister, ita nec subditus; & vt dicitur *in Regula* 46. *de regul. iur. in* 6. *& l. Qui in ius D. eodem. Is qui in ius succedit alterius, eo iure quo ille vti debebit.* quod optimè explicat Riccius *in collectan. De-*

cision. part. 5. *collectan.* 1784.

827. Probatur secundò, ex praxi communi quæ vbique seruatur, tam in Monialibus, quam in multis Religiosorum Conuentibus, in quibus peculium possident Professi ex Superioris licentia, & facultate, quod expendunt in vsus sibi necessarios, non authoritate propria, sed Superioris, ad cuius nutum tale peculium amoueri potest.

828. Sed respondet Suarez ad hanc consuetudinem in Ecclesia introductam, vidente, & consentiente Summo Pontifice (nam si quæ sunt declarationes Cardinalium in contrarium, vel non sunt authenticæ, vel intelliguntur de peculio, quod quis sibi reseruauit indepenter à voluntate Superioris, vnde data opera dicunt quod Religiosi non possunt habere proprium, non tamen negant peculium posse habere, hoc enim amouibile est ad nutũ Superioris: proprium verò dicit liberam facultatem vtendi re tanquam sua) dicit ergo Suarez quod
829. in annuis redditibus Moniali assignatis tria possumus distinguere: primò, ius quoddam ciuile, percipiendi tales reditus: secundò obligationem in conscientia in illo qui soluit, vt quotannis soluat Moniali. Tertiò, est pecunia ipsa cuius solutio infallibilis, & omnino certa est. Primum non potest habere monialis, quia est res immobilis, quam non potest habere, nisi Monasterium solum; bene tamen duo altera, dummodo pecunia ipsa non possideatur à Moniali antequam expendatur, sed vel à Superiori, vel ab Officiali publico, & sic obseruatur Concilium, & prouidetur Moniali de necessariis.

830. Hæc tamen doctrina, quia subtilis, non subsistit in re morali, in qua abstinendum est à metaphysicis præscisionibus; nam quis obsecro dum hæc peculia habet hæc distinguit? eo enim ipso quod quis habet peculium quo vtitur, non propria, sed superioris authoritate, non habet inde ius ciuile absolutum percipiendi fructus, & annuos redditus, hoc enim absolutum ius solum habet Monasterium, cui simpliciter, & absolutè acquirit Monachus; attamen ius ciuile, quasi conditionatum percipiendi tales fructus, & de illis disponendi, non authoritate propria, & tanquam re sua, sed authoritate Superioris, & tanquam re aliena, sibi liberaliter concessa non est res immobilis, cum amoueri possit voluntate Superioris.

831. Deinde, quia vt optimè Antonius Perez *vbi supr. num.* 105. dum Superior licentiam tribuit alicui ad habendum peculium istum, constituit officialem conuentus ad rem illam expendendam, & sicut expendit per officiales publicos, ita per istum Monachum particularem, cui ciuile ius percipiendi applicatur reuocabiliter, licèt Monasterio applicetur irreuocabiliter, & quoad proprietatem, sicut applicatur obligatio quam quis habet in conscientia soluendi huic personæ in particulari. Nec video cur ius percipiendi computetur inter bona immobilia, non vero hæc obligatio debitoris.

832. Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respondetur Concilium debere intelligi iuxta dispositiones iuris communis, cum absque maximo fundamento induci non debeat iuris communis correctio. Quare Concilium loquitur quando non adest legitima causa concedendi tale priuilegium, & hoc denotat illa particula *deinceps*, id est *posthac* non concedatur, intellige, sine legiti-

ma, & iuſta cauſa, quæ maior debet eſſe poſt Concilium intendens Religionem in obſeruantia collapſam reſtaurare.

833. Ad confirmationem reſpondetur ſolum Concilium dicere id quod certiſſimi iuris eſt, quidquid acquirit Monachus acquirit Conuentui, & ſic bona quouis modo acquiſita non poteſt tanquam propria, etiam nomine Conuentus poſſidere, vel tenere; non enim ſunt propria, ſed Conuentus, & ita nec nomine Conuentus poteſt illa, vt propria tenere, bene tamen poteſt illa adminiſtrare, tanquam aliena, & eius fructus expendere de licentia Superioris, niſi dicas cum Vaſquez *opuſc. de redditibus cap.3.dub.2.num.15.* non fuiſſe Concilium receptum quoad hoc, ſicut non fuit receptum quantum ad aliud quod Religioſis omnia neceſſaria miniſtrarentur à communitate.

834. Hoc principium, & concluſiones ex eo deductæ limitant Valentia *tom. 3. diſput.10. quæſt.4. punct.3. corollar.4.* Vega *2.tomo ſumm. cap.32. caſu 19.* nec refutat Peyrinus *vbi ſupr.hanc eamdem ſententiam.* nec diſpliceret *Vaſquez citat.* quando conuentus eſt pauper, vt non poſſit ſubditis de neceſſariis prouidere, ſi enim diues eſt, & taliter prouideat Prælatus, non poteſt concedere ſubdito peculium. Sed non placet limitatio, quia licet Conuentus diues ſatis prouideat de neceſſa-

835. riis ad vitam Religioſam ducendam, ſecundum regulam, & ſic ob hanc cauſam non concedatur peculium, tamen poterit ob alias infra notandas; tum etiam, quia etſi Conuentus diues ſit, & prouideat ſatis ex communibus bonis, tamen Superior peculium concedere poteſt ex bonis, quæ ipſe Religioſus acquiſiuit, vt ſibi prouideat de neceſſariis, & ſic bona communitatis, quæ ſibi danda erant, in alios vſus ipſius Conuentus expenduntur.

SECTIO VIII.

Qualiter moderatum debet eſſe peculium.

SVMMARIVM.

836 *Superfluum dicitur quod non eſt neceſſarium ad ſtatum habentis.*

837 *Quod vni perſonæ eſt ſuperfluum, alteri erit ſufficiens, & quod in vno loco ſuperfluit, in alio non.*

Declaratur qualiter peculium Religioſorum debeat eſſe moderatum, & n. ſeqq.

836. SEcundò limitant Sanchez *vbi ſuprà num.* 17. Peyrinis *verſic colligitur* 9. peculium debere eſſe moderatum, ſi enim ſuperfluum ſit, non licet; ſed nec iſta limitatio neceſſaria eſt, vt enim iſti Authores dicunt, & bene, ſuperfluum dicitur, quod non eſt neceſſarium ad ſtatum habentis peculium, & ſic iuxta *cap. exiit qui ſeminat §. inſuper de verb.ſignif.in 6.* in quo declaratur paupertas ſtrictiſſima S. Franciſci, & ſuorũ attendi debet *perſonarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circunſtantiæ*, & ſic quod vni perſonæ eſt ſuperfluum alteri erit ſuffi-

837. ciens, & quod in vno loco ſuperfluit, in alio non, v.g. redditus annui qui quia in Italia ſuperfluunt, quia ibi res quibus indigent Religioſi minus valent, in India, aut Hiſpania non ſuperfluunt.

Idem etiam ratione temporis conſiderandum, quod enim vno tempore ſuperfluum alio neceſſarium erit; quod ſi in paupertate ſeraphica, quæ omnium ſtrictiſſima eſt, harum circunſtantiarum conſiderationem prudentem vult haberi Pontifex à Guardianis, quanto magis ab aliis Prælatis, qui non profitentur tam ſtrictam omnium abdicationem? quare etſi in Religione Franciſcana harum omnium circunſtantiarum conſideratio neceſſaria ſit ad dignoſcendam ſuperfluitatem, quia ita Pontifex exponens regulam declarauit, in aliis tamen Religionibus vbi tam ſtricta paupertas non profitetur (niſi obſtet regula, aut conſtitutio in contrarium) exiſtimo poſſe Prælatum ſubdito concedere peculium maximorum redituum. Ratio quæ me mouet eſt, quia aliud eſt 838. eſſe ſuperfluum peculium, aliud illud expendere in ſuperfluos vſus, peculium autem, etſi amplum non eſt ſuperfluum, ſi expendatur in vſus licitos, & honeſtos, quales ſunt eleemoſynæ factæ in Moniales pauperes, aut alios Religioſos eiuſdem Ordinis, aut alterius, de licentia ſaltem tacita Superioris, & ſumptus qui fiunt in dotandis ſo- 839. roribus, ſuſtentandis parentibus, & in bonum ipſius Conuentus, &c. & hoc ſemper eſt præſumendum de Superiore tale peculium concedente, atque ita ſubditus bona fide illud poſſidet, & expendit, non tamen ita debent eſſe maximi reditus vt ſecularium diuitum æquentur, ſed attendenda eſt vita regularis, & vſus & conſuetudo Religionis, & vitandum ſcandalum.

SECTIO IX.

Quæ ſint cauſæ concedendi peculium.

SVMMARIVM.

840 *Quinque cauſæ concedendi Religioſis peculium enumerantur, & num. ſeqq.*

TErtio limitant ſupracitati, Superiorem pec- 840.
care, ſi ſine cauſa cum ſubdito diſpenſet, quod habeat peculium. Ratio eſt quia Superior ſolũ eſt adminiſtrator, & non dominus rerum Monaſterij, & quidquid habet Monachus ad Monaſterium pertinet, & ſic vt illud expendi licitè concedatur facultas, cauſa exigitur honeſta, & ſufficiens. Sed quæ ſit cauſa huiuſmodi Reſpondeo ex Thoma Sanchez *n.20.* & Peyrino §.2. & communi, multiplicem poſſe eſſe. Primam, quia Conuentus non poteſt Religioſo neceſſaria ſuppeditare po- 841. teſt concedi peculium ad victum, veſtitum, libros ſpirituales pro ſua conſolatione, & alios libros maioris momenti ad docendum, & prædicandum. Ita Nauarrus *com.2. de regular. num.24. corollar.* 13. qui etiam dicit eſſe cauſam ſufficientem quod aliquis Religioſus multa ſua arte comparauit Monaſterio; aut multa bona in illud contulit, qua ratione æquum eſt, vt plura ſibi concedantur in eleemoſynas, & alios honeſtos vſus faciendos. Quod etiam tenet verum, ſi Religioſus ſuis ſtudiis, & fama publica nomen glorioſum acquiſierit in Religionis honorem.

Secundò cauſa eſt, quando eſt extra Mona ſte- 842.
rium iuſto titulo, vel ad inſeruiendum Reipublicæ ſua doctrina, vel ad ſuſtentandum parentes, aut ſorores locandas, &c. Tertia eſt, ſi ſit officialis publicus poteſt illi ſalarium aſſignari, quod ſit loco peculij à Superiore amobile. Ita

Doctores

Doctores *ad cap. si Monachi de statu Monachor.* Quarta causa est vtilitas Monasterij, vt si fœmina, aut vir diuitiis abundantes nolint Religionem profiteri, nisi reseruato sibi aliquo peculio.

843. Sic habetur *cap. insinuante qui Clerici, vel vouentes*, & feciſſe Pium V. de consulente ait Nauarrus *vbi supr. num.* 16.

Quinta causa est consuetudo Religionis introducta, quod qui illam profitentur annuos reditus sibi reseruent, pro suis necessitatibus, & honestis vsibus, sic enim hodie in multis Religionibus tam virorum, quam mulierum, etiam Monialium S. Claræ, est introductum, quæ sine tali peculio miserrimam ducerent vitam. Addit Na-

844. uarrus relinquendum esse prudentis arbitrio determinare quæ sit iusta causa concedendi peculium Religiosis.

Addit Thomas Sanchez *n.* 20. *Maiorem causam desiderari ad concedendum peculium ex Monasterij rebus, aut proprio labore comparatis, quæ subinde Monasterio acquiruntur, quam in rebus concessis à secularibus alicui, quia in prioribus plus laditur Monasterium. Maior etiam causa exigitur ad concedendum peculium cum facultate subueniendi amicis, famulis, vel cognatis pauperibus, quam sine hac facultate, quia in priori euentu am-*

845. *plior distributio conceditur.* Hæc ille. Quibus ego addo quod ad habendum peculium ex rebus, vel pecunia à sæcularibus concessis, nulla alia causa exigitur, nisi quod Religiosus accipiat à sæcularibus ea intentione, vt ipse de licentia sui Prælati expendat, pro suis vsibus licitis, & honestis; aliàs non donarent; si Religiosus malè expendat, tunc enim satius erit amittere vtilitatem illam, quam quod Religiosus habeat malè expendendi occasionem.

SECTIO X.

An si Superior sine causa concedat peculium tutus sit subditus in conscientia.

SVMMARIVM.

846 *Superior si sine causa concedat peculium an tutus sit subditus in conscientia? & num. seqq.*

846. PRius tamen quam ad Corollaria deueniam hic examinanda sunt aliqua dubia circa causam concedendi peculium, & circa licentiam illud habendi. Et primo dubitatur an si Superior concedat peculium sine causa & facultatem faciat illud expendendi, Subditus tuta conscientia tali vtatur facultate. Et quidem supponendum est, est quod habere peculium à Superiore amobile non est contra votum paupertatis, sed solum est prohibitum vel lege Pontificia, vel particulari alicuius Religionis. Hoc enim manifestum est

847. ex dictis, vt docent omnes Authores citati pro secunda sententia. Quare si Summus Pontifex peculium Religioso concedat dispensando sine causa in sua lege, & si Pontifex saltem venialiter peccet, sicut quilibet alius legislator sine causa dispensans, vt multi probabiliſſime dicunt, tamen dispensatio valida est, & subditus tuta conscientia tali dispensatione vtitur. Ita tenent Azor *lib. 5. institut. moral. tom. 1. cap. 15. quæst. 3.* Aragon *2. 2. quæst. 89. art. 9. ad fin. Commentar.* Malderus *Thom. Hurtado Resol. moral. Pars II. 1. 2. quæst. 97. art. 4. dub. 2. §. conforme.* dicit id esse probabile, quod etiam dicit Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 18. num. 10.* & eam absolute sequitur Suarez si scandalum absit. *lib. 6 de leg. cap. 19.* 848. Diana *1. part. tract. 10. resol. 35.* quia obligatio legis validè sublata est, & non est rationi dissentaneum aliquod membrum politicum, non esse conforme toti in legis obseruatione quando iam est toti deforme in legis obligatione.

Alij autem Superiores (nisi particulares con- 849. stitutiones, & regulæ obstent) cum de iure communi, etiam post Concilium Tridentinum possint Religiosis concedere peculium, *vt supra diximus*, si sine causa concedant, valida etiam erit concessio, & dispensatio, & nullum erit peccatum in subdito illa vti in vsus licitos, & honestos Quod si regula, & constitutio particularis Superioribus adimat potestatem, irritum faciendo quidquid contra ipsam fit, solumque obliget ad pœnam, & non ad culpam, idem existimo dicen- 850. dum (quid autem dicendum sit de Fratribus Minoribus de obseruantia, alterius negotij est, de quo videatur Corduba *in exposit. Regular. cap. 6. quæst. 10. & 11.*) quam Prælatum Regularem (etiam Vicarium in absentia Principalis) posse sibi peculium assumere secum dispensando sicut potest cum subditis. Id latè, & eruditè, vt assolet, probat Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disp. 3. num. 9.* sumpsit ex Molina *de iust. tract. 2. disput. 247. vers. Religiosus tamen.* Vnde fit quod Monachus vtens peculio sine causa concesso à Superiore, non peccat contra votum paupertatis.

SECTIO XI.

Vtrum licentia habendi peculium sit renouanda à Superiore de nouo intrante.

SVMMARIVM.

851 *An licentia habendi peculum ab vno Superiore concessa, sit à Superioribus succedentibus renouanda? & n. seqq.*

SEcundum dubium est an licentia habendi pe- 851. culium ab vno Superiore concessa, sit à Superioribus succedentibus renouanda. Et quidem si concedatur ad tempus, isto transacto, renouanda est licentia, nec de hoc est dubitatio, sed an quando Superior tribuit subdito absolutè licentiam libere administrandi quidquid sibi ab amicis, parentibus, vel titulo specialis eleemosynæ, sibi expressè concessæ, sit necessarium licentiam renouare à Superiore succedente. Et quidquid dicat Sanchez *in summ. loco cit. num. 25.* ex Rodrig. *tom. 2. q. 125. art. 5.*

Dico quod talis licentia perseuerat quousque retractetur, & sic non est necessarium licentiam renouare, sed prior semper manet. Ita Nauarr. 852. *Consil. 4. de Cleric. non residentib.* & expressè sancitum est, *in cap. super gratia. de officio delegati in 6.* deinde, quia licentia concessa à Superiore alicui Religioso, vt audiat Confessiones, vel vt ipse eligat Confessarium, perseuerat etiam mortuo concedente, vel amoto ab officio, vt tenet Thomas ipse *lib. 8. de Matrimon. disp. 28. num. 72. & 14.* & quidem quod licentia alicui concessa non expiret, expirante concessore, tenent Naldus *in summ. verbo licentia num. 6.* Guttierez *lib. 2.*

853. *Quæstion. Canonic. cap.* 17. *num.* 7. Sayrus *tom.* 1. *Thesauri lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 7. iterum Nauarrus *lib.* 5 *consilior. tit. de Priuilegiis consil.* 6.

SECTIO XII.

Qualiter peccent Superiores non ministrantes subditis necessaria.

SVMMARIVM.

854 *Superiores non ministrantes suis subditis necessaria, & sic dantes occasionem, vt subditis permittantur peculia, an mortaliter peccent. & n. seqq.*

854. TErtium dubium est, an Superiores non ministrantes suis subditis necessaria, & sic dantes occasionem, vt subditis permittantur peculia mortaliter peccent. Affirmant Sanchez *num.* 26. Peyrinis *loco cit. pag.* 521. *conc.* 2. *& seq.* citant Syluestrum *verbo Religio* 6. *quæst.* 7. *in fine.* Sed loquitur ex sententia Archidiaconi, & non ita clare, vt legenti constabit: & eodem modo loquitur D. Antonin. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. *in fine.* loquuntur enim quando sic negligentes sunt Prælati in administrando necessaria subditis quod istis dant
855. occasionem, vt sæculariter viuant. Ego addo, vel quod isti indecenter, & maximo Religionis dedecore victum, & vestitum quæritent, nisi alias ita sit relaxata religiosa obseruantia, quod sine magno scandalo, & nota Superiores non possent ad rectum tramitem eos subditos reducere, quia sic introductum est in multis communitatibus tam virorum, quam mulierum, quod maximo planctu dignum.

856. Igitur vt casus iste quotidianus est (vtinam non foret) clarius decidatur, notandum est Superiores, & Prælatos Regulares, communitatibus Præpositos dupliciter posse considerari in ordine ad suum Conuentum. Primò, quod Religiosis omnia necessaria tribuantur, quoad vsum victus, & vestitus, & librorum qui necessarij sunt, pro cuiusque Religiosi qualitate, officio, & exercitio; & Superior huius communitatis non tribuens necessaria, quia vel eleemosynas, vel Conuentus annuos redditus extendit, vel in superfluum domus ædificium, vel in paramenta Ecclesiæ non necessaria, vel quia plures personas sustentat
857. quam possint sustentari, hic, inquam, Superior mortaliter peccat dans occasionem vt obseruantiæ rigor amittatur, & abusus indecentes introducantur. Legatur Aluarez *tom.* 2. *de vita spirituali. lib.* 5. *part.* 1. *cap.* 14. Sanchez *vbi supr. cap.* 23. *n.* 3. Quare Superior concedens peculia ad huiusmodi necessaria absque dubio mortaliter peccat, cum sit causa quod tam Sancta obseruantia, qua in communi, & de communi viuitur euertatur.

Secundò, possumus considerare huiusmodi Prælatos ad communitates in quibus introduc-
858. tum est quod Religiosis professis sit commune refectorium, & vestuarium exterius certis temporibus, & nihil amplius dat communitas, nec oleum ad lucernam; & quando sunt infirmi ad communem deferuntur infirmorum locum, vbi miserè degunt sine solatio, & sine licitis deliciis in victu, & aliis, quæ etsi sanis essent superflua, nec tamen infirmis. Et Superiores isti quia necessaria non tribuunt, quia vel sic introductum, vel quia Conuentus pauper est non peccant mortaliter; peccarent tamen si quia Conuentus pauper eleemosynas impendit in ædificium, vel supellectile, etiam Sacristiæ non necessarium: cum enim administrator sit dumtaxat, maiori necessi-
859. tati debet occurrere; non tamen peccaret si peculium concederet vt inde Religiosus sibi necessaria prouideat. Quod si communitas de vestitu nil tribuat, & de victu parum, aut ferè nihil, sed solummodo communem domum, vt fit in communitatibus Monialium quam plurimis, existimo non solum posse Superiorem illis concedere peculium, sed & id concedendum teneri, & semel concessum non posse illud tollere; nec subditum teneri pati quod sibi tollatur, nisi Superior aliunde sibi necessaria tribuat. Et in hoc conueniunt *supr. citat.* Et propter hoc *in cap. vltimo* 860. *de statu regul. in* 6. §. *sanè* statuitur quod professio Monialis in Monasterio non mendicantium irrita est, si fuerit recepta vltra eas quæ secundum Conuentus redditus, & consecutas eleemosynas absque pecunia possint sustentari. Quod Decretum hodie non est in vsu quantum ad nullitatem professionis, vt notat Barbosa *ibi num.* 31. ex Thoma Sanchez. Et sic Pius V. in sua constitutione confirmatoria Concilij Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 3. *edita* 4. *Calendas Iunij anno* 1566.
861. prohibuit receptionem Monialium vltra redditus, non tamen professionem irritauit. Sanctissimè tamen Bonifacius VIII. tunc temporis talem professionem irritam dixit; & vtinam hodie tale Decretum in sua viridi esset obseruantia, nec tot in Conuentibus Monialium essent necessitates, quibus moti Superiores multa non permittenda permittunt, nec eas cogere valent amouere à communicatione sæcularium, & coguntur ipsi superfluos annuos redditus concedere, dum aliæ fame pereunt.

RESOLVTIO LXXXV.

Non tenetur restituere qui lucratur aliquid à Religioso extra domum, de licentia Superioris degente.

SVMMARIVM.

862 *Religiosus qui extra domum degit, vel studij, vel negotiationis, vel peregrinationis, aut itineris causa, potest ludere, & qui illum lucratur non tenetur restituere, & n.* 863.

864 *Si tamen ludus sit illici tus non censetur Superior tacitè consentire.*

865 *Religiosus si ex his quæ sibi mittuntur ad congruam sustentationem aliqua sibi subtrahat parcè viuendo, vel quia aliàs ab alio sustentatur, poterit ea exponere ludo, nec lucrans tenetur restituere.*

COlligitur primò, posse Religiosum qui extra 862.
domum degit, vel studij, vel negotiationis, vel peregrinationis, aut itineris causa ludere, & qui illum lucratur non tenetur restituere. Ita Molina *tom.* 2. *disp.* 520. *num.* 1. *vers. quemadmodum* Salonius 2. 2. *quæst.* 61. *tract. de dominio quæst.* 5. *art.* 6. *dubio penult.* Sanchez *in summ. lib.* 7. *c.* 19. *nem.* 79. Azor *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 26. *quæst.* 8. *& §. quæres* quos sequitur Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 83. *& ca p.* 41. *num.* 73. & alij quos sequitur

ſequitur Bonacina *in variis diſput. 3. de largition. muner. punct. 6. num.* 18. Ratio eſt, quia Superior non eſt inſtar œconomi alicuius communitatis,
863. aut Principis, ſed eſt veluti abſolutus bonorum Religionis adminiſtrator ad illa in licitos, & honeſtos vſus expendenda, & ſic ſi expreſsè non conſentiat cenſetur tacitè conſentire vt talis Religioſus ludo exponat quotannis quinque, vel ſex pro centum eorum quæ ad ſui ad ſuſtentationem largiuntur, delectatio enim ex ludo licito, licita, & honeſta eſt.

Addunt Molina, & Azor quod ſi ludus illicitus ſit, vt aleæ, taxillorum, & chartarum non
864. cenſetur Superior tacitè conſentire, *quoniam amens eſſet, & malè faceret Prælatus qui expreſsè, vel tacitè eam facultatem concederet Religioſo, quare tutus non eſſet in conſcientia immuniſque à reſtitutionis onere qui pecuniam ludo prohibito, aut indecenti Religioſo ab eo lucratur.* Hæc Molina. Quod an ſit verum infra dicam.

865. Addit ſecundo Azor §. *huius regularis & tom. 1. lib. 12. cap. 9. q. 6. & 7.* quod ſi Religioſus ex his quæ ſibi mittuntur ad congruam ſuam ſuſtentationem aliqua ſibi ſubtrahat parcè viuendo, vel quia alias ab alio ſuſtentatur, poterit ea exponere ludo, nec lucrans tenebitur reſtituere. Cui conſonant Samuel Lumblinus *in ſumm. verbo Monachus num.* 19. dicens: *quod Monachus eſt dominus illius portionis, quæ eſt ante eum poſita in menſa, vnde illam dare poteſt, cui voluerit, & etiam ludo exponere.*

Resolvtio LXXXVI.

Vtrum poſſit Superior valide concedere licentiam ſubdito, vt magnam pecuniæ ſummam ludo exponat.

SVMMARIVM.

866 *Superior poteſt validè concedere licentiam ſubdito vt pecuniæ quantitatem ludo exponat, & lucrans non tenebitur reſtituere: ſicut nec ipſam Religioſus ſi ab alio potente perdere lucretur, & n ſeq.*

866. COlligitur ſecundò. Poſſe ſuperiorem valide concedere licentiam ſubdito, vt magnam pecuniæ quantitatem ludo exponat, & lucrans non tenebitur reſtituere; ſicut nec ipſe Religioſus ſi ab alio potente perdere lucretur. Ita expreſsè Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 26. dub. 5. num. 33.* vbi ſic fatur: *Cum conſenſu tamen ſuperioris poteſt Religioſus lucrari, & perdere etiam notabilem ſummam, quia eſt contractus oneroſus, qui poteſt Monaſterio eſſe vtilis, quamuis peccet res Monaſterij ſic expendendo & quidem mortifere, iuxta Nauarrum cap. 20. num. 9. Si tamen contigerit Monaſterium grauiter lædi, datur ei reſtitutio in integrum, ſicut in aliis contractibus.* Hæc Leſſius Cuius verba refert, & approbat Salas *de Contract. ludi dub. 21. num. 4.*

867. Et quidem ſatis probabiliter, quia aliud eſt quod ſuperior in mala adminiſtratione peccet, quia indecenter adminiſtrat, aliud quod licentia ad contractum, qui ſecundum ſe poteſt vtilitatem adducere conuentui, non ſit valida. Primum veriſſimum eſt, ſecundum non ita. Vnde fit quod ſi Superior poteſt licentiam impertiri, vt ſubditus poſſit ſummam notabilem ludo valide, etſi non licitè exponere, multo magis id poterit per ſe ipſum.

Resolvtio LXXXVII.

Vtrum Religioſus habens peculium ſi expendat in ludum, & alios vſus illicitos, lucrator, vel accipiens teneatur reſtituere.

SVMMARIVM.

868 *An ſi Religioſus profeſſus cui conceſſum eſt peculium, aut facta facultas expendendi aliquam, etſi ingentem ſummam in quoſlibet vſus licitos, ſi tamen expendat in prophanos, & illicitos, verbi gratia, in ludo, in donationibus ob turpem vſum luxuriæ, &c. an, inquam, recipiens teneatur reſtituere.*

869 *Sententia communis affirmat.*

870 *Sententia quæ dicit quod recipiens non teneatur reſtituere, valde probabilis eſt, & Auctoritate fulcitur, & n ſeqq.*

COlligitur tertiò, Reſolutio illius grauiſſimæ, & quotidianæ Quæſtionis, An ſi Religioſus Profeſſus, cui conceſſum eſt peculium, aut facta facultas expendendi aliquam, etſi ingentem ſummam, in quoſlibet vſus licitos, & honeſtos, ſi tamen expendat in prophanos, & illitos, v.g. in ludum, in donationibus ob turpem vſum luxuriæ, vel alterius vitij, an recipiens teneatur reſtituere. 868.

Communis ſententia affirmat vt videre eſt in Nazario *opuſc. de Statu Relig.* Thoma à Ieſu *in ſimili tract. p. 5. dub. 1.* Thoma Sanchez *tom. 2. ſum. lib. 7. loc cit.* Caſtro Palau. *tom. 3. tract. 16. diſp. 4.* Diana *p. 3. tract. 21. Reſol. 98,* Barthol. à S. Fauſto, *lib. 8. de Statu Relig. q. 100.* 869.

Sed ſententia, quæ dicit quod recipiens non teneatur reſtituere valde probabilis eſt, quam tenent Salas *de Contract. tr. de ludo dub. 21.* vbi ſic loquitur: *Secunda tamen ſatis probabilis opinio eſt, Religioſos quibus per ſuperiorem licet de re aliqua libere diſponere, etiam ſi ludis illicitis, vel rebus turpibus eam expendant valide expendere, nec recipientes teneri ad reſtitutionem.* Hæc ille Idem ſentit Angles *in floribus decerptis ex 4. Sententiar. quæſt. de ludo prop. 4 pag. mihi* 289. vbi ſic fatur: *Religioſus habens facultatem donandi certam pecuniæ quantitatem, illam per ludum in alium transferre poterit.* Hæc è Patris Alcozer *tract. de ludo cap. 12. demptis tamen Religioſis Ordinis Minorum, quorum Prælati non poſſunt facultatem alienandi concedere, etiamſi*, inquit, *intentio Prælati tacita fuerit, aut per ludum talis pecuniæ quantitas non alienaretur.* Hæc Angles. Cui expreſſe conſentiunt Rebellus *part. 2. de obligationib. iuſt. lib. 12. quæſt. 4 ſect. 2. num. 6. conc. 1. pag.* 730. Lopez *lib. 2. de contractib. cap. 40. §. an autem. & 2. part. inſtruct. cap. 33. alias* 183. *prioris impreſſionis.* Medina *in ſum. cap. 14. §. 29.* Diana *vbi ſupr reſol. 65.* vbi ſic fatur: *Nota tertiò quod eſt opinio probabilis illa quæ docet Religioſum habentem licentiam expendendi pecuniam in vſus qui ſibi placuerint, aut in ſuas honeſtas recreationes, ſi in vſus turpes expendat non peccare contra votum paupertatis, & accipiens in tali caſu non tenetur reſtituere.* Sic ille. Cui conſentit Ioannes Franciſcus Suarez *in Enchirid.* 870. 871.

chirid. caſuum conſcient. lib. 3. de voto paupert. fol. 256. §. accipiens pecuniam. ſequitur Sapientiſſimus Magiſter Bañez 2. 2. *quæſtione 62. artic. 5. dubium 5. §. aduertendum eſt.* ſic loquens: *De Religioſis qui omnino ſunt pauperes aliter arbitrandum eſt quantum ad huiuſmodi expenſas ſecundum facultatem quam vnuſquique habere præſumitur ad expendendas pecunias in ſibi placitis. Nec in hoc peccabit peccatum iniuſtitiæ, nec tenebitur ad reſtitutionem ipſe, neque meretrix quæ accepit tale pretium iuſte proportionatum, cum facultate interpretatiua Prælati ad expendendum in rebus ſibi placitis in animi ſui gratia.* Ita ille, & Magiſter Petrus de Ledeſma *in ſumm. tractat. del eſtado de los Religioſos cap. 4. differ. 4. pag. 51.* ſic fatur: *El Padre Maeſtro Fr. Ioan Gallo hombre doctiſſimo, y por extremo Religioſo enſeña que en eſte caſo no peca el ſubdito gaſtando mal el dinero contra la pobreza, ni es proprietario, y que peca por otro camino deſperdiciando el dinero, y ſiendo prodigo, ò aprouechandoſe mal del, ò para coſas malas, ò fuera de la Religion.* Et infrà: *Eſſo miſmo enſeñan otros Maeſtros diſcipulos de S. Thomas.* Et infrà: *digo lo ſegundo que es probable la ſententia del P. Maeſtro Fr. Ioan Gallo en lo que toca, que las licencias ſon validas, y que no peca contra pobreza el ſubdito vſando mal dellas, y gaſtando el dinero en coſas malas, y profanas.*

872. 873.

875. Prius tamen quam hæc ſententia probetur (eſt enim vt dixi maximè probabilis, deſeruiens ad plurimos eleuandos ſcrupulos) notandum eſt Religioſum habentem peculium, aut facultatem expendendi poſſe dare alicui, cum quo, vel cum qua exercet actum turpem aliquid notabile dupliciter. Primò, ſi moratur ad dandum, quia exercet actum turpem. Secundò, quia licet exerceat etiam actum turpem, & ex illo impellatur ad dandum, alias non daturus, tamen motiuum dandi, & expendendi, non eſt exercitium turpe, ſed aliud honeſtum, vt paupertas fœminæ, aliqualis conſanguinitas, quia curat de ſuis oblectamentis (*Regalo*) & politura, (*Limpieza*) vel quid ſimile.

876. Declaratur hoc ex communi doctrina in materia de Simonia vbi Doctores hunc duplicem finem diſtinguunt impulſiuum videlicet, & motiuum, ſi enim quis Canonicus monetur ad ſeruiendum Eccleſiæ, & ſacrificandum ab annuis redditibus, Simoniacus eſt: ſecus vero ſi ab illis impellatur, taliter quod non ſacrificaret, vel caneret in choro, niſi redditus annui illi darentur, & ſic honeſtè operatur, quia dignus eſt operarius cibo ſuo, & qui Altari ſeruit, de Altari viuat neceſſe eſt.

§. I.

Concluſio prima. Quod non peccat contra paupertatem, quando datur ex motiuo honeſto.

SVMMARIVM.

877 *Religioſus habens peculium, aut facultatem expendendi in vſus licitos & honeſtos, ſi alicui cũ qua habet actus turpes, & inhoneſtos aliquam quantitatem donet non in ſtipendium exercitij prohibiti, ſed ex motiuo honeſto; non eſt reus voti paupertatis, nec peccat peccato iniuſtitiæ; nec recipiens tenetur reſtituere. & n. ſeqq.*

HOc poſito dico primò. Religioſus habẽs peculium, aut facultatem expendendi in vſus licitos, & honeſtos, ſi alicui cum qua habet actus turpes, & inhoneſtos aliquam quantitatem donet non in ſtipendiũ exercitij prohibiti, ſed ex motiuo honeſto, vt in annotatione explicabamus non eſt reus voti paupertatis, nec peccat peccato iniuſtitiæ, ac per conſequens recipiens non tenetur reſtituere. Ita Authores ſecundæ ſententiæ, & tenentur docere Authores primæ, vt ratio euidens oſtendit; quia quamuis Religioſus iſte exerceat turpitudinem cum donatario, aut donataria, tamen motiuum donandi non eſt turpe exercitium, ſed vel illius paupertas, mea vtilitas, & quid ſimile honeſtum: ergo talis donatio honeſtus vſus eſt, atque ita donans non peccat contra iuſtitiam, aut paupertatem, & ſic exiſtimo donare Religioſos ordinariè loquendo ſuis deuotis Monialibus, & iſtas illis, imò & ſæcularibus mulieribus illuſtribus, & honoratis, & ſic excuſantur vt in plurimum à reſtitutione Religioſæ accipientes à Religioſis, & iſti ab illis, quia ordinariè ad hoc habent tacitam, & præſumptam licentiam donandi, accipiendi, & retinendi, vt dicit doctiſſimus Nauarrus *tom. 2. ſuor. oper. comm. 2. de regular.* quod eſt *ad cap. non dicatis 12. quæſt. 1.* quamuis enim in huiuſmodi donationibus modus dandi vel ratione expreſſus, vel ob alias circunſtantias diſpliceat Superioribus, tamen illius ſubſtantia non diſplicet eo ipſo quod facultatem expendendi concedant.

877. 878. 879.

§. II.

Concluſio ſecunda. Quod non teneatur recipiens reſtituere, etiam ſi ob turpem cauſam à Religioſo accipiat.

SVMMARIVM.

880 *Valde probabilis eſt ſententia quæ recipientes aliquid à Religioſis ob turpem actum, vel ab eis ludo etiam prohibito lucrantur, etiam ſummam notabilem, excuſat à reſtitutione.*

881 *Validis argumentis fulcitur, & n. ſeqq.*

DIco ſecundò. Sententia quæ recipientes aliquid à Religioſis ob turpem actum, vel ab eis ludo etiam prohibito, lucrantur, etiam ſummam notabilem, excuſat à Reſtitutione, valde probabilis eſt, quæ diligenter probanda, & enucleanda eſt eius probabilitas. 880.

Primò, quia Religioſus habens peculium, aut licentiam expendendi in quoſlibet vſus licitos, & honeſtos, ſi exponat ludo, aut det meretrici, aut exercenti actum turpem non peccat contra iuſtitiam, nec facit iniuſtitiam transferendo, & abdicando à ſe talem pecuniam, aut rem pretio æſtimabilem: ergo accipiens non facit iniuſtitiam recipiendo, & per conſequens non tenetur reſtituere, quouſque Religioſus, vel Religio à iudice competenti reſtituatur in integrum, & poſt ſententiam. Hæc vltima conſequentia eſt manifeſta, cum ex contraria ſententia ideo accipiens teneatur 881.

tur reſtituere, quia Religioſus ſic expendens peccat contra votum paupertatis, ac per conſequens contra iuſtitiam. Antecedens huius diſcurſus probatur, quia eo ipſo quod Superior validè dedit
882. licentiam Religioſo expendendi in quoſlibet vſus iam tacitè ſaltem habuit voluntatem quod res illa, aut pecunia transferatur extra Religionem, & ab ea eam abdicauit, ſemper quod ſubditus voluerit expendere: ergo licet iſte peccet, malè expendendo, tamen non facit Religioni iniuſtitiam, nec peccat contra votum paupertatis; etſi enim Superior nec tacitè det licentiam ſubdito ad peccandum & ad exercendum actus turpes cum potius hoc execretur, tamen ſemel data licentia ad expendendum in quoſlibet vſus, tacite vult abdicare à Religione ad nutum ſubditi pecuniam illam, quod enim ſubditi voluntas ad exercitium turpe applicet, hoc eſt ex ipſius malitia, non quia deficiat voluntas tacita Superioris ſufficiens ad valide transferendum pecuniam in alium. Hæc enim tranſlatio fuit obiectum licentiæ, & voluntatis Superioris, quamuis applicatio illius à
883. malitia, & defectu ſubditi promanet, quæ non euertit voluntatem tacitam ſuperioris; tacita autem voluntas idem operatur, ac expreſſa, vt tenent Nauarrus *vbi ſuprà* Mantica Cardinalis *lib.1. de tacitis, & ambiguis conuentionibus tit.5. tit.32.* & conſtat *ex l.cum quid D.de rebus creditis. Et cap.2.de reſcriptis*, Quod verum tenet etiam ſi caſus anguſtiſſimæ interpretationis, vt tenet Cumanus *conſilio* 110.*num.2.* & Curtius Iunior. *conſilio* 4.*num.17.*

884. Secundo probatur ratione qua vtitur Salas, quia Religioſus reſpectu ſui Prælati ſe habet ſicut filiusfamilias reſpectu Patris, Pupillus reſpectu Tutoris, & ſicut Minor reſpectu Curatoris, ſed ſi iſti habent facultatem à Patre, Tutore, vel Curatore aliquam ſummam libere expendendi in vſus licitos, ſi in illicitos expendant factum tenet, nec accipientes aut lucrates tenentur reſtituere, vt communis ſententia docet quam ſequitur Molina *tom.1.de iuſtit.diſp.241.num.3.* ergo ſimiliter qui accipiunt, vel lucratur à Religioſo iſte non tenetur reſtituere, quia ſemper eſt præſumenda tacita licentia & voluntas Superioris, ratam habentis talem pecuniæ tranſlationem.
885. Primò, Quia in ludo ſicut poteſt Religioſus perdere, poteſt lucrari. Secundò, Quia in Religioſo, & accipiente ab illo minora erunt peccata, ſi actus validus eſt. Tertiò, quia licet turpes actus mali ſint, tamen pro illis iam factis aliquid dare per modum doni, aut pretij licitum eſt, vt eſt communis ſententia, maxime ſi perſona indigeat, huic enim dare, vel datum ab ea non repetere eleemoſyna eſt. Hæc ferè Salas, hoc autem pretium, vel donum menſurandum eſt pro qualitate perſonæ accipientis, & dantis.
886. Tertiò probatur ad hominem contra Petrum de Ledeſma *vbi ſupr.pag.53.§.A eſto ſe ha de reſponder*, vbi docet quod ſi Capitulum alicuius Conuentus concedat Religioſo facultatem generalem expendendi aliquam ſummam, vel annuos redditus, ſi iſte Religioſus expendat in vſus illicitos non peccat contra paupertatem, ac per conſequens validè transfert virtute huius licentiæ, ſicut de filiofamilias ſupra dicebamus, qui ſimilem facultatem habet à Patre, quia ſicut Pater eſt Dominus illius, quod expendit filius, ita Conuentus illius, quod expendit Monachus: ergo ſimiliter ſi ſolus prælatus talem licentiam concedat, virtute illius valide transfert Religioſus ea quæ ſibi in peculium conceſſa ſunt. Conſequentia, me quidem iudice, efficax eſt, quia licet ſuperior non 887.
ſit Dominus, ſicut eſt conuentus; tamē iſte, eo ipſo quod ille electus eſt tranſtulit liberam adminiſtrationem in ſuperiorem eorum omnium, quæ iure poſitiuo non ſunt illi prohibita per titulum, & Bullas Pontificias de rebus Eccleſiæ non alienandis, & ſic poteſt ſubdelegare partem huius liberæ adminiſtrationis in aliquem, vel aliquos Religioſos, vt diſponant de peculio ſuo. Quare ſi Prælatus aliqua proprij peculij expenderet, vel in ludum, vel in alios vſus illicitos, accipiens non tenetur reſtituere, quia voluntate tacita Capituli adminiſtrationem veram concedentis ea expendit, ita nec Religioſus particularis, quia habens licentiam à Superiore, habet etiam tacitam voluntatem Capituli; nec enim Superior ſe habet veluti Cellarius, aut Procurator Conuentus, ſed tanquam liber adminiſtrator, & diſpenſator reſpectu ſui Conuentus, ſicut Summus Pontifex reſpectu 888.
totius Eccleſiæ; atque ita ſicut Pontifex ſi concedat alicui liberam facultatem adminiſtrandi (dependenter tamen à voluntate Pontificia) ſi expendat Religioſus in vſus prophanos, & illicitos accipiens non tenetur reſtituere; ita ſi ſuperior aliquis ſimilem facultatem concedat virtute ſupremæ poteſtatis in ipſo, vt in ſuperiore reſidentis, quem vt dixi electores illi concedunt, qui etſi talem facultatem non concedant in deſtructionem, ſed in ædificationem, & ſic nec ipſi, nec Superior poſſent licite dare licentiam ad expendendum in malos vſus, tamen ſicut quando capitu- 889.
lum dat Religioſo facultatem liberè expendendi in vſus licitos, ſi iſte expendat in illicitos, non peccat contra paupertatem, nec accipiens tenetur reſtituere, nec ex hoc dicitur Capitulum deſtruere, ſed ædificare, ſi cum iuſta cauſa fiat, ita neque quando ſuperior ſimilem concedit licentiam.

Quarto probatur ex multis caſibus in particu- 890.
lari Religioſorum qui habentes ſolemne paupertatis votum, nihilominus, quia habent liberam adminiſtrationem eorum quæ apud ſe retinent, vel acquirunt, ſi aliquid expendant notabile in vſus prophanos, & illicitos, valide transferunt, & accipientes, vel lucrantes non tenentur reſtituere. Primò Religioſus qui de licentia vel Summi Pontificis, vel ſuorum Prælatorum degit extra Conuentum, vel cauſa longæ infirmitatis, vel ſubue- 891.
niendi parentibus, ſororibus, vel conſanguineis. Secundo de Religioſo qui habet beneficium, vel etiam dignitatem Epiſcopalem, vel quaſi. Tertiò de Religioſo qui habet penſionem, & eſt extra Religionem cauſa vtilitatis publicæ. Quarto de Religioſo electo extra Religionem. Quinto de Religioſo Apoſtata, qui ſi quid acquirit, Cameræ Apoſtolicæ acquirit, iuxta conſtitutionem Gregorij XIII. *incipit Officij noſtri* reuocantis ea omnia quæ de iure communi dicit Siluester *verbo Apoſtata q.9.num.12.* videndi ſunt Azor *tom.1.* 892.
lib.8 cap.3.q.9. Portel *in Addition.ad Dubia verbo Bona n.1.* & Hieronym. Rodriguez *Reſolut. 11.num.31.* Miranda *tom.1.q.51.art.7.* Ego vero exiſtimo conſuetudinem eſſe quod Cameræ Apoſtolicæ acquirant ex vi præfatæ Bullæ. Sextò ſi Religioſus habeat domum, vel prædium Conuentus, ea lege vt certam penſionem ſoluat Monaſterio, reliqua autem ſuo vſui cædant. De Clericis ſæcularibus, ſi vera eſt opinio Nauarri, quod non ſint Domini redituum Eccleſiaſticorum

ſticorum, quia ſunt liberi adminiſtratores.

893. De quibus caſibus videndi ſunt Naldus *in ſumm. verbo Religioſus num.9. & 11.* Antonius Perez *in Regul.S.Benedicti cap.34.dub.4.num.96.* Nauarrus *comm.2. de Regular. num.23.* Bonacina *tom.2.diſp.3.de largit.muner.punct.3.* Valerus *verbo Munera num.27.* Molina *tract. 2. de iuſtitia diſp.276.num.4.* Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.41.dub. 15.num.103.* Sanchez *lib.6.Summ. cap.6.num.11.* Azor *tom.1.lib.12.cap.20.q.6.& 7.* Salas *vbi ſupr. num.vltim.* iſti enim Religioſi, & ſi qui ſunt alij, vt Equites S.Ioannis, qui, vt notat Fauſtus *vbi ſupr.q.80.* vouent perfectam paupertatem, tamen habent liberam adminiſtrationem, ſicut habent

894. alij Religioſi in aliis caſibus relatis. Quare, etſi peccant aliquid cum meretricibus inſumendo, aut alia ratione peruerſe donando, vel expendendo; non tamen tenentur reſtituere, ſicut nec tenentur qui ab ipſis acceperunt. Ita Bonacina de Religioſo iuſte, vel iniuſte eiecto à Monaſterio: eſt tamen eadem ratio de omnibus aliis caſibus, cum Religioſus eiectus verè Religioſus ſit adſtrictus paupertatis voto. Idem dicendum de Religioſo qui falſis teſtibus probauit nullitatem Profeſſionis; toto enim tempore quo extra Reli-

895. gionem viuit eſt ſicut ille qui eſt Apoſtata à Religione, qui Cameræ Apoſtolicæ acquirit, & illius habet liberam adminiſtrationem.

§. III.

Soluitur Argumentum Nazarij.

SVMMARIVM.

896 *Argumentum Nazarij aduerſus dictam reſolutionem ponitur, & refellitur & num. ſeqq.*

896. SEd aduerſus dictam Reſolutionem obiicit Nazarius *opuſc. de ſtatu, & obligatione Religioſor.dub.8.p.100.& 111.* Quod Religioſus, vtpote cum non ſit ſui iuris, nullam habet poteſtatem transferendi rem in alium, niſi ex licentia ſaltim tacita, vel præſumpta ſui Superioris; atqui Superior tacitè etiam non poteſt conniuere, aut approbare, quod ſubditus res expendat in vſus prophanos, & illicitos, quod ex eo patet, quia ſi ſubditus expreſſam licentiam ad huiuſmodi vſus peteret, abſque dubio Superior, non concederet niſi amens eſſet, & totaliter Religionis euerſor: vt enim dicitur in Regula *generali 81. de reg iur. in 6. In generali conceſſione non cenſentur ea eſſe conceſſa, quæ denegarentur ſi eſſent in particulari*

897. *propoſita.* Imo talis licentia inualida, & irrita eſt, vt pote procedens à non legitima, & vſurpata poteſtate, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.25. c.2. de regular.* Quare ſubditus peculium, & annuos redditus, vel pecuniæ ſummam in præfatos vſus diſtribuens peccat contra iuſtitiam non ſecus ac executor teſtamenti, qui pia legata diſtribuit in diuites, cum ex voluntate explicita teſtatoris diſtribuenda forent in pauperes.

898. Reſpondetur præfatum Magiſtrum Nazarium nimis ſcrupuloſe proceſſiſſe in materia paupertatis Religioſæ; cum enim alias Religioſiſſimus eſſet vult reducere ad perfectionem vitæ Religioſos ſed non ſemper hoc fieri debet (etſi ſemper deceat Religioſos perfectos eſſe) quando rebus ſtantibus in talibus circunſtantiis intentum conſequi non poteſt: & alias ſequendo opinionem probabilem minus receditur à perfectione vitæ, cum euitentur peccata mortalia.

Quare ad argumentum dico quod Prælatus non conſentit nec tacite in vſus illicitos expendi pecuniam, & quis hoc dicet? Sed tacite conſen- 899.
tit in hoc quod ſubditus expendat in vſus licitos, & honeſtos ſecundum ſe, & in vtilitatem ſubditi; quod autem iſte hanc vtilitatem in ludo, fornicatione, &c. culpa ſua eſt, & diſplicet Superiori non quoad ſubſtantiam tranſlationis, ſed quoad modum illicitum transferendi in alium, ratione cuius ſi expreſſe peteretur licentia ad expendendum in tali vſu illicito nec Superior daret licentiam, imo nec poſſet dare; tamen ſuppoſito quod det ad vſus licitos, & honeſtos, ſi expendatur in illicitis non peccat contra votum paupertatis, nec committitur iniuſtitia, vt quidam doctiſſimus 900.
vir apud Ledeſmam *vbi ſupr. pag. 60. la maior difficultad.* ab ipſo conſultus iudicabat de Religioſo qui peculium ſuum expendebat donando ſæcularibus ſine licentia Superioris fundamentum proponit his verbis: *Porque iſtos bienes que tiene vn Religioſo aplicados para ſus vſos, aunque el dominio eſté en la comunidad, pero tiene eſte dominio mediante la perſona à quien eſtan aplicados; y en realidad de verdad los tales bienes no ſon para la vtilidad, y prouecho de la comunidad, ſino que ſe han de emplear en vtilidad, y prouecho del particular.* Quæ quidem opinio intelligi debet non quod ſubditus has donationes faciat ſine omni prorſus licentia & Prælati & Conuentus: hoc enim nulla ratione poſſet dici, ſic enim ſubditus iſte proprietarius eſſet, cum iuxta propriæ voluntatis libitum de re illa diſponeret; ſed quia ſup- 901.
poſito quod habeat licentiam peculium illud expendendi, & ſuis vſibus applicatum, & in propriam vtilitatem habet eo ipſo taciram voluntatem, & conſenſum Superioris donandi, & transferendi in alium, & ſic non tollit à communitate inuita ius quod habet in omnia bona Religioſi atque ita non committit iniuſtitiam, nec tenetur reſtituere ipſe, vel recipiens.

Nec ſimile quod adducitur de executore teſta- 902.
menti ſimile eſt, ſed valde diſſimile, etenim executor teſtamenti non habet liberam adminiſtrationem, ſed ſolum eſt executor voluntatis teſtatoris, qui voluit quod in pauperes expenderetur ſumma illa pecuniæ. Quare ſi talis executor portionem notabilem illius ſummæ daret mulieri quæ vere pauper eſt vt illam alliceret ad actum illicitum, abſque dubio non teneretur reſtituere, quia huius motiuum fuit paupertas, & ſic ſatisfecit voluntati teſtatoris, quamuis alias non daret, niſi haberet intentionem alliciendi mulierem ad turpitudinem.

§. IV.

Idem dicendum eſt de Fratribus Minoribus.

SVMMARIVM.

903 *Fratres Minores capaces ſunt vt ipſis relinquantur annui redditus, nec hoc eſt contra ipſorum ſtrictiſſimam paupertatem Euangelicam, & n. ſeqq.*

906 *Frater Minor de licentia ſui Prælati poteſt habere annuos redditus ad vſus licitos, & honeſtos,*

honeſtos, & n. ſeqq.

910 *Et ſi exponat ludo, aut expendat in alios vſus licitos, non peccat.*

Quid dicendum ſi expendat in illicitos? ibid.

911 *Religioſus quamuis non poſſit pecuniam ludo expoſitam perdere, poteſt tamen à potente perdere lucrari, abſque obligatione reſtituendi.*

903. SEd inquires an doctrina huius corollarij verum teneat in Fratribus Minoribus de obſeruantia? Affirmat Salas *vbi ſup. num. 6. Quia licet neque in communi, nec in particulari proprium habeant, habent tamen bonorum adminiſtrationem, quæ ſufficit vt ratum ſit quod in prædictis euentibus faciunt.* Hæc ille. Sed contrarium ſentiunt Alcozer, & Angles locis citatis. Et quidem primo exiſtimo Fratres Minores de obſeruantia capaces eſſe vt ipſis relinquantur annui redditus, nec hoc eſſe contra ipſorum ſtrictiſſimam pau-
904. pertatem Euangelicam, dummodo ipſi eos non petant tanquam domini, & tanquam habentes ius ciuile ad eos, licet qui illos dat ſit obligatus vel per votum, vel ex teſtamento, vel alio modo, ſed ſolum eos quotannis expoſcant titulo eleemoſynæ illis liberè quotannis oblatæ.

Sic declarauit Congregatio Sacra pro Fabrica Baſilicæ S. Petri de Vrbe de Ordine SS. D. N.
905. Vrbani VIII. *die 4. Februarij anno 1633.* Sic defendunt duo zelantiſſimi, & ſapientiſſimi viri mihi multis titulis venerandi, & tum ob Religionis, & paupertatis obſeruantiam, tum ob ſingularem ſcientiam, & doctrinam ſtrictæ vinculo amicitiæ mihi coniuncti ambo Sanctæ Prouinciæ Angelorum alumni, quæ velut alter equus Troianus quotidie Eccleſiæ tribuit viros tam ſanctitate, quam doctrina ſtrenuos, hi ſunt Pater Didacus de Cea Lector Iubilatus, Ordinis Pater, & in Romana Curia Generalis Commiſſarius *in Theſauro Terræ Sanctæ lib. 2. cap. 4. à §. 1. vſque ad 4.* Alter eſt P. Didacus Brauo, quondam ſuæ Prouinciæ Prouincialis Miniſter, *in Tract. Theologico de vſu Syndici Apoſtolici Frat. Minor. q. 1. dub. 1.* & vterque plures adducit Doctores, & fundamenta valdè efficacia in ſuæ ſententiæ confirmationem, quæ apud ipſos videri poſſunt.

906. Ex quorum Patrum doctrina ſecuriſſima, & veriſſima, & Regulæ Seraphicæ omnino conformi, ſequitur poſſe Fratrem Minorem de licentia ſui Prælati (medio tamen Syndico à Sede Apoſtolica authoritatem habente, à Guardianis tamen aſſignato in particulari habere annuos redditus ad vſus licitos, & honeſtos ad quos faciendos poteſt etiam de licentia ſui Prælati recurrere ad pecuniam poſitam ſuo nomine apud Syndicum Apoſtolicum. Nec in hoc facit contra ſtrictiſſimam paupertatem quam profitetur, ſi enim communitas Seraphica abſque detrimento paupertatis Euangelicæ poteſt modo dicto ſupradictos annuos redditus etiam perpetuos habere, & pecuniæ apud Syndicum Apoſtolicum habere
907. recurſum, idem poterit quilibet particularis Frater Minorum, ſiue ſupradicti annui redditus legentur ad determinatum tempus, ſiue perpetuo, ſiue per totam vitam, vt præfati Patres oſtendunt contra Thomam Sanchez *lib. 7. ſumm. cap. 26. num. 36.* ſemper enim per modum eleemoſynæ accipiuntur abſque iure ciuili in Fratribus exiſtenti ad illos exigendos.

908. Addit tamen Sanchez *num. 40.* non cenſeri legatum annuum perpetuum ſi relinquatur ad vitam alicuius Fratris. Addit *2. num. 4.* quod ſi legatum annum relinquatur ad libros, & reliqua neceſſaria pro ſtudentibus ad ſtudendum ſubuenienda; imo etiam ſi pro infirmis ſuſtentandis, vt ait Rodrig. *tom. 2. quæſt. 126. art. 4.* huinſmodi enim legata annui redditus perpetui non opponi mendicitati, quam ſecundum regulam Fratres Minores profitentur manifeſtum eſt, cum legata ipſa tanquam mendici quotannis expoſcant nec ad illa habeant ius ciuile proprietatis, aut dominij, quamuis hæres teſtatoris ciuiliter obligatus ſit ad ea danda, non reſpectu Fratrum, ſed reſpe- 909.
ctu teſtatoris, ſicut ſi iſte relinqueret eoſdem annuos redditus ad alias eleemoſynas faciendas aliis pauperibus, vt optimè dicit P. Brauo, *vbi ſuprà num. 9. & 19.* Vnde prædictorum redituum dominium manet apud hæredem, vel Patronum piæ memoriæ, ſed non vt detineantur, vel aliud pium opus faciant, ſed vt Fratribus Minoribus eleemoſynaliter diſtribuant, vt probat prædictus Pater *num. 26. & 27.*

Ex quo fit quod cum Frater Minor de licentia 910.
ſui Guardiani, medio Syndico Apoſtolico, annuos iſtos redditus, aut pecuniæ ſummam apud eundem Syndicum poſitam, poſſit expendere in vſus licitos, & honeſtos, quod ſi exponat ludo, aut expendat in alios illicitos non peccabit contra iuſtitiam, nec recipiens tenebitur reſtituere, ſicut de aliis Religioſis dictum eſt, quoad hoc enim par eſt omnium ratio, licet in aliis multis differant. Et de Monialibus Sanctæ Claræ quantum ad donationes quas faciunt eodem modo eſt loquendum, ac de aliis Monialibus aliorum Ordinum.

Colligitur quartò, contra Sanchez *vbi ſupr.* 911.
lib. 7. cap. 19. num. 86. & multos alios quos pro ſe refert, quod quamuis Religioſus non poſſit pecuniam ludo expoſitam perdere, poſſe tamen à potente perdere lucrare abſque obligatione reſtituendi. Sic dixi ſupra, dum agerem de pupillo Reſol. ..... eſt enim eadem vtriuſque ratio, & ſic ea quæ de pupillo ibi dixi de Religioſo hic dicta intelligantur.

RESOLVTIO LXXXIX.

Bulla Clementina de largitione munerum non eſt vſu recepta.

SVMMARIVM.

912 *Clementina* de largitione munerum *non eſt vſu recepta. & num. 913.*

COlligitur quintò. Bullam Clementis VIII. 912.
quæ incipit *Religioſæ. de largitione munerum* qui ſub grauibus pœnis prohibuit Religioſos aliquid notabile elargiri, ſiue de bonis in particulari, ſiue communitatis, niſi ſub certis ſtrictiſſimi iuris conditionibus, non eſſe vſu receptam; fuit enim de ipſa à Regularibus ſupplicatum. Ita tenent multi quos refert, & ſequitur Diana *1. p. tract. 6. reſol. 1.* Megala *conſil. 33. num. 17.* Tannerus *2. 2. diſput. 6. quæſt. 3. dub. 14. num. 207.* Sanchez *lib. 7. ſumm. cap. 19. num. 42. & 105.* dicit non eſſe receptam in Hiſpania. Et Peyrinis *de Religioſo Subdito, part. 2. de paupertate §. 6. verſ. At huic concluſioni.* dicit etiam in Italia in diſſuetudinem abiiſſe;

abiisse pro partibus tamen, si quæ sunt, in quibus
913. huius constitutionis Clementinæ obseruantia viget. Videantur Bonacina *in disputationibus particularibus quæ in meo sunt tom.2. disputat.3.* Illustrissimus Episcopus Canarienſis D. Fr. Franciscus de Sosa *in Tractatu eruditissimo de hac materia.*

Resolvtio XC.

Qui accipit à commendatario S. Ioannis, etiam ob turpem causam non tenetur restituere.

SVMMARIVM.

914 *Commendatarij Ordinum militarium, etiam S. Ioan. Hierosol. validè donant etiam suis concubinis, neque istæ tenentur restituere. & num. seqq.*

914. COlligitur sextò, Commendatarios Ordinum Militarium, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, valide donare, etiam sui concubinis, neque istas teneri restituere. Ita Sanchez *vbi sup.* Molina *tom.1. disputat.141. vers. Est vero rigida.* Eman. Rodrig. *tom.3. quæst.29. art.7. & quæst.69. art.7.* Salas *de ludo vbi supr. num. vltim.* & multi alij, quidquid dicat Hieron. Rodrig. *resol.7. num.13.* & *resolut.28. num.9.* & *resol.53. num.17.* sentiens huiusmodi donationes esse irritas, etiam si
915. iuramento firmentur. Ratio autem nostræ Resolutionis est, quia licet isti Commendatarij voueant paupertatem, est tamen secundum vsum, & consuetudinem suæ Religionis, secundum quem habent liberam administrationem suarum Commendarum de quarum fructibus disponunt, sicut sæculares, & laici, id scientibus, & non contradicentibus Superioribus, & Summo Pontifice: & sic huiusmodi Commendatariis dantur commendæ titulo sæculari, scilicet titulo militiæ, & sic
916. distribuentes in vsus istos prophanos, nec contra votum paupertatis peccant, neque iniustitiam committunt.

Resolvtio XCI.

De Religioso habente filium in concubina.

SVMMARIVM.

917 *Casus singularis proponitur de Religioso habente filium in concubina, & n. seqq.*

917. COlligitur septimò, me bene respondisse cuidam Religioso graui, qui licentiam habebat expendendi certam pecuniæ notabilem summam in vsus licitos, & honestos, & interrogauit an posset expendere donando cuidam filio suo habito in vxorata domina, ad filij alimenta ministranda. Cui dixi posse, quia hoc opus licitum est, & honestum, & iure debitum filio. Quare nec peccat donando, nec domina tenetur restituere, vt constat manifestè ex dictis principiis; adest enim semper voluntas tacita rationabilis Superioris, qui solum rationabiliter erit inuitus, de modo quo Religiosus iste contraxit obligationem istam, tamen illa contracta, rationabiliter vult quod illi satisfaciat.

Sed aduertendum maximè est ordinariè præsumi Religiosum expendentem, aut ludentem habere sui Prælati licentiam ad expendendum in 918.
vsus licitos, & honestos, ac per consequens si 919.
malè expendat, Superiorem esse inuoluntarium circa modum, non circa substantiam, & sic accipiens, vel lucrans quousque ab illo repetatur, tutus est, nec tenetur restituere nisi ex aliis circunstantiis colligatur non habere licentiam ad expendendum.

Resolvtio XCII.

Religiosus non potest testari sine licentia Papæ.

SVMMARIVM.

920 *Licèt voluntas tacita Superioris sit sufficiens, vt Religiosus donet in vita, tamen non sufficit ad testandum, ad hoc enim requiritur expressa voluntas, & licentia Summi Pontificis, & num. seqq.*

COlligitur octauò, quod licet voluntas ista 920.
tacita Superioris sit sufficiens, vt Religiosus donet in vita, vt supra explicatum reliquimus, tamen non sufficit ad testandum ad hoc enim requiritur expressa voluntas, & licentia Summi Pontificis extra Romam. Vnde non sufficit licentia Prælati, etiam si sit Capitulum Generale, vel Generalis ipse. Sic tenent omnes fere Doctores, quorum plures refert Barbosa *in Collectan. ad cap.2. de testamentis*, vbi id expressè statuitur, & in *Authentic. ingressi C. de sacrosanctis Eccles.* vbi Tapia *cap.1. num.80.* quem secuntur Molina *tom.1. de iustitia disp.141. vers. dubium est.* Lessius *lib.2. cap.4. dub.8. num.73.* Emman. Rodrig. *tom.3. quæst.69. art.2.* & Sum- 921.
mistæ *verbo testamentum* agentes de his qui testari possunt, quare hoc etiam determinatur *cap. quia ingredientibus 19. quæst.3.* desumptum ex Gregorio I. *lib.7. registri indictio.2. Epistola 7.* quantumuis ordinetur ad causas pias.

Et ratio est, quia testamentum est actus do- 922.
minij, & qui est incapax dominij est incapax testandi, Religiosus autem non est capax habendi proprium, & sic nec testandi. De Religiosis Societatis qui emittunt vota simplicia post triennium dicit Thomas Sanchez quod cum dominium suarum rerum retineant, possunt de licentia Generalis testari: & si periculum fuerit in mora de licentia Rectoris, aut Præpositi; asserit tamen testari debere ad causas pias, quod si dispositio est facienda in fauorem consanguineorum debet adhibere consilium duorum prout constitutio ipsorum ordinat.

Sed si non adhibeat existimo valere dispo- 923.
sitionem, quia constitutio non irritat factum, & causa testamentaria pia est, & fauorabilis. Addit in *num.24.* quod etiam de licentia Superioris non potest talis professus ex suis bonis maioratum instituere, quia ratione voti paupertatis tenetur expendere in opera pia, non in prophana qualis est maioratus. Sed *num.25.* dicit quod licet talis 924.
professus peccet contra votum paupertatis per testamentum dispendendo de suis bonis sine licentia Superioris, tamen factum tenet, & firmum manet testamentum, quia licet dominium sit impeditum ne exeat in actum sine Superioris licen-

tia,

tia, tamen dispositio non est aliquo iure irrita, sicut Matrimonium initum contra castitatis votum validum erat ante constitutionem Gregorij
925. XIII. qui illud cassauit: nulla autem est lex, aut constitutio Apostolica quæ tale testamentum casset, sicut leges ciuiles irritas reddunt pupilli dispositiones sine authoritate tutoris.

Sententiam Sanchez quoad validationem testamenti tenet Suarez *tom.4.de relig. lib.4. cap.6. num.73.* & idem sentit de donationibus factis de suis bonis: dicit tamen etsi non sint irritæ, esse tamen irritabiles à Superiore, quia per votum obedientiæ abdicant à se proprium velle, & proprium nolle, non quantum ad hoc quod nihil validum possit exercere ex propria voluntate, sed
926. quia nihil firmum, & stabile potest efficere sine Superioris consensu, sicut votum quod facit Religiosus professus de exercendo aliquo opere pio validum est, irritabile tamen à Superiore. Sed quidquid sit de hoc, mihi sufficit doctrina huius sapientissimi Patris ad inferendum vnum notabile quod habent huiusmodi Religiosi Societatis professi votis simplicibus, quod si de bonis suis aliquid ludo exponant, vel donent mulieribus ob actus illicitos, etsi peccent, non tamen committere iniustitiam, quia de suo dant, cum sint veri domini nec eorum donationes sunt irritæ, sed irritandæ, & sic quousque irritentur, non tenentur restituere accipientes, & lucrantes.

927. Dixi extra Romam quia regulares existentes in Romana Curia si habeant beneficium, aut dignitatem possunt de fructibus illius disponere, perinde ac sæcularis Clericus, tam in vita per donationes, quam in morte per testamentum, & codicilla, cui enim conceditur vnum conceditur aliud, vt latè probat Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrimonio disp.1. n.38.* ita concessit Paulus III. *in sua extrauag. in eminenti.* & alij Summi Pontifices apud Nauarr. *consil.15. num.5. & 9. de re-*
928. *gular.* Naldus *verbo Religiosus num. 11.* Quare si quis accipiat ab huiusmodi Regulari Beneficiario, restituere non tenetur, etiam si ex ludo, vel ex turpi causa acceperit.

Sed qua ratione Pontifex licentiam testandi possit concedere (nam certissimi iuris est posse, vt late probant Molina *tom.1. de iust. disp.141.* Les-
929. sius *lib.2.cap.41. dub.8.* Azor *tom.1.lib.12. cap.9. quæst.vltim.* sequuti D. Thom. *2.2.quæst.185.art. 8. ad 3.*) magna est difficultas. Azor existimat Pontificem dispensare in voto paupertatis & contrarium sentientes vehementer falli. Sanchez *in summ.vbi supr. num.47.* sequutus Molinam citatum, & Lessius *num.73.* dicit quod non dispensat in voto paupertatis, hoc enim si solemne est dispensari non potest à Summo Prælato Ecclesiæ, sed sicut potest facultatem concedere, vt Religiosus donet id quod non est suum in vita, & illud alienandi, ita potest licentiam impetriri, vt talis distributio, & donatio à Religioso valeat post mortem.

930. Sed dubito, An hoc sit proprie testamentum? etsi enim quis de re aliena, de domini consensu testari proprie possit, tamen ideo est, quia testator capax est dominij rei alienæ, si enim incapax est dominij, incapax est etiam faciendi proprie testamentū, vt expresè habetur *in Auth Ingressi. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Religiosus autem solemniter Professus; etsi possit habere liberam administrationem sui peculij, & fructus beneficij, & dignitatis etiam Episcopalis, & sic possit Pontifex concedere facultatem quod morti proximus administret donādo, taliter quod donatio valida sit post mortem Religiosi, quia ibi intercenit voluntas Superioris, in hoc non est proprie testamentum, quia si donatio fuerit notabiliter facta in damnum Ecclesiæ, aut communitatis, potest illam irritam reddere, vel concedere Monasterio vt restituatur in integrum. Cæterum cum non possit Pontifex proprium concedere Monacho, 931.
ita nec quod faciat proprium testamentum, sicut Superior Regularis potest Religioso morienti concedere quod de eius licentia, ea quæ habet ad vsus suos distribuat etiam sæcularibus, & tamen hoc non est proprie testamentum, vt fatentur omnes, sed quod distributio facta à Religioso de consensu Superioris valeat post mortem. Solum est discrimen quod Superior Regularis potest solum licentiam concedere ad aliquid non magni valoris, Pontifex vero ad omnia quæ habet, etiam si sint magni valoris, & ingentis summæ pecuniæ, vt solent habere Episcopi, qui antea erant Religiosi. Regularis tamen Societatis qui post 932.
biennium tria vota simplicia emittunt, verum testamentum faciunt, quia & sunt domini rerum suarum, & capaces proprij.

CAPVT IX.

De Marito, & Vxore.

SVMMARIVM.

933 *Ad Maritum pertinet libera omnium bonorum administratio.*

An Maritus viuente vxore, ista viuente, cui debetur dimidia pars bonorum lucratorum, possit contractum facere, & donationes etiam superfluas, & eleemosynas. ibid. & n.seqq.

AD maritum pertinere liberam omnium bo- 933.
norum administrationem, si compos sit rationis certissimum est. Sed est ardua difficultas, an maritus sine consensu vxoris, ista viuente, cui debetur dimidia pars bonorum lucratorum possit contractum facere, & donationes, etiam superfluas, & eleemosynas. Negant Thomas Sanchez *lib.1.consilior.cap.6.dub.7.* pro quo citat Nauarram. *lib.3.de restitut.cap.20.à num.65.* Ioannem Garciam *de coniugali quæstu num.65.* & plures, quibus adiungo Naldum *in summ. verbo maritus num.12.* Trullench. *lib.7.in Decalog.cap. 17.dub.8. num.3. vers. demum.* Lessium *de iust. lib.2.cap.12.dub.14. num.87.* addunt tamen quod donatio valida est, tenetur tamen maritus computare donationem in partem sibi obtingentem bonorum lucratorum. Fundamentum est. Quia 934.
in generali concessione administrandi aliquam rem, tanquam propriam, non clauditur donandi potestas, sed oportet quod specialiter concedatur *l. Creditor §. Lucius. D. mandati. & l.1.§.1. D. de solution.* vt tenent Guttierez *lib.2. pract. quæst.171. num.3.* Matienzo *lib.5. Ordinam. tit.9. lib.5. gloss.6. num.4.* Perez *tit 4. l.4 § Pueda enagenar.* Segura *tract. de bonis constante Matrim. num.108.* & sic quamuis maritus sit liber administrator sine consensu vxoris tales donationes facere nequit; hoc

N enim

enim faceret animo damnificandi Vxorem, essetque dissipator, non administrator, quod prohibetur. *leg.*205. *Styli.*& *leg.*5.*titul.*9.*lib.*5. *noua recopilationis.*

935. Sed dico primò. Etiam si Maritus multa bona lucratorum constante Matrimonio ludo exponat, & perdat in damnum vxoris, & filiorum, & si peccet, non tamen tenetur restituere vxori, nec similiter lucrans tenetur. Ita Authores infra citandi. Ratio est, quia contractus ludi licitus est, & iustus, & sicut in illo perditur, lucrari potest, atqui maritus cum sit liber administrator, & vt dicitur *l.*5.*citata. Puede enagenar el marido sin licencia de la muger los bienes constante el matrimonio adquiridos,y el tal contracto de enagenamiento valga, saluo si fuere probado que si hizo cautelosamente por damnificar a la muger.* Potest tamen vxor, si maritus plus iusto perdat in ludo ad iudicem recurrere, vt in partem lucri sibi contingentem compellat maritum recipere: si vero iste res mobiles,etiam pretiosas,quæ datæ sunt in do-
936. tem, vel arrhas, & paraphernalia ludo perdat, si habeat bona ex quibus vxori damnum recompenset,tenetur recompensare, si vero non habeat lucrans tenetur restituere, quia ista bona ad dotem pertinentia dum subsistunt sunt hypothecata vxori speciali hypotheca, & illorum non habent nisi dominium vtile, vt notat Tannerus 2.2.*disput.*4. *quæst.*8.*dub.*6.*num.*130. quod secus est si maritus perdat de propriis bonis hypothecatis,tamen pro dote vxoris. Ita Salas *infra citandus num.*5. *&* 6.

937. Dico secundò. Valida est donatio, quamuis excessiua bonorum lucratorum, constante matrimonio, sine consensu vxoris. Constat *ex l.*5.*citata*, vbi expresse conceditur facultas alienandi huiusmodi bona per contractum, sub quo intelligunt donationem quouis titulo factam. Antonius Gomez *ad l.*50. *Tauri num.* 75. Gregorius Lopez *lib.*13.*tit.*10.*partit.*5. quos citat, & sequitur Salas *tractat. de ludo dub.*19. *num.*3. Sanchez *vbi supr.n.*9. & multi ex adductis pro prima sententia, & alij citandi infra, nec dubitari de eo potest iuxta ius Regium.

938. Dico tertiò. Valde probabile est, quod maritus non teneatur restituere vxori bona quæ ex lucratis, constante matrimonio, donauit, neque in partem ipsorum sibi obuenientem computare Ita tenent Authores citati *in* 2.*concluſ.* quibus adiungo Ancharanum, Cassanæum, & Boerium quos citat Molina Iurisconsultus *lib.*2.*de Primogeniis. cap.*10. *num.*65. Aiora *de Partition.*2.*part. q.*41. *num.*46. Ratio est. Primò, quia lucrum illud dicitur, quod in fine contractus reportatur, vt optimè Thom. Sanchez *lib.*1. *consil.cap.*8.*dub.*9.*n.*1. multis aliis citatis, atque ita illius lucri medietas vxori competit de iustitia, quod supereſt finito Matrimonio per mortem mariti, ante quam non fit illi iniustitia si dominus maritus pro sua voluntate alienet.

939. Secundò, quia maritus non est necessarius debitor, respectu mulieris, medietatis lucrorum, cum de iure non teneatur ad lucrandum, neque ad conseruandum lucrum factum pro vxoris medietate, & sic totius lucri est absolutus dominus: nec mulier potest illud medium sibi contingens, nisi per mortem mariti, in iudicio, nec extra petere; atque ita maritus potest de omnibus mobilibus disponere alienando prout voluerit, absque eo quod faciat vxori iniuriam, & immobilia potest vendere, commutare, debita remittere sine vxoris consensu. Et hanc sententiam plurimis argumentis confirmat Antonius Gomez *ad l.*53. *Tauri num.* 7. intrepide affirmans hanc esse 940.
veritatem tenendam, & sequendam in iudicando, & consulendo.

Dico quartò,probabilius est quod maritus has donationes teneatur computare in partem suam, & sic vxori restituere. Ita Thom. Sanchez *lib.*1. *consilior. cap.*6.*dub.*7. & omnes quos adduxi pro prima sententia Gutierez, Roxas, Peralta, Cifuentes, Auendaño, & multi quos ille adducit *num.*7. quibus adiungo doctissimum Petrum Barbosa *l.*1. *D. soluto matrimonio p.* 1.*num.* 4. *quia*, inquit, *donare perdere est*, & ob id nunquam creditur concessum,nisi expresse concedatur *l. filiusfamilias D. de donation.* & probatur fundamento adducto. Et sic *in l. illa styli* 205. datur facultas
marito alienandi sine consensu vxoris: *con tal* 941.
que no sea dissipador, qualis est qui in commessationibus, & ebrietatibus, meretricibus, & impudicitiis donationes excessiuas faciens bona lucrata communia insumit.

Cæterum aduertendum est hanc conclusionem debere intelligi secundum ius commune Castellę, iuxta quod ex vi contractus Societatis initi in 942.
matrimonio bona lucrata partiũtur inter virum, & vxorem soluto matrimonio. Nam vt mihi retulit perdoctus Pater Ildephonsus à Cruce nostræ Religionis, & in vtroque iure valdè versatus, in multis locis sunt leges municipales, quod marito obueniant omnia bona lucrata, & vxori solum debeatur dos. Et si maritus de illis bonis libere potest donare, solumque peccabit prodigus, non iniustus, & ad summum contra charitatem in filios, si illos habeat. In Regno tamen Aragoniæ maritus solus potest omnia bona mobilia alienare, Barbosa *vbi sup.*

Resolvtio XCIII.

Breuia corollaria inferuntur.

SVMMARIVM.

943 *Vxor peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, si donationes excessiuas, & superfluas faciat, aut ludo exponat notabilem summam sine consensu mariti.*

944 *Donatarius siue mulier sit, siue vir accipiens à marito excessiuas donationes (& potiori iure lucrans ludo ingentem summam pecuniæ) non tenetur restituere, & n.*945.

946 *Maritus sine licentia vxoris potest facere donationes improprias, quales sunt remunerationes, aut eleemosyna ad quas tenetur vel ex voto, vel ex misericordia, & n.* 947.

948 *Si maritus hominem necet, & vt liberetur necessum est cum parte se componere, vel aliquid expendere ad sui libertatem, hoc potest fieri ex bonis communibus.*

949 *Maritus si haberet patrem, & matrem qui indigerent, potest illos competenter alimentare de bonis communibus.*

950 *Maritus an possit dotem constituere filiæ prioris matrimonij.*

EX dicto principio colligitur primò, vxorem 943.
peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, si donationes excessiuas, & superfluas faciat, aut ludo, exponat notabilem summam
sine

ſine conſenſu mariti. Ita Ludouicus Turrianus *tom. de iuſt. diſp. 5. dub. 3.* Barboſa *vbi ſupr. p. 4. num. 93. & 94.* Ratio eſt, quia bonorum lucratorum dominium, & libera adminiſtratio ad ſolum maritum pertinet, nec illorum habet dominium vxor, niſi ſuæ medietatis finito matrimonio, donatio tamen valida erit iure naturæ, at eam tenebitur in ſuam ſortem medietatis computare.

944. Colligitur ſecundò, quod donatarius ſiue mulier ſit, ſiue vir accipiens à marito exceſſiuas donationes (& potiori iure lucrans ludo ingentem ſummam pecuniæ) non tenetur reſtituere. Ratio eſt, quia donatio eſt valida, & ex vi illius tranſlatum dominium eſt in donatarium, & maritus donando non peccaret contra iuſtitiam. Quo fundamento nixi Leſſius *lib. 2. de iuſt. c. 20. dub. 19. num. 168.* Nauarra *lib 3. de reſtitut. cap. 4. n. 218.*

945. Molina *tom. 2. diſp. 328. num. 14.* quos citat, & ſequitur Diana *3. part. tract. 5. miſcell. reſolut. 40.* dixere quod donatarius non tenetur ad reſtitutionem quando ſcit donationem fieri cum damno creditorum. Vnde fit quod maritus non tenetur computare in ſuam medietatem id quod conſumpſit ludendo, vel meretricando, quia contrarium ex generali conſuetudine obſeruatur. Ita Suarez *tit. de las Ganancias num. 57.* Gregorius Lopez *l. 13. verbo Ganancias tit. 10. part. 5.* Antonius Gomez *ad leg. 50. Tauri num. 76.* Guttierez *practicar. quæſtion. lib. 2. q. 124. num. 7.* quia quamuis malè conſumat ludendo, & meretricando, tamen eſt abſolutus dominus, & donatio valida eſt, & contractus, & ſic ad euitandas lites ſic practicari dicunt præfati Doctores. Legatur Molina *tract. 2. de iuſt. diſp. 520. num. 7.*

946. Colligitur tertiò, maritum ſine licentia vxoris poſſe facere donationes improprias, quales ſunt remuneratoriæ, aut eleemoſynæ ad quas tenetur vel ex voto, vel ex miſericordia; vnde ſi maritus donet alicui quia ipſum liberauit à morte, vel fecit votum dandi ingentem ſummam Eccleſiæ, vt Deus ipſum reſtituat in ſanitatem, poteſt hoc facere ſine conſenſu vxoris de bonis lucratis communibus, nec tenetur in partem ſuæ medietatis computare. Ita Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 19. num. 2.* Royas, Corduba, Peralta, & alij quos citat, & ſequitur Sanchez *vbi ſuprà num. 10.* qui addit non debere eſſe exceſſiuas, ſed maiores do-

947. nationibus propriis. Sed hæc limitatio non cohæret cum fundamento quod adducit pro concluſione, quia maritus habet dominium bonorum communium conſtante matrimonio.

948. Colligitur quartò, quod ſi maritus hominem necet, & vt liberetur neceſſum eſt cum parte ſe componere, vel aliquid expendere ad ſui libertatem, hoc poteſt fieri ex bonis communibus: ratio eſt, quia vt maritus liber ſit ad habitandum communi thoro, & negotia familiæ peragenda cedit in vtilitatem matrimonij, & ſic eſt commune debitum. Et idem dicendum erit deſolutione pœnæ pecuniariæ in qua propter delictum plectitur maritus. Et idem erit dicendum de vxore; imo in dote vxoris, pro cuius delicto puniri poteſt, poteſt fieri executio non ſolum quoad vſumfructum ſed etiam quoad proprietatem illud auferendo à marito. Ita Ioannes Lupus *ad l. 78. Tauri num. 2.* & ibi Antonius Gomez *n. 6.*

949. Similiter idem dicendum puto ſi maritus haberet patrem, & matrem, qui indigerent, poteſt illos competenter alimentare de bonis communibus, nam hæc eſt obligatio naturalis, quam ex bonis ſuis poteſt maritus implere. Sunt autem ſua bona lucratiua, quod maximè tenet verum, ſi mulier non reclamet, & præcipuè iuxta tertiam concluſionem, quam diximus eſſe valdè probabilem: an vero poſſit maritus dotem conſtituere 950. filiæ prioris matrimonij, idem dicendum eſt ac de conſtitutione maioratus; filia tamen cui conſtituta dos eſt non tenetur reſtituere medietatem hæredibus aliis, niſi petatur; quod ſi non petitur intra annum præſcribit in conſcientia, quia donatio illa dotis facta à marito valida eſt. Legatur Diana *vbi ſupr.*

Resolvtio XCIV.

Maritus poteſt condonare debita ſine conſenſu vxoris.

SVMMARIVM.

951 *Maritus inconſultâ vxore poteſt debita condonare, & num. 952.*

Colligitur quintò, maritum poſſe condonare 951. debita, inconſulta vxore. Sic expreſsè habetur *in l. Caſtellæ 205. ſtyli.* Quæ non video cur non ſit vſu recepta, cum nulla alia ſit quæ illi contrarietur, aut eam euertat. Vnde ſi maritus mortaliter læſus omnia debita lædenti remittat, iſte quamuis ante remiſſionem teneretur in conſcientia ſatisfacere filiis, & vxori damna ſecuta ex morte mariti, vt communis, & certa docet ſententia ex D. Thom. 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. ad 1.* tamen poſt remiſſionem mariti ad nihil tenetur occiſor. Ita Sanchez *lib. 1. conſilior. cap. 4. dub. 12. num. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 26. n. 158.* Bañez 2. 2. *q. citata dub. 6.* Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3. ad 5.* Diana *p. 5. tract. 4. reſol. 58.* & Leſſius dicit hanc eſſe communiorem ſententiam, addit 952. tamen quod maritus læſus non faciet bene ſi condonet, quando vxor, & filij ſunt valdè egentes, Sanchez tamen dicit quod peccabit.

Resolvtio XCV.

Quæ bona vxoris confiſcentur, confiſcatis mariti bonis.

SVMMARIVM.

953 *Confiſcatis bonis ob mariti crimen læſæ Maieſtatis humanæ aut diuinæ, dos, arrhæ, &c. non confiſcantur, & num. ſeqq.*

956 *Vxor non habet abſolutum dominium ſuæ medietatis bonorum lucratorum, conſtante matrimonio; ſed ſolum habituale, & conditionatum, & num. 957.*

Colligitur ſextò, quod confiſcatis bonis ob 953. mariti crimen læſæ Maieſtatis humanæ, aut diuinæ, dos, arrhæ, paraphernalia ſponſalitia vxori largita, bonorum medietas lucratorum; Matrimonio conſtante, non confiſcantur, ſed ſunt vxori danda, niſi ipſa in delictum conſenſerit. De dote habetur *cap. decreuit de Hæreticis in 6.* & omnibus bonis propriis vxoris habetur *l. ſi quis 9. C. de bonis præſcriptis*, vbi dicitur: *Quod bonis mariti publicatis poteſt vxor res ſuas propria authoritate capere.* De Arrhis habetur *l. 8. tit. 10. p. 7.*

*p.*7. & de medietate lucrorum *in l.*77. *Tauri*,quæ est *l.*10. *tit.*9.*lib.*5. *recopil.* Ita Sanchez *in summ. li.*2.*c.*17.*n.*3.nec enim consonum est rationi quod
954. innocens plectatur propter nocentis,quantumuis coniuncti, delictum *l. sancimus C.de pœnis.* Quæ omnia verum tenent, nisi mulier tempore contrahendi matrimonij sciuerit maritum esse hæreticum, tunc enim dos propria, etiam in pœnam initi matrimonij confiscatur. Ita expresè *in cap. decreuit citato,* idem. Et propter idem fundamentum sentit Simancas *de Catholicis institutionib. tit.*9. *num.*74. quem sequitur Vasquez 1.2. *disput.*
955. 159. *num.* 13. Sed Sanchez *num.* 22. contrarium tenet quia hæc lex est pœnalis, & solum loquitur de dote, non vero de aliis bonis, quæ si vellet Pontifex confiscari declararet, sicut declaratum est in omnibus bonis Hæreticorum, *in cap. secundum leges de Hæreticis in* 6. vtrumque probabile est, & hoc secundum mitius.

956. Colligitur septimò, quod licet bona lucrata pro medietate pertineant ad maritum, & vxorem ab instanti in quo lucrata sunt, itaut amborum dicantur esse, vt constat ex *l.*2.*tit.*9. *lib.*5. *nouæ Recopil.*& *l.*47 *tit.*28.*part.*3. & ex aliis quos adducit Gutierrez *lib.*2.*practicar.q.*118. Cæterum vxor non habet absolutum, & expeditum dominium suæ medietatis constante Matrimonio, sed solus maritus, vxor vero solum habet dominium habituale,& conditionatum, vt soluto matrimonio domina sit absoluta suæ medietatis. Ita Antonius Gomez *ad l.*53.*Tauri num.*77. Couarruu.
957. *lib.*3.*variar.cap.*19.*num.*2. Tello Fernandez *in l.* 16.*Tauri num.*9.*& seqq.* Suarez *in l.*1.*tit.*3. *lib.*3. *fori.*Velasquez *leg.*4. *Tauri num.*2. & sic mulier donec soluatur Matrimonium non potest agere, nec petere aliquid ex lucris,nec de eis vllo modo disponere, & quælibet dispositio irrita est,& inanis ipso iure, ac per consequens non habet proprium dominium constante Matrimonio, sed solum capacitatem cui debetur medietas lucri, quod supereſt soluto matrimonio, quæ capacitas aliquale dominium dici potest. Legatur Tello *vbi supr.*

Resolvtio XCVI.

Ex bonis lucratis potest Maritus,ob piam causam,facere donationem excessiuam.

SVMMARIVM.

958 *Maritus potest sine consensu vxoris, in piam causam facere donationem excessiuam,vt est constructio, & ædificatio Capellæ,illius dotatio,& institutio & n.*959.

958. COlligitur octauò,quod quis potest sine consensu vxoris, in piam causam facere donationem excessiuam, vt est constructio,& ædificatio Capellæ,illius dotatio, & institutio, quia hoc non est simpliciter donare, sed in suos vtilissimos vsus consumere,scilicet pro anima,quæ pretiosior est. Ita Naarrus *ad cap. non dicatis* 1.2.*q.*1.*num.* 73.cui consentit Petrus Barbosa,*vbi supr.num.*41. & 42. addens hoc esse conforme legibus Portugalliæ *lib.*4.*tit.*6.*§.finali.* dicit tamen non debere
959. esse donationem immensam, quæ est illa quæ consumit maiorem partem bonorum lucratorum argum. *ex l.omnes §. Lucius D. quæ in fraudem Creditorum.*

Capvt X.

De Mancipio, & Seruo.

SVMMARIVM.

960 *Serui & Mancipia non habent proprium & absolutum alicuius rei dominium, sed dependenter à voluntate Domini, & numer.* 962

963 *Possunt Serui dominium aliquod imperfectum habere, ratione cuius non teneantur res domino suo manifestare,& tradere.*

QVibus modis contrahatur seruitus, & quis seruus efficiatur latè tractant Siluester *verbo Seruitus q.*2 *&* 3. *& eodem verbo* Tabiena, & Angelus. Et quidem seruos, & mancipia non habere proprium, & absolutum alicuius rei dominium, sed dependenter à voluntate Domini, certissimi iuris est,vt patet. *Institut. per quas personas §.item nobis & l.id verissimum* 25.*D.de peculio,*vbi huius rei traditur fundamentum,quia *qui ab alio possidetur nihil possidere potest.* Et Innocentius IV. *in cap.cum olim de Priuileg.* dicit, quod seruus,& Religiosus in eo sunt pares, quod neuter alicuius rei dominium habeat. Quare Dominus serui illi non facit iniuriam si res suas adimat; peccaret tamen si rem quam illi concessit, vt propriam, sine iusta causa tolleret; hoc enim esset inhumanum, & contra fidem illi datam. 960. 961.

Possunt tamen serui dominium aliquod imperfectum habere ratione cuius non teneantur res domino suo manifestare, & tradere, sicut tenentur Religiosi, qui cuiuscumque dominij sunt incapaces; non sic autem serui, cum enim seruitus introducta sit iure humano non sunt incapaces dominij, huius enim incapacitas introduci non potest à lege humana, itaut tanquam pœna imponatur inuito, nusquam enim talis pœna inflicta est. Vnde seipsos possunt redimere *l.vix.* 53.*D.de iudiciis.* 962.

Resolvtio XCVII.

Vtrum serui habeant aliquarum rerum perfectum dominium.

SVMMARIVM.

963 *Serui an habeant aliquarum rerum perfectum dominium?& n.seqq.*

966 *Ennumerantur sex casus in quibus serui hoc perfectum dominium acquirunt & numer. seqq.*

SEd est difficultas,vtrũ serui,& mãcipia habeãt perfectum dominium aliquarum rerum independens à voluntate Domini; itaut si Dominus res istas à seruo auferat,possit seruus vti compensatione occulta. Negant aliqui. Fundantur *in l.id vestimentum citata.* Cuius ratio est, quia totus seruus est Domini, & à Domino possidetur: ergo quidquid accedit ad seruum Domini est,cum accessorium sequatur principale; si enim Dominus liberè potest dispensare de seruo, multo magis de his quæ ad seruum pertinent, & sic si illa ei auferat, 963.

ferat non facit propriè iniuſtitiam, & ſic ſeruus non poteſt vti occulta compenſatione. Ita Trullench. *lib.4.in Decalog.cap.1.dub.5.num.7.in fine.* Azor *tom.2.lib.2.cap.35.q.8.*& in toto cap.latiſſimè ediſſerit de peculio ſeruorum,& latè idem docet *cap.36.q.1.& 2.*

964. At nihilominus ſeruum poſſe aliquarum rerum proprium, & perfectum dominium habere communior inter Theologos ſententia docet. Ita Leſſius,*lib.2.de iuſtit.cap.4.dub.4.num.17.* dicens quantum ad hoc iura ciuilia eſſe mitigata, & hoc manet in praxi, ſequuntur etiam Molina *tract 2. diſp.38.num.5.verſ.Quod vero & diſp.520.num.2.* Saa emendatus,*verbo Seruus num.7.*Suarez *Opuſ. de iuſtit ſect.6.num.9.* Rebellus *de obligatio. iuſtitiæ,p.2.lib.12.q.4.ſect 2.num.13.*Salas *de ludo dub. 20.num.3.* id conſtat *ex l.1.§. Seruos D. de officio Præfecti vrbis & l.vix D. de iudiciis.* vbi ſeruos habere proprios nummos, quibus ſe à ſeruitute

965. redimant dicitur, & ſic quando leges dicunt ſeruos non ſibi, ſed domino acquirere, intelligi debet regulariter, & quando aliunde contrarium non conſtat.

966. Quare multis caſibus ſerui hoc perfectum dominium acquirunt, quos refert Molina,& numerat Leſſius *vbi ſupra.* Primus eſt, ſi Dominus paciſcatur cum ſeruo, vt quotidie det tantam ſummam, & reliquum quod lucratus eſt ſibi retineat, vt fit in Luſitania, & multis partibus Hiſpaniæ, qui contractus licitus eſt,& obligatorius, Dominus enim & ſeruus, in quantum homines ſe mutuo obligare poſſunt vt docet Ariſtotel. 8. *Ethicor. capit.* 11. & ibi Sanctus Thomas *lect.*11.

967. Secundò:Si Dominus donet ſeruo aliquid quod vult habere tanquam proprium, quæ donatio valida eſt,& acceptata parit obligationem iuſtitiæ, ſicut ſi fieret libero homini,& non poteſt tuto reuocari, niſi ex iuſta cauſa; vel niſi ſeruo donetur aliquid ad vſum, tunc enim non acquirit dominium.

Tertiò: Si aliquid reſtituatur ſeruo pro iniuria illi,vt homini facta,vt habeat ſolatium, & letamen. Quare benè reſpondi interrogatus an ſi

968. ſeruæ virgini pro virginitate ſua ſtuprator aliquid conceſſit, aut donauit,vel legauit teſtamento,non eſt Domini, ſed ſeruæ,niſi abſolutè donetur,non expreſſa cauſa,& motiuo donandi,ſi enim non exprimitur,domino acquiritur.

969. Quartò: ſi ſeruo aliquid relinquatur ea conditione,vt ſerui ſit,& non Domini, ſeruus acquirit dominium,non Dominus,ſicut ſi filio aliquid relinquatur conditione quod ipſe, & non Pater vſumfructum habeat, filius ſibi comparat vſumfructum,non Pater; imo exiſtimo dominum non poſſe velle quod ſeruus tale legatum non acquirat, quia vt vidimus,ſeruus per ſeruitutem non eſt incapax Dominij; nec hanc incapacitatem queit illi inducere Dominus.

970. Quintò: Si bonis ſuis quorum eſt Dominus, ludo,aut negotiatione, ſiue præiudicio obſequiorum,quæ ſuo Domino debet præſtare,aliquid lucretur: quod enim propriis nummis lucratur ſuum eſt,ſicut nummi; lucrum enim eamdem rationem ſubit, quam ſors,quando quis eam exponit nomine proprio; ſicut ſi filius ex bonis caſtrenſibus,vel quaſi,aliquid lucretur, ad bona caſtrenſia,vel quaſi pertinet, & de lucro poteſt diſponere, ſicut de illis; quod ſi ſeruus negotiando, vel ludendo præiudicat obſequiis debitis non tenetur reſtituere totum lucrum, ſed quantum fuit præiudicium illud.

Sextò: Si aliquid relinquatur ſeruo abſolutè, 971. non ea conditione, vt non ſit Domini,ſed ob beneficium factum à ſeruo, ſerui eſt, non Domini. Ex quo colligitur quod ſi Dominus auferat ea quæ ſeruus habet ſua aliquo ex dictis modis, cum ſit illorum perfectus Dominus,cum illi non competat actio ciuilis coram iudice,poteſt vti occulta compenſatione, non enim habet alium modum rem ſuam recuperandi. Poſt hæc ſcripta edidit P. Antoninus Diana p. in qua ponit tractum integrum quæſt.7. in ordin.in quo ſua ſolita eruditione plura inculcat quæ alibi *tom.*2.diſcutiam.

Resolvtio XCVIII.

Si quis lucratur aliquid quod eſt proprium ſerui, non tenetur reſtituere Domino.

SVMMARIVM.

972 *Lucrans aliquid quod eſt proprium ſerui non tenetur reſtituere domino & numer. ſeqq.*

COlligitur. Secundò, Quod ſi quis lucretur 972. aliquid à ſeruo eorum quæ habet tanquam dominus non tenetur reſtituere nec ipſi, nec domino ſuo. Sic omnes quos citaui: ſecus tamen ſi lucretur veſtimentum quod illi dominus tribuit ad ſuum vſum, ſicut & cætera vtenſilia, vt veſtes lineæ,lectulus. Colligitur *ex l.id veſtimentum citata,*horum enim non habet ſeruus dominium,& ſic alienare non poteſt. Quare quàntum ad hoc, Religioſo æquiparatur ab Innocentio IV. *in cap. cum olim citato*; atque ita accipiens,vel lucrans tenetur reſtituere, niſi ſciat quod alias ſeruus habeat ex propriis, vt ſimilia comparet,vt domino 973. ſuo reſtituat. Et propter eamdem rationem, ſi quis accipiat, vel lucretur à ſeruo rem furtiuam, ſi alias ſeruus eſt impotens ad reſtituendum, tenetur accipiens,vel lucrans reſtituere: ſecus vero ſi ſeruus potens eſt ad reſtituendum, vt tenent Salas *tract.de ludo dub.*20.*num.*2.Azor *tom.*2.*cap.* 26.*q.*5.Molina *tract.*2.*diſp.*520.*& diſp.*518. Idem docet & de Depoſitario,& vſurario, qui ludo exponit rem depoſitam, aut vſura acquiſitam. Et 974. idem exiſtimo dicendum de alio qui cum alio ludens, deficiente ſibi pecunia ab alio colluſore illam ſurripit, & lucratus eſt; ſi enim aliis habebat intentionem ſoluendi pecuniam ſublatam, nec erat impotens ad ſoluendum, non tenetur reſtituere, quia colluſor à quo ſurripuit ſolum eſt inuoluntarius, & inuitus quoad modum,quia lucrans non habet pecuniam præſentem, ſine qua propter modum nollet ludere, non tamen eſt inuoluntarius quoad ſubſtantiam contractus. Ita iudicat probabile Salas *vbi ſupra dub.8. num.5. §.dico ſecundo.*

Resolvtio XCIX.

Cuiuſdam caſus ſingularis.

SVMMARIVM.

975 *Caſus ſingularis reſoluitur & num.ſeqq.*

975. COlligitur tertiò, Deciſio cuiuſdam caſus de quo interrogatus fui Romæ anno 1625. An vnus captiuus Chriſtianus lucretur ab alio captiuo Chriſtiano, vtroque exiſtenti apud Tunetum, vel aliam ciuitatem Maurorum qui noſtra maria infeſtant, in ſeruitutem iniuſtam redigentes, An, inquam, lucretur magnam pecuniæ ſummam, vel aliarum rerum multum æſtimabilium, quas à Domino ſuo ſurripuit, teneatur reſtituere?

976. Cui interrogationi reſpondi non teneri, quia Mauri iſti ſunt inimici Principum Chriſtianorum cum quibus bellũ iniuſtum gerunt, ſuntque continui Piratæ, res fidelium iniuſte occupantes; quare ex tacita fidelium voluntate à quibus eas iniuſte acceperunt, & Principum Chriſtianorum conſenſu poſſunt à Mauris quælibet, licet pretioſa, ſurripere, non ſolum in compenſationem ſeruitij ſui damni emergentis, & lucri ceſſantis propter iniuſtam ſeruitutem; ſed etiam quia quidquid habent ad Principes Chriſtiauos pertinet, cum iſtorum ciuitates, oppida, & territoria iniuſte detineant: & ſic non ſolum titulo ſeruitutis iniuſtæ, ſed etiam ex tacita conceſſione proprij domini. Ita tenent Naldus *in Summ. verbo Seruus*, tranſcripſit ad verbum ex Molina *tract.2. diſp.37.n.1.* Samuel Lumblinus *in ſumm. verbo ſeruus num.1.* & Victorellus *in notis ad ſumm. Angelicam. eodem verbo num.* 1. quam reſolutionem, non abſque lætitia, inueni in Diana *part. 5. tractat.13. reſol.98.*

977. Addit tamen hanc reſolutionem non procedere quando inter Turcas, & Chriſtianos Principes eſt facta tregua, vel illis datus aliquis ſaluus conductus, quia, inquit, in his caſibus non poteſt præſumi conſenſus propriorum Principum, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum. Sed hoc mihi non probatur, quia tregua iſta, vel ſaluus conductus ſolum deſeruiunt vt in foro externo nulla illis fiat iniuria, vel violentia, & ſi fiat cogit princeps Chriſtianus quod illis ſatisfiat: at ſi ſine violentia, & ſcandalo dum à Turcis Mauris, aut Iudæis vſurariis aliquid ſurripiatur eorum quæ ſua non ſunt, exiſtimo quod non obſtante tregua & ſaluo conductu, non eſt obligatio reſtituendi quia nec ipſi aliquando reſtituent, nec talem animum habent, neque Princeps Chriſtianus, dum treguam facit, aut ſaluum conductum tribuit illis,
978. remittit debita. Vnde *l. Non ſolum C. de rer. permut.* dicitur quod à Barbaris, id eſt, hoſtibus, bellum iniuſtum gerentibus, & iniuſte occupantibus res Chriſtianorum *aurum ſubtili auferatur ingenio* Quia videlicet ſuum non eſt, cum prouincias Chriſtianorum, occupent, & ſibi iniuſte retineant etiam tempore treguæ.

Idem exiſtimo dicendum de Prouinciis rebellibus Flandriæ, ſi enim non ſolum à Republica, ſed etiam à particularibus aliquid ſurripiet aliquis ſubditus Monarchiæ Hiſpanæ, quia occupant, & occuparunt Regum Hiſpaniæ oppida, Ciuitates, territoria, quæ iure ſanguinis illis debentur, & ipſi ſunt poſſeſſores malæ fidei, quæ eſt ratio propterquam multi dicunt poſſe quemlibet Chriſtianum ſurripere à Turcis, & Mauris quæcumque voluerit. Ita Duuallius *in 2.2. D. Thom. tr. de fide q.7. art.10. conc.4.* Rebellus *de obligat. iuſt. part.1. lib.1. quæſt.12.n.8.* Velaſcus *tom.1. conſult.30.n.8.* Couarruu. *in Reg. Peccatum part.2. §.11. num.6.* quos citat Diana *vbi ſuprà.* fides tamen apud ipſum ſit, tenent tamen quos ſupra citaui, & vidi. 979.

Adde quod ſubditi Regis noſtri hoca cciperent 980.
à Rebellibus titulo Repræſaliæ, & iuſtæ recuperationis, ad quam faciendam habent conſenſum tacitum Regis qui ſufficit, cum cencurrant cætera quæ ad iuſtitiam repræſaliarum requiruntur, quas licitas eſſe ſupra diximus ex communi, certaque ſententia quam optimè defendit, præter ibi citatos, Coninch. *diſput. 31. de actibus ſupernat. dub.7.*

Resolvtio Vltima.

Seruus de rebus propriis poteſt facere contractus.

SVMMARIVM.

981 *Seruus poteſt de his rebus, quarum dominium habet, contractus facere, ex quibus etſi non obligetur ciuiliter, obligatur tamen naturaliter, & ſi cum domino ſuo contrahat, iſte tenebitur in conſcientia ſi ſeruus adimpleat, adimplere.*

981 *Serui, ſaltem naturaliter, poſſunt ex contractu domino, & ſeruo dominus obligari.*

COlligitur vltimo, ſeruum poſſe de his re- 981.
bus, quarum dominium habet contractus facere, ex quibus, etſi non obligetur ciuiliter, obligatur tamen naturaliter, & ſi cum domino ſuo contrahat, iſte tenebitur in conſcientia, ſi ſeruus adimpleat, adimplere. Ita Molina *diſput.* 261. Azor 3. *p. lib.5. cap.14. in fine.* Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.17. dub.8. in princip.* Hæc enim bona, quorum habet dominium ſeruus, ſunt ſimilia caſtrenſibus, vel quaſi minoris, & pupilli, qui de illis poteſt libere diſponere, & contractus facere. Vnde ſerui, ſaltem naturaliter, poſſunt ex 982.
contractu domino, & ſeruo dominus obligari. Sic habetur expreſsè *l.4. & l. naturaliter D. de conditione indebiti.* & ratio eſt, quia ſeruus horum bonorum habet liberam adminiſtrationem; quamuis enim ſeruus pro nihilo reputetur, & cum quadrupedibus comparetur in iure, & ſic quidquid habet domini ſit, tamen poteſt vt homo habere aliquid ex conſenſu domini, aut donantis.

TRACTATVS NONVS,

DE VSV BVLLÆ CRVCIATÆ APVD REGVLARES.

CRAVISSIMAM continet Tractatus iſte materiam, & quæ ſolatium non paruum Regularibus adducet. Quare diligenter diſcutienda, ne videar difficultates fugere, & argumenta oppoſita.

CAPVT I.

An Regularis poſſit virtutæ Bullæ Cruciatæ in Regno Hiſpaniæ eligere confeſſorem ex approbatis ab Ordinario loci.

Adducitur, & roboratur ſententia negans.

SVMMARIVM.

1 *Auctores qui ſentiant non poſſe regularem virtute priuilegij S. Cruciatæ eligere confeſſorem, qui in foro conſcientiæ poſſit illum abſoluere à peccatis reſeruatis, nedum non reſeruatis, & n. ſeqq.*

NON poſſe regularem virtute priuilegij S. Cruciatæ eligere confeſſorem qui in foro
1. conſcientiæ poſſit illum abſoluere à peccatis reſeruatis, nedum non reſeruatis, ſentiunt plures, & graues Doctores, Miranda *in Manuali Prælator. part. 2. quæſt. 34. artic. 15.* Acoſta *in explicat. Bullæ quæſt. 107.* Laurentius Portel *in dub. regul. verbo Bulla Cruciat num. 1.* Suarez *de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 16. à num. 4. & ſeqq.* Diana *in addition. reſol. 9.* Emman. Rodrig. *in explicat Bullæ cap. 7.* idem ſentit quantum ad caſus reſeruatos à iure, vel ab homine, non tamen quantum ad peccata mortalia non reſeruata, ad quorum abſolutionem toties quoties poſſunt eligere confeſſorem. Sequitur Emmanuelem Hieronymus Rodrig. *in ſuo ſatis erudito Compendio reſolut. 3. à num. 25. Opere prætium*, inquit, *duxi ſententiam Authoris noſtri*
2. *rationibus, & authoritatibus corroborare, ac illuſtrare, aperiendo veritatem, vt timorati trepident timore vbi eſt timor, & relaxati habenas cohibeant ſuæ libertatis, & audaciæ.* Hæc Hieronymus ille.

Sed his Authoribus abſolutè negatiuam ſequentibus adde Reginaldum *in Praxi tom. 1. li. 8. cap. 3. ſect. 3. num. 37.* Bartholomæum de Bacchis *in praxi nouitior. diſp. 9. dub. 3.* Villalobos *tom. 1.*
3. *ſumm. tract. 27. clauſula 9. Bullæ num. 3. §. con todo eſto* in quo ſequitur negatiuam ſententiam. Ledeſmam 2. *part. 4. quæſt. 29. art. 2. in commentar. §. ſecundo dico, quod de facto niſi oppoſitum explicet in Bulla nominatim de Religioſis, nempe quod etiam velit illa priuilegia valere Religioſis, non valent prædicta priuilegia Religioſis. Vnde iſto diplomate generali Pontificis non poteſt Religioſus pro ſuo libito eligere confeſſarium quem voluerit, ſed confiteri debet ſecundum diſpoſitionem ſui Prælati, aut Prælatorum Ordinis ſui. Ratio huius eſt, quia illa priuilegia ſunt odioſa, & nociua Religionibus, & ideo non ſufficit quod concedantur illa priuilegia per clauſulas generales.* Et addit infrà: *Quod etiam ſi Religioſus habeat facultatem à Summo Pontifice eligendi confeſſarium, ſi ſuper hoc non eximat eum à poteſtate ſuorum Superiorum, malè faceret Religioſus qui confiteretur alij quam Prælatus iuſſerit, quia ad minus ageret contra obedientiam, quia Summus Pontifex per*
4. *hoc quod dat prædictam licentiam non eximit prædictum Religioſum ab obedientia ſuorum Prælatorum,* &c. Quæ ad verbum volui referre, eſt enim mihi hic Author in re morali maximæ authoritatis; fuit enim doctiſſimus Magiſter è Dominicana Familia.

His enim verbis validum habemus ſententiæ fundamentum, & me iudice, in quo nituntur Summi Pontifices Clemens VIII. & Vrbanus VIII. infra adducendi, quando Priuilegium Bullæ ad eligendum Confeſſarium, quamuis ſit fauorabile omnibus Chriſti fidelibus in ſæculo de-
5. gentibus; eſt tamen nimis odioſum regulari diſciplinæ, quæ corruet, ſi Religioſi amplam habeant facultatem eligendi ad libitum confeſſorem; hæc enim tam ampla indulgentia, nimis relaxat perfectionem, quam Regulares profitentur, atqui quando priuilegium deſtructiuum eſt modi viuendi regularis non intelligitur conceſſum, niſi ſpecialibus verbis concedatur.

Vnde eſt communis doctrina doctorum vtriuſque iuris, & Magiſtrorum in Theologia quod
6. *quando priuilegium derogat iuri acquiſito tertio, niſi reſtringatur, licet ius illud poſſit Princeps tollere ſine iniuſtitia, ſi adſit rationabilis cauſa non cenſetur velle illud tollere, quando illud expreſſe non declarat; ideoque licet generaliter loquatur non comprehendit damnum tertij, in iure acquiſito, imo præſumitur illud ignorare, & conſequenter nolle; atque ita talis reſtrictio eſt veluti conditio, & exceptio intrinſeca incluſa in generalibus verbis, licet non exprimatur.* Quæ omnia hæc verba ſunt

ſapientiſſimi, & Religioſiſſimi viri P. Franciſci Suarez *lib. 8. de lege humana fauorabili cap. 28.* pro qua citat Bartholum, Panormitanum, Ioannem Andræam, Emman. Rodriguez, Rebuffum.

8. Quibus adde Henrriquez *lib. 7. de indulgent. c. 30. num. 1.* Salicetum *l. generaliter D. ne quid in loco publico. §. cum autem num. 7.* Hippolitum *volumine 1. conſil. 32.* & ſic fuit determinatum in Rota *in vna Olixbonenſi. 5. Nouembr. 1574.* vt refert Farinacius *tom. 1. Deciſion. 4. num. 3.*

Qui núm. 1. elegans tradit axioma ad præſentem

9. ſententiam confirmandam. *Quia communicationes priuilegiorum non extenduntur ad ea quæ non ſolent concedi, vel ſaltem cum magna difficultate conceduntur, ex quibus agitur de præiudicio tertij iuxta notata per Doctores in l. 1. D. de legibus*, vbi Iaſon, Socinus iunior *num. 44. & 49.* Ripa *num. 9.* Alciatus *num. 4.* Haymon *num. 103.* Antonius de Butrio *conſil. 19. num. 9.* Natta *conſil. 4. num. 6.* & ſentit Rota *in cauſ. Curin. nullius iuriſdictionis 15. Ianuarij ann. 1577. Coram bonæ memoriæ Cantutio.* Hactenus in præfata deciſione.

Ex qua doctrina quæ indubitabilis eſt tale for-

10. mo efficax argumentum. Quando priuilegium derogat iuri alicui tertio acquiſito ſtricte eſt interpretandum, & non eſt extendendum vt præiudicet tertio, niſi expreſſa mentio fiat à Principe. Rurſus non extenditur ad ea quæ non ſolent concedi, vel ſaltem cum magna difficultate conceduntur; at Bulla Cruciata quatenus tribuit po-

11. teſtatem eligendi confeſſorem, ſi extendatur ad Regulares vtriuſque ſexus derogat iuri acquiſito, reſpectu ſuorum ſubditorum, vt non confiteantur ſubditi niſi confeſſoribus à ſe deputatis; quod ius in Regulares multo preſſius, & ſtrictius eſt quam illud quod habent Parochi, & Epiſcopi in

12. ſuos ſubditos ſæculares, quatenus Prælati perſonarum Regularium habent ſpecialem obligationem procurandi ſuis ſubditis non ſolum ſalutem ſed etiam perfectionem, ad quam procurandam obligantur ex vi ſtatus, & ſic plus tenentur conſeruare diſciplinam Religioſam, &c.

13. Rurſus hæc facultas eligendi confeſſorem difficillimè conceditur regularibus, & ad determinatum tempus, vt fecit S. D. N. Vrbanus VIII. *in Bulla edita die 14. Iunij 1624. Pontificatus ſui anno 1.* in qua ſolum ad quinquennium hanc facultatem grauiſſimis verbis abſtulit, *in alia Bulla edita die 19. Iunij 1630. Pontificatus ſui anno ſeptimo*, approbans, & confirmans Bullam Clem. Octaui *die 23. Nouemb anno 1599. Pontificatus ſui anno octauo*, ſic enim loquitur Vrbanus: *Nec illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, vel poſſe, excepto illo quinquennio, de quo ſupra, ſed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe quod iidem fratres, & mo-*

14. *niales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitionis ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quo ad ſibi reſeruata ſubiecti ſunt*, Hactenus ibi.

Eadem formaliſſima verba habet Clem. VIII. & Paulus Quintus in Bulla confirmatoria Bullæ Clementis, vt refert Fr. Euſebius de Herrera *in*

15. *deciſionib. ſuis moralib. deciſ. 9. §. 1. & §. 2.* idem declarant alij innumeri Pontifices, quorum declarationes non refero, quia factæ ſunt ad petitionem alicuius particularis, nec ſunt ita vniuerſales, nec per modum motus proprij ex certa ſcientia.

Confirmatur vrgentiſſimè. Quia Clem. VIII. & Vrbanus VIII. dicunt quod regulares maneant 16.
ſemper ſubiecti quoad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem ſuorum Prælatorum diſpoſitioni quod eſt idem ac dicit Leo X. in quadam Bulla declaratoria data Fratribus Minoribus de eadem materia quod nullus frattum, vel ſororum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ vtatur priuilegio Bullæ quoad hunc articulum, ſine ſpeciali licentia Superiorũ: ergo ſi Superiores eam expreſsè negent generali ſtatuto Bullas Pontificias declaratorias notificando, & executioni mandetur, non poſſunt regulares hoc priuilegio vti, & quidquid in contrarium agant irritum eſt, & 17.
inane. Conſequentia patet quia illa verba *ſubiecti ſint diſpoſitioni*, &c. Quæ ponunt Vrbanus, & Clemens, & alia *ſine licentia ſpeciali Prælatorum*, eſt forma rei, & conditio ſine qua non.

Confirmatur ſecundò, non minus efficaciter, 18.
quia Bulla Vrbana, & Clementina ſunt declaratoriæ Bullæ Cruciatæ: ergo ſi in iſta non ponantur alia verba clariora quæ regulares comprehendant quantum ad hunc articulum, ſemper verba iſta intelligi debent vt Summi iſti Pontifices intellexerunt; cùm etenim ſucceſſores in Cathedra Petri expreſſius nõ loquantur, non poſſunt aliter intelligi Bullæ, nec dicere quod comprehendat, & priuilegium quoad hunc articulum Regularibus concedat. Vnde Vrbanus in ſua Bulla ferè concludit ſic: *Quæ eſt non aliter in omnibus, & ſingulis præmiſſis, per quoſcumque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Apoſtolici Palatij Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam* 19.
de latere Legatos, ac Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ac Cruciatæ Commiſſarios, & quoſuis alios quauis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate. Ecce vbi Pontifex vt ſupremus legiſlator legem ſuam interpretatur: ergo quilibet ſucceſſor qui priuilegia Bullæ eiſdem verbis concedat, niſi magis exprimat intentionem ſuam ſic intelligendus eſt, ſicut Vrbanus, & Clemens ſe ipſos intelligunt, & explicant cum eorum explicatio, & declaratio iuridica ſit, & vniuerſalis. Vnde Pius Quintus in quadam Bulla de hac re edita dicit: *Apoſtolica authoritate per-* 20.
petuo declaramus. Et Gregorius XIII. expreſſius, & expreſſius id declarat in Decreto quod fecit in fauorem Societatis Iesv, dicens: *Non eſſe, vel fore vnquam mentis ſuæ, aut Sedis Apoſtolicæ vt perſonæ Societatis, &c.* certè loquitur hic Pontifex è Cathedra, & tanquam legiſlator vniuerſalis qui in declaratione ſuarum legum errare non 21.
valet declarans non ſolum mentem ſuam quatenus talis homo, ſed etiam quatenus Pontifex ſucceſſor Petri in Sede vniuerſalis Paſtoris. & ſic eius interpretatio iuridica eſt habenda iuris, & de iure ſicut interpretatio regulæ S. Franciſci, & etiam ſi non eſſet incerta in iure inter extrauagantes, iuridica ſemper eſt habenda, quia facta à Summo Pontifice Nicolao Quinto tanquam è 22.
Cathedra loquente in extrauaganti, *exiit de verborum ſignificatione.*

Quare ſuſtinenda non eſt ſolutio aliquorum aſſerentium quod quamuis hæc declaratio facta ſit à Domino Papa, quando ſequenti anno con- 23.
ceſſit priuilegia Bullæ, annullat talem explicationem, cum omnibus Chriſti fidelibus in Hiſpaniarum Regnis ea concedat priuilegia, & ſub illa generali comprehendantur Religioſi qui Chriſti fideles ſunt.

Hæc,

24. Hæc, inquam, solutio sustinenda non est, quia si sequenti anno dum concedit Bullam Cruciatæ illa verba expresè non adducit, sed solum ea quæ anteriori anno, dum fecit declarationem, semper habent eundem sensum, & intellectum quem sua constitutione declarauit habere. Secundo quia priuilegia Bullæ Cruciatæ non suspen-
25. duntur per clausulam vniuersalissimam derogantem positam in Bulla Cœnæ, ne Pontifex sibi videatur contrarius, vt modo abroget, quod antea concessit, cum voluntas Principis debeat esse perpetua, firma, & constans, vt dicitur *l. vbi repugnantia D. de regul. iur. & cap. dicit & cap. quod semel de regul. iur. in 6.* vbi eleganter Barbosa id adnotat *num. 2. & 3.* & quod non suspendantur priuilegia Bullæ per clausulam Bullæ Cœ-
26. næ docent Fernandez in examin. Theolog. *moral. part. 3. sect. 11. cap. 19. num. 5.* Henriquez *lib. 7. cap. 21. n. 2. in commentar. littera D.* citans Emman. Rodriguez *in explicat Bullæ §. nono num. 69.* sequitur Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 27.* Duardus *in explication. Bullæ Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 11. num. 41.* Si ergo Pontifex suam iam declarauit mentem, imo & verba Bullæ Cruciatæ per Breue ortum motu proprio, & ex certa
27. scientia, si nihil aliud addat quo suam mentem exprimat, qua fronte dicitur suam Bullam declaratoriam derogare? apage! ne quis vel mediocriter sciolus dicat.

CAPVT II.

Alio fundamento iuuatur eadem negatiua sententia.

SVMMARIVM.

28 *Eadem sententia negatiua roboratur, & numer. seqq.*

SECVNDVM fundamentum huius sententiæ est quod continetur etiam *in illa Decisione Rotæ citata* 40. *tom. 1. apud Farinacium*, &
28. optimè premit Suarez *vbi sup. num. 6.* Et vt clarius appareat huius fundamenti soliditas, fabricandum erit tanquam ex lapidibus quadris ex diuersis regulis iuris *in 6. regula enim 61. habetur quod in generali concessione non veniunt ea quæ cui non essent verosimiliter concedenda*: ergo cum hæc facultas pro libito eligendi confessarium speciali ratione opponatur bono regimini regularium sub generali concessione Bullæ non intelligitur re-
29. gularibus concessa. Quod vero hæc facultas opposita sit bono regimini regularium constat clarè ex Bullis citatis, præcipuè ex Vrbana, & Clementina, vbi dicitur *quod hæc facultas est in maximum status, & obseruantiæ regularis præiudicium.* Vnde Ludouicus de Miranda *tom. 2. Manualis quæst. 34. art. 15. conc. 2. in medio* sic grauiter loquitur: *Si priuilegium hoc eligendi, &c haberent regulares, certo sperari, aut potius timeri posset to-*
30. *tale excidium, siue destructio Religionum cunctarum, propter occasionem quæ per prædictas Bullas, & earumdem vsum Religiosis cunctis daretur recedendi à sua debita perfectione, quæ omnia ita manifesta esse docuit experientia quod sapientissimus P. Corduba in explication. Reg. S. Francisci c. 7. quæst. 3. dixerit quod si Pontifices essent bene informati de his omnibus inconuenientibus non possent tuta conscientia, & absque maximo scrupulo hanc potestatem regularibus concedere.*

Confirmatur primò, *Ex regula* 64. quæ habet, *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Quæ regula vt notat ibi Barbosa intelligitur quando ius commune corrigitur, huiusmodi enim priuilegium non debet trahi de persona, ad personam, de casu, ad casum similem, iuxta *cap. 1. de filiis Presbyterorum & cap. Sanc. 9. de priuilegiis.* Rebuffus *in Praxi titulo de different. inter rescriptum, & priuilegium:* cum ergo per hanc facultatem ius Prælatorum Regularium corrigatur, & contrahatur, non debet intelligi concessa Regularibus, verbis, quibus 31.
sæcularibus conceditur; cum enim id facile pos- 32.
set legislator exprimere, si non exprimitur præsumitur de iure noluisse talem facultatem concedere, vt notant Menochius *consilio* 30. *num.* 8. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ Gloss.* 9. §. 1. *numer.* 33.

Confirmatur secunda *ex regula* 45. Quæ ha- 33.
bet, *inspeximus in obscuris quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consueuit.* Quæ regula vt iacet etiam est in iure *ciuili l. in obscuris D. de reg. iur.* quæ, vt inquiunt iurisperiti, est omnium interpretationum caput, & origo, vt probat Mascardus *de Probationib. conc.* 142. *num.* 2. & sic quod verisimile non est præsumitur falsum, vt tradit Tiraquellus *in l. Si vnquam C. de reuocand. donation. num.* 40. Et remotum à verosimili imago est 34.
falsitatis, vt docet Vvaldus *l. 1. C. de seruis fugitiu.* atqui verisimile non est quod Pontifex verbis generalibus concedat facultatem regularibus quæ in præiudicium status & obseruantiæ regularis vergit: ergo &c.

Confirmatur tertiò, *ex Regula* 28. quæ haber, *Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad* 35.
consequentiam sunt trahenda, si quidem à iure exorbitare est ius aliquod, maximè adquisitum tertio, moderari, & corrigi, vt notat Villagarcia. *tract. de extension. leg. Rubrica de extension. legum exorbitantium*; atqui ista verba generalia Bullæ, quibus præfata facultas eligendi confessorem largitur sæcularibus, non debent in consequentiam trahi, vt sub illis Regulares comprehendantur.

CAPVT III.

Sententia opposita affirmans fundamentis stabilitur.

SVMMARIVM.

36 *Opponitur altera opinio asserentium licitum esse Regularibus cuiuscunque Ordinis in Prouinciis vbi Bulla cruciatæ publicatur ea vti, etiam quantum ad priuilegium eligendi Confessarium, qui absoluat à casibus reseruatis; & suis fundamentis stabilitur, & n. seqq.*

EX diametro opponitur altera opinio asse- 36.
rentium licitum esse regularibus cuiuscumque ordinis existentibus in Prouinciis vbi Bulla cruciatæ publicatur ea vti, etiam quantum ad priuilegium

uilegium quod conceſſit vt valeant eligere Confeſſarium, qui abſoluit in caſibus reſeruatis. Sic probabile reputat Ioannes de la Cruz *de Statu Religioſo lib.1. cap.6. dub.12.* Sancius *in Selectis diſp.44. num.10. §.ex quo deducitur & num.13.§. fateor ingenue* Baſilius de Leon *lib.8. de Diſpenſatiou cap.19.num.13.&* 14. Valerus *de Differentiis diff.1.conc.5.* & Villalobos *vbi ſupr.num.13.* dixit ſic reſpondiſſe conſultos Magiſtros ſapientiſſimos Salmaticenſes, Antolinez, Curiel, Cornejum Ferdinandum de Campo, Bañez, Ioannem Vincentium, & alios eximios viros illius vniuerſitatis. Henriquez *lib.7.de indulgent.cap.22.num.* 4 ſic dicit: 37. *Poſtea apud quoſdam ordines Mendicantium per præmiſſum Prælatorum, cum ſapientium hominum conſilio factum eſt ex tacita prædicti priuilegij renuntiatione, vt accepta Bulla liceat Regularibus eligere Confeſſarium, etiam pro reſeruatis.* Et in Commento *littera X. ita conſulti Salmanticæ,& alibi Magiſtri Theologi, & ex omni fere Monaſterio B.Dominici, Franciſci, Auguſtini &c. Doctiſſimi,ac Prælati ipſi, & conſuetudo tolerata ita interpretatur.* Sic ille. Quam ſententiam ſequuntur Ægidius *in expoſitione Bullæ Cruciatæ,lib.1.§.7.cap.1.dubio 9.* Pater Leone Theatinus *lib.de officio, & Poteſtate Confeſſarij p.2. reſolut.11.n.59.*

38. Fundamentum huius opinionis eſt primò, Quia Bulla conceditur vniuerſis Chriſtianis, à quorum nomine non excipiuntur Regulares. Et confirmatur. Quia priores Pontifices non poſſunt coarctare poteſtatem ſucceſſorum, nec ipſi ſibi ipſis,niſi exprimant. Quare ex natura rei poſſunt reſeruare hodie,quod heri decreuerunt: ergo cum in clauſula Bullæ Cruciatæ reuocatoria priuile-
39. giorum quæ opponuntur cauſæ finali Bullæ, vt videlicet ſint amplæ collectæ pro bello inferendo aduerſus infideles derogantur omnia priuilegia Mendicantium, & Militarium ordinum etiam Mare Magnum, & alia quælibet data ſub quocumque tenore,& Decretis,etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis, quorum tenores habentur pro expreſſis ad effe-
40. ctum præmiſſum Motu, ſcientia, & Poteſtate ſimili,ſpecialiter, & expreſſe derogantur; cumque in Hiſpania magna ſit Regularium multitudo tam virorum,quam mulierum, quorum eleemoſynæ collectæ, grandem ſummam argenti conferent, qua deficiente notabiliter damnificatur cau-
41. ſa motiua conceſſionis Bullæ in præfata vniuerſali derogatione derogantur Bullæ etiam declaratoriæ, quæ in contrarium ſunt,aut eſſe poſſunt niſi exprimatur clarius earum exceptio; nam illa verba quæ ſolent apponi in Bulla Plumbea, *exceptis tamen conceſſis ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantum immediatè*, non derogat quod poſſit Regularis vti priuilegio Bullæ, & multipliciter intelligitur à Villalobos *vbi ſuprà clauſul.12.* cum loquatur ibi Pontifex, *de gracias,indulgentias, y facultades,las quales no*
42. *ſe pueden publicar, excepto las concedidas a los Superiores de los ordenes Mendicantes,en quanto à ſus frayles.* Et Trullench. *vbi ſupr.* Explicat de indulgentiis, & ita non eſt ſermo de facultate reſeruante caſus,& reſtringente iuriſdictionem, vt ab illis non abſoluantur, niſi ſpeciali licentia,vt falſo putat Hieronymus Rodriguez *vbi ſup.num.25.§.ſecundo probatur.*

Qui adhuc non inualidum fundamentum reſ-
43. pondet quod prohibitiones Pontificum ne Regulares virtute Bullæ poſſint ſibi eligere Confeſſorem non reuocantur, aut ſuſpenduntur per generalem reuocationem,& ſuſpenſionem,qoæ in ſingulis annis fit in publicatione Bullæ.

Sed contra eſt quia vt optimè docet Suarez 44.
lib.8. de legib. cap.38. num.2. citans Felinum *in cap. Nonnullis de reſcriptis in 6.* & Panormitanum, *in cap cum inſtantia de teſtibus.* Quos ſequitur ipſe Hieronymus *reſol.116.num.30.* Thomas Sanchez *lib.3.de Matrimonio diſp.30 à num.* 11. iuxta ſtylum Curiæ cenſentur priuilegia priora reuocata per poſterius, quando ponitur clauſula *non obſtante priuilegio ſub quacumque verborum forma conceſſo.* Quæ verba,& multo ampliora ponuntur in Clauſula reuocatoria Bullæ Cruciatæ. 45.

Secundum fundamentum huius ſententiæ eſt quia Religioſi poſſunt elargire eleemoſynam à Summis Pontificibus impoſitam, & ſumere Bullam Cruciatæ, ergo habent priuilegium Bullæ quod datur per modum contractus, vt notant Baſilius Legion.*vbi ſupr.n.13.* diciturque in Bulla: *Que los que tomaren la dicha Bulla puedan gozar, y gozen de todas las gracias, y facultades ò indulgencias, Iubileos, y perdones, y remiſſion de peccados, &c.* Y mas abajo: *Y por quanto vos. N. diſtis dos Reales de plata que es la limoſna que hemos taſſado y declarado, y recibiſtis la dicha Bulla, y eſcrito en ella vueſtro nombre declaramos* 46.
que haueys conſequido, y ſe os conceden las dichas indulgencias, gracias, y facultades, &c. ergo ſi Regulares poſſunt Bullam accipere,vt concedunt Authores contrarij, & late probat Miranda *vbi ſupr. conc.1.* non obſtantibus Bullis Pontificiis declaratoriis in contrarium, poteſtatem habent eligendi confeſſorem cui confiteantur de reſeruatis, ſicut cæteri Chriſti fideles, ſi quidem Commiſſarius Authoritate Apoſtolica ad id ſpecialiter conceſſa,etiam ab Vrbano VIII.& eius anteceſſoribus ſuſpendit omnes gratias, & facultates in
contrarium, *Aunque todas, y qualeſquier dellas* 47.
tengan clauſulas contrarias a eſta ſuſpenſion, de modo que durante el año de la publicacion, ninguna perſona pueda ganar, ni gozar algunas otras gracias, è indulgencias y facultades no ſe puedan publicar, exceptas las concedidas a los Superiores de los Ordenes Mendicantes en quanto a ſus frayles. Quæ vltima verba manifeſte ſunt poſita non vt denegetur fratribus poſſe frui priuilegis Bullæ quantum ad omnia, ſed vt etiam lucrentur ea quæ ſui Superiores ex diplomatibus Pontificiis ſibi conceſſa; ea autem quæ ſunt contraria priuilegiis Bullæ iam per Superiora erant ſuſpenſa.

Ea autem quæ ex Corduba adducit Miranda 48.
vbi ſupr. ex impreſſion Romana *pag.635.* quod quamuis Pontifex vellet, & intenderet quod Regulares acciperent Bullam Cruciatæ, adhuc non eſſet credendum velle quod virtute illius poſſent eligere confeſſarium, &c.

Hæc, inquam, non obſtant præiacto fundamento, quia eo ipſo quod conceſſio Bullæ fiat per modum contractus, & dicti Religioſi non fiant inhabiles ad huiuſmodi contractum faciendum, ſemper poſſunt illud celebrare, & ea quæ alij contrahentes lucrantur, lucrari, atque ita ſi cæteri omnes fideles poſſunt eligere confeſſarium qui à reſeruatis poſſit abſoluere, poterunt etiam Regulares,niſi in Bulla ipſa expreſſe excludantur, ſicut in conceſſione vniuerſali abſoluendi à votis, &c. etiam veniret abſolutio, & commutatio voti 49.
Religionis,

50. Religionis, & castitatis, nisi expresse in Bulla exciperentur, & sicut expresse excluduntur in Bulla à comestione lacticiniorum tempore quadragesimali.

Confirmatur *ex Regula iuris 26. in 6. Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, quam regulam contrahunt, & limitant Barbosa *ibi n. 5.* secutus Aym.

51. Villadiego, Rebuffum quos citat, quod non intelligatur in fauorem animæ, cumque Bullæ Cruciatæ detur in fauorem animarum, vt constat ex Proœmio ipsius, extendi debet, etiam si sit exorbitans à iure communi ad Regulares, nisi in ea expresse excludantur, & inhabilitentur ad haben-

52. dam potestatem eligendi Confessorem.

Tertium fundamentum huius sententiæ est quia per Bullam Cruciatæ non solum datur potestas eligendi confessorem vt à peccatis reseruatis possit absoluere; sed etiam Confessariis approbatis delegatur iurisdictio, vt possint absoluere

53. quoscumque habentes Bullam, vt constat *ex clausula 9.* apud Villalobos; atqui iurisdictio delegata non aufertur quousque per Nuntium, aut per æquiualens ei, per quod est concessa, talis ablatio auferatur. Quod expresse decretum est in *l. si forte 17. D. de officio Præsidis*, vbi Glossa ibidem docet, Richardus in *4. dist. 18. art. 8. quæst. 5.* Rosella *verbo excommunicatio 6. num. 46.* Syluester *verbo Gratia quæst. 2. num. 4.* citans Geminianum *cap. 1. de concessione Præbendæ. in 6.* Barbosa *ibi num. 7.* Azor *1. part. lib. 5. c. 3. quæst. 5.* Henrriquez *lib. 7. de Pœnitent. cap. 7. num. 2. in commenta. littera G.* vbi sic loquitur ad propositum: *Si per Bullam*

54. *quæ in eo oppido nescitur fuisse reuocatam elegit confessarium, quia ante certificationem reuocationis non expirat gratia*, vt aiunt Syluester *verbo Gratia num. 4.* Armilla *§. 6. imo neque expirat commissio iudicis delegati ante certificationem reuocationis.* Idem docet Tabiena *verbo Gratia n. 6. vers. Plus dico.* Saa emendarus *verbo Gratia n. 1.*

55. Suarez *3. part. tom. 3. disp. 36. sect. 2.* Nauarrus *cap. Placuit de Pœnitentia num. 34. & 162.* Sayrus *de censur. lib. 7. cap. 14. num. 4.* Ex qua doctrina quæ communissima est colligit Basilius Legion. *Vnde illi qui gaudet priuilegio Bullæ debet intimari reuocatio, vt illo priuatus censeatur, alias valebit quidquid illius virtute gestum erit.* Tunc sic, sed in multis Religionibus non est intimata per Superiores reuocatio facultatis eligendi confessorem, & iurisdictionis ad absoluendum à reseruatis virtute Bullæ Cruciatæ: ergo.

56.

Dices: sat esse quod Bulla Vrbani VIII. publicata sit Romæ, & affixa ad valuas S. Petri, & in acie Campi Floræ, & vt dicit Vrbanus VIII. in sua Bulla ipsam sic publicatam, *omnes, & singulos vbique existentes ita afficere, ac si omnibus*

57. *personaliter intimata esset, &c.*

Sed contra est, quia multi, & grauissimi Doctores, tam antiqui quam Moderni, tàm iurisperiti, quam Theologi sentiunt non sufficere ad obligationem legis canonicæ publicationem Romæ factam, quos referunt Suarez *lib. 4. de leg. positiua canonica cap. 15. num. 1.* alios refert Antoninus Diana *part. 2. tract. 10. de legibus resol. 8.* & pro omnibus sufficiat P. Molina *tom. 2. de iustitia tr. 2. disputat. 395. num. 4. & 5.* vbi ad rem præsentem sic loquitur: Nobiscum consentit Sotus *lib. 1. de iustitia, & iure quæst. 1. art. 4. asseuerans similes Summi Pontificis leges non debere in vnaquaque prouincia obligare, antequam in ea promulgentur, qui alias essent periculis plenæ, eaque de causa, ait, eam esse Summi Pontificis mentem. Idem constanter merito affirmat de legibus, quæ priuilegia absoluendi auferunt, nec enim credendum est mentem Summi Pontificis esse irritas reddere Sacramentales absolutiones, iuxta ea priuilegia factas, antequam huiusmodi leges in vnaquaque Diœcesi sint sufficienter promulgatæ, id esset irrationabile, & cummaximo fidelium grauamine.* Hactenus vir ille in re morali sapientissimus, 58.

Quam doctrinam satis plausibilem late confirmat *num. 6. §. secundo ducor.* & sic verba *Vrbani VIII.* supra adducta quod Bulla illo modo publicata omnes, & singulos vbique existentes obliget intelligenda sunt iuxta doctrinam Molinæ suppositia publicatione in vnaquaque prouincia, & Diœcesi facta quod docet quando in Bulla Pontificia ponitur, quod post duos menses omnes vbique obligent, dicendum proculdubio erit, duos illos menses intelligendos esse à die promulgationis in vnaquaque Diœcesi, & sic multo magis intellige ndum erit dictum Vrbani. 59.

CAPVT IV.

Aliqua prænotantur vt verior sententia constet.

CVM difficultas hæc valdè grauis sit, ex cuius resolutione maxima pendet Religiosorum pax, & conscientiarum Religiosorum quies summa, qua potuero diligentia est enucleanda.

Bulla Vrbana non aufert potestatem à Prælatis Regularibus dandi licentiam vtendi Bulla Cruciatæ.

SVMMARIVM.

60 *Vrbani Octaui Bulla non aufert potestatem à Prælatis Regularibus dandi licentiam vtendi Bulla Cruciatæ, & n. seqq.*

PRimo notandum est totam controuersiam eo verti vt explicemus verum sensum Bullæ quam D.N. Vrbanus VIII. edidit circa articulum istum de eligendo confessario à Regularibus. Et quidem mihi omnino certum est quod sua sanctitas non aufert à Prælatis Regularibus potestatem vt suis subditis dent licentiam vtendi Bulla, etiam quantum ad hunc articulum eligendi quemlibet confessarium ex approbatis ab Ordinario. Hoc clarè constat ex tenore Vrbanæ Bullæ, in qua postquam Pontifex mentionem facit cuiusdam indulti quod per quinquennium concessit omnibus Regularibus, vt possint vti Bulla Cruciatæ, quantum ad articulum eligendi confessorem, & quod præfatum quinquennium iam fuerat absolutum, dicit intentionem tam Clementis VIII. quam suam fuisse quod Regulares, excepto dicto quinquennio non possint virtute Cruciatæ confessarium eligere vt à reseruatis absoluantur: *Sed nostræ intentionis fuisse, & esse quod iidem fratres, & Moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ, seu confessionis administrationis ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata subiecti sint, earumdem tenore præsentium perpetuo declaramus.* Hactenus ibi. Quod amplius declaratur ex Decretis tam 60. 61.

Clemen

Clementis VIII. quod in præfata Bulla innouatur, & confirmatur, quam aliorum Summorum Pontificum Anteceſſorum; etenim Clemens VIII. *in ſuo Decreto edito anno* 1599. *Pontificatus ſui*
62. *anno* 8. aſſerit: *ſuæ intentionis eſſe quod iidem fratres, & ſorores, ſiue Moniales, quantum attinet ad Sacramenta Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint; eiſdem tamen Prælatis præcepit, atque mandauit, vt in vſu eiuſdem poteſtatis ſe cum ſubditis ſuis benignos, & faciles ſe exhibeant.* Deinde Leo Decimus, duo Decreta circa hanc materiam, quæ refert Compendiũ priuilegior. verbo *abſolu-*
63. *tio Ordinaria quoad fratres.* & verbo *Cruciata* §. 2. & §. 5. *ne fratres aut Moniales ſine licentia ſuorum Superiorum*, &c. id quod antea fecit Sixtus IV. in alio Decreto edito *anno* 3. *ſui Pontificatus.* Secutus eſt Innocentius VIII. qui idem ſtatuit *anno primo Pontificatus ſui.* Cumque Vrbanus VIII. in ſua Bulla hanc poteſtatem non derogauerit, nec in hoc voluiſſet ſtatuere aliquid contra ius commune ſecundum quod id quod poſſunt Præ-
64. lati Regulares hanc facultatem ſuis ſubditis impendere. Quare ſi Prælati Regulares ita diſponant, & licentiam expliciram, vel implicitam concedant, poſſunt Regulares virtute Cruciatæ eligere confeſſorem, vt ab omnibus reſeruatis abſoluantur, prout continetur in Bulla Cruciatæ.

65. Sed poteſt obſtare huic doctrinæ id quod in Bulla Vrbana dicitur *quod Regulares maneant ſubiecti Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſeruata. Et quod quantum ad hoc nihil illis ſuffragetur* Cruciata: cum ergo inferiores Prælati nihil poſſint diſponere circa abſolutionem reſeruatorum Prælati Superioris, vt eſt conſtans, & certa ſententia, quantumuis Prælati Regulares concedant licentiam ſuis ſubditis, vt à reſeruatis abſoluantur virtute Bullæ Cruciatæ, hæc licentia intelligitur de reſeruatis ſibi, non vero alteri maiori Prælato, & præcipuè Summo Pontifici.

66. Reſpondetur quod Vrbanus Octauus loquitur præſupponendo quod Prælati non cõcedant ſubditis licentiam vtendi Cruciata; ſi enim non concedantur iure communi cuilibet Superiori manet ſua iuriſdictio circa reſeruata à ſe, circa quæ inferior non poteſt diſponere. Et ſic Prælatus Regularis iure communi non poteſt concedere facultatem, vt ſubditus abſoluatur à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, ſed iſta ſemper manent reſeruata.

CAPVT V.

Licentia implicita Superioris ſufficit, vt ſubditus poſſit vti Bulla Cruciatæ.

SVMMARIVM.

67 *Superioris licentia implicita ſufficit vt ſubditus poſſit vti Bulla Cruciatæ, & num. ſeqq.*
74 *Infertur corollarium, & num. ſeqq.*

67. SECVNDO notandum eſt quod diſpoſitio iſta ex vi cuius ſubiecti manent Regulares ex vi Bullarum Clementis Octaui, & Vrbani Octaui, quæ continet licentiam, aut negationem vtendi Cruciata, poteſt dupliciter intelligi, aut quod contineat licentiam expreſſam, & explicitam, aut ſolum licentiam implicitam; & quantum ad præſens attinet illa expreſſa non eſt neceſſaria, etſi aliqui Pontifices eam requiſierint; multi tamen ex his quos citaui ſolum exigunt licentiam abſolute. Quare implicita ſufficit, vt ſubditus poſſit eligere confeſſarium virtute Bul- 68.
læ Cruciatæ, & confeſſarius abſoluere à reſeruatis, cum ratihabitio de præſenti expreſsè æquialeat licentiæ quantum ad hoc quod eſt tribuere iuriſdictionem. Sic tenent Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 21. *num* 64. *verſ. Cæterum credo & diſput.* 35. *num.* 20. vbi id probat, *quia cap. omnes vtriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſionibus, petitur licentia propriy Sacerdotis, vt alienus valeat audire confeſſiones, & tamen ſufficit licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione de præſenti, vt optimè docent Roſella verb. confeſſio Sacramentalis* 3. *num.* 31. Angelus *verb. licentia* Tabiena *verbo abſolutio num.* 42. vbi Armilla *n.* 17. Victoria Summ. *de confeſſione num.* 153. Metina *tract. de confeſſion. quæſt de multiplici licentia alieno confitendi.* Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 3. *verſ. circa conceptiones* Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 7. *art.* 5. *dub.* 3. Nauarrus *ſumm. cap.* 9. *hiſpan. num.* 5. *latinè num.* 6. & *cap. placuit de Pœnitentia diſt.* 6. *num.* 105. Margarita Confeſſor *fol.* 10. *column.* 2. Palacios *in* 4. *diſtinct.* 17. *diſp.* 3. *fol.* 261. Henriquez *lib.* 6. *de Pœnitent. c.* 13. *num.* 13. Bartholomæus de Ledeſma *de Pœnitentia dub.* 28. Ludouicus Lopez 1. *p. inſtructor. c.* 28. Vega *lib.* 4 *ſumm. caſu* 129. Capua *lib.* 10. *deciſion. cap.* 17. *num.* 3. & 4. Corona Confeſſorum 4. *p. de confeſſion. cap. de miniſtro num.* 52. *dub.* 5. Hactenus Thomas Sanchez.

Quod confirmatur *ex l.* 55. *Tauri*, hodie *tit.* 9. 69.
lib. 5. *recopilat. l.* 2. vbi exigitur licentia mariti, vt mulier contrahat; & communior ſententia affirmat ſufficere tacitam, & implicitam ex ratihabitione de præſenti. Quod etiam conſtat *ex cap. finali de officio Vicarij in* 6. in quo decernitur quod Vicarius non poteſt conferre beneficium, & tamen ſi conferat vidente Epiſcopo valet collatio, cum habuerit tacitam licentiam quæ ſufficit.

His adde Ioannem Sanchez *in ſuis ſelectis diſput.* 44. *num.* 3. Vaſquez *de Pœnitentia quæſt.* 93. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 5. Nuñum *in addition. ad* 3. *part. quæſt.* 8. *artic.* 5. *dub.* 2. Alexandrum Peſantium *in addition. quæſt.* 10. *diſputat.* 5. Siluium *ibi q.* 8. *art.* 5. *q.* 1. *verſ. valere tamen poteſt.* Reginald. *in praxi lib.* 1. *à num.* 70. Bonacinam *de Sacrament. diſp.* 5. *q.* 7. *punct* 4. §. 1. Suarez *de Pœnitent. diſp.* 27. *ſect.* 6. *aſſert* 1. Saa emendatus *verbo conſenſus num.* 1. Barboſa *ad regul.* 43. *de regul. iuris in* 6. vbi eleganter explicat dictum Pontificis quod pro Regula iuris habetur *qui tacet conſentire videtur.* De qua videndi ſunt Tiraquel. *de retractu titul.* 1. §. 1. *Gloſſa* 9. *num.* 149. Couarruuias *lib.* 1. *practicar. cap.* 1. *num.* 5. *verſ.* 3. *adde* Baſilium Legionenſem *lib.* 4. *de Matrimon. cap.* 29. *num.* 10. vbi explicat declarationem Car- 71.
dinal. aſſerentium non ſufficere licentiam tacitam Parochi, vt quis aſſiſtat Matrimonio, eſſe intelligendam de licentia tacita orta ex ratihabitione de futuro, *nam aliter ſentiendum eſt de ratihabitione de præſenti, vt ſi fieret coram Parocho illo videnti, & tacente; id enim ad licentiam videretur ſatis.* Hurtado de Matrimonio *diſp.* 5. *diffic.* 11. *num.* 3. Et ego ipſe latiſſimè probaui in hac materia, dum meis Auditoribus Compluti traderem eumdem Tractatum.

Huius doctrinæ ſatis plauſibilis, & ad praxim 72.
maximè

maximè neceſſariæ, ad multorum caſuum in dubiis Regularibus deciſionem tradit optimè Barboſa rationem *vbi ſup. num.* 6. & Thom. Sanch. ex differentia quæ verſatur inter ratihabitionem de futuro in ordine ad Sacramentalem abſolutionem, & aſſiſtentiam Matrimonij, & ratihabitionem de præſenti, quod ex priori non maneat licentia implicita ſufficiens ad adquirendam iuriſdictionem de facto, & de præſenti, quæ neceſſaria eſt ad validitatem illorum Sacramentorum, etenim quod fit ex ratihabitione de futuro quam
73. quis habet, vt reuera pendens fit, & dependenter ab eo quod Superior, & Ordinarius ratificet, vel irritet quod factum videtur; valor autem Sacramenti Pœnitentiæ, & Matrimonij non poteſt eſſe in pendenti, ſed ſtatim aut debet eſſe validum, aut irritum; at quando ratihabitio eſt de præſenti, cum liberum ſit Superiori præſenti, & facillimum contradicere, & impedire, ne Sacramenta iſta celebrentur, ſi tacet non contradicit, manifeſta iuris præſumptione conſentire cenſetur, ac per conſequens validè conficerentur.

Ex qua doctrina colligitur iuxta eam quam *ſuprà §. anteriori* notaui ex Molina, & aliis
74. quod ſi in aliqua Religione ſiue Mendicanti, ſine non Mendicanti, prædicta Bulla Vrbana, non ſit publicata, & intimata ſubditis à ſuis Superioribus, vt me inquirente, in multis non eſt publicata, tam Religioſorum, quam Monialium, cenſetur diſpoſitio Superiorum in qua ſit implicita licentia, vt poſſint vti priuilegio Bullæ, quantum ad hunc articulum eligendi confeſſorem ex approbatis ab Ordinario, vt poſſint abſolui à reſeruatis omnibus, quia ipſi vident Religioſos ea
75. vti, & tacent, & cum poſſint facillimo negotio id impedire, & contradicere illis notificando Bullam Vrbanam, ex vi cuius non poſſunt Regulares vti Cruciata contra diſpoſitionem ſuorum Superiorum. Quare ſi id non faciant cenſetur habere ratihabitionem de præſenti, ex qua manet licentia tacita, & implicita ſufficiens.

Et confirmatur, quia quamuis multi Canones,
76. & leges ad validitatem alicuius actus requirant licentiam expreſſam eius qui poteſt eam impendere, nihilominus ſufficit tacita ex ratihabitione de præſenti, & præterito: ergo idem in præſenti. Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur ex Concilij Tridentini *Decreto ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformation.* vbi requirit licentiam vt alius Sacerdos à Parocho Matrimonio aſſiſtat, quam licentiam debere eſſe expreſſam declararunt Cardi-
77. nales apud Barboſam *ibi in declaration. num.* 12. in idem conſentit Rota apud Bellarminum *ibi in obſeruationib. doctrinæ littera ſexta* 1. *part. deciſion.* 750. & tamen ſufficit licentia tacita ex ratihabitione de præſenti, vt ex doctrina Baldi *l. quæ dotis numer.* 24. *D. ſoluto Matrimonio* & aliorum tradunt Thomas Sanchez & Baſilius de Leon *vbi ſupr.*

***

CAPVT VI.

Ponitur Authoris reſolutio variis concluſionibus enucleata.

SVMMARIVM.

78 *Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſunt eligere ſibi Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario ad confitendum de non reſeruatis, etiamſi peccata mortalia ſint, & grauiſſima.*

PRIMA concluſio. Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſunt eligere ſibi Confeſſarium ex approbatis ab ordinario ad confitendum de non reſeruatis, etiam ſi peccata mortalia ſint, & grauiſſima. Ita Eman. Rodrig. *in ſumm. tom.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. *in fine.* & dixit ſecuram in praxi. Diana 1. *part. tract.* 11. *de Bulla Cruciatæ reſolut.* 14. §. *Quid ego ſentiam.* Et eſt meo iudicio manifeſta, nam Decretum Clementis quod confirmat Bulla Vrbana in qua ipſe Sum. Pontifex Vrbanus, ſicut & cæteri Paſtores vniuerſalis Eccleſiæ in ſuis Diplomatibus de hac re editis manifeſte loquuntur de caſibus reſeruatis, vel ab ipſo Pontifice vel à ſuis Prælatis Regularibus; hoc enim conſtabit legenti, eorum verba, quæ adducit Miranda *in Manuali tom.* 2. *quæſt.* 39. *art.* 15. *conc.* 2. 78.

CAPVT VII.

Equites Militarium Ordinum etiam dum in communitate viuunt poſſunt vti Cruciata adhuc poſt Bullam Vrbanam.

SVMMARIVM.

79 *Non obſtante Bulla Vrbana omnes Ordinum Militarium equites, etiam dum in Communitatibus viuunt, poſſunt vti Bulla Cruciata, quantum ad hunc effectum, vt eligant Confeſſorem qui eos abſoluat à caſibus reſeruatis à ſuis Superioribus. & numer. ſeqq.*

SECVNDA concluſio: Non obſtante Bulla Vrbana omnes Ordinum Militarium Equites, etiam dum in communitatibus viuunt poſſunt vti Bulla Cruciata quantum ad hunc effectum, vt eligant Confeſſorem vt eos abſoluat à caſibus reſeruatis à ſuis Superioribus. Ratio eſt qua Vrbanus VIII. ſolum loquitur de Regularibus Mendicantibus, & non Mendicantibus quorumcumque Ordinum, Congregationum Societatiſque, & inſtituti. Vt enim notauit Barboſa *lib.* 1. *iur. Eccleſiaſt. vniuerſ. cap.* 43. *n.* 19. Militarium Ordinum Equites appellatione proprie, & ſtricte non veniunt, niſi in fauorabilibus. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 10. *art.* 4. lo- 79.

80. quens de Equitibus S. Ioannis, dicit: *Exprivilegio tamen, & ex benignitate Summorum Pontificum habent, vt non comprehendantur sub iure aliorum Religiosorum quantum ad odia, atque rigores.* Idem docet Hieronymus Rodrig. *resolut.* 123. *numero* 40. & sic eximuntur à Tridentino *sessione* 23. *capite* 18. *de Reformationibus.* De contributione pro seminariis, quod de omnibus Religionibus Militaribus, quæ etsi sint Regulares, quando in odiosis dicitur *quicumque Regularis*, non comprehenduntur Ordines Regulares Militares. Sic Suarez de Religion. *tom.*4. *tract.*9. *lib.*10. *cap.*5. *num.*31. refert declarasse Congregationem Tridentinam, & reuera ita est apud Barbos. *sess.* 25. *cap.* 15. vbi dicit: Congregatio coram Cardinali Alciato definiuit caput hoc de Militaribus non loqui. Idem dicit Abbas *Rubrica de Regularib.* Sylvester *verbo Ecclesia* 1. *quæst.* 6. *& verb. Religio* 1. *q.* 1. Angelus *verbo Religio num.* 4. cum ergo in Bulla Vrbana non exprimantur Regulares Militares, sed solum fratres, & sorores siue Moniales Mendicantium, & non Mendicantium clarè colligitur Summum Pontificem suo Diplomate non voluisse eos comprehendere, vt tradunt Trullench *in explicat. Bull. Cruciat. lib.*2. *§.*7. *cap.*1. *dub.*8. *n.*3. Henriquez *lib.*7. *de Pœnitent. cap.*22. *numer.*4. *littera D.*

81.

82.

CAPVT VIII.

Clerici militarium conuentualiter viuentium adstringuntur Bulla Vrbana.

SVMMARIVM.

83 *Quid dicendum de Clericis eorumdem Ordinum Militarium conuentualiter viuentium, declaratur, & n. seqq.*

83. QVOD secus dicendum est de Clericis earumdem Religionum conuentualiter viuentium, quod scilicet comprehendantur prædicta Bulla Vrbana. Cuius ratio est, quam tradit mihi sapientissimus Magister Basilius Legionensis *lib.* 9. *de Matrim. cap.* 7. *n.*18. hi enim Clerici ante institutionem Ordinis S. Iacobi Canonici Regulares erant S. Augustini in Monasterio *del Hoyo*, & assumpti sunt à Militibus vt ipsis Sacramenta ministrarent, & spirituali doctrina inbuerent, vt constat ex regula, & confraternitate. Quamuis enim Alexander III. in Bulla confirmationis voluerit hos Clericos viuere sub regimine Magistri, tamen antiqua eorum vota, & professionem non mutauit. Itaque Prælatus mutatus est, non viuendi, atque vouendi forma. Quare sicut Canonici Regulares sub Bulla Vrbana continentur, ita & Clerici Religionum militarium conuentualiter viuentium; est enim eadem ratio Clericorum S. Iacobi, atque aliorum Ordinum, & Hospitalium conuentualiter viuentium, vouent enim tria vota absoluta, & verè conuentualiter viuunt, sicut cæteri non mendicantes. Vnde fit propter eamdem rationem quod Religiosi qui *Conuersi* dicuntur, si emittunt professionem solemnem, & conuentualiter viuunt, dicta Bulla comprehenduntur: secus vero illi qui

84.

85.

proprie *Donati* sunt, & non faciunt professionem solemnem, sed ad summum obedientiæ votum; hi enim sicut alij sæculares vti possunt priuilegio Cruciatæ quantum ad hunc articulum eligendi confessorem cum isti Donati in odiosis nomine Regularium non comprehendantur.

CAPVT IX.

Neque Moniales militarium possunt vti Cruciata.

SVMMARIVM.

86 *Moniales Ordinum Militarium facientes tria vota solemnia, verè comprehenduntur Vrbana Bulla, neque vti possunt Cruciata.*

TERTIA Conclusio. Moniales Ordinum Militarium omnium facientes tria vota solemnia verè comprehenduntur Vrbana Bulla. Ratio est quia quamuis Moniales istæ subditæ sint iurisdictioni Magni Magistri, tamen profitentur Regulam Monachalem S. Bernardi, aut S. Benedicti, aut S. Augustini, sub qua viuunt, & profitentur; atque ita sicut diximus de Clericis S. Iacobi qui *Freyles* dicuntur, & similiter de aliis aliorum Ordinum Militarium, quod hac Bulla comprehendantur: ita Moniales eorundem Ordinum; neque de hoc potest esse aliqua difficultas, iuxta modo dicenda. Legatur Soto *in* 4. *dist.*27. *quæst.*1. *art.*4. 86.

CAPVT X.

Regulares quibus ex tacita Superiorum licentia non est publicata & intimata Bulla, Cruciata vti possunt.

SVMMARIVM.

87 *Regulares professi, quibus ex ordine Superiorum non est publicata Bulla Vrbana, ex tacita eorumdem Superiorum licentia possunt vti Cruciata, quantum ad articulum eligendi Superiorem, qui ipsos absoluat ab omnibus reseruatis & n. seqq.*

87. QVarta Conclusio. Regulares Professi eius Religionis in qua ex ordine Capituli Prouincialis, aut Capituli Generalis, siue Prouincialis ipsius, & Generalis, secundum regulas, & constitutiones quas profitentur, non est publicata Bulla Vrbana, ex tacita eorumdem Superiorum licentia possunt vti Cruciata, quantum ad articulum eligendi Confessorem, qui ipsos absoluat ab omnibus reseruatis. Hæc conclusio clare constat ex his quæ diximus §. *antecedenti notatione*, secunda. Cum enim ex Bullæ Vrbanæ vi maneant Regulares subiecti dispositioni suorum Prælatorum, quantum ad articulum præfatum, si Superiores nihil disponant de nouo post exortam Bullam Vrbanam, ante quam sui subditi Cruciata quantum ad istum articulum vtebantur, censentur tacite

ere concedere facultatem, vt post exortam Bullam Cruciata vtantur.

88. Confirmatur primò. Quia vt optimè probat Ioannes Petrus Monetta *lib. de Commutationibus vltimar. voluntat.* dispositio nihil est aliud quam vltima dispositio, siue vltima voluntas. Quod latissimè confirmat *cap. 2. à numer. 4.* atque ita in præfata Bulla Vrbana dispositio Superiorum est eorum voluntas; hæc autem ex actibus externis propalatur, manifestatur, & cognoscitur: ergo si superior Regularis nihil dispoſuit in contrarium contra vtentes Cruciata post exortam Bullam Vrbani VIII. censetur habere tacitam dispositionem, & voluntatem quod ipsa cruciata vtantur sui subditi.

89. Sed ad hanc rationem, & eam quam supra §. *anteriori notat. 2. fecimus*, respondet P. Miranda *tom. 2. Manualis q. 34. art. 15. conc. 2.* negando esse hanc tacitam licentiam, & consensum implicitum Superiorum; non enim potest haberi consensus tacitus, vbi aliàs habetur expressa prohibitio per tot Summos Pastores confirmata, sed subditorũ relaxatio nimia fuit in causa quod ab aliquibus falso talis consensus tacitus præsumeretur; nec necessarium fuit quod præfata priuilegia in fauorem status Religiosi id statuentia, & declarantia Pontificum intentionem, quam habent quando concedunt Bullas Cruciatæ, quod scilicet istæ non suffragentur Regularibus quantum ad istum articulum de eligendo Confessore vt à reseruatis absoluat.

90. Verum hæc solutio vim nostri fundamenti nec attigit, neque eneruat, & contra eam sic argumentor primo. Quia licet in Summo Pastore cuius est expressa prohibitio ne regulares iuxta dispositionem suorum Prælatorum vtantur Bulla Cruciatæ, non possit præsumi consensus tacitus de contrario, tamen in ipsis Prælatis, qui vident, & tacent non habentes dispositionem contrariam, vtique potest maximo fundamento præsumi tacitus consensus, & licentia tacita, est enim expressa prohibitio, quod nullus Sacerdos alienus sine licentia expressa Parochi assistat. Matrimo-

91. nio, & tamen si Parochus præsens sit, & videat alium assistere, & non prohibeat cum possit, Matrimonium validum est ex tacita licentia orta ex ratihabitione de præsenti, quamuis hæc tacita licentia non oriatur immediatè ex legislatore prohibente expressè quod nullus assistat, nisi de licentia Parrochi.

92. Secundò, quia promulgatio Bullæ Vrbanæ, & eius intimatio non est necessaria vt obliget subditos in conscientia, tanquam lex summi Pastoris potentis obligare subditos. Ad hoc enim, vt multi dicunt, sat est quod publicetur Romæ in valuis Principis Apostolorum, & in Acie Cãpi Floræ de vrbe, præcipuè cum Pontifex dicat ipsas sic publicatas omnes, & singulos vbique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent; quamuis, inquam, vt hæc Bulla obliget per modum legis iustæ, & sanctæ, non sit necessaria alia publicatio; tamen est necessarium quod

93. subditis à Prælatis declaretur se velle vti iure quod prædicta Bulla ipsis tribuit disponens, & mandans omnibus virtute illius Bullæ Vrbanæ quod non vtantur Crucia ta, quantum ad istum articulum de eligendo Confessore, vt absoluat à reseruatis. Quod si sciens suos Religiosos ea vti, taceat, & non prohibeat, manifestum est ipsum videri consentire, ac per consequens Bulla Vrbana non obligat, cum non obliget (vt sic loquar) immediatè, sed mediante Prælatorum dispositione, & vt melius loquar, ista posita, Bulla Vrbani immediatè obligat.

Tertiò, Quia Bulla Vrbana data est, tanquam 94.
Priuilegium in fauorem Prælatorum Regularium, atqui huic priuilegio possunt licitè ipsi renuntiare, ipso non vtendo vt satis docte loquens de omnibus priuilegiis docet P. Suarez *lib. 8. de legibus cap. 33. art. num. 4.* Qui subdit *num. 5.* Quoties aliquis sciens, & potens vti priuilegio non vtitur, satis apertè ostendit voluntatem non vtendi. Idem docent Hieronymus Rodriquez *resolut. 116. num. 26.* Priuilegium enim non confertur inuitis. Sequitur Miranda *vbi supra, quæst. 43. articul. 4. circa finem*, asserens quod priuilegia vt suum erga priuilegiatum sortiantur effectum debere admitti ab ipso priuilegiato. Quod latè, & 95.
doctè ibi confirmat, estque communis omnium sententia, vt videre est in Siluestro *verbo Renuntiatio q. 4.* Quod si Prælati alicuius Religionis, tali Bullæ Vrbanæ priuilegio nolunt vti Bulla Cruciata, in sua vi manebit respectu talis Religionis atque ita eius Religiosi poterunt ea vti quantum ad articulum præfatum de eligendo Confessore, &c.

His adde quod Vrbanus VIII. in sua Bulla non posuit aliquod verbum quo indicaret Prælatos Regulares non posse hoc priuilegio non vti. Quod si Prælati Regulares aduerterent ex non 96
vsu huius Priuilegij maxima oriri incommoda, & lapsum disciplinæ Regularis, ex iure naturæ obligantur ad sustinendam obseruantiæ regulam, ne corruat; tamen hæc incommoda, & lapsus grauissimus debent esse, & manifestus regularis disciplinæ lapsus, quod raro contingit.

CAPVT II.

Regulares quibus est intimata Bulla Vrbana, non possunt vti Cruciata.

SVMMARIVM.

97 *In Religionibus in quibus Prælati admiserunt vsum priuilegij concessi in Bulla Vrbana, talisque admissio, & acceptatio notificata est subditis, non possunt vti Bulla Cruciata, & num. seqq.*

Dico quintò. In Religionibus in quibus Prælati admiserunt vsum priuilegij concessi in 98.
Bulla Vrbana, talisque admissio, & acceptatio notificata est subditis, non possunt vti Bulla Cruciata, quantum ad hunc articulum de eligendo confessore extra Religionem, qui absoluat à reseruatis, sine expressa licentia ipsius Prælati. Prior pars huius conclusionis viuente Vrbano ita manifesta est, vt de illa non possit esse dubium, vt docet Diana *in addition. resolut. 9. §. igitur*, id enim expressis verbis prohibet Pontifex.

Quod verò requiratur licentia expressa constat, quia non potest præsumi tacita, cum sit expressa 98.
prohibitio, nisi forsan præsente Prælato subditus sæculari alicui Sacerdoti confiteatur, & possit prohibere, & non prohibeat, sicut est communis sententia de Clerico confessiones excipiente coram Episcopo tacente, & non prohibente, quia licentia

licentia tacita sufficit, vt ex multis Doctoribus docet Sanchez *lib.3. de Matrimonio disp.22.n.62.* & nos suprà.

CAPVT XII.

Non est improbabile quod virtute Cruciatæ iidem possint eligere confessorem Regularem eiusdem Religionis approbatum.

SVMMARIVM.

99 *Non est improbabile adhuc supposita Bulla Vrbani, quod Regulares virtute Cruciatæ possint eligere confessorem regularem eiusdem Religionis approbatum, qui possit absoluere à reseruatis, & n.100.*

99. DIco quintò. Non est improbabile adhuc supposita Bulla Vrbani quod Regulares virtute Cruciatæ possint eligere confessorem regularem einsdem Religionis approbatum qui possit absoluere à reseruatis, ita Diana *vbi sup.* Villalobos *in summ. tom.1. tract.23. clausula 9. §.2. num.12.* & dicit ita sensisse grauissimos Magistros Salmanticenses. Et ratio est, quia vt tradunt Tiraquellus *tract. cessante causa limit. 1. num. 65.* Guttierez *practicar. lib. 3. q.27. num.90. & 91.* Salas *de legibus disput. 17. sect.9. num. 13.* & multi alij. Ex procœmio legis colligitur animus, & intentio legislatoris, pariterque & vera intelligentia totius Decreti, & illud limitatur; atqui in Decreto Clementis Octaui quod innouat, & confirmat Vrbanus VIII. in sua Bulla dicitur quod per Cru-
100. ciatam eligunt Regulares *confessorem aliquando, præter eos qui à suis prælatis eorum confessionibus deputati, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum.* Hæc ibi. Atque ita Clemens VIII. & Vrbanus solum prohibent vti Cruciata ad eligendum confessorem extra Religionem. Hoc dixi non esse improbabile, propter tantorum Magistrorum authoritatem, sic intelligentium Decretum Clementis VIII.

CAPVT XIII.

Prælati qui vtuntur priuilegio Vrbano tenentur sub peccato se faciles præbere dando licentiam subditis vtendi Cruciata.

SVMMARIVM.

101 *Qui vtuntur priuilegio concesso Prælatis Regularium in Bulla Vrbana tenentur sub peccato se faciles, & benignos exhibere, in vsu talis priuilegij, itaut teneantur dare licentiam subditis eam petentibus, vt possint vti Cruciata in eligendo confessore quantum ad reseruata, & n. seqq.*

101. DIco sextò, qui vtuntur priuilegio concesso Prælatis Regularium in Bulla Vrbana tenentur sub peccato se faciles, & benignos exhibere, in vsu talis priuilegij, itaut teneantur dare licentiam subditis eam petentibus vt possint vti Cruciata, quantum ad articulum eligendi confessorem quantum ad reseruata. Sic Trullench *lib.1. explicationis Bullæ §.7. cap.1. dub.8. num.5.* & citat Emman. Rodriguez. Probatur quia Pius Quintus Motu proprio qui incipit: *Romani Pontifices.* postquam prohibuit ne fratres Prædicatores eligant confessarium ratione Bullæ absque licentia Prælatorum subdit: *Eisdem tamen Prælatis in vsu huiusmodi potestatis subditis suis benignos, & faciles se exhibeant præcipientes, & mandantes,* &c. Hæc ibi. Quæ verba posuit Clemens VIII. 102.
in suo Decreto confirmato ab Vrbano Diplomate; atqui verbum *præcipio*, & *mando* secundum Clementinam *exiuit de verbor. significat.* obligationem indicunt grauem & mortalem, vt notat ibi Barbosa *num.4.* ex Azor *1. p. lib. 12. cap. 24. quæst.1.* Sayro *in Claui Reg. lib.3. cap.7. num.22.* Quibus adde Sotum *lib.1. de iustitia, & quæst.6. art. 4.* Sylvester *verbo Præceptum quæst.2.* Armillam *ibi num.7.* Castrum *de leg. pœnali lib.1. cap.5.* Nauarrum *in Summ. cap.23. num.50.*

Sed quamuis hoc probabile sit quod ex vi hu- 103.
ius verbi *Præcipio*, aut *Mando* possit colligi obligatio sub mortali, quæ his verbis significari possit, tamen ad colligendum hoc verbum illam obligationem denotare, attendenda est materia quæ præcipitur an sit grauis, vel leuis; nam hoc verbo potest Superior sicut rem grauem, ita leuem præcipere. Quare si materia præcepta capax sic obligationis mortalis, verbum *Præcipio*, eam significat. Sic Caietanus *2. 2. quæst.166. art.9.§. ad 3.* Suarez *lib.3. de legib. cap.27. num.6. & 7.* & hoc, & non aliud voluerunt Authores citati in contrarium.

Quare prudentis arbitrio relinquendum est, 104.
quando denegatio licentiæ præfatæ ad eligendum Confessarium ad absoluendum à reseruatis sit materia grauis obligans ad mortale. Ego existimo quod semper, cum agatur de re grauissima, qualis est salus spiritualis animæ. Verum est quod non tenetur Superior amplam licentiam concedere, vt toties quoties subditus vtatur Bulla sine recursu ad ipsum, sed tenetur se facilem, & benignum exhibere concedendo licentiam, toties 105.
quoties subditus eam petierit, vel per se, vel per alium.

CAPVT XIV.

Requiritur quod Confessor sit approbatus ab Ordinario remissiuè.

SVMMARIVM.

106 *Confessor debet esse approbatus ab Ordinario, remissiuè.*

AN verò quando Regularis vtitur priuile- 106.
gio Bullæ Cruciatæ quantum ad istum articulum de eligendo Confessario, &c. talis Confessor debeat esse approbatus ab Episcopo, an sufficiat quod sit approbatus à Superiore Confessoris, dubium est de quo videatur pro nunc

Ægidius

Ægidius Trullench. *vbi supr. dub.* 1. Qui resoluit debere esse approbatum ab Ordinario. Sed de his alibi, Deo dante, & vita duce. Et dicam *tractat.* 11. *de examinatoribus synodalibus resolut. penultima.*

CAPVT XV.

Satisfit Argumentis Sententiæ negantis.

SVMMARIVM.

107 *Respondetur ad argumenta primæ sententiæ. & n. seqq.*

111 *Euertuntur lapides omnes secundi fundamenti. & n. seqq.*

ARGVMENTIS vtriusque sententiæ negantis, & affirmantis satisfacere non erit difficile, quatenus meis conclusionibus
107. opponuntur. Ad primum primæ sententiæ respondetur quod quamuis ampla licentia vtendi Bulla in Religionibus aliquibus maxima sit occasio relaxationis; in aliis tamen non ita. Quod attendere debent Prælati Regulares vt sint obligati ad vtendum priuilegio concesso ab Vrbano VIII. vel non sint obligati. Legatur Trullench *vbi supr. dub.* 8 *n.* 14. vbi satis docte satisfacit huic argumento.

108. Ad secundum Respondetur quod sicut Bulla Cruciata derogat iuri Episcoporum, & Parochorum quod habent in *cap. omnis vtriusque sexus. de Pœnitentiis*, vt non possint alteri confiteri, nisi de ipsorum licentia; ita potest derogare iuri quod habent Regulares respectu suorum Subditorum, quod Summi Pontifices concesserunt ad motiuum tam excellens quod habet concessio Cruciatæ. Qualiter autem sint intelligenda diplomata, & Decreta Summorum Pastorum constat ex dictis 3. *notat* 2. *& cap.* 4. *conc.* 3. *&* 4.

109. Ad primam confirmationem respondetur manifeste probare intentum conclusionis quartæ, non tamen euertere fundamenta tertiæ, vt patet, ex impugnationibus, quas ibi fecimus contra Mirandam. Et quidem licentia expressa vel tacita ex ratihabitione de præsenti forma est simpliciter requisita, vt subditi Regulares possint valide absolui virtute Cruciatæ à reseruatis.

110. Ad secundam respondetur similiter quod Vrbanus VIII. cæterique Pontifices loquuntur quando subditi Regulares absoluuntur à reseruatis virtute Bullæ, sine licentia saltim tacita suorum Superiorum, sine qua non possunt ab illis valide absolui. Quare impugnatio, & solutio ibi traditæ optimæ sunt ad propositum, sed non contrariantur Resolutioni nostræ.

111. Ad primum lapidem secundi fundamenti desumptum ex Regul. 61. *in* 6. respondetur solum probare quod Pontifex suppositia eius Bulla declaratoria non concedit Regularibus Cruciatam, vt possint eligere Confessorem, vt absoluat à reseruatis sine licentia suorum Prælatorum; secus de facto concedit. Quare doctrinam quam ex Corduba ibi adducit Miranda non approbo, cum Pontifices tuta conscientia quando adest motiuum excellens possint præfatam facultatem eligeadi Confessorem omnibus Regularibus, sicut concessere omnibus sæcularibus, concedere.

112. Ad secundum lapidem eiusdem fundamenti ex Regula 64. Quod ius prælatorum non violatur in vsu Bullæ Cruciatæ cum hoc fiat saltim ex tacita eius licentia.

113. Ad tertium lapidem respondetur quod non solum est verisimile, sed verum quod Pontifex concedat Regularibus præfatam potestatem eligendi Confessorem secundum dispositionem suorum Prælatorum, vt vidimus.

114. Ad quartum lapidem Respondetur, sicut responsum est ad secundum, siquidem Regula illa 28. *Quæ à iure communi exorbitant* &c. eamdem veritatem habet ac Regula 64. & sic eodem modo est interpretanda.

CAPVT XVI.

Occurritur Argumentis affirmantis sententiæ.

SVMMARIVM.

115 *Respondetur ad argumenta secundæ sententiæ.*

115. AD primum Respondetur quod in concessione generali facta omnibus Christi fidelibus non veniunt Regulares, sic declarante Sede Apostolica, nisi de licentia saltim tacita suorum Prælatorum. Quare in derogatione generali Cruciatæ non derogatur hæc Bulla Declaratoria; neque Commissarius Cruciatæ potest derogare, nisi ex delegatione, quam non habet ex vi Bullæ Vrbanæ, vt constat ex ea. Vnde patet solutio impugnationis ad solutionem fundamenti.

116. Ad secundum, respondetur eodem modo; esset enim efficax si non esset Bulla declaratoria contrariæ intentionis Pontificum, ex vi cuius religiosi redduntur inhabiles ad illum contractum, nisi interueniente saltem licentia tacita Superiorum.

117. Ad confirmationem Respondetur quod per Bullam Vrbanam expresè excluduntur Regulares à priuilegio Cruciatæ, quantum ad articulum eligendi Confessarium &c.

118. Ad tertium, Respondetur quod iurisdictio delegata omnibus Confessariis aufertur per Bullam Vrbanam notificatam à Superioribus Regularium, iuxta ea quæ in superioribus *cap.* 4. per varias conclusiones manet resolutum.

TRACTATVS DECIMVS,

DE POTIONE CHOCOLATICA SVMENDA, VEL NON SVMENDA IN DIE IEIVNII ECCLESIASTICI.

PROOEMIVM.

PAVCI Doctores qui ſua ſcripta prælo mandarunt controuerſiam hanc attigerunt, licet his temporibus plurimum neceſſaria ſit eius deciſio, tum ad pacandas conſcientias, tum ad multa euitanda peccata. Quare operæpretium duxi eam adamuſſim enucleare, impugnans quemdam modernum ſatis doctum qui quæſtione de hac re edita nimis ſcrupulosè videtur locutus. Quamuis, ni ego fallar, ſub ſpecie impugnationis, opinionem quæ negat frangere, voluit introducere, & vna manu lapidem profert contra hanc potionem ſumentes in die ieiunij, altera vero ipſummet Chocolatum oſtentat, vt ad ſimile propoſitum dicebat Plautus: *Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.* Quare *magadiſſat*, grauem, & acutam vocem ſimul ſonans: ego vero ſimpliciori ſermone, omiſſa verborum oſtentatione, quæ ad caſuum reſolutionem parum neceſſaria eſt, oſtendere curabo probabile eſſe, & tutum in praxi aſſerere quod huiuſmodi potio ieiunium Eccleſiæ non frangat.

CAPVT I.

Ea quæ ſunt certa, & aliqua notabilia adducuntur.

SVMMARIVM.

1 *De potione Chocolatica ſumenda vel non ſumenda in die ieiunij Eccleſiaſtici, ea quæ ſunt certa, & aliqua notabilia adducuntur.*

13 *Valde probabile eſſe potionem quæ Chocolate dicitur non frangere ieiunium Eccleſiæ authoritate probatur, & rationibus.*

61 *Probabilitas huius ſententiæ, alia via authoritate oſtenditur, & rationibus.*

84 *Idem alia via, authoritate, & ratione firmiſſimè ſtabilitur.*

97 *Declaratur amplius, & vrgetur hæc ratio ſumpta ex conſuetudine.*

112 *Eadem ſententia aliis rationibus fulcitur.*

127 *Eadem ſententia aſtruitur ex fundamentorum contrariæ ſolutione.*

159 *Eadem ſententia probabilis oſtenditur ex ratione paruitatis materiæ.*

Conſilium eruditiſſimi, & ſapientiſſimi Don. Martini de Azpilcueta Nauarro approbantis potum de Chocolate non frangere ieiunium Eccleſiaſticum.

CONVENIVNT omnes quod ſi ratione infirmitatis, aut debilitatis ſtomachi ſumatur huiuſmodi potio, non frangit Eccleſiaſticum ieiunium; ſumitur enim per modum medicinæ. Sic Authores infra citandi, qui etiam concordant in hoc quod etiam excuſantur à tranſgreſſione ieiunij, ſi materia ex qua conficitur huiuſmodi potio parua ſit, quamuis aqua in qua liquidatur in magna ſit quantitate: aqua enim in quacumque ſit quantitate ieiunium non frangit, nec materia, ſi parua ſit ipſius potio. Sed quota debeat eſſe materia iſta, vt parua ſit, hoc prudentis arbitrio relinquo. Exiſtimo tamen vnam, vel duas vncias paruam eſſe materiam. Sic docti recentiores; ſicut ille qui vrbanitatis cauſa inuitatus 1. 2.

tus ab amicis vnam, vel duas vncias alicuius
3. comeſtibilis, aut potionis de qua loquimur ſumit; quod in carnibus, & aliis comeſtibilibus non admitto: eſſet enim nimis laxare habenas Eccleſiaſtici ieiunij.

Tertio conueniunt omnes, quod potus non frangit ieiunium, etiam ſi ſit vinum, cereuizia, & alia huiuſmodi. Sic tenent D. Thom. *in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 4. quæſt. 5. ad 2.* vbi Richardus, Paludanus, & ferè cæteri ſcholaſtici Summiſtæ verbo *ieiunium*. Roſella, Tabiena, Angelus, Sylueſter, Ledeſma *2. part. 4. pag. 216.* D. Antonin.
4. *2. p. tit. 6. cap. 12. § 9.* Abulenſis *in c. 6. Matth. quæſt. 164.* addunt tamen non eſſe vinum bibendum in ieiunij fraudem; ſed etſi in fraudem ieiunij ſumatur, hoc eſt, ad ſedandam ſtomachi inediam non frangere doceant Nauarrus *in ſumma latina cap. 21. num. 13.* Sanchez *lib. 5. conſilior. cap. 2. dub. 13.* alter Sanchez *ſelect. 51. num. 2.*
5. Fagundez *in 4. Eccleſ. præc. lib. 5. c. 2. n. 46.* aſſerens hanc eſſe concordem omnium Theologorum, & iuris interpretum ſententiam. Quare etſi ad virtutem abſtinentiæ pertineat à vino abſtinere, non tamen ad præceptum Eccleſiaſticum. Quamuis enim antiqui Chriſtiani in ſuis ieiuniis à vino abſtinuerint, vt conſtat ex Cyrillo Hieroſolymitano *Catech. 14.* & aliis Patribus; tamen conſuetu-
6. dine introductum eſt quæ vim legis derogatiuæ habet, ne potus vini, quacumque intentione fiat, ieiunium ſoluat. Quare ſententia quæ probabilis erat tempore D. Tho. & S. Antonin. hodie practicè non eſt probabilis. Et ſic ſubditus non tenetur obedire Superiori præcipienti quod ad ſeruandum ieiunium Eccleſiaſticum vinum non bibat. Sed qua ratione hoc ſit intelligendum infra dicam vbi probabo ſententiam iſtam eſſe falſam.

7. Vnde cardo difficultatis eò vertitur an hodie Chocolatum, vt conficitur, ſit verus potus, & per modum potus ſumatur. Nam ſi potus eſt ex ſua inſtitutione, quamuis aliquomodo nutriat, ſicut vinum nutrit, certiſſimum debet eſſe quod ieiunium non frangit, vt expreſsè notauit Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 194. §. His tamen non obſtantibus.* Quare non approbo ſententiam Siluij *2. 2. quæſt. 147. art. 2.* dum interpretatur *S. D. in ſolutione ad 2.* dicentem quod Eccleſia non prohibet
8. potum ieiunantibus, licet aliquo modo nutriat. Interpretatur, inquam, de potu qui non ſit multum nutritiuus, hoc, vt dixi, non placet, quia D. Thom. loquitur de potu, quod ſecundum ſe ſit potus in communi vſu, & ex ſua inſtitutione. Quod enim multum nutritiuus ſit accidit naturæ potus qui (vt inquit, S. Doctor) *magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſ-*
9. *ſumptorum, quam ad nutritionem*; vinum enim generoſum plus aliquando nutrit, & plures ſpiritus generat, quam non parua quantitas cibi.

Quartò conueniunt omnes quod ſi ea materia
10. quæ aqua diluta eſt manducetur, frangit ieiunium, amittit enim formam potus, ſicut ſi quis vuam vnius libræ manducet, frangit, non tamen ſi ex illa muſtum expreſſum bibat; ſimiliter ſi quis poma, ex quibus fit cereuizia, manducet, non tamen ſi ipſam cereuiziam bibat.

11. Quinto certum eſt quod ſi Chocolatum liquidetur lacte, & non aqua, aut ibi oua immittantur, frangit ieiunium: quia lac, etſi ſit quid potabile, hoc eſt, liquidum, non tamen in communi vſu potus dicitur, ſicut nec ius, vulgò *Caldo*, quia iſta, etſi potabilia, tamen ex primaria intentione ad nutriendum corpus dantur, & ſunt inſtituta. Quare idem eſt aliquid per modum potus eſſentialiter, & per modum cibi eſſentialiter, quod eſſe potum, & cibum, ex ſua inſtitutione; 12.
eſſe autem tale nihil eſt aliud, quam quod homines ex primaria intentione illud ſumant ad nutriendum; vel non, ſed ad alterandum corpus, & ciborum digeſtionem. Videatur de hoc Antoninus de Leon Pinelo *in ſua erudita quæſtione de hac re edita, prælud. 2. num. 12. & 13.*

CAPVT II.

Valde probabile eſſe potionem quæ Chocolate dicitur non frangere ieiunium Eccleſiæ authorirate probatur, & rationibus.

SENTIO igitur valde probabile eſſe, & tu- 13.
tum in praxi potionem iſtam de Chocolate non frangere ieiunium Eccleſiaſticum, ſed huius eſſentiam ſaluam conſiſtere, etiam ſi huiuſmodi potio aliquoties ſumatur in magna quantitate. Huius ſententiæ fundamentum ſolidum ab authoritate Doctorum primo deſumendum eſt. Et quidem S. D. doctrinaliter fundamentum tradidit *in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 4.* vbi inquirit *Vtrum per binam comeſtionem ieiunium ſoluatur?* & q. 5. reſpondet ſic dicens. *Aliquomodo ſoluitur ieiunium, ſecundum quod eſt ab Eccleſia inſtitutum: ex qua ſolutione homo efficitur tranſgreſſor ſtatuti* 14.
Eccleſiæ de ieiunio ſeruando, vel non ſeruando, ſi ex diſpenſatione, vel cauſa legitima dimittat; & de hac ſolutione ieiunij nunc quærimus. Ad hoc autem præcipuè valet conſiderare intentionem ſtatuentis; intendit autem Eccleſia certum modum ſtatuere manducandi, vt ſcilicet ſemel in die ieiunans manducet, & ideo ſi aliquorum ſumptio, ſecundum quæ manducatio ſolet compleri, iteretur, ieiunium prædicto modo acceptum ſoluitur; ſi autem aliqua ſumantur, quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt, ſed ad alium vſum, qui vſus communiter manducatio non vocatur, talis cibi, vel potus ſumptio poſt manducationem vnam, ante, vel poſt non facit eſſe binam manducationem, & ideo talis ſumptio ieiunium non ſoluit.

Ex quibus verbis validum formo argumentum: 15.
S. D. dicit, *quod ſi aliqua ſumantur quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt, ſed ad alium vſum qui vſus communiter manducatio non dicitur, talis cibi, vel potus ſumptio non facit eſſe binam manducationem, & ſic non ſoluit ieiunium.* Quia videlicet per ſe non ordinatur ad cibum, cuius dicitur proprie comeſtio, & illud dicitur abſolute comedere; at quis non videat materiam ex qua fit Chocolatum aqua dilutam non ordina- 16.
ri per ſe ad manducationem, & nutritionem, ſed ad bibendum? Dicimus enim vſu communi, tam in India, quam in Hiſpania, *Beber vna xichara de Chocolate*, non autem dicimus *Comer vna xicara de Chocolate*, quod ſecus eſt, vt dixi, de iuribus, hoc eſt, *Caldos*, quæ ex ſua inſtitutione ſunt ordinata ad nutriendum, præcipuè ſi iſta ex ſubſtantia carnium fiant, quæ prohibitæ ſunt præ- 17.
cepto negatiuo.

Secundum. Cum idem S. D. *in eadem quæſt.* tale propoſuiſſet argumentum, *Electuaria etiam*

bi quiddam ſunt, ſed eorum aſſumptio ieiunium non ſoluit, quod patet ex communi conſuetudine multorum qui etiam in diebus ieiunij, abſque conſcientia fractionis ieiunij electuaria in magna quãtitate mãducant: ergo. Cui argumẽto ſic reſpondet S. Magiſt. *Ad tertium dicendum quod quidam dicunt quod ſi electuaria comedantur ad delectationem ſoluunt ieiunium: ſi autem cauſa medicinæ ſumantur, non*
18. *ſoluitur ieiunium; ſed ſtatutum poſitiuæ legis non attendit intentionem obſeruantis ſed ipſum actum eo quod modus virtutis, non cadat in præcepto, ſed eſt finis præcepti. Sed ea intentione poteſt aliquis mereri, aut demereri. Et ideo dicendum quod electuaria, & ſi aliquomodo nutriant, non tamen hic eſt principalis vſus eorum. Vnde nec loco manducationis ſumi conſueuerunt, & ideo talis ſumptio ieiunium Eccleſiæ non ſoluit. Quamuis homo poſſit totaliter vel in totum, vel ex parte ex hoc meritum ieiunij perdere, vel etiam mortaliter peccare, ſi ſit immoderata libido: non tamen eſt tranſgreſſio præcepti Eccleſiæ, niſi in fraudem ſumeret, & eis quaſi aliis cibis vteretur ad famem extinguendam.* Hacte nus ibi.

19. Ex qua doctrina duæ ducuntur rationes pro noſtra ſententia prima, quia electuaria *in magna quantitate ſumpta*, etiam ſi ſint cibi, quia tamen *loco manducationis ſumi non conſueuerunt* non frangunt ieiunium, ergo nec Chocolatum, quod communi vſu Hiſpanorum loco manducationis non ſumitur. Non enim principalis vſus ipſorum eſt ad nutriendum, & ſedandam famem, & inediam, quamuis accidentaliter id efficiat, ſicut efficit vinum generoſum: vnde communis vſus *del Cacao* non eſt vt manducetur, & nutriat, ſed vt
20. bibatur, refrigeret, & confortet, conſumat crudites, & digeſtionem efficiat reliquiarum cibi.

Secunda ratio: tempore S. Thomæ electuaria *in magna quantitate ſumpta* ad huiuſmodi fines deſeruiebant. Cur ergo loco electuariorum noſtro tempore ſubſtitui non poteſt, abſque fractio-
21. ne ieiunij potio ex Chocolate confecta? ſed ſumptio electuariorum ſecundum ſe non eſt ordinata ad cibandum, & nutriendum, ſicut nec medicinæ, ergo nec Chocolate. *idem docet 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. & 3.*

22. Nec ſolus eſt S. Thomas in hac ſententia, ſed ferè omnes antiqui. Paludanus *in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 4. conc. 3. Bina comeſtio*, inquit, *frangit ieiunium eorum, ſcilicet quæ communiter ſolent ſumi in cibum, vbi etiam fructus, vt ceraza, pyra, & nuces computantur, quia in loco re-*
23. *fectionis ſumuntur in prandio, & cœna, herbæ etiam, quia Sancti Patres radicibus herbarum vtebantur; excipitur tamen cum cauſa medicinæ ſumuntur, tunc enim non ſoluunt ieiunium Eccleſiæ, ſed naturæ. Item electuaria; dico autem omnia huiuſmodi quæ conſueuerunt ſicut ſpecies ſumi poſt prandium ad adiuuandam digeſtionem, etiam ſi ex talibus confecta ſint quæ per ſe in cibum ſumi conſueuerunt, dummodo ſint alterata ſic per decoctionem, vel confectionem, quod iam non cibum, ſed*
24. *in cibi adiutorium ab vtentibus communiter ſumuntur, vt in dactilibus, & nucibus confectis, & pignolato; dactylus autem ſimplex ieiunium ſoluit, potus etiam ante, & poſt non ſoluit. Quod intelligo quando non conficitur ex eſibilibus, & vini, & aquæ, vel quando conficitur: non tamen conſueuit ſumi in cibum, vt potus cereuiziæ. Quan-*
25. *do autem conficitur ex illis quæ conſueuerunt ſumi in cibum vt amygdalatum, & brodium, & huiuſmodi quæ etiam ante cibum ſumuntur; ſecus fortè eſt impurita, quamuis poſſet dici quod huiuſmodi brodia, etiam quæ ante cibum ſumuntur, quod propter præparationem cibi ſumuntur.* Hæc ibi.

Ecce vbi ſapientiſſimus Magiſter, & in re mo- 26.
rali prudentiæ maximæ, & cordatæ dicit duo. Primò quod electuaria non frangunt ieiunium. Secundò, quod confecta ex eſibilibus, dummodo ſint alterata per confectionem, quod iam non in cibum, ſed in cibi adiutorium ab vtentibus communiter ſumuntur non frangunt ieiunium Eccleſiæ. Ponit exempla plura ſatis apta, in confectione facta ex pinnis, dactilibus, & nucibus, & amygdalis; certè cum *Cacao* ſimilis ſit amygdalis, ſi ipſum agnouiſſet, etiam poſuiſſet exemplum 27.
in confectione facta ex ipſo, vt modo fit.

Quod enim in potione Chocolati maneat, vt 28.
ſic loquar, corpulenta ſubſtantia ipſius *Cacao*, & cæterorum ingredientium, non obeſt. Primò, quia etiam in amygdalato, & pignolato manet, & tamen iſta non frangunt ex ſententia Paludani. Secundò, in electuariis manent ingredientia, & tamen ex D. Thoma, Paludano, & aliis modo citandis non frangunt. Tertiò, quia ex eo 29.
quod maneat corpulenta ſubſtantia ingredientium confectionem, vel non maneat, non debet regulari an frangat, vel non frangat ieiunium, vt falſo putat Pinelus, ſed an ſit hæc confectio ordinata ad cibandum, & loco refectionis, aut manducationis ſumuntur, vel ad alium finem, propter quem non dicitur eorum ſumptio vſu *manducatio.*

Tertius Author eximius Theologiæ moralis profeſſor è Dominicana etiam Familia Ioannes Tabiena *in ſumm. verbo ieiunium n. 4. q. 3.* vbi ad 30.
verbum refert, & approbat doctrinam S. Thom. ſic dicens: *Electuaria, & confectiones, etiam ſi aliquomodo nutriant, non tamen principaliter ſumuntur ad nutriendum, ſed ad digeſtionem ciborum, vnde non ſoluunt ieiunium, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio: niſi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate ſumat per modum cibi.*

Eadem verba tranſcripſit Pater Magiſter Samuel de Lumblino in Cracouienſi ſtudio Prædicatorum Regens, *in ſumm. verbo ieiunium num. 3.* 31.
non frangunt electuaria, confectiones, medicinæ, ni fortè aliquis in fraudem ſumat huiuſmodi in magna quantitate.

Quartus Author eſt Sylueſter *verbo ieiunium num. 9. q. 3. Qui mane, vel ſero bibit vinum, vel cereuiziam, aut comedit electuaria delectationis cauſa, ſecundum Richardum non frangit, quia ſcilicet hoc non fit per modum cibi. Frangit vero ieiu-* 32.
nium quicumque aliquid comeſtibile, vel potabile ſumeret extra prandium, id eſt, ad ſubleuandum, non quidem debilitatem, ſed famem vt ponit Archidiaconus: quia iſte ex ſua intentione pluries cibatur, ſumendo aliquid per modum cibi. Hæc ibi. Ex quibus duo habentur. Primum quod ſumere 33.
electuaria, (& idem eſt de Chocolato) delectationis cauſa non frangit: quia electuaria, & confectiones non ſunt deſtinata ad cibandum, & idem eſt de Chocolato quod potatum delectationis cauſa non frangit, quia electuaria, & confectiones non ſunt deſtinata ad cibandum. Secundum, quod ſumere huiuſmodi confectiones ad ſubleuandam debilitatem naturæ non eſt tranſgreſſio ieiunij.

Accedit ex eadem familia Durandus *in 4. diſtinct. 15.*

34. *ſtinct.15.q.9.art.7.* ſic loquens. *Tertium, attendendum eſt circa ieiunium, quod non licet pluries eodem die cibum ſumere: nec aliquod cuius principalis vſus ordinetur ad comeſtionem. Potus autem non eſt prohibitus, nec ante prandium, nec poſt; nec vſus ſpecierum quæ principaliter ordinantur ad alterandum, vel ad digerendum cibum. Si autem cum ſpeciebus miſceantur aliæ res pertinentes ad cibum, & non alterentur per ſpecies, quin remaneant in propria forma, vt dactyli, & in pinnolato, in quo pinnulæ remanent in propria forma ſolum conglutinatæ per alias ſpecies, non credo quod licitum ſit talibus vti extra prandium temporibus ieiunij.*

35. In quibus Durandi verbis notanda ſunt ad propoſitum: primum, quod vſus ſpecierum aromaticarum non frangit, quia per ſe habent alium finem, quam nutrire, ſcilicet corporis alterationem, & ciborum digeſtionem. Quem finem poteſt quis intendere ſine tranſgreſſione ieiunij, ſiquidem hoc non eſt comeſtio per ſe. Vt enim

36. egregiè dicit Eminentiſſim. Caietanus *in ſumm. verb. ieiunium. Primò interpretamur ſiquidem comeſtionem per ſe, hoc eſt, ex intentione comedendi. Itaque ſolus ille vltra ordinariam comeſtionem*

37. *manducat, qui ideo manducat, vt manducet.* Quæ verba maximè aduertenda ſunt ad propoſitum noſtrum. Qui enim potionem de Chocolate ſumit interdiu, non ideo ſumit vt manducet: ſed ad confortandam debilitatem, vel ob delectationem quæ eſt in tali potu, vel ob alium finem: qui licet non ſit admodum conformis virtuti temperantiæ, tamen nou opponitur vnicæ comeſtioni, quæ eſt de eſſentia ieiunij.

38. Secundum quod notandum in verbis Durandi eſt ratio propter quam pinnolatum frangit ieiunium, quia videlicet pinnulæ manent in ſua forma conglutinatæ per alias ſecies, nec ita alterantur per ſpecies, quin remaneant in propria forma; quæ ratio in *Cacao*, ex quo conficitur Chocolate non currit; quia ita alteratur per commixtionem aliarum ſpecierum, vt non maneat in propria forma, ſed ita contritus, vt ex natura ſua maneat aptus ad potum.

39. Ex qua doctrina colligitur valdè vrgens coniectura ad colligendum Chocolatum ex ſua inſtitutione eſſe potum, & non ſolum liquidum, quia iſta cõtritio huius fructus tam minutiſſima, & exacta eo ordinatur vt materia iſta aqua diluta, cum ſit de ſe nimis frigida tum aqua, tum ipſe *Cacao* temperata aromatibus refrigeret, temperet, & confortet, vt infra dicemus de alio potu Hiſpanis ſolum qui dicitur *Aloxa*, qui finis eſt proximus huius potionis Chocolati qui immediatè debet intendi à ſumentibus.

40. Deinde idem docet Medina Complutenſis *C. de ieiunio tract. 4. quæſt. de his per quæ Eccleſiaſticum ſoluitur*, vbi ſic loquitur: *In his autem illud aduertendum eſt, quod non ſolum contra præceptum de ieiunio peccat qui illa tria ſupra poſita in die ieiunij non ſeruat; ſed qui alia quæ vel ex lege, vel ex conſuetudine conceſſa ſunt, in fraudem legis ſumpſerit; in fraudem autem ieiunij dicitur quis electuaria, aut medicinas, aut etiam vinum, aut*

41. *fructus aliquos extra refectionem ſumere, qui illa per modum refectionis ſumit, vt inde corpus refectionem ſumat, & ventris fames expellatur, tunc enim nomine refectionis venit huiuſmodi ſumptio intelligenda.* Hæc ibi. Dixerat autem prius §. *ſequitur amplius. Sumere vinum ante, vel poſt refectionem, ſimiliter Electuaria per viam medicinæ non eſt ieiunium ſoluere quoad ſubſtantiam præcepti, ſiue in magna ſiue in parua quantitate ſumantur. Ratio nota eſt, quia ſub præcepto Eccleſiæ de ieiunando non cadunt niſi illa tria* (ſcilicet 42.
abſtinentia à numero refectionum, abſtinentia à certo ciborum genere, & hora debita refectionis) *quæ dicta ſunt. Igitur ea ſeruando, per reliqua præ-* 34.
ceptum de ieiunio non ſoluitur. Huc vſque Medina ſatis docte. Circa quæ aduertendum eſt quod Iy, *per viam medicinæ* non debet intelligi de propria medicina curatiua alicuius infirmitatis, ſed dicuntur electuaria ſumi per modum medicinæ, quia non ſumuntur eo fine vt nutriant; ſed alio fine ipſis electuariis intrinſeco, iuuantibus naturam, eiuſque debilitatem, dummodo non intendatur famis extinctio. Vnde ſatis docte aduertit Roſarium Theologiæ *verbo ieiunium §. 2.* parum poſt medium. *Eccleſia in lege ieiunij non attendit id quod quocumque modo nutrire poteſt, ſed id quod principaliter ad nutriendum ordinatum eſt. Et ſic eſt tenere tutius, quia finis legis non fruſtratur ex tali ſumptione.* Hæc ibi: at clarum eſt quod 44.
finis primarius potionis Chocolati non eſt nutrire, ſicut neque Electuariorum: ergo ex tali ſumptione finis legis non fruſtratur.

Aduertunt tamen Tabienna ex Diuo Antonino, & Martinus de Ledeſma *2.p.4.q.17.art.5.conſ.* 45.
7.fol.208.colum.4. quod vt quis licite ſumat electuaria, & confectiones, & idem eſt de Chocolate, non eſt neceſſarium quod expreſsè, & actualiter dicat quod ſumit non ad nutriendum, ſed ad alios fines: ſat enim eſt quod bona fide ea ſumat, & non in fraudem legis. Notat etiam idem Tabienna, ex eodem S. Antonino huiuſmodi doctri- 46.
nam populo rudi non eſſe prædicandam. Quamuis enim vera ſit, tamen populus non eſt capax cuiuſque veritatis, maxime ſi ex illa aliqua relaxatio ſequi poteſt.

Ex relatis teſtimoniis tam grauium Magiſtro- 47.
rum ad minus deducitur quod ſi non adſit fraus contra legem Eccleſiæ, & ſumatur potio Chocolati non intentione reficiendi corpus, & famem depellendi, ſed ſumatur ſicut ſumi poteſt electuarium, etiam ſi ſint magna quantitate, quilibet ſicut poteſt ſumere electuarium ante, vel poſt prandium, poteſt ſumere Chocolatum abſque fractione ieiunij; hoc enim manifeſtè docent abſque tergiuerſatione Authores citati, vt liquet ex eorum verbis.

Quia tamen omnes quos adduxi dicunt ele- 48.
ctuaria, (& idem dicerent de Chocolato) frangere ieiunium, ſi animo nutriendi ſumantur in fraudem legis, & idem dicunt de potione vini, videndum eſt, An ſi quis eo animo ſumat electuaria, potionem Chocolati, aut vini vt nutriat, & non ea intentione qua introducta ſunt ad fines particulares quos ex ſua inſtitutione reſpiciunt, frangat legem ieiunij.

Negatiuam ſententiam tenent Nauarrus, vter- 49.
que Sanchez *ſup.membr.1. num.2.* quibus adde Bonacinam *diſp.de Præcep. Eccleſ.q.3.pnct.1.n.8.* Filliucium *tract.27.cap.5.num.7.* Fagundez *in 4. Eccleſiæ præcep.lib.1. cap.2. num.46.* Fundamentum eſt, quia lex non attendit intentionem obſeruantis, quia modus virtutis non cadit ſub lege, ſed eſt finis legis: ſed hic actus qui eſt vinum bibere non eſt contra legem ieiunij ex natura ſua: ergo intentio bibentis, non facit eſſe contra præceptum.

Sed contraria ſententia mihi ſemper arriſit, 50.
quam

quam expreſse docet S.Thom. *in* 4. *diſt.* 15. *loco citato*,& tenent expreſsè omnes quorum verba citaui. Quibus adde Martinum de Ledeſma 2.*p.*4. *q.*17.*art.*6.*fol.*216.*colum.*15.*§.in his omnibus.*Reginaldum *lib.*4.*num.*153. Gabrielem *in* 4.*diſt.*16. *q.*3.*art.*3. Palacios *diſt.*15.*diſput.*8.*§.item bibere.* Richardus *ibi art.*3. *q.*2.*ad* 2. Honcala *opuſc.de ieiunio* Henriquez *in ſuis ſcriptis quæ nondum ſunt typis mandata.* Roſellam *verbo Ieiunium n.*5. Tabiennam *n.*3 *q.*2. Angelum *num.*4. Silueſtrum *q.*3. D. Antoninum 2.*p.tract.*6.*c* 2.§.9.& eſt fere
51. omnium Antiquorum.

Pro cuius clariori intelligẽtia noto quod actus quo impletur aliquod præceptum poteſt ad duplicem finem ordinari,ad quem habet proportionem ex natura ſua v.g.potio aliqua,& eſt medicinatis,& eſt dulcis,& apta ad nutriendum: & propter vtrumque finem poteſt ſumi,& vt ſanet,& vt
52. nutriat.Si enim quis eo fine ſumat vt nutriat,quis dubitat frangere ieiunium v.g.ſi quis ſumat quantitatem lactis,non vt refrigeret, & expellat calorem,aliumque ſalutarem effectum cauſet, ad quẽ ordinatur ex diſpoſitione medicorum; ſed potius vt ipſum nutriat,& famem depellat. Quis inquã, dubitat quod iſte frangit ieiunium. Cum ſumat
53. rem ſecundum quod eſt nutritiua, *& manducet,vt manducet*,non vt ſanetur; habet enim oppoſitam intentionem immediatè fini intrinſeco legis, & eius prohibitionis, quæ ſolum concedit vnicam refectionem ad nutriendum,& ſedandam famem. Atque ita, ſi habet intentionem ſumendi lac,aut electuarium,non ea ratione qua data ad alterationem,& digeſtionem ciborum; ſed ad corporis famem depellendam, habet actum exteriorem, qui vt ſubeſt ſuæ intentioni,opponitur legi:ergo idem dicendum eſt de potione vini, ſi quatenus nutri-
54. tiua ſumatur. Conſuetudo enim introducta vt poſſit bibi,eſt de vino, quatenus ſitim extinguit, vel iuuat ad nutritionem, & digeſtionem. Quod ſecus eſt de aqua; hæc enim aut de ſe non eſt nutritiua, aut parum nutrit in magna quantitate, & ſic intentio ſumendi illam, etiam vt nutritiuam non frangit;quod ſecus eſt de vino,quod frangere ieiunium in primitiua Eccleſia notat Fagundez *vbi ſupr.*

55. Explico rem exemplo. Si quis debeat Petro centum quæ indifferentia ſunt vt illi dentur, & titulo donationis, & titulo iuſtitiæ ſoluendo debitum,certum eſt, vt norant Bonacina *diſp* 4. *de legib.q.*2.*punct.*20.*num.*13. Baldellus *lib.*5.*de lege diſp.*25.*num.*17.quod ſi illa centum det titulo donationis, & ex intentione donandi quod non ſatisfacit æqualitati iuſtitiæ, reſpectu cuius quouſque velit dare dicta centum, ſemper manet inæqualitas: ergo cum ſumptio electuariorum in
56. magna quantitate, & ſumptio vini poſſit fieri & in quantum iſta ſunt nutritiua, & ſic ſint cibus eſſentialiter, &, vt ſic, per modum cibi ſumantur, & in quantum deſeruiunt ad corporis alterationem,& digeſtionem ciborum,& cruditatum,& vt ſic non ſint nutritiua, nec ſumantur intentione comedendi: ſi quis ea ſumat priori intentione, quæ eſt ad ſedandam famem, manet difformis legi quæ ad hunc finem determinat ſolum vnicam comeſtionem,ſiue ſit liquidi,vt lactis,ſiue ſit craſ-
57. ſæ,& conſiſtentis materiæ; non tamen manebit difformis,ſi alia intentione ſumat.

Ex qua doctrina, manet ſolutum fundamentum contrarium, quod verum eſt de intentione quæ accidentariè ſe habet ad diſcernendam materiam præcepti. Et ſi quis habeat intentionem audiendi Sacrum vt Deo deferat cultum latriæ; hæc enim intentio quæ imponit modum virtutis,accidentalis eſt, vt optimè notant Vaſquez 1. 2.*q.*100.*art.*9.*in expoſitione.*Salas *diſp.*9.*de legibus ſect.*2.*num.*39. Bonacina *vbi ſupr. num.*9. Suarez *lib.*2.*de legibus cap.*20.*num.*5.*&* 10.Cæterum intentio quæ,vt ſic loquar, conſtituit actum in materia præcepta, & diſtinguit eam ab alia non præcepta,omnino neceſſaria eſt. Sic enim Fagundez *lib.*1.*in* 4.*Præcep.cap.*4.*num.*3. in fine plures citans,excuſat à peccato, etiam veniali,illas qui ſolum amicorum cauſa,& rogati modicum cibi accipiunt,*quia*,inquit, *hoc non ſumunt ex intentione comedendi,ſed ex intentione obſequendi iniſte & vrbaniter amicis.* 58.

Hæc dixerim, vt ſi quis velit vti hac via defendendi, qualiter electuaria, confectiones, & potio Chocolati non frangat ieiunium, videat quali intentione ipſam ſumat, nec peccet: nam ſi potionem ſumat, vt nutriat, & famem extinguat, frangit ieiunium; ſicut ſi potionem vini hac intentione bibat, vt vidimus. Si tamen ipſam potionem Chocolati bona fide ſumat, & non vt nutriat, ſed aliis finibus ſupra relatis ex S. Thom. & aliis Doctoribus, non frangit ieiunium, etiam ſi in magna quantitate ſumatur ſemel, ac iterum interdiu. Dixi ſemel, & iterum, quia ſi pluries ſumat, hanc viam ſequendo, videbitur facere in fraudem legis, ſicut qui ſæpius ſumit electuaria in magna quantitate. Tamen ex 60.
dicendis conſtabit quod ſequendo hanc ſententiam ex aliis motiuis, etiam ſi pluries ſumatur, potio iſta non frangit. 59.

CAPVT III.

Probabilitas huius ſententiæ, alia via authoritate oſtenditur, & rationibus.

SED vt huius ſententiæ maxima probabilitas practica oſtendatur, duabus aliis viis incedendum eſt, vt *valeat ſi non vt teſtamentum, ſaltem vt codicillum.* Quando enim fideles maximè inclinantur ad aliquid operandum quod videtur eſſe contra legem aliquam poſitiuam, humanam, à qua inclinatione difficile auertuntur, Doctoribus præcipuè Theologis, qui forum conſcientiæ reſpiciunt, incumbit illam declarare, eius obligationem aperire, quantum fieri poteſt in conſcientiæ fauorem, & quietem, vt ſic peccata mortalia euitentur. Etenim vt aliqua lex humana non obſeruetur, ſat eſt ratio probabilis, & non ſolum probabilis, ſed quod probabilis ap- 62.
prehendatur à viris doctis, & timoratis. Sic defendunt Theologi, & iuriſperiti, dum agunt de obligatione legum Eccleſiaſticarum, & de cauſis hanc obligationem excuſantibus. Quare conandum eſt rationes adducere, authoritate Doctorum nitentes, quæ cuiuis cordato probabiles apparebunt, ad oſtendendum potionem de Chocolato ieiunium non frangere. Quia huiuſmodi 64.
materia per ſe ordinatur ad potum, qui per ſe potus ſit, & non per ſe cibus, quamuis per accidens nutrire poſſit. 61.

Dixi per accidens, non quia per accidens conueniat

ueniat huiuſmodi potioni nutrire; hoc enim ex natura ſua habet, cum ſit mixtum conuertibile in ſubſtantiam illud ſumentis, ſicut & conuertitur vinum. Sed dixi per accidens, comparando
64. hanc potionem ad intentionem inſtituentis, à qua regulantur ſumentes. Inſtituens enim huiuſmodi potiones, primario non intentit nutrimentum, quod per ſeipſos ſit; ſed aut delectationem quæ acqu ritur, aut refrigerium naturæ. Non enim intendebant quod huiuſmodi potiones loco manducationis, & refectionis haberentur. Nec enim illis ſolum ſuſtentabantur, nec ideo illas inſtituerunt, vt eas ſumerent homines, vt manducarent, ſed vt potarent, & biberent, quare per ſe potus ſunt; non cibus.

65. Sic tenet ſapientiſſimus Magiſter Ludouicus Lopez *tom.2. inſtructorij conſcientiæ cap. 112. editione anni* 1604. vbi tractans quæſtionem, quam præ manibus habemus ſic loquitur: *De potionibus vſus eſt apud Indias quæ Chocolate dicuntur, & fit ex fructu arboris qui dicitur Checa, qui fit ex granis Maiz (alias frumento Indico) commolitis, & commaſſatis, dubitari hic merito poterit, an frangat ieiunium? & reſpondetur, quod regulariter per huiuſmodi potiones non ſoluitur ieiunium, quia*
66. *potius ſumuntur per modum potus quam cibi, & quia parua materia maſſæ, ſiue formulæ admiſcetur ibi cum aqua, vnde quaſi liquidus potus manet. Si tamen tanta miſceretur maſſa, aut materia, quod ille potus ſpiſſus redderetur quod ſufficeret ad ſuſtentationem, ieiunium diſſoluere videtur.* Hæc ibi.

Circa quæ aduerto quod dicit, hunc potum
67. regulariter non frangere ieiunium, quia videlicet regulariter fit non admodum ſpiſſus, & regulariter fit ad quinque partes aquæ duas materiæ admiſcendo, nam ſaccharum parum liquefactum ſpiſſat aquam: imo potius ipſum, cum liquor ſit, niſi igne ſpiſſetur, aquam liquidam relinquit; & ſic totus ille potus ſeptem vnciarum liquidus manet, cum materia ſpiſſans ſolum ſit materia fructus *Cacao*; & hic Doctor ſolum per ſpiſſitudinem, ſecundum quam ſit congrua materia cibi, & apta potius ad ſuſtentandum, quam ad bibendum & confortandum ſtomachum, dicit & optime,
68. frangere ieiunium; ſicut ipſa paſta ſi manducatur, ſi enim Chocolaticus potus, aut *Checa* nimis ſpiſſus ſit, non potus, ſed cibus eſt, Quamuis aliquomodo liquidus, & per ſe ad ſuſtentandum ſumitur, non ad bibendum. Quare exiſtimo hunc ſapientiſſimum Magiſtrum dediſſe modum quo noſtra ſententia defendenda eſt.

Sic ſuis ſcriptionibus firmarunt ſapientiſſimi
69. Magiſtri anno 1609. Salmanticæ Magiſter Antolinez pòſt Sanctiſſimus Archiepiſcopus Compoſtellanus, Magiſter Baſilius Ponce de Leon, & plures alij Magiſtri è Societate IESV, Sancti Bernardi, Sancti Franciſci, & ego ipſe etiam ſubſcripſi, & teſte Diana, idem tenet Didacus Taſmiera Inquiſitor in Sicilia, & ego etiam plures conſului ex Theologis, & Medicis, inter quos (honoris cauſa) nomino alterum Hippocratem Hiſpalenſem ſapientiſſimum virum D. Doctorem
70. Ludouicum Ramirez Primarium Medicinæ Cathedræ Proprietarium Moderatorem in hac noſtra Vniuerſitate Hiſpalenſi, qui mihi dixit ſibi certiſſimum videri Chocolate eſſe ex ſua inſtitutione primaria non cibum, ſed potum, ac per conſequens ieiunium non frangere.

Præter hos etiam idem tenet Dominus Ioſeph Pellicer Hiſtoriograph. Regius *in ſuo ſatis erudito libello de Phœnice aue, diatrice 7. fol.* 84. vbi ſic 71.
loquitur: *Mucho haze por la opinion de que no quiebra el ayuno el vino, el ver que el Pontifice por Bulla particular tiene decidido que el Chocolate bebido, no quiebra el ayuno.* Et Fr. D. Auguſtinus de Padilla Archiepiſcopus de la Eſpañola idem ſentit *lib. 2. Hiſt. de la Prouincia de Mexico cap.* 84. ſic loquitur: *Yo he viſto la conſulta que ſe hizo al Papa Gregorio Decimotercio por mano* 72.
del Doctor Aſpilcueta Nauarro, a inſtancia de la Prouincia de Chiapa, donde ſe començo eſta bebida y con ſer la relacion harto encarecida, reſpondio el Papa por dos vezes, que no quebrantaua el ayuno. Hæc ibi. Et quidem cum vnus teſtis ocularis omni exceptione maior in dignitate, ſanctitate, & Religione maximus, probationem faciat ſemiplenam, illi omnis fides eſt adhibenda, vt determinat multis citatis Farinacius *de teſtibus. q. 65. num.* 118. dubitandum non eſt de hac relatione.

Neque obſtat quod reſpondet Pinellus *in ſua* 73.
quæſt. de hac materia punct. 2. fundament. 6 pag. 88. *numer.* 7. ex Fernando Arias quod dum Hiſpani Americi Summum Pontificem conſuluerunt, nondum tanta cibariorum quantitas Chocolato admiſcebatur, vt hodie fit; vt proinde ſuſpicari liceat, aliter hodie reſponſurum, ſi de cibariis admixtis certior fiat. Non, inquam, obſtat; Primò, quia iam habemus ex hac reſolutione potionem Chocolati, ex ſua inſtitutione non frangere ieiunium, & eſſe potum eſſentialiter, tunc enim 74.
ingrediebantur Chocolatum *Cacao, ſaccharum, & chile*, quod piperi correſpondet: ergo etiam vt hodie fit ieiuniũ nõ frangit. Conſequentia eſt euidens, quia ea quæ hodie ingrediuntur in Chocolato, quod non eſt adulterinum, ſolum eſt cinnamomum, & aniſium, & alegria quæ addita ſunt ne Chocolatum damnificet, & temperetur: eſſet enim Chocolatum nimis frigidum, niſi his 75.
calidis ingredientibus temperaretur. Quare cinnamomum, piper, aniſum, &c. ingrediuntur ad temperandam frigiditatem *Cacao*.

Sicut ipſe Pinellus dixit de la *Aloxa* potu Hiſpano, qui eſſet valde frigidus, niſi miſcerentur mel, & aliæ ſpecies aromaticæ, & tamen non 76.
frangit ieiunium, vt ipſe Pinellus aſſerit, & eſt certum in Hiſpania: quamuis ingredientia per ſe conſiderata, ſi manducentur, ieiunium frangant & quamuis ipſa *Aloxa* nutriat, ratione ingredientium, quia ſua inſtitutione eſt potus: quod etiam manifeſte conſtat in mulſo, confecto ex vino, vel aqua, & melle, quod ita nutritiuum eſt, vt de ipſo dicat Plinius *lib. 23. cap. 24. Multi ſenectam longam, mulſi tantum nutritu tolerauere, neque vllo alio cibo celebri potionis Romuli exemplo, centeſimum annum excedentem, cum D. Auguſtus hoſpes interrogauit, quanam maxima ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet? At* 77.
ille reſpondit, intus mulſo, foris oleo. Hæc Plinius de Mulſo, & enomelite. Legendus eſt Dioſcor. *lib. 5. cap. 9.* Author Antiquus *lib. de proprietatibus rerum cap. 55. & ſequentibus.* in quibus agit de diuerſis potionibus confectis.

Idem etiam manifeſte conſtat in liquoribus 78.
quando per diſtillationem educuntur, vt ſi piſces, oua, & alia huiuſmodi calore ignis diſtillentur, non ſecus ac gallina diſtillatur, ſicut *garum*, teſte S. Iſidoro *lib. 20. Orig. cap. 3. erat liquor piſcium ſalſus.* Iſti enim liquores quis dubitat maximum afferre nutrimentum? Et tamen Pinellus *fol. 23.* 79.
num. 4. dicit non frangere ieiunium, quia ſunt potabiles

tabiles: ergo quod nutriat aliquid, non facit frangere ieiunium, & tamen mulſum non frangere ieiunium idem Pinellus tenet. Quia videlicet hæc ingredientia mulſi non ponuntur per ſe ad nutriendum, & manducandum, ſed ad bibendum: ergo idem pari modo dicendum eſt de ingredientibus Chocolatum verum, non adulterinum. Sic expreſſe tenet Antonius de Eſcobar *in exam. Confeſſor tract. 1. cap. 5.* dicens, *el Chocolate ſimple ſe tiene por bebida, no condenò el beberle a pecado, ſi bien dexa poco de merecimiento el ayuno.* Sicut dicunt S. Thom. & alij citati *cap. 2.* de electuariis quando ſumuntur in magna quantitate. Dixi non adulterinum, quia iſtud habet alia ingredientia oppoſita eius inſtitutioni, vt farinæ fabarum, farri, ciceris quas adulterantes miſcent vt creſcat materia vendibilis. Hoc Chocolatum adulterinum frangere ieiunium non dubito, ſi illud quis bibat, ſciens adulterinum, & in magna quantitate.

80. 81.

Neque obſtat quod Chocolatum cum his ingredientibus incitet ad luxuriam, & ſolicitet ad coitum, & carnis mortificationi, quam intendit ieiunium, opponatur. Et ſi enim finis intentus ab Eccleſia ſit carnis maceratio, & mortificatio paſſionum carnalium, hic tamen finis non cadit ſub lege, vt commune axioma iuriſperitorum tenet *Quod finis legis non cadit ſub lege*, alias non liceret vinum bibere, de quo dicit Plinius *lib. 14. c. 5. iure dici neque viribus corporis vtilius aliud neque aliud voluptatibus perniciosius.* Et Apoſtolus dicit, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quos effectus, & alios perniciosiores vinum cauſare & Sacra Scriptura proclamat, & Patres prædicant.

82. 83.

CAPVT IV.

Idem alia via authoritate, & ratione firmiſſimè ſtabilitur.

84. CERTA via quæ, me quidem iudice, huius ſententiæ probabilitatem practicam demonſtrat, eſt, quia eſt conſuetudo ritè & rectè introducta, quod hæc potio Chocolatica ieiunium non frangit, ſed quod ſit potus per ſe, ſicut & vinum, aut mulſum, licet plura connaturalia habeat ingredientia. Et ita ſicut potus vini pluries repetitus, non frangit: ita neque Chocolatus. Porro tota difficultas huius demonſtrationis ſita eſt in probanda conſuetudine ritè, & rectè introducta. Vt tamen id clarius, & illuſtrius præſtetur, aliqua prælibanda ſunt ex materia de legibus,

85. In quo omnes infra citandi conueniunt, legem Eccleſiaſticam poſſe contraria conſuetudine derogari. Vt enim ait S. Thom. *1. 2. quæſt. 97. art. 3. ad 2. Propter hoc ſolum inutilis lex videtur, quia non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem Patriæ, quæ erat vna ex conditionibus legis. Difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis remouere.* Et in ſolut. ad 3. *Conſuetudo in multitudine præualens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur ad quos pertinet, multitudini legem imponere: ex hoc enim ipſo videntur approbare quod conſuetudo introduxit.* Hæc S. D.

86. Hæc autem conſuetudo duplex eſt, aut derogatiua legis prioris, huius vires eneruans, aut introductiua nouæ obligationis quæ ante conſuetudinem non erat in Republica, & vtraque conſuetudo, vt vna vim habeat obligandi, & altera vim derogandi obtineat, requiritur quod actus ex quibus introducitur, fiant ex credulitate quod conſuetudo obligat, aut quod prior obligatio eneruetur, & frigeſcat. Ita tenent Suarez *lib. 6. de legib. cap. 5. num. 4. & lib. 7. cap. 14. n. 6. & 7.* Baldellus *lib. 5. diſp. 22. num. 22.* plures conſuetudines Eccleſiæ referentes quæ non obligant ad mortale, quia actus ex quibus ſunt introductæ, non ſunt facti ex hac credulitate, & ſic, & ſic conſeruatæ ſunt. Et ratio eſt quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. *l. non omnis & l. ſi quis D. ſi certum petatur.*

87.

Secundo conueniunt omnes infra adducendi quod ſi loquamur de communitate habente ſuperiorem, qui leges condit, ad hoc quod conſuetudo ſit introducta, & vim legitimam derogandi habeat, requiritur, aut conſenſus perſonalis ipſius legiſlatoris, & Principis, aut ſaltem conſenſus legalis, & iuridicus, qui videlicet ſecundum ius intelligitur in Principe, qui cenſetur conſentire, vt introducatur conſuetudo rationabilis, vt dicitur *cap. finali de conſuetudine.* Videantur Suarez *vbi ſup.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 4. num. 11. & 14. & diſp. 17. num. 7. & diſp. 81. num. 20.*

88.

Tertiò, certum eſt quod vt introducatur conſuetudo quæ eneruet antiquam legem Eccleſiaſticam, vel in totum, vel in partem, requiritur quod ſit præſcripta ſpatio quadraginta annorum. quo elapſo, iam antiqua lex non obligat. Sic Vaſquez *1. 2. diſput. 177. cap. 5.* Valentia *diſp. 7. q. 7. punct. 8.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 1. cap. 15. & lib. 7. de legib. cap. 5.* Azor *tom. 5. lib. 5. cap. 17. q. 6.* Rebellus *de oblig. iuſt. lib. 5. q. 5.* Clauis Regia *lib. 3. cap. 11. num. 72.* Sylueſter *verbo conſuetudo q. 7. num. 12.* & eſt indubitata ſententia omnium Canoniſtar. *in cap. cum tanto 11. de conſuetud.* vbi id determinat Gregorius IX.

89.

Quartò, certum eſt quod cum ad conſuetudinem requiratur aliquis quaſi titulus, vt notant citati Authores (neque enim ſine titulo conſuetudo introducitur, & legem antiquam eneruat) ſatis eſſe hunc titulum fundari in communi errore populi. Neque enim requiritur quod titulus reipſa ſubſiſtat, ſic ferè omnes Doctores tam Theologi, quam iuriſperiti fundati *in l. Barbarius D. de off. prætoris.* Cum enim quidam communi errore liber putaretur, cum eſſet ſeruus, omnes actus, quos vt Prætor exercuit, validi fuerunt. Legantur Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrimon. diſp. 22.* Baſilius de Leon *lib. 5. de Matrim. c. 19.* qui innumeros penè citant.

90. 91.

His prælibatis ſic formo argumentum, quo, vt dixi, huius ſententiæ probabilitas oſtenditur: conſuetudo ſumendi potum ex Chocolato confectum habet omnia requiſita, vt ſit vera conſuetudo, vim habens eneruandi legem contrariam, & declarandi Chocolatum eſſe eſſentialiter potum, & ſic ſæpius repetitum, non frangere ieiunium Eccleſiaſticum: ergo de facto ita eſt. Conſequentia nota eſt, & antecedens probatur. Primò, quia introducta eſt ex credulitate multitudinis, quod ſit potus ex ſua inſtitutione. Secundò, adfuit expreſſus conſenſus Summi Pontificis Gregor. XIII. & aliorum, quos infra adduco. Deinde tertio, præſcripta fuit ſpatio quadraginta annorum; ſiquidem ſunt elapſi à morte Gregorij XIII. quinquaginta,

92. 93.

quaginta, & amplius anni.

Et forsan illustrissimus Archiepiscopus Padilla quando dixit, *Que el no se atreuiera a beuer en dia de ayuno Chocolate*, ideo dixit, quia nondum consuetudo suo tempore introducta, & præscripta erat, dixerat enim antea postquam retulit de-
94. claracionem Pontificis: *No digo esto para dar licencia, sino para dezir verdades.* Sentit ergo veritatem esse suppositio consensu Sedis Apostolicæ, quod potus Chocolati, potus est essentialiter, & quod non frangit ieiunium Ecclesiasticum.

95. Licet talis declaratio, & consensus Pontificius re ipsa non esset, sat foret vt consuetudo ista ritè, & rectè esset introducta, quod spatio quinquaginta annorum esset communis error in Hispania, quod talis consensus, & declaratio existeret: cum communis error ad introducendam hanc consuetudinem validam sufficiat. Quæ quidem consuetudo introducta est non solum in Re-
96. gionibus Indiarum, sed etiam in nostra Hispania, licet hic cum aliqua formidine, quæ abigi debet, cum sat sit testimonium Illustrissimi Archiepiscopi Padilla quod Summus Pontifex declarauerit potum Chocolati non frangere ieiunium. Etsi enim hanc declarationem fecerit, ad instantiam vnius Prouinciæ, tamen declaratio ipsa Catholica fuit, & vniuersalis. Quare ea omnia quæ in huius rationis solutionem adducit Pinellus *in fundamento quinto suæ quæstionis, à folio* 71. *vsque ad* 79. nullius ponderis sunt, nec vim nostri fundamenti euertunt aliquo modo.

CAPVT XV.

Declaratur amplius, & vrgetur hæc ratio sumpta ex consuetudine.

POstquam hæc fueram meditatus, & manuensi scriptori tradideram, vt transcriberet, ad manus meas peruenit quoddam scriptum
97. sapientissimi R. Roderici Manrriq. satis doctum, & eruditum de hac eadem quæstione quod mihi obtulit Religiosissimus Pater Fr. Gaspar de los Reyes Regiæ Familiæ Sanctæ Mariæ de Mercede PP. excalceatorum, quondam in sua Prouincia obseruantissimus Prouincialis, & omni litteratura, & sanctimonia illustris, in quo plura authoritatis pondera inueni in huius sententiæ confirmationem, & in stabilimentum huius rationis à consuetudine desumptæ. Et in primis ad petitionem Patris Sebastiani de Ouiedo è Dominicana Familia in Prouincia Guatimalæ Doctor Martinus de Azpilcueta Nauarrus suum consilium de-
98. dit Romæ huiusmodi Chocolaticam potionem ieiunium Ecclesiasticum non frangere. Concilium hoc ad finem huius disputationis ad verbum referam. Quod fideliter translatum fuisse à suo originali in Ciuitate de Chiapa testantur R.P.Fr. Franciscus del Olmo Superior Conuentus S. Dominici de Chiapa, die 22. Aprilis anno 1577. Gabriel de Morales, Ildephonsus de Nureña, & Fr. Franciscus Salzedo Guardianus in Conuentu S. Francisci Ahritoensis Prouinciæ Gautimalæ testatur se transcripsisse hoc Nauarri Consilium, ex Archiuio Conuentus S. Dominici de Guatimala. & Pater Raphael de Luxan Prouincialis rouinciæ S. Vincentij Ordinis Prædicatorum, *Thom. Hurtado Resol. Moral. Pars II.* sub iuramento adtestatur P. Fr. Hieronymum à S. Vincentio eiusdem Prouinciæ Prouincialem, virum Religiosum &c. virtutis singularis, sibi di-
99. xisse, hunc casum se dum esset Romæ tempore Pij V. motum sancto zelo suam Sanctitatem bonæ memoriæ Pium V. consuluisse, ipsumque informando de ingredientibus hanc potionem, habuisse responsum; *Potus non frangit ieiunium.* Testatur insuper prædictus D. Luxan pro certo habere (vt pote dimanans à Summo Pontifice) quod potio Chocolatica non frangit ieiunium, &c. Ita habuisse illam declarationem, vt viuæ vocis oraculum, quasi missum fuisset ab aliquo Eminentissimo Cardinali: cum prædictus P. Hieronymus de S. Vincentio vir fuerit authoritatis
100. maximæ, & sanctitatis eximiæ. Hæc summatim Pater Luxan, quam declarationem fecit die 23. Martij 1619.

Ex qua veridica relatione Ego argumentor. Quia quando Pontifex aliquis interrogatur in
101. dubio, aut formidine quam habent fideles circa aliquod præceptum, & legem Ecclesiasticam responsio Pontificia facit declarationem iuridicam, vt notat Panormitanus *cap.* 5. *num.* 18. *de Postulat. Prælatorum.* & *cap. Dilecti filij num.* 9. *de arbitriis.* Vnde Cardinalis Paleotus *de sacri Consistorij consultationibus part.* 5. *quæst.* 4. dixit, *quod Summi Pontificis iudicium proxima est humanarum actionum regula.* Cumque de quæstione præsenti iu-
102. dicium suum interposuerit Summus Pontifex, ad interrogationem factam respondendo, quod hic potus de quo erat interrogatus non frangit ieiunium, eius iudicium regula erit nostræ ambiguitatis, & formidinis, vt tuto possimus, & secure potione ista vti absque fractione ieiunij.

Quamuis enim Couarruuias *in* 4. *decretalium. part.* 2. *cap.* 7. §. 3. *num.* 5. & Canus *de locis lib.* 6. *cap.* 8. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 14 *num.* 4.
103. Suarez *lib* 4 *de legib. cap.* 14. *num.* 6. & alij dicant quod responsum Principis in occasione alicuius dubij, & controuersiæ inter priuatos, explicans legem vniuersalem, tunc habet vim iuridicam, quando Princeps vult quod pro omnibus detur, legem vniuersaliter interpretando. Secus quando non vult, quod sua interpretatio sit vniuersalis, & necessaria. Hoc, inquam, non obstat, quia licet verum teneat hæc doctrina quando interpretatio habet vim legis obligatoriam quæ ex intentione legislatoris dependet, & secundum
104. eam extenditur, vel coarctatur: non tamen quando est declaratio deobligatoria, qualis est præsens. Qua declaratur quid frangat ieiunium Ecclesiasticum, & Pontifex decernit Chocolatum non frangere. Quæ declaratio etiam si esset vt Doctoris particularis, sufficiens esset ad nostrum intentum, præcipue cum non solum, vt particularis Doctor, sed vt Pontifex fuit interrogatus, & vt talis debuit respondere.

Accedit id quod Pater Manrrique *in suo tract.*
105. dicit, cuius verba sunt: *Aesto añado lo que el P. Diego de Sosa Visitador de nuestra Compañia en Mexico, me dize, y es, que el Padre Nicolas de Anaya que vino por Procurador de aquella Prouincia el año de* 1614. *preguntò esta difficultad en Roma a nuestro S. P. Paulo Quinto; el qual le mãdo que en su presencia hiziesse vna bebida del, y hecha con la masa del Chocolate, y açucar, dixo su Santidad: Hoc non frangit ieiunium. Y el P. Anaya Lleno esta declaracion à su Prouincial de Mexico, y los Padres graues della se lo dixeron al P. Diego*

de Soſa ſu Viſitador por coſa cierta è indubitada.
106. Hactenus ibi. Et quidem hoc ſufficere conſtat, quia qui hac potione vtitur, poſt famam huius declarationis quamuis ipſe non viderit, habet ſcientiam ſufficientem, vt licite operetur cum ſcire quis præſumatur quæ notoria ſunt, & publica. *cnp. Ad hæc 2. de Poſtulatione Prælatorum*, & docent Surdus *deciſ.265. num.59.* publica enim vox, & fama inducit ſcientiam. Ludouicus de Peruſia *deciſ.* 103. *num.*12. Maſcardus *de Probation.con.*1200.*num.*2. Menochius *de arbitris caſu* 186. *num.* 8. quos citat, & ſequitur Barboſa *collect.ad præfatum cap. Ad hæc.*

Quare huic ſententiæ noſtræ è Societate Ieſu
107. adhæſerunt ſubſcribentes, & approbantes tractatum præfatum die 3. Iunij anno 1630. P. Ludocus Ramirez eodem anno, die 21. Maij P. Chriſtophorus Ruyz die 5. Iunij. P. Marcus del Caſtillo & die 7. P. Ferdinandus de los Rios.die 11. P.Didacus Tello, & die 30. Maij ann.1631. P.Ildephonſus Fernandez de Cordoua omnes viri docti, & valde eruditi, vt eſt fama publica in hoc Hiſpalenſi theatro.

Ex quibus efficacia rationis poſitæ clarius elucet, quæ duplex habet motiuum. Primum quia
108. à tempore Pij Quinti, & Gregorij XIII. introductus eſt vſus probabilis opinionis, cuius probabilitas in dies vires reſumit, & incrementum. Quod ſi quis titulo vſus opinionis probabilis,non velit hac potione vti, vtatur, ſi velit titulo declarationis Pontificiæ. Quod ſi hoc contentus non ſit vtatur titulo conſuetudinis derogantis. Ad quam conſuetudinem introducendam ſufficit longæuus vſus opinionis probabilis. Cuius ratio
109. eſt. Quia licet conſuetudo obligatoria vſus opinionis probabilis temporis immemorabilis non introducatur; quia obligare non poteſt ad mortale eo ipſo quod altera opinio probabilis relinquatur; tamen conſuetudo derogatoria introduci poteſt per vſum opinionis probabilis. Quæ eo ipſo quod probabilis ſit deobligat ab obſeruantia legis: cum poſſit quis illi opinioni ſe conformare ſemper quod Princeps contrarium non declaret. Cuius declaratione adueniente, cum opinio
110. iſta non eſt practice probabilis, & conſuetudo etiam introducta, ceſſat.

Ex quo colligitur quod cum probabilitas huius opinionis non ſolum fundetur in conſuetudine (hæc enim poterat eſſe in India, & non in Hiſpania, vt expreſſe habetur *cap. conſuetudinis* 4.
111. *diſtin.* 9. iuncta Gloſſa, *verbo vincat*) ſed etiam fundatur in natura, & inſtitutione huiuſmodi potionis, quæ per modum potus introducta eſt, & quod magis eſt in declaratione Pontificum. Et ſic eius probabilitas non ſolum extendi debet ad nouum orbem; ſed etiam ad vniuerſum. Etenim Pontifex non ſolum declarauit Chocolatum non frangere ieiunium in Indiarum regionibus; ſed legem vniuerſalem ieiunij declarauit, non frangi per hunc potum: ergo vbique terrarum non frangit.

CAPVT VI.

Eadem ſententia aliis rationibus fulcitur.

PRIMA ſit, quia in omnibus ferè mundi 112.
regionibus introductus eſt aliquis potus, qui vere potus ab ipſis reputatur, confectus ex aliquibus comeſtibilibus liquidatis, & aptis ad potandum. Sic in Hiſpania introducta Aloxa, antiquis Romanis, Mulſum Flandris cereuizia; Cantabris Zidra, & ſimilia aliis Regionibus, tam noui orbis, quam antiqui. Iſti enim potus communi vſu non ſumuntur loco manducationis, & refectionis, vt ex vſu illarum Regionum conſtat; ſed communi vſu loquendi apud peritos, & doctos potus dicuntur. Quamuis enim multi iſtorum, introducti ſint à Gentilibus, & Idololatris non obſtat. Quia iſti naturali ducti 113.
lumine diſtinguunt inter cibum, & potum. Et ſuppoſita hac diſtinctione Catholici ſumimus potum, & ſecundum principia Theologica dicimus potum, etſi gentilicum non frangere ieiunium. Deinde quod Sacerdotes Gentiles in ſuis ieiuniis abſtineant à Chocolato, non obeſt,quia etiam abſtinebant à vino,quod faciebant ad rigo- 114.
roſius ieiunandum; qui rigor non eſt de ſubſtantia præcepti noſtri.

Secunda ratio ſit quia vt Doctores cum Gloſſa ciuili *l. vnica verbo ſponſum C. de raptu virgin.*& cum Gloſſa Decreti *ad cap. denique verbo aliqui* notant, *ex quo vnum conceditur omnia ſimilia intelliguntur eſſe conceſſa.* Ex quo principio plura, vt aſſolet,colligit Thomas Sanchez *lib.9. de Matrim. diſp.*14.*num.*16. cum multis aliis quos citat. Vnde *in cap. denique citato* B. Gregorius ſcribens Auguſtino Anglorum Epiſcopo dicit: *Vinum quoque ita bibere permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus; alioqui reſtat vt omnia quæ corpori libent ſimiliter faciamus.* Etenim argumentum à 115.
paritate rationis, quando non agitur de præiudicio tertij, magni ponderis eſt. Sic enim S.Gregorius citatur, & refertur, *cap. ad eius* 4. *diſt.5. §. ſic igitur*, dicit *quod mulieri menſtruata patienti, licitum eſt Eccleſiam intrare: ſicut mulieri quæ fluxum ſanguinis patiebatur licuit fimbriam Sal-* 116.
uatoris attingere. Cum ergo in prædicto *cap. denique* permittatur vinum, etiam aliæ potiones ſimiliter permittentur. Et quidem quantum ad nntritionem corporis vino ſimillimam eſſe potionem Chocolaticam, ſatis liquet.

De quibus Iacobus Dalecampius *in annotat. ad Plinium lib. 22. cap. vltimo littera 55.* ſic loquitur ſatis eruditè; *Sabaca in Illyrico ex hordeo & tritico in liquorem verſo, potio vilis. Marcellinus lib.26.à quo Valens Imperator in obſidione Chalcedonis Sabacarius per ludibrium vocatus eſt. Parabia apud Peonas. Curbi apud Barbaros quoſdam Alabritanos. Pinos Ariſtoteli, vel à bibendo, vel à ſortibus Zithi meminerunt. Galenus lib. 6. ſimplicium Comment. in lib. Ariſtot. de Ægineta. Suidas,& Diodorus,Strabo lib.17. Iſidorus Zereuiziam dictam putant à Cerere. Ceriam Hiſpanicum eſſe vocabulum, niſi à cereo colore nomen impoſitum credamus, celi am* (de qua nos infrà) *à ca-* 117.
lefaciendo Iſidorus nuncupatam cenſet. Eius meminit Florus apud Iuriſconſultos l.8. D. de tritico, 118.
vino,

vino, & oleo legatis. In quibuſdam Prouinciis Zitum fieri ex tritico, vel hordeo, vel panico, non vt vulgo legunt pane.

Tertia ratio ſit. Saccharum durum, & mel ſolum ſi ſint in magna quantitate ſoluunt ieiunium, & tamen liquefacta vino non frangunt. Quia
119. dantur per modum potus, & reipſa ſunt potus eſſentialiter: ergo idem dicendum de Chocolato. Conſequentia videtur manifeſta, & maior certa; minor etiam ab aduerſariis conceditur.

Sed reſpondet Pinellus reddendo diſparitatem *p.2. fundam.4. §.11. à num.4. fol.69.* Quod tam ſaccharum, quam mel, ſunt ex natura ſua liquo-
120. res, quamuis per accidens indurentur; ſed aqua diluta mutantur in ſuam naturam liquoris, & ſic non frangunt ieiunium, quia eſt per modum potus. Quem modum non habent quando indureſcunt, & ſic ſunt cibus, & frangunt ieiunium Eccleſiaſticum. Verum hæc ſolutio multa continet falſa. Primum eſt aſſerere quod ſaccharum, & mel ex natura ſua ſunt potabilia, quamuis ſint liquidum quid: non enim omne quod liquidum eſt inſtitutum eſt ad potandum, quamuis per accidens potari poſſit. Vt conſtat ex multis confectionibus confectis ex ſaccha-
121. ro, quæ non potantur, ſed pane manducantur: ſic eſt mel, & ſaccharum prout ex cannis contractū.

Secundum, quia etſi potabile ſit tamen in propria ſpecie ordinatum eſt ad comeſtionem, & ci-
122. bum, ſicut lac, quamuis liquidum, & potabile; tamen in ſua ſpecie eſt cibus per ſe, quia per ſe ſumitur ad nutriendum. Vnde ſicut iſtud frangit ieiunium, ita mel, & ſaccharum in ſuis propriis naturis liquidis.

Tertium, quia vt ſaccharum aqua dilutum, &
123. poſitum per modum potus, non frangat ieiunium (& idem eſt de melle) non eſt neceſſarium quod tam ſaccharum, quam mel ſubſtantialiter corrumpantur, & tranſeant ſubſtantialiter in naturam aquæ, aut vini; ſed ſat eſt, quod localiter miſceantur, & fiat potus; ſitaut maior ſit quantitas aquæ, vt ſic qualitas probabilitatis aquæ trahat ad ſe ſaccharum, & mel, & fiat vnus potus; tunc enim manducabilitas ſacchari, & mellis amittitur, idem etiam dicendum de Chocolato; huius enim manducabilitas amittitur, ſi mixtum ſit potabilitati aquæ quæ maior eſt, & vincit
124. manducabilitatem materiæ Chocolaticæ, & ſic ſubſtantialiter manet potus. Quod enim, vt dixi, ſæpius maneat materia Chocolatica, & non tranſeat in naturam aquæ ſubſtantialem nimis per accidens eſt. Sat enim eſt quod non maneat in quantum comeſtibilis, ſed tranſeat in naturam aquæ, in quantum eſt per ſe potabilis. Et tunc tranſit hoc modo quando ſunt tres partes aquæ, & duæ materiæ Chocolaticæ, magis minuſve.

Quod etiam hæc materia nutriat, nimis eſt
125. etiam per accidens; quod non attenditur, ſicut in mulſo conſtat, in quo mel poſitum, & vinum vtrumque nutrit. De vino etiam dicit Hipocrates *lib.2. ſent. famem, vini potio ſoluit.* & vt Galenus ait *lib.3. de victus ratione com.4. vini duplum minus alit, quam mellis ſimplum:* ergo ſi fiat potius ex octo duplo vini, & quatuor, vel tribus mellis, ſimplex fiet potus, maximè nutritiuus: & tamen non frangeret ieiunium. Quia manduca-
126. bilitas mellis vincitur à potabilitate vini, & fit vnus potus per ſe: ergo idem de Chocolato dicendum erit.

CAPVT VII.

Eadem ſententia adſtruitur ex fundamentorum contrariæ ſolutione.

SED ſi ex præiactis ſolidis fundamentis, facillimo negotio contraria euerti poſſint: tamen vt ſoliditas noſtræ ſententiæ magis appareat, & luceſcat, aliquas contrariæ ſententiæ obiectiones proponere decreui. Prima ſit ab Authoritate, quam latè proponit Pinellus *fol. 20. n. 4.* vbi adducit Fagundez *in 4. Eccl. præceptum lib.1. cap.2. num.46.* Sed hic Author loquitur de potu, qui in cibum pariter ſumitur; tum etiam quia ſi omni ex parte ſententia huius authoris ſequenda eſſet, mulſum ex vino, & melle, aut Saccharo confectum, frangeret ieiunium. Loquitur enim de poculis, quibus eſt cibus permixtus; vt iuſcula, quæ lac, vel ſaccharum, vel oua, vel farinam admixta habent; tum denique loquitur de iuſculis, Hiſpana *Potages*, ita enim ex ſua inſtitutione non bibuntur, ſed ſorbentur, & non ſedant ſitim, ſed nutriunt, ex ſua inſtitutione. Vt liquet 128.
in amitto vulgo *Almidon*, & pultis vulgo *puchas ò poleadas*, & aliis ſimilibus. 127.

Proſequitur Pinellus *pag. 93. num. 16.* hoc argumentum ab authoritate, citans pro ſua ſententia Doctorem Fernandum Arias in lectura quam publicè ſuis Auditoribus dedit Salmanticæ *ad cap. quadrageſſima de conſecrat. diſt.5.* vbi loquens de opinione affirmatiua quod frangat ieiunium potio Chocolatica, dicit, *Hanc ſententiam non ſolum veriſſimam, ſed contrariam omnino improbabilem eſſe arbitror.* Pro qua ſententia citat Magiſtros Franciſcum Cornejo, Franciſcum de Arauxo ambos Primarios Sacræ Theologiæ, Martinum 129.
de Bonilla Primarium Pontificium, Bernardinum Rodriguez Sacræ Bibliæ Interpretem, qui dicit ſic ſenſiſſe Baſilium Legionenſem; quos omnes dicit à ſe fuiſſe ſerio conſultos de hac quæſtione.

Sed in primis, cenſura quam hic Doctor noſtræ ſententiæ adhibet, prorſus improbabilis eſt: 130.
nam dicere improbabilem eam opinionem quæ tot fundamenta habet, tot Patronos, & defenſores, & quod amplius eſt declarationem Pontificiam, quam nullus cordatus dicit improbabilem, quando Religioſiſſimus Archiepiſcopus Padilla teſtatur ſe vidiſſe. Hanc, inquam, opinionem improbabilem dicere, prorſus improbabile eſt; vt omnes, nullo dempto, in materia de conſcientia, dum agunt de opinionum probabilitate, di- 131.
cunt. Aſſerentes opinionum probabilitatem ſumi ex fundamentis, & rationibus, & authoritatis pondere. Quæ omnia in hac opinione exiſtere quis eſt qui non videat?

Deinde Doctor Bonilla, Doctor Sanchez Randoli conformant ſe Reſolutioni factæ à Doctore Hontiberos, Cathedræ Decreti Regente. Hic 132.
enim affirmat potionem Catholicam frangere ieiunium dicens: *Aunque algunas refieren, y han impreſſo que ay declaracion Pontificia, y vn viua vocis Oraculo, que no quebranta el ayuno, no nos conſta haſta aora del, ni tengo por cierto le aya.* Et in hoc ſolum fundantur hi Doctores, ſicut & tres Magiſtri Societatis, Nobiliſſimus, & Doctiſſimus P. Petrus Pimentel, Thomas Ruyz, & Ioan-

nes Martinez. Quia videlicet non extat talis de-
133. claratio Pontificia, & ſic Chocolatum non potum per ſe, ſed cibum per ſe eſſe, quamuis habeat modum potus.

Sed miror huiuſmodi ſapientiſſimos viros, claudere intelligentiæ oculos ad veritatem con-
134. ſpeciendam, quam dixit eſſe Illuſtriſſimus Padilla. Iſte enim teſtis omni exceptione maior, omnique affectu erga hanc potionem ſemoto, affirmat ſe vidiſſe hanc Pontificiam declarationem. Cui ergo dubitare licet, ſi cordatus ſit, hanc declarationem non eſſe? Ego quidem (& odio proſequor Chocolatum, rariſſimè enim, etiam intra tempus quadrageſimæ ipſum bibo) nullum dubium habeo, praxim dictam impedire exiſtentia, vel non exiſtentia huiuſmodi declarationis Pontificiæ.

In eadem conformitate loquuntur Magiſter
135. Arauxo, Magiſter Fr. Bernardinus, D. Altamiranus. Supponentes cum aliis non eſſe huiuſmodi declarationem. Quare non eſt audiendus Fr. Leander Murcia, quem refert Pinellus, dum aſſerit non poſſe nos aſſentiri probabiliter, quod ſit talis declaratio Pontificia; ſi enim vnicus Doctor facit opinionem probabilem, ſi claſſicus ſit (vt ſentiunt omnes in materia de conſcientia) vnicus teſtis ocularis non erit ſufficiens ad formandum iudicium probabile de exiſtentia huius
136. declarationis? Præcipuè quando nullus teſtis ocularis de contrario producitur. Etenim vnicus ocularis teſtis quando agitur de peccato vitando facit plenam probationem, vt multis citatis docet Farinacius *de teſtib. quæſt.*63. *num.*48. idem docet *num.*26. quando non agitur de alicuius præiudicio, vt quod aliquis ſit Baptizatus, quod Eccleſia ſit conſecrata, pro qua ſententia plures etiam refert, legatur *num.*28.

137. Sed ſapientiſſimus P. Franciſcus Cornejo, Magiſtrorum Magiſter, in Salmanticenſi Schola ſic fatur, vt refert Pinellus, *Conformome con eſte paracer por la authoridad de los Señores Doctores, y Maeſtros que le han firmado; attento que yo no he podido aueriguar que es lo que ſolamente pide el Chocolate, para auerſe de tomar ſin mezclar coſas eſtrañas.* Hæc ille. Quibus manifeſtè docet noſtram ſententiam per principia intrinſeca, quamuis per extrinſeca adhæreat contrariæ dicens: *Confirma con eſte parecer*, &c. Quod enim per principia intrinſeca nobiſcum ſentiat, euidens eſt, ſiquidem dicit, *No he podido aueriguar que es lo que ſolamente pide el Chocolate para hauerſe de tomar, ſin mezclar coſas eſtrañas:* atque ita ſen-
138. tit Chocolatum purum ſicut inſtitutum eſt primordialiter ab Inuentoribus, eſſe potum, ſi ſine ingredientibus extraneis ſumatur. Quare *Cacao*, ſaccharum, piper, cinnamomum, aniſum, quæ ſunt intrinſeca ingredientia, ſi fiant potus, ex ſententia huius Magiſtri, non ſoluent ieiunium.

Obiicit ſecundò Pinellus *à fol.*72. *num.*5. pro-
139. bans non eſſe legitimam conſuetudinem introductam. Quia ad conſuetudinem legitimè introducendam, quatuor requiruntur, vſus, conſenſus, tempus, & ratio. Et nihil horum, circa ſumendam potionem Chocolaticam concurrit, non inuenitur vſus, qui eſt conſuetudo de facto, ſi quidem nullus fidelis Chocolatum ſumit ſine aliquo prætextu, aut quia proficuus eſt, aut quia indigeat, aut quia eſt parua materia. Tamen nullus dicit quod eſt potus per ſe, & quod toties quoties poteſt ſumi. Sed Reſpondetur quod etiam Authores noſtræ ſententiæ, & ego etiam affirmo quod licet ſit potus per ſe, tamen ſi pluries ſumatur, etſi non tranſgrediatur præceptum Eccleſiaſticum de ie-
140. iunio; tamen tranſgredi poteſt præceptum naturale temperantiæ. Deinde continua potio Chocolati, & vini poteſt minuere, etſi ſit exceſſiua minuit, imo abſumit meritum ieiunij. Et ob hoc non laxant habenas vt Chocolatum bibatur toties quoties, ſicut aqua, aut vinum.

Conſenſus etiam deficit. Qui conſenſus debet 141.
eſſe populi, aut maioris partis, inquit Pinellus *num.*4. ſed quidquid ſit de legibus ciuilibus quod alibi diſputo; de legibus Pontificiis, & Eccleſiaſticis conſenſus legalis Pontificis ſufficit ad introducendam conſuetudinem, vt *ſupr. cap.*4. dicebam ex certa, & indubitata Theologorum ſententia. Et 142.
hic conſenſus, ſi Perſonalis ſit, & declaratorius, nullus alius conſenſus Populi requiritur, vt licita ſit conſuetudo. Quod enim multi dubitent an frangat ieiunium, eſt dubium ſpeculatiuum; quod compatitur cum iudicio certo practico, vt dicunt omnes quos citaui agens de ſubdito dubitante. Vellent etiam iſti quod euidenter omnibus conſtaret Pontificem vel diſpenſaſſe, vel declaraſſe huiuſmodi potionem non frangere ieiunium. Quod Summi Pontifices id expreſsè ſumma prudentia non declarant amplius, ne habenas laxent 143.
ieiuniorum, ſed relinquitur ſub opinione. Sicut in multis aliis opinionibus attinentibus ad præcepta Eccleſiaſtica, tam ieiunij, quam aliarum rerum.

Ratio etiam deficit, quæ requiritur vt conſuetudo introducatur. Debet enim eſſe rationabilis, vt determinatur *cap. finali de conſuetudine.* Et ibi omnes Canoniſtæ. Hanc autem latè (ſed non nimis ad rem) non eſſe probat Pinellus *à num.*17. 144.
vſque ad 13. Quibus vnico verbo reſpondeo, rationem ſufficientem ad introducendam hanc conſuetudinem eſſe quod quis iudicet Chocolatum per ſe eſſe potum, quod iudicium fundatum eſt in declaratione Pontificis exiſtimata probabiliter, & iſta fundatur in primaria inſtitutione huius potus. Tum etiam quia quando eſt dubium an aliquod ſit caro, aut piſcis, vt de tortugine, nutria, & ſimilibus, quæ iam degunt aqua, iam terra, habitantia vtrumque elementum, poteſt conſuetudine 145.
introduci, quod tempore ieiunij comedantur, vt docet Fagundez *vbi ſupr. num.*9. ergo etiam conſuetudine introduci poteſt, quod Chocolatum non frangat, ſi eſt dubium an ſit cibus, vel potus. Legantur circa hanc conditionem conſuetudinis, quod ſcilicet, ſit rationabilis, Medina Complutenſis *cap. de ieiunio q.*8. Reginaldus *lib.*4. *cap.*22. 146.
*ſect.*3. *num.*134. qui aſſerunt *quod licet ad inducendam obligationem conſuetudo debeat eſſe rationabilis, & iuſta ſicut ipſa lex cui aquiparatur: tamen ad tollendam prioris legis obligationem non eſſe opus vt ſit rationabilis ſed ſatis eſt ſi per tantum tempus inducta, obſeruataque ſit, vt perueniat ad notitiam ſuperiorum, qui eam ſcientes non contradicunt.* Hæc Reginaldus. Quæ ſatis deſeruiunt inſtituto noſtro, colliguntur que ſatis manifeſte, ex cap. Denique *diſt.*4.

Tertiò obiicitur ex Pinello *fundam.*1. *pag.*16. 147.
quod eſſe validiſſimum argumentum dicit Diana 4. *p. tract.*4. *reſol.*194. Quia potus per ſe deſeruit ad alterationem, vel refrigerationem, vel ad deiiciendum cibum in ventriculi alimentum, ſanguiniſque diſtributionem, & non ad nutriendum corpus: ſed potio Chocolatica per ſe, & principa-

liter

liter ordinatur ad nutriendum corpus, cum sit multum nutritiua, vnde non sumitur nisi mane, & sero quando digestione facta stomachus indiget nouo cibo: ergo ex natura sua hæc potio ieiunium frangit.

148. Respondetur quod hæc obiectio ex dictis *cap. 4. & 5.* satis dissoluta manet, sed quia ea maximè nituntur contrarij, non pigebit iterum soluere. Dico igitur aliquem potum ex natura sua institutum ad potandum, esse nutritiuum, non sat esse vt frangat ieiunium. Quia sua institutio ipsum quatenus nutritiuum non respexit; sed quatenus potum delectabilem salutiferum, deiicientem cibum in ventriculum refrigeratiuum per se, distribuentem

149. sanguinem ad cætera corporis membra. Quæ omnia habet Chocolate, quod sitim extinguit, etiam si calidus sumatur (est enim sitis *appetitus frigidi, & humidi*) quem appetitum intrinsecè satiat, potio ista: est enim *Cacao* frigidus ab intrinseco, similiter & aqua humida, & radicaliter fri-

150. gida, quod enim calida sit accidentaliter, non obest quod sitim extinguat. A qua enim calida pro delicatissimo potu, & maximè sitis extinctiuo antiqui vtebantur. Vt D. Idelfonsus Ramierz demonstrat in suo *tract. de aqua calida, satis erudito.* Quare cum aquæ competant ea officia quæ potui tribuimus, non officit quod ea exerceat, etiam si habeat mixturam Chocolati, licet ea officia temperate exerceat, & maximè si Chocolatum frigidum sit. Calor enim, vel frigus rationem potus essentialiter non variat, sicut neque quod nutritiuus sit, dummodo non intendatur nutritio; sicut de mulso supra dicebamus.

Huc veniunt verba doctissimi Reginaldi *in*

151. *Prax. lib. 4. cap. 14. dub. 4. num. 173.* loquentis de electuariis. *Quamuis*, inquit, *electuarium cibus quidam sit, & aliquomodo nutriat, communiter tamen non sumitur ad nutritionem, sed solum ad bonam compositionem stomachi quem confortat, & disponit ad digestionem. Vnde talis sumptio non est fractio ieiunij, cum non sit sumptio cibi. Sicut nec sumptio vini, aut Zereuiziæ, quæ censetur refectio corporis prohibita præcepto ieiunij.* Hæc ibi.

Sed inquires: Quid apud Antiquos nomine

152. electuarij intelligatur? Respondeo cum Abulense *in cap. 6. Matth q. 169. Vocatur electuarium quæcumque confectio facta, qua homines solent vti quando bibunt; & tales confectiones sunt regulariter de rebus delicatis, & parum nutritiuis, & ideo ieiunium frangere non videntur.* Hæc Tostatus. Addo ego Chocolatum ipsum, ratione præcipuæ materiæ quam includit quæ dicitur *Cacao*, non esse nimis nutritiuum, sed ratione specierum quas includit esse confortatiui, stomachi, & sic non ex-

153. tinguit famem, sed dissimulat, cum stomachus cõfortatus spiritibus specierum, temperatis frigiditate fructus, & sacchari non sentit famem, sicut facit in potione vini generosi, vt notant Medici sapientissimi Augenius *tom. 3. Epistolar. Medic. lib. 9 cap. 17.* Valles. *de Sacra Philosoph. cap. 27.* Vnde Marsilius Ficinus *de studiosorum sanitate tuenda cap. 18. Odorem vini*, inquit, *ante omnes eli-*

154. *gite, multum namque nutrit spiritum odor exhalans in natura, tam plurimum, & velociter nutriente corpus* &c. Itaque sicut vinum vitalem partem nutrit per se, non animalem: ita potus Chocolaticus, si sumatur ea ratione, qua institutus est per modum potus, nutrit quidem partem vitalem, spiritus vitales conuenientes generans, & facile se in sanguinem conuertendo, sicut vinum: non tamen nutrit multum partem animalem, cuius nutrimentum per se solum soluit ieiunium.

Et hoc est quod dicunt S. Thom. & alij supra citati *cap. 2.* quod Ecclesia solum prohibet sumptionem secundam ciborum, qui communi vsu cibi dicuntur. Cibus autem per se ordinatur ad refectionem partis animalis, in qua proprie est fames; vitalis enim pars proprie famem non patitur, licet huius defectio maxime iuuet, vt pars animalis famem non sentiat. Sicut non sentiunt illi qui vinum, aut potionem Chocolaticam sumunt, non quia multum per eam proprie nutriantur. 155.

De hac enim nutritione vitali ego intelligo 156.
Berchorium quando *lib. 3. Reductorij cap. 16.* dicit: *Potus sua subtilitate, ad remotiores Corporis partes potest transire, & ideo magis nutrit quam cibus, qui propter suam grossitiem, nequit per venas subito penetrare.* Hæc ille. Vnde egregie Clemens Alexand. *lib. 1. Pædag. cap. 6.* parum ante finem: *Potus vocatur humidum nutrimentum: potest autem res eadem esse, & cibus si aliquomodo consideretur, & potus si alio, & alio modo consideretur.* Vnde S. Isidorus *lib. 20. Origin. cap. 2.* 157.
agit de origine escarum, & ciborum, inter quæ *pulmentum* à *pulte*, quæ dicitur Hispane *Poleades*, & est cibus antiquissimus. Ponit etiam *ius*, & *lac*, & *mel*, & alia huiusmodi *cap. 3.* agit de origine potus, inter quos ponit *conditum*, eo quod non sit simplex, sed commistione pigmentorum compositum. Ponit *mulsum*, *œnomelum*, *saccharum*. Et est liquor aquæ fœci vini admixtus. *Celiam quæ est potio ex succo tritici, per artem confecta, suscitatur enim igne, illa vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur. Quo fermentato sapor austeritatis, & calore ebrietatis adiicitur quæ fit in his partibus Hispaniæ cuius ferax vini locus non est.* Hæc D. Isidorus. Quæ potio 158.
similis est Chocolato, quod ex farinæ *Cacao*, & aliis conficitur. At *celiam* non frangere ieiunium illis temporibus, manifestum est, siquidem loco vini sumebatur. De *Celia* mentionem facit Ambros. Calepinus, dicens, *quod erat potus ex frugibus confectus qui Hispanis præcipue in vsu erat, sicut Cereuizia Gallis.*

CAPVT VIII.

Eadem sententia probabilis ostenditur ex ratione paruitatis materiæ.

ANTONIVS Pinellus *in quæst. sæpius citat. num. 5. part. 3.* Hanc conclusionem: *El Chocolate, como otro qualquier manjar, ò comida por la paruidad de la materia bebido, ò comido en dia de ayuno, sin ingredientes estraños en poca cantidad, y con moderacion, no le quebranta, ni es pecado, si se haze con causa; ni sin ella es mas de venial.* Quod enim paruitas materiæ in multis Ecclesiæ Præceptis à mortali excuset, clarius est, quam vt luce indigeat; conueniunt enim quotquot scripsere Doctores. 159

Prædictus tamen Pinellus accedens *num. 17.* ad 161.
taxandam quantitatem paruam dicit quod quar-

ta pars refectiunculæ nocturnæ, qua quis poteſt vti in diebus ieiunij. Quæ autem ſit quantitas huius refectiunculæ, ſic loquitur: *En eſto ay ſeis opiniones. La primera de Iacobo de Graffis 1.part. deciſ.lib.2 cap.37.num.29. que la limita a tres onças. La ſegunda de Victorello in notis ad Nauarrum in Manuali cap.21.num.3. Y Homobono in exam.Eccleſ.1.part.tract.6. cap.20.quæſt.9. quæſt. 9. que la alargan a quatro. La tercera de Villalobos tom.2. tract.23. difficult.6. n.4. la alarga a ſeis.*

162. *Le quarta de Fagundez vbi ſupr. cap.4. num.13. & 19. la alarga a ocho. La quinta de Reginaldo tom.1.lib.4 cap.14. num.* 185. Layman *lib.4.tract. 8.cap.5.num.9.*Filliucio *tom.2.tract.22.part.2.c.3. quæſt.7.num.33. que la conſtituyen la quarta parte de la cena ordinaria del que ayuna. La ſexta es de Leſſio lib.4.de iuſt. cap.2. dub.2. num.1.* Bonacina *diſput.vlt.de legibus quæſt.5.punct.3. num.2.que lo remiten a la coſtumbre de cada Prouincia, ſegun*

163. *la guardan hombres cuerdos, y tymorados. Qualquiera opinion deſtas eſprobable.* Hæc ibi.

Cæterum Pinellus opinionem ſex vnciarum eligit, & dicit quod paruitas materiæ erit vncia cum dimidia paſtæ Chocolati. *& num.20.* con-

164. cludit: *Proda ſe beuer la quarta parte de vna xicara ordinaria, y a lo mes la tercera parte, ſi conſideran los ſimples, que es modo nemos engañoſo, y ſe podra echar media onça de paſta, açucar neceſſario, con la cantidad de agua que cada vno quiſiere.* Hæc ibi.

165. Ex quibus ego ſumo validum argumentum ad hominem. Quarta pars cœnæ ordinariæ eſt probabile quod ſit materia refectiunculæ, & quarta pars huius eſt parua materia reſpectu fractionis ieiunij: ergo ſi iſta quis ſumat in potione Chocolatica probabile eſt quod non frangat mortaliter ieiunium,

166. Secundò. in ſua ſententia vncia cum dimidia paſtæ eſt paruitas materiæ. ergo ſi addantur duæ vnciæ ſacchari in aqua ſufficienti,vt aqua in ſuum priſtinum ſtatum liquoris conuertatur; vt ſic enim in ſententia huius Authoris, ſaccharum aqua dilutum non frangit. Ex tribus autem vnciis cum dimidia Chocolati, & ſacchari, fiet vnum vas huius potionis, quæ non frangit mortaliter ieiunium. Dicere autem quod paſta Chocolati detineat,ne ſaccharum liquidetur,& in priſtinum conuertatur liquorem valde ridiculum eſt: poſſet enim quis prius liquidare ſaccharum aqua, & poſt immittere paſtam Chocholati.

CONSILIVM.

Eruditiſſimi, & ſapientiſſimi Don. Martini de Azpilcueta Nauarro approbantis potum de Chocolate non frangere ieiunium Eccleſiaſticum.

SVppoſito quod in aliquibus partibus Indiarum, de more habeant potum conficere, ex ſubſtantia frumenti terræ illius, vulgariter nuncupati *Maiz*, quæ quidem frumento molito mittitur in aquam, quæ colata ſicut aqua, quam noſtrates exprimunt ex amygdalis, ad condiendum obrizum; & inſuper huic aquæ vt dulcior, & ſuauior ſit ſuper additur ſpuma quæ fit ex maſſa facta ex quibuſdam granis, quæ vulgo dicuntur *Cacao*, qui potus videtur afficere ſtomachum, etiam ieiunum, & naturales terræ illius cum ſola frequentatione iſtius potus laborare conſueſcunt, ſine eo quod ſumant alium cibum vſque ad noctem. Dubitatur an ab his quì tenentur ieiunare ex præcepto Eccleſiæ, ſeu alias, poſſit ante, & poſt prandium ſumi dictus potus, ſine fractione ieiunij Eccleſiæ? Item & ſimile dubium. Itinerantes conſueſcunt miſcere aquam cum puluere, vel farina facta ex dicto frumento de *Maiz* ex his dictis granis, quæ vulgariter *Cacao pinol.*

Reſpondeo quod per huiuſmodi potum non frangitur ieiunium ſtatutum ab Eccleſia quod appellatur *ieiunium ieiunantis*, quià tale ieiunium ſolum inducit neceſſitatem abſtinendi ab eſu, amplius quam ſemel in die, & non à potu, vt tradit D. Thom. receptus 2.2. quæſt.147.art.6. in corpor. quæſtionis, & ad 2. & aqua confecta modo prædicto, & propoſito eſt potus, & habetur ab omnibus pro potu: ergo non eſt illa interdicta in die ieiunij, tum quia in Germania, Belgio-Gallia,& aliis multis Chriſtiani orbis regionibus vtuntur Chriſtiani cereuizia in die ieiunij, quæ eodem ferme modo componitur,quæ poſita aqua perinde ac in eiſdem, & in aliis vino mero, tum quia vinum, præſertim generoſum, longè magis nutrit, quam poſita aqua de Chilate, vt ſatis colligitur ex D. Thom. vt ſupra, & conſtat experientia. Attamen quia ſumitur vt potus, & potius ad alterandum, quam ad nutriendum, non interdicitur huius vſus in die ieiunij: ergo nec à fortiori vſus aquæ prædictæ, quæ ſumitur vt potus ad alterandum potius, quam ad nutriendum.

Nec obſtat, quod ait, quod Indi aliquando à manè vſque ad noctem laborantes ſuſtentantur potu illo de Chilate; quia multi ſolo vino etiam ſuſtentantur, iter facientes. Tum quia ſatis eſt propoſito noſtro, quod Eccleſia non interdicat potum, ſed eſum, & quod propoſita aqua habetur pro potu in illis regionibus Indiarum, ſicut vinum, & cereuizia multorum generum in toto Orbe Chriſtiano. Quod longè magis nutrit quam præpoſita aqua. Salua quæ iuſtior fuerit ſententia.

Martinus Doctor Azpilcueta Nauarrus

APPENDIX AD PRÆCEDENTEM TRACTATVM.

TRACTATVM præcedentem, An potus *del Chocolate* frangat ieiunium Eccleſiæ, quem meis auditoribus dictaui Hiſpali *anno* 1639. qui typis iuſſus eſt eodem anno, me inconſulto, poſteaque aliquoties latinè recuſus fuit, ego vulgari ſermone, perſuaſu illuſtrium perſonarum cudi curaui ſimul cum alio Tractatu *del Tabaco*, an frangat ieiunium naturale, quem traductum latino idiomate impreſſum habeo in hoc Tomo. Præcedens, inquam, Tractatus in quo opinionem ſatis plauſibilem conſtitui aliquibus noſtris non placuit, eamque dente canino lacerare curarunt, & excludi, ſed minus fœlici marte. Et quid mirum? cum non librarint negotium lance fideli, & iuſta ſed zelo minus diſcreto ducti, amaro animo ponderarunt fundamenta, & rationum momenta, quibus probabilem eſſe oſtendi opinionem negatiuam; quid tamen valeant ea quæ obiiciunt iam ſubiungo.

CAPVT I.

Vtrùm deroget pietati Chriſtianæ aſſere quod potio Chocolatica non frangat ieiunium.

SVMMARIVM.

1 *Multa obiiciuntur à R. P. F. Leandro de Murcia aduerſus opinionem Auctoris.*
2 *Eiuſdem de Murcia verba referuntur.*
3 *Non quidquid opponitur fini legis, opponitur pietati Chriſtianæ, ad quam ordinatur præceptum.*
4 *Illuſtratur exemplis hæc doctrina, & numer. ſeqq.*
9 *Ratio à priori, & num.* 10.
11 *Declaratur amplius, & num. ſeqq.*

1. R. P. Fr. Leander à Murcia *in expoſitione regulæ S. Franciſci quæſt.* 15. *ſuper cap.* 3. multa obiicit, me citato aduerſus meam opinionem dicens: *Eſta ſegunda ſententia* (videlicet quod potio iſta frangat) *la tengo por verdaderiſſima, y*
2. *la contraria deroga no ſolo al merecimiento del ayuno, ſino al fin que tuuo la Yglesia en inſtituirle, y por lo miſmo a la piedad Chriſtiana.* Verum in hoc Reuerendus Pater nimium exceſſit, & timore conſcientiæ perculſus, vt dici ſolet, *vmbram ſuam metuens*, moleſtè tulit opinionem, quæ practicè eſt nimium probabilis. Cum enim finis præcepti non cadat ſub præcepto, vt omnes dicunt, teſte Couarruuias *lib.* 4. *variar. cap.* 20. *num.* 11. ſecutus D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 94. *art.* 3. non quidquid opponitur fini legis opponitur pietati Chriſtianæ ad quam ordinatur præceptum. Nec opi-
3. nio quæ ſaluat actum à peccato eſt contra præceptum Eccleſiæ, quamuis non attendat finem legiſlatoris illico eſt contra pietatem Chriſtianam.

Quæ doctrina, vt pote veriſſima quam præfatus Pater non aduertit dum ſic locutus eſt, aliquibus exemplis eſt illuſtranda. Nec enim quidquid opponitur merito ieiunij, & carnis macerationi intentæ ab Eccleſia, opponitur pietati 4.
Chriſtianæ: certum enim eſt quod ſi quis in vnica comeſtione ventrem replet ea intentione vt difficultatem ieiunij non ſentiat, non opponitur præcepto Eccleſiæ, vt docent Baſſæus, & ipſe Capuccinus *in ſumm. verbo ieiunium* 1. *numer.* 6. Reginaldus *in praxi lib.* 4. *num.* 163. Medina *C. de teiunio quæſt.* 6.

Sit ſecundum exemplum, quod me quidem 5.
iudice manifeſtè oſtendit quam incautè locutus eſt Author iſte dicens opinionem iſtam meam *derogare pietati Chriſtianæ*, quia ipſa amittitur meritum ieiunij, & finis intentus. Etenim finis intentus ab Eccleſia in præcepto de recitando Horas Canonicas, & in audiendo Sacrum, eſt Clericorum deuotio, & Religionis meritum per cultum Deo delatum, atqui finis iſte ſine attentione interna, & cum voluntaria diſtractione non 6.
conſeqnitur, imo meritum religionis, & pietatis Deo debitæ amittitur; & tamen quia finis iſte non cadit ſub præcepto non peccat contra illud qui recitat officium etiam ſi internè voluntariè, & ex intentione diſtrahatur, nec tenetur reſtituere fructus Beneficij. Similiter ſi Sacrificio Miſſæ aſſiſtat, etiam ſi voluntarie diuagetur mente, ſatisfacit præcepto de ipſo audiendo, nec incurrit excommunicationem contra non audientes latam & diſtributionem tuto retinere poteſt, vt tenent Diana 1. *part. tract.* 2. *reſol.* 2. pro quo citat Durandum, Sylueſtrum, D. Antoninum, & alios antiquos, quos ex recentioribus ſequuntur Coninch 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. *num.* 291. & 301. Ioannes Valerus *verbo Horæ different.* 1. Card. Lugo 2. 2.

disp. 22. sect. 2. n. 27. Hurtado Complut. 3. *p. q. 83. disp. 5. diffic. 3.* Præpositus *dub. 5. n. 225.* Et probabilem recipiunt in praxi Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 2. num. 6.* Henriquez *in summ. lib. 9. cap. 25.* 8. Victorellus *in Addition. ad cap. 13. lib. 2. Summæ Toleti* Layman *lib. 4 tract. 1. cap. 5. n. 10. & tract. 7. cap. 3. num. 2.* & tamen nullus Doctor prudens audebit dicere hanc opinionem suggillans, derogare tot graues Authores pietati Christianæ.

9. Ratio à priori horum omnium est. Quia ex vi præcepti, & legis non tenetur quis illud adimplere amplectendo id quod melius aut securius est, aut merendo adimpletione ipsa, & finem legislatoris assequendo, sat est si substantiæ præcepti satisfaciat, vt res est apud sentientes indubitata. Ita Sanchez *in summ. lib. 1. cap. 9. num. 14.* Granado *1. 2. controuers. 2 tract. 22. disput. 4. num. 38.* Turrian. *in selectis part. 1. disp. 21. dub. 2.* Ioan. Sanchez *select. 44. num. 14 & select. 42. num. 2.* Merolla *1. 2. quæst. 19. disput. 96.* Viguerius *dub. 6. num. 43.* Azor 10. *tom. 1. lib. 2 cap. 14. quæst. 16.* & innumeri alij. Quare si quis doceat præceptum, & legem obseruari, eo modo quo substantiæ præcepti satisfaciat, quamuis modum præcepti omittat, & meritum in adimpiendo amittat, nec finem legis consequatur, non exinde derogat pietati Christianæ contra ipsam docendo.

Rem declaro. Aliud enim est id ad quod quis tenetur ex vi vnius præcepti, cum exclusione om- 11. nium aliorum ad quæ pietas Christiana dirigit, & quibus subduntur fideles, aliud vero id ad quod quis tenetur ex vi pietatis Christianæ. Quæ omnia præcepta naturalia, & positiua humana continet. Et quidem si quis doceat non frangi vnum præceptum humanum, sed quoad substantiam illi fieri satis, quamuis non consequatur finis intentus, & meritum adimpletionis amittatur, non illico derogat contrariè pietati Christianæ, & hoc 12. asserere est prorsus improbabile, quia iste Doctor hoc docens nõ asserit quod adimpletio huius præcepti positiui humani non possit aduersari alteri præcepto, vel naturali, vel humano si adsit. v. g. communis sententia asserit quod vinum quamuis nutriat non frangit ieiunium, & tamen si quis illud bibat sine modo, itaut in ebrietatem incidat somno deditus nec meretur ieiunando, nec consequitur finem legis de ieiunio, quia opponitur alteri præcepta temperantiæ, contra quod grauiter peccat, & tamen sententia ista quæ, vt dixi, communis, & certa est, non derogat pietati Christianæ, quæ in sui primordio vinum non 13. minus quam lacticinia ieiunantibus prohibebat: ergo dicere quod potio Chocolatica non frangat ieiunium Ecclesiæ non est contra pietatem Christianam, nec illi derogat, quæ si nimia fuerit opponetur præcepto temperantiæ, si vero moderata, nec meritum ieiunij amittet homo, sicut nec bibens vinum, quamuis aliquomodo nutriatur, & sustentetur, nisi fiat ex intentione vt ipso nutriatur, vt dixi *in quæstione citata n. 22.* & iterum confirmabo infrà.

*

CAPVT II.

Ea quæ adducit pro se, & contra me Pater Leander à Murcia adducuntur.

SVMMARIVM.

14 *Obiectiones P. Leandri à Murcia, aduersus opinionem Auctoris adducuntur, & num. seqq.*

IGITVR præfatus R.P. postquam sententiam sugillauit in eam acriter inuehitur, citharaque sua me incitauit ad bellum, in quo, ni fallor, parta victoria, luce clarius apparebit quod opinio mea practicè sit probabilis. 14.

Igitur sic obiicit primò, quia ingredientia potionem istam omnia sunt comestibilia, nec amittunt formam substantialem, & si nimis sint con- 15. trita, & contusa, etenim possunt iterum coniungi, vt si artificio per pannum colentur, & separentur ab aqua.

Secundò, quia officium, & munus proprium potus est cum sit appetitus frigidi, & humidi, refrigerare, alimentum distribuere, teste D. Tho. *2. 2. quæst. 147. art. 6.* & est indubitatum apud Medicos, non vero nutrire, & sustentare, ad 16. quod institutus est potus iste, quod si volunt fatebuntur illo vtentes, siquidem illum bibunt mane, & vespere, quando magis indiga est natura alimento.

Tertiò, quia Declarationes Summorum Pontificum non sunt autenticæ, & sic nil deseruiunt: etenim declaratio huiusmodi non facit fidem *c. 1.* 17. *& 2. de fide instrum. l. si chirographum D. de probation.* Antecedens probatur, quia vt declaratio ista fidem faceret erat necessarium vt sigillo authentico, subscriptione personæ publicæ, signata esset *cap. 1. de fide instrumentor.*

Nec sufficit ad formandum iudicium practicum probabile de existentia talis declarationis, 18. maximè ad euitandum peccatum, nam testis non iuratus non facit fidem, nec est propriè testis *cap. de testibus, & cap. nuper de testib.* vbi omnes, & adducit plures.

Secundò, quia deponens de aliquo instrumento de quo non constat debet deponere de illo non 19. solum in communi, sed etiam referre in speciali quid contineat, & cæteras circunstantias, vt narratiuam, &c. alias non facit fidem *cap. 2. de priuileg.* vbi Canonistæ, & nihil horum facit Illustrissimus Padilla.

Tertiò, quia hic non agitur de peccato vitando, imo de multiplicando, saltem veniali contra 20. temperantiam; imo quando ageretur de peccato vitando vnus testis non sufficit ad plenam fidem, quando agitur de præiudicio tertij, & læditur ius publicum *cap. placuit de consecrat. dist. 4. leg. Theopompus D. de dote præleg.* Abbas *in cap. licet de testib. num. 5. & cap. significasti de adulteriis.* Et in præsenti agitur de præiudicio totius Ecclesiæ, iuris communis publici, & præcepti vrgentissimi.

Vltimò, quia dato quod factum fuisset hoc viuæ vocis oraculum, & hoc esset indubitabile, iam 21. hodie non subsistit, quia derogata sunt ab Vrba-

no

no VIII. & Gregorio XV. omnia viuæ vocis Oracula.

Etiam quia etsi Chocolate in sua primæua institutione, & origine esset potus propter paucitatem ingredientium, hodie tamen ista creuerunt, & non amittunt formam suam decoctione, & distillatione. Quare manent cibus nutritiuus, & augmentatiuus totius substantiæ sumentis.

Hæc sunt tela quæ in improbabilitatem practicam, quam defendit habere meam negatiuam opinionem iecit perdoctus Pater mihi amicissimus, & semper venerandus, sed eius pace dicam versus Homericos quos adducit Aristoteles *lib.3. Rethor.*

Quandoquidem nobis tam multa locutus, amice, es
Quam multa prudens vir diceret, atque peritus.

Quare iudico id actitatum esse vt paucis ostendam quam probabilis sit opinio mea, solutis his quæ obiecta sunt, quod facillimo negotio præstabo, si prius ostendam quid sit opinionem esse practicè improbabilem, aut probabilem.

CAPVT III.

Vnde sumenda probabilitas practica alicuius opinionis.

SVMMARIVM.

23 *Opinionis alicuius probabilitas vnde sit sumenda, & num. seqq.*

23. SVPPONO opinionem improbabilem illam esse quæ non habet aliquod aparens rationabile fuudamentum à ratione, vel authoritate petitum, & in hoc etiam conuenit cum opinione temeraria si hæc addat quod sit contra Doctores in re graui. Ita Ludouicus à Torres *in select. disp.30. dub.1.§. sed hoc loco.* Basseus *verbo conscientia num.8.* Quare non erit illa opinio improbabilis practice quæ solida fundamenta habet à ratione, & authoritate deprompta qualia sunt ea quæ in tractatu adduxi, & etiam alia quæ infra adducam *cap. seq.*

24. Suppono secundò, quod ad formandam conscientiam opinione probabili non sufficit quod opinio ista habeat probabilitatem speculatiuam, hoc est nitatur rationibus, quas intellectus speculatiuus rationabiles iudicat, sed vlterius re-

25. quiritur probabilitas practica, hoc est, quod nitatur rationibus, quas hic & nunc intellectus practicus iudicat rationabiles vt conscientia informetur ad recte operandum. Hoc supposito mihi omnino certum est contra Sanctium in *Selectis disp.54. num.11.* licet enim ad probabilitatem practicam præsupponantur rationes quas intellectus speculatiuus iudicat probabiles, vt operatio eliciatur iuxta rationis regulas, sicut intellectus speculatiui cognitio præsupponitur ad practicum, tamen sicut iste extensione fit practicus, vt

26. ait Aristoles 3. *de anima*, & ex ipso D. Thom. 1. *part. quæst.88. art.10.* ita ad dictamen practicum prudentiæ non sat est quod intellectus speculatiuus rationes quæ in speculatione habent conuenientiam vt operatio exerceatur cognoscat.

Sed vlterius requiritur quod hic & nunc sit dictamen practicum prudentiæ ad eliciendam operationem bonam, & quæ peccaminosa non sit 27.
etenim sine hoc prudentiali iudicio non elicitur recta operatio, & prudentia non tantum attendit rationes speculatiuas, sed & practicas conuenientias hic & nunc occurrentes; potest enim adesse ratio probabilis speculatiua, & tamen quia hic, & nunc adest aliquod inconueniens practice non fit probabile dictamen ad operandum. Ita Thomas Sanchez *lib.7. de Matrimon. disp.7.* & doctissimus P. Magister à S. Thoma 1.2. *disput.22. art.3.§. Primum ergo.*

His suppositis quod inquirimus est. Vnde sumatur probabilitas practica huius opinionis quod 28.
potio Chocolatica non frangat ieiunium Ecclesiæ, quibusve motiuis nitatur, itaut hac opinione vtens possit elicere dictamen prudentiæ, sine quo nullus bene opinatur quod sibi liceat sine fractione ieiunij potum istum sumere. Et dico quod iuxta principia moralis Theologiæ in materia de conscientia, dum agunt de huius formatione per opiniones probabiles ex duorum principiorum generibus hoc dictamen formatur à prudentia. Primum est principium intrinsecum quod habet præfata opinio. Secundum est principium 29.
extrinsecum. Principium autem intrinsecum alicuius opinionis est ratio quæ mouet ad sic sentiendum, quæ dicitur motiuum intrinsecum, quia per ipsam homo ab intrinseco mouetur ad sic sentiendum de natura & conuenientia operationis, & an hic & nunc contraria sit legi, vel non, vel quomodo intelligenda sit lex circa hanc materiam. Ad cuius intelligentiam multum deseruit consuetudo loci, praxis fidelium, & hominum timoratæ conscientiæ, & antiquorum 30.
Doctorum dicta, ex quibus formatur ratio probabilis cui nititur prudentiale dictamen.

Principium extrinsecum opinionis est Magistrorum authoritas, vsus fidelium & consuetudo, per hæc enim multoties mouetur homo ad formandam conscientiam per opiniones probabiles, & ad eliciendum prudentiale iudicium, quod hic, 31.
& nunc liceat operatio, quamuis non habeat motiuum efficax intrinsecum rationis in particulari, sed solum in communi, quia ratio dictat quod Magistrorum authoritas sufficit ad formandam conscientiam, siue Magistri sint ex antiquioribus, siue ex modernis dummodo Classici sint, tam doctrina versati quam prudentia, & vita pollentes; non enim qualiscumque Magister sufficit. Huius rei fundamentum est, quia probabile illud dicitur quod apparet ita esse pluribus, aut paucioribus versatis in illa arte, aut scientia. Quare 32.
si mihi etiam per principia intrinseca hoc non appareat, possum formare dictamen nixus in apparentia aliorum; cum enim versati sint, & excellentes in illa materia illis potest apparere quod mihi non apparet.

Quare si vnus doctor ita eminens sit prudentia, & scientia, ita etiam suam roboret opinio- 33.
nem, potest esse sufficiens principium extrinsecum vt ego possim formare dictamen quod hic & nunc licitum est operari, quamuis alias eius fundamenta solutionem habeant. Ita Sayrus *in Clani lib.1. cap.8.* Layman *lib.1. tract.1. cap.5.§.2. num.6.* Sanchez *lib.1. summ. cap.9.* Diana *part.4. tract.4. resol.30.* Sancius *in select. disp.44.* Torres *in select. part.1. disp.31.* Magister à S. Thom. *vbi sup. art.4.* Montesinus *disp.29. q.5.§.6. num.247.* Vasquez *disp.62. cap.4.* Syluius *q.19. art.5. quæstio 9.* Malderus *disp.68.* Pontius de Matrimonio *lib.10.*

*lib.*10. *cap.*15. *num.*4. Et eſt communis, maximè ſi non ſit ſermo circa adminiſtrationem Sacramentorum.

34. Ex hac Doctorum certa, & indubitata doctrina clare apparet probabilitas practica noſtræ opinionis, habet enim pro ſe plures authores, qui ſua ſcripta prælo mandarunt quam oppoſita, ipſoſque grauiſſimos, quibus addidi in noua impreſſione vulgari Doctiſſimum Machado in ſum. vbi dicit ita ſentire cõmuniter Patres Societatis. Et ego addo etiam ita communiter Patres Dominicani; habet enim valde firmum fundamentum in doctrina Angelici Doctoris, vt clarè conſtat ex locis adductis in Tractatu. Rurſus hæc opinio habet valde vrgentes rationes, quæ nituntur in rei natura, antiquitate, declaratione probabili Summorum Pontificum, & aliis motiuis à conſuetudine, ab vſu, quibus hucvſque non eſt ſufficienter ſatisfactum. Et vt manifeſtè conſtabit cap. vltimo fundamenta contraria euidenter ſoluuntur. Prius tamen fundamenta vrgebo pro mea opinione quibus in vanum nititur ſatisfacere P. Leander à Murcia.

CAPVT IV.

Vrgetur ratio fundamentalis, quia Chocolate, eſt potus vere, & propriè.

SVMMARIVM.

35 *Potiſſimum fundamentum in hoc puncto ponitur.*

36 *Cibi definitio traditur, & expenditur num. ſeqq.*

42 *Item potus definitio, & n. ſeqq.*

49 *Potus triplex, naturalis, artificialis, & medicinalis, cuius triplex finis aſſignatur, & num. ſeqq.*

53 *Inferuntur quædam corollaria, & n. ſeqq.*

35. HÆc ratio potiſſimum eſt fundamentum in hoc puncto, & in illa cæteræ conſiderantur. De illa egi aliquoties in principali Tractatu, & in hoc capite vrgenda eſt, vt liquido conſtet huius ſententiæ probabilitas maxima. Quia tamen quid potus, quid ve cibus ſit ad Medicos attinet, ex Medicis id eſt venandum; poſtquam vero typis mandaui præſentem Diſputationem illam diſcuſſit ſapientiſſimus, & amiciſſimus meus D. Doctor Ramirez Cathedræ Primariæ Medicinæ proprietarius moderator in hac Vniuerſitate Hiſpalenſi, claréque oſtendit Chocolate potum eſſe, & omnes potus proprietates habere. Ex quo euidenter deducit non frangere Eccleſiaſticum ieiunium. Ex ipſo plura in hoc capite adducam in meæ ſententiæ confirmationem.

36. Prius tamen ad huius rei quam tractamus intelligentiam, definitionem cibi, & potus adducere operæpretium iudicaui, ex illa enim pendet vera reſolutio. *Cibus eſt ſubſtantia craſſa, maſticatione, aut ſorbitione, aut aliqua linguæ, & palati compreſſione indigens vt deglutiatur, potens nutrire, & ad nutriendum ordinata.* Quam definitionem licet colligere ex his quæ tradunt Lauretus 37. *in ſilua allegoriar. verbo cibus.* Et Berchorius *lib.*3. *reductorij Moralis c.*15. Clemens Alexandrinus *lib.*2. *pædagogi cap.*1. Iſidorus *lib.*20. *cap.*2. quatenus dicunt quod eſca, & cibus eſt nutrimentum ſiccum, in quo ſi ſiccitas ſic excreſcat quod craſſum illud conſtituat, aut durum maſticatione indiget; ſi tamen non ita excreſcat ſorbitione, qua vtimur circa ſubſtantiam liquidam, quam ordinantes ad nutritionem deglutimus vno, & altero hauſtu per morulas. Vnde Celſus 38. *lib.*2. *cap.*10. & Plinius *lib.*7. *cap.*53. de Sauſeio dicit: *Cum à balneo reuerſus mulſum bibiſſet, ouumque ſorberet.* Et ſic oua ſorbilia dicuntur. Et 2. *reg. cap.*13. *num.*8. *Thamar fecit ſorbitiunculas ex aqua, & farina.* Quia vt ait ibi Abulenſis *q.*2. cibus iſte erat nimis liquidus, cum miſceretur ei multum de aqua, itaut farina efficeretur magis potabilis, quam comeſtibilis, & ſic erat ſorbilis cibus, non potus; dicit enim Amnon. *Infer cibum in conclaui vt veſcar de manu tua, tulit ergo Thamar ſorbitiunculas.* Quare dubio procul ea 39 quæ ſorbilia ſunt, cibi propriè dicuntur. Sunt etiam alij cibi liquidi qui nec ſorbitione indigent, vt mel, caſeus recens (Requeſon) de quibus ait Collumella *lib.*8. *cap.*17. *Sunt cibi ſorbilibus proximi, vt mulſa; recens caſeus, &c. qui licet non maſticentur, aut ſorbeantur, tamen aliquatenus lingua, & palato prius comprimuntur, quam deglutiantur.* Quare D. Iſidorus *vbi ſup.* agens de eſca, & cibo, omnia quæ enumerat ad has tres claſſes ciborum reducuntur, qui aut in- 40. digent maſticatione, aut ſorbitione, aut linguæ, & palati compreſſione, vt legenti conſtabit.

Iſta enim omnia cibi propria ſunt etiam in ordine ad ieiunium Eccleſiaſticum, ſi ordinentur ad nutritionem principaliter; ſi tamen non ad nutritionem, ſed ad alium finem vel naturæ, vel artis ordinentur, & ſi ſint cibi ſemper, quia id 41. habent ex natura ſua, non tamen in ordine ad frangendum ieiunium Eccleſiaſticum, vt conſtat de electuariis, quæ vt diximus, & dicemus, non ad nutritionem, ſed ad iuuamen illius ordinantur, vt ſi Medicus ordinet quod quis quotidie hauſtum lactis, aut mellis, vel quid ſimile ſumat ad finem ſalutis, non nutritionis.

Potus autem eſt *Subſtantia liquida, quæ ſine* 42. *ſorbitione, aut linguæ, & palati compreſſione ſine morulis interruptis, ſed continuis hauſtibus deglutitur, non ad nutritionem ordinata, ſed ad finem ipſius potus directa.* Quæ deſcriptio deſumitur ex præfatis Authoribus Laureto *verbo potus*, Berchorio *c.*16. Clemente Alexandr. *c.*3. D. Iſidoro *c.*3. quatenus dicunt *quod potus eſt humidum nutrimentum.* Vel vt dicit Conſtantinus: *Eſt ſubſtantia liquida ad nutrimentum animalis neceſſaria;* 43. *potus enim ſua ſubtilitate ad remotiores partes corporis poteſt tranſire, & ideo magis nutrit, quam cibus, qui propter ſuam groſſitiem nequit per venas ſubito penetrare: potus enim tripliciter diuerſificatur, eſt enim potus qui eſt ſimpliciter potus, ſicut aqua quæ potatur ſed non nutrit. Item eſt potus qui eſt potus, & cibus, ſicut vinum quod potatur, & nutrit. Item eſt potus qui nec eſt potus nec cibus, ſicut ſyrupus qui datur cauſa medicinæ, non cauſa potus, vel cibi.* Ita Berchorius ex Conſtantino Medico, & D. Iſidorus loquens de vino dicit: *Vnum inde dictum, quia eius potus ſanguine venas cito repleat.* Quare manifeſtum eſt quod potus non excludit quod ſit nutritiuus ex natura ſua. Et ſic aliud eſt 44. alimentum, aliud cibus; cibare enim non conuenit potui proprie, bene tamen alere, nam alimentum

tum est quod vi actionis caloris naturalis conuertitur in substantiam aliti, & sic alimentum est obiectum potentiæ nutritiuæ, cui deseruiunt fames, quæ est appetitus calidi, & sicci, & sitis quæ est appetitus frigidi, & humidi, & sic alimentum
45. commune est ad famem quæ habet pro obiecto cibum, & ad sitim quæ habet pro obiecto potũ.

Cibus enim, & potus *sunt illa rerum substantiæ quibus corpora nutriuntur, & in esse debito conseruantur*, ait optime Berchorius ex Constantino, &
46. sic potui quatenus potus est nec euertit naturam ieiunij Ecclesiastici, solum opponitur quod assumatur non ad officia potus quæ supra enumerauí, & postea etiam enumerabo, sed ad officia cibi quæ sunt nutrire, & sic syrupus nec potus, nec cibus propriè dicitur, quia datur causa medicinæ, non causa potus, aut cibi, id est, ad eorum officia. Vnde potus mixti, quamuis nutriant, & magnam copiam spirituum generent, si ad officia potus sunt instituti ab hominibus qui in illis delectationem, & refrigerium inuenerunt non sunt cibi, quamuis sint alimentum, quos vetuit præceptum ieiunij, sed solum vetat cibos proprios, iuxta definitionem supra traditam.

47. Quare D. Isidorus loquens de potu proprio cuius naturam, & ethymon disquirit, ponit vinum *conditum cum mixtione pigmentorum compositum*. Cuius ponit plurimas species. Et Cardanus *lib. 8. de subtilitate* dicit, *quod potus ex omni ferme re, tum maximè densa, repetita destillatione fieri potest qui plus vino excalefaciet, & inebriabit.* Et quis dubitat quod maximè nutriet cum sit quinta rei substantia dæfecata, & pura? & tamen si sumatur ad officia potus, non franget. Refert etiam idem Cardanus ex Nicolao Polluce Cæsaris Medico modum faciendi potum *Zythi*. Quod apud
48. Germanos *Birra* vocatur, similem valde potui Chocolati qui absque dubio ieiunium non franger.

49. Ex dictis constat triplicem esse potum, vt dicebat Berchorius, naturalem, artificialem, & medicinalem, cuius triplex finis assignatur. Potus naturalis finis est ad pacandam sitim, ad alimenti coctionem, & distributionem, & ad retardandam partium corporis resolutionem; cum enim sitis sit appetitus frigidi & humidi, huius potus frigiditate, & humiditate pacatur. Rursus alimentum potu naturali liquatum, & temperatum bene elixatur, & coquitur, alioquin vreretur, potuque dilutum quod illius tenue, & vtile est supernatat,
50. aptum fit vt per venas subtiles distribuatur, delatis ad intestina partibus crassis, & fæculentis, quæ per secessum emittuntur.

Potus artificialis finis est idem, & ad eadem
51. munia ordinatur ac potus naturalis, easdem enim præbet vtilitates à natura intentas, & præterea addit alias quas ars intendit videlicet vt fugiantur potus naturalis nocumenta, & illius commoda augeantur, vt constat in vino, Aloxa, & aliis artificialibus, quos inuenit, vt fugeret nociuum aquæ, & illius confirmaret vtilitatem.

52. Potus verò medici finis est, vt corrigat vitia quibus corpus actualiter afficitur, aut præcaueat ea in quæ corpus incidere paratum est, & ad hoc munus ars medicinæ illud inuenit. Quare solum ægrotantibus actualiter, aut in morbum paratis incidere datur. Vnde iste potus medicus, absolute potus non est. Quare teste Ambrosio Calepino *Potio Medicorum sorbitiuncula est quæ ægrotis datur.*

Colligitur, secundò. Quod licet potus naturalis ad hoc quod sit potus non pendeat ab hominum institutione, & eorumdem receptione, est enim à natura datus: at potus artificialis cum non sit à natura institutus sed ab arte intentus dependet in hoc quod sit potus ab hominum institutione, illam substantiam liquidam ordinantium ad finem potus naturalis; cum enim substantia illa & satiatiua sit famis, & sitis, homines prædominare videntes satiatiuum sitis, quia prævalet humidum, non attendentes ad nutritiuum, quod habeat ratione alimentosæ substantiæ ordinarunt ad sitim extinguendam ratione humiditatis prædominantis formalis, & ratione frigiditatis quæ in omni potu saltem virtualiter inest, vt constat in aqua calida, quæ vt ait Berchorius *num. 9. Potui vtilis, & salubris est.* Vinum etiam etsi valde nutriat potus verus est, quia homines illud ordinarunt ad sitim extinguendam, non attendentes vim extinctiuam famis, sed sitis. Quare si substantia talis sit quod sitim extinguere ex sua natura non possit, homines non possunt illam potum per artem constituere, sed semper cibus manebit. Vt homines potus artificiales conficiant debent res quæ potus efficitur, & vim sedandi sitim, & vim sedandi famem, habere, vt homines institutione sua illam vim eligant quæ magis relucet, & hominum institutio non dat rationem potus alicui substantiæ liquidæ, sed cum possit, & satisfacere fami, & siti determinant esse illa vtendum quatenus sibi satisfacit, & sic declarat esse potũ, quamuis ex consequenti nutriat, alias nullus potus artificialis esset qui ieiunium non frangeret, quod est absurdum.

Colligitur tertiò, minus benè dixisse Doctorem Ramirez aquas instillatas ex herbis, vel aliis rebus liquidis potabilibus frangere ieiunium, si quis eas in sanitate existens biberet, etiam si omnes vtilitates potus naturalis habeant, *Quia*, inquit, *sunt potus medicinales, & non ordinati primo ad finem potus sed ad finem medicinæ.* Hoc, inquam, mihi non placet, quia huiusmodi aquæ instillatæ, & aqua viua *Aqua ardiente*, & aliæ verè habent finem potus proximum, sicut & vinum. Quare si quis eo fine vtatur cum sit manifestus ad extinguendam sitim, non franget ieiunium, quamuis communiter, quia non sunt in tanta abundantia, illis non vtamur. Nec video cur vinum non frangat ieiunium, & istæ aquæ instillatæ frangant, eo enim ipso quod homines instituerunt vinum esse potum, quidquid illi assimilatur in potabilitate, potum instituerunt, vt aiebat Cardanus. Legatur Antonius de Leon *in Quæst. de Chocolate p. 2. fundam. 3. à pag. 26.* vbi erudite satis, & docte de hoc disputat. Dixi *ex herbis &c.* quia liquores ex carnibus cum absolutè non sint aquæ, nec iudicantur, ordinantur ad nutritionem, & sic frangunt, quia reipsa non exstinguunt sitim, nec iuuant digestionem, sed nutriunt, & ad hunc finem dantur infirmis, & debilibus.

Id etiam quod dicit mustum, & succum vuarum potum non esse falsum omnino existimo, est enim mustum quamuis recenter expressum verus potus, quia conuerti potest in sanguinem Christi, qui vt ipse dicit *Ioan. 6. vere est potus.* Et quidem mustum posse in illum conuerti certissimum est apud Theologos, cum D. Thom. 3. *p. quæst. 74. art. 5. ad 3.* Vnde Iulius I. *in Decreti 7. quod habetur tom. 1. Conciliorum in eius vita*, & *Epist. ad Episcopos per Ægyptum missa* refertur

in

in cap. omne de conſecratione diſt.2. dicit. *Quod ſi neceſſe fuerit ad conficiendum ſacrificium botrus in calicem premátur.* Quod etiam confirmatur in
61. Concilio Bracharenſi 3. *can.* 1. & eſt certa omnium Theologorum ſententia, itaut contrarium defendi nequaquam poſſit. Legantur Vaſq. *diſput.* 175. *num.* 7. Suarez *diſt.* 45. *ſect.*2. quamuis peccatum graue ſit in illo conſecrare, quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ.

Ex his accedendo ad rem noſtram tale formo
62. argumentum. Chocolatum ſaccharo, & aqua dilutum verè, & propriè potus eſt mixtus artificialis: ergo non frangit ieiunium. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur, vere, & propriè habet omnes vtilitates, & officia potus veri: ergo. Antecedens probatur egregiè à Doctore Ramirez quæſt.2. vbi ſic loquitur: *Hic potus tollit ſitim. eo quod humectat, & aliquomodo refrigerat, potiſſimum, ſi frigidus aſſumatur, conducit etiam ad coquendum cibum in ventriculo, &*
63. *ad illius diſtributionem, quia cibum diluit, & vehit, corrigit quoque aquæ nocumenta, nam coctiones iuuat, flatus diſcutit, ventris inflationes tollit, & cruditates concoquit.*
64. *Iuuat etiam maximopere plurimam præbendo materiam, pro ſpirituum vitalium, & animalium generatione, in hoc enim hic potus maximam habet præſtantiam, & prærogatiuam, nam ſpirituum materia aërea debet eſſe, lenta ſcilicet, & tenuis, ob tenuitatem enim facilè cedit actioni caloris attenuantis, & extendentis materiam ob lentorem dum*
65. *diſtenditur, non diſcontinuatur. Quæ duo in Chocolatina materia miro quodam modo reperiuntur, ideo hic potus plurimam præbet. Et quod magis in hoc admiratione eſt dignum hi ſpiritus ex Chocolato geniti, cum puriſſimi, & tenuiſſimi ſint, longa valdè ſunt durationis, & difficile admodum reſoluuntur, & tenuitatem, & puritatem ſpirituum ex animi alacritate, & ingenij acumine, quibus hic potus hominem afficit, facilè colligat, longam veram durationem, & tardam reſolutionem, ex eo quod hunc potum ſumentes, & diu cum robore perſiſtunt, & laborem ſuſtinent ſine virium iactura,*

Q. 3. egregiam doctrinam tradit ex principiis Medicinæ deductam. *Potus hic duplicem habet*
66. *naturam cibi, & potus, præualet tamen, & excedit in eo natura potus, cuius veritatis indicium eſt quod potu Chocolatico, ſine alio potu viuere homo poterit, illo tamen ſine alio cibo minimè, quin tandem tabeſcat: natura huius potus maior portio eſt aqua quæ omnibus potus vtilitatibus ſatisfaciat, at maſſa Chocolatica non tota in ſanguinem conuertitur, ſed ferè tota in ſpiritus vitales mutatur parua illius portione manente in ſanguinem tranſmutanda, maximè enim abundat vaporoſa ſubſtantia, ſpirituum quidem apta materia, quod inde quis poteſt colligere quod potus Chocolaticus ligno illo dentato*
67. *concuſſus fere totus in ſpumas conuertitur, quod eſt euidens indicium quam plurimæ vaporoſæ ſubſtantiæ in illo repertæ. Cum ergo parua ſanguinis portio ex hoc potu generetur, non eſt ſufficiens materia pro omnium partium plena nutritione, atque ideo hoc potu ſolo ſi quis ſine alio cibo vtatur in tabem*
68. *cito deueniet: virium tamen robur quod ex Chocolatico potu augeri in nobis experimur non ex magna prouenit nutritione, ſed ex plurima ſpirituum copia ex illo genita: cum ergo potus Chocolaticus qua parte præbet materiam ſpiritibus vitalibus non ſit cibus, ſed qua parte præbet materiam ſanguinis generationi, & hæc minima ſit in Chocolatico potu ſequitur quod natura cibi in eo minima ſit, & quod à natura potus plurimum ſuperetur; atque ideo iure quidem optimo ille poteſt, & debet in finem potus ordinari.* Hæc ille, quæ ad verbum retuli venerationis cauſa.

Ex quibus colligit, me citato, quòd potus iſte 69.
non frangit ieiunium Eccleſiæ, quia cum parum nutriat non habet naturam cibi, ſed potus. Quod ego confirmo hac ratione: potus iſte conficitur ex vna vncia, & ſi vis, dimidia paſtæ, & ſimili ſacchari pondere, iſtud dilutum ſeptem, vel ſex vnciis aquæ non frangit ieiunium, vt vult Anton. de Leon: paſta autem Chocolati maior pars conuertitur in ſpiritus, & longè minor relinquitur in ſanguinẽ conuertenda, eſt enim ſanguis vltimum alimentum ex quo quis nutritur, teſte Ariſtotele, & omnibus Medicis: at quis non videat eſſe manifeſtum, & euidens in Medicina quod in æquali quantitate multum magis ſanguinis miniſtrat vinum, quam potus iſte Chocolaticus; vt enim 70.
ſupra ex S. Iſidoro dicebam, vinum ſic dicitur, *quia eius potus venas cito ſanguine replet*, & ſic etiam euidens eſt quod ſi iſtud non frangit ieiunium, ita neque potus Chocolaticus.

Sed obiicies: Potus Chocolaticus ſiccus eſt: ergo non eſt propriè potus, qui humidus ſaltem 71.
debet eſſe formaliter, & virtualiter ſaltim frigidus. Antecedens probatur quia deſiccat cerebrum, facit enim inſomnes illum ſumentes, quod à ſiccitate prouenit.

Reſpondet optimè præfatus Doctor quod potus iſte aliquos facit inſomnes, non quia cerebrum deſiccet, ſed quia generoſos, & diu durantes ſpiritus vitales generat, & ſic tollit neceſſitatem ſomni, qui ideo à natura datur, vt ſenſibus 72.
externis vacantibus, quia ſenſus communis eorum moderator vacat, ſpiritus non conſumantur; at potus iſte tot generat ſpiritus vt ſomni neceſſitas nulla ſit, maximè in his in quibus ſpiritus ſunt craſſiores, & ſe non exercent: ſecus vero in illis qui nimis ſe exercent, & ſpiritus habent ſubtiliores; iſti enim non amittunt ſomnum ex potu iſto. Si ergo hanc doctrinam aduertiſſet P. 73.
Leander, non ita amarè in me inſurgeret, ſed ipſi parco Chriſtiano more.

CAPVT V.

Vrgetur argumentum à Declaratione Pontificia.

SVMMARIVM.

74 *Declaratio autentica Gregorij XV. quòd potus Chocolate non frangit ieiunium.*
75 *Item alia declaratio Pauli V.*
76 *Quæ in contrarium adducit Leander, vt futilia, & nullius ponderis reiiciuntur, & num. ſeqq.*

IN triplici Tractat. typis mandato membr. 3. adduxi teſtimonium Illuſtriſſimi D. Auguſtini de Padilla Archiepiſcopi de la Eſpañola *li* 2. 74.
hiſtor. cap. 84. vbi dicit ſe vidiſſe declarationem authenticam Gregorij X V. qui ſemel, & iterum dixit quod potus Chocolate non frangit ieiunium. Et membr. 5. aliam declarationem adduxi factam anno 1614. à Paulo V. in cuius præ- 75.
ſentia

sentia P. Nicolaus de Anaya potum istum confecit, quo viso respondit Summus Pastor: *Hoc non frangit ieiunium.* Quam declarationem pro certa, & indubitata habent omnes Patres Societatis in Prouincia Mexicana, vt testatur P. Didacus de Sousa illius Prouinciæ visitator. Adduxi præterea Consilium sapientissimi Nauarri, de cuius existentia prudenter dubitari non potest, cum tot testes ipsum vidisse, & transcripsisse deponant, sicut deponit P. Luxan. sub iuramento se audiuisse à Patre Hieronymo de S. Vicente Pium V. declarasse viuæ vocis Oraculo hunc potum non frangere ieiunium.

76. Ad decisionem, & Consilium Nauarri nihil respondet P. Leander; & bene, quia tanti Doctoris grauitas sat est ado pinionem istam probabilem faciendam, vt dixi supra ex communi sententia. Cæterum ad declarationes Pontificias dicit non esse authenticas, & sic illis non esse fidem adhibendam. Tum, quia non sunt sigillo plumbeo munitæ; tum quia testis non iuratus non facit fidem; tum quia iam viuæ vocis Oracula non subsistunt, nec faciunt fidem & vltimo, quia testes non deponunt de his declarationibus in particulari, & cum omnibus circunstantiis, & qualiter fuerit facta narratio, sed solum deponunt in communi.

77. Verum omnia ista futilia sunt & nullius ponderis; licet enim verum teneat in foro externo, & contentioso, in quo omnia ista requiruntur, vt probant textus ciuiles, & canonici quos inutiliter ad propositum diligenter congessit, cæterum nihil probant in foro interno, & conscientiæ; vnus enim Doctor veridicus sufficit ad formandum prudentiale dictamen de existentia alicuius

78. opinionis, declarationis, aut consuetudinis. Ita tenent Granado *1.2.contro.7.tract.3.disp.6.sect.1.num.* 12. Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.*11. *num.*8. Sancius *in select.disp.*44.*n.*35. Salas *disp.*19.*n.*108. Zambrana *de Sacram.temp.mort.cap.*4.*dub.*2. Reginald. *in Praxi lib.*8 *cap.*3.*num.*8. Diana 3.*part. tract.*3. *resol* 5. asserentes quod in foro conscientiæ creditur vni testi fide digno, etiam non iuranti deponenti quod infirmus dedit signa contritionis, & sic non potest impedire Sacerdos absolutionem à peccatis absque iniuria Sacramenti. Id quod videtur sancitum in Concilio 1. *Arausicano cap.* 12. relato *Cap. Qui recidunt* 26. *quæstione* 6. & habetur expressum *in Rituali Romano edito anno* 1615. iussu Pauli Quinti Summi Pontificis.

Cum ergo deponant vt testes oculares tot gra-

80. uissimi, & prudentissimi de Declaratione facta à Summis Pontificibus quod potus iste non frangit ieiunium, potest quis tuto in praxi nitens illorum fidei elicere dictamen prudentiæ quo se conformet prædictæ opinioni, neque ad hoc requiritur quod quis videat declarationem authenticam. Nec testis debet esse iuratus, sed sat est quod sit fide dignus, & contrarium dicere pro foro interno mihi non est probabile. Nec hic agitur de præiudicio tertij in foro externo, sed solum de intelligentia dubitationis exortæ circa obligationem præcepti, in cuius intelligentia cum sint di-

81. uersæ opiniones quod quis sequatur eam quæ deobligat, nec facit contra ius publicum, nec contra Præceptum vt est euidens in aliis opinionibus circa intelligentiam alicuius legis.

Illud quod dicitur quod iam viuæ vocis oracula non subsistunt, quia derogata sunt, nihil facit ad rem, quia viuæ vocis Oracula ad futurum effectum nihil iuuant, quia derogata sunt, sed illa quæ iam sortita sunt effectum non possunt inualidari, quia ad præteritum non datur potentia; cumque Pontifices Summi iam declarauerint quod potus 82. iste non frangit ieiunium, hæc declaratio semper subsistit quousque alius Pontifex ob rationes de nouo occurrentes Declarationem abrogaret, quod hucusque nullus fecit.

Et tandem id quod dicit: Testes non deponere de declarationibus in particulari, & cum omnibus circunstantiis, sed solum in communi, parum soliditatis habet, quia Illustrissimus Padilla dicit: *Que la consulta que se hizo al Pontifice fue harto apretada.* & hoc quia propositum fuit du- 83. bium cum omnibus circunstantiis, quæ tunc occurrere poterant. Et quidem si aliqua ex necessariis taceretur, non sedaret conscientiam inquirentium, nec fuisset *harto apretada la pregunta.* Tum etiam quia coram Paulo V. factus fuit potus. Quid magis in particulari desideratur? Quare hoc argumentum desumptum à declaratione 84. Pontificia maximum pondus habet ad inducendum huius opinionis negatiuæ probabilitatem practicam.

CAPVT VI.

Vrgetur Argumentum à consuetudine.

SVMMARIVM.

85 *Consuetudo circa propositam quæstionem sufficiens est fundamentum ad formandam conscientiam opinione probabili, ne sumptio huius potus peccaminosa sit contra præceptum Ecclesiæ de ieiunio.*

86 *Quæ obiiciat contra hoc fundamentum P. Leander. & n.seqq.*

90 *Telis P. Leandri fulcitur fundamentum Auctoris. & n.seqq.*

63 *Respondetur ad argumenta P. Leandri. & n. seqq.*

IN Quæstione typis data membr.4.& 5. la- 85.
tissimè probaui opinionis negatiuæ probabilitatem practicam ex consuetudine iam præscripta, sciente, & non contradicente Principe Ecclesiæ Supremo Summo Pontifice, imo declarante, vt vidimus. Quæ consuetudo sufficiens est fundamentum ad formandam conscientiam opinione probabili, ne sumptio huius potus peccaminosa sit contra præceptum Ecclesiæ de ieiunio.

Contra hoc fundamentum quod, me quidem 86.
iudice, firmissimum est, multa obiicit P. Leander. Primò, quia aut Chocolate est potus, aut cibus. Si primum non est necessaria consuetudo ad illo vtendum, si quidem non frangit ieiunium si est cibus non est consuetudo, sed corruptela, quia vere consuetudo debet esse rationabilis, & iusta, qualis non potest esse contra præceptum Ecclesiæ.

Secundò, Quia vt quis nixus consuetudini intro- 87.
ductę possit formare conscientiã ad recte operandũ, necessariò debet præcedere præscriptio contra

ius quod habet Summus Pontifex ad declarandas leges à se latas. Contra quod ius, cum competat illi de iure diuino priuatiue ad omnes alios, nullo modo potest esse præscriptio; imo & si illi competeret tanquam Supremo Principi Ecclesiæ, contra illum præscribi nequit, nisi tempore immemoriali. *Cap. Super quibusdam §. Præterea de verbor. significat.* vbi Canonistæ *& l. de quibus D. de legib.* vbi Legistæ quod in præsentiarum non adest.

88. Tertiò, quia consuetudo introduci debet à maiori populi parte, vt cum multis docet Thomas Sanchez *tom. 2. consilior. lib. 5. cap. 1. dub. 21.* at qui sumunt hanc potionem non sunt maior populi pars, sed nobiles, & diuites: ergo talis consuetudo non adest.

89. Quartò, quia consuetudo vt introducatur debet habere titulum, saltem coloratum, qui coloratus dicitur, non quia sit erroneus, & non authenticus, sed quia etsi verus sit, est tamen nullus respectu personæ *l. Barbarius. D. de officio Prætoris*; titulus enim verus erat, sed nullus respectu Barbarij, qui vtpote non liber, sed mancipium incapax erat veri tituli Prætoris, & sic titulus verus erat, sed error circa personam, quæ putabatur libera; at in præsenti nullus extat verus titulus Authenticus, & Pontificius, sine quo introduci nequit consuetudo.

90. Cæterum telis istis fulcitur fundamentum nostrum, tantum abest quod illis corruat. Vt tamen manifestissimè id constet, & quam inutiles sint ad propositum doctrinæ quas inducit, prælibandum est ideo me vsum hoc fundamento à consuetudi-

91. ne sumpto, cum alias affirmem Chocolate esse potum ex sua primaria institutione, quia hoc est positum in opinione an sit potus vel cibus. Si certum omnino esset quod sit potus non erat necessaria consuetudo, quia hodie indubitatum est quod potus, vt potus non frangit ieiunium. Quare cum non sit omnino certum quod sit potus, cum contraria sententia asserat esse cibum vsus sum argumento à consuetudine deprompto, qua derogatum est in hac parte legi de ieiunio. Consuetudo enim etiam in materia ieiunij potest mitigare illam, vt in propriis terminis Lessius *lib. 4 de iust. cap. 2. dub. 2. num. 8.* Bonacina *tract. de legib. disp. vlt. quæst. 1. punct. 2. num. 2.* Reginald. *lib. 4. cap. 13. sect. 1. num. 147.* Thomas Sanchez *tom. 1. de Matrim. lib. 3 disp. 18. num. 19.* Palao *tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 3.* Villalobos *tom. 1. tract. 2. disp. 38.* Caiet. *1. 2. quæst. 97. art. 3.* Pontius *de Matrim. lib. 6. cap. 5. num. 2. & 3.* iterum Sanchez *de Matrim. 2. lib. 7. disp. 14. num. 13. & seqq.* Tannerus *1. 2. disp. 5. quæst. 7. dub. 1. num. 7. & 8.* Granado *contro. 7. tract. 3. disp. 16 sect. 1. n. 4.* Motesinos *tom. 2. disput. 23. quæst. 13. num. 120.* Diana *part. 1. tract. 9. resol. 21.*

92. Vbi satis ad rem nostram probat licitum esse omnibus qui sunt in Regno Siciliæ, etsi aduenæ, & exteri sint vti in diebus Quadragesimæ lardo, seu sagimine, qui hispane dicitur: *Manteca de puerco.* & hoc ex consuetudine introducta in illo Regno. Quamuis enim sagimen non sit caro, vt probat Arist. *2. de generat. animal.* sicut nec sanguis, aut lac non est caro; tamen sicut sanguis, si non adest consuetudo mandi non potest, ita si non adesset consuetudo, etiam cum Bulla Cruciatæ, sagimen mandi non poterat in Quadragesima, & tamen potuit in Sicilia legem ieiunij quadragesimalis mitigare: ergo similem mitigationem facere potest circa sumptionem potus de Chocolate.

Ex qua doctrina ex Authoribus citatis deprompta, (quæ absque dubio communis, & certa est; alias nulla lex Ecclesiastica consuetudine posset vel abrogari, vel mitigari, quod dicere prorsus est improbabile, & temerarium) respondetur ad primũ, quod consuetudo postquam introducta est, & præscripta debet esse rationabilis, & tunc non est contra præceptum Ecclesiæ, quia hoc vel mitigatum est, vel abrogatum: quando vero incipit introduci, necessarium non est quod sit rationabilis, id est, non sit contra præceptum Ecclesiæ, vt omnes Authores citati dicunt, quibus addo Basseum *in florib. Theolog. practicar. verb. consuetudo numer. 16.* vbi sic ait: *licet consuetudo contra legem, & canonem introducta sit ex causa non iusta, & primi illi legis transgressores peccauerint, successores tamen eorum excusantur à peccato ob talem consuetudinem introductam, quia præsumere possunt eos habere iustam causam. Nonnulli nihilominus Authores censent non improbabiliter hos primos legis transgressores semper peccare, donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem inducendam, nisi bona fides illos excusset, & interueniat scientia Principis illam tolerantis.* Hactenus ille.

93. 94. 95.

Imo Suarez *de legibus lib. 7. cap. 18. num. 8. & 15.* docet necessario requiri quod omissiones quibus lex abrogatur, aut mitigatur sint peccaminosæ, saltem in principio: non ergo consuetudo dicitur rationalis, quia actus quibus introducitur non sint contra rationem, sed quia semota lege quam euertit, aut limitat, turpitudinem, aut deformitatem non contineat, siue contra legem naturalem, aut diuinam, aut rationis æquitatem, quæ lex naturalis, aut diuina semper illæsa, etiam si abrogata sit lex humana consuetudiue contraria, debet conseruari. Ita expresè Doctor Montesinos, & P. Granado *vbi suprà* Salas *de legibus tract. 14. disp. 19. sect. 5. num. 45.*

96.

Quare quando *cap. finali.* de *consuetudine*, dicit Pontifex quod consuetudo debet esse rationabilis, ne sit corruptela, intelligitur postquam introducta est debet habere rationis æquitatem, sicut quælibet alia lex, cum sit regula rationis, & æquitatis, participata à lege æterna Dei, vt dicunt Caietanus, Suarez, Sanchez *vbi sup.* quibus adde Valentiam *1. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 8.* Quare licet consuetudo contra legem humanam à principio non fuerit rationabilis, quia introduci incepta est actibus malis, & contra rationem; tamen successu temporis rationabilis efficitur, nam non tenentur posteri solliciti esse in inuestiganda causa ob quam sui maiores cœperunt facere contra legem; quinimo vere possunt præsumere illos habuisse causam iustam.

97. 98.

Ex quibus apparet (vt colligam cum Diana *1. part. tract. 9. resol. 21.*) quomodo sine scrupulo licitum sit vti in diebus ieiuniorum (Diana dicit *lardo*) in Hispania Chocolate, ratione inueteratæ consuetudinis. Et hoc etiam licitum erit aduenis, & peregrinis.

99.

Secundum argumentum quod nobis obiicit P. Leander, doctrinam continet inrolerabilem, & quæ, me quidem iudice, doceri nequit. Nam quis Doctorum aliquando dixit quod ad hoc quod consuetudo introducatur contra legem Ecclesiasticam ipsam derogans, aut mitigans sit necessarium præscribere contra ius quod Summus Pontifex

100.

tifex habet vtique à iure diuino leges condendi
101. respectu totius Ecclesiæ, aut iam latas, si dubia circa ipsas oriantur, declarandi? cum enim contra hoc ius nunquam præscriptio introduci possit, sicut nec contra legem Euangelicam, secundum quam Summus Pontifex noster visibilis, tanquam Ecclesiæ Caput, & Monarcha, sequeretur quod nunquam possit esse legitima consuetudo derogans, aut mitigans legem Ecclesiasticam latam à Pontifice, vel à Concilio Generali, quod dicere absurdum est, vtpote improbabile, & temerarium, cum contrarium sit determinatum in iure
102. Canonico, *cap. finali de consuetudine*, & tot sint leges Pontificiæ, & Conciliorum, tum abrogatæ, tum mitigatæ per consuetudinem præscriptam, & tamen nullo modo præscriptio currit contra ius leges ferendi, aut declarandi.

103. Igitur ad argumentum respondetur negando assumptum, cum contra ius leges ferendi nullo modo, neque vllo tempore sit possibile præscribi respectu Summi Pontificis, bene tamen potest introduci legitima consuetudo quæ abroget, aut mitiget leges Pontificias. Vt enim certum est legitima consuetudo non tollit ius à legislatore, imo ex illo fonte dimanat, quia consuetudo nulla est legitima, nisi adsit consensus legislatoris, saltem implicitus, & legalis, vt optimè Granado
104. *vbi sup. num.* 9. Quare consuetudo legitima solum tollit obligationem legis, aut illam limitat, & contra illam præscribit. Quantum temporis tamen requiratur vt consuetudo præscribat varij varia dicunt loquentes de lege canonica. Alij dicunt sufficere decennium, quia hoc est longum tempus, alij requirunt spatium quadraginta annorum; alij hoc relinquunt iudicio prudentis, vt tantum temporis requiratur quantum sufficiens sit vt rationabiliter credatur tacitus consensus legislatoris. Hos tres dicendi modos probabiles censet Diana *part. 6. tract. 5. resol.* 2. ipse tamen requirit spatium quadraginta annorum. Quam sententiam canonizauit Sacra Rota in pluribus Decisionibus quas adducunt, & plures, & gra-
105. ues Doctores quibus ego assentior, quamuis valde probabile, & in praxi tutum existimem quod dicit, & optimè probat Castro Palao *tom. 1. tr. 3. punct. 2. §. 2. num.* 9. & 10. sufficere spatium decem annorum, vt præscribatur contra legem papalem.

106. Vnde constat quam legitimè sit præscripta consuetudo sumendi Chocolatum in diebus ieiunij, cum non solum transactum sit decennium, sed spatium quadraginta annorum, quod inualuit opinio probabilis quod potus non frangit ieiunium, in quo fundata est consuetudo derogatoria. Quare nisi sit Pontificis declaratio quod Chocolate non est potus, sed cibus, qua declaratione eneruetur consuetudo introducta titulo opinionis probabilis, semper talis consuetudo rationabilis perseuerat mitigans præceptum ieiunij.

107. Ad tertium respondetur cum Magistro meo sapientissimo D. Ludouico Montesinos *1. 2. tom. 2. disp. 23. q. 13. num.* 222. quod *quando consuetudo est contra legem priorem, & minor pars seniorum prudentiorum, ac præcipuorum ciuium, sciente Principe, aut Superiore, recipit talem consuetudinem, nec Princeps punit illos cum possit, videtur consentire in hoc, atque ideo talis consuetudo poterit habere vim legis, quia quamuis sit à minori secundum numerum est tamen à maiori, secundum*
108. *qualitatem.* Ita ille. Cumque tot Religiosi gra-

uissimi, tot magnates, & viri diuites timoratæ conscientiæ hunc potum sumant in Quadragesima putantes non frangere ieiunium, ab illis introducta est legitima consuetudo legem ieiunij mitigans, quod enim homines infimæ notæ, & plebei non sumant, non derogat huic consuetudini.

Sed qualis consensus Pontificis requiratur, vt 109.
consuetudo deroget, aut mitiget legem canonicam Malderus *1. 2. q. 97. art. 3. à num.* 3. Suarez *lib. 7. de legib. cap.* 13. *num.* 6. Castro Palao *vbi supr. §. 4. num.* 3. Basseus *num.* 12. Salas *de legib. vbi supr. sect. 3. num.* 20. *& sect. 4. num.* 39. Villalobos *tom. 1. tract. 2. diff.* 38. *num.* 6. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 4. num.* 11. sentiunt non requiri ad consuetudinem consensum Papæ personalem, sed sufficere legalem traditum *in cap. finali de consuetud.* vbi Pontifex dicit posse consuetudine leges abrogari. Quæ sententia valde probabilis est, & tuta in praxi.

Sed Magister Pontius *lib. 6. de Matrim. cap. 6.* 110.
num. 5. Montesinos *vbi sup. numer.* 220. Vasquez *disp.* 177. *cap. 2. &* 3. Lorca *disp. 29. de legib.* Diana *tract. 5. citato resol.* 13. requirunt consensum personalem Pontificis, sed cum discrimine, quia Diana cum Sacra Rota *in vna Treuiren. 5. Abb. die* 24. *Ianu.* 1625. requirit consensum expressum Papæ vt consuetudo legem canonicam abroget, & alij Authores solum requirunt consensum implicitum, quatenus Pontifex sciens introduci consuetudinem contra suam legem tacet, & permittit, non puniens transgressores, nec innouat legem suam. Quod sentiunt à fortiori Au- 111.
thores primæ sententiæ requirentes dumtaxat consensum legalem, qui non exigit scientiam personalem, sicut requirit Lorca, quamuis non exigat consensum voluntatis expressum, sicut requirit Diana, quem ego existimo non requiri ad iudicandum in foro conscientiæ legem esse abrogatam in totum, vel in parte; bene tamen requiritur ad iudicandum in foro externo, & contentioso; in hoc enim non præsumitur derogatum legi Ecclesiasticæ: bene tamen si adsit consen- 112.
sus expressus Pontificis, & hoc volunt Decisiones Rotales, quas adducit Diana, & nihil amplius.

Cum ergo in præsentiarum loquamur de foro interno conscientiæ, vt consuetudo quæ mitigat legem ieiunij circa potum Chocolate, vt quis 113.
possit formare conscientiam quod non frangat, sat est quod interueniat vel consensus legalis, vel personalis implicitus Summi Pontificis, quem constat interuenire, cum non cohibeat Doctores hanc opinionem docentes; imo, vt vidimus, adsit Pontificia declaratio.

Ad quartum respondetur, nullius esse momen- 114.
ti, quia hic adsunt plures tituli colorati veri, qui vel errore populi applicantur huic materiæ. Primus est quod potus non frangit ieiunium, & populus iudicat Chocolate esse verum potum, quare etsi errauerit in materia, non tamen in titulo. Secundus est declaratio Pontificia, quam esse probabiliter iudicat, ex depositione plurium, quæ etsi non sit authentica pro foro externo, est tamen sufficiens interno, & quousque non constet authenticè de contrario) quod debebat probare aduersarius, & non facit) semper adest bona fides in foro animæ, iuxta quam licitè operatur. Quare aliud est quod titulus prudenter existime- 115.
tur verus, aliud quod sit authenticus, & potest

eſſe primum ſine ſecundo, ad quod plura requiruntur, quam ad veritatem.

CAPVT VII.

Adſtruitur fundamentum ab electuariis.

SVMMARIVM.

116 *Argumentum validiſſimum ab antiquorum Doctorum authoritate deſumptum, qui dicunt electuaria non frangere ieiunium quadrageſimale, adſtruitur, & n. ſeqq.*

119 *Incaſſum hoc argumentum nititur euertere P. Leander.*

120 *Ex eius ſolutione non ſolùm non diluitur argumentum ſed maiores vires reſumit, vt oſtenditur ibid. & num. ſeqq.*

116. IN quæſtione citata argumentum validiſſimum conſtruxi huius meæ opinionis probabilitatis prædictæ practicæ ſumptum ab authoritate antiquorum Doctorum apud quos rigidior fuit obſeruantia ieiunij Eccleſiaſtici, qui dicunt electuaria non frangere ieiunium quadrageſimale; quia principaliter non ordinantur ad cibandum, & nutriendum, ſed vel ad alterandum, vel digerendum, vel ad confortandam debilitatem, quare non tam in cibum, quam in cibi adiutorium ſumuntur, vt dicebat Paludanus, & vt notabat D. Thom. *licet electuaria aliquomodo nutriant, non tamen hic eſt eorum principalis vſus, vnde nec loco manducationis ſumi conſueuerunt, & ideo talis ſumptio ieiunium Eccleſiæ non*
117. *ſoluit; quamuis homo poſſit totaliter, vel in totum, vel in partem meritum ieiunij perdere, vel etiam mortaliter peccare, ſi ſit immoderata libido, non tamen tranſgreſſio præcepti Eccleſiæ.* Hactenus S. Doctor *in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 4.* (quæ iterum adducere non ſum grauatus vt P. Leander cognoſcat incautè ſe locutum, dum ex eo quod deperdetur culpa ſumentis meritum ieiunij, quamuis non frangat præceptum, dicit opinionem quæ hoc docet eſſe contra pietatem Chriſtianam, cum S. D. ita pius erga Eccleſiam de electuariis quod
118. ego de Chocolate) dixerat autem prius. *Si aliqua ſumantur quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt, ſed ad alium vſum, qui vſus communiter manducatio non vocatur, talis cibi, vel potus ſumptio, ante vel poſt, non facit binam manducationem, & ideo talis ſumptio ieiunium non ſoluit.* Quid clarius, & illuſtrius? cum ſumptio Chocolate non vocetur manducatio, ſed potus. Plures alias antiquorum ſententias ibidem adduxi, ſufficiat repetere S. D. cuius authoritas apud me tantum valet, quod ipſa ſola ſufficiat ad formandam conſcientiam.

119. Murum iſtum fortiſſimum conatur euertere P. Leander, ſed incaſſum nititur, cum, ni fallor, inexpugnabile ſit; dicit enim, quod electuaria ideo ſunt licita in die ieiunij, quia non ſunt inſtituta ad cibum, ſed ad alterandam, & iuuandam digeſtionem, taliter enim debent eſſe condita, quod ingredientia electuaria non maneant in propria forma, ſed alterata per decoctionem, & confectionem, & non conglutinata, ſicut fit in Pignolato. Et ita (aſſerit) dicunt Paludanus *in 4. diſt. 15. q. 4.* Durandus *q. 9. num. 7.* adducens verba quæ ego adduxi quæſtione citata.

120. Sed miror hominem aliàs eruditum hac ſolutione contentum, qua non ſolum non diluitur argumentum noſtrum, ſed maiores vires reſumit, primò, Quia Paludanus non dicit quod in Electuariis non debeant manere ingredientia in propria forma, ſed ſolum quod ſint alterata per decoctionem, vel confectionem. Quod iam non in cibum, ſed in cibi adiutorium communiter ſumantur. Ponit exemplum in nucibus, quæ aromatibus condiuntur, & communiter dicuntur *Nuces moſcadas*, quæ iuuant ad diggeſtionem, & con-
121. fortandum ſtomachum, quæ conditæ ad hunc effectum ſumuntur. Durandus vero loquitur de *Piñolate*. In qua confectione ſi manent pinnæ integræ, & conglutinatæ ſentit frangere ieiunium, quod ſi commixtæ forent, & contritæ, ſicut manent grana *Cacao* commixta ſaccharo, & pipere, & cinnamomo, & contrita non dubito quod ſentiret non frangere; non enim vult Durandus quod ingredientia Electuariorum non maneant
122. in propria ſpecie, ſed in propria forma externa, in qua antequam condirentur frangebant ieiunium, cum condimentum hoc non faciat, quod non frangant, ſi antea frangebant. Sed Paludanus contra ſentit, quia etiam ſi maneant in propria forma, & figura poſt decoctionem, & confectionem condita non ſumuntur communiter in cibum, ſed in adiutorium digeſtionis, & ad confortandam debilitatem.

123. Et quidem profundius meditatus eſt Paludanus, nihil enim facit, quantum ad comeſtibilitatem & ad rationem cibandi, quod ingredientia hæc electuariorum amittant propriam figuram, etſi mauis propriam ſpeciem per decoctionem, & confectionem; ita enim nutriunt huiuſmodi ingredientia ante, & poſt, imo magis poſt decoctionem, vt manifeſtum eſt in nucibus confectis, quæ manduntur integræ poſt decoctionem, & confectionem, & ante non niſi nucleus. Quid ergo facit
124. decoctio, & confectio, vt diuerſo titulo ſumantur? nam poſt decoctionem non ſumuntur vt cibus, ſed in adiutorium digeſtionis, & tanquam medicina præſeruatiua debilitatis, quem titulum non habent antè confectionem, & ſic communiter accipiuntur; hoc enim venandum maxime eſt ex communi vſu, & conſuetudine, nam ante confectionem hæc ingredientia ſumuntur ad comedendum, poſt vero *quis illa manducat non vt manducet?* vt dicebat optimè Caietanus *in Summ. verbo Ieiunium.*

125. Pari modo dico de ingredientibus Chocolate, quæ abſque dubio conficiuntur dum in petra comminuuntur, & commiſcentur, itaut moraliter ſit impoſſibile ea ſeparare. Quare propriam formam, imo ſpeciem, amittunt, etſi ante confectionem comeſta frangerent ieiunium, quia tunc illa quis manducat vt manducet? tamen poſt confectionem aqua diluta, & ſi vis vt multi faciunt, concocta, non ſunt manducabilia ex propria inſtitutione, ſed potabilia, nec quis ea ſumit vt manducet, ſed vt bibat, & potione illa confortetur de-
126. bilitas naturæ, ſicut ſumit electuaria. Quare etiam ſi phyſicè ingredientia Chocolate maneant comeſtibilia, ſicut manent ingredientia electuariorum, tamen in ordine ad frangendum ieiunium, ſicut iſta non manent comeſtibilia propriè, ita neque illa, quæ tranſeunt in potabilitatem aquæ. Quod enim paſta del Chocolate artificio poſſit

ſepa

separari ab aqua, quid inde? ridiculum sanè est id pro fundamento solutionis habere, quia separata si sit in magna quantitate frangit ieiunium, sicut frangit antequam aqua diluereturr, at diluta non frangit, quia sic non sumitur vt manducetur, ad sedandam famem, sed vel vt bibatur, & vt confortetur debilitas stomachi, qua confortata fames
127. non sentitur, nec ieiunij difficultas, & sic amittitur aliquantum meritum ieiunij, non tamen frangitur præceptum.

CAPVT VIII.

Occurritur fundamentis oppositis.

SVMMARIVM.

128 *Soluuntur argumenta cap. 2. in contrarium adducta, & n. seqq.*

PRÆCIPVA fundamenta quæ P. Leander inuexit contra probabilitatem practicam opinionis meæ, ex dictis soluta sunt, ea ve-
128. rò quæ adduxi cap. 2. Facillimè corruunt. Ad primum respondeo quod ingredientia Chocolate post contusionem, & confectionem, & dilutionem in aqua calida, aut frigida, non manent propriè comestibilia, sed transeunt in vsum diuersum hominum, vt modo dicebam, sicut manent ingredientia electuariorum.

129. Ad secundum respondeo quod potus de Chocolate, vt dicebam in Tract. etiam refrigerat, & distribuit alimentum ratione aquæ quæ semper ponitur in magna quantitate, & ratione aliorum ingredientium aliquatenus nutrit, sicut facit mulsum ex vino, & melle confectum; tum etiam confortat debilitatem naturæ, & sic sumitur mane, & vespere quando magis huius debilitas sentitur.

130. Ad tertium cum suis confirmationibus respondetur quod iam dictum est cap. 4. omnia ea quæ concessit Author iste optimè probant in foro externo, & contentioso, non tamen in foro interiori conscientiæ, de quo nos loquimur.

131. Ad quartum, respondetur. Me semper locutum de Chocolate legitimo, & non adulterino, in hoc enim ponuntur diuersæ farinæ, vt plus pensitet ad lucrandum; legitimus enim solum habet ea ingredientia legitima quæ posui in Tractatu, quæ faciunt potum generosum, & confortatiuum debilitatis, ob quod dumtaxat à prudentibus sumitur, non vt nutriantur, & augescant, sed vt confortetur natura.

CAPVT IX.

Impugnatur Zacharias Pasqualigus.

SVMMARIVM.

132 *Laudatur Pasqualigus.*

133 *Idem impugnatur, quod friuolis nixus argumentis dicat quod Potus Chocolate ieiunium frangat & n. 134.*

Vix est status hominum in Ecclesia, quem ab obligatione ieiunij non excludat iste Author. ibid. Quod sigillatim ostenditur. ibid. & n. seqq.

PRÆFATVS Pater eruditus sane, & in re 132.
morali versatissimus & admiranda Resolutione in tomo nuper typis mandato, cuius titulus est. *Praxis ieiunij Ecclesiastici, & naturalis decis.* 141. in ea est sententia quod Chocolate frangit ieiunium Ecclesiæ, tum quia non potus, sed cibus est, tum quia maximè nutritiuus, itaut vncia huius massæ per diem integrum sustentet, tum quia ita sustentat quod vigilias causet, & somnum auertat, tum quia non datur ad extinguendam sitim, qui est finis potus.

Sed quamuis Author iste grauis sit pro hac 133.
sententia, pro mea habeo Authorem non minus grauem, tum religione, tum scientia, tum resolutione in re morali P. M. Lezana Regentem studiorum in Romano Conuentu Transtiberim PP. Carmelitarum, *in sua Summ. verbo Ieiunium n 2.* doctissimum Machado in Summa Hispana *tom. 1. lib. 2. p. 4. tract. 3. documento num. 8. vers. pero no obstante*, ibi *y la verdad es, que citan probable qui casi nadie haze escrupulo de tomarla el dia de ayuno* idem sentit Caramuel. *in Regulam D. Benedicti disp. 128. num. 1613.* quem citat & sequitur (& si lubrice) Diana *part. 8. tract. 7. resol. 53. vers. quod magis nunc opinor.*

Et in primis miror Zachariam qui cum in To- 134.
mo prægrandi iam citato, vix sit status hominum in Ecclesia, quem ab obligatione ieiunij non excludat, dicat quod potus iste ieiunium frangat, nixus friuolis argumentis, cum aliàs ea quæ sunt pro nostra sententia valde vrgentia sint, decisione. 275. excussat pauperes. 276. Seruos quibus parum cibi ministratur. 277. iter agentes qui non inueniunt sufficiens viaticum. 278. illos qui ordinarie pane, & aliis sustentantur. 279. Vxoratos qui si ieiunant non possunt reddere debitum. 280. fœminam quæ si ieiunat colores perdit, quibus grata redditur marito. 281. & 285. Virginem 135.
sponsam, vel sponsalitio tractans, si ieiunans pulchritudinem amittat. 287. omnes illos qui exercent artes, vel officia laboriosa, etiam si ipsi alias diuites sint. 290. & 291. etiam si dies festiui sint in quibus non laborant. 293. Portantes onera. 295. Sutores. 296. Cocos qui condiunt cibos. 297. fornarios. 298. Textores. 299. Molendinarios assistentes per diem molis. 300. Eos qui circa pelles curandas laborant 301. Argentarios, & aurifices. 302. Qui vendunt per vicos, & plateas merces per diem integrum.

304. Mulieres lauatrices, etiam postquam ex- 136.
tendunt, & duplicant pannos, Sartores, & Barbitonsores non excusat, sed illos eximunt Diana, & Fagundez 305. Pictores, & sculptores. 306. Seruos, & seruas nimium laborantes. 307. & 308. Typographos, qui typis adstant. 309. Marinarios. 310. Milites præstantes. 311. Qui templa adornant. 312. iterfacientes pedites. 313. etiamsi iter voluntarium sit. 314. iterfacientes caballis currendo. 315. qui iter faciunt mulabus de Alquiler. 316. ludentes pila, vel alio ludo nimis laborioso. 318. Qui debiles facti sunt ex nimio inhonesto coitu.

319. Prædicatores, etiam si tribus tantum die- 137.
bus septimanæ sermonem habeant, cæteris diebus eximuntur. 326. Lectores, & Cathedratici

cuiuſcumque facultatis ex vi muneris eximuntur. 327. Illi qui oſtentationis gratia legunt ad opinionem acquirendam. 328. Studentes qui concluſiones defendunt, aut lectionem oppoſitionis faciunt. 330. Confeſſores nimium confeſſionibus aſſiſtentes, etiam ſi id faciant voluntarie. 331. Etiam ſi lucri gratia. 332. Studentes continuo. 333. Aduocatos, Procuratores, Iudices nimium laborantes. 334. Scribas, ſi maiori parte diei laborant, & Secretarios Principum diebus quibus nimium laborant. 335. Epiſcopos in diebus Or-
138. dinum, aut quibus exercitia laborioſa exercent. 337. Infirmarios qui multis infirmis aſſiſtunt. 339. illos qui in Septimana Sancta flagellantur, etiam ſi flagellatio voluntaria ſit. 340. Peregrinos ad loca Sancta. 341. Eos qui nimium voracem habent calorem ſtomachi 343. num. 5. Catholicos qui infidelibus inſeruiunt. 349. Eum cui aduenit Princeps hoſpes, vt illi in menſa aſſiſtat, poteſt frangere ieiunium.

139. Et deciſ. 325. dicit quod labor ingenij, & nimiæ attentionis excuſat ab obligatione ieiunij. Vnde n. 4. concludit: *Ex quibus colligitur quod ſi quis per totum ferme diem in negotiis difficillimis occupatur, vt contingere poteſt in oratoribus Principum, Præfectis Vrbium, Ducibus exercituum, qui ſemper negotia difficilia animo reuoluunt non teneri ad ieiunium, ſi quidem talis occupatio plurimum conſumit ſpiritus, & inducit notabilem debilitatem, & idem cenſendum eſt de cæteris Miniſtris qui plurimum occupantur in negotiis publicis.*

140. Hæc doctrina valde notanda eſt, cum ſit nimis conformis rationi, & ſic Præſides Conſiliorum, Conſiliarij viri & ſimiles ſecure ſunt excuſati ab obligatione ieiunij; ſic enim Lectores, & Prædicatores deobligantur à ieiunio propter vnam lectionem, aut ſermonem vnius horæ ſpatio durantem, cum iſti Miniſtri ſpatio quinque, vel trium horarum aſſiſtunt tractantes negotia difficilia, & diuerſa obligati ad ſtudendum, vt recte decidant cauſas multo magis excuſabuntur, non ſolum diebus conſilij, ſed etiam diebus feſtiuis, & feriatis. Ita reſpondi interrogatus, antequam viderem Authorem iſtum.

141. Qui cum rationes probabiles inueniret ad omnes relatos excuſandos, miratus ſum non ſibi occurriſſe ad dicendum quod Chocolate non frangit, niſi forſan hoc dicat pro Italia, & aliis regionibus in quibus conſuetudo ipſum bibendi non inualuit, ſicut inualuit in Indiis & in Hiſpania, poteſt enim eſſe in vna regione conſuetudo mitigans legem, & non in alia, vt eſt certum in iure. Quare conſultius P. Diana *in 4. part.* hoc remiſit Doctoribus Hiſpaniæ decidendum, quam cum *in 5. part.* negauit abſolutè tranſcribens non Theologum Hiſpanum, ſed iuriſtam.

142. Nec fundamenta Paſqualigij ſolida ſunt. Non primum, quia Chocolate potus eſt, quamuis aliquatenus nutriat, & eſt conſuetudo in Hiſpania ipſum bibendi. Falſum etiam eſt quod vna vncia maſſæ per diem integrum ſuſtentet, magis enim ſuſtentat, & debilitatem confortat vas vini generoſi, & tamen ſi bibatur non frangit, quod enim potus iſte ſomnum auertat non prouenit quod nimis nutriat, ſed quia nimis indigeſtus. Falſum etiam eſt quod ſitim non extinguat ratione aquæ in qua ſit; tum etiam vinum purum generoſum ſitim non extinguit, imo auget, & tamen non frangit ieiunium.

CAPVT VLTIM.

Vtrùm Chocolate, & vinum frangant ieiunium, ſi ſumantur ea intentione vt nutriant.

SVMMARIVM.

143 *Chocolate, & vinum an ieiunium frangant, ſi ſumantur ea intentione vt nutriant? affirmatiua ſententia ponitur, & tribus fundamentis ſtabilitur, & num. ſeqq.*

IN Tractatu typis dato membr. 2. à num. 21. latiſſimè probaui quod ſi vinum, & Chocolate ſumantur ea intentione vt nutriant, frangunt ieiunium, qui aſſumuntur in fraudem legis, & fraus nulli debet patrocinari. Hæc tamen doctrina quæ omnium ferè antiquorum eſt, aliquibus modernis dura viſa eſt; mihi vero veriſſima apparet, ad quod ſufficit quod eam tradat D. Th. *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 44. & 22. q. 143. art. 6. ad 3.* quem ſecuti ſunt duodecim Authores grauiſſimi, quorum nomina dedi loco citato. Quibus addo Archidiaconum citatum à Sylueſt. *verbo ieiunium q. 3.* Abulenſem *ad cap. 6. Matthæi quæſt. 164.* Ludouicum Lopez *tom. 2. inſtructor. cap. 112. verſ. ex prædictis autem ſequitur.* Medinam Complutenſem *quæſt. 11. de ieiunio* Azorium *1. p. lib. 7. cap. 10. quæſt. 4. §. certè negari & §. ſciendum.* Alenſem *p. 4. memb. 8. art. 1. §. 3.* Samuelem Lumblinum *in ſumm. verbo ieiunium num. 3.* ſequitur Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 2. dub. 2. num. 10. verſu infertur 10.* & eam probabilem dicit Diana *part. 1. tract. 9. reſol. 23.* 143. 144.

Huius ſententiæ aliqua ſuppetunt efficacia argumenta, præter doctrinas adductas loco citato *num. 23. & 24.* Primum fundamentum eſt, quia tam vinum, quam potus de Chocolate vere nutriunt. Et quis hoc negat? Cum experientia id doceat, quamuis ex primaria ſui inſtitutione ſint potus: ergo ſi quis ea ſumat ea intentione vt nutriant, & famem extinguant, peccat contra præceptum ieiunij, & reipſa ipſum frangit. Conſequentia eſt clara, quia quando actus exterior eſt capax vt imperetur à duplici actu interno accipit bonitatem, & malitiam actus imperantis; atqui vinum, & potus de Chocolate poteſt ſumi vt extingnat ſitim, & famem depellat: ergo ſi ſumitur intentione vt nutriat, & famem tollat, cum reipſa habeat hunc effectum, etſi per accidens ad ſuam inſtitutionem, dubio procul frangit ieiunium, cum intentio illa efficax effectum ſortiatur, qui eſt per accidens reſpectu inſtitutionis huius potus, eſt tamen per ſe comparatus ad intentionem. 145. 146.

Secundum fundamentum ſit, quia vt optimè notat Leſſius *lib. 4. de iuſt. & iure cap. 2. dub. 4. num. 27.* Baſſeus *in florib. verbo prudentia num. 10.* ex communi Doctorum, tunc fit fraus contra legem quando fit contra id quod lege vetatur, abſque colore, & artificio, quo violatio tegatur, tunc autem fit fraus legi quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, vt videatur illi non repugnare, & vt dicunt iſti ex Sylueſtro, *verbo Fraus* taliter operantes non excuſantur coram 147.

ram Deo à præuaricatione legis, etsi coram hominibus videantur legem seruare. Quæ doctrina verissima est, quia vt ait Glossa *in cap. constitutus de concessione prabendæ, verbo in fraudem si aliquid prohibetur vna via, non conceditur alia via, quia fraus fit legi.* Cum ergo Ecclesia in præcepto ieiunij prohibeat subministrare pabulum nutritiuæ potentiæ, nisi vnica comestione in die facta si quis facta hac vna comestione, vel ante ipsam intentione se nutriendi, vel sumat electuaria vel potionem vini, aut Chocolate in magna quantitate frangit ieiunium, quia fraus nulli debet patrocinari *cap. existens de rescriptis.* Cuius capitis decisio si in foro fori, & externo tenet, multo magis tenet in foro poli, in quo agitur Deo iudice, qui intuetur cor. Quare si quis animo se nutriendi pluries sumit vinum, aut Chocolate, apud me est certum quod pluries cibatur, & sic frangit ieiunium.

148.

149.

Tertium fundamentum sit, quia vt notat Glossa *in cap. quanto de priuileg.* tunc fit aliquid in fraudem legis cum quis saluis illius verbis sententiam eius circumuenit, vt constat in tutore, qui prohibitus rem pupilli emere aliam personam submittit, vt emat. Et in Religioso qui non dimittens habitum regularem, supra ipsum induitur habitu sæculari; iste enim etsi non dimittat habitum occultè, si tamen diuagetur extra claustra, omnes conueniunt ipsum talem esse apostatam, incurrere censuras contra Apostatas latas, quia sententiam legis circumuenit seruatis verbis. Aliud exemplum ponitur *in cap. constitutus de concessione prabendæ.* Aliud *l.* 4. §. *is autem D. ad Macedonianum.* Et plura alia adducit Syluester *verbo fraus in Glossa cap. quanto citato*: ergo si quis bibat vinum, aut Chocolate animo se sustentandi, & nutriendi, cum istæ potiones verè nutriant, quamuis ad hoc non sint institutæ etsi ore non comedat, sed bibat, & sic saluet verba legis, tamen eius sententiam circumuenit, & vere ex intentione, & ex opere operato pluries cibatur, & ieiunium frangit.

150.

151.

152.



TRACTATVS VNDECIMVS,

DE SVMPTIONE *DEL TABACO,* QVANDO EXIGITVR NATVRÆ IEIVNIVM ANTE SACRAM COMMVNIONEM.

PROOEMIVM.

1. SVmendi Tabacum abusus non minoris ponderis est quam delectatio sumendi Chocolatum in omni personarum genere, virorum, & mulierum, sæcularium, & Religiosorum, Sacerdotum, & non Sacerdotum: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, siue vt optimè legit Vatablus *Psalm.* 13. *vers.* 3. *in Scholiis num.* 6. *putorem contraxerunt.* Omnes Tabacum redolent, quo fœtore, deteriorem nescio; qui & eius ad præuaricandum se sumentem, efficaciæ est, sicque serpit, vt rari sint qui ab hoc cancro morsi non videantur, cuius impatiens desiderium omnibus momentis eos angit; quoddam consuetudinis genus est, obligantis sumentes vt ex se ipsis ad quærendum, si fortè eis desit, exeant, & vt dixit eleganter Seneca
2. *Epist.* 21. *ad suum Lucillum*, loquens de fame: *Præcepta non audit, poscit, appellat impudens, & molestus creditor.* Addidit Lipsius, & melius ad rem Horatius.

Quique sui inuitos etiam memores iubet iste.

3. Talis est efficacia prauæ consuetudinis quam Confratres Tabaci habent, vt & ipsa vel inuitos ad sumendum impellat, & nolentes, ad soluendum tributum singulis horis, cogat: *Impudens & molestus creditor.* Et sic Plautus in Comœdia captiui duo dixit.

Miseri victitant succo suo.

Nec intendo contra hunc abusum scribere, hoc enim in vacuum esset, sed nonnulla moralia puncta, ad conscientiam spectantia, resoluere, de quibus pluries interrogatus sum, vt Confessores,

feſſores, & ſpirituales Patres ſuos pœnitentes prudenter dirigere valeant, ſcrupulos illis moleſtos, adimentes, & Epiſcopi ſancto, & prudenti zelo à ſuis Eccleſiaſticis tale vitium deturbent.

CAPVT I.

Sumendi Tabacum conſuetudo nullum cum Dæmone pactum includit.

SVMMARIVM.

4 *Tabacum ſumentium captiuitas exaggeratur, & num. ſeqq.*
7 *Opus Dæmonis eſſe videtur.*
8 *Dæmonem primum fuiſſe, qui Sacerdotes Idololatras ſumere Tabacum in fumo docuit, dixit Monardes.*
9 *Ridiculum, & abſque fundamento eſt aſſerere, quod conſuetudo ſumendi Tabacum, vllum cum Dæmone pactum includat, & num. ſeqq.*

4. TALIS huiuſmodi conſuetudinis vis eſt, eſt, obligans, ſolicitans, imo cogens, vel inuitum ad huius Tabaci ſumptionem, contra ipſius rationis dictamen, vt maleficij quoddam genus ſit, & interioris violentiæ trahentis, & impellentis etiam ad non volitum, vt Paulus dixit: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem.* Miſerabili ſane captiuitati Tabachiſtæ obnoxij ſunt, à qua vix in libertatem valent reſilire, & vt captiui ſerui ait Plato ex Homero:

Dimidio mentis depriuat Iupiter illos
Seruilis quoſcumque viros ſors cœperit vnquam.

5. Magna mentis portio, eis qui ſeipſos Tabaco ſeruos dederunt, certè deeſt, & ita dicere poſſunt cum Propertio:

Quis me Deus obruit? aut quæ
Lecta Promethais diuidit herba iugis.

Iſta herba quaſi maleficiati ſunt, quæ genus *philtri eſt*, & vt vult Briciola *lib. 3. Horarum ſucceſſiu. cap. 6.* quoddam veneni genus eſt, quod ſumptum, ipſam etiam naturam mutare videtur,
6. & ex libera reddit ancillam, quod veneni proprietas eſt, vt notauit Iuriſconſultus *l. qui venenum 236. D. de verbor. ſignificat.* & *l. quod 36. §. 2. D. de contrahenda empt. l. item ſi obſtetrix. D. ad l. Aquiliam.* Cumque huiuſmodi interior vis, quam quiſque in ſe experitur, quæque illum ad ſumendum Tabacum impellit, iſtius herbæ virtus naturalis non ſit, opus Dæmonis, vt in cæteris maleficiis, eſſe videtur; qui virtute pacti imaginationem, & phantaſiam excitat, vt anxiè, ſicut experitur, ſumptio talis deſideretur, & quouſque exequutioni deſiderium mandetur, requies, & tranquillitas non contingat.

Confirmatur hoc, quia vt dixit Monardes in Hiſtoria *de las plantas del nueuo mundo cap. 14.*
8. Dæmon primus fuit qui Sacerdotes Idololatras ſumere Tabacum in fumo, docuit, quem ſumebant quando de futuris euentibus interrogabantur, à cuius efficacitate conſoporati, & ebrij redditi, ad ſe ipſos reuerſi, quæ ſomniauerant, vel quæ Dæmon, media tabachi qualitate, illis ſuggerebat, & in imaginatiua ponebat, vt pro reſponſo Idolo, & Infernalis Oraculi darent; reſpondebant; & ita vt res à tali Authore introducta, ſemper ſua machinamenta ſapit.

Ob hoc aliquis zeloſus imprudens dicere po- 9.
terit, illam interiorem vim, quam aſſuefactus tabaco ſentit, prouenire ab aliquo pacto implicito, quod eo ipſo quod hæc herba in vſu ſit, contrahitur. Sed hoc aſſerere ridiculum, & abſque fundamento eſt, qua, vt doctè Martinus del Rio notauit *diſquiſit. Magicar. lib. 4. cap. 2. quæſt. 6.* cum Dæmone duo ſolum pactorum, ſeu contractuum genera ſunt, alterum explicitum, quod bifariam fit, vel expreſſis verbis, quæ Dæmon 10.
ipſe ad aliquem effectum inſtituit, vel aliquod ſignum, aut actionem, quam Dæmon poſuit ad petita præſtanda faciendo; & hoc pactum explicitum, proprium Nigromanticorum eſt, & per plures ſpecies habet, quas affert, & explicat idem Author *tota quæſtione 7.* Et hoc pactum explicitum certè tabachiſtis non eſt, ſiquidem tabacum ſumendo, ad petitionem illorum nihil Dæmon operatur, vt contingebat Sacerdotibus quos Monardes refert.

Alterum pactum eſt implicitum, & eſt cum ali- 11.
quis ſcire cupit aliquam rem occultam per illicita media, & non diſpoſita à prouidentia Diuina, ad talem rem ſciendam, & cognoſcendam, & ita eo ipſo quod talibus mediis vti vult, tacitè, & implicitè à Dæmone edoceri optat. Tale pactum Geomantici habent, qui per puncta in terra exarata aliquam rem occultam callere volunt, qui ſortes fauis, chartis, &c. immittunt, eis fidem
adhibentes. Et hoc etiam pactum Tabachiſtis 12.
non eſt; ſiquidem tabaco vtentes nullum occultum ſcire cupiunt, ſed ſolum ab illa voluptate allecti, ipſum ſumunt, & à praua conſuetudine tracti, vt S. Ioann. Damaſcenus dixit, *lib. 3. Parallelorum cap. 59. Inuereratus animæ mos, ac vitij ſtudium temporis longinquitate confirmatum; vix autem, & nullo modo curari poteſt, quippe cum conſuetudo in naturam vt plurimum migret.* Et inferius: *Morbi quibus diuturno tempore quiſpiam aſſueuit, vix iam omnino, aut etiam ne vix quidem depelli, aut profligari poſſunt.* Et Ariſtot. *lib. 1. rethor. capit. 11.* ait: *Similis eſt conſuetudo naturæ, nam vicinitatem habet, quod ſæpe fit cum eo* 13.
quod ſemper; eſt autem natura eius quod ſemper fit, conſuetudo vero eius quod ſæpe. Et ita illa vis interior quam Tabachiſtæ ſentiunt, illos ad ſumendum impellens, non eſt vis alicuius pacti, ſed prauæ conſuetudinis, quam quis dubitat poſſe exiſtere ſine eo quod pactum implicitum, vel explicitum cum Dæmone interueniat.

Et quidem ſolummodo hæc duo pacta, & contractus cum Dæmone eſſe docet S. Thomas 2. 2. *quæſt. 95. art. 2.* vbi ait: *Omnis autem diuinatio* 14.
ex operatione Dæmonum prouenit, vel quia expreſsè Dæmones inuocantur ad futura manifeſtanda, vel quia Dæmones ingerunt ſe variis inquiſitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate.

tate. Et hos duos modos vocat in reſponſione ad 2. *pactum tacitum, vel expreſſum.* Et in art. 3. ait quod pactum tacitum, vel implicitum eſt quando *præter intentionem hominis ſe homo occultè ingerit ad prænuntiandum futura quæ hominibus ſunt ignota.* Ita Caiet. *ibidem §. in art. 3. & art 4. §. ſcito ſecundo.* Et in *ſumm. verbo diuinatio.* vbi Syluester *num.* 2. Tabiena *num.* 3. Nauarrus *cap.* 11.
15. *num.* 25. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 4. *n.* 26. Sanch. *lib.* 2. *ſumm. cap.* 40. *num.* 8. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 27. Valentia 2. 2. *diſput.* 6. *q.* 13. *punct.* 1. Sayrus *in Clau. lib.* 4. *cap.* 6. & eſt omnium Theologorum, & Summiſtarum.

16. Nec mihi videtur, (ſiquidem occaſio ſe obtulit pertractandi huiuſmodi generis vanitatis, & ſuperſtitionis quæ fit cum pacto implicito Dæmonis, prænuntiando per lineamenta manuum, per ſortes fabarum, chartarum, & ſimilium) hic prætermittere doctrinam vtiliſſimam Caietani *in articulum* 3. *citatæ quæſtionis* (ex qua etiam conſtabit ridiculum eſſe in conſuetudine ſumendi Tabacum pactum interuenire) vbi rogat: *Quare vana inquiſitio futurorum ſit perniciosa, an ex propria natura, an quia prohibita, & damnata ab*
17. *Eccleſia? & in §. ad euidentiam huius* ait: *Sciendum eſt vanas occultorum inquiſitiones dupliciter fieri poſſe. Primò vt vana. Secundò vt vtilia ad cognitionem occultorum, ſi fiant vt vana ſic conſtat quod fiunt vt in veritate ſunt; & ſic cum vacare vanis in quantum huiuſmodi nullam maiorem culpam, quam vanitas ſit, ponat; conſequens eſt quod exercere inquiſitiones vanas, vt vanas, licet ſit ſe-*
18. *cundum ſe malum, non tamen perniciosum eſt, vnde veniale tantum peccatum eſt ſi quis vtatur huiuſmodi inquiſitionibus vanis, vt vanis, hoc eſt, non expectans notitiam ex ipſis, niſi à caſu; ſi vero fiant vt vtilia, cum non ſint ſecundum veritatem vtilia ratione ſui, ſed ratione virtutis Dæmoniacæ, Inquiſitiones iſtæ ex genere ſuo ſunt perni-*
19. *ciosæ quoniam vti vanis, vt vtilibus, ſecundum ſecretam vim Dæmoniacam manifeſtè perniciosum eſt. Nec obſtat ſi dicatur, quod inquiſitiones iſtæ vt vtiles non fiunt ſecundum ſecretam vim Dæmoniacam, ſed ſecundum ſecretam quamdam vim nobis ignotam.*

Dicunt enim inquiſitores iſti quod non inuocant, nec inuocare intendunt Dæmonem, ſed vti talibus quia experiuntur illa eſſe vtilia ad huiuſmodi oc-
20. *cultorum cognitionem. Hoc, inquam, non obſtat, quia ex quo ſecreta illa virtus in veritate eſt virtus Dæmoniaca, niſi homo vtens excuſetur propter ignorantiam, Diabolicæ ſocietati ſe immiſcet tacitè ex hoc ipſo quod vtitur vanis vt vtilibus ſecundum ſecretam vim ignotam. Debet enim habere curam operum ſuorum, vt ſciat quid facit. Quando vero ignorantia in iſtis excuſet à mortali, & quando non, ex communibus ignorantiæ regulis iudican-*
21. *dum eſt; rationi autem conſonum eſt vt credentes abſque hæſitatione aliqua inquiſitiones aliquas quæ in veritate ſunt vanæ ſecundum ſe, vtiles autem ex Dæmone, eſſe vtiles ex diuina, aut naturali, ſecreta tamen virtute, & pro tanto eis inhærentes, ac eis vtentes, ſic tamen quod parati ſunt nullo modo facere, ſi ambiguum eſſet quod ex Dæmone eſſet, excuſentur à mortali, niſi fortè laborarint ignoran-*
22. *tia affectata, aut craſſa, aut ſupina. Hos enim non audeo excuſare. Talis enim videtur ignorantia eorum qui vtuntur quodam verſiculo Pſalmiſtæ ad hoc quod annulus ſuper protenſo filo moueatur. Conſtat enim ex Deo non eſſe inditam virtutem ſa-*
cris verbis ad huiuſmodi leuitates, neque ex natura ineſſe verbis illis hanc virtutem: ex Dæmone igitur, & hoc vnum dixerim vt ex hoc alia ſcias indicare.

Ex qua doctrina colligo primo vtentem Aſtro- 23.
logia iudiciaria, ſortibus quæ fabis, chartis & ſimilibus immittuntur, non illis fidem adhibendam nec intelligentem aſtra, vel fabas habere occultam virtutem, vtilem ad futura contingentia libera demonſtranda, ſed potius intelligentem prorſus vana eſſe, & ex natura ſua ad huiuſmodi finem impertinentia, & ſi forte quod ſciri optatur euenit, hoc à caſu, & accidentaliter prouenire; iſtum inquam, ſuperſtitioſum non eſſe, nec lethaliter 24.
peccare, & ita non incurrere aliquam pœnam, neque denunciandum eſſe; cæterum ab incepto diſſuadendus eſt, propter imminens periculum talibus vanis fidendi, vt notauit Delrius *quæſt.* 7. *ſection.* 4. Hoc corollarium tenent Sanchez *c.* 30. *n.* 21. Sayrus *cap.* 7. *num.* 4. Suarez *cap.* 10. *num.* 6. Leſſius *cap.* 43. *num.* 53.

Et idem dico cum Caietano *verbo Superſtitio.* 25.
cap. 2. Armilla *ibi num.* 3. ſi qnis obſeruet ſomnia, vel huiuſmodi, non illorum ſignificationi fidem certam adhibens, ſed ſolummodo timens, propter infauſtum euentum ex iis alias expertum, vel gaudens de contrario etiam experientia comperto, non adhibendo fidem, vt dixi, nec ſomnio, nec experientiæ; ſiquidem velut notarunt Auguſtinus *lib.* 2. *de doctrin. Chriſt. cap.* 20. S. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 3. *ad* 2. Dæmon, talibus fidere contuens, vt fi- 26.
deles erroribus grauioribus implicet plures huiuſmodi euentus, ex malitia, & prauo fine cauſabit.

Colligitur ſecundò, eſſe mortale aliquibus verbis vti, quæ prolata aliquos effectus viſibiles cauſant, ad quæ virtutem non habent, vt in exem- 27.
plo præfixo à Caietano, & in verbis quæ aliqui dicunt vt vas tritici purgatorium vulgo *Harnero*, vel *Cedaſo*, moueatur & in aliis ſimilibus; & ita 28.
quiſquis talibus vtitur, & in more proferre habet ad aliquam rem occultam cognoſcendam, grauiſſimè proculdubio peccat, ſiquidem talibus vtens ſuperſtitioſus eſt, & cum Dæmone pactum implicitum habet, cui honorem, Deo debitum, tribuit, cum euidens ſit hanc virtutem à Deo cauſari non poſſe, nec à bono Angelo, qui talibus vanitatibus non concurrunt, niſi forte aliqua fœmina alias probæ conſcientiæ inuincibili ignorantia laboret, quia vir doctus, vel ab illa iuſtus 29.
putatus illam docuit, & non mala teſtificatus fuit.

Dixi alias probæ conſcientiæ, quia in mulierculis deperditis, & talibus aſſuefactis, peccatum non excuſo, ſed potius dico non debere abſolui ſed Sacro Tribunali denuntiari, tum propter tacitum pactum, tum quia grauiſſimorum damnorum cauſa ſunt. Nec ſufficit ſi dicant ſe illis nul- 30.
latenus fidem adhibere, ſiue verbis, ſiue quibuſcumque effectibus, quia eo ipſo quod huiuſmodi rebus vtuntur, effectus viſibiles, quos cauſant, vident, vltrò ſe Dæmoni ſubiicere volunt, illa cauſanti, à cuius ſola virtute producuntur. Sed de graui, & pernicioſo peccato non condemnarem illum qui ſemel, vel iterum huiuſmodi verba ob curioſitatem, &. vt videat ſi ita ſint quæ di- 31.
cuntur, protuliſſet: quia perfectam fidem Dæmoni, & eius vanitatibus nondum adhibet. Et hoc obiter dictum ſufficiat.

Ad rationem dubitandi dico me concedere

quod

quod euidens est, & negari non potest, vt docet experientia, scilicet anxietatem illam, & internam vim in illis qui tabaco dediti sunt; illam animi impatientiam si tabacus forte desit; sed hoc non prouenit ab aliquo pacto, sed à misera consuetudine ex actibus repetitis generata, quæ delectationem causat siue in olfactu, siue in æstimatiua receptam, quæ istam herbam ad coquendas humiditates, & cerebrum desiccandum optimam apprehendit, vt in rei veritate contingit, si moderate, & debitis horis sumatur. Sed in ista herba
35. id euenit, quod antiquitus in *Heleboro*, etiam herba passim nota quæ *Melanpodium* vocitatur, quia pastor sic nuncupatus eam adinuenit, qua suas oues, & capreas medebatur, & vt Plinius refert *lib. 25. cap. 5. Antiquitus plurimus vsus fuit huius herbæ ad leuanda capitis vitia.*

Antiqui communiter illa vsi sunt ad caput purgandum, & ita huiusmodi herbæ vsus inualuit,
34. quod vt refert Plinius, *Plerique studiorum gratia ad peruidenda acrius quæ commentabantur sæpius sumptitauerint. Nominatim autem Carneades Academicus scripturus aduersus Stoici Zenonis libros candido Helleboro superiora corporis purgare solitus legitur, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia vsque animi redundaret, & instantiam, vigoremque mentis labefactaret.* & loquens de *Helleboro* ait: Album optimum quod ce-
35. lerrime mouet sternutamenta. Et ita hodie pro Helleboro tabacus introductus videtur, sic hominibus, etiam litteratis lateralis, vt ad læuam tabacum ad dextram librum habeant: *Et studiorum gratia ad peruidenda acrius quæ commentantur sæpius sumptitant.*

Ingenij acumen tali herba exacui, quin potius & viuacitatem in discurrendo, existimant, vt Helleborus præstabat, de quo ait Ausonius ad Theonem:

Helleborumque bibas Samij Lucumonis acumen.

36. Sic autem ad hunc finem pretio habebatur, vt Rhadamantus *lib. 2. verar. narration.* dicat Hippocratis receptam fuisse: *vt Aiax Helleborum bibat, priusquam Heroum consortio recipiatur,* & Chrysippo non permissum *in beatorũ insulam immigrare, nisi quartum iam sumpto helleboro.* Quia per tres vices in vitæ decursu sumpto, quarta ad rationem proportionatam comparandam egebat, vt disertis, & prudentibus illius insulæ incolis colloqui apte valeret.

37. Ita Tabacum sumi fas certe esset; sed non incongrue reor hodie Tabachistas album helleborum necessarium habere, vt apprehensionem ipsam ementitæ delectationis, & salutis acquirendæ exuant: error absque dubio, siquidem illis simi-
38. les existunt, qui pulueres, carbones, & lutum mandunt, & in vsu hæc & similia habent, in quibus talem delectationem inueniunt, vt absque illis vitam transigere non inueniant. Interrogatus autem Aristot. *lib. 1. Rhetor. cap. 11. & lib. 9. ethic. cap. 12. & cap. vlt.* cur homo in iis quæ sospitati, & saluti aduersa sunt delectationem, &
39. quidem non modicam, sentiat? respondit has veras delactiones non esse, sed apparentes. *Propter corruptam dispositionem eius, qui talibus delectatur,* vt S. Thom. explicat *sect. 12. litt. 6. & 12. q. 31. art. 7.*

Et ita huiusmodi in hac parte læsam certe imaginationem habent, propter malam complexionem illos ad capiendam delectationem in iis quæ conseruationi propriæ opponuntur instigantem. Sic ægrotanti dulce pro amaro est, quia gustus à prauo humore possessus damnificatus est. Pari modo hos Tabachistas imaginatione, & æstima- 40.
tiua claudicare reor, qui in iugi tabachi sumptitatione dulcedinem, & delectationem inueniunt vt in comedentibus lutum, terram, &c. & ita opportune Tabachistis dicemus quod Lucianus in Dialogo: *Minippi, & Tantali, Despis Tantale, & vt vere dicam helleboro potu tibi opus est.* Et de alio qui læsam mentem habebat dixit Aristophanes *in vespis: Bibe Heleborum.* Cuius proprius effectus erat *sanare capitis, & mentis vitia.*

Sed sunt nonnulli ita inuitiati, vt ita dicam, 41.
ita mente aberrantes, & fatui in sumendo, & pro sumendo, vt de illis dici potest quod ad aliud propositum dixit Plautus:

Non potest hæc res trium iugerum helleborum obtineri.

omne heleborum illis mentem restituere non poterit.

Nisi dicamus Tabacum hic esse herbam de qua Plinius agit *lib. 25. cap. 4.* & Græce vocatur *Hyoscyamum: Non legitur nisi cum aruit natura vini; ideoque mentem, caputque infestans, quippe etiam foliis constat, mentem corrumpat, si plura quam quatuor bibantur, temeraria in totum, vt arbitror, medicina. Mireque vt contra venenum remedia prodire his, qui id bibissent, & ipsum pro re* 42.
mediis adeo nullo omnia experienda sine, vt cogerentur etiam venena prodesse. Hucusque Plinius, & ad intentum sufficiat pactum cum Dæmone non esse, sed vim prauæ consuetudinis.

Ad confirmationem respondetur, quod quamuis verum si quod Monardes refert Dæmonem assumpsisse pro instrumento Tabacum in fumo ad sua Oracula promenda, hodie tamen ad hunc 43.
finem non sumi, sed ad delectationem, & propter apprehensionem quam Tabachistæ habent se in illo profectum salutis sentire; & ita illius sumptio pactum non est, etiam implicitum, vtpote non ordinatur ad cultum Dæmoni exhibendum, neque hoc vllo modo intenditur, neque aliquam rem arcanam venare, aut scire,

CAPVT II.

Quid sit ieiunium naturale.

SVMMARIVM.

44 *Ad accipiendam sacram communionem, debent illi, qui sani sunt corpore, ieiuni accedere ieiunio naturali, & num. seqq.*

47 *Definitio ieiunij naturalis traditur, & explicatur, & num. seqq.*

50 *Verba S. Thomæ ad propositum adducuntur, & num. seqq.*

53 *Differentia inter ieiunium naturale, & Ecclesiasticum, quæ?*

54 *Potus vocatur humidum nutrimentum.*

55 *Cur ieiunium ad sacram communionem requisitum, dicatur naturale? & n. seqq.*

58 *Hoc præceptum ieiunij naturalis ad S. Communionem prohibet actum exteriorem voluntarium sumendi aliquid ore ad comedendum, aut bibendum, & num. seqq.*

Duo ieiunia naturæ. ibid.

Omnes

44. OMNES Theologi, & Summiſtæ quos infra dabo, in eo conueniunt quod ad accipiendam Sacram Communionem, illi qui ſani corpore ſunt, debere ieiunos accedere ieiunio naturali, itaut qui taliter ieiuniis non ſit, nullatenus Sacram Euchariſtiam accipere queat. Sic determinauit Concilium Toletanum VII. *can.* 2. *Nullus poſt cibum, potumque quemlibet minimum ſumptum Miſſas faciat.* Et Concilium Carthagin. 3. *cap.* 29. *& cap. ex parte* quod eſt Innocentij III. quod habetur *in tit. de celebrat. Miſſar.* & Auguſtin. *epiſt.* 118. *ad Ianuarium*, ait.

45. *Placuit Spiritui Sãcto in honorem tanti Sacramenti, prius in os Chriſtiani Corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.* Idem docuit S.Thom. 3. *p. q.*80. *art.* 8. Gloſſa *in cap. ex parte de celebrat. Miſſar. verbo niſi fortè.* vbi Barboſa *n.* 5. & cæteri Canoniſtæ. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſtia cap.* 50. *num.* 9. Suarez *tom.*4. *in* 3. *p. diſput.*68. *ſect.*4. Granado *contro.*6. *de Euchar. tractat.* 10. *diſp.*8. Fagundez *in* 3. *Eccl. præceptum lib.* 3. *c.*5. Philibertus Marchin. *tractat.*3. *de ſacrificio Miſſæ p.*3. *cap.* 8. Bonacina *diſput.*4. *de Sacramentis q.*6. *punct* 2. *num.*6. Nuño 3. *part. q.* 80. *art.* 8. Ioan. Sanchez *diſp. ſelect.* 42. Azor. *tom.*1. *lib.* 10. *c.*3. *q.*1. *&* 2. Reginaldus *lib.*29. *praxis lib.*117. Layman *lib.*5. *tract.*4. *cap.*6. *num.* 17. Coninch 3. *p. q.*80. *art.* 8. *num.* 46. vbi Præpoſitus *n.*39 Filliucius *tom.*1. *tract.*1. *cap.*8. *q.*11. Hurtado Compluten. *de Euchariſt. diſp.*9. *diff.*4. Lugo *de Sacram.*

46. *diſp.* 15. *ſect.*2. Vaſquez 3. *p. diſp.*211. *cap.*2. Omnes hi Doctores, & plures alij qui afferri poterunt contra Gothifredum, Præpoſitum, & alios antiquos, docent vt quis ſanus Sacramentum Euchariſtiæ recipiat debere ieiunum eſſe naturali ieiunio.

Quod ieiunium ſecundum hos Authores ita poterit definiri: Eſt abſtinentia ab omni cibo, &

47. potu, omnique guſtabili. Eſt totalis abſtinentia omnis cibi, potuſque, & cuiuſcumque guſtabilis, taliter quod omne illud quod per modum potus, aut cibi poteſt in ſtomacho corrumpi, & in ſubſtantiam comedentis, aut bibentis conuerti, hoc ieiunium tam rigoroſum ſoluit, quod Spiritui Sancti placuit in fidelibus Sacram communionem recepturis inueniri, quia cum caro Chriſti vere ſit cibus, vereque ſit potus ſanguis, vt ipſemet teſtificauit: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, Ordinat Eccleſia quamlibet rem famis, vel ſitis extinctiuam, etiam in minima quantitate, impedimentum huic Sa-

48. cræ Communioni exiſtere.

Et propter eamdem rationem notauit Paludanus *in* 4. *diſt.*8. *q.*2. *art.*2. *conc.*1. etiam impedire communionem quamlibet rem per os ſumptam, quamuis per modum medicinæ ſumatur, quia ſicut hoc Sacramentum animæ cibus, & potus eſt Medicina, & ſic: *in reuerentiam Sanctitatis huius Sacramenti inſtitutum eſt, quod os Chriſtiani ſuſcipientis corpus Chriſti, quaſi nouum ad ipſum ſumendum accedat; quælibet autem cibi aſſumptio hanc nouitatem aufert.* Quam rationem reddunt Concilium Toletanum citatum, & D. Aug.

49. *cap. liquido* 54. *de conſecrat. diſt.*2. Quia etſi verum ſit medicinas, ciuiliter loquendo, alimenta non dici *l. non omne D. de penu legat.* phyſicè tamen alimenta ſunt, in ſubſtantiam ſumentis conuertibilia.

50. Hanc doctrinam docuit S.Tho. ibi *q.*1. *a.*4. *quæſtiunc.*1. *ad* 2. cuius integra verba dabo, quia deſeruient tam ad reſolutionem quæſtionis præſentis, quam ad confirmationem præteritæ. Ait igitur S. Doctor: *Duplex eſt ieiunium, ſcilicet naturæ, & Eccleſiæ: ieiunium naturæ eſt quo quis ieiunus dicitur ante cibum ſumptum illa die, etiam ſi pluries poſtea comeſturus ſit, & quia hoc ieiunium dicitur ex comeſtione cibi præaſſumpti, ideo quælibet cibi ſumptio hoc ieiunium tollit. Ieiunium autem Eccleſiæ eſt quo dicitur ieiunans ſecundum modum ab Eccleſia inſtitutum ad carnis afflictionem, & hoc ieiunium manet etiam poſt vnicam comeſtionem, nec ſoluitur niſi poſt ſecundam ſumptionem illorum quæ in cibum & refectionem de ſe cõſueuerunt aſſumi, & ideo ea quæ propter alios cibos accipi conſueuerunt, vel dirigendos, ſicut electuaria, vel deducendos per membra, ſicut potus vini, aut aquæ huiuſmodi ieiunium non ſoluunt, quamuis etiam aliquomodo nutriant. Ad debitam ergo ſumptionem Dominici corporis non exigitur ieiunium*

51. *Eccleſiæ, quia etiam præter dies ieiunij hoc Sacramentum celebratur, ſed requiritur ieiunium naturæ propter reuerentiam Sacramenti, & ideo ſecundum communem ſententiam electuaria, & vinum præaſſumpta impediunt à perceptione Euchariſtiæ. Sed de aqua diuerſa eſt opinio. Quidam dicunt, quod quia nullo modo nutrit, non ſoluit, neque ieiunium*

52. *naturæ, neque ieiunium Eccleſiæ. Sed quamuis aqua in ſe non nutriat, tamen commiſta nutrit, in ſtomacho autem oportet quod aliis humoribus commiſceatur, & ideo in nutrimentum cedere poteſt, & propter hoc alij probabilius, & ſecurius dicunt quod etiam poſt aquæ potum, Corpus Chriſti non ſumendum eſt.* Hactenus ibi.

Loquitur proculdubio S. Thomas vt inſignis 53.
Theologus, & Philoſophus, vt Theologus aſſignando differentiam inter ieiunium naturale, & Eccleſiaſticum introductum *ad carnis afflictionem*; vt Philoſophus rationem euidentem demonſtrans, quare *aſſumptio aquæ* frangat ieiunium naturale? quia etſi aqua in ſe conſiderata non nutriat, nec aliquam ſubſtantiam reparet deperditam, vt docent Galenus *lib* 4. *de vſu partium.* Hippocrates *in libello de Alimento* Valleſius *lib.*5. *Medicarum cap.*7. tamen aliis mixtis commiſta vere nutrit, & reparat, & eſt viuentis alimentum, vt docent Ariſtot. *lib.*2. *de Anima lect* 5. *litt. C.* D. Thom. ibi. Mercado *lib.*1. *de recto præſidiorum artis Medicæ vſu cap.*2. Valeriola *lib.*1. *de locis cap.* 7. Galeno *lib.*2. *de ſimplicium medicament. facult. cap.*32. Et ita ille magnus illorum temporum 54.
Philoſophus Clemens Alexandr. *lib.*1. *Pædagogi cap.*6. paulo ante finem, potum definit, dicens: *Vnde potus vocatur humidum nutrimentum.* Et ſic dubium eſſe non poteſt, quod ſicut aquæ potus ieiunium non frangit Eccleſiaſticum inſtitutum ad afflictionem carnis, naturale frangere, quod ad communionem requiritur.

Sed aduertendum eſt, hoc ieiunium ad ſacram 55.
Communionem requiſitum, dici *naturale*, vel *naturæ*, quod Antiqui vocauerunt ieiunium *ieiunij*, vt notauit. Franciſcus de Como, *in ſua Summ. verbo ieiunium num.*8. ad diſtinctionem ieiunij Eccleſiaſtici. Quadrageſimalis, & alius cuiuſuis Eccleſiaſtici, quod vocatur *ieiunium ieiunantis.* Non quia ieiunium naturale non ſit etiam de Eccleſię præcepto, quod veraciter eſt, vt conſtat ex Concilio Toletano citato, & ex Auguſtino affirmante præceptum à Paulo præfixum fuiſſe in illis verbis *ad Cor.*1. *cap.*8. *Cætera vero cum venero diſponam.*

disponam. Quem ordinem vniuersum per orbem seruat Ecclesia ab ipso ordinatum esse, quod nulla horarum (id est regionum) diuersitate variatur. Et
56. ita Ecclesia omni rigore disponit, quemlibet communicaturum ieiunum accedere ieiunio naturæ, taliter quod hoc negatiuum præceptum ita arctum, priuationem cuiuscumque potus, & cibi intendit, vti S. Thomas dicit citatus *ad secundum. Ieiunium dicitur per priuationem actus comestionis, secundum quod comestio, etiam potionem includit: comestio autem principaliter dicitur à sumptione exterioris cibi, quamuis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, & vlterius ad nutritionem; & ideo quæ interius geruntur, sine exteriori*
57. *cibi sumptione non videntur soluere ieiunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem, sicut deglutio saliuæ.*

58. Et ita hoc præceptum ieiunij naturalis ad communionem prohibet actum exteriorem voluntarium sumendi aliquid ore ad comedendum, aut bibendum; duo ergo ieiunia naturæ sunt, alterum physicum, & est illud quod dicit priuationem cuiuscumque rei ab stomacho receptibilis, siue per os sumptum, siue à capite destillatum, siue per nares acceptum, vel per aliam Corporis partem, per quam in stomachum aliquod alimenti genus traiici valet. Et hoc ieiunium non requiritur, nec Ecclesia ad communionem præfigit, quia si cui vel reumata, vel sanguis è capite in stomachum descendunt, vel saliuam glutit, communionem accipere potest vt docet S. Tho. quem omnes sequuntur; quod ieiunium physicum naturale non habet, siquidem stomachus de illo quod de
59. nouo aduenit nutritur. Alterum est naturæ ieiunium, & hoc vocare possumus *ieiunium naturæ morale, & voluntarium*, quod consistit in priuatione cuiuscumque actus exterioris voluntarij, sumendi quamcumque rem per os, quod est instrumentum datum à natura, vt per illud nutriremur. Et hoc ieiunium naturale est quod ab Ecclesia præcipitur ante communionem. Constat perspicuè ex Sanctis Doctoribus Augustino, & Thoma citatis: *Placuit Spiritui Sancto in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani Corpus Christi intraret, quam reliqui cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.* Idem determinatur in Concilio Altisiodorensi *cap.* 19. & in Constantiensi *sess.* 13.

60. Cum autem hæc traditio, & præceptum Apostolicum receptum in tota Ecclesia sit, dicere non esse conueniens sumere Eucharistiam, sine eo quod aliquid comedatur, vel bibatur voluntarie, error manifestus esset, quem Lutherus habuit *lib. de Missa priuata.* Quia quamuis Christus suos Apostolos post paschalem agnum sumptum communicauerit, & per consequens non ieiunos, hoc Christus Dominus non sine magno mysterio fecit, vt ait Augustinus, vt post esum legalis agni, Sacramentum illorum cordibus arctius impri-
61. meretur, quia illud huius typus fuit. Et Beda Venerabilis ait, *hoc Conuenientissimum extitisse, vt prius figuræ satisfieret, quam figuratum, & veritas institueretur, sed cessante figura noluit vt deinceps eodem ordine, hoc est post alios cibos sumeretur. Sed Apostolus docuit, ieiunis traderetur.* Argumento, *ex cap. Quod à maioribus* 75. *dist.* quod est Leonis Primi. Et ita in Concilio Carthag. 3. *cap.* 48. dicitur hanc consuetudinem confirmatam in Concilio Nicæno. Et idem determinatur *in* 6. *Synodo Can.* 28.

Sed dicet aliquis, in primitiua Ecclesia fideles 62.
cum memoriam Cœnæ Domini celebrabant ad Ecclesias cibos, & delicata fercula, diuersaque obsonia ferebant, quæ ante communionem comedebant, vt Christus ante institutionem Sacramenti agnum manducauit, quod Valdensis docet., *tom. 2. de Sacrament. cap. 87. cum Haymone supr. illud* 1. *ad Cor.* 11. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Idem tenet S. Thom. *ibi lect.* 3. & ita Concilium Africanum *cap.* 81. quod in Decreto affertur *cap. Sacramenta de consecrat. dist.* 1. dicitur: *Sacramenta Altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario in quo cœna Domini celebratur.*

Quam consuetudinem Corinthij obtinuerunt, 63.
à quibus postmodum Achaienses acceperunt. Quam antiquam consuetudinem in his duabus Ciuitatibus probat contra Caietanum Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. §. locum autem.*

Respondeo, quod, vt dixit August. loco citato: Hæc consuetudo *in desuetudinem abiit, & vniuersus orbis morem nostrum suscepit.* Et ita vt notauit Valentia 3. *p. disp. 6. q 8. punct. 3. vers. Quod autem Kemnitius.* Sanctus Doctor cum 64.
dixit quæstionem liberam esse, decidendam secundum mores Regionum, loquebatur de Feria Quinta Cœnæ Domini, in qua duplex Communio fiebat, altera in ieiunio, altera post refectionem, & ideo Paulus licentiosas Corinthiorum deordinationes contuens illo die executioni mandatas, illis vt domi cœnent mandat, neque communicent, vt docent S. Thom. & alij, vel si cœnas celebrare percupiunt domi celebrent post communionem, vt vult Scotus *in* 4. *dist.* 8. *q.* 3. & hic videtur litteralis sensus verborum Apostoli: *Nunquid domos non habetis ad manducandum,* 65.
& bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Et ita Canon ille Concilij Africani, vt notauit Glossa ibi *verbo excepto* derogatum est. Itaque Patres sextæ Synodi loquentes de hac consuetudine, & traditione, dicunt quod non obstante citato Decreto Concilij Africani, ad quod Africani speciales rationes habuerunt: *Simpliciter tamen non oportet Apostolicam traditionem, etiam in eo die, immutari.*

CAPVT III.

Quando incipiat ieiunium naturale?

SVMMARIVM.

66 *Ieiunium naturale quando incipiat? & num. seqq.*

79 *Quando in aliquo loco diuersa horologia sunt, quomodo iudicandum de medietate noctis à qua incipit ieiunium naturale? & num. seqq.*

89 *Si ieiunium naturale à media nocte incipit post completam duodecimæ pulsationem, quando communicari, & Missa celebrari poterit?*

90 *An quis ex iusta causa Missam possit celebrare ante crepusculum diei itaut finiatur Missa, dimidia ante crepusculum hora 2. & num. seqq.*

66. CVM ieiunium naturale, omnis eſculenti, & poculenti totalis abſtinentia ſit in die communionis, ante receptionem Euchariſtiæ neceſſarium eſt diſſerere ex quo tempore communicaturus tale ieiunium inchoare teneatur, vt os illius nouum dicatur ad tantum Hoſpitem excipiendum. S. Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis *lib. de natura rerum ad Siſebutum Regem c.* 1. dicit: *Initia Diei alij à Solis ortu, alij ab occaſu, alij 6 media nocte. Nam Chaldæi à ſolis ortu diei initium faciunt. Ægyptij autem ex initio noctis ſequentis diei originem tradunt. Romani autem à medio noctis oriri diem volunt, & in medio noctis finiri. Dies in principio operum Dei lumen habebat exordium.*

67. Verum enim vero cum certum ſit diem vigintiquatuor horis conſtare, in quibus ſol à motu primi mobilis ductus totum orbem gyrat in circuitu, varij ſunt modi, & vſus Regionum inchoandi ordinem harum vigintiquatuor horarum, vt notauit doctiſſimus P. Chriſtophorus Clauius in caput 2. Spheræ Sacroboſci §. *officia meridiani n.* 5. Babylonij, quos hodie inſulæ maiorica, & minorica ſequuntur, hunc ordinem ab ortu ſolis in-
68. cipiunt: Athenienſes quos Itali imitantur, ab occaſu: Ægyptij, & Romani Sacerdotes à medio noctis, vſque ad aliud medium noctis: Aſtronomi ab vna meridie vſque ad aliam; quia ſol, & cætera aſtra eodem modo ſe habent ad meridianum, ac ad Orizontem, in ordine ad quem diuerſo modo ſe habent, ſecundum diuerſam Poli eleuationem. Cæterum vulgaris dies ab ortu ſolis vſque ad occaſum, & ſecundum hunc ordi-
69. nem, in primordiis naturæ *appellauit Deus lucem diem, & tenebras noctem:* Geneſ. 1. num. 5. Et vt notant Auguſt. & Chryſoſtom. ſtatuit lucem, cum in Heſmiphærio eſt, vocari diem, cum abſens ab Hemiſphærio eſt, per omne abſentiæ tempus, noctem vocari: itaque dies, & nox vulgaris in diuerſas Regiones variatur, ſecundum quod egreſſus Solis ab orizontem variatur, ſecundum eleuationem Poli quam vnumquodque habet, vt idem Author latè, & eruditè docet *cap.* 3. *per totum.*

70. Cardinalis Aureolus *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 2. *art. vnico* §. *ſed quale, &* § *ſed pone.* innuit quemlibet ſi poſt recitatum Matutinum bibat medio noctis, mane poſſe celebrare, non tamen ſi manefacto bibat, quamuis cognoſcat ad Communionem, digeſto iam potu accedere, & reddit rationem: *Quia talis non eſt ieiunus eo quod ſumpſit aliquid potabile, vel comeſtibile illa die artificiali, quæ tunc incœpit, quando Miſſæ incipiunt celebrari.*
71. Vbi clarè docet naturale ieiunium ad communionem requiſitum incipere ab illa hora in qua Miſſa poteſt celebrari, quæ eſt, vt dicitur, ad Albæ riſum, ſiue ad ortum auroræ, dimidia hora ante diei crepuſculum, vt S. Thom. docet 3. *p. q.* 89. *art.* 2. *ad* 4. *& in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 2. Paludanus *ibi q.* 2. Rodriguez *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 1. Concilium Toletanum *anno* 1583. *art.* 3. *cap.* 42. determinaturque *in Rubrica Miſſalis Pij Quinti*, & conſtat ex conſuetudine, & practica Eccleſiarum, ad minus in Hiſpania, & Italia; quia in Gallia, Germania, & Flandria hoc non ita receptum eſt, vbi
72. hyemis tempore per tres & quatuor ante ſolis ortum horas Miſſæ recitatæ dicuntur, vt tenent Nauarrus *in Manuali cap.* 25. *num.* 85. Coninch 3. *p. q.* 85. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 216. Fagundez *p.* 1. *de præceptis Eccleſiæ lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 17.

Sed hæc Aureoli ſententia intolerabilis eſt, & 73.
contra omnes Doctores Scholaſticos in 4. diſt. 13. aſſerentes diem Eccleſiaſticum ab Eccleſia determinatum tum ad ieiunium pœnitentiæ, tum ad naturale, communionique præuium, à medio noctis inchoare, taliter quod ſi quis poſt duodecimam horam nocturnam Feriæ quintæ carnes manducauerit, mortaliter peccabit, & ad communionem prohibitus manet. Ita cum D. Thom. 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 8. tenent omnes eius expoſitores, nullo dempto, & omnes Summiſtæ verbo *Miſſa*, & cæteri Authores de Sacramento Euchariſtiæ tractant, ſic intelligentes præceptum Eccleſiæ de vtroque ieiunio Eccleſiaſtico. Et ſic 74.
contrarium aſſerere phiſquam temerarium erit, neque aliquis caſus occurrere poteſt, in quo opinione Aureoli vti poſſit aliquis.

Et ita P. Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 66. *ſect.* 4. ait: *In omnibus Regionibus in quibus naturalis dies in diem artificialem, & noctem diſtinguitur, naturalis dies incipit à media nocte, quia licet in ordine ad communes vſus, vel actiones in diuerſis regionibus diuerſæ ſint conſuetudines ſumendi initium diei ab occaſu, vel ab ortu ſolis, tamen in ordine ad res Eccleſiaſticas in vniuerſa Eccleſia computatur dies à media nocte in mediam noctem; neque ſcio alicubi eſſe aliam conſuetudinem; ſi tamen eſt, illa eſt ſeruanda, vt hic Sotus notauit. In illis vero regionibus vbi non poteſt diſtingui naturalis dies per ortum, & occaſum ſolis, quia vel præſentia, vel abſentia ſolis continuè durat per plures dies naturales noſtros, in illis, inquam, regionibus oportebit lege Eccleſiaſtica deſignari, ſeu diuidi dies proportionatos noſtris diebus naturalibus, eorum principia, & fines modo aliquo artificiali deſignando.* Hæc ille ſatis prudenter. 75. 76.

In illis igitur regionibus in quibus ſex menſes noctis ſunt, & ſex menſes claritatis, & in aliis magis, minuſve ſecundum eleuationem Poli, tenentur Eccleſiæ conformari tum in ieiunio Quadrageſimali, tum in naturali, & vt illud vigintiquatuor horis conſtare debet, in quibus vnicam comeſtionem facere licitum eſt, ita & in ieiunio naturali attendenda eſt cubitus hora ad laboris, & laſſitudinis requiem, quod ad minus per quinque, vel ſex horas debet continuari, & in ordine ad hunc ſomnum dies ad obſeruandum ieiunium communiori, & Miſſæ præambulum partiri debet; ſi quidem perſpicuum eſt in his Regionibus neque Sacerdoti liberum eſſe pluries Miſſam celebrare, neque laico pluries communicare intra proportionatum tempus vigintiquatuor horarum. Quod & poterit computari ſecundum horologia iam omnibus nationibus vſualia, vel alio artificiali modo. 77.

Poſt hæc ſcripta, & iam typis proximiora meis 78.
manibus occurrit Tomus Zachariæ Paſqualigi Reſolutionum Moralium ſatis eruditarum, & totam hanc meam doctrinã inueni in *reſol.* 336 *n.* 3. ſed neceſſario dicere debet quod & Philiarch. *li.* 1. *de officio Sacerdotis cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 49. & Rubeus *in rubricas Miſſalis cap.* 9. *num.* 1. & Alfonſus de Leon *de Officio Capella q* 8. *ſect.* 17. *n.* 141. quod in iſtis Regionibus attendenda eſt lex, vel conſuetudo Eccleſiaſtica introducta, quæ vim præcepti retinet. Et idem concludendum eſt pro Regionibus Borealibus in quibus æſtiuo tempore noctes breuiſſimæ ſunt.

Sed rogabit aliquis, quando in aliquo loco di- 79.
uerſa horologia ſunt, quomodo iudicandum erit

de

de medietate noctis à qua incipit ieiunium hoc naturale! Ioann. Sanchez *select.42. num.* 10. Vega *in summ. lib. 2. casu* 218. Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disp. 41. num.* 40. Villalobos *tract. 1. de conscientia diffic. 21. num. 7.* Vasquez *de Eucharistia disput. 210. num. 30.* Paludanus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art 2. conc. 2.* Fagundez *præcepto 4. lib. 2. cap. 10. num* 3. Diana *p. 3. tract. 4. resol.* 36. affirmant contra Emmanuelem Rodrig. *in summa nouæ impressionis tom. 1. cap. 110. num. 6.* & contra Merollam *tom. 1. disp. 3. num. 139.* Salas *de legibus tract. 8. sect. 25. num. 264.* quemlibet vltimo
80. horologio, scilicet vltimo sonanti posse tutò conformari, eo modo quo potest cuilibet probabili opinioni conformari, quodcumque enim horologium opinionem probabilem facit.

81. Addunt Sanchez, Villalobos, Diana, & Garcia *de Beneficiis tom. 1. p. 5. cap. 1. à num. 524.* Paludanus, & alij, quod si quis, dum horologium horam duodecimam incipit sonare, & horologium vltimum Ciuitatis est, & tunc bibendo, vel comedendo est, si in continenti vel buccellam cibi, vel aquam ex ore non proiiciat, die sequenti ad Communionem, vel Missam non possit procedere, quia ieiunium naturale fregit, & ita tale ieiunium à sonitu primi pulsus horæ duodecimæ incipit.

82. Ego autem, si mentem meam aperiam, nec vnum approbo, nec alterum. Non primum, quia plura sunt horologia inordinata, quia qui illis præest, & illorum curam gerit, negligentia laborat; alia quorum rectores horas in ordine ad officia communitatis disponunt, & non soli conformant, & ita opinionem probabilem constituere non possunt in ordine ad naturale ieiunium ab Ecclesia ordinatum: itaque sicut opinio vnius Authoris non Classici, & non habentis vllam authoritatem, in practica sequi non potest; ita iudicium in ordine ad mediam noctem pro ieiunio naturali, cuilibet horologio conformari non potest, nisi sciat rectores solertes esse, & ferè semper cursui Solis conformari.

83. Et ita regulam generalem assigno. Quotiescumque horologium matricis, vbi sit, non insonuerit, tuto expectari potest illius sonitus ad supputandam meam noctem; an vero si post istius sonitum, alterum possit expectari? Respondeo posse, si istud secundum ordinariè bene rectum sit, & non aliter. Legantur Lugo *disp. 15. de Eucharistia sect. 2. num.* 42. Pasqualigus *resolut. 340.* qui optimè, meo videri, dicit *n.* 6. quemque in vna eademque nocte feriæ quintæ alterum Horologium posse sequi in ordine ad carnes comedendas, & postea alterum in ordine ad communionem, quia Horologia quasi testes sunt, tempus testificantes, etsi qualificati sint, & fide digni
84. (dummodo singulares sint) possum modo vnum, modo alterum sequi, si sint, vt iam dixi, ordinariè bene recta talia horologia. Et ita maximè aduertendum est communitatibus, quæ domi priuatis horologiis vtuntur, rectorem debere semper in regendo Soli conformari, præcipuè in ordine ad mediam noctem; poterit enim, si solers non sit, esse causa vt passim ieiunium naturale com-
85. munioni requisitum frangatur, in quo omnes Doctores tam arctè, & scrupulosè versantur: & ita culpæ lethalis non excuso Horologiarium, vel domus Præpositum, qui scienter horologium non bene rectum, vel mediæ nocti non conforme finit.

Neque secundum mihi placet, Quia Ecclesiastica præcepta, tum lege, tum consuetudine, modo humano intelligenda sunt, & secundum communem modum loquendi. Cum autem consuetudo Ecclesiæ dicit ieiunium naturale à media nocte incipere, & hanc à pulsatione duodecimæ horæ, intelligi debet à pulsatione completa, & non solum inchoata, siquidem in odiosis: *Tempus inceptum non sufficit, sed debet esse completum* vt ait Rota apud Farinacium *decis. 175. num. 7.* Molina *tom. 2. disp. 575. §. vt à minori.* Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 24. num. 22. & in summ. lib. 5. cap. 4. num. 4.* Bonacina *de Clausura quæst. 2. punct. 9. num. 4 & disp. 8. de Sacrament. quæst. vnica. punctum 5. num.* 14. Barthol. de Bechis. *tract. de recipiendis nouitiis disp. 11. dub. 4. num. 5.* Bellonius *de his quæ fiunt in continenti cap. 94. à numer.* 12. & alij plures. Et ita cum ieiunium pœnale sit, & obligationem inducens, ab hora duodecima incipiens, intelligi debet completè, neque vsque ad vltimum pulsum intelligitur subsequens dies inceptus in ordine ad naturale ieiunium; & ita necessarium non est buccellam cibi, vel aquæ sorbitiunculam ore producere, si ante vltimum pulsum, id quod in ore est traiici in stomachum possit & sequenti die communicare fas erit, quia totum illud tempus quo pulsationes duodecimæ horæ perdurant, ad signum mediæ noctis manifestandæ deseruit, & quousque signum totaliter compleatur, & perficiatur non obligat, siquidem ex primo pulsu, non potest perfectum iudicium generari horæ præsentis, neque audentem certum reddit medietatis noctis, quousque complete audiat, & tunc standum erit Ioanni Sanchez Dianæ, Garciæ, & Villalobos. Hanc sententiam postquam ex cogitaui, & scripsi, inueni in Pasqualigo *decisio. 338. à num. 6.* quamuis non placeat id quod dicit, posse ob materiæ paruitatem excusari si buccella ex ore non statim proiiciatur ac hora duodecima insonare cœperit, quia vti dixi, nec in hoc præcepto, neque in materia cibi, & potus, neque in tempore datur paruitas materiæ. 86. 87. 88.

Sed dubitabit, & rationabiliter aliquis, si ieiunium naturale à media nocte incipit post completam duodecimæ pulsationem, quando communicari, & Missa celebrari poterit? Respondeo, posse communicari quandocumque in gratia existens Missam audierit ieiunus. Et ita necessarium est differere quo tempore Missa celebrari possit, & qua hora post noctis medium. Omnes Doctores quos dabo in eo conueniunt, neminem absque iusta, & rationabili causa, vel sine priuilegio Missam posse celebrare ante crepusculum diei vel ad minus quod finis Missæ crepusculum attingat; & difficultas est an quis ex iusta causa Missam possit celebrare ante crepusculum diei, itaut finiatur Missa dimidia ante crepusculum hora. Et ad maiorem claritatem, difficultas procedit de illis Regionibus, & regnis vbi non est introducta consuetudo, & tolerata, sicut est in illis locis quæ dixi supra. 89. 90.

Ad hoc dubium responderur, Quod si adsit rationabilis causa, poterit; itaut finem Missæ imponat dimidia hora ante crepusculum. Causam quam ego rationabilem iudico, ea est, debilitas, & habitualis Sacerdotis inualitudo, vel illius in rebus licitis, & honestis occupatio, cui necessarium est primo mane ientaculum sumere ob stomachi infirmam dispositionem, vt ad debita one- 91.

ra vegetus valeat introire, ſicut propter eamdem cauſam totum officium diuinum vſque ad Completorium poterit primo mane etiam ante auroram recitare. Etiam cauſa ſufficiens erit nimia in ſtudiis occupatio, quibus proximos adiuuare intendit, vel in typis mandandis lucubrationibus ſuis nimis implicatur, vel vt deuotioni ſatisfaciat, ante ingreſſum ſtudiorum, Miſſam celebrare ante auroram neceſſarium habet.

91. Probatur hoc primò. Quia cauſa iuſta adeſt non obediendi, ſeu adimplendi hoc præceptum, & Eccleſiaſticam conſuetudinem fundatam in ſignificatione quam affert Gloſſa *Cap. Nocte Sancta de conſecrat. diſt.* 1. Quia hoc Sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem ſignificatur. Et ſic videtur in die, & luce debere celebrari, cæterum congruentia hæc non tanti ponderis eſt, vt cauſa iuſta non poſſit dari ob quam impleri non ſit liberum, ſicut eſt prædicta debilitas, & infirmitas, & occupatio neceſſaria in ſtudiis, & negotiis. Si ergo hæc infirmitas, & debilitas ſufficiens eſt ad deobligandum à ieiunio quadrageſimali, cur non erit ad deobligandum à conſuetudine Miſſam celebrandi ante lucem aliquantulum ante crepuſculum?

93. Secundò: Quia licitum eſt Miſſam celebrare ante auroram, ne itineris commoditas amittatur: ergo etiam licebit ob infirmitatem corporalem, vt dictum eſt. Conſequentia eſt euidens, quia actionem honeſtare plus non poteſt non amittere commoditatem itineris, quam non amittere profectum ſpiritualem, quo quis priuatur Miſſam omittendo, & præcipue ſi ſit obligatus ad celebrandum propter capellaniam, &c. Antecedens docent expreſſe Henrriquez *lib. 9. de Sacrificio cap. 24. num. 5. Quod conceditur Cardinali ſcilicet quod dicat Miſſas antelucanas, poſſunt alij Clerici, quando ex honeſta cauſa indigent vt commode iter agant. Dicitur lux quando incipiunt ſigna oriri ſolis, per aliquam aëris illuſtrationem, vel paulo ante per dimidium horæ.* Idem tenet Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in fine. verſ. propter cauſam legitimam.* Nauarrus *in Manua. c.* 25. *n.* 85.

95. Idem tenet omnes ij qui dicunt poſſe Miſſam inchoari duabus horis ante manifeſtum ortum Solis. Ita Diana 3. *part. tract.* 14. *reſol.* 33. Rodriguez *in ſumm part.* 1. *cap.* 47. *num.* 1. Fernandez *in examine part.* 3. *cap.* 5. §. 14. *num.* 3. Pitigianus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 4.

Et idem tenent, qui docent poſſe celebrari hora & dimidia ante Ortum ſolis. Ita Ioann. de la Cruz *in Director. Conſcient. part.* 1. *de Sacrificio*
96. *quæſt.* 2. *dub.* 1. *conc.* 2. Poſſeuinus *de officio Curati. cap.* 8. *num.* 28. Suarez 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 80. *ſect* 4. Anton. Fernandez *vbi ſupr.* Peregrinus *in Compendio Priuileg. Theatinor. tit. de Miſſa.* Hieron. Rodrig. *Reſol.* 60. Celebrare autem duabus horis vel hora, & dimidia ante ortum Solis ſuper orizontem, idem fere quod ego dico eſt, ſiquidem ab egreſſu auroræ, vſque ad Solis ortum non duæ horæ mediant, ſed vna ſolum, vel aliquantulum
97. plus. Et ita Nauarrus affirmat ſe in itineribus perſæpe hac opinione vſum, & Suarez Henrriquez, Rodriguez *vbi ſupr.* Layman *in ſua Theologia lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. & alij quos iſti citant, dicunt ſufficere Miſſam finire cum incipit Aurora: ergo incipere poterit dimidia hora ante illam, quod eſt tempus neceſſario requiſitum vt deuote celebretur.

Tertiò, quia *in cap. Nocte Sancta.* quod eſt Theleſphori Papæ *epiſt. ad omnes cap.* 2. & 4. ſtatuit quod in nocte Natalis Domini poſſit Miſſa celebrari de nocte, aliis vero temporibus non ante Tertiam: Quia eadem hora Dominus Crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos Spiritus Sanctus deſcendiſſe legitur. Sed vt optme notauit Philibertus Marchin. *tract.* 3. *de ſacrificio Miſſæ part.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. illic manifeſte agit Pontifex de Miſſa Solenni, non de priuata, & ſic Gloſſæ additio *ibi* ait: *Quod communiter debet dici Miſſa de die, & non de nocte.* Hoc eſt, niſi iuſta cauſa adſit excuſans. 98.

Sed dicet aliquis conſuetudinem eſſe in Eccleſiis Italiæ, & Hiſpaniæ conformem Rubricæ Miſſalis, Romani *cap.* 10. *de defectib. num.* 1. & Conc. Toletano citato. Reſpondetur primò, non omnem conſuetudinem eccleſiaſticam obligare ad mortale, vt notauit Silueſter *verbo Miſſa num.* 6. *Non omnis conſuetudo habens vim legis obligat ad mortale, ſicut nec omnis lex, ſed obligat ſic. quando ſic intendit Princeps, quem non eſt veriſimile ad hoc ſub præcepto ligare iſtum priuatum, vbi occurrit aliqua neceſſitas.* Ita ille. 99.

Et verè miror quòd P. Fagundez velit hanc conſuetudinem ſic obligare, vt mortaliter delinquat qui Miſſam ante auroram celebrat, non obſtante iuſta cauſa, & non peccare Clericũ mortaliter qui valens, & ſanus oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ manducat: quia ius commune, & vniuerſalis conſuetudo non dicit prohibitionem huiuſmodi circa lacticinia eſſe ſub mortali; & non aduertit hic Author eodem modo prohiberi carnium vſus, ac lacticiniorum tempore quadrageſimæ. Sed hoc alibi impugnabo latius, pro nunc dicere ſufficiat, nec prohibitionem celebrandi ante auroram dici ſub mortali, & conſuetudinem, & legem introductam ſolum obligare cum cauſa rationabilis non adeſt, ſicut conſuetudo non veſcendi lacticiniis. 100.

Reſpondetur ſecundò, Rubricam Miſſalis eodem modo prohibere celebrationem ante diem, ac ante recitationem Matutini, & ambas prohibitiones connexas præfigit: *Si non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora vſque ad meridiem communiter, ſi celebrans ſaltem Matutinum cum laudibus non dixerit.* 101.

Et quamuis Silueſter cum Summiſtis antiquis affirmet eſſe lethale Miſſam facere ante recitatum matutinum; idem etiam dicit lethale non eſſe ſi adſit cauſa ſufficiens, imo ſine cauſa, hodie commune eſt, non eſſe mortale, vt tenent idem Fagundez *loco citato num.* 23. Aragon 2. 2. *q.* 83. *art.* 2. *dub.* 5. Raphael de la Torre *diſp.* 2. *num.* 6. Siluius 3. *q.* 83 *art.* 2. Barboſa *de Poteſtat. Epiſcopi allegat.* 24. *num.* 15. Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 4. *cap.* 24. & Philib. Marchin. *vbi ſuprà cap.* 5. *num.* 3. viginti ſex Authores pro hac ſententia adducit. 102.

Qui & *in cap.* 6. agit quando Rubricæ Miſſalis obligent ad mortale, & præceptiuæ ſint; & Suarez loco citato optime explicat Bullam Pij Quinti præcipientis ſub præcepto obedientiæ obſeruantiam Rubricarum. Quod præceptum non intelligitur omnes comprehendere, ſed ſolum præcipuè intendit vt obſeruentur ritus de nouo ab eodem Pontifice diſpoſiti, & nouus nullatenus introducitur, obligabat autẽ in particulari ad ſingulares cæremonias, ſecundum vniuſcuiuſque naturam, & decentiam &c. Omnes autem ſub mortali obligant, ne vna etiam minima ex con- 103.

temptu relinquatur, vt notauit Gauantus *in Rubric. Missalis p.3. tit.* 11. Et ita Sacra Rituum Congregatio, vt aduertunt Gauantus, & Marchinus declarauit quosdam Religiosos determinatæ
104. Religionis mortaliter peccauisse, qui in Canone Missæ nomen Diœcesani omittebant & nomen sui Generalis ponebant.

Respondetur tertiò, Tam Concilium Toletanum, quam Rubricam loqui vniuersaliter, & ita
105. Rubrica posuit verbum *Communiter*, quia in particulari multi ante diem possunt celebrare, alij ex priuilegio, vt Episcopi quando itinerantur, qui per se ipsos, vel per alios Sacerdotes possunt ante diem celebrare. Paludanus *ibi q.2. art.2. conc.2.* Cardinales, vt tenent Coninch *vbi supra n.217.* Azor *tom.1.lib.10.cap.25.q.5.* Barbosa *de Potestate Episcopi allegat.23.num.5.* Alcedo *de Præstantia Episc p.2.cap.13.num.23.* qui dicit: *Cardinales S.R.E.gaudent priuilegio celebrandi ante auroram, & post meridiem*, quos refert & sequitur Diana *p.5. tract.2. resol.77.* & Sotus *in 4.dist.13.*
106. *q.2.art.2.* Paludanus *ibi.q.2.art.2.conc.2.* Henriqu. *lib.9.de Missa cap.24.num.5.* quos refert, & sequitur Fagundez *num.16.* dicunt hoc priuilegium habere Cardinales, etiamsi non itinerentur. Etiam habent Religiosi, & ita notauit Suarez *sect.4.citata* Religiosos posse Missas celebrare tribus horis ante Solis ortum. Et Ioann. de la Cruz *in Director.p.1. de Sacrificio Missæ q.2. dub.1. conc.3.* & Hieronym. Rodrig. *resolut.60.* dicunt post recitatum matutinum, vel duabus horis post mediam
107. noctem, & tribus post meridiem posse celebrare. Quæ priuilegia referunt Cruz de Priuileg. *lib.2. cap.2.dub.6.conc.2.* Henriquez *lib.9. de Sacrificio cap.34.num.6.* & ad marginem *litt.X.* & dicit Patribus Societatis concessisse Gregor. XIII. & S. Bernardi cum derogatione Concilij Trident. *sess. 22.* & ita sentio Religiosos hoc priuilegio tuto vti posse celebrando ante auroram, & post meridiem.

Etiam poterit celebrare vna, vel duabus horis
108. post meridiem Curatus quando vrgens necessitas occurrit communicandi infirmum, ita desperatum vt moraliter plus temporis expectare non possit. Ita Layman *lib.4.tract.5.cap.4 num.4.* Victoria *de Eucharistia num. 95.* Diana *p.2.Resolut. 33.* Et ratio est perspicua, quia licitum est Parocho celebrare dimidia hora ante diem, ad ministrandam Eucharistiã infirmo, nõ valenti amplius expectare, vt tenent Azor *tom.1. lib.20. cap.25. q. 7.* Henriquez *vbi supr.* & alij plures quos citat, & sequitur Fagundez *num.15.* ergo etiam licitum erit celebrare quauis hora post medium noctis ad eumdem effectum communicandi infirmum iam iam morituru, & proximum mora-
109. li periculo decedendi sine viatico. Consequentia est euidens, quia si hæc necessitas sufficiens est ad Missam celebrandam vna hora ante, vel dimidia, vt vult Fagundez *num 6.* etiam sufficiens erit ad celebrationem quacumque hora post mediam noctem, sine Episcopi licentia, & quamuis ad illum facilè recurri possit, necessarium non est; ipsa enim necessitas dispensationem facit, nisi quando dubitatur circa periculum infirmi.

110. Dico quartò, Non obstante Rubrica Missalis, & Decreto Concilij Prouincialis Toletani, sunt Authores Classici graues dicentes, ad hoc vt quis mortaliter delinquat celebrando ante auroram, & Crepusculum, necessarium esse fieri ante horam totalem. Ita Doctissimus Bonacina *disp.9.de Sacrament. q. vltim punct.9. num.7. versu quamobrem*, vbi sic ait: *Mihi videtur media via incedendum: ad peccatum mortale videtur requiri spatium trium quadrantum vel etiam vnius horæ, sed etiam spatium vnius horæ sufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera seruilia in die festo exercentur, præcisa iusta causa* &c. Et ita cum ad- 111.
est iusta causa publica, vel particularis in celebrante, poterit vna hora, & amplius ante crepusculum celebrare, sicut in die festo amplius vna hora, ex iusta causa, potest seruilibus operibus vacare. Neque inuenio rationem cur hoc præceptum possit ex iusta causa non obseruari, & non illud, cum ambo Ecclesiastica sint; bene verum est quod ad celebrandum ante crepusculum requiritur aliqua maior necessitas, quam ad laborandum plus vna hora in die festo, & ea quam retuli sufficientissima est.

Neque argumenta quæ aduersus hanc meam 112.
resolutionem adducit Fagundez vllius ponderis sunt. Arguit primò, Quia consuetudo Ecclesiastica non celebrandi Missam ante crepusculum vim legis habet: ergo ad peccatum obligat. Respondeo quod licèt antecedens verum sit, consequens tamen falsum est, quia causa honesta, quam diximus, sufficiens est ad hoc vt non obliget, eo modo quo ista ab obligationibus ieiunij quadragresimalis, & obseruationis festorum absoluit. Et ita Tridentinum *sess.22. in Decreto de obseruandis, &* 113.
vitandis in celebratione Missæ, non imposuit aliquod præceptum, vt notauit Bonacina *loco citato*, sed statuit Episcopos punire eos qui horis congruentibus non celebrauerint, & illis quæ in Rubricis Missalis disponuntur, & ad extirpandum abusum qui committi potest in celebrando ante diem absque causa & mere voluntarie, & etiam post meridiem, si quidem quando sufficiens causa adest, vt dixi, non loquitur Concilium.

Secundò, Summi Pontifices priuilegia con- 114.
cesserunt, vt supra dictum est, ad celebrandum ante auroram, & post meridiem: ergo hoc ex iure communi non est licitum, quia si esset, priuilegium aliquid de nouo non operaretur: *frustra enim impetratur, quod iure communi conceditur l.1. C. de Thesauris. Et priuilegium, vt priuilegium semper interpretari debet, vt aliquid vltra commune ius concedat C. si Papa de priuilegiis in 6.*

Respondetur primò, quod hoc priuilegium da- 115.
tur ad sedandos scrupulos. Ita Henriquez, & alij, sicuti alia plura priuilegia ad eumdem effectum conceduntur, & operantur hoc vltra ius commune, quod, nisi clarum, & euidens sit, non pacificat conscientias, sicut priuilegium.

Respondetur secundò, priuilegium dari ad hoc vt sine aliqua causa, sed solum ob deuotionem possit ante aurorem Missa celebrari, & qualibet hora post Matutinum, vt superius cum Ioanne de la Cruz, & aliis affirmaui.

Respondetur tertiò, priuilegium dari ad hoc 116.
vt possit celebrari ante tempus in quo sine priuilegio non potest, & ita si sine priuilegio potest celebrari vna hora ante crepusculum, cum priuilegio multo ante poterit celebrari. Ita Bonacina *vbi sup. num. 1. versu, obserua.* Filliucius *tract. 5. cap.4.q.7. num.112.* & alij quos supra retuli cum Diana. Videatur Porrel *in summ. dubior. regular. verbo Missa num. 6.* vbi optimè tractat de priuilegiis regularium circa celebrationem Missæ post matutinas.

118. Ex dictis tota hac resolutione colligitur Fagundez minus prudenter *vbi supr. num.6.* opinionem Doctissimi Nauarri censurasse, dicendo nouam, & singularem, & contra communem sententiam, & consuetudinem, cum sententia Nauarri tot, & tam grauia fundamina, & Patronos habeat, qui illam tuentur, vt visum est in 3. ratione, & eam docet Salzedo *in practica criminali cap.46. num.4.*

CAPVT IV.

Quot modi sint sumendi tabacum, & quis ieiunium soluat ad Sacram Communionem requisitum.

SVMMARIVM.

119 *Quinque modi sumendi Tabacum referuntur, & num. seqq.*

124 *Tabacus in puluere per nares sumptus ieiunium naturale non frangit, & ita communionem non impedit, & n. seqq.*

127 *Tabacus in fol. ore sumptus, & dentibus tritus, an ieiunium naturale frangat, & communionem impediat, & n. seqq.*

130 *An globuli Tabachici? & n. seqq.*

119. VLTRA tres modos sumendi Tabacum in nostra Hispania vsitatos, scilicet in folio masticatum, in fumo potatum, & in puluere per nares attractum, referunt Antonius de Leon, & Pinellus in suo docto, & erudito libro *del Chocolate p.2. §.4 num.9.* Indos apud aliquas Prouincias nouæ Hispaniæ conficere quosdam ex foliis Tabaci globulos, quem masticantes, & cineribus concharum crematarum immiscentes, quandam massam conficiunt, & ex illa hos, quos dixi, globulos instar cicerum, radiisque solis desiccatos apud se seruant, & subtus linguam, cum volunt, vnum post alium euoluentes per multum temporis sugunt. Nicolaus Monardes
120. *p.2. rerum Indiæ medicar. cap. del Tabaco,* loquens de his globulis, ait: *De esta manera passan, y caminan tres dias, y quatro, sin tener necessidad de comer, ni beuer: porque ni tienen hambre, ni sed, ni flaqueza que les estorue el caminar.* idem referunt Fragosus, & Ioannes Miandrus.

Alius etiam modus est sumendi Tabacum quem mihi retulit nobilis quidam qui apud illas partes per plures annos commoratus est, scilicet quod
121. Indi ex succo foliorum, & ex saccharo confectionem quandam condiunt, quam in marina concha secum deportant, persæpeque, sicut nostrates pulueres Tabaci digitis in nares ferunt, ita illi digito illum quasi cibum in os transferunt, palatoque ministrant, qui vsus ita frequentissimus est, vt & nobiliores fœminæ in manicis vestimenti conchas asportent, instar Tabaci capsellas, & in congressibus, & visitationibus suis mutuo se illis inuitent.

122. Circa omnes hos sumendi tabacum modos aduerto, nullum Quadragesimæ ieiunium frangere, vel aliud quodcumque *ieiunium ieiunantis* vocatum, quamuis aliquis nutriat eo modo quo refert Monardes, vt contingit in *Coca* Indica herba magno pretio habita, de qua eruditè agit Leon *num. 6.* Tum propter materiæ paruitatem, quæ sufficit ad congerenda tot flegmata in stomachum, vt ex illis quis valeat, sine alio extrinseco adminiculo, ex propriis humoribus nutriri; nisi fortè ex illa confectione perdulci tanta quantitas, quanta ex alia vsuali, sumatur, quæ duarum vnciarum portionem excedat. Quod 123.
non credo fieri, sed digitatim per interualla sumi, sicut puluis Tabaci. Et ita solum restat difficultas de ieiunio naturali, quod euidens est huiusmodi confectione ore sumpta solui, vtpote manducata. Idem de globulis dico, quia suguntur, & succus saliuæ mixtus traiicitur in ventrem per fauces.

Dico primò, contra Antonium de Leon *vbi* 124.
suprà num.10. vers. De los tres modos. Tabacus in puluere per nares sumptus ieiunium naturale non frangit, & ita communionem non impedit, quâuis qui illum sumit in stomachum descêdere sentiat. Hæc conclusio est communis sententia eorum qui scripta ediderunt post vsum tabaci, & in propriis terminis, & vt dici solet: *in terminis terminantibus* tenent Diana *p.5. tract. 13. resolut.1.* Alphonsus de Leon *tract. de officio Capellani q.8. sect. 17. casu 2. num. 134.* & colligitur euidenter 125.
ex iis quæ superius diximus *cap.2.* vbi asseruimus sumere aliquid per modum cibi, aut per modum potus esse ore sumere, quod est instrumentum ab Authore naturæ hominibus datum ad comedendum, & bibendum; & sic quidquid in stomachum traiiciatur per aliam viam, quam per os, non impedit ad ieiunium naturale ab Ecclesia ante communionem assignatum.

Ratio autem quam S. Thomas tradit loco ci- 126.
tato, ex Augustino deprompta, quem omnes Doctores sequuntur, hoc conuincit: *Quia sic in reuerentiam Sanctitatis huius Sacramenti institutum est, vt os Christiani suscipientis corpus Christi, quasi nouum ad ipsum sumendum accedat, quantalibet autem cibi sumptio hanc aufert nouitatem.* Quasi diceret, quod propter reuerentiam huius Sacramenti Ecclesia instituit hoc ieiunium, vt Christianus os nouum seruaret ad Christi Corpus suscipiendum, quam nouitatem solum aufert quod ore sumitur; & ita multi, & graues Doctores quos supra retuli, tenent quod si quis naribus aquam sorbeat ieiunium non soluit naturale, vti nec ille qui habens in pectore fistulam, vel in stomacho Medici per vulnus mel rosatum infunderent ad medendum, quamuis digereret posset communicare, vt interrogatus respondi cuidam Religioso habenti talem in pectore fistulam, ita profundam vt per illam respirabat, & halitum emittebat.

Dico secundò, Tabacus in folio ore sumptus; 127.
& dentibus tritus, ieiunium naturale frangit si magna cura non adhibeatur ad non deglutiendam saliuam illius succo mixtam. Hæc conclusio est contra Pasqualigum *resol.333. num.5. in fine.* Et contra Dianam *vbi suprà §. Hoc supposito,* vbi ait: *Ni fallor ex ignorantia, aut inaduertentia ad quæstionem propositam respondeo negatiuè, nam Tabacus de folio, & puluere sumitur per nares; ergo nõ frãgit naturale ieiuniũ, quia nõ sumitur per actionẽ comestiuã quæ solo ore perficitur?* Hæc ratio euidẽs est loquẽdo de tabaco in puluere qui sumitur per nares, per quas homo neque cibatur, neq; bibit, ast tabacus in folio ore sumitur, premitur, teritur, & masticatur; & ita non adhibita dicta cura, ieiunium soluit, siquidem succus Tabaci traiectus 128.

per

per fauces medicina est in stomacho operationem faciens, vt experientia docet, & ita os nouum non est ad Christi corpus suscipiendum, siquidem per os actione comestibili immutatus fuit, sicut si quis caldum, siue ius, vel conseruam gustaret, aut quamlibet minimam quantitatem glutiret, capax ad communicandum non maneret,

129. Itaque diuersa ratio est cum quis os vino lauans, glutit saliuam ipso vino mixtam, & vinum sapientem, quia vinum fluidum cum sit, sic quasdam subtiles partes in ore relinquit, vt saliua illis misceatur, & vinum sapiat, & sic illud quasi in saliuam conuersum fuit, quod in succo tabaci non contingit, vtpote denso, & in stomachum in propria specie descendente. Quis autem dicet Indos illos globulos sumentes ieiunium naturale non frangere cum sumant succum saliuæ mixtum

130. è capite descendenti? idem autem faciunt sumentes tabacum in folio, formantes ex eo etiam globulum in ore. Et ita optimè dixit Antonius de Leon hanc conclusionem veram, & indubitatam. Et Alphonsus de Leon in loco quem citaui, ideo affirmat tabacum in folio masticatum non

131. frangere ieiunium naturale: *Quia tantum potest contingere traiectio humoris alicuius ex capite manantis in stomachum.* Quia solum sua virtute attractiua facit vt è capite in stomachum aliquis descendat humor, si vero aliquid succi huiusmodi herbæ deglutiatur quis in dubium vertet ieiunium naturale dissolui! Et ita censeo, quod moraliter loquendo, si herba ista per aliquod tempus ore voluatur, aliquid illius succi deglutiatur, & communionem recipi non posse, nisi, vt iam dixi, magna cura interponatur vt saliua non deglutiatur, sed penitus ex ore in sputo proiiciatur.

132. Vltimò hanc sententiam amplectitur Diana §. *verum modo*, & citat Alphonsum de Leon, & Præpositum 3. *p. cap.* 80. *art.* 8. Sed non placet id quod dicit cum Tannero 3. *p. disput.* 5. *q* 8. *dub.* 4. *num.* 79. & Fausto *de Sacramento Eucharistiæ li.* 1. *q.* 381. quod si quis aliquam partem pastæ in ore portet, sed absque deglutiendi intentione, aliquid per modum succi glutiat inseparabiliter saliuæ admixtum, posset communicare. Hæc sen-

133. tentia amplecti non potest, quia vt dicam cap. 6. cum multis, in hoc præcepto non datur paruitas materiæ, cum sit, vt notauit Antonius de Leon *num.* 14. ex illis quæ magis indispensabilia sunt, & exceptione carentia inter omnia quæ obseruat Ecclesia; & idem Diana dicit, & optimè esse improbabilem sententiam quæ affirmat in hoc præcepto dari paruitatem materiæ; & ita reor omnino improbabilem sententiam Lorichij *in Thesauro verbo Missa* §. 3. *num.* 21. quod si aliquis ore sumat granum specierum confortatiuarum, absque intentione illud comedendi, si fortè inuolun-

134. tariè deglutiatur, poterit ille communicare; quia euidens est hunc non esse ieiunum, & voluntariè ore sumpsit rem comestibilem, quam etsi inuoluntariè deglutitit, sed in causa voluntaria deglutitio fuit, & ita non habet *os nouum ad communicandum.*

* *
*

RESOLVTIO I.

Vtrùm succus Tabaci masticati frangat ieiunium Quadragesimæ, & similium?

SVMMARIVM.

135 *Tabaci masticati succus an frangat ieiunium Quadragesimæ?*

SVprà cap. præcedenti tanquam certum statui quod sumptio Tabaci non frangat ieiunium Ecclesiasticum Quadragesimæ, & similium. Sed temporis occasio mihi obtulit scriptum cuiusdam docti recentioris in quo pluta inueni notatione digna, non vt sequantur, sed vt reiiciantur; mordicus enim contra me defendit, etsi, (vt ait) dubitatiuè, & sine vltima resolutione, quod herba ista habet sibi suggestionem Diaboli annexam, & cum illo aliquod pactum saltim implicitum. 135.

§. I.

Reassumitur iterum probandum non interuenire pactum aliquod in sumptione Tabaci.

SVMMARIVM.

136 *Pactum aliquod in sumptione Tabaci non interuenire, reassumitur iterum probandum. & n. seqq.*

137 *Virtus huius herbæ non Angelica, nec Diuina, nec dæmoniaca est, sed insita ex vi creationis ab auctore naturæ.*

138 *De herba cuius maximus vsus est in Peru.*

139 *Sumentes herbam Coca habent saltem pactum implicitum.*

VErum enim vero omnia quæ longo discursu & exaggeratione ponderat casus singulares inducens, quorum plures ego possem inducere nihil aliud probant nisi consuetudinem inueteratam, sicut habent potatores vino dediti, à quo iudicium euertitur, & imaginatio lædituf, sicut existimo lædi in tabaco deditis hominibus. Quod enim hæc herba applicetur cuilibet infirmitati, siue procedat ex humore frigido, siue ex calido non arguit quod illi adsit virtus dæmoniaca, aut alicuius substantiæ intellectualis, sed quod habet vim expulsiuam humoris superflui, quo expulso expellitur infirmitas, & multa sunt medicamenta similia quæ expellunt quemlibet humorem superfluum. 136.

Quare virtus huius herbæ non Angelica, nec Diuina, nec Dæmoniaca est, sed insita ex vi creationis ab authore naturæ, quam cum bene nossent Angeli, siue boni, siue mali possunt eius efficaciam hominibus notam facere. 137.

Quod enim de herba cuius maximus vsus est in Peru dicat del Rio *lib.* 2. *disquisit. quæst.* 21. *vers. vltimum erat. pag. mihi* 199. & alij quos tacito nomine refert Rex Philippus secundus in Schedula, siue Decreto Regio misso ad Proregem 18. *Octobris anno* 1569. ibi: *De la Coca se siguen inconuenientes por ser mucha parte para las idolatrias (de los Indios) y ceremonias, y hechizerias, y fingen que trayendola en la boca les da fuerça. Lo* 138.

qual es illuſion del Dæmonio ſegun dizen los experimentados.

Ex quibus conſequitur quod ſumentes herbam Coca habent ſaltem pactum implicitum, & idem debet dici de herba ſancta *Tabaco* dicta. Hoc, inquam, nullius eſt momenti. 139. Primò, quia quod Indi abutantur ad ſuas ſuperſtitiones, & veneficia huiuſmodi herbis, & quod ratione illarum pactum habeant, nec leuiter probat quod Catholici & Chriſtiani illas ſumentes ſimile pactum habeant, cum illis non vtantur ad ſuperſtitiones, neque ad aliquid diuinandum, aut expectandum à Dæmone aliquod reſponſum, aut ad veneficium aliquod conficiendum, ſed vel vitij conſuetudine allecti, vel valetudinis intuitu. Secundò, quia Decretum Regium ex relatione aliorum procedit, vnde non prohibet ſumptionem Coca, 140. ſed ſolum damnum quod indis accreſit impediatur. Tertiò, quia multis rebus vtuntur malefici ex pacto Dæmonis, quorum vſus Catholicis, & hominibus bonæ intentionis prohibitæ non ſunt, abutuntur enim rebus Sacris, & Sacramento Altaris.

Quartò, quia non eſt Dæmonis illuſio quod aliqua herba, in parua etiam quantitate ſumpta famem, & ſitim extinguat: 141. ſic enim refert Plinius lib. 25. Hiſtor. cap. 8. *aliam herbam vtiliſſimam ad ea quæ ſpaſmata vocant, ſiue ſpartaniam. Magna & ea commendatio quod in ore eam habentes famem, ſitimque non ſentiunt, idem præſtat apud eoſdem Hippice dicta quod in equis quoque eumdem effectum habeat. Traduntque his duabus herbis Scytas etiã in duodenos dies durare in fame, ſitique.* Hæc ille. Quamuis Iacobus delen Campio *in annotation. littera E.* dicat *Hippicem* poſitam eſſe pro *Hippace* ſignificante caſeum ex aquarum lacte coagulatum. Eumdem effectum cauſat herba alia dicta *Glycorrhiza*, aut *Glycorrhizon*. 142. Et de Loto idem affirmat Strabo *lib. 3.* Et cur dicemus huiuſmodi herbas hos effectus cauſare non verè, ſed illuſoriè ex Dæmonis interuentione? certè hoc aſſerere mihi ridiculum videtur, cum idem poſſimus affirmare de aliis mirabilibus effectibus ab herbis, lapidibus, & arboribus cauſatis, nimirum prouenire ex Dæmonis operatione occulta. Quod cedit in maximam iniuriam Authoris naturæ. Vnde Pater Martinus del Rio correctus vbi ſupra non dicit quod Coca Dæmonis operatione famem depellat, imo dicit *naturaliter id efficere*, cuius optimam aſſignat rationem quam infra dabo, & ſupradedi.

143. Dicit amplius idem recentior quod cum hæc herba in magno pretio ſit, & æſtimatione, ſiquidem magno pretio emitur, debebat maximè æſtimari, & non ſic largè, & prodige offerri, cum Tabachiſtæ facillimè offerant, quæ facilitas ab impulſu Dæmonis prouenire videtur, qui maximè delectatur agnoſcens quod tot homines tabacum ſumant. Quare quidam doctus Arbitriſta 144. computum fecit pecuniæ quæ in ſola Hiſpania in emptione huius herbæ inſumitur, & inuenit ſedecim millionum monetæ prouincialis quæ communiter dicitur *de Vellon.*

145. Sed hoc eſt futile fundamentum, quia hæc largitas in donando Tabacum prouenit, tum quia in parua quantitate ſumitur, non enim facilè donaſſet libras, aut vncias, ſed quantum digiti iuncti capere poſſunt ad ſumendum naribus: tum etiam quia non eſt ita peruia huiuſmodi oblatio, & quamuis eſſet, inepta foret profecto diuinatio quod hoc eſſet ex Dæmonis impulſu, & pacto adſtricto huic herbæ. Supputatio autem quam Arbitriſta fecit veriſſima eſt, & ſufficiens ad intentum quod habebat, videlicet vt hanc herbam poſſit quilibet diuendere, & eius venditio non fuiſſet Regalia, itaut non poſſit diuendi niſi *en el Eſtanco*; ſic enim carius venditur, & tot milliones expenduntur, quibus ditantur extranei qui ordinariè ſunt arrendatarij.

§. II.

Sumptio Tabaci non frangit ieiunium Eccleſiaſticum Quadrageſimæ.

SVMMARIVM.

146 *Tabaci ſumptio non frangit ieiunium Eccleſiaſticum Quadrageſimæ, & n. ſeqq.*

155 *An ſi quis non in fraudem ieiunij per integrum diem non continuè, ſed ſucceſſiuè maſticando Tabaci folia, non deglutiendo, niſi ſuccum illius, aut ſumendo illius confectionem ex ſaccharo, & tabaco, aut ſuccum Cocæ, & pilularum traiiciat ad ſtomachum variis vicibus vltra duas vncias alimenti, an ſinquam iſte talis frangat mortaliter ieiunium Quadrageſimæ? & n. ſeqq.*

SVb nomine Tabaci non ſolum intelliguntur huius folia maſticata, & pilullæ confectæ ex Tabaco, & conchis marinis ad ignem arefactis, & confectio facta ex ſaccharo, & ſucco huius herbæ de quibus in ſuperioribus ex Hiſtoricis noui orbis diximus, ſed vt vniuerſalior ſit Reſolutio intelligimus alias herbas, ſi forte hodie inueniantur illæ quas Plinius ſupra memorauit, & hodie inuenitur Coca in regione Peru, quæ, vt aiunt Petrus Chieza *p. 1. Hiſtor. Peru. cap. 96.* & Zaratæ *lib. 1. de Hiſtor. Peruana c. 8.* Acoſta *lib 4. de Hiſtor. Indica cap. 22.* Garcilaſo *lib. 8. de los Comentarios cap. 15.* & alij plures quos refert, & ſequitur eruditus vir Antonius de Leon Pinello *tract. de Chocolate p. 2. §. 4. pag. 34. & 35.* ita vires reficit, & ſtomachi vigorem conſeruat, vt Indi toto die integro ſola illius maſticatione famem, & laborem non ſentiant. Similiter, vt dixi, pillulæ iſtæ ita confortatiuæ ſunt, vt Indi iter pergant per aliquot dies ſolum illarum attractione inter labium, & dentes, vt dicunt Monardes *2. p. de las coſas medicas de las Indias cap. del Tabaco.* Fragoſo *diſcur. del Bangue fol. 41.* Nicander *in Tabacologia fol. 34.* 146. 147.

Et quidem ſi Indi in illis diebus quibus obligati ſunt ad ieiunium (ad quod ex diſpenſatione Pauli III. in Bulla expedita anno 1537. Kalend. Iunij, ſolum obligantur omnibus feriis ſextis Quadrageſimæ Vigilia Natiuitatis Chriſti, & Sabbatho Sancto) & quilibet alius huiuſmodi herbas ſumat ad non ſentiendam famem in fraudem præcepti Eccleſiaſtici quod illos obligat, peccare grauiter, ſiue ſumatur in parua, ſiue in magna quantitate, ſi parua quantitas famem extinguat: qui enim fraude vtitur ad fugiendam obligationem legis, vere operatur contra legem ipſam quam fugere nititur, vt latius dixi *in tract. de Chocolate, & in Appendice Apologetica illius*, vbi plures citaui Authores, quibus nunc addo Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 2. de Reformat.* vbi Epiſcopos titulares, (qui in fraudem legis à ſe 148. 149.

latæ

latæ *ſeſſ.6. cap.5.* vadunt ad locum nullius Diœceſis vbi celebrant pontificali) eadem pœna punit, ſolum quia in fraudem & contemptum legis id efficiunt. Molfeſ. *in ſum.tom.1. tract.10. cap.5. num.23.* Philiarch. *de officio Sacerd.tom.1.part.2. lib.3.cap.25.* Diana ſui oblitus *part.1. tract.9. reſol.24.* Fagundez *lib.1.circa præcep.4.Eccleſ.cap.4.*
150. *num.15.* dicunt enim quod toties quoties quis in die ieiunij bibat poteſt aliquid cibi ſumere ne noceat potus *dummodo hoc non faciat in fraudem ieiunij, ſed ne potus noceat*, Idem docet Richardus *in 4.diſt.15.art.3. quæſt.7.* Quare non video qua conſtantia dicat Diana *reſolut.23.* quod ſi quis in die ieiunij ſumat vinum ad ſedandam famem non frangat ieiunium,& ſi ſumat cibum paruum toties quoties bibit,ieiunium ipſum frangat;ſicut enim vinum, quia potus:non frangit ieiunium ita parua quantitas cibi non frangit, vt ex ipſo Diana iam dico.

151. Verum enim vero quamuis hæc valde probabilia ſint exiſtimo quod ſi harum herbarum ſumptio, & maſticatio ſit in parua quantitate, iuxta modo dicenda quamuis illa parua quantitas maſticata, dentibuſque contrita, aut lingua circumuoluta quod & ſi quis eam ſumat ea intentione vt famem depellat non frangit ieiunium Quadrageſimæ, & ſimilium. Ratio huius eſt perſpicua quia etſi huiuſmodi herbas, & Tabaci pillulas ſumat ea intentione, vt non ſentiat famem hoc non eſt operari in fraudem legis ieiunij, & ſic contra illam non peccat mortaliter, quia lex ieiunij ſolum prohibet quod extra vnicam comeſtionem quis non comedat, vt comedat ad depellendam famem, ea quantitate quæ excedat paruitatem materiæ, atqui quantitas huius herba, & pillularum nunquam excedit paruitatem
152. materiæ in vna die: ergo quamuis depellant famem non frangitur ieiunium. Minor manifeſta eſt, quia quantitas requiſita ad frangendum ieiunium, vt dicunt Turrian. *in ſumm. Theol.Moral.part.1. cap.256. dub.27. num.2.* Diana *part.5. tract. 5. reſol. 11.* ſunt duæ vnciæ, dicunt enim quod quantitas duarum vnciarum communis cibi non ſufficit ad peccatum mortale: ſuccus autem huius herbæ, & pillularum non attingit, (ſi more humano loquamur quo ſumi ſolent) duas vncias, etiam ſi toto die ſumantur, quia parum ſucci effectum illum cauſat admixtum ſaliuæ.
153. Conſequentia vero euidens eſt, quia vt aiunt Pinellus, & Del Rio *vbi ſupr.* huiuſmodi pillulæ, & herba Coca famem depellunt non quantitate molis, ſed quantitate virtutis, qua ex omnibus corporis partibus, & præcipue ex capite attrahunt humorem flegmaticum crudum, lentum, atque viſcoſum, aut materiam ſubtilem, & pituitoſam, qua vtitur ſtomachus tanquam cibo quo nutritur, & ſic non ſentitur fames; quod enim quis nutriatur proprio humore non frangit ieiunium, ſed cibo ab extrinſeco proueniente,qui
154. manducari dicitur. Quare ſi quis tota die maſticet herbam Coca aut pillulas præfatas, dummodo non traiiciat ad ſtomachum vltra duas vncias quantitatis molis non franget ieiunium mortaliter ſi tamen vna, vel pluribus huius herbæ, & pillularum ſumptionibus duas vncias ſucci non excedat, & ſi plurimum vires reficiantur, & fames non ſentiatur non erit mortale peccatum, ſed ad ſummum veniale, vel propter malam conſuetudinem, aut nimiam guſtus delectationem, aut animum non mortificatum, qui ſolicitat media ad non ſentiendam inediam.

Supereſt modo non parum dubium an ſi quis 155.
non in fraudem ieiunij per integrum diem non continue, ſed ſucceſſiuè maſticando tabaci folia, non deglutiendo, niſi ſuccum illius,aut ſumendo illius confectionem ex ſaccharo, & tabaco, aut ſuccum Cocæ, & pillularum traiiciat ad ſtomachum, vt dixi, variis vicibus, & ſucceſſiuè vltra duas vncias alimenti, an inquam, iſte talis frangat mortaliter ieiunium Quadrageſimæ? Affirmat præfatus recentior in ſuo ſcripto, ſicut ille qui ſucceſſiuè furatur paruam quantitatem ſingulis vicibus, tamen ſi multiplicatis furtis paruis 156.
perueniatur ad magnam quantitatem, huius retentio eſt mortale crimen; ita in comeſtione huius herbæ, & traiectioni ſucci illius, duplex, inquit, ratio eſt attendenda, vna phyſica quæ reſpicit quantitatem phyſicam cibi aſſumpti altera moralis reſpiciens finem intentum ab Eccleſia qui eſt carnis maceratio. Iuxta primam rationem nulla comeſtio paruæ quantitatis habet frangere ieiunium mortaliter, at iuxta ſecundam rationem moralem ex omnibus illis ſumptionibus in parua quantitate remanet aliquid diminuens afflictionem carnis, media abſtinentia,intentam ab Eccleſia. Quare ex ſingulis comeſtionibus factis coaleſcit quantitas magna ſufficiens ad fractionem ieiunij mortalem.

Sed ego hanc ſententiam ſine fundamento
ortam iudico, nam ſpeculatio in qua fundatur 157.
nihil habet momenti. Quare exiſtimo quod ſi quis toto die ieiunij ſucceſſiuè maſticet folia tabaci, aut pillulas illas in ore reuoluat, quibus reipſa fames depellitur, dummodo id non faciat in fraudem ieiunij, ſed vel ad reficiendas vires, vel ad iuuandam digeſtionem, & cruditates conſumendas, aut delectationis cauſa, quod etſi duas vncias, & amplius ſucceſſiue traiiciat non frangit mortaliter ieiunium Quadrageſimæ,& ſimilium. Primò, quia electuaria quæ his finibus & non in fraudem ieiunij ſumuntur non frangunt ieiunium, vt enim ait Caietan, *in ſumm.*
verbo ieiunium. Solus ille vltra ordinariam come- 158.
ſtionem manducat qui ideo manducat, vt manducet, & ſic qui fini dicto electuaria ſumit non manducat, *vt manducet*, ſed ad iuuandam digeſtionem, &c. ergo qui ſumit, & ſugit ſuccum prædictarum herbarum eiſdem finibus ieiunium Quadrageſimæ non frangit. Antecedens docuerunt D. Thom. *in 4.diſt.15. quæſt.3.art.4. & 2.2. quæſt. 147. art.6. ad 1.* Paludanus *quæſt.4. art.4. conc.3.* Durandus *quæſt.9.num.7.* Abulenſ. *ad c.6. Matth. quæſt. 169.* Syluester *verbo ieiunium n.9.* 159.
quæſt.3. Lumblinus *in ſumm. verbo eodem num.3.* & alij plures alij quos dedi *in tractatu del Chocolate.*

Secundò, Quia vt ſupra vidimus ex Diana *part.1.tract.9. reſol.24.* qui plures citat,ille qui in die ieiunij ſumit aliquid,vt ſex amygdalas ſaccharo confectas, vel quid ſimile ante potum, ne iſte 160.
noceat non frangit mortaliter ieiunium, quamuis toties quoties bibit ſumat illam paruam cibi quantitatem, quia multiplicatis vicibus creſcit in magnam, & tamen quia non comedit, *vt comedat*, ſed vt bibat, & quamuis bibat delectationis cauſa non dicitur mortaliter frangere ieiunium: ergo quamuis quis ſuccum tabaci aut confectionem illius, pillulaſve illas ſugat non frangit mortaliter ieiunium, quia non ſumit *vt comedat*, ſed ob fines dictos.

161. Id quod dixi de foliis Tabaci maſticati, & *de Coca* dico *del Buyo* arbore indico, & valdè communi apud inſulas Philippinas, cuius fructus in partes diuiſus inuoluitur in foliis eiuſdem arboris, interpoſita calce, & totum maſticatur, eſt miræ efficaciæ, vſque ad ebrietatem, quo vtuntur omnes tam Religioſi,quã ſæculares,ſicut vtuntur tabaco, aut Chocolate, vt refert Pinellus *p.2. §.4. num.21. Buyo* enim ſic ſumptum non frangit ieiunium Quadrageſimæ, niſi ſuccus qui vna vice traiicitur ad ſtomachum duas vncias excedat.

Fundamentum oppoſitum, vt dixi, nullius ponderis eſt, nam ex paruis furtis reſultat magna quantitas cuius retentio inuito Domino peccatum mortale eſt: at traiicere ſuccum aut electuarium ex Tabaco in paruis quantitatibus non eſt propria, & per ſe comeſtio, vt ſupra adnotabam ex Caietano, & quamuis aliquatenus per accidens quis nutriatur, & non conſequatur tota carnis maceratio quæ eſt finis legis, non obſtat, quia finis legis non cadit ſub lege.

162.

ESOLVTIO II.

Vtrùm ſumptio fumi Tabaci ore traiecti ad ſtomachum frangat ieiunium naturale requiſitum ad communionem?

SVMMARIVM.

163 *Sumptio fumi Tabaci ore traiecti ad ſtomachum an frangat ieiunium naturale requiſitum ad communionem? Prima ſententia traditur n.165. & ſeqq.*

167 *Secunda ſententia maximè arridet Auctori, quæ negat, quòd ille qui fumum tabaci ad ſtomachum vſque traiicit, ſit capax licitè recipiendi ſacram communionem.*

168 *Primum fundamentum huius ſententia ponitur, & explicatur, n. ſeqq.*

185 *Secundum fundamentum affertur, deſumptum ex Concilio Mexicano, & n. ſeqq.*

190 *Iacitur tertium fundamentum, & ſtabilitur num. ſeqq.*

193 *Euertuntur fundamenta oppoſitæ ſententiæ, & num. ſeqq.*

163. NOtanter dixi in titulo Reſolutionis *fumi ore traiecti ad ſtomachum*, ſi enim non ore, ſed alia via fumus traiiciatur non frangit naturale ieiunium, vt in Superioribus dixi, & os ſeruatur mundum ad ſacram communionem. Dixi etiam *ad ſtomachum*, quia ſi quis ore dumtaxat ſumat fumum iſtum qui tangens laringem, & faucem prouocat ad vomitum, & ad humorem flegmaticum expellendum non frangit præfatum ieiunium; quod enim cibus, potuſve ore ſumatur non dicitur comedi, aut bibi, niſi ad ſtomachum deſcendat. Quare difficultas procedit ſi quis inſtrumento ad id deſtinato voluntaria violenta
164. traiectione fumum tabaci ad ſtomachum vſque tranſmittat, an iſte talis poſſit licitè ad Sacram Synaxim accedere, & Euchariſtiam ſumere.

Diana *p.5. tract.13. & part. 8. tract.7. reſol.3.* Marchantius *in reſolut paſtorali tract.4. in appendice ad cap.2.* Antonius de Eſcobar *tract. 7. examin.6. cap.5.num.62.* noſter Pater Auerſa *quæſt.8. de Euchariſt. ſect.8. §.3. & 6.* quem ſequitur Zacharias Paſqualigus in praxi vtriuſque ieiunij deciſ. 334. affirmant. Primò, quia quamuis fumus iſte ad ſtomachum deſcendat, tamen non ſumitur per modum cibi, aut potus, ſed per modum reſpirationis, & attractionis aëris, & quod ſic ſumitur quamuis nutrire poſſit, tamen non impedit ſacram communionem, vt expreſsè tenent Suarez *3. p. tom.3. diſp.68. ſect.4. §. quares rurſus* Cardinalis Lugo *ibi diſp.15. ſect.2. num.83.* Granado *controu.6. tract.10. diſp.8. num.4.* Villalobos *tom. 1. ſumm. tract. 7. diff. 39. num. 5* & tenent omnes Doctores qui dicunt quod ſi aliquis reſpirando attrahat puluerem, aut fumum, imo & culicem, aut muſcam glutiat inuoluntariè, quia os apertum erat, non frangit ieiunium naturale. 166.

Secundò, quia ſi quis data opera, & voluntariè per aliquod non exigui temporis ſpatium os apertum haberet ad colligendum fumum alicuius carnis quæ dum aſſatur multum fumum cauſat, iſte talis frangeret ieiunium non ſolum naturale,ſed etiam Quadrageſimæ,quod dici nequit.

Secunda ſententia mihi maxime arridet, (ita quod in praxi priorem rutus non amplexater)quæ negat quod ille qui fumum tabaci ad ſtomachum vſque traiicit, ſit capax licite recipiendi ſacram communionem. Ita defendit Ioannes Præpoſitus *3.part.quæſt.8.art.8. num.39.* qui ſcripſit ante 167.
Antonium de Leon, qui idem eruditè, vt aſſolet probat *in ſua q. de Chocolate p.2. fundam.3. §.4. à num.* 10. Lezana *in ſumma qq. Reg. verbo Euchariſtia quoad Regular. n.* 18. & Diana *p.7. loco citato verſ. ad ration.* 8. vbi concedit quod ſi fumus tabaci reiiciatur in ſtomachum actione potatiua frangit ieiunium naturæ. Tenent plurimi, & docti recentiores in manuſcriptis, inter quos eſt ſapientiſſimus Doctor Ludouicus Ramirez in tract. ſatis erudito de potione del Chocolate, vbi optimam rationem ſubminiſtrat, quia fumus ad ſtomachum deſcendens conuertitur in fuliginem quæ ſubſtantia denſa eſt, vt apparet in caminis, quæ dubio procul conuerti poteſt in ſubſtantiam aliti.

Hæc ſententia grauiſſima habet fundamenta. 168.
Sit primum, quia Doctores citati pro fundamento primo oppoſitæ dicunt id quod traiicitur in ſtomachum per modum reſpirationis non frangit ieiunium naturale ad ſacram communionem requiſitum, & vt legenti conſtabit, loquuntur de reſpiratione inuoluntaria quæ naturaliter fit, qua ſi aliquid deglutiatur non frangitur ieiunium naturale quod Eccleſia præcipit ad communionem, ſiquidem certum omnino eſt nullum præceptum frangi niſi actione voluntaria, vel in ſe, vel in ſua cauſa, vt omnes Theologi tradunt in materia de legibus: ergo ſi voluntariè, & ex in- 169.
tentione aliquid deglutitur vſque ad ſtomachum, quidquid illud ſit, quantumuis in parua quantitate ſumptum per modum cibi, aut potus, aut medicamenti frangit ieiunium Euchariſticum, quia in iſto non datur paruitas materiæ, vt dicam *infrà*.

Vt tamen hoc fundamentum quod, me quidem iudice manifeſtum eſt, comprehendatur,explicandi ſunt quatuor termini, qui communiter circunferuntur, circa modum traiiciendi aliquid ad ſtomachum, & quibus vtuntur Doctores. Primus eſt traiectio per modum reſpirationis, de quo Suarez, & alij locis citatis. Secundus eſt traiectio per modum ſaliuæ, de quo dicitur *in Rubrica Miſſalis cap. 9. approbata à Pio Quinto, & & reuiſa, & confirmata tempore Vrbani VIII. à* 171.

165. *Sacra*

Sacra Congregatione Rituum, Quod ſi lauando os deglutiatur ſtilla aquæ, præter intentionem, non impedit communionem, quia ſumpta fuit per modum ſaliuæ. Dixerat enim prius, *Quod ſi quis non eſt ieiunus poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi in quantumcumque parua quantitate, non poteſt communicare, aut celebrare.* Tertius eſt per modum cibi aliquid comeſtibile
172. traiicere. Et quartus eſt per modum potus bibere. De his duobus modis primo egit D.Thom.3. *part. quæſt.*80.*art.*8. dicens quod quidquid ſumatur comeſtibile aut potabile per modum potus in quantumcumque minima quantitate impedit ſumptionem Euchariſtiæ; addit tamen S.D.quod
173. ad hoc parum refert *quod id quod aſſumitur per modum cibi, aut potus nutriat, aut non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis.*

Igitur terminorum iſtorum intelligentia valde neceſſaria eſt ne Andabatarum more diſputemus Duo priores termini excludunt intentionem deglutiendi aliquid, ſi enim talis adeſſet intentio reducerentur ad duos poſteriores per modum ci-
174. bi, aut per modum potus. Igitur traiectio per modum reſpirationis eſt dum quis aperto ore palea, aut muſca ingreditur, & attrahens naturaliter aërem ad interiora muſca, aut palea ingreditur cum aëre, actione inuoluntaria. Quod ſi per modum reſpirationis inuoluntarie quis deglutiat paleam aut muſcam, quam traiicere non poteſt vſque ad ſtomachum, ſed tranſuerſa manet in laringe, & omni diligẽtia adhibita non poteſt extrahere, interrogatus fui an poſſit voluntarie
175. violenter iuuare vt deſcendat ad ſtomachum, ita vt poſtea communicet, quia ſi ibi relinquatur faſtidium cauſat. Reſpondi non poſſe communicare ſi traiiciat, quia eo ipſo quod hoc fiat actione voluntaria ſumitur, & traiicitur per modum cibi. Traiectio vero per modum ſaliuæ eſt dum
176. quis ad munditiem oris, & dum mundat latera oris præter ſuam intentionem deglutit ſtillam vini, aut aquæ; quamuis enim aſſumptio vini in ore voluntaria fuerit; cæterum deglutio ſtillæ vini, aut aquæ inuoluntaria fuit, & præter intentionem, niſi quis aliquoties expertus fuerit ſe deglutire ſtillam iſtam, nam iam eſt intenta, & voluntaria, ſaltim virtualiter, & implicite moraliter.

177. Vnde mihi non probatur id quod dicit Philibertus Marchin. *tract.*3. *de Sacrificio Miſſæ part.* 3. *cap.*3. *num.*5. Quod ſi quis inaduertenter deglutiat aliquid, frangit ieiunium Euchariſticum. Hoc, inquam, mihi non probatur, quia ſi inadtenter fiat eſt per modum reſpirationis, & ſic non frangit, vt tenent Authores citati ſupra in fundamento oppoſitæ ſententiæ. Henrriquez *lib.*8. *de Euchar. cap.* 49. *num.* 2. idem docet ac Marchin. addens quod etiam ſi per ignorantiam fiat. Sed vtrumque, vt dixi falſum, quia ſi quis inaduertenter & ignoranter inculpabiliter id traiiciat
178. non facit contra præceptum Eccleſiæ. Vt enim optimè, vt aſſolet, D. Caietan. *in ſumm. verbo communio numero* 2. *non ſunt tam arcte poſitiui iuris vincula interpretanda, vt inuolutarias, & quas nullo pacto ſciens, & prudens vir bonæ conſcientiæ ageret operationes imputemus ad mortem æternam ex obliuione, aut ſimplicitate tranſgrediendi materialiter tanquam ius poſitiuum.*

179. Alio etiam modo poteſt explicari modus iſte per modum ſaliuæ. Si quis poſtquam lauit os vino, & totum eiecit foras, ſed in lateribus oris, & palato manent aliquæ partes vini ſubtiles quæ admiſcentur ſaliuæ, & dum quis ſaliuam deglutit ſentit in ſtomacho aliquam calefactionem vini, exiſtimo iſtas traiectas ad ſtomachum per modum ſaliuæ cui admiſcentur inſeparabiliter, & potius ſunt ſpiritus vini qui adhæſerunt ori, vt expreſſe docet S. Thom. 3. *part. quæſt.* 80. *art.*8. *ad* 4.

Duo alij termini traiectio per modum cibi, & 180.
per modum potus difficiliorem habent enodationem. Et quidem mihi omnino certum eſt quod ly per modum cibi, aut per modum potus non ſignificat quod ſit cibus, aut potus quo communiter vtuntur homines, vt infra contra Paſqualigum, & Dianam oſtendam, quorum ſententiam omnino falſam exiſtimo. Rurſus non ſignificat quod illius quod traiicitur, ſit maſticatio in ore, hoc enim accidentale eſt, cum plures cibi non maſticentur, vt lac, mel, &c. ſimiliter potus non maſticatur, ſed vno hauſtu traiicitur. Igitur ly
per modum cibi, aut ſignificat. Primò, quod 181.
quis aliquid exterius per os deglutiat ad ſtomachum vſque. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.*1. *art.*4.*quæſtiunc.*2. *ad* 3. vbi ait: *Comeſtio principaliter dicitur à ſumptione exterioris cibi, quamuis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, & vlterius ad nutritionem, & ideo quæ interius geruntur ſine exterioris cibi ſumptione non videntur ſoluere ieiunium naturæ, nec impedire Euchariſtiæ perceptionem, ſicut deglutio ſaliuæ.* quam licet quis deglutiat vt deglutiat, hoc eſt, ex intentione deglutiendi vſque ad ſtomachum, nihilomi- 182.
nus non frangit ieiunium naturæ, quia cum non ſit exterioris cibi aſſumptio per os, non eſt proprie comeſtio, aut potatio. Vnde comeſtio, & potatio propria eſt actio vitalis conſiſtens in exercitio labiorum, palati, faucibus, laringe, & cæteris inſtrumentis quibus exterior cibus, aut potus ad ſtomachũ traiiciuntur, vt nutriatur animal, quod ſuo calore natiuo conuertit in ſubſtantiam ſuam magis vel minus, provt cibus, & potus digeribiles ſunt ſecundum duritiem, aut mollitiem. Vnde DD. 1. *part. quæſt.*50. cum D.Thom. concludunt Angelos in corporibus aſſumptis quamuis videantur comedere, & bibere aſſumendo exteriorem cibum, & potum, non eſt tamen propria comeſtio aut potatio, quia non ſunt actiones vitales, cum corpora illa careant inſtrumentis vitalibus, ſunt enim aërea.

Ex quibus manifeſtè deducitur quod ſumptio fumi tabaci medio inſtrumento ad id apto, ſi traiicitur ad ſtomachum vſque, dubio procul eſt 183.
vera comeſtio, cum ſit, aſſumptio per os alicuius cibi exterioris terminata ad traiectionem in ventrem, & vlterius ad nutritionem, ſitque actio vitalis, & voluntaria reſpiratio, qua quis attrahit fumum tabaci ex intentione vt ad ſtomachum deſcendat. Quod enim reſpiratione hoc faciat non iuuat vt per modum reſpirationis ſumat fumum, nam, vt diximus, traiectio per modum reſpirationis alicuius cibi exterioris vt non impediat Communionem debet eſſe inuoluntaria, aliàs ſi quis aliqua fiſtula reſpirando attraheret vinum ipſum deglutiendo non frangeret ieiunium: cumque
pari modo per fiſtulam inſtrumenti tabacarij vo- 184.
luntariè traiiciat fumum in ſtomachum, dubio procul frangit ieiunium Euchariſticum; nullus enim qui hæc ſine paſſione conſideret negare audebit ita eſſe, nam quamuis fumus tabaci, aut alius aromaticus non nutriat partes denſas ſolidas, &

carnoſas

carnoſas;iuuat tamen, calore ſuo,calorem naturalem,& conuertitur in ſuam ſubſtantiam commixtus aliis cibis, ſicut de aqua dicit D.Thom.*in* 4. *loco citat.ad* 2. quod commixta aliis nutrit & ſic frangit ieiunium naturæ.

185. Secundum fundamentum ſit deſumptum ex Concilio Mexicano 3.*lib.*3.*tit.*15.§.13.confirmatum à Sixto V. Bulla expedita *die* 28.*Octobr.ann.* 1589.& ab Vrbano VIII. Bulla expedita die 11. Martij anno 1626. vbi ſic habetur: *ob reuerentiam quæ Euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt, præcipitur,ne vllus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quauis alia perſona ante Communionem, quidquam tabaci, penitive, aut ſimilium,medicamenti cauſa per modum fumalis reſpirationis, aut*
186. *alio quouis modo percipiat.* Vbi PP.huius Concilij dant rationem cur non debeat ſumi fumus tabaci per os. Quam tradunt Auguſt.118.*cap.*6. & D.Thom.3.*p.q.*80.*art.*8. & *in* 4.*diſt.*18.*q.*1.*art.*4. *quæſtiunc.*2. & ex ipſis cæteri PP. & DD.tam exponentes D.Thomam, quam Scholaſtici Magiſtrum; dicit enim Auguſt. reſcribens Ianuario: *Placuit Spiritui Sancto vt in honorem tanti Sacramenti prius in os Chriſtiani Corpus Dominicum intret,quam cæteri cibi.*Et D.Thom.*quæſtiun. citata: In reuerentiam ſanctitatis huius Sacramenti inſtitutum eſt quod os Chriſtiani ſuſcipientis corpus Chriſti, quaſi nouum ad ipſum ſumendum accedat.*Et ſic PP. huius Concilij manifeſte vtentes
187. phraſi Auguſtini, & Thomæ prohibent ſumptionem tabacini fumi, quia frangit ieiunium naturæ ad Euchariſtiam neceſſarium,alias ſi non frangeret, ſi quis poſt mediam noctem ſumeret tabacinum fumum nulla notabilis fieret Sacramento irreuerentia, vt propter illam præcipiatur quod fumalis euaporatio non ſumatur. Sicut non prohibetur ſumi fumus iſte ſi non traglutiatur,neque fit aliqua notabilis irreuerentia Sacramento:ergo ſi non frangit ſi traiiciatur nulla etiam fieret ir-
188. reuerentia, at *propter irreuerentiam prohibetur:* ergo manifeſtum eſt quod deglutitus frangit ieiunium naturæ,ſine quo accedere ad Euchariſtiam iſti fit magna,& mortalis irreuerentia. Quare PP. huius Concilij Mexicani non ſpecificant quod tabacus naribus ſumatur,quia ſic ſumptus,ſicut non frangit ieiunium naturæ,ita nulla mortalis fit irreuerentia ſi ſumatur vna, vel altera vice,etſi eius ſumptio per nares prohibita ſit, ſicut prohibuerunt PP. Concilij Limenſis. Et quamuis Concili-
189. lium Mexicanum Prouinciale ſit, tamen ad reſolutionem moralem deſumendam maximæ authoritatis eſt, tum quia ibi interuenere homines ſapientia, & doctrina conſpicui, tum quia eorum determinatio approbata exiſtit à duobus Summis Pontificibus ſpecialibus Bullis.

190. Tertiò,fundamentum ſit quia vt eruditè valde probat Antonius Pinelo de Leon *loc.cit. pag.*38. *num.*12.& 13. fumus, & exhalationes odoriferæ verè nutriunt, & ſunt alimentum ſpirituum vitalium, eo enim ipſo quod fumus ad ſtomachum deſcendat actione vitali,calor naturalis conuertet ſubſtantiam fumoſam in chilum, qui maximè deſeruit ad generandos præfatos ſpiritus. Vnde Plinius *lib.*7.*Hiſtoriæ cap.*2.*num.*20.dicit ſupra Gangem eſſe populos qui Aſtomori dicuntur ſine ore qui odore fructuum, & florum naribus attracto aluntur. Plinium approbant Strabo *lib.*15. Rodiginius *lib.*24.*cap.*21. quod non eſſe incredibile
191. ratione optima probat Iacobus Delecampio Medicus inſignis *ad cap.cit. Plinij littera X. Quia vterque odor videlicet ac ſpiritus ſit vapor quidem, & ſimile ſimili nutriatur, nimirum & ſpiritus qui ſpiritum ducit homo plurimum odoribus accipit alimentum.* Mirum ergo non debet eſſe quod fumoſa ſubſtantia, & exhalatio odorifera, ſi traiiciatur vſque ſtomachum ieiunium naturæ frangat,& impediat communionem;idem enim quod 192.
in Aſtomoris faciunt nares, quia ore carent,vt per illas tanquam per inſtrumentum ad ſe alendos ſumant odores,facit in nobis os. Quare ſi odorifera exhalatio per nares recepta eſt alimentum, multo magis ſi per os fumus aut exhalatio traiiciatur ad ſtomachum. Quare Recentior quidam doctus non benè caluit hoc fundamentum quod eſt valde efficax. Quod dixi de fumo tabaci quod frangat ieiunium naturale dicendum de fumo aliarum herbarum, & Arborum Indiæ quas refert Pinellus *pag.*41.*num.*19.

Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ facilis pa- 193.
tet ſolutio ex dictis.Ad primũ Reſpondetur quod fumus tabaci attractus, & deglutitus actione vitali, & voluntaria reſpiratione frangit ieiunium Euchariſti cum, ſecus vero ſi reſpiratione inuoluntaria. Legantur Granado 3.*p. cont.*6. *tract.*10. *diſp.*8.*num.*4.Bonacina *de Sacram.diſp.*4.*citat.*

Ad ſecundum, Reſpondetur quod ſi quis fu- 194.
mum, vapores, & exhalationes rei aſſatæ fumoſæ inſtrumento ſimili illi quo ſumitur fumus tabaci ſumeret, itaut faceret vim ad illas deglutiendas abſque dubio frangeret ieiunium Euchariſticum; cæterum cum ore aperto dumtaxat non poſſit percipere exhalationes carnis propter earum ſubtilitatem quæ facilè euaneſcit ſi incluſa aliquo inſtrumento non ſumatur, non eſt certitudo humana quod ad ſtomachum deſcendit. Quare quis eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, & ſic poteſt accipere Euchariſtiam. Illud autem quod dicit Diana quod fumus carnis frangeret ieiunium quadrageſimæ ridiculum planè eſt, ſiquidem etiam ſi quis ore aperto, vt Chamalæon,perciperet exhalatio- 195.
nes carnium non acciperet quantitatem ſufficientem ad frangendum præceptum non comedendi carnes,præcipuè quia fumus, & exhalatio carnis non eſt caro, & hanc ſolum prohibet Eccleſia in eccleſiaſtico Quadrageſimæ ieiunio, & ſimilibus.

Sed dicit Diana *p.*5.*tract.*13. *reſol.*2.§.*verum modo. Quod non eſt admittendum principium illud, res non comeſtibiles, neque nutritiuas, ſi ab agente ſumantur cum applicatione, & intentione* 196.
ſumendi illas per modum cibi frangere ieiunium Euchariſticum, non eſt inquam hoc admittendum, nam ſi res quæ ſumuntur à parte rei non ſint cibi non poſſunt frangere ieiunium;intentio enim,& applicatio agentis non poteſt facere de non cibo cibum, & Concilia,& Canones ſolos cibos prohibent: ergo de illis cibis loquuntur qui in ſtomacho alterari,& concoqui poſſunt.

Hæc obiectio Dianæ infra reiicienda eſt cum aliis doctrinis eiuſdem, me quidem iudice,perniciosis,& nimis laxis, quando conſenſus fidelium 197.
ita ſtrictas tenet habenas circa hoc præceptum de ieiunio Euchariſtico. Modo ſolum dico, quod miror, dicat non eſſe admittendum hoc principium,cum ſit expreſſum D.Thom.3.*p. q.*80.*art.*8. ferè Antiquorum,& Recentiorum quos infra dabo Reſol... eſt enim principium ſolidum certum, & ab omnibus veneratum duobus vel tribus exceptis quos pro ſe adducit Diana quorum nullus Author claſſicus reputatur.

CAPVT VI.

In ieiunio naturali non datur paruitas materiæ.

SVMMARIVM.

198 *Non dari paruitatem materiæ in ieiunio naturali, ostenditur, & num. seqq.*

203 *Posito quod obligatio huius præcepti ita arcta sit, & stricta, vt paruitas materiæ à peccato non excuset, an poterit excusare ignorantia? & n. seqq.*

213 *Infertur corollarium.*

198. QVOD affirmo est, post aliquid voluntariè manducatum aut bibitum, etiam si in minima quantitate sit, si fiat, vt dixi, voluntariè, & aduertenter, impeditur sacra Communio. Ita determinatur *cap. nihil de consecrat. dist.* 1. quod desumptum fuit ex Concilio Toletano 7. *can.* 2. *nullus post cibum, potumque quemlibet minimum*, &c. idem dicunt omnia Concilia à me citata *c.* 2. *n.* & ita strictè, & rigorosè, hoc præceptum intellexit consuetudo, & traditio fidelium, & exigit ratio in qua fundatur Ecclesia quam tradiderunt S. Augustinus, & S. Thomas, *propter reuerentiam tanto Sacramento debitam debet esse os nouum*, quæ nouitas qualibet quantitate cibi, aut potus deperditur si voluntariè sumatur, & aduertenter, ita mortaliter peccabit qui post illam Sacramentum susceperit.

199. Ita Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. §. *sed quæres*, vbi ait: *esse mortale, & contrarium non esse probabile practicè, si quantitas illa minima sumatur per modum cibi, & potus, atqui ita sentit D. Thomas, & declarat consuetudo Ecclesiæ, & communis sensus omnium fidelium. Vnde rectè colligimus, ita esse interpretandum præceptum, quia hic non leuitas materiæ in proprio actu, in quem cadit prohibitio, non enim hic prohibetur cibus, & potus; sed prohibetur communio post cibum, vel potum; hoc autem præceptum simpliciter violatur in suo actu principali, etiam si ieiunium in parua materia solutum sit.* Idem docent Vasq. *in disput.* 211. *num.* 28. *& n.* 27. dixerat opinionem Gothifredi, & Ioannis Parisiensis quam refert Syluester *verb. Eucharistia* 6. *q.* 6. error in fide censeri debet. Bonacina *disp.* 4. *de Eucharistia sect.* 6. *punct.* 11. *num.* 6. *Respondetur enim in hoc casu non adesse paruitatem materiæ respectu rei præceptæ, & consequenter facit contra prohibitionem*

200. *Ecclesiæ in materia graui, etiam si materia per quam frangitur ieiunium esset leuis.* Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 12. dicens: *Vnde puto contrariam sententiam esse improbabilem.* March. *tract.* 3. *de sacrificio p.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. Ioannes Sanchez *select.* 51. *num.* 1. *in fine.* Turrianus 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 22. *dub.* 1. *num.* 6. Ochagauia *de Sacramentis tract.* 3. *q.* 9. *num.* 3. Coninch. 3. *p. q.* 8. *art.* 8. *n.* 46. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Angles *ibi q.* 2. *art.* 6. *conc.* 1. *&* 2. Bartholomæus ab Angelo *Dialog.* 4. *de Eucharistia* §. 125. Nauarrus *in summ. cap* 25. *num.* 53. Hurtado Compluten. *disp.* 9. *de Eucharist. difficult.* 15. Lugo *disp.* 15. *sect.* 2. Præpositus 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *dub.* 1. *num.* 89. Valentia *disput.* 6. *q.* 8. *punct.* 3. *vers. secundo asserunt.* Granado *tract.* 10. *de Eucharistia disp.* 8. *num.* 3. Naldus *ver-*

bo Eucharistia num. 9. Caietanus *in summ. verbo communio, num.* 1. qui doctrinam elegantem tradit. Moure *in suo examine p.* 3. *cap.* 4. §. 8. *num.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. §. *nec secus.* Fagundez *præcepto* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. *& præcept.* 8. *lib.* 8. *cap.* 5. *nnm.* 24. & ita malè dicit Zacharias 201. Pasqualigus *resol.* 335. non esse improbabile dicere in hoc præcepto esse paruitatem materiæ, potius plusquam improbabile est, siquidem nullus Author affirmat, & omnes quotquot scripserunt contrarium dicunt. Verum est quod si ostium aperiatur paruitati materiæ in hoc præcepto quod tam strictè intellexit Ecclesia, paulatim, & magna prorsus indecentia laxaretur: & nouitas requisita ad sumptionem venerabilis Sacramenti, quotidie magis euerteretur. 202. Cæterum, Pasqualigus non adfert validam rationem, nec fundamentum aliquod efficax ad probandum in hoc præcepto esse paruitatem materiæ,

Sed rogabit aliquis. Posito quod obligatio huius præcepti ita arcta sit, & stricta, vt paruitas materiæ à peccato non excuset, an poterit excusare ignorantia? Huic dubio respondet Caietanus vbi supr. prius posito casu cuiusdam Sacerdotis qui ignoranter sumebat nucem concinnatam, vulgo *moscada*, vt halitum fragrantem ante celebrationem Missæ haberet, quem vt ignorantem excusat Cardinalis Eminentissimus his verbis: *Non sunt tam arctè positiui iuris vincula interpretanda, vt inuoluntarias, & quas nullo pacto sciens, & prudens vir bona conscientia egerit operationes, imputemus ad mortem æternam.* Hucusque Cardinalis. 203. 204.

Sed Viualdus *in suo Candelabro aureo tit.* 13. *de Sacram. Euchar.* §. *de præparatione num.* 58. ait: *licet Caietanus supra dicat quod non peccat; ego tamen salua pace non auderem talem Sacerdotem à mortali excusare, cum illa sit ignorantia crassissima circa rem, quam ex officio scire tenetur secundum omnes; excusarem tamen rusticum, vel plebeium indoctum, qui tali laborauit ignorantia. Facit pro hac Bartholomæus de Medina in summ. lib.* 1. *cap.* 14. §. 42. *vers. la segunda.* Hæc Viualdus & bene, & ita iustissimè punitus fuit Parochus ille apud Indos Peruanos, qui vt refert Antonius de Leon *in sua quæstion del Chocolate prælud.* 2. *num.* 2. *Oiendo dezir que era opinion probable que el Chocolate no quebrantaua el ayuno lo ayuno lo benia antes de dezir Missa, hasta que el castigo le enseño lo que ignoraua, con culpa tan lata, que el derecho la equipara al dolo.* 205. 206.

Grauissimè etiam peccabat, & vt suspectus in fide poterat puniri ille Doctor Canonicus, qui vt refert Ioann. Sanchez *select.* 42. *num.* 22. suadebat 207. mulieribus oppidi sui posse communicare post manducatum panem benedictum qui in Dominicis diebus in Ecclesiis distribuitur, asseuerans hunc panem ieiunium non frangere naturale ad Communionem prærequisitum. Hoc dico plusquam temerarium existere, siquidem in materia tam graui consuetudini Ecclesiæ opponebatur, & decretis quæ retuli *cap.* 2. & hoc idem affirmabant Gothifredus, & Parisiensis, quorum opinionem dicit Vasquez *errorem esse in fide censendum*, siquidem panem esse benedictum non tollit quominus cibus non sit, quemadmodum, & aquam benedictam bibere non tollit quod potatio non sit.

Neque fundamentum quod Doctor iste Canonicus poterat habere, vllius efficaciæ est, quia 206.

dicere poterat panem benedictum introductum fuiſſe loco Communionis Sacramentalis, quam fideles in Eccleſia primitiua diebus Dominicis facturi erant *cap. non iſte & cap. quotidie de conſecrat. diſtinct.* 5. vt refert Durandus *lib.* 4. *rationalis cap.* 5. & ita vocatur *Sanctæ Communionis Vicarius*, & *Eulogia.* Et ſic Auguſtin. *lib.* 2. *de peccator. meritis cap.* 26. loquens de Cathecumenis dicit *ſanctificari non corpore Chriſti, ſed benedicto pane. Quia quamuis non ſit corpus Chriſti, Sanctorum eſt tamen, & ſanctius cibis quibus alimur.* Et vocatur *Sacramentum* : ergo cum panis iſte ſit Vicarius Euchariſtiæ, & cibis vſualibus ſanctior, ieiunium naturale non franget, & Sacramentum, poſt illum voratum, poterit ſuſcipi, ſiquidem ſua ſanctitas non aufert nouitatem requiſitam, & propterea quod Vicarius ſit, & loco Sacramenti ſubſtitutus, incompoſſibilis cum illo non eſt. 209.

Hoc argumentum nihil valet, & doctrinam continet intolerabilem, & contra communem vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ, quæ panem benedictum introduxit ad non valentes, propter aliquod impedimentum communicare, vel eo quod baptizati non erant, & ita Cathecumenis porrigebatur, vt docet Auguſt. *lib.* 1. *de peccator. meritis cap.* 20. *& tract.* 106. *in Ioannem*; & ita Pius Papa II. poſt Petrum, vt referunt Bruchardus *lib.* 5. *cap.* 26. *& Yuo p.* 2. *cap.* 37. loquens de pane benedictio, ſic dicit: *De oblationibus quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt, vel de panibus quos afferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Preſbyter conuenientes partes habeat in vaſe nitido, & conuenienter, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Ex quibus verbis euidenter colligitur panem benedictum iis qui non communicabant diſtribui, & ideo. Vicarius Euchariſtiæ appellabatur, quia loco illius porrigebatur, iis qui ad communicandum impediti erant, & quia ſignum erat amoris, & charitatis quam inter ſe fideles conſeruaturi erant vocauit illud Auguſtinus *Sacramentum*, & quia benedictus eſt *Sanctorum panem* vocat, & ſanctiorem omnibus aliis vſualibus alimentis. Sed ſi manducetur dubio procul ieiunium diſſoluet naturale, & de hoc nullus Catholicorum hæſitare poteſt. De origine, antiquitate, muneribus, & miris panis benedicti, doctiſſimum habet Tractatum, typis iam proximum eruditus valde, & Reuerendiſſ. Pater Dominus Ioſephus à Sancta Maria, Prior Carthuſiæ in Monaſterio celebri Hiſpalenſi Sanctæ Mariæ, & viſitator Generalis pro Hiſpania, ſed proh dolor! iam vita functus eſt. 210. 211. 212.

Colligitur etiam, quod ille qui Communionem recipiendo, aliquam ſtillam aquæ lauatoriæ, ante traiectum corpus Domini, deglutiit, voluntariè anticipando ſumptionem aquæ ad corpus Chriſti, peccat mortaliter, quia dum hoſtiam traiicit iam ieiunus non eſt, vtpote aqua iam potatus. Ita Sanchez *in ſelect. vbi ſup. n.* 22. Duo poſſunt illum à peccato excuſare. Primò, ignorantia, & ſinceritas, quia ſimpliciter iudicat maiorem gratiam cauſari dum longiori interuallo hoſtiam incorruptam ore tenet. Quod quidem ignorantia eſt, ſiquidem Sacramentum non cauſat gratiam dum ore comprimitur, ſed dum manducatur, manducatur autem dum glutitur; bene verum eſt quod conſeruando illud in ore poterit communicans plures actus elicere quibus gratia augmentum habeat ex opere operantis; hoc autem facere intendens per aliquod breue tempus, lauatorium non ſumat, itaut prius bibat quam hoſtiam in pectus traiiciat. Alterum quo poteſt excuſari eſt, quia Hoſtia palato hæret, & ad traiiciendum aquæ potatiunculis eget. 213. 214. 215.

CAPVT VII.

Quomodo ſe habere debeat qui dubitat ſe aliquid ediſſe, aut bibiſſe, vnde à communicando impediatur.

SVMMARIVM.

216 *Duæ Regulæ iuris Canonici referuntur, ex quarum intelligentia reſolutio quæſtionis in titulo propoſitæ dependet, & n. ſeqq.*

230 *Si quis dubitat an hora duodecima noctis inſonuerit cùm comedebat, aut bibebat, poterit ſequenti mane Communionem recipere, & num. ſeqq.*

234 *Cùm quis dubitat an aliquid manducauerit, vel biberit, non poteſt communicare, & num. ſeqq.*

EXTANT in iure Canonico duæ Regulæ, quæ inter ſe contrariæ, & oppoſitæ videntur. Prima eſt *reg.* 65. *de reg. iur. in* 6. vbi dicitur: *In pari delicto, vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis.* Quod in pari cauſa qui poſſidet melius ius habeat idem dicitur *l. cum per delictum & l. in pari cauſa D. de reg. iur.* Alteram regulam poſuit Eugenius III. *cap. iuuenis de ſponſalibus. In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Quod idem eſt, ac dictum *in cap. ſi quis autem de pœnit. diſtinct.* 7. vbi Auguſt. *lib. de* 50. *Homel.* 41. ait: *Tene certum, & dimitte incertum.* 216.

Ex intelligentia huiuſmodi duplicis regulæ reſolutio quæſiti dependet, de qua latius tractant Diana *p.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 2. *&* 3. Sanchez *ſelect.* 42. *alter* Sanch. *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *n* 11. *& lib.* 2. *de Matr. diſp.* 41. *n.* 4. Suarez 3. *p. tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 18. *& tom* 2. *de Relig. lib.* 4. *de voto cap.* 5. *num.* 7. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 65. *cap.* 3. *& diſp.* 66. *cap.* 1. Lorca *diſp.* 38. *de actibus humanis memb.* 2. 3. *&* 4. Salas *tract.* 8. *diſp. vnica, ſect.* 17. *num.* 162. *& ſect.* 25. *num.* 252. Baſilius de Leon *lib.* 10. *de Matrimonio cap.* 15. *à n.* 3. Malderus *diſp.* 87. Dico igitur ex intelligentia huius duplicis regulæ dependet modus quo quis vti debet ad ſciendum, qui dubitat, qualiter ad communicandum, vel non communicandum ſe gerere debeat. 217.

Vt autem illis verus ſenſus præbeatur ſupponenda eſt communis ſententia quæ dicit, *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Quod verum teneat non ſolum in rebus ad iuſtitiam pertinentibus quæ dictat vnicuique dandum quod ſuum eſt, ſed etiam in negotiis pertinentibus ad alias virtutes, vt ad Religionem, abſtinentiam, &c. v. g. Quis dubitat an votum emiſerit, non tenetur ad illud, quia ius ſuæ libertatis quod poſſidet melius, & certius eſt. Quis dubitat an ætatem ieiunio 218. 219.

ieiunio obligatam expleuerit, non tenetur ieiunio, quia suam libertatem possidet, quod ius certum est, aliud autem dubium. Ita docent Diana, duo Sanchez, Lorca, Malderus, & Suarez *citati*, & Suarez dicit contrarium esse omnino falsum, & absque fundamento; quia in omni materia iuuat certa possessio, contra aliud ius dubium,
220. & incertum. Idem tenent Villalobos *tom.1. tract.1.diff.21.num.1.* Palao *tom.1.disp.3.punct.6. num.1.* Adam Tannerus *tom.2.disput.3.punct.6.* Valentia *disp.2.q.14.punct.4.vers.peculiariter.* Nauarrus *in summ. cap.26. n.287.* & alij plures.

Et ratio est euidens, quia non solum in materia iustitiæ, vt sunt contractus, restitutio, &c. sed etiam in alia quacumque siue sit præcepti negatiui, siue positiui, antequam dubium superueniat quis est in pacifica possessione suæ libertatis, quo
221. exemptus ab obligatione remanet: ergo quamuis dubium superueniat quo speculatiue existimat quod sit obligatus vere non manet. Consequentia perspicua est, *quia ius dubium vinceret ius certum, & clarum*, quod dici non potest, vt idem Vasquez docet, *disput.66. num.43.* & cæteri Authores contrarij: & ita licet quis dubium hoc speculatiuum habeat, si præcepto teneatur, poterit practice iudicare non obligari, quia possessio suæ libertatis certior est & hoc iudicium practicum est quod voluntatem dirigit ad recte operandum, vt notauit Lorca *memb. 1.* Et cum verum
222. sit quod in dubiis melior est conditio, siue ius possidentis libertatem, si secundum illam operetur, quod securius est sequitur, siquidem semper quod certius est, id est & securius: conditio enim possidentis multo fortior, efficacior, & virtuosior est obligatione dubia. Itaque non aduersantur sibi hæ duæ regulæ sed potius vna alteram exprimit, & declarat, siquidem semper quod vtitur iure, quod possidet suæ libertatis, ius quod securius est eligit, vt optime notauit Ioann. Sanchez *num.13.* ex intelligentia huius duplicis regulæ, & illarum concordantiæ possem eruere perplures casuum decisiones ad alias materias pertinentium. Ne autem disputationem protrahamus in aliam occasionem relinquimus.

223. Secundo noto, quod in casu præsenti de illo qui dubitat an possit communicare ob defectum ieiunij requisiti, potest hoc dubium haberi. Primum quod quis dubitet solummodo circa tempus si forte quando manducauit, aut bibit hora iam duodecima pulsata erat. Secundum dubitat si forte cum lauaret os aliquam aquæ partem per fauces transmiserit.

224. Ioannes Sanchez *Select.citata n.9.* dicit, quod in his duobus casibus si dubitans iudicet quod ob possessionem suæ libertatis, ieiunus est, poterit communicare, & hoc suadere poterunt Confessores. Diana *part.3.tract.4.resol.29.* Layman *in Theologia Morali tract.1.lib.1.cap.5.§.4.num.36.* Probatur, quia vti diximus Regula iuris, *Melior est conditio possidentis*, habet locum in isto casu, siquidem ante dubij aduentum habebat quis possessionem suæ libertatis ad communicandum: ergo superueniens dubium non potest illi adimere ius quod habebat suæ libertatis ad sacramentum suscipiendum, siquidem ius certum non potest
225. ab incerto superari. Quemadmodum si Petrus certior sit se à Ioanne centum mutuo accepisse, si postea de solutione oriatur dubium, non ideo tollitur obligatio certa soluendi, *quia ius dubium non euertit ius certum, quod habet creditor.*

Thom. Hurtado Resol. moral. Pars II.

Hæc sententia probabilis est quam tenet etiam 226.
Lugo *disp.15.de Eucharistia. num.42.& 43.* Diana *part.3.tract.4. resol.29.* Sed mihi distinguendum videtur itaut in primo casu communicare poterit, non in secundo. Sed priusquam authoritate, & ratione probetur, suppono, duplex esse dubium, alterum practicum, & alterum speculatiuum. Practicum est quando operans operatur dubitando, & opus dirigitur ab ipso dubio, & in dubio hoc nullatenus licet operari, nisi tutior, & securior pars eligatur, & de hoc dubio verificatur Regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, Et *tene certum, & dimitte incertum.* Et in hoc conueniunt omnes Doctores, & in cunctis materiis habet verum.

Alterum dubium est speculatiuum, & est cum 227.
quis pro vtraque parte habet rationes ad non se determinandum in particulari, iudicando per media intrinseca, & iudicio suo esse veram, sed iudicium suspendit speculatiuum, & cum hoc dubio compatitur iudicium practicum circa vnam partem, quod iudicium regula est operis à voluntate manantis. Ita Salas 1.2.*tract.8. disput.vnica sect. 16.num.142.* Baldellus *lib.4.de Conscientia.disp.7. num.4.* Sicut si quis dubitet an votum emiserit, vel non, quia ex vtraque parte rationes habet, cum hoc dubio compatitur iudicium practicum dictans non esse obligationem soluendi votum; quia in casu dubij melius ius habet ad non esse obligatum, quod est suæ libertatis possessio, vt 228.
dicunt Authores quos pro secunda conclusione dabo, taliter quod post factam moralem, & sufficientem diligentiam ad venandam veritatem, iam dubium speculatiuum inuoluntarium est, & possessio libertatis vincit.

Aduerto etiam cum communi, & certa sententia quemlibet posse dubitare vel de facto, vel de iure, id est, potest dubium habere an sit lex, consuetudo, vel præceptum obligans illum absolute, vel in isto casu, & tempore; & poterit dubitare, non de lege, sed an iuxta illam operatus fuerit, sicut si quis dubitet an votum emiserit, 229.
quod lex est particularis quam sibi quisque vouens præfigit, qua ad talem, vel talem operationem obeundam, & quidem bonam, ligatur; & etiam non de voto dubitando, dubitat an expleuerit, nec ne. Primum dubium vocatur *dubium iuris*, secundum *dubium facti.*

Dico primò, si quis dubitat an hora duodecima noctis insonuerit cum comedebat, aut bibebat, poterit sequenti mane communionem recipere. Ita tenent citati Authores. & addo Pasqualigum *reso.341.* Probatur primò, Quia quando adest dubium an sit lex, vel consuetudo, si debita facta diligentia, adhuc dubium perseuerat, melius est ius libertatis quam quis possidet, ad se ab obligatione eximendum; sed qui dubitat an hora duodecima insonuerit quando comedebat, & bibebat, dubitat certè de iure, & præcepto ieiunij naturalis ad communionem requisiti, ergo possidet suam libertatem, cuius ius certum est, & ideo illo vtens sequenti mane communicare valebit. Maior huius discursus, nempe quod qui dubitat 231.
an lex adsit vel præceptum, liber ab obligatione sit, communis est sententia classicorum Doctorum asserentium Regulam *in dubiis melior est conditio possidentis*, non solùm intelligẽdam esse in materia iustitiæ, sed etiam in materia cuiuscumque alterius virtutis. Plures citaui *num.217.* quibus addo Magistrum Cornejo 1.2. *quæst.19.tra 8.*

diſp.4.dub.2. à §. Secunda ratio eſt. Sotus *lib.7. de iuſtitia quæſt.3. art.2.verſ. Sed hic eſt.* loquens de dubio voti, Bonacinam *diſput.2.de peccatis.quæſt. 4 punct.7.numer.17.* Layman *lib 1. tract.2.cap.5. num.38.*Filliucius *tract.21.cap.4.quæſt.8.num163. & num.170.* Baldellum *lib.4.de conſcient.diſput.8. num.2.& 12.* Henrriquez *lib.8.de Euchar.cap.45. num.3.in comment.litt.I.* Rodriguez *2.tom.ſumm. cap.99.num.5.* Rebellus *de obligation. iuſtit lib.1. quæſt.3.ſect.2.num.10.& 11.*Naldus *in ſumm.verbo dubium num.22.24 & 25.* tenet in propriis terminis meam ſententiam Villalobos *tom.1.tract.1. difficul.21.num.1.4.& 5.*Saa emendatus *verbo dubium.num.2.*

232. Et ratio horum euidens eſt; quia vt docet S. Thom. quem omnes in materia de legibus ſequuntur, lex, & præceptum non obligat,niſi ſufficienter publicetur, itaut quiſquis morali certitudine agnoſcat obligationem ſibi annexam, à lege præfixam, quæ operatur applicata ſubiecto, vt cæteræ cauſæ; cum autem poſt ſufficientem adhibitam diligentiam, an talis extet lex,maneat idem dubium ſpeculatiuum, cenſetur lex non ſufficienter promulgata, & applicata,& ita non ſtat pro illa poſſeſſio, vt obligare valeat,& ad executionem cogere, ſed dubitans manet in poſſeſſione ſuæ libertatis,& exemptus ab obligatione.

233. Et ita notauit Villalobos, cum Soto, Aragon, & Sanchez,quos ſequitur,quod ſi quis dubitat an quatuordecimum annum expleuerit quando votum emiſit, poterit irritari à Parente, Tutore,& ab eo qui patria gaudet poteſtate. Ratio eſt.Quia ius patriæ poteſtatis certum eſt, & ille in ſua poſſeſſione eſt, & ideo non ab illo tollendum ob dubium ſuperueniens. Itaque ad noſtrum intentum, qui ante mediam noctem ieiunus eſt, habet ius, certamque poſſeſſionem, ſeu libertatem ad communicandum ſequenti mane: ergo dubium ſuperueniens an duodecima inſonuerit, nec ne,non illi adimit libertatem, ſiquidem dubitat de exiſtentia præcepti, quod ante mediam noctem nequaquam currit.

234. Dico ſecundò, Cum quis dubitat an aliquid manducauerit, vel biberit,non poteſt communicare.Hic verum obtinent Regulæ iuris, *in dubiis tutior pars eſt eligenda, & tene certum,& dimitte incertum.* Ratio eſt perſpicua,quia in iſto caſu factum incertum eſt,ius autem certum,& obligatio legis; incertum autem nequit vincere certum, & illi ſuam efficaciam adimere, velut eſt præceptum ieiunij naturalis ad communicandum requiſiti, & ita cum quis dubitat an comederit, vel biberit, non eſt certus de ſua libertate, ſed certus, obligatio autem præcepti certa eſt, & ideo præualens.

235. In qua ratione nixi ſunt Summi Pontifices, cum ſtatuerunt, *cap.ad audientiam,* & alij *de homicidio,*quod *dubius de homicidio cenſetur irregularis,*& non eſt irregularis ille, qui dubitat dubio iuris, quia hic non eſt lex ſufficienter applicata; at quando certus de iure dubitat de homicidio irregularis eſt,quia obligatio legis certa eſt,quam certitudinem non poteſt vincere dubium facti. Legantur Vaſquez *1.2.diſp.66.cap.1.num.5.* Turrianus *de Cenſuris dub.8. diſp.57.dub.5.* Hurtado Compluten.*de irregular.diff.4.num.15.* Bonacina *diſp.7. de irregularit. q.1.punct.5. num.3.* Sayrus *lib.7.cap.3.num.2.* Auila *2.p. cap.5.dub.3.* Rodriguez *1.p.ſumm.cap.275.num.4.* Nauarrus in Manuali *cap.27.num.223.* Sanchez *lib.1.ſum.cap.10. num.44.* Præpoſitus *3.p. q.5. de irregular. dub.8. num.64.*Cornejo *tract.5.diſp.1.dub.2.*

Qui omnes,& alij multi dicunt, quod quando lex eſt certa, & dubitatur de facto propter quod impoſita eſt irregularitas, cenſetur quis irregularis: & ita cum quis certus eſt de duodecima hora noctis, & dubitat an poſt illius pulſationem comederit,vel biberit,neque valet practice, & prudenter dubium deponere, euidens eſt non poſſe communicare, neque aliquis Confeſſarius talem communionem poteſt ſuadere; niſi fortè perſona ita ſcrupulis angatur, quod probabiliter Confeſſarius iudicet, potius eſſe ſcrupulum, quam dubium, & à Dæmone ad illius moleſtiam immiſſum, & vt à Communione deturbet. Ita tenet Bonacina in loco quem citabo §. *his non obſtantibus.* 236. 237.

Secundò, Probatur Concluſio, Quia ſi quis certus eſt ſe emiſſiſſe votum, & dubitat de adimpletione,niſi dubium deponat, tenetur adimplere,& idem eſt ſi Sacerdos dubitet an officium diuinum recitauerit. Ita tenent Bonacina *diſp.1.de officio Diuino q.6. punct.2.num.11.& de Reſtitut. ingenere. diſp.1.q.2. punct.2.* Carolus Mancinus *de Horis Canonicis q.18.num.4.* Nauarrus *de orat. cap.20.num.3.*Sapientiſſimus P.Thomas Sanchez *tom.1.Summ. cap.10.num.2.* vbi ait: *Nemo enim affirmabit certum de voto à ſe emiſſo, ſicut de alio præcepto;dubium tamen an illud ſatisfecerit,non teneri ad id.*Naldus *verbo,dubium num.15.* Ioannes Sanchez *ſelect.42.num.8.*& eſt indubitatum,quia quando conſtat de obligatione præcepti, & dubitatur an illi fuerit ſatisfactum,ſemper ſtat præſumptio pro lege; quare omnino inconſequenter loquitur dum dicit *diſp.42.num.9. Quod dubius an poſt mediam noctem comederit, vel biberit, poteſt communicare; iſte enim poſſidet libertatem ad communicandum, ſed poſſeſſio ſtat pro præcepto.* Neque Authores quos pro hoc adduxit aliquid iuuant, quia Medina *in Declaratione 3.præcepti Eccleſ.§.42.*Lucius *in Summ.pag.145.* loquuntur de illis qui dubitant an deglutierint aliquam ſtillam aquæ quod potius ſcrupulum, quam dubium forte erit,& ita ait Medina: *Ne ſint fideles nimis ſcrupuloſi,&c.* 238. 239.

Neque contrarium fundamentum ſufficiens eſt, quia illi reſpondetur dubium ſuperueniens non de præcepto, ſed an comederit, vel non,non tollit poſſeſſionem præcepto, bene tamen libertatem ad communicandum, quæ mala fide poſſidetur eo ipſo quod hoc dubium ſuperuenit. Ad exemplum dico, vt tenent Sanchez,Bonacina, & ferè omnes authores citati, Qui habet dubium an ſoluerit certum debitum, tenetur ſoluere: *Quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis ius certum.* 240. 241.

CAPVT VIII.

An, ad hoc vt ieiunium frangatur naturale, requiratur nutritiuum eſſe id quod comeditur.

SVMMARIVM.

242 *Ieiunium naturale ad hoc vt frangatur, an requira*

requiratur nutritiuum esse id quod comeditur? & n. seqq.

247 *Quodcunque ore voluntariè sumatur, & in stomachum traiiciatur masticando, vel deglutiendo, ieiunium soluit naturale, & sacram prohibet communionem, taliter quod sic communicans mortaliter delinquat, & num. seqq.*

256 *Quid dicendum de reliquiis ciborum, quæ inter dentes remanent, si quis aduertenter eas transglutiat?*

242. QVod inquirimus est, an si quis comedat papyrum, plumbum, lapidem, terram, & alia elementa, & metalla non nutritiua, frangat ieiunium naturale, & per consequens impeditus sit ad Sacram Communionem? Diana *p. 5. tract. 13. resol. 1.* agens de hac difficultate ieiunij naturalis ita loquitur: *Si quis deglutiret in magna quantita e nummos aureos non violaret, neque ieiunium Ecclesiasticum, neque naturale. Et idem dicendum est, contra Leonem, de plumbo, & ego addo de ossiculis aliquorum fructuum, & fragmentis metallorum, de vitro, de lapillulis, de ligno duriore, & similibus.* Hæc ille. Et *Resolut. 52. tract. 14. de celebrat. Missar. p. 1.* dicit: *Qui comedit modicum papyri, aut aliquid simile non habens rationem cibi, aut medicinæ potest iuxta sententiam probabilem sumere Eucharistiam.* Quæ verba sunt Ioannis de la Cruz *in Director. conscient. p. 2. q. 5. de Eucharist. dub. 4. conc. 2.* Quod Diana probabilius iudicat, tenentque Summa Corona *p. 4 cap. 4. num. 65.* Sanchez *Select. 42. num. 23.* Ludouicus à S Ioann. *1. p. summ. tract. de Euchar. q. 7 art. 10.*

243. Ledesma *ibi cap. 13. conc. 4.* Pasqualigus *Decis. 312.* qui addit, quod & si voluntariè quis papyrum manducet, siue terram, lutumve, non frangit ieiunium, quia non est alimentum hominum. Ita etiam aliqui Recentiores.

Fundamentum huius sententiæ est. Quia solummodo frangit ieiunium naturale, quod ad nutrimentum sumitur quasi cibus, & potus, quamuis hic per se nutritiuus non sit, vt aqua, & omnia relata quæ nutrimentum non sunt, & ideo

244. etsi edantur non impediunt communionem. Idem dicunt hi Authores, si quis comedat fragmenta vngularum, vel alicuius vulneris sanguinem sugat.

Addit Diana *resolut. 52.* citata, Resolutionem cuiusdam casus quem sibi quædam Nobilis fœmina proposuerat: Mulierem terram, aut simile

245. comedentem, siue illud comedat ob delectationem, quod est comedere per modum cibi, siue comedat vt colorem minuat, quod est comedere per modum medicinæ, non posse post istorum sumptionem sumere Eucharistiam. Hæc ille, & recte, sed in reliquo sibi contrarius, cum eadem ratio sit de terra, ac de papyro, & cæteris aliis.

246. Ioannes Sanchez etiam in consequenter loquitur dicens: *Si quis auellanam cum cortice deglutisset, aut pineam, nucem, piñon, non erit illicitum communicare, cum materia comestibilis non sit.* Siquidem comestibiliora non sunt auellana, & pinnulus integer, non fractus, quàm papyrus, aut terra.

247. Et ita dico, quodcumque ore voluntariè sumatur, & in stomachum traiiciatur masticando, vel deglutiendo, ieiunium soluit naturale, & Sacram prohibet Communionem, taliter quod sic communicans mortaliter delinquat. Ita omnes ferè expositores D. Thomæ *p. 1. q. 80. art. 8.* vbi hoc clarè docet S. Doctor in solut. *ad quartum argumentum*, dicens: *Neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parua quantitate, licet hoc Sacramentum accipere; neque refert vtrum aliquid huiusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus.* Hæc ibi.

Itaque ridicula est expositio quam de hoc tam perspicuo testimonio tradit Ioannes Sanchez dicens D. Tho. hic loqui in illis verbis: *Siue nutriat, vel non nutriat, aut cum aliis*, de illo qui comeditur in tam parua quantitate quòd per se nequeat nutrire. Si quidem liquido docet S. Doctor ad soluendum naturale ieiunium ad communionem requisitum, accidentale esse, nutritiuum aut non nutritiuum esse quod sumitur: *Neque refert vtrum aliquid huiusmodi, &c. si sumitur per modum cibi, aut potus, aut medicinæ.* Quæ verba S. Doctor posuit propter *aquam* quæ secundum aliquos ieiunium naturale non soluebat, quia nutritiua non erat, vt constat *ex loco 4. sententiar.* quem adduxi *cap. 2.* 248.

Itaque hanc sententiam tuentur Bonacina *disput. 4. de Sacrament. q. 2. punct. 2. num. 10.* Henriquez *lib. 8. cap. 49. num. 10.* Naldus *in summ. verbo Eucharistia num. 19.* qui addit, & optimè, *etiam si statim euomat.* Reginaldus *lib. 29. n. 118.* Sylvester *verbo Eucharistia 3. q. 6. num. 8.* dicens: *Non est verum quod dicunt cibum prohiberi, vt nutrit, sed prohibetur ob reuerentiam, vt stomachus sit nouus, vt egregiè probat Herueus, secundum quem omne quod sumitur ab extra, & vitari potest, impedit.* Hæc ille. Vasquez *3. p. disp. 211. cap. 3. n. 18.* vbi ait: *est ieiunium naturæ abstinentia à quocumque genere rei, quæ per os sumitur, &c.* 249.

Suarez *disp. 66. sect. 4. dicitur*, (inquit) *aliquid sumi per modum cibi, vel potus, quando aliquid huiusmodi ore accipitur, quod per se, & propria actione vitali in stomachum traiicitur comedendo, aut bibendo; & ita explicant hoc præceptum omnes Authores, & ipsa consuetudo.* 250.

Siluius *art. 8.* vbi dicit: *Hæc est constans Doctorum communis sententia.* Lumblinus *in summ. verbo communio & ibidem casu 11.* Villalob. *to. 1. tract. 7. difficult. 39. num. 1.* Ledesma *cap. 13. conc. 4. §. a cerca desta.* Alter Ledesma *in 1. p. 4. quæst. 21. art. 8. dub. 3.* Marchin. *tract. 3. p. 3. cap. 3. num. 5.* Azor *tom. 1. lib. 10. cap. 3. quæst. 2.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 18.* Scortia *lib. 2. de sacrificio cap. 7.* 251.

Fagundez *præcep. 3. lib. 3. cap. 5. num. 5.* dicens: *Qui rem paruam, etiam non nutritiuam, vt guttulam aquæ, papyrum, aut aliquid simile per modum cibi, aut potus deglutiret, etiam per ignorantiam, & inaduertentiam, quamuis totum statim eiiciat, vomatque, & quamuis in omnibus aliis præceptis Ecclesiæ de minimis curandum non sit.* Hæc ille. Et ita optimè dicit P. Magister Nugnus *ibi col. 4. improbabile esse asserere posse transglutientem papyrum communicare.* Quare prudentissimè P. Didacus Granado *contro. 6. de Eucharistia tract. 10. disput. 8. num. 7. in fine* dixit: *Res hæc restringenda est potius, quam extendenda.* 252.

Ratio huius contra Dianam euidens est; quia etsi verum sit quod papyrus, ypsius, terra, carbo, lutum, ossa, quamuis ex bacca sint, vel ex alio quouis animali, & ex quibuscumque fructibus, quamuis dactilorum sint, vel pulueres auri, 253.

aut cuiuscumque alterius metalli; etsi nutrimenta humana non sint quibus homines vtuntur, sicut & excrementa non sunt; sed naturalis calor ita excrescere potest vt illa alterentur, & in chilum conuertat, & si non tota, saltem partem; si quidem plura animalia sunt quæ comedendo terram, stercus, & metalla, ossaque, ea digerunt. Itaque licet hæc omnia è corpore in secessu fere integra expellantur, non sicut ingressa sunt egrediuntur, sed in magna parte alterata; quia etsi aurum non corrumpatur calore, neque consumatur, consumuntur tamen altera metalla illi commista; vt autem aliquid nutritiuum sit, non requiritur necessario vt totum penitus in substantiam comedentis transeat; itaque pro indubitato teneo quodcumque mixtum, qualitercumque durum sit, si voluntariè sumatur, calor naturalis tantum obtinet vim, quod si in stomacho perseueret, in substantiam comedentis commutabitur, & ita quodcumque facit quod *os non sit nouum* ad suscipiendum Sacramentum, & ex hoc censeo omnino improbabilem sententiam Dianæ relatam, quod comedere plura ossa aliquorum fructuum, & nummos non est frangere ieiunium naturale. Et etiam improbabilem reor sententiam Pasqualigi relatam num····· qui falso dicit solum illud frangere ieiunium naturale, *quod ex natura sua ordinatur in cibum humanum, itaut moraliter censeatur cibus humanus:* quia si quis ederet aliquam quantitatem luti ante sumptionem Eucharistiæ non frangeret ieiunium naturale, & Eucharistiam posset suscipere. Quod dici nequit, nec admitti.

254. 255.

Ex dictis sequitur verum tenere conclusionem huius capitis, in reliquiis ciborum, quæ inter dentes remanent, si quis aduertenter eas transglutiat. Et ita S. Thom. 3. *p. loco citato.* prudenter dixit: *Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt, quia non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ; & eadem est ratio de reliquiis aquæ, vel vini quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtæ saliuæ, quod vitari non potest.* Notetur illud *si casualiter* quia si aduertenter, & voluntariè quis deglutiat, ieiunium soluet naturale, vt ferè omnes authores citati tenent, & optimè probat Vasquez *num* 36. & 37. quia non intulisse ori in eodem Communionis die, ad rem nihil facit vt ieiunium naturale non ideo soluatur, siquidem manducare non consistit in eo quod est inferre ori cibum, sed in transglutiendo voluntariè ori illatum, & ita si quis paululum ante pulsationem duodecimæ horæ noctis ori non paruam quantitatem sacchari duri inferret, vel nucem muscatam, & post pulsatam duodecimam masticaret, & ederet, absque dubio ieiunium naturale dissolueret. Sententia autem hoc negans, probabilis non est, vt ait idem Vasquez, quem sequuntur Suarez, Reginaldus, Bonacina, Siluius *loc. citat.* Coninch 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *num.* 48. & 49. Molfesius *in summ. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 13.

256. 257. 258.

Itaque non est sequenda in practica sententia Tabienæ *verbo communicare n.* 49. & Bartholomæi ab Angelo *in exam. confess. Dialog.* 4. §. 214. cuius sententiam citat Diana *vbi sup. resol.* 51. nec impugnat. Non, inquam, opinio hæc sequenda est, quia ad solutionem ieiunij naturalis accidentaliter se habet, quod manducatum, eadem die ori illatum sit, vel alio antecedenti, sufficit vt die Communionis transglutiatur.

259.

Sed Coninch *num.* 49. affirmat, reliquias cibi remanentes ex cœna inter dentes, quamuis quis ex proposito transglutiat, non esse nouum cibum, quia transglutiens, iam antecedenter comedit; dicuntur autem communi vsu *cibi*, quamuis de nouo sequenti die transglutiat, & ita ieiunium non soluent naturale. Respondeo, esse omnino falsum dicere quod quando quis has reliquias aduertenter transglutit, de nouo non comedat id quod ad fractionem ieiunij naturalis sufficiens est, quia de nouo infert stomacho aliquid per modum cibi, quod antea non habebat, quod non facit quando inaduertenter transglutit, quia non per modum cibi ingrediuntur, sed per modum saliuæ, vt optimè dixit S. Thomas; quia etsi verum sit quod in saliuam transmutatæ non fuerint, tamen vt notauit Vasquez, *vt aliquid deglutiatur per modum saliuæ, non requiritur quod conuertatur substantialiter in saliuam, sed quod saliuæ inaduertenter, & causaliter iungatur, & transglutiatur cum saliua:* cum autem hæ reliquiæ de nouo non sumantur ore, pluries contingit vt occasionaliter cum saliua transglutiantur, & ideo ieiunium naturale non frangant ad Sacram Communionem requisitum.

260. 261. 262.

CAPVT IX.

In quibus casibus possit Sacerdos Sacrum facere, & communicare non ieiunus.

PLVRES se offerunt casus, de quibus dubitari potest an licitum Sacerdoti sit celebrare non ieiunum, vt Ecclesia præcipit esse ad Communionem. Quos in particulari conuertere operæpretium erit.

RESOLVTIO III.

Licitum est Sacerdoti non ieiuno communicare, vt sacrificium quod alter complere non valuit, perficiat.

SVMMARIVM.

263 *Sacerdoti non ieiuno licitum est communicare, vt perficiat sacrificium quod alter complere non valuit.*

266 *Ampliatur, & n. seqq.*

268 *Sacerdos quando post hostiam consecratam meminit se comedisse, aut bibisse, etsi mala fide, & peccando ad altare accesserit, tenetur sacrificium perficere; imò si de offensa pœniteat, fructuosè communicabit, & num. seqq.*

271 *Si particula Hostiæ Calici, vel palato hæreat, possitque modestè labio Calicis propinquari, & sumi, debet ita fieri, & non infundi vinum siue aqua vt è Calice disiungatur.*

OMnes Doctores in eo conueniunt, quod si quis Sacerdos post consecrationem, vel naturaliter moriatur, vel ciuiliter, quia mente captus fuit, vel ob aliud quodcumque accidens superueniens, 263.

perueniens, si ibi alius Sacerdos non ieiunus adsit, posse, & teneri species consumere Sacramentales, quia integritas sacrificij est de iure diuino, præponderans præcepto Ecclesiastico de ieiunio naturali, & ita hunc casum determinauit Concilium Toletan. 7. quod refertur *cap. nihil 12. q. 1.* & sic, si alius non adsit ieiunus Sacerdos, neque faciliter, & breuiter accersiri possit, qui adfuerit non ieiunus, debet & Hostiam, & Sanguinem sumere, vt sacrificium perficiatur; quia
264. vt idem Concilium notauit, vnicum sacrificium est, licet ad illud duo concurrerint Sacerdotes, alter sacrificans, sumens alter. Ita Suarez *de Euchar. disp. 68. sect 6.* Vasquez *disp. 211. num. 48.* & omnes alij contra Gabrielem *in 4. distinct. 8. q. 2.*
265. *art. 3.* addit Vasquez, & bene, quod si consumere Sacramentum solum esset humanum præceptum, sicut est diuinum, adhuc Sacerdos non ieiunus sumere deberet, quia præceptum ieiunij non tam necessarium est, ac præceptum perficiendi, & complendi sacrificium.

Addo contra Philiber. Marchin. *p. 3. de sacrif. Missæ cap. 3. num. 15.* hanc resolutionem verum habere, cum Sacerdos impotens, ob dicta impedimenta, sacrificium perficere, iam aliquam partem oblatæ consecrarat, quia si non consecrarat,
266. quamuis Canonem prosequeretur, Sacerdos non ieiunus non posset consecrare, & sumere. Ratio perspicua est, quia ante consecrationem nullum est sacrificium, & ideo etsi remaneat Missa inchoata, non tamen sacrificium manet imperfectum, & per consequens præceptum de naturali ieiunio in sua vi perseuerat.

Nisi dicatur cum aliquibus Doctoribus perantiquis, quod Sacrificium Altaris in oblatione
267. consistit. Sed vt sententia hæc probabilitatem obtineat, vt optime notauit Vasquez *3. part. disput. 222. numer. 10.* intelligenda est de oblatione quæ post consecrationem fit quando dicitur: *offerimus præclaræ Maiestati tuæ, &c.* & ita hanc sententiam tenet Fagundez *Præcep. 1. lib. 3. cap. 1.* & est grauissimorum Doctorum Thomistarum, & non Thomistarum: quando ergo Scotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. §. Quæstionem vers. si obiicit*, dicit quod quando *offertur Hostia non consecrata tum est sacrificium, non Sacramentum*, loquitur impropriè de Sacrificio.

268. Secundò addo, quod quando aliquis Sacerdos post Hostiam consecratam, meminit se comedisse, aut bibisse, & si mala fide, & peccando ad Altare accesserit, tenetur Sacrificium perficere; imo si de offensa pœniteat, fructuosè communicabit, & Sacramento sanctificabitur. Ita Suarez, & Vasquez *vbi suprà.* & est communis, & expressa D. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 6. ad 2.* qui addit, à citatis Authoribus secutus, quod si adhuc non consecrauit, tutius erit Missam non continuare. Et idem affirmat, si aduertat se excommunicatum, irregularem, vel in peccato lethali existentem, nisi ex discontinuatione Missæ graue scandalum, aut ingens nota oriatur: *Si vero ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor tutius reputarem, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi graue scandalum timeretur.*

Rationem huius reddidit Vasquez: Quia in his casibus præceptum Ecclesiasticum non communicandi nisi in ieiunio, & Diuinum non celebrandi, nisi confessione præmissa, determinantur à virtute Epiikeyæ non obligari in similibus
270. occasionibus, si quidem ex obligatione tam graue sequebatur inconueniens, sicut est Sacrificium imperfectum manere.

Idem dicendum erit, si Sacerdos existimans se 271.
vinum Calici infundere, postea inuenit acetum, vel aquam, & si deglutiat, iterum ponere vinum tenetur & consecrare, quo, vt dicunt Rubricæ Missalis, Sacrificium completur. Aduerto autem, quod si talis Sacerdos possit absque nota non sumere inuentam aquam, vel acetum, tenebitur sub lethali non sumere, vt ad suscipiendum sanguinem ieiunus inueniatur.

Tertio, Addo quod si particula Hostiæ, Calici, 272.
vel palato hæreat, possitque modeste labio Calicis propinquari, & sumi, debet ita fieri, & non infundi vinum, siue aqua vt è Calice disiungatur præcipue si necessum esset hoc pluries exercere, siquidem vltra indecentiam, ieiunium soluitur naturale. Fateor contrarium teneri à viris doctis, & & grauibus, quos citant, & sequuntur Bonacina *de Sacramentis, disp. 4. quæst. 6. punct. 2. num. 12.* Marchin. *vbi sup. 16.* Syluester *verbo Eucharistia 2. num. 13. vers. Octauum.* & *verbo Eucharistia 3. num. 10.* Rationem tribuit Sylvester; Quia quod fit tali modo dicitur fieri simul, per notata per Doctores *in cap. Quia propter de electione.* & in *l. Continuus. D. de verbor obligation.* Sed meum
273. iudicium primum est, siquidem præceptum de ieiunio rigorosissimum est, & indecentia notabilis non est quod Sacerdos Hostiam disiungat è Calice, & sumat; vti esset in sæculari quando communicat, in quo verum habet quod isti asserunt Doctores.

Resolvtio IV.

Quomodo, & quando possit Sacerdos non ieiunus sumere particulas in Altari, seu Patena inuentas.

SVMMARIVM.

274 *Sacerdos non ieiunus quomodo, & quando possit sumere particulas in altari seu patena inuentas. & n. seqq.*

279 *Communis sententia, quod dum Sacerdos in altari est, sacrificium nondum censetur completum. & n. seqq.*

281 *Infirmis an post acceptum Eucharistiæ viaticum, & ablutionem possint porrigi reliquiæ quæ remanserunt, &c.*

HIc casus quotidie obuius est, Sacerdotem 274.
Missam compleuisse, & in fine plures fideles communicare, ex quo aliquæ in patena manent particulæ; Dubitatur ergo an possit Sacerdos eas sumere, quamuis ieiunus non sit; & conueniunt omnes Authores contra Rosellam *verbo Eucharistia 3. num. 13.* licitum esse Sacerdoti has sumere particulas post ablutionem, quando iam ieiunus non sit. Ita Caietanus *tom. 2. opusc. tract. 3. quæst. 1.* & probat erudite, vt assolet, ex quo acceperunt Vasquez *vbi sup. à n. 52.* Suarez *vers. Secundus casus.* Marchin. *num. 17.* Bonacina *num. 14.* Coninch. *quæst. 80. art. 8. num. 65. & seqq.* Fagundez *num. 28.* Reginaldus *num. 123.* Angles *in 4. q. 2. de Eucharistia diff. 2. conc. 2.* Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 8 num. 239.*

Ratio autem assignata à Caietano perspicua 275.
est,

est, quia dum Sacerdos est in Altari, sacrificatio, & sumptio illarum reliquiarum, pro vno sacrificio, actione & conuiuio moraliter reputantur; deferere autem illas parriculas inconsumptas irreuerentia videtur, cumque ieiunium ob sacramenti reuerantiam institutum fuerit, sufficit actionem illam sacrificandi in ieiunio inchoatam fuisse.

276. Hæc resolutio intelligitur, siue particulæ paruæ sint, siue magnæ, si aliquis non adsit communicaturus, vel pyxis desit in qua recondantur, & vbi formæ pro Communibus asseruantur; quia si pyxis sit vbi possit recondi, pro indubitato censeo contra Vasquez & alios, quod si particulæ magnæ sint, ita ad aliquam personam communicandam sint capaces, debent seruari. Ratio est euidens quia in asseruando nulla interuenit irreuerentia, & solent ad communi-

277. nicandum populum reseruari, & ideo eas consumere non pertinet ad vnitatem moralem, & decentem sacrificij, & per consequens præceptum ieiunij obligabit. Itaque omnes authores citati conspirant, has particulas, & reliquias quas Sacerdos consumere potest post ablutionem debere esse ex illis quas ipse consecrauit, quia pertinent vt pars materiæ, ad sacrificium quod celebrauit, ideoque eas sumere ad suum attinet sacrificium, quando autem hæ reliquiæ ex alieno Sacrificio manserunt, non possunt sumi nisi à ieiuno Sacerdote.

278. Etiam intelligitur hæc resolutio, quamuis post sumptam ablutionem, multum temporis decurrerit, quod in administranda communione fidelibus insumpsit. Ita Authores citati contra Syluestrum dicentem quod cum iam Calix compositus super Altare est, dictæ particulæ non possunt sumi. Quæ sententia non est improbabilis, siquidem cum Calix taliter in Altari est, actio Sacrificij iam pertransiit & absoluta censetur.

Sed communis sententia est quod dum Sacerdos in Altari est, Sacrificium nondum censetur

279. completum. Et addo contra Vasquez *numer.* 57. quod si in sacristia antequam sacris vestibus exuatur, in patena aliquam particulã inueniat, potest eam sumere; quia etsi verum sit quod non existit in loco Sacrificio destinato, tamen adhuc, vt suppono, sacris vestibus indutus nondum actio completa Missam dicendi cessauit, potestque adhuc perficere, sumendo illam particulam in Sacristia Quod est multo magis decentius, quam illum ibi relinquere, vel cum tumultu ad Ecclesiam portare; sic aliquoties consului interrogatus de minimis particulis. Ita docet Suarez *vbi supr. §. ad secundum.* Fagundez *n.* 30.

280. Et hi duo Authores addunt, & bene has particulas non esse porrigendas sæcularibus communicantibus, neque ante, neque post ablutionem; imo neque Sacerdotibus, extra Missam, communicantibus; quia cum nullus horum sacrificet, nulli competit hæc actio sumendi reliquias; cæterum nulli sæculari licitum est sumere bis in die Eucharistiam, & ideo non licet porrigere ei illas particulas post communionem, & multo minus post ablutionem.

281. Itaque non approbo id quod Marchin. *vbi sup. n.* 18. dicit, quod infirmis post acceptũ Eucharistiæ viaticum, & ablutionem, possint porrigi reliquiæ quæ remãserunt in Calice, & affirmat de hoc cõsuetudinem extare in strictissima Religione Patrũ S. Bernardi Recollectorum S. Mariæ Fuldensis, & quia censetur eadem actio moralis in Communione, vti diximus, in Sacerdotibus, si autem particulæ istæ ante ablutionem sumantur, Caietan. *in quæstion. citat. §. quid vero* videtur hanc sententiam insinuare, præcipue si particulæ istæ sumantur ante ablutionem, & nescio an in sua Religione ita in more sit. Sed hic loquitur Caietanus de Sacerdote, quia de laicis contrarium dicendum est, vt tenent Vasquez, Suarez, Bonacina, & Fagundez locis citatis. Ad consuetu- 282.
dinem Patrum Fuldensium S. Bernardi dico, si illi non faciunt ex Pontificio priuilegio, non posse facere. Et ad rationem iam dixi, disparitatem magnam esse inter Sacerdotem celebrantem, & laicum.

RESOLVTIO V.

An Sacerdos qui absque celebratione communicauit, possit celebrare.

SVMMARIVM.

283 *Sacerdos qui non sumpta ablutione, communicauit, potest secundò celebrare, si necessitas adsit vrgens, & n. seqq.*

CAsum hunc apud nullum vidi; videtur autem mihi contingere posse, Sacerdotem ex deuotione communicare, sine eo quod ablutionem sumat. Et ita interrogo an talis possit celebrare si aliqua præcisa occasio, aut vrgens necessitas interueniat? 283.

Suppono vt certum nullum sæcularem, siue Sacerdotem non celebrantem, posse bis in die communicare, Ita tenent omnes Theologi, & Summistæ cum D. Thom. *3. p. q.* 80. *art.* 10. *ad* 284.
4. & alibi. Probo hoc esse de iure diuino, & quamuis non sit de iure diuino, ita tenet vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ cum sit in materia grauissima obligat ad mortale. Item suppono contra Fagundez *præcept. 3. lib. 3. cap. 7. n.* 11. 285.
hostiam consecratam, nisi sumatur ablutio, ieiunium non frangere naturale ab Ecclesia statutum ante Communionem, & ita in die Natalis Domini in quo tres Missæ celebrantur, solo sanguine sumpto, non disputatur circa ieiunij præceptum, sed circa illud non amplius vna Missa celebrandi. Ratio perspicua est; quia Concilia, & Diuus Augustinus agentes de hoc ieiunio, solum prohibent manducationem, & potum alimentorum naturalium, & vsualium, & hoc ob reuerentiam, & venerationem tanto Sacramento debitam: *Hoc placuit Spiritui Sancto in honorem* 286.
tanti Sacramenti, ait Augustin. communicasse autem prius non tollit nouitatem requisitam ad hanc venerationem, cum panis hic cœleste alimentum sit; quia etsi corpus nutriat, & illud manducans species in propriam substantiam conuertat, tamen substantiam panis non manducat, sed Christi corpus, & ita ieiunium non frangit naturale, quod vt certum supponunt omnes Theologi, & Summistæ; itaque fidelem pluſquam semel non communicare, non est ob defectum ieiunij, sed ex consuetudine prohibentis Ecclesiæ.

Hoc supposito respondeo, quod si Sacerdos, non sumpta ablutione, communicauit, poterit secundo celebrare, si necessitas adsit vrgens. Et 287.
ratio est, quia vt docent Fagundez, & communis

nis ſententia, vt dixi controuerſia de obligatione Sacerdotis ad celebrandum reſolut····· poteſt Sacerdos in aliquibus caſibus bis in die celebrare ergo poterit communicare ſemel, & ſemel celebrare, ſi adſit neceſſitas. Quæ autem ſit ſufficiens cauſa prudentis arbitrio relinquo, qui omnes circunſtantias conſiderabit.

Resolvtio VI.

An ſi Princeps Sacerdotem non ieiunum ſacrificare cogat, poſſit Sacerdos licitè ſacrificare.

SVMMARIVM.

288 *Sacerdotem non ieiunum ſi Princeps ſacrificare cogat, an poſſit Sacerdos licitè ſacrificare? & num ſeqq.*

288. PRoculdubio Princeps, vel Dominus tale imperans, grauiſſimè peccabit, quauis faciat ex zelo non prætermittendi Sacrum in die feſto, vel quia votum de hoc emiſit, vel quia dies præcepti eſt; quia in caſu quo Sacerdos non inuenitur ieiunus, nec ad alterum obligatur, & ita cauſa eſt vt præceptum Eccleſiaſticum ſoluatur, ita graue, & perantiquum in Eccleſia Dei. Et ita difficultas ſolum procedit circa Sacerdotem an peccet non ieiunus ſacrificando, quia violentatur, & vim patitur, appoſitis minis, quarum timor cadit in virum conſtantem, vt inflictione mortis, vulneris, ignominiæ, amiſſionis facultatum, &c.

Neque etiam hunc caſum apud aliquem reſolutum vidi, etſi de eo aliquibus ab hinc annis rogatus ſim. Dico ergo quod ſi Princeps, vel Potentatus, Catholicus ſit, & vim inferat, non ex odio Religionis, neque cæremoniarum Miſſæ, ſi admoneatur graue eſſe delictum non in ieiunio ſacrificare, & quod tali Sacerdote non inuento, non teneatur ad audiendum Sacrum, ſi nihilominus inſtantiam faciat, grauiſſima præ-
289. iudicia minitando, talis Sacerdos, nempe non ieiunus tutò poterit ſacrificare. Ratio eſt, quia præceptum hoc humanum eſt, præcepta autem, & leges humanæ non obligant cum tanto diſpendio, vt eſt communis ſententia Theologorum, & Iuriſtarum in materia de leg. cum D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. ibi Valentia *diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 8. Vaſquez *diſp.* 61. *cap.* 2. Salas *diſp.* 11. *ſect.* 1. Lorca *diſp.* 26. Martinez *dub.* 2. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſput.* 5. *à num.* 3. Bonacina *diſp.* 2. *de peccatis q.* 8. *punct.* 2. Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 30. *num.* 6. Saytus *in Claui lib.* 3. *cap.* 7. & hodie communiter à Doctoribus tenetur, vt ait Couarruu. *in cap. alma p.* 1. §. 3. *num.* 9.

290. Et ita Baldellus *lib.* 5. *de legibus diſput.* 26. *n.* 3. ait, ſolum illas leges obligare cum periculo vitæ, quæ prohibent aliquem actum ex natura ſua malum, vt ſi iuberetur Sacerdos aliquod Sacramentum nullum conficere, qui ad renuendum tenetur, & non deobligatur ex metu mortis, vel grauis damni; ſed ait, & bene talis metus excuſaret eum ſi obligaretur facere Sacramentum, vel aliquid aliud, quod ſolum eſſet illi prohibitum iure Eccleſiaſtico, & per cenſuram.

Confirmatur hoc, quia nonnulla præcepta naturalia non obligant cum periculo vitæ, vel amiſſionis facultatum, aut honoris, vt eſt præceptum
291. reſtituendi debitum, depoſitum reddendi, non occidendi: ergo nec obligabit in iſto caſu præceptum ieiunij naturalis. Bene verum eſt quod huic Sacerdoti liberum erit potius eligere mortem, quam celebrare non ieiunus, quia vt docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 2. *art.* 4. *quærel.* 1. *ad* 2. licitum eſſe periculo mortis ſe tradere propter opus virtutis. Legantur Baldellus *num.* 21. & 22. Suarez *num.* 10. & 11. qui circa præſentem materiam, vt aſſolet diſcurrit. Poſt hanc reſolutionem ſcriptam, reperi apud Dianam *p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 39.

Resolvtio VII.

An ſit licitum Sacerdoti Miſſam celebrare non ieiunus, ad recipiendum viaticum?

SVMMARIVM.

292 *Sacerdoti an ſit licitum Miſſam celebrare non ieiunus ad recipiendum viaticum.*

PAter Didacus Granado 3. *part. diſp.* 6. *de Euchariſt. tract.* 10. *diſput.* 8. *num.* 12. ait; *Id licere* 292.
Sacerdoti, vt ſeipſum in articulo mortis communicet, & in hoc conueniunt Authores, & ratio eſt clara, quia ſi laico licitum eſt communicare pro viatico, non ieiunus, etiam licebit Sacerdoti ob eandem rationem, ſi ad celebrandum valens ſit, & poſſit abſque notabili detrimento ſalutis ex conſilio Medicorum; quod & verum habet etiam ſi alius adeſſet Sacerdos ieiunus, qui Euchariſtiam illi præberet. Idem tenent Diana *p.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 26. Lugo *de Euchariſtia diſput.* 15. *ſect.* 4. *numer.* 64. Layman *lib.* 5. *tractat.* 4. *cap.* 6. *numer.* 20.

Resolvtio VIII.

An hoc licitum ſit ad præbendum alteri Viaticum.

SVMMARIVM.

293 *An ſit licitum Miſſam celebrare non ieiunus ad præbendum alteri viaticum? & num. ſeqq.*

309 *Aſſerere licitum eſſe Sacerdoti conſecrare ſpecies panis abſque eo quod conſecret ſpecies vini, ad communicandum infirmum, improbabile eſt, & dici non poteſt.*

310 *Valde probabile eſt, & tutum in praxi aſſerere, & ſuadere Sacerdotem non ieiunum poſſe Miſſam celebrare ad communicandum infirmum ita deſperatum, vt expectare amplius non valeat, & periculum eſt vt non ſumpto viatico decedat.*

311 *Afferuntur rationes prædictæ concluſionis. & n ſeqq.*

320 *Reſpondetur ad fundamentum contrarium.*

SVppono, vt certius, & probabilius, quod 293.
communicare per modum viatici in articulo mortis, eſt præceptum diuinum, & non ſolum Eccleſiaſticum. Ita tenent Vaſquez 3 *part. tom.* 3. *diſput.* 214. *cap.* 2. Durandus *in* 4. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 2. *numer.* 7. Gabriel *quæſt.* 1. *art.* 2. *conc.* 3. Suarez *diſput.* 69. *ſect.* 3. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 8. *punct.* 4. Reginaldus *in praxi lib.* 29. *num.* 64. An-

gles

gles *in 4.quæſt.2.art.9.* Pitigianus *diſtinct.9.q.3. art.9.* Molfeſius *in ſumm.tract.3.cap.8.num.8.& 9.* Henrriquez *lib. 8. de Euchariſt. cap.4.* Filliucius *tract.4.c.2. quæſt.6.* Nuñus 3 *part. quæſt.8.art.11.* vbi S. Thom. expreſſe dicit extare præceptum diuinum de communicando, quod cum affirmatiuum ſit, obligat pro aliquo tempore, in nullo autem potius quam in mortis articulo; & ita Patres & Concilia quæ adduxi in controuerſia *de obligatione Sacerdotum ad communicandum quotidie*, vocant viaticum *neceſſarium.* Et veritas eſt quod in nullo tempore magis neceſſarium eſt ad vires ſpirituales contra inuiſibiles hoſtes reſumendas, qui tunc callidius aduerſus animam armantur, validius debellant, & procaciores obruere ſtudent; & ſic quamuis quis præceptum communicandi Eccleſiaſticum impleuerit, ſi multum temporis interuenit, ad hanc obligationem tenetur, ſiquidem vt Concilium Tridentin. dixit *ſeſſ. 13. cap.6.* Mos communicandi fidelium in articulo mortis antiquiſſimus eſt, qui abſque dubio à præcepto Diuino communicandi originem trahit; ideoque tali diſcrimine non communicans ingens cauſabit ſcandalum, niſi paucioribus antea diebus communione refectus fuiſſet, quoniam tali communione ad mortem diſpoſitus, & præparatus fuit.

294. 295.

Ita tenent omnes Doctores citati quibus addo Tabienam *verbo communicare num.16.* Coninch. *3.part.quæſt.80. art.11.dub.3. numer.98.* Sed qui communionem in infirmitate ſuſcepit pro viatico in eadem infirmitate lethaliter peccauit, multi affirmant non eſſe obligatum ad reſumendum viaticum. Hæc ſententia probabilis eſt, quamuis Tabiena *loco citato*, & Armilla *ibi num.11.* Sotus *in 4.diſt.12.q.1.art.11.* dicant obligatum eſſe, & non eſt improbabile, attento quod hoc Sacramentum illa præbetur hora ad corroborandum hominem in gratia, & vt vires aſſumat ad tentationibus reſiſtendum, & quia ob peccatum gratiam amiſit, iterum viaticum, & fontem gratiæ ſuſcipere videtur obligari.

296.

Ex quo infertur Iudicem teneri concedere tempus reo ad communicandum, qui capite plectendus eſt, ſi dilatio hæc ſupplicij non opponatur publico bono. Ita Doctores citati, fere omnes contra Filliucium *num. 238.* Nauarr. *in Manual.cap.25.num.23.* & ratio plana eſt, quia communicare in mortis articulo eſt præceptum diuinum, & quamuis ſolummodo Eccleſiaſticum ſit, grauiſſimum eſt, & in Eccleſia antiquiſſimũ, ideoque non eſt licita nec rationabilis conſuetudo non miniſtrandi viaticum morte plectendis, ſiquidem iudex iure naturali tenetur tueri bonum particulare rei, quando communi vtilitati non aduerſatur.

297.

Ita Clement. *cum ſecundum. de Pœnitentiis, & remiſſion.* & tenent Couarruuias *lib.2. variar.c.1. num.11.* Antonius Gamma *in ſpeciali tract.de Sacramentis præſtandis vltimo ſupplicio damnatis.* Rodriguez *tom.2. quæſt.109. art.3.* Martinus Del Rio *lib.5.diſquiſition. ſect.18.* qui addit, & bene eos ieiunos debere eſſe, cum Nauarro *lib.5.conſilior.16. de pœnit. & remiſſ.*

298.

Niſi miſer ita viribus concidat ob proximam necem, vt illum confortare neceſſum ſit; vel quia Princeps, quia ita bono expedit communi, iubet eadem die punitionem exequi. *punct.2.n.22. quæſtion. citanda.* Suarez *ſect.5.* Coninch *num.50. & 51.* ſed communio nunquam prætermittenda eſt, vt determinauit Dominus noſter Imperator Carolus Quintus *in ſanction. crimin. art.79.*

299.

Et ita antiqua conſuetudo quam refert Concilium Eliberitanum *c.20.* quod ad aliorum exemplum, & vt metus incutiatur, non præberetur damnatis Sacra Communio, non eſt in vſu: ſi autem alicubi obſeruatur abolenda eſt, quia præcepto diuino contrariatur, & eſt aduerſa Sacris Canonibus, & Conciliis aſſerentibus viaticum eſſe *viaticum neceſſarium.*

300.

Addit Bonacina *diſp.4.de Euchar.q.7.punct.1. num. 6. & 7.* iudicem teneri, quamuis interueniat dilatio duorum, aut trium dierum, niſi non expediat publico bono, concedere tempus reo vt confiteatur, & Communionem recipiat: *Quamuis timeatur fore, vt conceſſo debito tempore ad ſumendum Euchariſtiam reus eripiatur, & aliqui ſcandalum patiantur; quia iudex tenetur facere id, quod in ſe eſt; per ſe autem loquendo tenetur concedere tempus ſumendi Euchariſtiam.* Hæc ille, & ſatis bene. Sed ſi obſtinatus reus confiteri. & communicare renuerit, non ideo iudex debet, eum à morte liberum facere, ſed potius iuſtitiam explere debet, quia alioquin publica poteſtas eluderetur, & magna ſequerentur incommoda in Republica.

301. 302.

Hoc ſuppoſito quod de iure diuino ſit obligatio communicandi in mortis articulo, dubitatur vtrum Sacerdos non ieiunus poſſit hoſtiam conſecrare, vt viaticum ei porrigat qui ita deſperatus eſt, vt alium diem attingere nequeat! Communiter reſpondent Doctores negatiuè. Ita Bonacina *vbi ſup. num.24.* Valentia *punct.3.* Suarez *ſect.1.* Nugnus 3.*part. q.80. art.8.* vbi Coninch *num.36.* Diana *p.1. tract.14.reſol.66.* vbi dicit eſſe communem omnium Doctorum. Marchinum *tract.3. p.3. cap.3. num.13.* Vaſquez 3 *p.diſp.211. num. 61.* vbi dicit contrarium nullo modo eſſe probabile. Ledeſma *1.part.4. q.21.art.8. dub.2.* Nauarrus *in ſumm. cap.21. num.53.* Azor *tom.1. lib.10. cap.3. quæſt.2.* Reginaldus *lib.29. num.3.* Ledeſma *1.p. cap.13. conc.5. dub.vlt.* Villalobos *tom.1.* & alij multi quos iſti citant.

303.

Fundamentum huius ſententiæ poſuit Vaſq. quia etſi verum ſit quod præceptum communicandi in articulo mortis, ſit Diuinum; præceptum veto ieiunij ſit Eccleſiaſticũ tamen quando communicari non poteſt ſecundum ritum, & conſuetudinem Eccleſiæ, præceptum communicandi, etſi diuinum, non obligat; quia non eſt copia Miniſtri qui præbeat; ſicut ſi non ſit copia confeſſarij, non tenetur quis confeſſionem ante Miſſam præmittere; itaque Sacerdos non ieiunus ſacrificare non poterit ad communicandum infirmum ſiquidem hic non tenetur communicare, ſicut nec ille Miſſam dicendi, cum ieiunus non ſit.

304. 305.

Confirmatur hoc, quia ieiunium, vt dixit Auguſt. inſtitutum eſt ab Eccleſia *ob reuerentiam Sacramenti*, & ita Miſſam celebrare non ieiunus eſt contra reuerentiam tanto debitam Sacramento, cum celebretur contra vniuerſalem vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ; & idem in hoc caſu affirmat Vaſquez: *Non licere Sacerdoti conſecrare panem fermentatum, aut ſine veſte ſacra, aut alio quocumque modo, ritu Eccleſiaſtico prætermiſſo.* Hæc ille, & conſequenter ad ſua principia.

306.

Sed quamuis hæc ſententia probabilis ſit, & communiter ſequatur, contrariam, nempe Sacerdotem non ieiunum poſſe celebrare ad communicandum

nicandum infirmum morti vicinum, & expectare non valentem, iudico probabiliorem, & in casu vrgentis necessitatis practicabilem, & suadibilem. Ita Maior *in 4.dist.9.q.3.§.quinto arguitur*, etsi probabile in praxi non iudicem omne id quod dicit, *vt conc.1.dicam.* Zanardus *in Director tract.de Eucharistio cap.7.* Zambranus *in Decis. casuum, temp.mort. cap.4.dub.6.num.3.* Filliucius *tract.4.cap.8.num.242.* Suarez *vbi supr.§. secundum dubium.* Palatius *in 4.dist.9.disp.1.* dicit,
307. *hoc licere de licentia Episcopi*, non quia Episcopus in præcepto Ecclesiæ dispenset, sed vt iudicio suo discutiatur an adsit obligatio, & Ledesma *vbi supra*, ait contrarium esse probabilius, & per consequens hanc sententiam esse probabilem.

Quam tenet P. Granado *3.p.controu.6. de Eucharistia disp.8.tract.10.num.12.* vbi sic loquitur: *Lex charitatis, vtpote diuina, videtur magis obligare Sacerdotem, vt succurrat morituro illi cui dat viaticum in maxima necessitate, quam præceptum Ecclesiasticum ieiunij, quod non obligat in tot casibus*
308. *hactenus explicatis: sic etiam alia præcepta non seruantur, vt in extrema hac necessitate succurratur infirmo: potest enim Sacerdos se ipsum moriturum, extra Missam, communicare, potest bis celebrare Sacrum in eodem die ad communicandum infirmum: ergo poterit, etiam non ieiunus ob eamdem rationem celebrare.* Hæc ille, quem citat, & non reprobat Diana *p.5.tract.3.resol.35.* & Marchin *vbi supra* dicit esse probabile, Layman *lib. 5.tract.4.cap.6.num.20.* & 21. Faustus *de Eucharistia lib.1.q.353.*

309. Dico primò, Asserere licitum esse Sacerdoti consecrare species panis, absque eo quod consecret species vini, ad communicandum infirmum, improbabile est, & dici non potest. Hanc conclusionem tenent omnes Doctores vtriusque sententiæ, contra Maiorem, qui nimia licentia id concessit, & ratio perspicua est, quia vt cum D. Thom. *3.p.q.74.art.1.* probant Vasquez *disp. 223. cap.3.* Valentia *disp.6.q.20.punct.4.* Suarez *disp. 43.sect.3.* & 4. Ledesma *1.p.4.q.15.art.1.dub.3.* De iure diuino est celebrare Sacrificium Altaris in vtraque specie panis, & vini, quod præceptum præponderat magis quam recipere viaticum tempore mortis, cum hoc sit Diuinum positiuum, illud vero diuinum negatiuum, quod obligat semper, & pro semper relatiuis tract.11.dicam.

310. Dico secundò valde probabile est, & tutum in praxi asserere, & suadere Sacerdotem non ieiunum posse Missam celebrare ad communicandum infirmum ita periculosum, vt expectare amplius non valeat, & ingens imminet periculum vt non sumpto viatico decedat. Hanc conclusionem tenet secunda sententia, quam diligenter probabo.

311. Primo, quia vt initio dicebam, suscipere viaticum est præceptum diuinum, celebrare autem Missam in ieiunio est præceptum humanum: ergo licebit Sacerdoti non ieiuno celebrare, vt proximus diuinum præceptum adimpleat. Probo consequentiam, quia charitas dictat proximum succurri debere iuuaminibus à iure diuino concessis; neque hoc mihi adimere valet ius humanum, sicut nec prohibere viaticum porrigi infirmo non ieiuno, quia hoc præsidium Christus illi largitus est.

312. Confirmatur, Quia licet extet præceptum Diuinum de confitendo ante Missæ celebrationem, nihilominus potest Sacerdos, non præmissa Confessione celebrare ad communicandum infirmum: ergo etiam poterit non ieiunus. Consequentia est euidens, quia sicut in primo casu virtus Epiicheyæ dictat præceptum diuinum non obligare, quia magnum subsequitur detrimentum moriendi sine viatico: cum hoc detrimentum etiam subsequatur in nostro casu, poterit Sacerdos non ieiunus celebrare, sicut valet non præmissa confessione.

313. Hæc ratio mihi euidens est, quia asserere Ecclesiam posse suis præceptis, strictiorem, & vniuersaliorem prohibitionē præfigere, quam Christus suis præceptis imposuit, quamuis verum haberet absolutè, non tamen cum interuenit non exequutio eius quod idemmet Christus ordinauit, & ad subsidium fidelium suorum erexit, vt est viaticum, quod vt supra diximus vocatur à Patribus, & Conciliis *viaticum necessarium*, vtique iure diuino.

314. Sed Vasquez respondet huic rationi Epiicheyam habere locum in eo quod infirmus communicet, etiam non ieiunus, quia cum hoc moraliter impossibile sit infirmo, lex de seruando ieiunio naturæ redderetur nociua, quod non sequitur, si negetur infirmo Sacramentum, quia non potest illi præberi *iuxta ritum ab Ecclesia in vniuersum præscriptum, ne fieret consecratio præter vniuersalem consuetudinem, ab Ecclesia laudabilem.*

315. Sed hæc solutio non placet, quia secluſa lege, & præcepto Ecclesiæ celebrandi in ieiunio, nociuum esset infirmo non suscipere viaticum, quia extat præceptum Diuinum, & Sacerdos poterit, & tenebitur celebrare si esset Parochus, vt ouis sua pascuam de Corpore Christi non amitteret: ergo præceptum Ecclesiasticum superueniens non tollit illi præhabitam obligationem iure naturæ & iure diuino, & virtus Epiicheiæ locum obtinet.

316. Præcipuè quia Missam celebrare post moderatum cibum, & potum, non ita ingens irreuerentia est, quod in casu tam magnæ necessitatis, vt est infirmum pro viatico communicare, non debeat Sacerdos celebrare, quia si ita grauis irreuerentia esset, nec esset licitum ipsi moribundo non ieiuno Communionem recipere.

317. Probatur, secundò hæc conclusio, Quia si Parochus, nocte Natalis Domini, post primam Missam dictam sumpsit ablutionem, potest, & debet iterum celebrare propter vitandum scandalum. Ita tenent Angles *in 4 q. de suscipientibus Eucharist.art.6.diff.1.conc.vnica*, vbi sic loquitur: *Vnde manifestum est quod si in aliquo oppido esset vnus tantum Sacerdos qui in die natalis Domini post mediam noctem ieiunium naturæ soluisset, neque reperiri posset Sacerdos, qui Missam celebraret, tene-*
318. *retur profecto rem sacram facere, ne populum scandalizaret, cum ei ex officio celebrare incumbat. A simili possunt alij casus occurrere, in quibus scandalum sequitur, poteritque non ieiunus Missam inchoare, & perficere.* Ita ille. Ergo etiam ad euitandum scandalum infirmi debet celebrare, quamuis non ieiunus. Hic per *scandalum* intelligit iste Doctor maxima populi, aut contra ipsum exacerbatio. Et idem tenet Coninch *vbi supr.num.61.* Quis autem dubitet idem sequi, si non porrigatur Eucharistia infirmo sine illa decedenti? Cui nequaquam satisfit si dicatur Parochum ieiunum non esse, vel Sacerdotem, sicut satisfieret nisi Missam diceret, vt populus audiret.

319. Tertiò, Hodie communis sententia Recentiorum est, vt *cap.10.§.2.* dicam, quod in vnica infirmitate

mitate licitum eſt multoties communicare infirmum, etſi non ieiunum, ad quod ſufficiet quod quis aſſuefactus ſit communioni, vel iugi celebratione ex deuotione, vt tenent Layman *n.* 20. *citatus* & Ludouicus de S. Ioan. *tom.* 1. *q.* 7. *de Euchariſt. art.* 3. *diff.* 4. vbi ait, ſe tertio quoque die infirmis non ieiunis Sacramentum miniſtraſſe: ergo etiam licebit Sacerdoti, etſi non ieiuno celebrare, in caſu grauiſſimæ neceſſitatis, vti dixi.

320. Ad fundamentum contrarium dico legem Eccleſiæ non obligare, obligare autem præceptum diuinum, & ita Parochus tenetur non ieiunus celebrare lege iuſtitiæ, & alius quiuis Sacerdos lege charitatis. Ad confirmationem dico non eſſe irreuerentiam conſiderabilem, obligationi comparatam quæ in articulo mortis interuenit. & ita obligatio hæc præualet, quia diuina, non vero illa quia humana.

321. Conſequenter ad dicta dico, poſſe Sacerdotem conſecrare panem non azymum, ſed fermentatum; non autem omnino ſine veſtibus ſacris; quia habere Sacerdotes priuatas veſtes ad offerenda ſacrificia eſt de iure gentium; bene verum eſt quod poterit, ſine eo quod hæ veſtes, ſeu vaſa conſecrata ſint.

Resolvtio IX.

An licitum ſit ſuſcipere Sacramentum ſine eo quod ieiunus Sacerdos ſit ne infideles ſacrilege furripiant.

SVMMARIVM.

322 *Sacramentum ſuſcipere an ſit licitum, ſine eo quòd ieiunus ſit Sacerdos, ne infideles ſacrilegè furripiant, & n. ſeqq.*

322. OMnes Authores quos citaui §§. antecedentibus affirmatiuè reſpondent, & res eſt indubitata, ad euitandam irreuerentiam Sacramento irrogandam; ſed etſi hoc indubitabilis veritas ſit, caſum ſingularem hic afferam, de quo rogatus ſum in hac Vniuerſitate Hiſpalenſi anno præterito 1639. & in hoc 1641. & eſt, an Sacerdos degens in præſidio contra infideles, ſi audiat campanam ad ſtrepitum, vulgo *Rebato*, pulſari, verituſque prudenter ne Hæretici Ciuitatem capiant, & Euchariſtiam ſacrilege rapiant, & deludant, vt in Terminione, & alibi fecerunt, aduertatque talis Sacerdos ſe in mortali peccato exiſtere, ſicque ſpecies ſumpſit Sacramentales, ſine contritionis, vel Sacramentalis confeſſionis præmiſſione; an, inquam, talis Sacerdos mortaliter peccauerit, cum ita Sacramentum conſumpſerit, ac ſi in Arca reconderet, vel in foramine abſconderet, vt infideles non inuenirent, & ita non ſicut cæteri fideles recipit, nempe communicando, ſed ſolummodo abſcondendo.

323. Non defuit qui dixerit non peccaſſe lethaliter. Primò, quia Sacramentum recipit materialiter, ſicut Pater, cuius filius paruulus domi baptizatur quem tenet, & ex fonte leuat, non habens intentionem contrahendi cognationem ex cæremonia Eccleſiæ profectam, non contrahit talem cum coniunge affinitatem, à qua poterit

324. debitum, ac antea exigere. Secundò, quia in tali caſu Sacerdos non tenetur ſe diſponere in quantum recipit Sacramentum, quia tunc non recipit vt rationalis, quem præcepta moralia obligant, ſed ſicut ſuſcipere, & comedere poſſet equus, & paries vbi recondi potuiſſet: igitur non tenetur ſe diſponere contritione, vel confeſſione, ſicut Sacerdos qui miniſtrat Baptiſmum ſine ſolemnitate non tenetur ſe diſponere, quia in tali caſu ſe habet vt ſæcularis. Tertiò quia Sacerdos in 325.
hoc caſu ſolum tenetur abſcondere Sacramentum, ne ad manus Hæreticorum deueniat, qui irreuerenter tractant; vt autem abſcondat ſufficit, ſi materialiter comedat, ſine eo quod dolore peccatorum diſponatur.

Huic caſui duplici concluſione reſpondi. Prima, ſi huiuſmodi Sacerdos aduertens ſe eſſe in peccato mortali, taliter turbatus eſt ob debellationem hoſtilem, quod ad contitionem non attendit, nec ad diſpoſitionem ſpiritualem ad communicandum requiſitam, ſed ſolum abſconſionem formarum conſecratarum conſiderauit, & ſic ſumpſit, & quamuis Sacramentum nullam in il- 326.
lo gratiam cauſauerit, tamen nouum peccatum non commiſit, ſed potius actum Religionis elicuit. Ita tenet expreſsè Ioannes de Lugo *diſp.* 14. *de Euchariſt. ſect.* 1. *num.* 3. vbi ait: *Quando in ſubita paganorum vel hæreticorum irruptione periculum eſſet grauiſſimæ irreuerentiæ Euchariſtiæ inferendæ, & Catholicus in peccato exiſtens non poſſet pro temporis anguſtijs ſe diſponere per contritionem, aut occultare Sacramentum, tunc enim propter eiuſdem Sacramenti reuerentiam, ſicut poſſet ex omnium ſententia non ieiunus, ſic etiam videtur quod poſſet in peccato exiſtens Euchariſtiam ſumere ad vitandum eius irreuerentiam.* Hæc ille. Idem dicit. *diſp.* 8. *de Sacramentis ſect.* 1. 327.
num. 8. in caſu quod Miſſam celebrando ſe in peccato eſſe recordatur: *Et ita arctatur temporis anguſtia, quod non poſſit attendere ad habendam contritionem, niſi ceſſando à Miſſa incepta, quod non poteſt facere ſine magno ſcandalo, vel quia iam conſecrauit, in tali caſu poteſt recipere Euchariſtiam in peccato.* Idem tenent expreſsè Vaſquez 3. *p. diſp.* 207. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. Hurtado Compluten. *diſp.* 8. *de Euchariſt. diff.* 1. Ochagauia *tract.* 2. *de Euchariſtiæ effectibus q.* 8. *num.* 4. & probabile reputat Diana *p.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 74.

Ratio eſt perſpicua, quia quando duo præcepta 328.
incompoſſibilia occurrunt, illud explendum eſt, cuius obligatio ſtrictior eſt; cũque in præſenti caſu duo præcepta diuina occurrãt, alterũ recipiẽdi digne Sacramentum, alterum vitandi irreuerentiam ab hæreticis inferendam, & hæc obligatio vltima aſtrictior ſit, vt conſtat, huic attendendum eſt, ſi & alteræ attendi non poſſit; quod difficile iudico moraliter loquendo: quia actus contritionis interius elici valet in inſtanti temporis, vel in breui tempore; niſi quod dum perſona ore iam ſumens Euchariſtiam recordetur de commiſſo peccato, & tunc debet intra os continere, & ante comeſtionem, & traiectionem contritionem elicere.

Secunda concluſio fuit. Si huiuſmodi Sacer- 329.
dos potuit actum contritionis elicere, ad id obligatus fuit, ſub mortali, & contrarium aſſerere temerarium eſt, & omnino improbabile. Ita tenent omnes Doctores Catholici, neque eſt qui contrarium inſinuet, & ratio eſt euidens, quam tradidit S. Thom. 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 3. 4. & 5. quia extat præceptum diuinum de non recipiendo Sacramentum, cum conſcientia peccati mortalis, vt

conſtat

conſtat ex Apoſtolo 1.*Cor. cap.*11. *Qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat.* Quem locum in hoc ſenſu intelligunt omnes fere Patres Eccleſiæ,& Concil.Trident.*ſeſſ.*13.*cap.*13. videri poteſt Cardinalis Bellarminus *lib.* 4. *de Euchar.*
330. *cap.*17.*&* 18. vnde eleganter ait Chryſoſt.*hom* 3. *in epiſtol.ad Epheſios: Regem non audes oſculari, ſi os tuum oleat grauiter,& Regem Cœlorum impudens oſcularis,anima tua vitiis olente.*

331. Itaque dubitari non poteſt eſſe præceptum diuinum naturale non accedendi ad Sacramentum cum conſcientia peccati lethalis,neque hunc panem edendi, qui animarum cibus eſt, mortua in peccatis anima:ergo ſi quis poteſt elicere contritionem quando ſuſcipit illud, & in ſe abſcondit ob imminens dictum periculum, tenetur elicere ſub mortali. Conſequentia eſt euidens, quia homo eſt ſubiectum capax recipiendi Sacramentum Altaris ſpiritualiter,& Sacramentaliter: ergo
332. ſi recipit, & valet elicere ad receptionem contritionem, vtroque modo tenebitur elicere. Et ita Tridentinum, S.Thomas, & omnes Patres reſpectu hominis ſolius duos modos recipiendi Sacramentum diſtinguunt, alterum ſolummodo ſacramentalem, cum ſuſcipitur hoc Sacramentum, ſine eo quod effectus qui ab eo cauſari poteſt ſuſcipiatur; & alterum ſpiritualem, cum & Sacramentum,& illius effectus ſuſcipitur, vel quando cum voto ſuſcipiendi Sacramentum, ſuſcipitur illius effectus, vt contingit in communionibus ſpiritualibus. Vltra hos modos alterum Eccleſia numquam agnouit, quo homo Euchariſtiam ſuſcipere poſſit.

Et ita grauiſſime dixit D. Thomas *art.*8.*citato*
333. *ad* 3. *Quod dum mus, aut canis hoſtiam conſecratam manducat,non eſt dicendum quod animal brutum ſacramentaliter Corpus Chriſti manducet, quia non eſt natum vti eo vt Sacramento;vnde non Sacramentaliter, ſed per accidens corpus Chriſti manducat, ſicut manducaret ille qui ſumeret hoſtiam conſecratam,neſciens eſſe conſecratam.* Cumque homo ſit natus vti Euchariſtia vt Sacramento, & non ſit animal brutum, nec lapis, ſi hoc Sacramento vtatur, & poſſit non impedire ſuum effectum eliciendo contritionem; nullus Catholicorum hæſitare poteſt obligatum talem ad eli-
334. ciendum, cum accedere ad Sacramentum cum obice peccati, cum tolli poſſit, ſit grauiſſimum ſacrilegium, vt probat S. Thom. *art.*4. quem ſequuntur omnes Doctores, nullo dempto qui Catholicus ſit.

Secundo, quia in hoc caſu ſolum eſt neceſſarium abſcondere Sacramentum, ne ad manus infidelium deueniat, qui irreuerenter in illud in-
335. ſurgant, & ad hoc ſolum in omni Chriſtiano viget obligatio: ergo ſi in pectore poſſit abſondere, qua debetur reuerentia, contritionem eliciendo, ad hoc tenetur, Probatur euidenter conſequentia,quia ſi quis in loco decenti valeret Sacramentum reponere, ad id tenebitur, & etiam ſi in luto non collocare poteſt, tenetur ad non collocandum;quod autem ſpurcatius lutum? quis locus obſcænior anima in mortali exiſtente? ergo ſi poſſit hanc culpæ tollere fœditatem per contritionem, tenebitur omnino ad tollendum. Iterum dico de hoc non poſſe eſſe hæſitationem inter fideles, & Catholicos.

336. Fundamenta quæ habuit imaginatio contraria futilia ſunt, & ex dictis in ſecunda concluſione euidenter ſoluta remanent. Ad primum reſpondetur quod in illo caſu non contrahitur affinitas, quia non extat de hoc textus. Ad ſecundum, negatur hominem non obligari ad ſe diſponendum eo ipſo quod recipiat Sacramentū, ſi habeat ad ſe diſponendū tēpus, & ita tenetur vt homo recipere,non vt petra.Ad exemplum de Sacerdote citra ſolēnitatē baptizante,&c. reſpondetur obligationem miniſtrandi Sacramenta in gratia Miniſtris competere, & cum in tali caſu Sacerdos non ſe habeat vt proprius miniſter, ad diſponendum ſe 337.
non tenetur.Omnis autem homo qui Sacramenta ſuſcipit diuina, proculdubio ad ſuſcipiendum in gratia tenetur, vt eſt conſtans fidei doctrina contra Lutherum,& probat loco citato Bellarminus. Ad tertium reſpondetur, quod ſi Sacerdos vult abſcondere Sacramentum illud edendo, tenetur, ſi poſſit ſuſcipere cum debita diſpoſitione,& non 338.
more belluæ in ſterquilinio.

CAPVT X.

In quibus caſibus poſſit laicus non ieiunus recipere hoc Sacramentum?

SVMMARIVM.

339 *Adducuntur duo caſus in quibus poteſt Laicus non ieiunus recipere Sacramentum Altaris.*
Primus cùm imminet periculum grauis irreuerentiæ ab Hæreticis. ibid.
340 *Secundus caſus eſt vrgentis infirmitatis,quando pro viatico infirmus recipit.*

COnueniunt omnes Theologi, & Summiſtæ 339.
laicum poſſe non ieiunum recipere Altaris Sacramentum in duobus caſibus. Primò, cum imminet periculum grauis irreuerentiæ, ab Hæreticis, vel infidelibus inferendæ, vel ne ab igne comburatur, ſiue in flumen, aliumve minus decentem locum decidat, & Sacerdos, vel alia perſona ieiuna quæ ſumat, non adfuerit. Secundus 340.
caſus eſt infirmitatis, quando pro viatico infirmus recipit, & infirmitas talis eſt, quod infirmus expectare non poſſit ieiunus, vt Sacerdos iis horis, quibus apud eum locum in more eſt aduentare, veniat, in hoc, inquam, Doctores conueniunt. Sed aliqui caſus ſunt de quibus inter illos controuertitur.

RESOLVTIO X.

An ſi infirmus commodè valeat ſuſcipere ieiunus Euchariſtiam, ad id teneatur.

SVMMARIVM.

341 *Infirmus an ſi commodè valeat ſuſcipere ieiunus Euchariſtiam, ad id teneatur? & num. ſeqq.*

PRimus caſus eſt, ſi infirmus commodè expe- 341.
ctare poſſit, nec difficulter, ſiue recipiendi Medicinas conſiderabili dilatione,an teneatur ieiunus viaticum recipere? Affirmatiuè reſpondent

Granado *controu.6. de Euchar. tract.*10. *disput.*8. *num.*9. Coninch 3. *p. q.*80. *art.* 8. *num.*51. Suarez *disput.*66. *sect.*5. §. *in præsenti ergo.* Fagundez *præcept.*3. *lib.*3. *cap.*5. *num.* 19. Bonacina *disp.*4. *de Sacramentis quæst.*6. *punct.*2. *num.* 21. Quando autem possit, vel non possit iudicio medici determinandum est. Et probatur expectare debere infirmum, si, vti diximus, potest, quia præceptum hoc est vniuersale, & grauissimum: ergo omnes obligat, si possunt, cum illius obseruantia obseruare præceptum diuinum de communicando in mortis articulo.

342. Hæc sententia communis est. Sed mihi non improbabile videtur quod eo ipso quod declaret Medicus infirmum in periculo cognito mortis esse, eum debere per modum viatici cõmunicare, & quãuis possit absque aliqua incommoditate ieiunus communicare, non teneri ex Ecclesiastico præcepto, sed solummodo ad explendum diuinum.

343. Primò: Quia si in hoc discrimine præceptum Ecclesiasticum obligaret, causaretur in infirmis ingens scrupulorum inquietudo, an posset, vel non posset ieiunus expectare, & ita epiicheya dictare videtur quod eo ipso quod quis ex vi infirmitatis in periculo est, lex humana Ecclesiastica non obliget recipere in ieiunio Sacramentum. Nec videtur credibile matrem Ecclesiam, ita piam, velle filios in hoc discrimine adstringere, vt ieiuni Eucharistiam sumant, sed vt solummodo omnimoda tranquillitate præceptum diuinum de communicando expleant.

344. Secundò: Quia sic videtur declarasse hanc Ecclesiasticam legem, & consuetudinem Concicilium Constantiense *sess.*13. vbi sic loquitur: *Sacrorum Canonum authoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quod huiusmodi Sacramentum non sumatur à non ieiunis, præterquam in infirmitate,* &c. Et ita in infirmitate non extat præceptum de ieiunio naturali, quando obligatio adest implendi diuinum præceptum. Et hoc videtur esse id in quo Doctores, quos infra dabo, nituntur, cum dicunt licitum esse pluries communicare in eadem infirmitate, quamuis ieiunus non sit, & ita se habet hoc, vt & nonnulli dicant, tertio quoque die posse à non ieiuno recipi venerabile Sacramentum.

§. II.

Quoties licebit infirmo non ieiuno viaticum suscipere.

SVMMARIVM.

345 *Variæ afferuntur sententiæ, & n. seqq.*

348 *Auctoris sententia traditur, nimirum, quòd solummodo in eadem infirmitate liceat semel infirmo non ieiuno in articulo mortis constituto viaticum ministrari, & num. seqq.*

345. HOc punctum Diana tractat *p.*1 *tract.*14. *resol.*75. *& in* 3.*p. tract.*4. *resol.*44. *& in* 5.*p. resol.* 87. & in iis resolutionibus sententias probabiles collegit. Prima tenet quod bis, vel ter id liceat. Ita *in resol.*75. Secunda, quod postridie sumptionem viatici poterit etiam non ieiunus sumere Sacramentum. Ita Layman *lib.*5. *tract.*4. *cap.*5. *num.*20. Tertia ait, hoc arbitrio prudentis viri relinquendum esse. Ita Nauarrus *conf* 41. *de Pœnitentiis, & remission.* Quarta ait, quod post trigesimam diem. Ita aduertit Villalobos *aliquos* sensisse *p.*1. *tract.* 7. *diffic.* 36. *num.* 8. Quinta ait 346. quod post octauam, vel decimam diem. Ita Suarez 3.*p. tom.*3. *disp.*68. *sect.*4. Fagundez *præcept.*3. *lib.*3. *cap.*5. *num.* 10. Siluius 3. *p. q.*80. *art.*9. ait quod post septimum diem. Filliucius *tract.*4. *c.*8. *num.*238. & Diana idem dicit *tract.* 14. *resol.*77. Ludouicus à S. Ioanne *tom.*1. *quæst.*7. *difficult.*4. affirmat quod cum Prælatus esset, infirmis, si postulassent, tertio quoque die se illis Sacramentum præstitisse, & quod in Vniuersitate Complutensi, hoc cognito, approbatum fuisse, Patre Vasquez solo dempto. Omnes istæ opiniones probabiles sunt, quia tuentur à viris grauibus, & doctis, & aliquæ in praxi possunt sequi 347. sine scrupulo. Videatur Marchin. *tract. de sacrificio p.*3. *cap.*3. *num.*10.

Sed ego sentio, quod solummodo in eadem infirmitate liceat semel infirmo non ieiuno in articulo mortis constituto viaticum ministrari. Hoc mihi pro indubitabili teneo, vt dicunt Theologi, *per principia intrinseca.* Ita tenent Vasq. 348. 3. *p. tom.*3. *disp.*211. *num.*38. & sequentibus, vbi magna efficacia probat hanc sententiam, & contrariam impugnat. Idem tenet Ioannes de la Cruz *in director. part.*2. *q.*5. *de Eucharist. dub.*4. *conc.*3 Gamachæus *in summ. Theolog. tom.*3. *cap. vlt. de sacrificio Missæ.* Chelisonius 3.*p. quæst.*80. *art.*8. vbi Coninch *numero* 52. Præpositus *dub.*2. *num.*43. Ochagauia *tract.* 2. *de Eucharist. q.* 12. *num.* 10. Hurtado Compluten. *disp.* 9. *de Sacrament. differ.*16. S. Thom. *in* 4. *dist.* 8. *q.*1. *art.*4. *quæstiunc.*1. *in corpor.* vbi sic loquitur: *Hoc Sacramentum à ieiunis tantum percipi debet, nisi propter necessitatem imminentis mortis, ne contingat sine viatico, ex hac vita, transire.* Cumque ille qui semel viaticum suscepit, non possit iam ex hac vita sine illo migrare, non poterit iterum percipere non ieiunus. Idem dicit 3. *p. quæst.*80. *art.*8. *in corpore*, & probat *ex cap. Presbyter. de consecrat. dist.*2. vbi dicitur: *Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur.* Quam rationem, & non aliam, reddunt omnes antiqui Doctores ad affirmandum licitum esse infirmo viaticum recipere non ieiuno. Idem tenet Ledesma 1. *p. summ. cap.* 13. *de Eucharist. post quintam concl. vers. A esta duda.*

Ratio huius efficacissima est, quia Præceptum 349. Ecclesiasticum ita strictum est, vti diximus, & ita obligat semper quod non concurrit cum præcepto diuino, cum quo incompossibile est; cumque hoc efficacius illo sit, hoc, & non illud seruãdum est, quia virtus Epiicheyæ ita dictat; sed cum occurrẽtia præcepti diuini non est, quod obliget, præceptum ieiunij semper suam efficaciam retinet: itaque cum infirmus in articulo mortis semel communicando, pro eodem articulo, & periculo præcepto diuino satisfecerit; & possit si velit in illa infirmitate non amplius communicare, iterum communicare non poterit non ieiunus, cum præceptum Ecclesiæ eum liget. 350.

Sed dicet aliquis ad hanc rationem, sufficere ad intelligendum præceptum de ieiunio non obligare, quod Sacramentum hoc plurima gratiæ causet auxilia, quæ in illo rigoroso discrimine necessaria sunt; & ita epiicheya interpretatur non obligare præceptum Ecclesiasticum in hac occasione. Contra quam solutionem primum obstat,

quia

quia aut infirmus habet obligationem ad iterum communicandum, vt præceptum diuinum de communicando adimpleat, & hoc dici non potest, cum communicando semel, præcepto satisfecerit: vel obligationem habet ad iterum communicandum, vt de nouo charismata, & auxilia percipiat, quibus aduersus illius horæ incursus, & Diabolica tentamenta præarmetur; etsi hoc ita est, sequitur manifestè, infirmum in periculo mortis non constitutum, sed in grabato
351. impeditum, si magnam auxiliorum Dei, ad resistendas tentationes, necessitatem habuerit, possit etsi non ieiunus communicare, & quod in casu isto locum obtineat epiicheya, quod est improbabile.

Secundò obstat: quod hæc auxilia, quibus eget, potest aliis mediis procurare, sine eo quod præcepto ieiunij contraueniat, tum actibus virtutum Theologalium, tum crebra confessione
352. pluribus actibus contritionis, tum denique communicando spiritualiter.

Tertiò: quia si ex sola deuotione infirmi licet legem ieiunij, ita strictam, interpretari, ita, inquam, strictam vt in Ecclesia nulla actior sit, vt possit communicare tertio quoque die, vel sexto, seu octauo, vt relatæ opiniones dicebant, sequitur euidenter posse infirmum, (præcipuè si sanus id faciebat, & in infirmitate graues tenta-
353. tiones, & tristitias spirituales experitur) quotidie communicare non ieiunus; quod improbabile iudico, & quod sequatur euidens est, cum epiicheya, secundum solutionem datam, hic locum habeat, vt in communicando tertio quoque die, &c.

Sed hoc limito, quando infirmus mortaliter peccauit, post acceptum viaticum, potest, etiam non ieiunus iterum communicare; quia per pec-
354. catum mortale discissa fuit vnio cum Christo, quæ proprius effectus est huius Sacramenti; quæ vnio media charitate, & Eucharistia vult Christus cum Ecclesia, vt insit fidelibus ex hac vita egredientibus, & ideo Concilia, & Sacri Canones eam vocant *viaticum necessarium*. Et ita videtur hic locum habere epiicheyam de non seruando naturali ieiunio ad communicandum; ex sola autem deuotione, & amplioris gratiæ augmento, vberiorumque auxiliorum acquisitione, falsum reor; quia patens ostium referatur, non exigua huius Sacramenti irreuerentia, *propter cuius honorem placuit Spiritui Sancto quod prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi, nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.* vt dixi cum Augustin. cap. 2. veraciter hic mos Ecclesiæ est, quod nulli infirmo in eadem infirmitate plus semel Eucharistia præbeatur; & hoc valde cordate considerare debent
355. Domini Episcopi, & Parochi, quia si ostium opinionibus relatis aperiatur, quæ habenas relaxant in hac materia, non exigua sequentur inconuenientia.

Resolvtio XI.

An vltimo supplicio plectendis, Eucharistia, & extrema vnctio sit porrigenda.

SVMMARIVM.

356 *Reis vltimo supplicio plectendis debet viaticum dari.*

357 *Reis morte plectendis an possit conferri extrema Vnctio? Quinam affirment, & quibus rationibus probent, & n. seqq.*

364 *Iudicium Auctoris, temerarium esse asserere Sacramentum extremæ Vnctionis debere conferri sanis morte plectendis.*

Exornatur quamplurimis auctoritatibus. ibid. & n seqq.

377 *Contraria fundamenta subuertuntur.*

IN capite præterito §. 6. dixi hodie esse inducitatum, damnatis morte debere viaticum dari, 356.
etsi ieiuni non sint, nisi in casu quo eodem die capite plectendi sint, ob boni publici conuenientiam, vt vltra ibi citatos Authores, tenent Diana 3. *p. tract.* 3. *resol.* 59. & *p.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 39. Sanchez *in selectis disp.* 40. *à num.* 4. Fagundez *præcep.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 21. & *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 5. *numer.* 1. & constat ex iis quæ dixi §. 1. huius capitis.

Operæpretium duxi hic ventilare casum, de quo his diebus rogatus sum, Num morte plectendis possit conferri extrema vnctio? Nec defuit zelosus quidam, qui in hac Ciuitate Hispalensi
357. introducere intendit, publicis damnatis dandam esse vnctionem, vti cæteris fidelibus decedentibus vel in lecto, vel alio genere mortis violentæ, si adhuc animam contineant, quamuis se recipere non aduertant. Ita videtur tenere Anth. Gomez *lib.* 2. *Tauri num.* 79. Iulius Clar. *q.* 90. §. *sed quæro.* Zerola *infrà citandus in Praxi*, sed Antonius Gomez nec verbum profert in loco à Zerola relato, & Iulium Clarum hactenus non vidi.

Probatur, primò, Quia antiquitus non præbebatur huiusmodi hominibus Sacramentum Eu-
358. charistiæ, hodie vero præbetur, ne gratia ab hoc Sacramento causata priuentur; ergo propter eamdem rationem debet illis conferri Sacramentum extremæ vnctionis.

Secundò quia D. Iacobus loquens de extrema 359.
vnctione, dicit quod si quis fidelium infirmetur, inducantur Presbyteri Ecclesiæ, qui vngant eum oleo, *& oratio fidei alleuiabit infirmum, & si in peccatis fuerit remittentur eis.* Quod totum verificatur in eo qui proximo capite plectendus est, cum infirmetur ex consideratione vicinæ, certæque mortis, quæ apprehensio in nonnullis magnam febrim solet causare; necnon præsidio spirituali opus habet, quod orationes à Sacerdote prolatæ cum inungitur, causant, etiam reliquias delictorum habet & plura venialia à Sacramento abolenda: ergo fit illis iniuria si illis non conferatur, cum fideles sint, & vt tales moriantur, & ita non debent illis Sacramenta denegari, quæ Christus ad leuamen, & solatium eorum erexit.

Vnde doctissimus Paludanus *in* 4. *dist.* 23. *q.* 3. ait: *Alij dicunt quod damnati, & huiusmodi de-* 360.
bent inungi, quia etiam relapsis, qui statim sunt comburendi non negantur Ecclesiastica Sacramenta cap. super eo de Hæreticis; & quamuis non exemplificetur, nisi de Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, tamen eadem est ratio de aliis: ex quo enim non est prohibitum, est concessum; quod si tempore interdicti illa duo non negantur, & tamen negatur extrema vnctio, hoc est, quia ibi inuenitur prohibitum, non autem hic. Hactenus Paludanus.

Tertiò, Quia si ex aliqua ratione non debet præberi vnctio damnatis, est, quia sani sunt, & hoc 361.

Sacramentum debet dari ad ſalutem ſpiritualem animæ,quæ iudicatur infirma,quæ infirmitas ſpiritualis ſignificatur per corporalem, & ita hac non extante,illa non poteſt ſignificari,& per conſequens,nec dari Sacramentum, quod eſſentialiter ſignificat quod cauſat. Hæc ratio non eſt efficax, quia pœnitentia datur *per modum reſurrectionis*,& confirmatio, *per modum roboris*, & Baptiſmus,*per modum ablutionis*,& non eſt neceſſarium quod confitens, corpore mortuus ſit, neque confirmatus ſit imbecillis, neque baptizatus,immundus, & ita neque neceſſarium erit quod recipiens extremam vnctionem corpore infirmus ſit.

362. Quartò: Quia Sacramentum extremæ vnctionis vltimum eſt quod fidelibus datur,& quaſi poſttemum remedium defectuum, in ſuſceptione aliorum, commiſſorum: cumque morte damnati cætera Sacramenta aliquando receperint, conſentaneum eſt hoc vltimum recipere, vt defectus in aliis commiſſi ſuppleantur: ſicut enim cunctis Eccleſiam ingredientibus Baptiſmus confertur qui eſt *Sacramentum intrantium*, ita omnibus egredientibus ex viſibili Eccleſia per corporalem mortem, debet dari extrema vnctio quæ eſt *Sacramentum exeuntium*.

363. Quintò,quia Senibus decrepitis, etſi non alia infirmitate, quam ſenio,laborent, & moriantur, poteſt, & debet hoc Sacramentum præberi, vt communis ſententia docet: ergo & morte damnatis.

364. Sed his rationibus non obſtantibus temerarium iudico aſſerere, Sacramentum extremæ vnctionis debere conferri ſanis morte plectendis. Ita tenent omnes Doctores, neque aliquem vidi contrarium dicentem, omnes autem quos hactenus viderim, qui per plures ſunt, non poſſe conferri affirmant. Incipiendo autem ab Scholaſticis ita tenent S.Thomas *in* 4. *diſt.*25.*q.*2.*art.*2.*quæſtiunc.*1. *ad* 2. Bonauent. *ibi art.*2.*q.*2. Durandus *q.*4.*num.*10. Paludanus *q.*3.*art.*1.*conc.*1.Aureolus *art.*1.§. *nunc dicendum de ſuſcipiente.* vbi dicit, quod ſuſcipiens *idoneus eſt infirmus naturali infirmitate quæ naturaliter ducit ad mortem.* Sotus *q.*2.*art.*2.§ *ad Hæc.* Angles *q.de extrem. vnction. art.*1.*conc.*1. Ledeſma 2.*p.*4 *q.*34. *art.*2.*verſ. Ego autem dico.* Richardus *q.*3.Summiſtæ, *verbo vnctio*, vbi Tabiena *num.*7. Armilla *num.*6. Siluеſter *num* 5. Zerola *in Praxi Epiſcop. p.*1. *verbo Extrema vnctio* §. 3. Samuel Lumblinus *verbo*
365. *extrema vnctio num.*4 *licet*, ait, *quidam Illuſtriſſ. Epiſc. Hiſpaniarum Legatus anno Domini* 1589. *duobus ſuſpendendis confeſſis, & communicatis,extremam contuliſſet vnctionem forte ob eam cauſam, vt ſi fuerint puſillanimes fortius reſiſterent Dæmonibus,qui illa hora acrius, quam quauis alia homines tentant, peccatorum repræſentatione, & ſpectris horrendis.*

Sed valdè malè fecerunt & Epiſcopus conferendo, & Samuel non impugnando rem ita conſuetudini Eccleſiæ aduerſam. Cæterum huiuſmodi Epiſcopus illis damnatis non contulit Sacramentum extremæ vnctionis, ſed Confirmationis,
366. quod vocatur *Sacra vnctio*. Toletus *in Summ lib.* 6 *cap.*3. *In ſuſpendendis,& decapitandis, quia cum iſti non infirmentur, ſed iudicio integro decidant, non patiuntur inſidias,ac terribiles viſiones Dæmonis,quas vt in plurimum vi morbi,vel magna ætate deficientes patiuntur, propter magnam ſenſuum omnium debilitatem, & propterea iſtis collatum non erit dandum extremæ vnctionis Sacramentum.* Gamma *de Sacramentis præſtandis vltimo ſupplicio damnatis q.*2. Bonacina *diſp.*7.*de Sacramentis diſp.vnica punct.*5. *num.*8. Rodericus Acuña *ad cap.illud num.*2. *diſtinct.* Ægidius Coninch 3.*p.*, *diſp.*19.*dub.*7. Miranda *in Manuali tom.*1. *q.*49, *art.*2.*conc.*4.Ledeſma *in ſumm.tom.*1 *cap.*6.*de Sacramento extremæ vnctionis conc.*3. Villalobos *tr.* 10.*diffic.*4.*num.*6. Emman.Rodriguez *tom.*1. *qq. Regular.q.*79.*art.*2. *&* 3. *& in ſum.cap.*88. *tom.*2. *num.*1. Reginaldus *in Praxi lib.*28 *numer.*128. Poſſeuinus *de officio Curati cap.*9. *num.*4. & alij plures,quos citat,& ſequitur Barboſa *ad cap.Cum veniſſent, vnicum de Sacra vnctione.*

Pater Granado 3.*part. contro.*8. *diſp.*6.*num.*2. 367.
Certum eſt, non niſi infirmos eſſe capaces huius Sacramẽti, vt ex perpetua Eccleſiæ traditione conſtat, nec quoſlibet infirmos, ſed eos qui grauiter ægrotant;vnde non ſufficit qualibet ægritudo, cui nimirum facile per cauſas naturales ſubueniri poteſt,ſed ea quæ iudicio prudentis affert abſolute loquendo, periculum vitæ. Sequitur Cardinalis Bellarminus *tom.*2.*lib.*1.*de Extrema vnctione,cap.*9.§.*eam vero,& cap.*3.§.*Et hoc idem.* Valentia 3.*part.diſp.* 8.*quæſt.*2.*punct.*2. *verſ.patet igitur* Sluius 3.*in additionibus art.*1.§.*ex his ſequitur.* vbi Nunius *dub.* 1.Suarez 3.*part.tom.*4.*diſp.*42.*ſect.*2. vbi id manifeſte probat. Moure *in examin.part.*3. *cap.*3.§.1. *num.*9. Layman *tom.*2. *tract.*7.*cap.*4. *de Extrema vnctione dub.*4.*conc.*1. Præpoſitus 3.*part.in addition.quæſt.vnic. de Sacrament. vnction.dub.*6. Filliucius *tom.*1.*tract.*3.*cap.*5.*num.*104. Vega *tom.*2. *ſumm.cap.*13.§.3. Molfeſius *tom.*1.*tract.*4. *cap.*3. Ludouicus de S.Ioann. *quæſt. vnica de Sacram. Extremæ vnctionis.art.*6.*dub.*3. Cheliſonius *tom.* 2.*in* 3.*part.quæſt.*32.*art.*1.Tannerus *tom.*4.*diſp.*7. *quæſt.*1. *dub.*3. Bartholomæus ab Angelo *Dialogo* 3.§.229. Graffis *tom.*1 *conſilior.lib.*1.*tit.de Sacram.vnction.conſil.*2.*num.*16. Sayrus *de Sacram. lib.*1.*c.*3.§.*de Sacram. verſ. de Extrema vnctione.* Henrriquez *in ſum. lib.*2.*c.*3.§.4. Ochagauia *tom. de Sacram. q.*7. *de Sacram. Extremæ vnction. n.*2. Zambrana *de Sacramento Extremæ vnctionis.c.*5. *dub.*1. Petrus de Soto *in inſtit. Sacerdot. lib.*2. *de Extrem.vnction.* Cornel.à Lapide *ad cap.*5.*epiſt. Iacobi verſ.*14.§.*nota* 3.

Et pro omnium coronide ita determinauit Ca- 368.
techiſmus Romanus iuſſu Pij Quinti editus, & ab ipſo approbatus.*p.*2. *cap.*6. *vbi num.*9. ſic habetur: *Excipiuntur, qui ſano, & firmo corpore ſunt: iis enim Extremam vnctionem tribuendam non eſſe, & Apoſtolus docet, cum inquit: Infirmatur quis in vobis? & ratio oſtendit, ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modo vt animæ, ſed etiam vt corpori medicinam afferat; cum igitur illi tantum qui morbo laborant, curatione indigeant, &c.* Et infra: *Nemini igitur qui grauiori morbo affectus non ſit Sacramentum vnctionis dari licet, tametſi vitæ periculum adeat,vel quia periculoſam nauigationem paret,vel quia prælium initurus ſit, à quo illi certa mors impendeat, vel etiam ſi capite damnatus ad ſupplicium raperetur.* Ita ibi.

Ita determinatum eſt in Concil. 4. Mediola- 369.
nenſ. ſub Archiepiſcopo Sanctiſſimo Carolo Borromæo *tit.de his quæ pertinent ad Extremam vnctionem.* Eugenius III. *in Bulla quæ habetur in Concilio Florentino ad finem. ſeſſ.*25.*tom* 4.*Concilior. part.*1. vbi ſic habetur: *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* vbi Summus Pontifex præceptum imponit,

ne,

ne hoc Sacramentum detur, nisi infirmo, de cuius morte timetur ex vi infirmitatis; atqui de damnati sad restim, vel decollationem non timetur mors ex vi infirmitatis, sed ex violentia, & causa omnino extrinseca. Et ita Extrema vnctio illis non debet dari.

Idem dixit Sacrum Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. vbi determinat hoc Sacramentum *Infirmis*
370. *adhibendum, illis præsertim qui tam periculose decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur; vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Vnde Sacrum Concilium declarat, hoc Sacramentum debere porrigi infirmis, & præcipue ita extenuatis quod iudicentur vltimum claudere iamiam diem; quod innuit illud verbum, *decumbunt*, & verbum, *præsertim*, hic idem est ac *tantum*, vt ad aliud propositum simile notauit Glossa, *in cap. discretionem.* verbo *Præsertim de eo qui cognouit consanguineam.*

371. Et perspicuum est hic in hoc sensu sumendum; quia Concilium Trident. aduersari non debet *Decreto Eugenij III.* quod hoc Sacramentum, *Non detur, nisi infirmo, de cuius morte timetur.* Et illa verba *non*, & *nisi* æquiualent ac *tantum*, & ita excludunt alias infirmitates, & euentus *l. qui aliena D. de negotiis gestis. & cap. si duo. de Procurator in 6.* & notauit Garcia *de Benefic. part. 1. cap. 5. num. 70.* & ita P. Suarez *vbi sup. num. 4.* dicit. *In primis oportet vt infirmitas in sua specie, vel in hoc indiuiduo, iudicio prudentum sit grauis, & quæ infirmum in periculo vitæ constituere valeat. Hoc constat ex vsu Ecclesiæ: vnde non dubito quin hoc saltim sit ex præcepto, vt conuincit Concilium Florentinum.* Hæc ille.

372. Idem constat ex loco Iacobi *in sua Epistol. n. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum, oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur eis.* In quibus verbis Sanctus Apostolus egit de Sacramento Extremæ vnctionis vt determinant de fide Concilio Trident. & Florentin. Innocent. III. *cap. vnico. de Sacra vnctione*, & omnes Authores citati, præsertim Bellarminus, Suarez, Granado, Cornelius, Sotus, &c. notant illud verbum *infirmatur* in Græco esse *asceni*, quod significat *robore, & viribus plane destituitur*
373. & ita vocat Apostolum *Camnonda* quod denotat *periculose laborantem, & decumbentem*, iamiam morti vicinum, & eadem voce denotantur mortui ex infirmitate, vt notauit lexicon Scapulæ in verbo *Camno n.* 740. Iis ergo ita ex infirmitate debilitatis institutum fuit hoc Sacramentum, non autem iis qui sani sunt, & corpore firmi, viribusque vegeti, neque infirmitate fatigati; & sic conferens hoc Sacramentum vltimo supplicio damnati mortaliter peccat, & de hoc nulla potest esse dubitatio, nisi ignorantia excuset, vel quia à Deo spectaliter, & ex reuelatione mouetur, sicut nonnulli Sancti, qui corpore sani seipsos inungi fecerunt, quia ex diuina reuelatione mortem pro-
374. priam instare agnoscebant. Etiam tales sacrilegium perpetrant, cum Sacramentum conferant ei qui intrinsece illius effectus incapax est.

Itaque solerti cura inuigilent Domini Episcopi, & Parrochi, ne hanc opinionem serpere, & inualescere sinant, quæ contra vsum, & praxim Ecclesiæ est, necnon Doctoribus omnibus Theologis, & Canonistis, vno, vel altero excepto,
375. aduersa; quibus hãc rem radicitus callere non incumbit, vt pote non de sua opinione, aut facultate. Aduerto quod si forte dum aliquis suspenditur, funis abrumpatur, & in terram semiuiuus 376.
decidat, si adhuc sensibus gaudeat, non est improbabile posse illi vnctionem præberi, cum ex violenta causa ita in illo statu sit, sicut si gladio lethaliter vulneretur, cui omnes affirmant posse vnctionem extremam ministrari.

Nec contraria fundamenta aliquid valent. Ad primum respondetur, hodie dari Eucharistiam 377.
morte plectendis, quia illius effectuum capaces sunt, neque de illo prohibitio est; de Extrema autem vnctione vere est, quæ solum infirmorum Sacramentum est, & ita omnia Concilia, & Patres eam vocant *vnctionem infirmorum.*

Ad secundum respondetur hoc Sacramentum institutum fuisse propter infirmos, qui à grauitate infirmitatis iuuaminibus spiritualibus destituti sunt; & ita relati effectus solum causantur in huiusmodi infirmis; neque damnatis iniuria in- 378.
fertur, illis non præbendo, quia illius incapaces sunt, & cum sint mente integra, possunt aliis mediis acquirere, quod ab hoc Sacramento illis alias impenderetur, etsi non in ordine ad effectus in infirmis causatos. Et per hoc patet ad fundamentum allatum à Paludano, cum in Concilio Florentino prohibeatur, nisi infirmis, hoc Sacrificium ministrari, *de quorum morte timetur.*

Ad tertium respondetur, necessarium esse quod ille cui hoc Sacramentum confertur, infirmus sit, quia cum detur per modum sanationis animæ depressæ infirmitate corporis. Si talis infirmus non esset, falsa esset illius Sacramenti significatio, vt 379.
optime notauit S. Thom. & ex ipso accepit Catechismus, quod cætera non habent Sacramenta ibi relata; quia Baptisma datur per modum ablutionis animæ infectæ peccato originali: Pœnitentia, per modum resurrectionis eiusdem animæ mortuæ peccato actuali mortali: & confirmatio vt illi conferatur robur spirituale ad spiritualem pugnam.

Ad quartum respondetur quod hoc Sacramentum est vltimum quod datur, & ita vocatur *extrema vnctio*, quia datur post pœnitentiam, & Eucharistiam, vt notauit Baronius *anno 63. tom. 1.* & etiam vocatur *Sacramentum exeuntium*, quia datur iis qui per infirmitatem corporalem ex hac vita in aliam migrant, & ita dari non debet morte proximè plectendis,

Ad Quintum respondetur, decrepitos senio morientes, ex infirmitate mori, quia *senectus ipsa est morbus*, & si senio moriantur, infirmitate moriuntur, & ita declarauit Concilium 4. *Mediolanense loco citato.*

CAPVT VLTIM.

An Episcopi possint prohibere sub peccato mortali, ne Tabacus sumatur neque ante, neque post celebratam Missam.

SVMMARIVM.

382 *Episcopi an possint prohibere sub peccato mortali ne Tabacus sumatur neque ante,*

neque poſt celebratam Miſſam ? & num. ſeqq.

392 *Et an ſi ſumatur per modum Medicinæ, & num. ſeqq.*

398 *An Epiſcopus contuens, quod in plurimum hæc conſuetudo ſumendi Tabacum, notum vitium ſit, indecens plane Clericali Ordini, poſſit obligare ad non ſumendum Clericos ſibi ſubiectos, taliter quod obligati ſub lethali maneant ad non ſumendum vllo modo ex conſuetudine, &c. & n. ſeqq.*

382. IN cap. 4. & in 5. dixi, quod ſumere Tabacum in puluere non frangeret ieiunium naturale, etſi frangeret in folio, & in fumo, ſi deglutiatur vel fumus, vel ſaliua mixta ſucco Tabaci. Hæc mea opinio fuit, eſt, & ſemper erit, quamuis Diana contrarium teneat, & alij, à quibus ſequitur, recentiores; itaque duplici via in hoc dubio procedam. Primò inquirendo, an poſſit Epiſcopus, opinionem probabilem ſequendo, ſcilicet Tabacum in folio, & fumo frangere naturale ieiunium, præcipere, ne ſumatur ante Miſſæ celebrationem. Mihi autem perſuaſum habeo poſſe, & ſubditos ſub mortali obedire teneri; & ſi cenſuras ob hoc imponat, qui præceptum fregerit, proculdubio incurrere.

Hæc reſolutio euidenter ſequitur ex morali principio quod latiſſimè probaui in hoc opere morali p. tract.... vbi oſtendi, ſubditum teneri obedire Prælato præcipienti ſecundum opinionem probabilem, etſi ſubditus contrarium ſe-
383. quatur. Ita Clauis Regia *lib. 1. cap. 12. n. 6.* Petrus Nauarra *de reſtitut. lib. 3. cap. 3. num. 239.* Valentia 2. 2. *diſp. 7. q. 3. punct. 2. §. tertio ſequitur.* Turrianus *de iuſtitia, & iure diſp. 50. num. 9. dub. 2.* Palao *tom. 1. diſp. 2. punct. 6.* Layman *lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 2. num. 11.* Paleotus *de Sacri Conſiſtorij conſultationibus p. 5. q. 9.* Vaſquez 1. 2. *diſput. 62. cap. 9.* Corduba *lib. 3. q. 9.* Salas 1. 2. *tract. 8. de conſcientia ſect. 8. num. 79.* Antonius Perez *certamin. 10. ſcholaſt. num. 115. & in Commen. ad reg. S. Benedicti c. 68. num. 2.* Monteſinus 1. 2. *tom. 1. diſp. 19. quæſt. 5. num. 189.* Medina *q. 29 art. 5. & 6.* Sanchez *lib. 1. ſumm. cap. 3. num. 6.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diff. 11. num. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. 9.* Sylueſter *verbo conſcientia q. 4.* Tabiena *num. 4.*

384. Et colligitur euidenter *ex cap. Inquiſitionis* de ſent. excomm. vt latè probaui loco cit. & eſt perſpicuum, quia Superior habet ius præcipiendi ſubditis id quod honeſtum eſt, & iudicat prudenter expedire bono regimini in vtroque foro. Et ita *in corollar. 13.* probaui Superiorem poſſe prohibere, ne ſubditi Tabacum ſumant. Et in conc. 4. dixi, ſanctiſſimum, & prudentiſſimum tale præceptum.

385. Sed quia hic diſcurrendi modus limitatus videtur, & ſolum fractionem ieiunij naturalis attendit, & ita præceptum in præſumptione fundari videtur, qua deficiente lex non obligat in conſcientia, vt tenet communis opinio; ideo alia via eſt, qua pergi poteſt, ſcilicet Epiſcopus prohibere poteſt ſumptionem omnis generis Tabaci vel in puluere per nares, ſeu in folio per maſticaſtionem, ſiue in fumo, & quod præceptum fundetur in decentia, & corporali munditie qua tantum Sacramentum tractari debet, omne indecentiæ periculum quod contingere poſſit penitus expiletur.

Et ita Dico ſanctiſſime, & prudentiſſime ſe gerent Domini Epiſcopi, & Patres Generales, & Prouinciales ſi tabacum ſumi prohibeant quolibet modo ex relatis ante celebrationem Miſſæ per tempus quod cordati viri ſufficiens iudicauerint, vt ſacrificium decentia debita celebretur Ita determinatum eſt in Conciliis Prouincialibus Primum Limæ celebratum, & Romæ confirmatum à Sacra Congregatione Eminentiſſ. Cardinalium ſuper dubia Concilij Tridentini, *ſexta die Octobr. 1588.* vbi dicitur: *Prohibetur ſub reatu mortis æternæ Preſbyteris celebraturis, ne tabaci fumum ore, aut ſayſi, aut tabaci puluerem naribus, etiam prætextu medicinæ, ſumant.* 386.

Aliud Concilium eſt Mexicanum, ab ipſa Congregatione confirmatum 27. *Octobris 1589.* & & ſpeciali Breui à Sixto Quinto, *edito 28. eiuſdem menſis, & anni*, vbi dicitur: *Ob reuerentiam quæ Euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt, præcipitur ne vllus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quauis alia perſona ante Communionem quidquam tabaci piccitiue, aut ſimilium, medicamenti cauſa, aut alio quouis modo percipiat.* Quæ 387.
duo Decreta refert Antonius de Leon *in ſua q. del Chocolate part. 2. §. 2. pag. 39. & 40.* & dicit quod per ſchedulam Regiam editam 21. *Octobris 1622.* præceptum fuit quod executioni mandarentur eorum decreta.

Adduxi hæc duo Concilia, etſi Prouincialia, propter duas rationes quas ex illis colligo non mediocris efficaciæ ad propoſitum. Prima, quia 388.
Mexicanum præcipuum approbatum eſt per Sedem Apoſtolicam, quæ ratum habuit quidquid Concilium illud ſanciuit, robur, & vires illi præbendo. Quamuis aliquis dicere poſſit Pontificem ſolum pro illa Regione, & Prouincia Concilium confirmaſſe, ſed ex hoc ego validum deſumo argumentum. Ergo Epiſcopi, præſertim in ſuis Synodis, poſſunt Sacerdotibus prohibere, ne aliquomodo tabacum ſumant ante celebrationem. Conſequentia patet, quia ſi facere non poſſent, non confirmaret Summus Paſtor, neque Eminentiſſ. Cardinales.

Secunda ratio ea eſt quam Concilium dedit 389.
Mexicanum, ad prohibitionem: *Ob reuerentiam quæ Euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt.* quæ eadem eſt ac illa quæ ab Auguſtino tribuitur *epiſtol. 118. ad Ianuarium* pro præcepto ita ſtricto ab Eccleſia præfixo de ieiunio naturali Communioni præambulo: *Placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti prius in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi.* Quod præceptum, ob eminentius motiuum, intelligitur ita ſtricte, vt hucuſque explicatum eſt, cum in illo materiæ paruitas non concedatur. Quis autem dubitet indecentius eſſe ore voluere fruſta tabaci, in puluere, vel in fumo deſumere, quam fruſtulum paſtæ odoriferæ ori inferre, & deglutire? & quidem hoc poſterius, ingenti efficacia, pia vetuit ſemper Eccleſia: ergo & illud inhibere poterit, per conſequens Epiſcopus in ſua Diœceſi.

Et ita hoc anno 1642. Eminentiſſ. D. Cardi- 390.
nalis de Borja Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda prohibuit; ne aliquis Sacerdos, vna hora ante, & vna poſt celebratam Miſſam tabacum ſumat: quod præceptum Clericos ſæculares ligat ſub mortali; quia motiuum Magnum eſt, quod eſt reuerentia diuino Sacramento

to debita, præcipue quantum ad ſumptionem Miſſæ præuiam, quia in quantum ad præpoſteram, ſi quis ſecurus ſit quod illius ſumptione ad vomitum non prouocatur, iudico non peccare mortaliter, nec eſſe Sacramento illatam irreuerentiam, ſicut neque fit ſtatim comedendo, vt tenent omnes Doctores cum D. Thom. 3. *part. q.* 80. *art.* 8. & ita duo citata Concilia, ſolum prohibent ſumptionem tabaci ante celebrationem, & communionem.

391. Bene verum eſt quod illis poterit prohiberi ne tabacum ſumant, etiam poſt dictam Miſſam in ipſo Altari, quæ magna prorſus indecentia eſt, & irreuerentia tanto loco. Etiam poterit prohiberi ne Clerici, (etiam ſi Sacerdotes non ſint) dum choro adſunt vel ſacris induti ſunt ad miniſtrandum ſolemniter, illum ſumant, argumento *ex cap. dolentes de celebration. Miſſarum,* ob reuerentiam loci in quo ſunt, & quo pergunt, & ob deuotionem, & attentionem debitam tali actioni. Legatur Barboſa *ibi num.* 11. & 13. & Gloſſa *verbo ſtudioſè & verbo deuote.*

392. Sed duplex punctum reſoluendum remanet. Primum, An Epiſcopi, & ſuperiores poſſint prohibere, ne tabacus ſumatur, etiam per modum medicinæ, aliquo ex relatis modis, ante celebrationem Miſſæ, propter reuerentiam Sacramento debitam; ſicut præceptum ieiunij naturalis prohibet, ne aliquid etiam per modum medicinæ ante Communionem ſumatur. S. Concilium Mexicanum confirmatum à Sixto Quinto clare reſpondet poſſe, ibi *Medicamenti cauſa.* Et Concilium Limenſe, ait, *etiam prætextu medicinæ.*

393. Fateor hoc punctum in praxi non paruam inuoluere difficultatem. Tum, quia vidi pleroſque timoratæ conſcientiæ Religioſos, necnon & doctiſſimos, ſcrupulũ circa hoc nullatenus ingerere. Tum etiã, quia euidens eſt quod Tabacum in puluere, per nares ſumptum, non ſumitur per modum cibi, aut potus, neque per modum medicinæ, ieiunium naturale ſoluentis, & ita ſumere in hac forma nõ poteſt prohiberi ſub pœna peccati mortalis, ſiquidem per modum medicinæ ſumptus, vt cordati ſumunt, & per nares; *ſemper manet os nouum, & prius ingreditur Corpus Chriſti in os Chriſtiani, quam cæteri cibi.* 394. Quæ duæ rationes à Patribus traduntur pro ieiunio naturali, & ita non eſt irreuerentia in eius ſumptione per nares, ante Communionem, ita vt eo rigore non ſumatur, quo non comeditur vel tribuitur aliquid, ante Communionem, poſt mediam noctem.

395. Sed his non obſtantibus dico, quod pro indubitato habeo Epiſcopos, & Superiores poſſe prohibere *ob reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ,* quod Sacerdotes ante celebrationem, & ſeculares ante communionem, etſi per modum medicinæ, tabacum non ſumant. Hoc manifeſte probant Concilia citata, à Sede Apoſtolica confirmata, quæ declarauit Epiſcopum poſſe imponere hoc præceptum: & ita, ſi imponat, dubio procul ad mortale obligabit, vt impoſitum fuit in Concilio Limenſe.

Bene verum eſt, quod hoc præceptum etſi modernum, & Epiſcopale, non poterit obligare ad mortale pro omnibus vicibus, ſi ſumatur naribus, 396. per modum medicinæ, ſed in hoc præcepto, vt in cæteris ferè omnibus humanis, & pleriſque diuinis datur paruitas materiæ; non dari autem in ieiunio naturali, ideo eſt quia ſic recepit, & intellexit tota Eccleſia. Et ita neque Epiſcopi, imo neque ipſe Summus Pontifex, poſſunt facere quod præceptum non ſumendi tabacum per nares, obliget ad mortale etiam in parua materia, vt eſt communis Doctorum ſententia in materia, de legibus. Quæ autem ſit paruitas materiæ, iudicet prudens; mihi videtur ter, vel quater ſufficere ad 397. medicamentum, & quod ab hoc excedere, vitium ſit, & materia grauis, & quod mortaliter delinquetur contra impoſitum præceptum.

Secundum punctum eſt, An Epiſcopus contuens quod in plurimum hæc conſuetudo ſumendi tabacum, notum vitium ſit, indecens plane Clericali Ordini, poſſit obligare ad non ſumen- 398. dum Clericos ſibi ſubiectos, taliter quod obligati ſub lethali maneant ad non ſumendum vllo modo ex conſuetudine; ſumere enim per quatuor, vel ſex vices in die, quod cum decentia fieri poteſt, & titulo medicinæ, (vt veraciter eſt, ſi tempetatè ſumatur) non erit conueniens prohibere, ne verecundiam abrumpant, quod licitum ſibi eſt inhibere dicentes. Sed ne ex conſuetudine ſumant, non dubito quin poſſint Epiſcopi, & ſuperiores iubere præceptis, & cenſuris, nec Clerici vitio hoc maculentur, res prorſus ſtatui clericali indecentiſſima.

Si autem Clemens V. *in Clement. vnica de vita, & honeſtate Clericor.* quæ confirmata fuit à 399. Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. & à Sixto V. *in quadam Bulla quæ eſt* 96. *& incipit: Cum Sacroſanctum* 5. *Ian.* 1586. prohibet, ne Clerici caligas ex ſerico viridis coloris, vel alterius indecentis portent, quod obligat ad mortale, vt dico in controuerſia *de obligationib. Miniſtrorum Altaris memb.* 1. §. 4. Multo melius conſuetudo vitioſa ſumendi Tabacum poterit Clericis prohiberi, de quibus optimè dici poſſunt Concilij verba: *Tanta* aliquorum hodie inualuit temeritas, Religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem paruipendentes, per plateas, & loca publica Tabacum ſumptitare non deſinant; res prorſus ſtatui diſſona, & perſonis Eccleſiaſticis aduerſa, quos omnis nitor, munditia, puritas, & decentia decet, quibus omnibus Tabacus in puluere, folioque ſumptus contrarius omnino eſt, imo contrarius cauſat effectus, vt perdoctè demonſtrant Franciſcus de Aguilar *in ſuo libro in ſcripto deſengaño del Tabaco.* & Fr. Thomas *à Sancto Raymundo, in alio diſcurſu eiuſdem materiæ* quem 400. edidit, vbi latiſſimè referunt ingentia damna, quæ tam animis, quam corporibus huiuſmodi cauſet ſumptio herbæ, ſi immoderatè, & vitioſè ſumatur; nec aliquis peritus Medicus eſt, qui pernicioſiſſimam non affirmet huiuſmodi conſuetudinem, vt Medici Regij, Prothomedici, & ex hac Ciuitate Hiſpalenſi, qui florentiſſimi ſunt, & prudentiſſimi, à me conſulti reſponderunt non ſemel affirmantes, neque dubito quod hodie apud viros hoc vitium inoleuerit, ſicut apud fœminas comedere lutum, terram, carbones, & ſimilia. Itaque conuenientiſſimum erit quod Domini Epiſcopi prohibeant.

* *

*

TRACTATVS DVODECIMVS,

SINGVLARIS,

DE EXAMINATORIBVS SYNODALIBVS, EORVM POTESTATE, ET PRÆSTANTIA.

SACRVM Tridentinum Concilium *seſſ.24.cap.*18. vt formam præſcriberet prouiſionis Eccleſiarum Parochialium plura ſtatuit iure nouo circa electionem examinatorum Synodalium, illis magnam impendens authoritatem, vt in Domino approbent, vel reprobent qui digni, vel indigni ſunt ad miniſtrandum Eccleſiis vt oportet in animarum inſtructionem, & profectum. Cum autem materia horum examinatorum valde ſcitu digna ſit, & pauci de ea ex profeſſo tractauerint, mihi viſum eſt in gratiam DD. Epiſcoporum breuiter ad ſummam reducere, quæ cum non pauca diligentia apud Authores legi.

RESOLVTIO I.

Vtrùm pœna impoſita examinatoribus Synodalibus à Concilio illam incurrant ante omnem ſententiam.

SVMMARIVM.

1 *Prima ſententia traditur, & ſuis argumentis munitur, & n. ſeqq.*
6 *Oppoſita ſententia probabilior, & benignior, etiam practicè, videlicet, quòd vt examinatores priuentur beneficiis requiritur declaratoria criminis ſententia, & n.ſeqq.*
18 *Reſpondetur ad fundamenta oppoſita, & numer. ſeqq.*

IN Synodo Diœceſana, ait Concilium Tridentinum, *examinatores eligendi ſunt qui Magiſtri, aut Doctores, aut Licẽtiati in Theologia,* 1. *aut iure Canonico, vel alij Clerici, vel Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam ſæculares qui ad id videbuntur magis idonei, iurentque omnes ad Sancta Dei Euangelia ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros.* Poſtque verba rigidum præceptum, & rigidiorem pœnam imponit, dicens: *Caueantque ne quicquam prorſus occaſione huius examinis nec ante, nec poſt accipiant, alioquin Simoniæ vitium, tam ipſi, quam alij dantes incurrant, à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis Beneficiis quæ quomodocumque, etiam antea, obtinebant, & ad alia poſtea inhabiles reddantur.*

Quorum verborum valde difficile eſt ſenſum congruum inueſtigare, nam duriſſimum eſt vt ſonant ea intelligere, ſicut intelligunt Bonacina *tract. de Simon. quæſt.7. punct.2. diffic.1. num.5.* 2. aſſerens quod examinator Synodalis ipſo facto priuatur Beneficiis antea obtentis, & tenetur ea dimittere, etiam ante ſententiam declaratoriam. Idem docet Suarez *tom.1.de relig. lib.4. de Simonia cap. 58. num.3.* & latius *lib.5. de legib. cap.8. num.* 17. & alij quos citat, & ſequitur Barboſa *de poteſtat. Epiſcop.alleg.60. num.52. & 53.* probat Suarez, *quia Concilium* dicit, *quod iſti tales non abſoluantur, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant.* Vbi Concilium loquitur de abſolutione in foro interno, cum loquatur de vitio Simoniæ quod committunt præfati examinatores aliquid intuitu examinis recipientes, vt antea dixerat, nullam mentionem faciens de cenſura. 3.

Secundò, quia ſi loqueretur de abſolutione in foro externo, non diceret, *niſi prius dimiſſis beneficiis*, quæ verba denotant voluntariam dimiſſionem quia ſi non tenentur dimittere voluntarie Beneficia non peccant non dimittendo, & ſic poſſunt agere pœnitentiam de priori delicto, & ſufficienter diſponi vt abſoluantur ſaltim virtute Cruciatæ. Et cur poterit illis negari abſolutio. 4.

Tertiò, quia conditio poſita *niſi dimiſſis Beneficiis* manifeſte denotat Concilium auferre iuriſdictionem 5.

risdictionem Sacerdotibus ad absoluendum, nisi talis conditionis ponatur; atque ita cum examinatores teneantur confiteri, & absolui, saltem semel in anno, ante istam absolutionem debet præcedere voluntaria dimissio beneficiorum.

6. Nihilominus oppositа Sententia benignior,& probabilior est, etiam practicè, videlicet quod vt examinatores priuentur Beneficiis requiritur declaratoria criminis sententia. Ita tenentur dicere Authores asserentes quod etiam transacto anno, & non assumpto Sacerdotio non priuatur quis beneficio curato cuius habet pacificam possessionem, ante sententiam declaratoriam criminis. Quod multo fortius currit in specie præsentis difficultatis; est enim durissimum obligare aliquem quod se prodat manifestando suum crimen,cui tanta pœna assignatur: grauissimum enim est quod quis voluntarie se spoliet re à se

7. possessa. Quare dato,& non concesso quod Concilium loquatur in foro animæ, tamen non admittitur cum tanto rigore quoad hanc pœnam priuationis Beneficiorum, quorum quis habet possessionem; vt enim ait Suarez *lib.4. de simon. cap.58.num.6. Pœna priuationis ipso facto Beneficiorum legitime obtentorum est vna ex grauissimis pœnis iuris.* Sicut *extrauag. Ambitiosæ* (quæ est Pauli II.) *de rebus Ecclesiæ non alienandis,* quoad pœnas priuationis Beneficiorum ante omnem declarationem nullibi est recepta, vt Caietanus *verbo excommunic cap.75.* Sylvester *citatus* à Nauarro *in summ. cap.29. num.150.* licet quoad aliqua sit recepta in Lusitania & Castella, vt docet

8. Salas *disput.15.sect.2.num.27. tract.14.* Sayrus *in Clavi Regia lib.3.cap.4.num.15.* Azor *part.2.lib.9. cap.2.quæst.1.vers. quod attinet.* Molina *de iustitia disp.466.num.10.* Rebellus *de obligat.iust.part.2. lib.14.quæst.5.* quia vt ait Nauarrus in nullo loco est vsu recepta priuatio Beneficiorum, est enim grauissima pœna. Quare etiam impropriando verba legis moderanda est,vt de lege pœnali tradunt communiter Authores inter quos est Suarez *de censur.disput.15.sect.6.num.23.* Salas *de legibus*

9. *tract.14.disput.21.sect.3. regula 2.* ibi, *Quando propria significatio absurditatem habet cõtra mentem statuentis facere præsumitur qui eam sequitur si vero impropria æquitatem habet qui eam amplectitur secundum legis mentem operari dicitur.*

Sed in propriis terminis, vt aiunt, terminantibus ita tenent Lessius *lib.2. cap.34. lib. 2. n.79.* dicens explicans locum Concilij, *Nota simoniam iuris humani pœna exorbitante puniri; quam tamen puto non esse receptam in beneficiis antea obtentis ante sententiam iudicis.* & *cap.35.num.148.*

10. idem docet dicens: *vsu receptum esse, vt non teneatur quis sua Beneficia dimittere ante sententiam* Azor *part.3.lib.12.cap.21.dub.12.* Rodriguez *tomo 1.qq.Regular.quæst.14.art.8.* Hieron. Rodrig. *resolut.90. num.26.* Filliucius *tom.3. de Beneficiis tract.45.cap.13. num.24.* vbi testatur de communi. Candidus *disq.18.art.44. dub.1.* Doctissimus Peyrinis *tom.1.Priuileg.Const.6. Iulij II.num.19.* & *tom.1.de Subdito q 2 §.11.conc.3.* Sanchez *lib.9. de Matrim.disp.30.iunctis numeris 1.& 2.& lib 6. in Decalog.cap.15. num 65.* & *cap.17.num.39.* Illustrissimus Sousa *in Bullam Clementis VIII. de largition. muner. num.102.* Nauarrus *in explicat. Motus proprij Gregorij XIII. de datis, & promissis num.44. alias 41.* Molina *tom.1.disput.96. vers. duo obserua.* vnde quando *in cap. cum singula. de Præbendis, & dignitatibus in 6.* dicit Bonifacius VIII. quod qui habens vnum prioratum si accepit simul alium, primo sit ipso iure priuatus, & statim illum dimittere teneatur libere conferendum, intelligitur post sententiam declaratoriam argum. *ex cap. Pro humani. de Homicidio in 6.* vbi Innocentius IV. postquam dixit quod quilibet qui per assassinos iubet occidere aliquem, etiam si mors non sequatur ipso facto excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto, & illa libere aliis conferantur. Quam pœnam ipsemet Pontifex (instruens 12. Doctores quomodo alias similes debeant intelligere) explicat *in fine cap.* quod debeat intelligi *post sententiam declaratoriam criminis, & sceleris execrabilis,* vt late, & docte explicat Barbosa ibi *num.21. 22.& 23.*

11.

Secundò probatur eadem sententia, Quia in præfato loco Concilij duæ sunt pœnæ impositæ examinatoribus Synodalibus si aliquid recipiant 13. occasione examinis. Vna priuatio omnium Beneficiorum quæ antea possidebant; altera, quod inhabiles reddantur ad alia habenda. Ex hac secunda manifestissime colligitur mens Concilij quæ fuit quod in foro externo non absoluantur à vitio Simoniæ,ratione censuræ quam incurrunt tam dans, quàm recipiens aliquid occasione examinis, nam in beneficio acquirendo simoniacè incurritur excommunicatio, & suspensio ipso facto,vt docet Suarez *de Relig.vbi supr.cap.56.n.6. Extrauag.2.de Simonia,& constitut.5.Pij V.* quod vero ex impositione pœnæ secundæ euidenter inferatur loqui Concilium in foro externo, patet quia non dicit quod inhabilitas ad alia Beneficia 14. habenda ipso facto incurratur,sed solum quod inhabiles reddantur, quod verbum ad futuram refertur declarationem iudicis delarantis crimen,& non absoluentis à censura incursa, nisi dimissis Beneficiis obtentis. Cui pœnæ ex præcepto Concilij addenda est alia inhabilitas. Et quidem durissimum est asserere quod inhabilitas ista incurratur ipso facto,cum id non dicat Concilium, nam cum verbum *reddantur* sit futuri temporis, 15. & non dicatur ipso facto ab aliquo reddi, debet inhabilis non à lege cum non dicat *ipso facto,* non à Confessore, vt est per se notum: ergo à iudice: ergo requiritur sententia declaratoria illius vt vtraque pœna incurratur, cum vt dixi Concilium loquatur de absolutione iuridica externa à censura. Quæ conclusio tenet verum, etiam si Concilium dicat quod in foro conscientiæ teneretur examinator renuntiare Beneficia obtenta,vt dicit Saà emendatus *verbo Pœna num.1.* 16.

Ratio à priori huius sententiæ, & fundamentalis est quam tradit Sanchez locis citatis, & ex ipso Peyrinis, Quia quod censuræ incurrantur sine sententia declaratoria, sed ipso facto commisso crimine nulla est adæquata ratio,nisi quia sunt pœnæ priuatiuæ, sicque vsu receptæ,& declaratæ sunt, vt nulla indigeant sententia condemnantis, ac crimen declarantis. Quod non ita contingit in omnibus pœnis priuatiuis. Et ita non mirum si aliqua sententia declaratoria criminis sit necessaria vt incurrantur. 17.

Ad fundamenta oppositа respondetur. Ad primũ, iam vidimus Concilium loqui de absolutione iuridica iudicis in foro externo: Ad impugnationem Respondetur quod vtique loquitur de simoniæ vitio in Beneficio accipiendo, cui vitio annexa est censura ipso facto, vt constat *ex Extrauag.* 18.

trauag. 2. de Simon. Quæ eſt Pauli II. qui dan-
19. rem,& accipientem ipſo facto excommunicat, à qua, niſi in mortis articulo ſolo à Summo Pontifice non poſſunt abſolui. Et ad hanc Paulinam conſtitutionem dubio procul reſpexit Concilium, dixit enim quod examinatores Synodales, *ſi aliquid accipiant occaſione examinis ſimoniæ vitium incurrant, à qua non poſſint*,&c.

In quæ verba duo pondera. Primum quod di-
20. cit quod vitium ſimoniæ incurrant. Vbi clarè loquitur de cenſura quæ ptopriè dicitur incurri, vel de vitio prout dicit cenſuram, ratione cuius dicitur vitium incurri. Secundum quod dicit quod incurrunt vitium ſimoniæ, à qua non poſſunt abſolui, non dicit *à quo*, ſed *à qua*, ſcilicet Simonia, vt denotetur quod fit abſolutio ſecundum quod habet annexam excommunicationem, à qua abſolui non poteſt niſi à Summo Pontifice (ſecluſo Priuilegio.) Quare manifeſtè loquitur Concilium de abſolutione iuridica in foro externo,
21. Quod ex eo ſit manifeſtius, quia cum abſolutio propria duplex ſit, vna pertinens ad forum conſcientiæ, de qua in cap. *Canonica de ſententia excomm.* altera pertinens mere ad forum contentioſum, de qua Gloſſa *in cap. Paſtoralis. de officio Ordinarij*, vtramque abſolutionem admittunt eſſe propriam omnes D D. Videantur Sylueſter, *verbo, Abſolutio 1.num.1. & 2.* Samuel Lumblinus *eodem*, Tabiena, & Angelus, Caietanus, Au-
22. ſonius, Noctinot *in ſumm. verbo Abſolutio.* vnde notat egregiè Caietanus *quod licet abſolutio ab excõmunicatione nulla habeat determinata verba, tamen ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem debemus*
23. *dicere, Abſoluo te, &c.* vnde verbum *abſoluo*, & nomen *abſolutio* proprie cadit ſupra excommunicationem: cum ergo pœnæ ſint omnino reſtringendæ iuxta regul. *odia de regul. iur. in 6.* dum Concilium dicit *quod non poſſint abſolui, &c.* loquitur de abſolutione iuridica, quæ ſupponit ſententiam criminis declaratoriam. Si ergo nomen *abſolutio* tam dicit abſolutionem in foro animæ,
24. quam externo, niſi luce clarius conſtet ſumi in foro animæ, & ante ſententiam declaratoriam, ſumenda eſt in foro externo, quia ſemper fauendum eſt reo.

Ad ſecundum reſpondetur quod illud verbum *dimiſſis* hic non ſignificat voluntariam dimiſſio-
25. nem, ſed eſt ablatiuus abſolutus ſignificans à ſe amiſſis per ſententiam declaratoriam criminis. Quare etſi examinator Synodalis abſolui non poſſit à culpa niſi prius abſoluatur ab excommunicatione quæ eſt reſeruata, vt conſtat ex extrauaganti Paulina. Quod ſi abſoluatur virtute Bullæ Cruciatæ ab excommunicatione, nihilominus ſi delictum probetur in foro externo, retrotrahitur pœna ad diem commiſſi criminis, à quo
26. faciet iudex quod reſtituat fructus perceptos, qui eo ipſo quod commiſſum eſt crimen confiſcati ſunt.

Ad tertium reſpondetur, quod illa conditio ponitur reſpectu abſolutionis ab excommunicatione in foro externo iuridica, non enim hæc dari poteſt niſi prius declaretur crimen, quo declarato ipſo facto ſunt amiſſa beneficia, & tunc datur abſolutio à cenſura.

Resolvtio II.

An examinatores ſi aliquid accipiant incurrant vitium Simoniæ.

SVMMARIVM.

27 *Examinatores Synodales quomodo, ſi aliquid accipiant occaſione examinis, committant Simoniæ vitium? & n ſeqq.*

INquires, quomodo examinatores Synodales ſi 27.
aliquid accipiant occaſione examinis committant Simoniæ vitium. Reſpondetur rationem eſſe claram quia per approbationem factam in concurſu, acquiritur approbato ius ad Beneficium, pro quo iure ſpirituali datur temporale examinatoribus. Ita Barboſa de *Poteſtat. Epiſcop. allegat. 60.num.54.* ex Nauarro *conſil.58. in Antiquis, & 67.in nouis, de Simonia.* Quæ ratio etiam currit quamuis approbatio ſit de digno quamuis non 28.
digniori, cum ſint alij digniores, quia etiam dignus approbatus ius acquirit ad Beneficium, quatenus eius electio non eſt irrita, vt tenent Sotus *lib.3.de iuſt.q.6.art.2.* Couarru. *in Regul.Peccatum p.2.§.7.num.4. verſ.igitur iura.* Nauarra *de Reſtitut. lib.2.cap.2. num.220.* Nauarrus *in Manuali cap.15.num.72.* Rebellus *lib.3. de obligat. iuſtit.q.4.* Azor *p.2.lib.6. cap.15.q.2.* Reginaldus *in Praxi.tract.3.num.195.* Tenet etiam verum ra- 29.
tio adducta etiam ſi examinatores Synodales accipiant aliquid non pro examine ad Beneficium, ſed pro examine ad audiendas confeſſiones, vel recipiendos ordines ſacros, quia approbatus acquirit ius ſpirituale vt illi conferantur. Tenet 30.
etiam verum ſi examinator non ſit Synodalis ſed quidam particularis, cui Epiſcopus committit examen vel ad Ordines, vel ad confeſſiones audiendas.

Resolvtio III.

An examinatorum reſpectu in vitio Simoniæ detur paruitas materiæ.

SVMMARIVM.

31 *An in hac Simonia Examinatorum Synodalium detur paruitas materiæ? Sententia negatiua quibus fundamentis nitatur, ibid. & num.ſeqq.*

34 *Sententia affirmatiua probabilior, & in praxi tutior, ratione, & Auctoritate munitur, & num.ſeqq.*

41 *Reſpondetur ad primum fundamentum oppoſitum.*

42 *Reſpondetur ad ſecundum.*

43 *Aduertenda quædam & n.ſeqq.*

INquires, ſecundò, An in hac Simonia exami- 31.
natorum Synodalium detur paruitas materiæ. Negant Bonacina *diff.1.citata.* Barboſa *ad cap.18. citat.Concil.num.113.& de Poteſt.Epiſcop.allegat. 60.num.5.* Et abſolutè non dari paruitatem materiæ in vitio Simoniæ tenet Suarez *lib.4. de Simon.cap.3.à num.5.* Baldell. *tom.1. lib.3.diſp.14. num.12.* Caſtro Palao *tract.2.diſp.2.punct.7. n.4.* Sancius, *in ſelect.diſp.15. num.14.* & alij quos iſti citant.

citant. Fundamentum est, quia siue materia Simoniæ sit pretium temporale, siue res sacra, sit grauis iniuria excellentiæ diuinæ quod temporale detur
32. pro re sacra cultui suo dicata, quamtumuis hoc temporale paruum sit. Quod si magnum sit, maior iniuria, quia minus gratis vult accipere tenens, atque ita vult habere gratiam non gratis, & vendens pariformiter, quod est contra illud Christi: *Gratis accepistis, gratis date.* Et in materia de examinatoribus Synodalibus probatur ex Concilio *loc.cit.* dicente: *Caueant autem ne quicquam acci-*
33. *piant occasione examinis.* Quicquam autem quantumuis minimum excludit, sicut dicitur in Concilio Toletano 4. *de Præceptis Ieiunij naturalis, ne aliquid cibi, aut potus.* Ex quibus colligunt DD. non dari paruitatem materiæ in hoc præcepto, vt latè dixi in Tractatu *del Tabaco.*

34. Sed dari paruitatem materiæ in vitio Simoniæ tenent Molina *de iust. tract. 2. disp. 92. num. 5.* Reginald. *lib. 23. num. 219.* & alij quos citat Diana *p. 5. tract. 5. resol. 2.* & loquens de examinatoribus idem tenet Zerola *in Praxi Episcop. p. 1. verbo Parrochia dub. 11.* ibi, *Si acceperint examinatores quid modicum, vt puta valoris trium Carlinorum, siue Iuliorum non inciderent in labem Simoniæ*
35. *quoad forum conscientiæ, modo hoc non accipiant vt faueant examinando, sed gratiosè cum fuerit alias idoneus.* Sed clarius Ledesma *in sum. tom 1. tr. 7.* vbi postquam dixit malè facere examinatores si aliquid ante, vel post examen accipiant per modum donationis liberalis, & gratitudinis, dicit: *Hablando en rigor el recebir las tales dadiuas graciosas, y liberales no me parece que es contra la prohibicion del Concilio Tridentino, porque el Concilio dize que los que dan, y reciben incurran el vicio*
36. *de la Simonia, y todas las penas de ella. Lo qual no parece que se puede entender destas dadiuas. Pero esto no tiene verdad quando el examinando da vna cosa grande, porque no se ade entender que tan liberal, y graciosamente le de cosa de tanta importancia.* Hæc ille fere.

37. Ratio à priori horum est. Quia aut donationes istæ liberales & gratiosæ fiunt post examen, ante consecutionem Beneficij, vel ante examen. Vtroque modo possunt accipi ab examinatore, & offerri ab examinando sine aliqua obligatione inducta, nam in his casibus vbi interuenit obligatio iustitiæ non currit antidoralis retributio pro beneficio, quia maior est obligatio iustitiæ, quam gratitudinis. Et in hac specie tenet verum secundum dictum Ledesmæ. Quod si res pretiosa ante, vel post examen ante prouisionem Beneficij detur, res pretiosa hæc non præsumitur dari gratiosè, & liberaliter, & sic dans, & recipiens commi-
38. tunt vitium Simoniæ. Quod si donatio ista rei pretiosæ detur examinatoribus post factam prouisionem Beneficij, si illius nulla præcesserit insinuatio, nulla committitur simonia, cum sit quædam antidoralis donatio ex gratitudine prouenies, & licita iure naturæ, & illam non prohibuit Concilium, quod dum dicit *ante vel post*
39. *examen*, intelligitur ante informationem examinatorum, & prouisionem Beneficij.

Hæc secunda sententia valde probabilis est, & tuta in praxi vt explicata est, maximè si dicamus cum Lessio *lib. 2. de iust. cap. 35. num. 148.* quod hæc Simonia quam committunt examinatores sit orta ex iure humano, sicut multæ aliæ quas enumerat ibidem *à num. 26.* in his enim facilius di-
40. stinguitur temporale quod datur pro alio temporali, ab spirituali. Sicut in venditione Beneficiorum quæ est simoniaca iure humano, sicut si quis vendat ius temporale percipiendi fructus, & ipsam dignitatem, sine pretio, transferat, & sic facilius creditur quod si fit aliqua donatio est respiciendo ad illud temporale. Quare etsi fiat aliqua donatio ante vel post non imperata voluntate emendi ius illud, sed solum vt inclinetur gratiosè voluntas donantis aliquod Beneficium non propter dignitatem, sed propter ius temporale percipiendi fructus, non existimo incurri hanc simoniam iuris humani, quod solum prohibet contractum ex quo oritur obligatio iustitiæ, non tamen donationem liberalem ex qua oritur obligatio gratitudinis.

Ad fundamentum oppositum respondetur 41.
quod si detur res temporalis pro spirituali supernaturali quantumcumque pretium sit paruum, aut magnum & res temporalis, similiter etiam si sit guttula aquæ benedictæ, non excusatur peccatum mortale propter iniuriam grauem quæ fit Deo Authori supernaturali, cuius excellentia vilipenditur, quatenus vendibilis existimatur. Sicut iurare in mendacio, etiam leuissimo; mortale est vt est certum apud omnes; hic autem non loquimur sic vt explicatum est, quia loquimur de donationibus liberalibus, & gratiosis.

Ad secundum fundamentum ex Concilio res- 42.
pondetur loqui ibi quando datur intuitu examinis, tunc enim est simonia in qua non datur paruitas materiæ, vt verba Concilij explicant, quia si aliquid datur intuitu iuris spiritualis quod acquirit examinandus, si approbetur, quod est dare aliquid temporale pro spirituali, quod numquam licet, etiam in simonia iuris humani, quantumcumque sit parua materia, sicut de ieiunio naturali dixi loc.cit.

Verum aduerte quod lex ista Concilij Triden- 43.
tini, & pœna exorbitans in illa statuta solum extenditur ad examinatores Synodales constitutos à Synodo, vt præcipit Trident. vel sine Synodo ex speciali priuilegio; non vero comprehendit alios examinatores, quos possunt habere Vicarij Episcoporum, & communitates Regularium ad examinandum eos qui volunt audire Confessiones, aut prædicare verbum Dei, aut ad inseruien- 44.
dum alicui Ecclesiæ Parochiali loco Parochi proprietarij emortui, donec fiat prouisio. Ratio est, quia lex Concilij valde pœnalis est, & exor- 45.
bitans à iure, & sic solum comprehendit nominatos à legislatore, vt est communis, certaque sententia, quamuis sit eadem ratio vtriusque. Nisi isti examinatores intendant vendere ius spirituale vt dixi Resolutione. ..... in fine.

Resolvtio IV.

Vtrum examinatores Synodales possint ex consuetudine aliquod stipendium intuitu sui officij accipere.

SVMMARIVM.

46 *Adducuntur Auctores sententiam negatiuam tenentes.*

47 *Sententia affirmatiua probabilior ostenditur. & n. seqq.*

Negant

46. NEgant Barbosa *de Potest. Episcop. allegat. 60. num. 52. quacumque immemorabili consuetudine non obstante.* Nicolaus Garcia *part. 9. de Beneficiis. cap. 2. num. 368.* qui *num. 374.* refert decisum à Sacra Congregatione *quod neque Episcopus, neque Synodus Diœcesana possunt statuere aliquod stipendium, etiam minimum examinatoribus pro concursu Parochialium, & si secus fecerint decretum sit irritum, & nullum.* Quam decisionem referunt Bellarminus *in primis declarationibus*, & Barbosa *in secundis ad præfat. cap. 18. Concilij sess. 24.* sequuntur Masobr. *in Praxi, requisit. 15. dub. 1.* Bonacina *disput. 1. de Simon. quæst. 7. diff. 1. num. 5. versic. Secundo examinatores.*

47. Sed contrarium iudico probabilius. Ita Ledesma *in summ. tom. 2. tract. 7. pag. 163.* Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 2. num. 188.* citatus à Bonacina. & sic est inproductum in multis Ecclesiis Hispaniæ, & in Primate ipsarum Toletana. Vnde Ledesma *vbi sup.* dicit, *Esta es comun sentencia de todos los Doctores.* Idem sentit Villalobos *in summa tract. 8. diff. 5. num. 4.* Et tam ipse, quam Ledesma dicunt ita fuisse declaratum in Concilio Compostellano immediate celebrato post Trid. Salmanticæ anno 1695. ibi impressum, vbi interfuerunt aliqui Episcopi Patres Tridentini, & confirmatum à Pio V. qui illud non confirmaret si aliquid contra Tridentinum decreuisset. Tridentinum enim, vt ex ipsius verbis constat solum prohibet aliquid accipere occasione examinis ab examinandis oppositoribus, non vero si aliquid gratiose donent Episcopi; hoc enim non esse contra Concilium sibi certum esse dicit Villalobos.

48.

49. Probatur hæc sententia, quia aut stipendium istud datur ab Episcopo, vel examinandis, vel hoc datur de fructibus Beneficij vacantis, aut de proprio Episcopi, aut de proprio examinandorum. Quocumque ex his modis detur stipendium hoc non committitur Simonia, aut prohibet Trident. Probatur quia dari stipendium omnibus his modis est consuetudo Hispana in omnibus fere Ecclesiis, quam sciunt Pontifices, & tolerant, & sic contraria lex cum sit humana, consuetudine

50. abrogata est. Et quidem si Episcopus de suo det hoc stipendium examinatoribus probabile iudicat Bonacina, & mihi est omnino certum, quia nullibi hoc videtur lege, aut canone prohibitum. Et Concilium nec directe, nec indirecte loquitur de Episcopo dante.

Dices quod Episcopus non habet votum decisiuum in promissione Ecclesiæ Parochialis, & ita videtur hoc stipendio obligare examinatores & in hoc videtur fundari declaratio Congrega-

51. tionis. Respondetur quod Episcopus id non facit hac intentione, sed pro labore qui non est paruus, & pro aliqua sustentatione Ministrorum

52. Aut hoc stipendium datur de fructibus beneficij vacantis, vt in Archiepiscopatu Compostellano determinauit Concil. Salmanticæ, & hoc etiam non est prohibitum à Tridentino, cuius intentum est quod Ecclesiæ Parochiales dentur idoneis, moribus, & scientia, cui intento nullatenus contrariatur quod de fructibus Beneficij assignetur examinatoribus stipendium, cum hoc illis debeat tribuere quicumque Beneficium obtinuerit in concursu, siue sit magis idoneus, siue minus. Et sic nullum est motiuum quod examinatores corrumpantur stipendio vt minus idoneum eligant, non ergo hoc prohibet Trident.

53. Nec obstat Declaratio Cardinalium in vna Abulensi quam refert Garcia *part. 5. de Benefic. cap. 7. num. 11. in fine*, in qua Eminentissimi responderunt: *Hoc esse contra Concilium.* Quam declarationem dicit Garcia apud se habere in forma Authentica. Nam respondetur. Primum quod nisi sit in forma Authentica inducta ab Vrbano VIII. non habet vim. Ad cuius authenticam for- 54.
mam inter alia, vt vim obligandi habeant, duo requiruntur. Primum quod Auditor Cameræ Apostolicæ sub censura mandet eas obseruari. Et sic obseruat stylus Curiæ. Ita Valerus *de differ. verbo Absolutio diff. 1. num. 20.* Secundum quod dicatur eas factas consulto Summo Pontifice. Ita Coriolanus *de casib. reseru. part. 1. sect 1. art. 21. num. 5.* Peyrinis *tom. 1. de Subdito quæst. 1. cap. 25. conc. 1. pag. mihi 291.* Vnde ex ordine, & consulto Summo Pontifice Vrbano VIII. die 2. 55.
Augusti. anno 1631. omnes declarationes Cardinalium impressæ, vel imprimendæ prohibentur, tanquam non authenticæ, nisi illæ quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentis munitæ fuerint, & nobis non constat an declaratio ista sit ita authentica, præcipue cum, vt notat Salas *de legib. disp. 2. sect. 9. num. 53. Congregatio non semper, sed in raro casu, & in grauioribus, & difficilioribus dubiis Summum Pontificem consulere soleat.* Respondetur secundò, quod 56.
etiam si sit authentica non est recepta in Hispania, sed contraria consuetudine abrogata.

Aut datur huiusmodi stipendium examinatori- 57.
bus Synodalibus ex bonis ipsorum Oppositorum qui examinantur, & sic quamuis melius, & rationi conformius sit quod stipendium hoc sumatur ex fructibus Ecclesiæ vacantis, sicut enim Parochus sibi assumit fructus vacantis Ecclesiæ quamuis illi non inseruierit, ita congruum est vt aliqua pars illorum examinatoribus assignetur qui laborant in seruitio illius Ecclesiæ. Sed nihilominus, ait Ledesma, & bene, non est contra Concilium quod examinati hoc stipendium dent de suo, quia huius stipendij solutio commu- 58.
nis est omnibus examinatis & sic non est motiuum, aut impulsiuum quod prouisio Beneficij non fiat in magis idoneum, quod inconueniens voluit impedire Concilium.

Et sic respondetur ad fundamentum oppositum quod illæ declarationes non sunt authenticæ, & in Hispania non sunt receptæ contraria consuetudine vigente, & sic intelligitur decretum Concilij Trid. 59.

RESOLVTIO V.

De qualitate examinatorum Synodalium.

SVMMARIVM.

60 *Concilium Tridentinum quid decernat circa qualitatem Examinatorum Synodalium, declaratur, & n. seqq.*

65 *An recta, & valida sit electio alicuius Examinatoris dicendo, eligimus Priorem S. Dominici, aut Guardianum S. Franciſci, non nominando personam, sed solùm officium, itaut quicumque illud possideat ipso facto sit Examinator Synodalis & n. seqq.*

69 *An si sit aliquis laicus secularis vir insignis literatura,*

literaturæ, & in iure Canonico Doctor, vir prudens, &c. & non sit Clericus, an, inquam possit eligi Examinator Synodalis?

60. SAcrum Tridentinum Concilium *cap 18. citato* sic decernit: *Sint verò hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut licentiati in Theologia, aut iure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam sæculares qui ad id videbuntur magis idonei.*

61. Circa quæ verba nota quod Theologi sunt prius eligendi quam Canonistæ argum. ex *cap. Super specula*, de Magistris vbi Honorius tertius, solis Theologis Magistris concedit priuilegium, & Authores illud exponunt extendentes ad Canonistas. Et in *cap. super specula* 10. *ne Clerici, vel*

62. *Monachi*, idem Honorius dicit: *Theologiæ studium cupimus ampliari, vt dilatato sui territorij loco funiculos suos faciat longiores.* vbi Glossa dicit, *quod Theologia est super omnes scientias fauorabilis.* Et sic Concilium prius numerat Theologos qui principaliter sunt eligendi in examinatores Synodales cæteri vero post ipsos. Nisi dicamus quod Canonistæ sunt Theologi Morales, & sic principaliter possunt eligi. Sic determinatum est *in vna*

63. *Saonensi 19. Februarij ann. 1628.* Quare si his gradibus sæculares non sunt insigniti, eligi non possunt, nisi in defectum. De Regularibus tamen ait Barbosa *in Collectan. DD. ad præfatum cap. num.* 110. quod etiam fuit decisum in *vna Turritana 10. Maij 1629. quod si his gradibus non sint insigniti non possint eligi in examinatores Synodales.* Sed fallitur Barbosa, quia praxis est in contrarium, multi enim Regulares S. Francisci, & Societatis Iesu, & nostræ Religionis electi sunt in exa-

64. minatores Synodales, qui tamen non sunt Magistri, aut licentiati, quia huiusmodi gradus non admittuntur in præfatis Religionibus. Quare sufficit quod Lectores Theologiæ veterati, & publicæ opinionis, aut quod Cathedram publicè in aliqua vniuersitate rexerint.

65. Sed inquires, An recta, & valida sit electio alicuius examinatoris dicendo, eligimus Priorem S. Dominici, aut Guardianum S. Francisci, non nominando personam, sed solum officium, itaut quicumque illud possideat ipso facto sit examinator Synodalis. Respondetur, quod licet melius sit eligere personam, eamque nominare, tamen bene potest nominari officium Prioris, Guardiani, aut Canonici Magistralis qui semper sunt idonei ad hoc officium, maximè in Prioratibus Ciuitatum

66. insignium. Ita Villalobos *vbi suprà num.* 3. Ledesma *vbi supr. pag.* 162. §. *la otra difficultad.* Synodus etiam satis fieri potest si Episcopus proponat talia officia in quibus ordinariè sunt personæ scientia, & prudentia præditæ, de quo constare potest Synodo.

67. Sed contrarium securius, & conformius est verbis Concilij quod scilicet requiratur expressio personæ singularis cognitæ Synodo. Ita Filliucius *tract. 41. de Beneficiis num.* 157. Salgado *de Protect. Reg. p. 3. cap. 9 num.* 76. Garcia *lib. 9. de Benefic. p. 9. cap. 2. num.* 339. Marcabr. *in Praxi requisit. 11 dub.* 1. Barbosa *de Potestat. Episcop. illos* citans *allegat. 60. num. 47. vers. dicto loco.* Et sic seruatur in Romana Curia in qua intelligitur dictum Concilij quod examinatores debeant satis-

68. facere Synodo. Vnde sic declaratum, ait idem Barbosa *tract. de off. Parroch. cap. 2. num.* 56. idem docet Castro Palao *vbi infrà num.* 8. *vers nihilominus*; id tamen probat friuolis argumentis, quia licet eligantur officia, & non personæ particulares, potest Concilium exigere vt quotannis fiat examinatorum electio.

Inquires secundò, An si sit aliquis laïcus secu- 69.
laris vir insignis litteraturæ, & in iure Canonico Doctor, vir prudens &c. & non sit Clericus, an, inquam, possit eligi examinator Synodalis? Non vidi apud aliquem Doctorem dubium excitatum, mihi videtur quod sic, quia hoc munus non tribuitur à Concilio Clericis priuatiuè, sed solum cumulatiuè. Quare si Doctor iste laicus idoneus est ad examen, potest eligi examinator. Quod constat ex intento Sanctæ Synodi quod est quod eligantur viri idonei.

Resolvtio VI.

De duratione, & numero examinatorum Synodalium.

SVMMARIVM.

70 *Examinatorum Synodalium duratio, & numerus. & n. seqq.*

72 *Si nulli Examinatores Synodales in Synodo electi superstites sint, potest Episcopus cum approbatione Capituli eligere nouos, non pauciores quàm sex, de quibus eligat ad minus tres ad prouisionem parochialis Ecclesiæ, quorum officium expirat adueniente tempore celebrandi nouam Synodum.*

COncilium dicit: *Examinatores singulis an-* 70.
nis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario adminus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea approbentur. Circa quæ verba Barbosa *vbi supr.* dcit quod Sacra Congregatio Concilij *in vna Cæsaraugust. ann. 1623. die 13. Martij*, & sequitur Aldana *in Compend. Canonicar. resol. lib. 3. tit. 9. num. 29.* declarauit quod non possunt proponi in Synodo plusquam viginti Examinatores qui eligantur. Sed ista declaratio procedit quando quotannis, vt determinat Concilium, celebrantur Synodi, vel non ita raro sicut in Hispania celebrantur. Quare pos- 71.
sunt DD. Episcopi proponere in Synodo illos quos videbitur rationabile vt moraliter non deficiant pro concursu qui ordinarie habetur, adminus sex Examinatores, & illos poterit eligere Synodus, siue per vota secreta, siue aperta, vt magis expediens iudicauerit Episcopus, vt ait decisum Piasec. *in Praxi part. 2. cap. 2. num. 4.* cuius decisionem refert Cardinalis Bellarminus *in decis. Cardinal. ad Præfatum Cap. decis. vltim.*

Si tamen nulli examinatores synodales in sy- 72.
nodo electi superstites sint, potest Episcopus cum approbatione Capituli eligere nouos, non pauciores quam sex, de quibus eligat ad minus tres ad prouisionem Parochialis Ecclesiæ, quorum officium expirat adueniente tempore celebrandi nouam Synodum. Ita Salgado *vbi sup. num.* 70. & censuit Rota *in Panormitana Archipresbyteratus 3. Decembr. 1618. coram Buratto.* Sed hoc
intelligitur quando Decretum de celebranda Sy- 73.
nodo quotannis est in viridi obseruantia, tamen si non obseruetur propter difficultates conuocandi, vt in Hispania, durant præfati examinatores Synodales electi ab Episcopo, approbante Capitulo vsque ad tempus celebrandi Synodum. Nec

poteſt Epiſcopus illos priuare ab officio, niſi etiam approbante Capitulo.

74. Si tamen examinatores Synodales deficiant, vel ita impediti ſint quod non poſſint inſeruire, Clemens VIII. ſpeciali conſtitutione conceſſit Epiſcopis facultatem deputandi examinatores extra Synodum (vt fecit anno 1646. Eminentiſſimus Cardinalis Spinola Archiepiſcopus Hiſpalenſis) ita referunt Rota Romana *in eadem Cæſarauguſtan. 5. Iunij* 1620. *coram eodem.* Et Sacra
75. Congregatio *in vna Ciuitaten. anno* 1593. Quod Decretum intelligitur quando Congregatio Synodi quotanna obſeruatur, alias ſemper manet authoritas in examinatoribus, & poteſtas deputandi in Epiſcopo, vt dicit eadem Congregatio citata, vſque ad Synodum : cum ratio, & motiuum conceſſionis Clementinæ ſemper ſubſit ſi per ipſum non ſtetit Congregatio; etenim examinatores iſti electi ab Epiſcopo virtute huius conceſſionis ſunt Synodales, quantum ad authoritatem, & officium.

76. Examinatores tamen Synodales durant dum alij in Synodo deputati ſint, vt referunt deciſum Naldus *in ſumm. verbo examinatores num.* 1. Galet. in Margarit. *eodem num.*1. Genuenſis *in practica Neapoli cap.66.num.*17. Riccius *in praxi reſol.* 361. Tum inſuper quia de iure communi pertinet ad Epiſcopum examinatores ad Beneficia omnia deſignare *cap. accepimus.* & ibi Gloſſa *de*
77. *ætat. & qualit.* quæ poteſtas non eſt ſublata per Concilium, ſed præſcriptus modus ea vtendi, ſcilicet, in Synodo.

Quod ſi ex illis aliqui mortui ſint itaut non maneant ſex ſuperſtites, officium omnium expirat. Ita citati, & Maſſobrij *in praxi requiſit.* 12. *dub.*4. *num.* 3. quamuis ipſemet *dub.* 2. quem ſe-
78. quitur Garcia *part.* 9. *de Benefic. cap.* 2. *num.*80. & Barboſa *allegat. citat. num.*47. dicat quod ſi ex ſex examinatoribus aliqui deficiant vel morte, vel impedimento, tota facultas examinandi vna cum Epiſcopo ad ſuperſtites, etiam ſi vnus tantum ſupereſſet expectare debere, eo anno durante, ſed vt dixi, alij eligendi in locum deficientium cum approbatione Capituli. Quare non benedicitur, quod ſi ex ſex moriantur aliqui, eo-
79. rum authoritas expirat in omnibus : ſi enim in omnibus expiraret, omnes deberent denuo eligi, cuius contrarium deciſum dicit Garcia *vbi ſupr.* & ſequitur Caſtro Palao *tractat.* 13. *de Beneficijs diſp.*3. *punct.*2. §.3. *num.*4. quia etſi non ſeruetur in illis remanentibus tota forma Concilij, ſufficit quod ſeruetur meliori modo quo poteſt. Ita Tiraquellus *de legibus connubialib. Gloſſa* 6. *n.* 6. *&* 39. *&* 69. Flaminius Pariſius *de reſignat. lib.*7. *quæſt.*5. *num.*19.

80. Ex dictis colligitur quod ſi ex examinatoribus Synodalibus manſerint tres, non tenetur Epiſcopus alios tres eligere, ſed cum illis tribus ſuperſtitibus facere prouiſionem Parochialium vſque ad Synodum. Ratio eſt quia Concilium non requirit quod in examine aſſiſtant ſex, ſed quod ex illis Epiſcopus eligat tres qui ſunt neceſſarij ad concurſum : ergo ſi ſolum ſuperſint tres, ſi vult Epiſcopus, cum illis poteſt prouidere.

Vide infrà reſol....

* *

*

Resolvtio VII.

Qui poſſint eligere examinatores Synodales.

SVMMARIVM.

81 *Sola Synodus Diœceſana poteſt eligere examinatores Synodales.*

82 *Nunquid electis tribus, ſi velit eligere tres, tenetur eligere alios tres, vel poſſit ex primis tribus eligere vnum, & ex ſecundo ternario duos ?*

83 *Notandum circa verba Concilij.*

84 *Abbas habens iuriſdictionem nullius Diœceſis, ſimiliter & Prior eiuſmodi iuriſdictionis, poſſunt conuocare Synodum, & in illa nominare examinatores, vt eligantur à Patribus.*

89 *Capitulum, ſede vacante, poteſt examinatores nominare vt eliguntur à Synodo, & n. ſeqq.*

91 *Quid poſſit Vicarius, aut debeat facere Sede vacante ?*

DE iure communi Concilij Tridentini ſola 81.
Synodus Diœceſana, ibi, *Examinatores ſingulis annis in Diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel eius Vicario ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea approbentur; aduenienteque vacatione cuiuſlibet Eccleſiæ tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem aut alios tres, quos maluerit, ex illis ſex eligat.* Hæc ibi. Sed nunquid electis tribus, ſi velit eligere
82. tres, tenetur eligere alios tres, vel poſſit ex primis tribus eligere vnum, & ex ſecundo ternario duos. Reſpondetur poſſe, ſi non faciat in fraudem, quia liberum hoc reliquit Concilium quoad perſonas, etſi cogat quoad numerum ternarium. Non quod ſint examinatores ſolum tres, quia poſſunt eſſe plures, ſed quod non poſſunt eſſe minus quam tres, vt determinauit Sacra Congregatio *in vna Foroſempronien. die* 19. *Aug.*1591.

Circa verba Concilij nota quod ad Epiſcopum 83.
pertinet nominare, ſed nominati debent ſatisfacere Synodo, quod ſi non ſatisfaciant non tenentur probare, & eligere. Vnde in eorum approbatione, & electione, vt quis dicatur probatus, & electus debet ad minus habere dimidiam ſuffragiorum partem eorum qui habent vocem in Synodo, vt notat Maſſobr. *in prax. requiſit.* 11. *dub.*7.

Ex quo fit quod Abbas habens iuriſdictionem 84.
nullius Diœceſis, ſimiliter, & Prior eiuſmodi iuriſdictionis poſſunt conuocare Synodum, & in illa nominare examinatores, vt eligantur à Patribus. Ita Ledeſma *vbi ſup. pag.*162. §. *de la Reſolucion.* Villalobos *vbi ſup. num.* 2. Sed hoc intelligitur ſi Abbas, & Prior ſint immediatè ſubiecti Sedi Apoſtolicæ, vt eorum iuriſdictio ſit nullius Diœceſis, habeatque ius congregandi Synodum. 85.
Ita Lælius Zecchius *de Repub. Eccl. cap.* 28. *de Parocho num.*6. Aldana *lib.*3. *compendij tit.*9. *n.*27. dicens eſſe deciſum. Quare iſtis competit probare ius habere congregandi Synodum, ſine quo iure non poſſunt concurſum facere, aut edictum examinis proponere, quia totum hoc pertinet ad Epiſcopum in cuius Diœceſi eſt Abbatia, aut Priotatus.

Prioratus. Sic declaratum est in vna *Forosempronienſi die 2. Decembr.* 1628. Quare electo magis idoneo mittit Episcopus illum ad Abbatem, & Priorem pro collatione. Ita Garcia *de Beneficiis p.9.cap.2. à num.*129. *vsque ad num.*149.& idem est si collatio pertineat ad aliquam Parochiam, Capitulum Ecclesiæ, aut Archidiaconum, vt declaratum refert Barbosa *ad præfatum cap.* 18. *n.6. in declarationibus*, & sic vsus obtinuit. Si vero vult Episcopus, potest plures magis idoneos ad collatorem remittere, vt curam animarum com-
87. mittat cui maluerit. Ratio est, quia nullus potest ad concursum vocare qui non potest examinatores nominare, nullus autem eos potest nominare, nisi qui Synodum potest congregare, & hanc non potest conuocare, nisi qui habet proprium territorium nulli subiectum, aut propriam Diœcesim.

Similiter capitulum, sede vacante, potest po-
89. testate ordinaria sicut Synodum congregare, ita & examinatores nominare vt eligantur à Synodo. Ita Authores citati. Et est clarum, quia capitulum, Sede vacante, potest omnia exercere quæ pertinent ad ordinariam Episcopi iurisdictionem nisi excipiatur aliquid in iure quod potest Episcopus, & non capitulum, vt constat *ex cap.vnico. de maior.& obedient.in 6.* & aliis iurib.tenent
90. Sylvester *verbo Capitulum. num.*2. Suarez *de censuris disp.7.sect.2.num.*4. Molina *de iustit tract.5. disput.* 11. *à num.*1. *vsque ad* 10. Sayrus *in Claui. lib.6.cap.*11. *num.*10. & quamuis verum sit quod Capitulum non succedat Episcopo in potestate delegata, tamen succedit in priuilegiis perpetuis illi factis in ordine ad bonum regimen. Quare poterit Capitulum, sede vacante, eligere Examinatores in illis euentibus in quibus Clemens VIII. concessit Episcopis quod eligant, vt dixi supra Resolu.....

91. Ex quo fit quod Vicarius Sede vacante, in loco examinatorum absentium, vel defunctorum alios authoritate propria sufficere non potest, sed curare debere vt elapso anno alij in loco demortuorum sufficiantur, seu eligantur in Synodo; alioquin pro legitimis non haberi qui supererunt Ita Barbosa *allegat.*60. *citat. num.*47. ex Sbroz *in Addition. ad tract. de officio Vicarij lib.*2. *q.*211. nisi ad id fiat specialis delegatio à Capitulo, Sede vacante, quod vt vidimus potest id præstare, sicut Episcopus ex Bulla Clementina.

Resolvtio VIII.

Vtrum Iuramentum præstandum ab Examinatore Synodali sit de substantia, & forma examinis.

SVMMARIVM.

92 *Iuramentum præstandum ab Examinatore Synodali, an sit de substantia, & forma examinis. & n. seqq.*

92. TRidentina Synodus *cap.* 18. *citato* decernit sic: *Iurentque omnes* (examinatores) *ad sancta Dei Euangelia quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros.* Circa quæ verba nota peccare mortaliter Ordinarium qui per se, vel suum Vicarium non recipit iuramentum examinatorum Synodalium, quia per ipsum stat quominus hoc mandatum non exequatur. Examinatoresque tenentur hoc iuramentum præstare sub eodem reatu, tamen non est necessarium quod iuramentum præstetur in Synodo, vt dicit Garcia *p.9.c.2.n.*335.& 336.

Modo circa præsentem difficultatem aliqui 93.
sentiunt quod si Examinatores non præstiterint hoc iuramentum, concursus coram eis factos, & omnes electiones ex illis resultantes esse nullas. Ita Homobonus *de humanæ vitæ statib. p.*1. *c.*13. *vers.*2. Filliucius *de Benefic.tract.*41.*cap.*4.*n.*158. & sic Barbosa *de offici.Paroch.cap.*2.*num.*76.& 77. dicit decisum fuisse in vna *Bisignanen. die* 2. *Decembr. ann.* 1628. vbi Congregatio facto verbo cum Sanctissimo ita declarauit. Sed Vrbanus VIII. qui tunc erat Pontifex, actus, & concursum factum non præstito iuramento conualidauit & confirmauit. Et sic iuramentum est de substantia, & forma concursus.

Sed nunquam potui hoc in animum inducere 94.
quod iuramentum sit de substantia examinis, itaut concursus nullus sit, iuramento deficiente. Ita tenet Castro Palao, *vbi suprà*, §.4.*num.*7. Filliucius tamen malè citatur pro contraria sententia, solum enim dicit quod debent examinatores iurare, quod iuramentum expedit quod publicè fiat in Synodo, tactis Euangeliis, secundum formam Concilij, quod tradidit formam iuramenti, non
95. tamen dicit quod iuramentum sit de forma concursus substantiali, quamuis sit de forma accidentali, sicut Tabelliones, & Iudices iurant rectè se obituros munera sua & officij sui exercitium, qui si hoc iuramentum non præstent, nihilominus valide exercent.

Probatur, primò. Quia quando Concilium præcipit aliquid substantiale ad acquirendam potestatem requisitum, id explicat verbis grauibus, *sicut sess.*24. *cap.*12. præcipit *quod prouisi in Beneficiis curam animarum habentibus, vel in Dignitatibus, & Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis, non solum coram Episcopo, seu eius officiali, sicut Curati, sed etiam in Capitulo orthodoxæ suæ fidei publicam faciant professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia semper mansuros spondeant, & iurent intra duos menses à die adeptæ possessionis: alioquin prædicti omnes prouisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* 96.

Quare in his fidei professio vel per seipsos, vel 97.
per Procuratorem cum speciali mandato, sicut & iuramentum obediendi est de substantia iuris ad percipiendos fructus decursos post illos duos menses (legatur Bellarmin. *ad præfat. cap.*12.*in Additionib.num.*7. vbi professionem non posse fieri per Procuratorem decisum dicit.) Hæc au-
98. tem verba non sunt, nec aliqua æquiualentia in iuramento præstando ab examinatoribus. Quare non est de substantiali forma, sed de accidentali, quæ si deficiat non irritantur actus. Sicut Episcopus (qui excommunicat contra formam traditam *cap.*1.*de sentent.excommunic.in* 6. hoc est, sine scriptura, & expressione causæ, cum vtrumque requiratur à Pontifice, tanquam forma accidentalis) valide, etsi illicitè excommunicat, vt tenent Glossa *ibi*, Sanchez *lib.*3. *de Matrimon.disput.*5. *num.*4. Bonacina *disp.*1.*de legib.q.*1.*punct.*7.§.5. *num.*17. Suarez *lib.*5. *de legib. cap.*31. *num.*6. & *cap.*32.*num.*9. Salas *disp.*16.*de legib.sect.*9. *in fine*, 99.
qui plures alios citant. Quomodo autem distinguatur forma substantialis ab accidentali longa disputatio est in materia de legibus, & de Matri-

mon. Legantur Sanchez *vbi ſuprà num.*4. & Baſilius de Leon *lib.*5.*de Matrim.cap.*39.*num.*6.

Ratio à priori eſt, Quia quando legiſlator dat abſolutè poteſtatem, aut iuriſdictionem non appoſita conditione, præcipit tamen aliquid quod de iure communi eſt forma ſolum accidentalis, niſi aliud exprimat ſemper præſumitur illud quod præcipitur poni tanquam forma quod ſolum ſit forma accidentalis, cuius defectus non irritat actum. Sic autem eſt in præſenti, quia iuramentum non eſt forma ſubſtantialis, ſed ſolum accidentalis, niſi exprimatur vt ſupra dicebam de profeſſione fidei: etgo eius defectus non irritat concurſum. 100.

Ad fundamentum oppoſitũ reſpondetur quod illa declaratio Cardinalium fundatur in opinione contraria quæ eſt probabilis; non tamen inducit ius quod Concilium noluit inducere. Sicut nec deciſio Rotæ, *in vna Parrochialis die* 15. *Ianuar.*1593. *coram D.Mantica*, in qua declaratur nulla prouiſio, quia examinatores non præſtiterunt iuramentum. Quia reſpondetur quod tam hæc deciſio, quam declaratio Cardinalium poſſunt deſeruire ad forum iudiciale, & externum, non tamen cogunt vt idem dicamus pro foro animæ, præcipuè quod vt dixi, vtraque fundatur in opinione probabili, ſed noſtra probabilior, & tuta in foro animæ prout dicemus. 101. 102.

Inquires, ſi examinator in examine commiſerit Simoniam, concurſus ſit nullus ipſo facto? Reſpondetur nullatenus, quia vt Simoniacus incurrat pœnam priuationis officiorum requiritur ſententia declaratoria, & quouſque iſta ſit, actus per ipſum facti ſunt validi. Ita Palao *vbi ſuprà num.*7.*verſ.de vitio.* Et id clarè conſtat ex dictis Reſolutionib..... 103.

Resolvtio IX.

Vtrum ſit nullus Concurſus in quo non omnes qui examinant examinatores Synodales ſunt.

SVMMARIVM.

104 *An ſi cum Examinatoribus Synodalibus adhibeatur aliusnon ſynodalis, vitietur concurſus, itaut omnes actus ex illo pendentes ſint irriti,& nulli.*

105 *Sententia affirmatiua ponitur.*

106 *Quæ auctoritate, & fundamento fulcitur, & num.*107.

108 *Contraria ſententia adſtruitur.*

109 *Sententia Auctoris producitur, & numer. ſeqq.*

104. SAnctiſſimus Pius V. *in Bulla quæ incipit. In conferendis*, ſtatuit (*Calendis Aprilis* 1567.) quod ſi concurſus Parrochiæ fit ab aliis Examinatoribus, quam Synodalibus & non ſecundum formam traditam in Concilio, prouiſio Beneficij ſit nulla, & poſſit impetrari.

Sic etiam declarauit Congregatio apud Bellarminum. Quod intelligitur etiam ſi Epiſcopus examinatores elegerit, dicit Cardinalis, quod intellige iuxta dicta ſuprà, legatur Garcia *p.*9.*cap.*2. *num.*341. & ſic collario deuoluitur ad Sedem Apoſtolicam, vt refert deciſum Maſſobrius *in Praxi, requiſit.*3.*dub.*5.

Sed modo reſtat non parua difficultas, An ſi cum Examinatoribus Synodalibus adhibeatur alius non ſynodalis, vitietur concurſus, itaut omnes actus ex illo pendentes ſint irriti, & nulli. Affirmant Garzia *p.*9.*de Benefic.cap.*2.*num.*324. Maſſobrius *in Praxi requiſit.*13.*dub.*1. Barboſa *de Poteſtat. Epiſcop. allegat.*60. *num.*48. Filliucius *tract.*41.*cap.*4.*num.*156. dicit quod, ſi non ſynodales plures ſunt tribus ſynodalibus à Concilio requiſitis, actus eſt nullus: ſecus ſi eſſent plures Synodales; ſic enim non vitiaretur forma. Pro quo refert Garzia *num.citato*, qui dicit ita deciſum à Congregatione, & Rota Romana. Idem docet Genuenſ. *in Prax.cap.*66. *num.*18. & Naldus verbo *Examinatores num.*3. vbi ſic loquitur: *Examinatores tres Synodales, & alij duo non ſynodales ſi adhibendi fuerint ab Epiſcopo ad maiorem cautelam non videtur propterea actus vitiari ad l. Teſtamentum C.de Teſtamentis & l.non ſolent de Regul.iur. Præſertim cum id non veniat contra naturam, & formam actus, ſed potius tendat ad illius augmentum. Nec Concilium vti ſuperfluum id prohibet, aut aliqua vtitur taxatiua. Ita tenet Rota deciſ.*672.*in nouis nouiſſimis.* Hæc ille. Sequitur Homobonus de Bonis *in exam.tract.*2.*cap.*3. *num.*30. 105. 106.

Fundamentum eſt, quia formæ ſubſtantiali nihil addi poteſt, cum conſiſtat in indiuiſibili. *cap. Cum dilecta de Reſcriptis* Gloſſa *ibi verbo Tranſponentes.* Felinus *num.*6. at tres examinatores Synodales requirit Concilium vt formam in concurſu Parrochialis: ergo ſi addantur alij, vitiatur forma, & concurſus nullus efficitur. 107.

Sed contrariam ſententiam ſequitur Palao *vbi ſupr.punct.*1.§.4.*num.*5. dicens, quod ſi adſint tres Synodales, quantumcumque alij addantur non vitiatur examen, quia ſtantibus illis tribus ſeruatur forma examinis à Concilio præſcripta, quia ſtantibus illis tribus ſeruatur forma examinis à Concilio præſcripta, quia non Synodales non concurrunt vt legitimi, ſed vt teſtes, & exploratores aptitudinis examinandorum. Et ſic Epiſcopus non debet eorum ſuffragia recipere tanquam neceſſaria ad approbationem examinandi, nec prouidere poteſt Beneficium in fauorem illius qui non fuerit à maiori parte Synodalium approbatus, quia non Synodalium approbatio, vel reprobatio, vt pote ab illegimis, nihil valet. Quare hæc ſententia eadem eſt cum opinione Naldi, & Genuenſis, & Filliucij. 108.

Sed ego exiſtimo primò. Quod ſi Epiſcopus ſupra tres examinatores Synodales, vel vnum non Synodalem, cuius ſuffragium ſit neceſſarium itaut ſi ipſe, & vnus Synodalis ferant ſuffragium pro vno, & ipſis accedat Epiſcopus, & ſic prouideat Beneficium concurſus totus ſit nullus, & vitiatur actus. Ratio eſt clara, quia examinatores iuxta quorum ſuffragia prouiſio facienda eſt debent eſſe Synodales iuxta formam ſubſtantialem quam de nouo induxit Trident. declarans *caput Accepimus.de ætate, & qualitate.* Et ſic iuxta hanc concluſionem veriſſima eſt ſententia Garciæ quam ſequitur Romanus *conſil.* 506.*num.*13. argument *ex cap.cum ſuper.de officio delegati.* 109.

Exiſtimo ſecundò. Quod ſi Epiſcopus malitioſe inducat ad examen Examinatores non Synodales, vt exquiſite, & extraordinarie aliquem ex oppoſitoribus examinent, ita vt non ſatisfaciat exquiſitis interrogationibus, vt ſic examinatores Synodales formẽt dictamen talem non 110.

eſſe

esse aptum. Existimo hos examinatores vitiare concursum, tanquam introductos contra for-
111. mam Trid. Et sic etiam est vera prima sententia. Ratio est clara, quia Concilium prævidens hoc, & inconuenientia numerum præfixit Examinatorum, qui omnino Synodales debent esse præcludens ostium malitiis quæ inueniri possunt in grauamen examinandorum, qui visis tot examinatoribus, vel aliquo de nouo inducto qui Synodalis non sit, exquisita interrogante turbantur & apte non respondent. Et sic Concilium sancte, & prudenter statuit quod exploratores apritudinis examinandorum non sint, nisi Synodales; cum istis enim satisfacit Episcopus officio suo, &
112. obligationi prouidendi de Parocho idoneo. Alij autem non Synodales non prosunt, & obesse possunt. Et sic cum præscripserit formam substantialem examinis cum examinatoribus Synodalibus, omnes non Synodales vt superfluos, & inutiles excluſit. Et ita etiam si admittantur tanquam exploratores idoneitatis examinandorum vitiant totum actum, nam in indiuiduis, qualis est idoneitas *vtile per inutile vitiatur*, vt determinat Rota apud Farinacium *tom. 2. decis. 552. num. 10.* Et est certum in iure. Quare nec Episcopus ad maiorem cautelam potest vltra Syno-
113. dales alium non Synodalem inducere, quia cautelæ modum sufficientem, & requisitum posuit Concilium in Synodalibus examinatoribus. Quare non est cautela prudens si extra Synodales diuagetur, & iure optimo possunt conqueri examinandi. Quare præter citatos Authores pro prima sententia eam tenent Ferentil. *in Annotation. ad decis. 479.* Burat. *littera A.* & Sacra Congregatio authentice iuxta formam Vrbani VIII. declarauit *in vna Messanens. 15. Decembr. 1629. coram Cardinali Virili, & in alia coram eodem. 25. Iunij 1629.*

114. Quod si non sint Beneficia curata habentia iurisdictionem ordinariam, sed sint ad nutum Episcopi amobilia, vt sunt fere omnia curam animarum habentia in Diœcesi Hispalensi, potest ordinarius admittere ad examen illos qui examinatores Synodales non sunt. Quia ad horum prouisionem non habent votum decisiuum Examinatores etiam Synodales sed solum consultiuum. Et de his Beneficiis non loquitur Tridentinum, quamuis ad illorum prouisionem requiratur examen, vt infra dicam, dum de aliis Beneficiis loquar.

Resolvtio X.

Vtrùm examen sit substantialis forma in prouisione Parochialis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

115 *Examen factum à tribus examinatoribus Synodalibus coram Episcopo, vel eius Vicario in concursu ad quem sint vocati oppositores per edictum est forma substantialis respectu prouisionis facienda de Ecclesia Parochiali iurisdictionem ordinariam habente, & num. seqq.*

115. OMnino certum est examen factum à tribus examinatoribus Synodalibus coram Episcopo, vel eius Vicario in concursu ad quem sint vocati oppositores per edictum esse formam substantialem respectu prouisionis faciendæ de Ecclesia Parochiali iurisdictionem ordinariam habentem. Quam formam induxit Tridentinum *c. 18. citato.* Et in ea explicanda, & enucleanda totum fermè caput consumit, modumque ipsum eligendi, formam electionis appellat *in fine Capitis*, adeo quod sinè examine hoc ea forma qua disponitur, electio nulla sit, vt decreuit Pius V. *in Bulla* 116.
quæ incipit, in conferendis, ibi, *collationes, prouisiones, & quasuis deputationes Parochialium Ecclesiarum ab Episcopis, & à quibusuis aliis collatoribus tam Ordinariis, quam delegatis, & S.R.E. Cardinalibus, & Sedis Apostolicæ delegatis, vel Nuntiis prater, & contra formam Concilij Tridentini traditam, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas, & nullius valoris vel momenti fore, & esse, nullumque ipsis ius, aut titulum, etiam coloratum, possidendi prabere volumus*, &c. Et sic earum, tanquam vacantium (si sine examine in concursu facta sit prouisio) 117.
collationem, & prouisionem reseruat Sedi dumtaxat Apostolicæ. Quæ Bulla recepta est, & iure optimo, quod præterquam quod iustissimum est, maximè expedit eius determinatio ad bonam gubernationem, & vt sint Ministri idonei, qui oues instruere, & à lupis defendere, scientia, doctrina, & prudentia valeant.

Forma huius examinis seruari non debet, vt ipsum Trident. explicat in fine cap. 18. quando *Parochiales adeo exigui redditus sunt vt totius huius examinis operam non ferant.* Secundò, quando 118.
nullus est qui se examini quarat subiicere. Tertiò. *ob apertas factiones, seu dissidia quæ in aliquibus locis reperiuntur facilè graviores tumultus possint excitari. Quare Ordinarius cum Deputatorum consilio, si ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa* (scilicet concursus per edictum) *priuatum aliud examen, cæteris tamen vt supra* (scilicet quod fiat à tribus examinatoribus Synodalibus) *seruatis adhibere.* Et concludit Caput Sancta Synodus: *licebit Synodo Prouinciali, si quæ in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendave esse censuerit prouidere.* Quæ 119.
potestas priuatiuè ad Ordinarium, & Capitulum datur soli Synodo, nam si cumulatiuè concessa esset, quilibet Ordinarius adderet, vel remitteret de forma examinis præscripta.

Ex quibus fit quod si Capitulum Ecclesiæ, aut 120.
inferiores prouisores prouident Parochiam sine examine facto ab examinatoribus Synodalibus, aut sine concursu, Episcopus debet facere concursum, iuxta formam Tridentinam, & mittere approbatum Romam, vt ibi fiat collatio. Similiter si facto concursu nullus appareat idoneus prouideatur Ecclesia, tamen præuio examine, quando in aliqua Diœcesi est immemorialis consuetudo quod Parochi optent Parochias tunc vacantis non est necessarius concursus, est tamen necessarium examen factum ab examinatoribus Synodalibus.

Ita Bellarminus *in declarationibus ad præfat. cap.*

§. I.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An electus sine examine teneatur non acceptare Parochialem?

SVMMARIVM.

121 *An Parochus electus, sine examine ab examinatoribus Synodalibus facto in concursu teneatur in foro conscientiæ non acceptare Beneficium, & illud non retinere ante sententiam declaratoriam.*
122 *Ratio dubitandi.*
126 *Iudicium Auctoris, & n. seqq.*
130 *Respondetur ad rationem dubitandi.*

121. SEd modo restant aliquæ difficultates scitu dignæ in hac resolutione. Primò, an Parochus electus sine examine, ab examinatoribus Synodalibus facto in concursu teneatur in foro conscientiæ non acceptare Beneficium, & illud non
122. retinere ante sententiam declaratoriam. Ratio dubitandi est, quia quando aliqua lex ciuilis, aut Ecclesiastica irritat actus, si non fiant tali, vel tali forma, non illico est nullus in foro conscientiæ, durum enim est quod si quis rem habeat ab eo qui alias poterat illam tradere, cogatur spontè eam cedere, quia non illis circunstantiis est tradita, sine quibus lex humana irritam reddit collationem. Vt enim ait Bañez 2. 2. *quæst.* 62. *disp.* 3. *& 5. pag. mihi* 100. leges positiuæ tam Ecclesiasticæ, quam ciuiles, quæ irritos faciunt contractus minus solemnes, prædicta moderatione sunt temperandæ, & intelligendæ, vt nemo teneatur rem quam sic habet ante sententiam declaratoriam dimittere.
123. Ita tenent ipse Bañez secutus Adrianum *quodlib.* 6. *art.* 1. *illatione* 1. Sylvestrum *verbo Testamentum* 1. *quæst.* 5. *§. quartum. & verbo hæreditas* 3. *quæst.* 7. Tabiena *verbo hæres num.* 4. Medinam *de restitut. q.* 23. Sotus *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 3. Molinam *de iustit. tract.* 1. *disp* 81. & dicit probabile Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 34. Panormitanus *in c. quia plerique de immunitate Ecclesiar.* quem sequitur Rebuffus *in proœmio const. regul. glossa* 1. *num.* 44. dicit, *licet contractus sit nullus, tamen*
124. *rectè potest retineri res in conscientia, donec declaretur nullus*: ergo etiam si prouisio Beneficij sine examine, &c. sit nulla, poterit retineri in conscientia, donec declaretur nulla. Licet ex dispositione Pij Quinti dicat quod ex tali prouisione nullum acquiri titulum, etiam coloratum possidendi, & prouisionem nullius valoris, & momenti esse, potest intelligi quantum ad titulum firmum, & irreuocabilem; non tamen quantum ad debilem, & reuocabilem per sententiam declaratoriam, qua retrotrahitur nullitas vsque ad diem prouisionis, tenebiturque restituere omnes
125. fructus. Confirmatur, quia lex ista Pij V. irritans prouisiones huiusmodi, non videtur purè moralis, & directiua, sed purè pœnalis, aut mixta, quæ non obligat in conscientia ad relinquendum id quod datum est, vel à se abiicere.

At nihilominus contrarium mihi est omnino certum, quod iste cui facta est prouisio Parochialis Ecclesiæ sine examine, &c. non potest in conscientia illam acceptare, & retinere. Ita tenet
226. Barbosa *in Collectan. DD. ad præfat. cap.* 18. *concil. num.* 173. Probatur primò. Quia hæc constitutio irritans non est pœnalis, aut mixta, sed præceptiua, directiua, & declaratiua Concilij in ordine ad rectam prouisionem Ecclesiarum Parochialium in qua, vt fundamento nititur præcipuum Ecclesiæ regimen. Quare forma præscripta à Concilio, & Pio V. ita substantialis est vt nullo modo in electo sine illa subsistat prouisio, illeque nullum dominium, etiam debile acquirat; non enim hæc constitutio fundatur in præsumptione, sed in morali ratione, qua illa irritatio prouisionis iudicatur conueniens ad bonum commune.

Secundò, Quia quando lex irritans est præceptiua, & directiua obligat in conscientia ante sententiam, etiam declaratoriam nullitatis, vt hæres ex testamento minus solemni in conscientia ante sententiam teneatur restituere hæreditatem legitimo hæredi. Ita Lessius *de iustit. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 3. *num.* 35. *&* 36. Salas *de legib. disp.* 16. *sect.* 7. *&* 9. *num.* 40. Lorca *disp.* 21. Suarez *de legibus lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 6. *in fine.* Parladorus *Quotidianar. differ.* 12. *illation.* 2. §. 2. *num.* 2. Nauarra *de Restit. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 350. addens hoc esse intelligendum de testamento ad causas pias, quod valet in conscientia, etiam si sit minus solemne. Salon. 2. 2. *q.* 5. *de Dominio art.* 7. Bonacina *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 9. §. 5. *num.* 14. Granado *controu.* 7 *de legib. tract.* 3. *p.* 1. *disp.* 10. *sect. vlt. num.* 16. *&* 17. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *dis.* 2. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 133. *&* 134. Garcia *p.* 9. *de Benefic. cap.* 1. *num.* Couarruu. *ad Reg. Peccatum p.* 2. §. 3. *n.* 9. Molina *tract.* 2. *disp.* 81. & innumeri alij quos citant isti: ergo multo magis in præsenti casu, in quo etsi aliis rebus ciuilibus verum non teneret hæc sententia, at verissima est, itaut contrarium
129. mihi sit improbabile in promissione Parrochialis. Cum vero Pontifices satis declarent Concilij mentem fuisse quod sic prouisus nullum acquirat dominium cum titulum, etiam coloratum excludat possidendi, cumque dubitari non liceat legislatorem posse talem irritationem inducere, quod quis teneatur in conscientia non acceptare, non est etiam dubitandum ita voluisse Pium Quintum.

Respondetur ad fundamentum, & rationem
130. dubitandi. Quod sic obligare eum qui accipit Beneficium Parrochiale sine forma à Concilio inducta durum non est, sed valde rationi consentaneum, & bono communi Ecclesiæ expediens. Quare constitutio Apostolica sine moderatione est intelligenda, & sic est intellecta, & vsu recepta. Vnde Bañez in illa *disput.* 3. excipit à doctrina sua generali electiones, & prouisiones Prælatorum quæ si non fiant secundum formam substantialem præscriptam nullæ sunt, etiam ante
131. sententiam propter rei momentum, & inconuenientia grauissima quæ ex contrario sequi possunt. Quare ex prouisione Parrochialis sine forma Concilij nullum acquiritur dominium, etiam debile. Ad confirmationem iam dixi legem istam esse pure moralem, & præceptiuam.

§. II.

DIFFICVLTAS II.

An si sit notorium quod quis sit idoneus, sit examinandus à Synodalibus?

SVMMARIVM.

132 *An si sit notorium quòd aliquis est idoneus scientia, ætate, prudentia, & moribus, cæterisque requisitis, cum illo sit necessariò obseruanda forma examinis à Tridentino inducta respectu Ecclesiæ Parochialis.*

133 *Ratio dubitandi.*

Prima sententia adducitur ibid. & probatur num. seqq.

140 *Sententia Auctoris, Necessariò esse Doctorum examen faciendum ab examinatoribus Synodalibus, quamuis ipsis, & omnibus notoria sit idoneitas illorum & n. seqq.*

132. SEcunda difficultas, An si sit notorium quod aliquis est idoneus scientia, ætate, prudentia, & moribus, cæterisque requisitis, cum illo sit necessario obseruanda forma examinis à Tridentino inducta respectu Ecclesiæ Parochialis. Ratio dubitandi est non inefficax, quia Concilium Trident. *sess. 23. cap. 15. determinat quod nullus possit confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Ex quo decreto colligunt omnes Doctores nullas esse con-

133. fessiones, sine ista approbatione factas. Et tamen multi, & graues Doctores sentiunt quod Doctores Laureati, Lectores, Licentiati in Sacra Theologia, vel iure Canonico, famosique Prædicatores, de quorum scientia constat per publicam famæ euidentiam, non indigent Episcopi examine & approbatione. Ita senserunt multi, & graues Doctores Salmanticenses, quorum nomina refert Henriquez, *lib. 3. de Pœnit. cap. 6. num. 2. littera O.* isti enim reputantur ipso iure idonei, cum ab Vniuersitate nomine Summi Pontificis fuerint in scientia approbati, & sic superflua est Episcopi approbatio, aut examen.

134. Vnde Corduba *in Summ. casu* 10. Guttierez *lib. 1. Canonicar. cap. 6. num. 9.* Rodriguez *in explication. Bull. §. 9. num. 4.* Menochius *lib. 2. cent. 5. casu* 465. Palatios *in 4. dist. 17. q. 7.* & alij dicunt quod huiusmodi homines insignes tenentur se præsentare Episcopo, licentiam, & approbationem ab illis petere, alias non sunt idonei, cum idoneitas ad minus Confessoris ex pluribus aliis constet, scilicet de bona vita, & moribus, prudentia, zelo, &c. non tamen potest Episcopus illos examinare, quia, ait Fagundez *in 2. Præcept. Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 79.* Pius V. *in Motu proprio edito anno 1671. die 22. August.* ita declarauit

135. de Magistris Regularibus. Quod etiam tenet in sæcularibus, *quorum enim notoria sufficientia est, periculum examinis subire non debent*, ait Pius V. (& si ita esset satis pie diceret Fagundez) ergo pari modo quamuis requiratur examen in concursu de moribus, & vita, non tamen de scientia, quia ista ex vi gradus publice, & iuridice approbata est sufficiens, maxime si testimonium est alicuius vniuersitatis insignis. Et de moribus, & vita interrogatur ipse oppositor: ergo sine examine potest conferri illi Parochialis, præcipue si 136.
etiam examinatoribus Synodalibus sit notoria examinandi scientia, vt sit publicus Cathedraticus, & forsan Magister ipsorum Examinatorum.

Secundò. Quia si aliquis sit consecutus in Romana Curia Parochialem, cuius Bullæ sunt expeditæ in forma, *dignum*, si examinatores Synodales certam notorietatem habuerint de scientia, & moribus examinandi, non est necessarium examen, nisi ad cautelam, & sine illo erit valida collatio, vt tenet Cardinalis *in Clement. 1. n. 11. de* 137.
concessione Prabendæ, Paulus, & Felinus, quos citat Garcia *part. 6. cap. 2. numer. 264.* Sanchez *de Matrimon. lib. 8. disput. 17. num. 12.* & *disput. 34. num. 24. & disp. 35. num. 16.* Castro Palao *tract. 13. disput. 2. punct. 31. §. 3. num. 4.* quia in manifestis non est opus examinatione *Cap. Manifestis 2. q. 1.* tenet Glossa *in cap. qui examinatione. verbo Sine. 81. distinct.* & non est credendum Pontificem, aut 138.
Concilium velle fieri actum inutilem. Et sic cum præcipit quod fiat examen est quando non est publice notoria dignitas, & idoneitas examinandi: ergo etiam quando fit in concursu non est necessarium examen Doctoris, &c. Probatur consequentia, quia in vtroque casu præscribitur forma; etenim examen concursus tendit ad cognoscendam idoneitatem, sicut & examen præceptum in prouisionibus Apostolicis, & sicut istud super- 139.
fluit quando est notoria scientia, &c. Ita & illud.

Sed his non obstantibus dicendum est necessa- 140.
rio esse horum insignium Doctorum examen faciendum ab examinatoribus Synodalibus, quamuis ipsis, & omnibus notoria sit idoneitas illorũ. Ita tenent Barbos. *de potest Episc. alleg. 60. n. 86.* Zerola *in praxi verbo Doctor. §. 1.* Lessius *de iust. cap. 34. n. 82.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. Glossa 4. n. 90.* Garcia *de benef. vbi sup. & p. 9. c. 2. n. 103.* Castro Palao *vbi supr. disp. 3. punct. 2. §. 4. num. 10.* qui plures citant, & est decisum in multis decisionibus Rotæ *in vna Calaguritana Beneficij de Ornillos 12. Octobr. 1587. coram Illustrissimo Pamphilio.* Et *in alia Parochialis Asturicen. 11. Maij 1587. coram D. Gyptio.* Et *in vna Regien. Prioratus. 24. Decembr. 1587. coram D. Pamphilio*, ibi, *Notitia præsentati licet alias sufficiat, non tamen sufficit vbi examinatio est necessaria omnino, vt in Parochiali, & vbi datur concursus præsentatorum*, &c. Quod etiam tenet verum etiam si prouisus sit auditor Rotæ Romanæ, 141.
qui propter scientiam eminentem quæ præsumitur haberi, tot habet priuilegia quæ enumerat Ludouicus Sarauia *tract. de adiunct. dicens quæst. 35. §. 6. Huius auditorij tanta est iurisperitia, tam insigne iudicium, adeoque publica authoritas, incredibilisque grauitas, vt quod in controuersijs decidit, tanquam ex Oraculo dictum in omne æuum credatur.* Quare huiusmodi auditoribus decem 142.
& septem priuilegia singularissima concesserunt Summi Pontifices, quæ enumerat paragrapho 7.

Et ratio est, quia examen est forma substantialis introducta à Tridentino ad prouisionem Parochialis in concursu facienda, cuius omissio irritat: ergo quantumcumque sit notoria idoneitas oppositoris, aut præsentati omitti non potest 143.
examen. Legatur Thom. Sanchez *disp. 24. citat. num. 26.* quod non currit in aliis Beneficiis non

Parochialibus, in quibus præsentatus, vel electus ad illa, si iste talis est notus Episcopo, aut eius idoneitas notoria potest absens instituì, etiam non examinatus. Ita Glossa *in cap. de Petro distinct.47. verbo ignota.* Saa emendatus *verbo examen num. vnico.*

144. Henriquez *lib.20. cap.18. num.1.* Ratio est contra Garciam *lib.9. cap.3. num.5. &* 14. quia licet Trident. *sess.7. cap.13.* requirat examen pro omnibus Beneficiis, tamen in solis Parochialibus ipsum posuit pro forma, (vt multi tenent, de quo infra resolut·····) *cap.18. sess.24.* & sic alia Beneficia siue cum residentia, siue sine illa possunt conferri alicui personæ insigni sine examine, & sic seruat stylus curiæ; imo Episcopatus in Hispania sine examine conferuntur, quia vel Pontifex dispensat, vel sic est introductum, quia

145. Concilium solum loquitur de Parochialibus, non de Cathedralibus, & forma non est extendenda vltra suam materiam, pro qua inducta fuit. Et in aliis Beneficiis optimè probat secunda ratio proposita dubitandi.

Ad primam rationem dubitandi respondetur primò. Quod examen ad audiendas confessiones non est forma substantialis, quia sine illo potest

146. Episcopus licentiam dare, vt quotidie fit, sicut est in prouisione Parochialis, vt vidimus. Respondetur secundò, quod vtraque illa opinio hodie est practice improbabilis, cum praxis totius ferme Eccleſiæ vbi Concilium est receptum, sit in contrarium. Falso etiam Fagundez adducit Motum proprium Pij V. in quo est decisum oppositum; postquam enim Summus Pontifex dixit quod Episcopus faciat obseruare Decretum Tri-

147. dent. etiam in omnibus Regularibus, addit: *etiam si sint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum suorum licentia graduati, vel promoti vel à suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus Ministris, secularium Confessionibus audiendis propositi. Volumus tamen eos qui semel ab Episcopo in ciuitate, vel Diœcesi suis præuio examine approbati fuerint ab eodem Episcopo iterum non examinari, &c.* quæ retuli quia Fagundez Bullam non vidit, verum est quod in alio motu proprio eiusdem Pontificis edito anno 1566. id dixerit Pius V. illum derogauit motu proprio citato à Fagundez.

Ad secundum respondetur cum Garzia *ibidem citato*, quod in illa specie etiam debet fieri examen, sed modicum, & pro forma, vt scilicet forma obseruetur. Et quidem illa verba continere formam, & non solum monitionem, & præ-

148. ceptum, ita certum putat Sanchez *lib.8. disput.34. num.16.* contra Lappum *allegat.15. num.7.* vt cum Mendozio contrarium iudicet improbabile, quia si continet formam, etiam si executor antea, vt particularis persona nouerit prouisi idoneitatem, aut veritatem supplicationis, tenetur examen facere aliquod, alias prouisio nulla erit.

149. Ea autem quæ adducuntur in contrarium nullius sunt ponderis, nam respondetur ad primum quod in manifestis non requiritur examen, quando istud non ponitur pro forma. Tum etiam, quia examen non solum est de scientia, sed de vita, & moribus quæ non semper sunt ita notoria. Ad secundum respondetur quod examen de persona notorie idonea non est inutilis actus, sed

150. valde vtilis, sicut examen quod requiritur in aliquo Doctore insigni, vel magistro, vt possit excipere confessiones fidelium non est actus inutilis vt declarauit Pius V. *in Motu proprio citato*, in quo præcipit examinari Magistros in Theologia: vtilitas autem ista magni ponderis est, ne aperiatur porta ad prouisiones huiusmodi Parochialium sine examine, & sic est vsu receptum in Ecclesia.

Resolvtio XI.

Vtrum in aliquo alio casu possit Parochialis sine examine Synodalium conferri.

Svmmarivm.

151 *Nullum examen requisitum vigore Concilij Tridentini fieri potest nisi ab Examinatoribus Synodalibus. & num. seqq.*

155 *Hoc tenet verum etiam si aliquis sit præsentatus à Patronis laicis ad Ecclesiam Parochialem, de iure patronatus laicorum.*

156 *Duplex Examinatorum Synodalium examen; vnum simplex: Alterum per concursum. & n. 157.*

158 *Quomodo fiat iste concursus. & n. seqq.*

176 *Respondetur ad dubium propositum in titulo, & n. seqq.*

NVllum examen requisitum vigore Concilij Trident. tam *sess.7. cap.13.* quam *sess.25. cap.9.* quam *sess.24. cap.18.* fieri potest nisi ab examinatoribus Synodalibus; isti enim sunt iudices electi ad iudicandum de idoneitate prouidendorum in quibusuis Beneficiis in quibus examen exigitur. Vnde Sancta Synodus dicit *cap.9. citato: Ab Episcopo iuxta alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur.* Vnde Congregatio ad præfatum cap. declarauit. Dixi examen requisitum vigore Trident. nam Episcopus cui commissum est examen per litteras Apostolicas alicui-

152. ius qui beneficium simplex obtinuit poterit illud delegare non obstante quod fuerit in litteris eius conscientia onerata. Ita Barbosa ex Sacra Congregat. ad præfat. *cap.13. sess.7.* in qua specie Episcopus poterit examen delegare non examinatori Synodali de quo habeat bonum testimonium de scientia, & prudentia. Examen autem requisitum à Concilio in præfato cap. esse de forma docet Barbosa *ad cap.13. sess.7. num.3.* ex pluribus decisionibus Rottæ; sed si sit Beneficium

153. simplex, & nullo modo curam animarum habens, existimo non esse de forma substantiali quia Concilium nullam clausulam irritantem posuit sicut fecit in Beneficiis curatis *sess.24. cap.18. circa finem*, & Pius V. *in sua Bulla supra citata.* Quare solum fuit lex præceptiua, non irritans aliter factum. Et non ex eo quod lex prohibeat aliquid, eo ipso si contra legem fiat, nullum fit,

154. vt est communis sententia Doctorum; Concilium enim præcipit quod Matrimonium celebretur præcedentibus denuntiationibus, & tamen etsi istæ non præcedant, si fiat coram Parocho, & testibus validè celebratur.

Quod tenet verum etiam si aliquis sit præsentatus à Patronis laïcis ad Ecclesiam Parochialem de iure patronatus laicorum, iste enim ab examinatoribus Synodalibus debet examinari. Ita expresè Trident. *cap.18. citato vers. ab eisdem deputatis vt suprà examinari.* Et sic declarauit Sacra Congregatio, teste Bellarmino *in obseruat. doctrina lit. O.* Et sic non est admittendus Aldana *citatus,*

tatus, & secutus à Barbosa *in Collectan.num.*164. Nec obstat quod dicat Aldana decissum fuisse *die* 19.*Decembr.*1620. sufficere quod examinetur iste à non Synodalibus, quia intelligitur in defectu Synodalium.

156. Igitur vt ad Dubium accedamus, vt colligitur ex Trident. *locis citat.* duplex est examinatorum Synodalium examen. Vnum simplex quod fit sine vocatione per edictum ad valuas Ecclesiæ positum, quo conuocentur oppositores, sed solum fit examen de scientia, moribus, & vita habituri Beneficium. Alterum fit per concursum, vel nominando aliquos idoneos coram examinatoribus
157. Synodalibus ad regendam Ecclesiam, quæ nominatio fiet ab Episcopo, vel ab aliis qui aliquos ad id aptos inuenerint, vel ab Episcopo, iuxta morem Prouinciæ conuocatis per edictum factum oppositoribus, vt ad examen publicum veniant.
158. Ita ex Trident. *sess.*24. *cap.*18.§.*Porro.* Vnde fit quod propriè concursus iste fit aut nominatis pluribus examinandis, aut per edictum vocatis iuxta morem, & consuetudinem cuiuscumque Diœcesis, quem Episcopus non poterit inuertere. Quod si sit consuetudo quod concursus iste fiat per Edictum est de substantia, & forma concursus, quidquid dicant Nauarrus *consil.*4. *de Præbendis*, & Castro Palao *tract.*13.*de Beneficiis disp.*3.*punct.*2. §.1.*num.*6. Garcia *p.*9.*cap.*2.*num.*36. Contrarium enim verum est, & Concilio conformius, dicit enim quod conuocatio, & concursus oppositorum,
159. si Episcopo, aut Synodo videbitur pro regionis more per edictum fiat si est mos, & consuetudo quod Edicto conuocentur, & sit concursus, sitque sic statutum in Synodo, nullatenus aliter factus valebit, cum possit in damnum aliquorum cedere, qui iuste conqueri possent, & sic de concursus substantia est Edictum. Ita Zerola *in Prax. verbo Parochia dub.*2. Lælius Zechius *de Repub. Eccles.cap* 28.*num.*6. Barbosa alios citans, *de potest.Episcop.allegat.*60.*num.*43. *& in Collectan.ad Trident sess.*24. *cap.*18. *num.*70. *&* 71. quare ex omissione edicti nulla fit collatio ex Trident.
160. *ibidem* & Bulla Pij Quinti citata. Quod Edictum poni debet ab Episcopo in cuius Diœcesi est Beneficium situm, quamuis ab alio sit conferendum, ibidemque faciendum examen vt refert Gonzales *ad Reg.*8.*glos.*10. *num.*31. esse decisum etiam si sit Patriarcha cui competit collatio Beneficij, etiam si sit Summus Pontifex, vt dicit Pius Quintus in præcitata Bulla. Quod etiam tenet verum etiam si sit Parochialis reseruata, vel effecta ge-
161. neraliter ad Sedem Apostolicam, vel specialiter vigore indulti, seu priuilegij in fauorem S.R.E. Cardinalium, Abbatum, etiam per obitum, seu resignationem simpliciter factam in Curia Romana, seu quocumque alio modo vacauerit. Ita Concilium *ibidem* explicant Silua *de Benefic.p.*3.*q.*33. *num.*3. Zerola *vbi sup.dub.*4.

162. Hoc autem edictum publicari debet à solo Episcopo, cui arbitrarium erit tempus illius designare, dummodo non excedat tempus viginti dierum; si enim decem dierum spatium designaret, potest alios decem prorogare. Quod si in primis decem diebus solus vnus qui dignus sit compareat, non tenetur Episcopus prorogare, sed satisfaciet si illi Beneficium conferatur. Ita Palao *vbi sup. num.*7. ex Garcia *p.*9. *cap.*2.*n.*218. Imò si transacto termino primo decem dierum tenetur Episcopus in conscientia illi Beneficium conferre, nec potest prorogari, cum hæc prorogatio sit in damnum tertij. Quod si non est transactus, etiamsi vnum horæ quadrans deficiat, potest illud ad alios decem dies prorogari. Ita Pius 163.
Quintus in sua Bulla, & id determinauit Sacra Congregatio, vt refert Barbosa *allegat. citat. numero* 51.

Existimo etiam contra Palao *num.* 9. quod si Episcopus edictum proroget vltra viginti dies præfixos à Pio V. ita annullari concursum quod prouisiones in illo factæ irritæ sint. Ratio quæ me mouet ea est, quia concursus in prouisione Parochiali vniuersaliter loquendo est forma substantialis, cui Concilium Tridentinum præfixit 164.
tempus Episcopo decem dierum, vel aliud ab ipso præscribendum. Pius autem Quintus ne tempus hoc indefinitum nimium prorogaretur explicuit, & determinauit ad alios decem dies: ergo sicut primi decem erant de forma substantiali, ita & alij decem taxatiuè: ergo si vltra illos prorogatur dubio procul concursus annullatur, saltem quoad prorogationem, ita quod qui venerint post viginti dies, etiam si subscribant, si eligantur, nulla est electio, quia edicti indebita extensio est euersio partis substantialis formæ.

Negari enim nequit quod Edicti tempus deter- 165.
minatum, sit de substantia prouisionis. Quam temporis determinationem assignauit Pontifex. Et sic hæc determinatio, & taxatio ad substantiam pertinet, & sic non reliquit in Episcopo potestatem illam immutandi, sicut reliquit Concilium, non enim determinauit Pontifex solum vsum potestatis, sed abstulit potestatem prorogandi vltra viginti dies, quia prohibitio illa Pij Quinti fuit potestatis ablatio ne Ordinarius va- 166.
lidè posset, vltra sex menses, & amplius edictum prorogare, ex quo plures sequerentur abusus, & innumera inconuenientia, quibus obuiatur si tempus præfixum, sit de substantia concursus. Ita Garcia, *vbi supr. num.*49. Massobr. *in prax. requisit.*3.*dub.*9. Quod tempus intelligitur taxatum ad hoc quod oppositores per se, aut per Procuratorem subscribant in oppositione. Quod si aliquis illorum dicat se impedimento legitimo detineri, potest Episcopus tempus examinis prorogare, non tamen tempus edicti. Ita Garcia *n.* 215. & Massobr. *dub.*7.

Si tamen, quia examen non est finitum omnium 167.
oppositorum aduenial alius, potest dubitari an possit admitti oppositor ad Beneficium? Negant Seraphinus *decis.* 1148. *in vna Parochian. Toletan. die* 3. *Iulij* 1595. Riccius *in praxi resol.* 364. *num.* 2. Nouarinus *in singular. Canon. iuris singular.* 82. *num.*4. Barbosa *de Officio Paroch. cap.*2. *num.* 43. *& in Collectan. ad Concil. num.* 79. vbi dicit ita fuisse decisum *die* 7. *Iulij anno* 1625. à Sacra Congregatione, etsi hoc sit speculatiuè probabile. Sed contrarium hodie est in praxi etiam si alij qui comparuerunt contradicant. Ita
Gonzalez *ad reg.*8.*glos.*9. §.1. *num.* 115. Garcia 168.
*p.*9. *cap.*2. *num.* 206. Barbosa sibi contrarius, vel oblitus *alleg.*60. *citata num.* 46. dicens sic esse decisum *in vna Calaguritana* 22. *Aprilis* 1602. *coram Otembergo & in alia Barchinon.* 15. *Ianuar.* 1625. dictum fuit quod oppositio fiat in tempore præscripto ab edicto, vel illo transacto, dummodo non sit finitum examen, facta enim ab examinatoribus informatio examinandorum parum, aut non considerabile ius tribuit oppositoribus ad rem. Et ratio est, qui a concursus fit in vtili- 169.
tatem Ecclesiæ, vt magis idoneus eligatur: ergo

durante

durante examine, & re adhuc integra, ſi aduenial alius oppoſitor tenetur Epiſcopus illum admittere, maximè ſi ſit homo prudentia, & ſcientia publica notus; magis enim ponderat vtilitas Eccleſiæ, quam paruum illud ius quod acquiſierunt cæteri oppoſitores. Quare iure optimo ſic decidit Sacra Congregatio, teſte Gonzalez, & tenet Palao, *vbi ſup.* §. 2. *num.* 2. vbi benedicit quod ex iuris rigore id fieri non poſſet, ſed fit ex
170. conſuetudine in prouiſione Parochialium, in qua intelligitur ſemper hæc conditio, niſi ante finitum examen alius oppoſitor appareat.

Sed an ſi examen fiat ante finitum terminum edicti nullum ſit, nullaque prouiſio facta, negant Barboſa, *vbi ſupr. verſ. quemadmodum.* Garcia *cap.* 2. *citato num.* 326. & tenent Rota *in vna Parrochial. 9. Decembr.* 1588. Lambertinus *de iure patronat. 2. p. lib. 2. q. 6. num.* 25. ſi nullus alius
171. oppoſitor appareat. Sicut tenet prouiſio facta ab Epiſcopo, ſpreto Patrono laico, ſi intra tempus ſibi conceſſum ad præſtandum non reclamauerit.

Affirmat Caſtro Palao *vbi ſup.* §. 4. tum, quia electiones factæ ante terminum præfixum in edicto omnino nullæ ſunt *cap. fin. de elect in 6.* Tum, quia Concilium dicit *quod tranſacto tempore omnes qui deſcripti ſunt examinentur.* Quæ verba in iis quæ de iure non inſunt inducunt formam, vt
172. latè Thomas Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſput.* 5. *num.* 2. Pius autem Quintus annullat omnes prouiſiones factas contra hanc formam inductam à Tridentino. Deinde rationem tradit Rota apud Seraphinum *in deciſ. citata n.* 5. ne per præuentionem vnius, alij qui ſe volunt opponere ſupplententur, & Eccleſia detrimentum patiatur carens miniſtris dignioribus.

173. Sed ego exiſtimo quod examen factum ante finitum tempus edicti validum ſit, ita vt non indigeat oppoſitor iterum examinari; atque ita ſi finito termino alius non compareat poteſt Epiſcopus illi conferre Beneficium, quia quod examen fiat ante, vel poſt finitum tempus præfixum edicto nihil conducit aut parum vtilitatis Eccleſiæ, dummodo examinatus inueniatur idoneus, & ſic eſt vera prima opinio. *Sic fuit reſolutum in vna Carthaginen. Parochialis coram Orano 9. Decembr.* 1588. Nec obſtat quod Concilium dicat
174. *tranſacto tempore*, &c. quia in hoc non conſtituit formam ſubſtantialem ſed accidentalem, dummodo prouiſio non fiat ante tranſactum tempus, ſicut factum fuit in illa Toletana, de qua Seraphinus, & ſic declaratur nulla electio, & prouiſio.

Exiſtimo ſecundò, quod ſi prouiſio facta ſit ante præfixum terminum in edicto, prouiſio ipſo facto nulla eſt, vt manifeſtè probat ſecunda opinio, quia terminus præfixus eſt de ſubſtantiali forma prouiſionis Parochialis, vt declarat Pius
175. Quintus in ſua conſtitutione. Nec obſtat quod adducitur de prouiſione facta ab Epiſcopo, Patrono non reclamante, quia iſte potuit cedere iuri quod ſtatuit in fauorem ipſius annullandam eſſe electionem factam ab Epiſcopo.

Modo reſpondeo ad dubium propoſitum in titulo, quod Parochialis vacans in Curia in manibus Pontificis in fauorem alterius non debet fie-
176. ri concurſus ad eius prouiſionem, ſed ſufficit examen ſimplex factum ab examinatoribus Synodalibus. Ita declarauit Sacra Congregatio *apud Bellarminum, & Barboſam* tenent Flaminius *de reſignat. lib. 1. quæſt. 7. num.* 7. Guttierez *lib. 2. Canonicar. cap.* 11. *num.* 11. Zerola *verb. Parochia* §. 2. *dub.* 5. Leſſius 2. *de iuſtitia cap.* 34. *num.* 84. Gonzalez *ad reg.* 8. *gloſſ.* 6. *num.* 122. Palao *vbi ſup.* §. 5. *num.* 4. quod tenet verum etiam ſi reſignatarius ſit abſens à curia, dummodo ſit ido-
neus declaratus ab examinatoribus Synodalibus. 177.
Ratio eſt quam tradit *Clementina de rer. permut.* quia quod in fauorem vnius reſignatur, cuius reſignatio acceptatur à Pontifice non debet alteri conferri, & ſic concurſus non eſt neceſſarius, in quo tantum datur Beneficium digniori. Quod ſi *Bulla* 42. *Pij Quinti* in qua prohibet reſignationem fieri Parochialium in manibus Ordinarij, niſi cum certis conditionibus, quas poſuit Bulla 58. non ſit alicubi recepta, & reſignatio fiat in fauorem, non eſt neceſſarius concurſus, ſed ſufficit examen ſimplex. Ita declarauit Congregatio apud Zerolam, *vbi ſup. dub.* 6. ſicut etiam decla- 178.
rauit quod ſi prouiſio fiat in aliquo familiari Papæ, qui de gratia ipſius Romæ approbatus, & examinatus fuit nullum examen requiritur, in partibus vbi ſita eſt Parochialis.

Sunt etiam plures aliæ exceptiones à regula generali Concilij quod prouiſio Parochialis fiat per concurſum, à qua ſunt exceptæ Eccleſiæ Pa- 179.
rochiales iuris Patronatus laicorum, quando vnus ſolum præſentatur, aut eius præſentatio omnibus aliis præfertur, ſi tamen plures præſententur, per concurſum facienda eſt prouiſio. Si tamen iuris ſit patronatus mixti laicalis, & Eccleſiaſtici, & laicalis præualet, difficultas eſt an prouiſio fieri debeat per concurſum, an ſufficiat ſimplex examen. Palao videtur inclinare quod ſufficiat ſimplex, nam ſi laicalis præualet, ab eo præſentatus, ſi idoneus ſit repertus, neceſſario eſt inſtituendus, nam eſt mos Eccleſiæ Patronis 180.
laicis fauere, quia hac via ad fundandas Eccleſias excitantur. Et in hoc fundatur Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. dicens: *quod ſi ius patronatus laicorum fuerit, debet admitti præſentatus, ſi idoneus ſit repertus per examen ſimplex.* Quod ſi Patronus indignum ſcienter præſentauerit priuatur illa vice iure præſentandi, & per concurſum facienda eſt prouiſio. Lambertinus *de iure patronat. lib.* 2. *q.* 18. *art.* 4. apud Bellarm. *ibi ſuper Concil. littera O. in obſeruat. doctrin.*

Sed quamuis vt Bellarminus ibidem notat, 181.
punctus iſte valde fuerit controuerſus in Congregatione Concilij, itaut in prima nil fuerit reſolutum propter varietatem ſententiarum, tandem *ſub die 9. Iulij* 1573. deciſum eſt ius iſtud deberi cenſeri Eccleſiaſticum. Ita Silua 3. *p. de Benef. quæſt.* 12. *num.* 5. Garcia *vbi ſup. num.* 278. Barboſa *allegat. etiam citat. num.* 27. plures concordantes citant. Et ratio eſt clara, quia licet magna vtilitas Eccleſiæ reſultet in fauore præſtito laicis, 182.
vt animentur ad fundandas Eccleſias, tamen maior abſque dubio vtilitas reſultat ex prouiſione Parochialium in magis idoneo, & digniori Miniſtro, à quo pendet profectus fidelium: ergo ſicut quando concurrunt duo præcepta quæ ſimul obſeruari non poſſunt, illud obſeruandum eſt quod eſt de maiori bono faciendo, vel de maiori malo vitando, ita quando occurrunt duæ vtilitatem ſimul incompatibiles, illa eſt amplectenda 183.
quæ maior eſt; magiſque neceſſaria, qualis eſt electio Miniſtrorum magis idoneorum, vti fieri debet in concurſu, atque ita ius iſtud mixtum, Eccleſiaſticum cenſeri debet, non laicale, & per concurſum prouideri, niſi ius patronatus fuit à

ſuo

ſua origine laicale, ſed pro duabus tertiis partibus factum eſt Eccleſiaſticum ex donatione laicorum. Ita Deciſum refert Aldana *lib. 3. titul. 9. num. 42. die 17. Iunij ann. 1607.* quod ego intelligo ſi donatio fuerit liberalis, & gratuita, non vero ſi fuerit remuneratoria. Sic intelligitur alia declaratio, quam referunt Gonzalez *ad regul. 8. gloſſ. 6. num. 135.* Garcia *part. 9. cap. 2. num. 278.* 184.

Excipiuntur etiam Beneficia quæ vacant permutatione ſiue in ſimplex, ſiue in curatum. Ex *Clement. vnica. de rerum permutatio.* quia Beneficium Parochiale alteri conferri non poteſt, quam permutatario; requiritur tamen examen ſimplex ab Examinatoribus Synodalibus faciendum. 185.

Tertio exipitur Parochialis vnita dignitati, aut Canonicatui, quia illa iſtius naturam induit cum acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis. Regula *Acceſſorium. de reg. iur. in 6.* Quare ſicut Canonicatus non prouidetur per concurſum, ita nec Parochialis annexa. Ita Gonçales *Gloſſ. 6. citat. num. 162.* cæterum requiritur examen ſimplex ab examinatoribus perficiendum, ratione curæ animarum annexæ. Ita Garcia *cap. 2. citato. numer. 189.* 186.

Quarto excipitur à concurſu, ſed non à ſimplici examine, quando cura pertinet ad Cathedralem, vel Collegiatam; adminſtratur tamen per vnum, vel plures ſimul, aut ſucceſſiue per hebdomadas. Ita Garcia *num. 181.* Barboſa, *plures referentes.* Ratio eſt, quia Concilium Trid. loquitur de beneficiis Parochialibus vacantibus ibi, *Cum Parochialis Eccleſiæ vacatio.* Cura autem, de qua in præſenti, non vacat, cum ſemper maneat in Eccleſia Cathedrali, aut collegiata. Vnde iſti ſolum ſunt quidam adminiſtratores, vt ſunt Beneficiati curati in hac Diœceſi Hiſpalenſi; ius enim Parochiale ſolum eſt apud Archiepiſcopum, & ſic non dantur per concurſum proprium, ſed ipſe Archiepiſcopus eos nominat, præſuppoſito examine ſimplici, & ſic numquam vacant proprie, niſi quando moritur Archiepiſcopus; vt 187.

enim egregie dicit Rota *in vna Vlixipon. iuris conferendi. 2. Decembr. 1605. num. 9. & 10. ad effectum vt ſit locus concurſui non inſpicitur an Vicarius ſit perpetuus, vel amobilis ad nutum, attenditur an Vicaria ſpectet ad Monaſterium, itaut cura penes Monaſterium reſideat, quo caſu non eſt locus concurſui, ſed ſufficit approbatio Ordinarij, iuxta reſolutionem Illuſtriſſimorum Interpretum Concilij, &c.* Quare cum omnes iſti Vicarij Hiſpalenſes non habent curam, quæ ſolum reſidet in Archiepiſcopo, ſed ſolum exercitium curæ, etiam ſi non eſſent amobiles; nihilominus non eſt locus concurſui, vt de Vicariis perpetuis docent Barboſa *num. 32. allegat. citatæ.* Garcia *num. 189.* qui 188.

adducunt plures Rotæ deciſiones. Sed eſt ſpecialis *Deciſio 710. apud Farin. part. 2. in vna Vliſbon. concurſus 1. Iunij 1615. coram Remboldo vbi numer. 5.* adducit doctrinam Cardinal. *in Clementin. 1. de offic. Vicar.* dicentis quod Eccleſia vnita per Vicarium perpetuum, ſi tamen cura per modum cuiuſdam iuris, & in habitu eſt apud principalem, & ſic concurſui non eſt locus. 189.

Sed vnde colligatur quod cura maneat apud Principalem, optimam rationem tradit Rota *ibi, num. 3.* cum Vicario etiam perpetuo, per quem cura Beneficij exercetur, certa portio aſſignatur, *eſt manifeſtum ſignum quod habitualis cura non penes Vicarium, ſed penes Canonicum, vel Prælatum Beneficij, cui facta fuit vnio, reſidet. Et tunc demum totalis cura penes Vicarium eſſe dicit quando ipſe omnes fructus Beneficij certa portione canonica aſſignata, &c.* Vnde fit quod Vicaria perpetua cui totalis cura animarum incumbit non poteſt eſſe vnita, vt notant Francus *in Cap. Super eo. num. 2. de prabendis in 6.* Cardinalis *Clementina 1. num. 10. de officio Vicarij.* & Rota *deciſ. 33. num. 3. part. 3.* Et ratio eſt, quia ratione vnionis titulus extinguitur, & ſic Vicario non competit totalis cura, ſed Prælato, aut Canonico in quo eſt titulus, & cui vnita eſt Vicaria, & ſic ſemper fieri debet eius prouiſio per concurſum. Omitto plures alios caſus in quibus non eſt neceſſarius concurſus, de quibus Authores citati, præcipuè Barboſa *à n. 18. vſque ad 39. allegat. 60. citata.* & Garcia *cap. 2. citato* per plures numeros, & Barboſa *à num. 57. vſque ad 81.* agit quid debeant examinatores exigeſe ab examinandis in Beneficiis non curatis, ſed de his ego infra Reſolution. 190. 191. 192.

Resolvtio XII.

Vtrùm reiectus ſemel, & reprobatus ab examinatoribus Synodalibus poſſit iterum admitti ad examen?

SVMMARIVM.

193 *De quibus ſit quæſtio, explicatur, & num. ſeqq.*
196 *Affertur ſententia negans, & num. ſeq.*
198 *Sed contraria probabilior adſtruitur, & probatur.*
204 *Valde notanda doctrina, & n. 205.*
206 *Examinatores largi debent eſſe in approbatione Regularium, tam ad Ordines, quam ad audiendas confeſſiones, & cur? numero 207.*
208 *Reſpondetur ad argumenta oppoſita ſententia.*

NOn loquimur de non approbatis in concurſu; ille enim qui in hoc concurſu reprobatur poteſt tempore intermedio ſtudiis vacare, & fieri idoneus, & ſic admitti debet in alio concurſu, & ad aliam, vel eamdem Parochiam ſi vacauerit, imò reiectus in concurſu poteſt prouocari per edictum ad nouum examen coram iudice appellationis etiam antequam probet de irrationabili iudicio Epiſcopi qui prouiſionem fecit. Ita deciſum fuit pluries, ſed præcipuè *in vna Reatina die 16. Martij 1630. & in Piſana die 17. Iunij eiuſdem anni,* in quibus fuit deciſum dandum fore nouum concurſum in vrbe, & ad illum vocandum præ electum ab Epiſcopo. Et ſic de reprobato in concurſu non procedit dubium. Loquimur igitur de illo qui Romæ Parochialem impetrauit, & Bullæ expeditæ ſunt cum clauſula, *ſi per diligentem examinationem per te adhibitis examinatoribus in Synodo Diœceſana deputatis ad hoc idoneum eſſe repereris, in quo tuam conſcientiam oneramus.* An, inquam, ſi iſte ſit ab examinatoribus reprobatus & excluſus, vt non idoneus, & indignus, potuit iterum admitti ad examen. 193. 194.

Negat Garcia *part. 6. de Benef. cap. 2. num. 255.* Quia verba illa, *ſi per diligentem examinationem, &c.* ſunt de ſubſtantia, cum importent conditionem; illa enim particula, *Si*, conditionem importat. Gloſſa *in l. 1. vbi Barbolus num. 1. D. de conditionib.* 195.

conditionib.& demonſt. & tenet Rota *tom.*2. Farinacij *deciſ.*505.*num.*1. vnde primam examinationem denotant *ex regula l.Boues §.hoc ſermone D. de verb. ſignificat.* alias poſſet expectari per multum temporis vt idoneus fiat, quod eſt inconueniens. Secundo, quia ad Parochiales debet fieri
196. examen à tribus examinatoribus qui peracto examine renuntiare debent Epiſcopo de idoneitate, vt ait Trident. *ſeſſ* 24.*cap.*18. quod de primo examine quod peractum eſt (ſiquidem reprobatus exit examinatus) intelligendum eſt. Tertio quia poſſet multum temporis dilatari prouiſio, deueniendo ad tertium,quartũ,quintum examen.Quare ſi per vota declarant examinatores Synodales
197. illum non eſſe idoneum, abſque dubio expirat gratia facta, & ita practicari Florentiæ, ait Philibert. Marchin. *tract.*1.*de Sacram. Ordin.part.*7. *cap.*6.*num.*2. & dicit debere vbique practicari. Et idem dicit ſi quis impetret extra tempora ad ordines, cum clauſula, *Si per diligentem,&c.* Quarto quia poſt reprobationem potuerit medio tempore doctus euadere, itaut in illo præſumatur habilitas acquiſita, in quo caſu non admittitur ſemel reiectus, vt expreſſe determinat Rota, *deciſ.*505.*citata num.*4. Vnde ſic poteſt iterari examẽ vt in tempore dilationis quis idoneus euadat, & non tempore præſentationis litterarum Apoſtolicarum.|Baldus *l.in perſona num.*1 *Cod.de probatio.* Menochius *de Præſumptio. lib.*1.*præſumpt.* 24.*à num.*5.*vſque ad* 53.

198. Sed contraria ſententia probabilior eſt, quam in Epiſcopatu Abulenſi practicari dicit Garcia *vbi ſup.n.*253. Et ipſe, vt pote illius Eccleſiæ Canonicus, debebat defendere, cum facillime poſſet. Quare ille qui intra aſſignatum temporis ſpatium quatuor, vel ſex menſium, vt ſolet aſſignari in Bulla, ſi in primo examine fuit reiectus, & reprobatus, etiam per vota examinatorum non expirat gratia, ſed poteſt tertio, & quarto examinari. Barboſa *allegat.* 60.*citata num.*91. Rota
199. *in deciſ.*8.*de probatio. in nouiſſ.* & *in Calaguritana de Monilla coram D Coccino die* 15.*Iunij* 1612. *& Nepeſina Canonicatus* 25. *Februarij ann.*1625. cenſuit quod tempus quindecim menſium eſſet breue ad effectum vt reprobatus in examine poſſit medio tempore ita eruditus fieri, vt poſtea in in alio examine approbationem meruerit, vt refert Barboſa: ergo multo breuius erit tempus quatuor menſium, vel ſex. Idem docet Gregorius XV. *deciſ.*527.*num.*2. *&* 528.*num.*2. Vnde Aldana *in Compend.Canoni.Reſolutio. lib.*3.*tit.*9. *num.*15. dicit, quod etiam ſi primo, & ſecundo fuerit ab examinatoribus reprobatus,poteſt Ordi-
200. narius procedere ad examen, dummodo intra ſex menſes à die datæ litterarum examen requiſitum ſubierit, & ſic fuiſſe deciſum *in vna. Nullius.*2. *Decembr.*1628.

Rurſus probatur, quia nouum examen eſt optimus modus probandi ſcientiam examinati, alias reiecti. Declarat, etiam ſi in priori examine aliquod grauamen eſt illi ab examinatoribus illatum
201. Tum etiam,quia contingere poteſt, vt ſæpius die præſenti contigit, quod homo valde idoneus,vel memoriæ defectu ex turbatione vel Præſulis, & examinatorum adſpectu perterritus in examine deficiat. Et ſic valde expediens erit ſi ſecundo,& tertio examinetur, & affabilitate, & læta facie confortetur tam ab Epiſcopo, quam ab examinatoribus, vt reaſſumpto ſpiritu, ſi ſcit, reſpondeat. Nec enim illico eſt reprobandus, quia aliquibus intrrrogationibus non reſpondeat, maxi- 202.
me ſi aliàs opinionem habet de litterato,aut ſciente, vt ſi alias eſt approbatus in alio concurſu. Vt enim dicit Rota *apud Farinacium part.*1. *deciſ.* 234.*num.*9. loquens de quodam Abbate: *Attento examine facto in adeptione Abbatiæ, quo ſtante præſumitur ſufficiens cap. accepimus. de ætate, & qualitate, & ibi D D. licet neſciuerit reſpondere nonnullis interrogatoriis ſibi factis,non per hoc probatur totalis ineruditio, cum poſſit eſſe quod in libris veritatem eorum quæ ſcire tenetur, ſciat, quæ vere Innocentius cap. cum iniunctis num.* 1. Butrius *num.*10. Abbas *nam.* 40. *verſ. Mediocris. de electione.* Hæc ibi. Quod D D. examinatores 203.
debent attendere, ne exquiſitis interrogationibus, & verbis aſperis turbent examinandos; hoc enim eſt illis magnum grauamen, ratione cuius poſſunt appellare,vt dicam infrà Reſol.**** Quod enim aliquibus interrogationibus aliquis neſciat ſatisfacere non illico eſt reprobandus, in hoc enim maxime onerant conſcientiam ſuam examinatores,ſi aliàs oppoſitor eſt bonæ capacitatis, & laudabilium morum.

Eſt etiam valde notanda doctrina vt DD. exa- 204.
minatores facilius approbent Regulares ad ordines ſuſcipiendos; etſi enim non bene calleant latinitatem, ſed ſciant legere latine, & cantare iuxta morem ſuæ Religionis poſſunt ordinari ab Epiſcopo vt tenent plures quos citat, & ſequitur Diana *p.*2.*tract.*16 *reſol.*29. *& p.*5. *tract.*10.*reſol.* 40. & *p.*4.*tract.*2.*reſol.*74. concludens: *Et hanc* 205.
ſententiam ſine vllo metu, & ſcrupulo poſſunt Domini Epiſcopi in praxim deducere. Sequitur Peyrinis *de Prælat Relig.q.*3.*c.*7.*n.*10. vbi viginti adducit graues Doctores pro eadem ſententia.Vnde Villalobos *tract.*21.*in ſum diff.*34.*n.*5.idem docet addens: *Lo miſmo ſe puede decir de los Canonigos, Racioneros, y Cantores de las Yglesias Cathedrales.* Cuius optimam rationem tradit D. Thom.*in Addition.ad* 3.*part.quæſt.*36.*art.*2.*ad* 1. *Quia Religioſis cura animarum non committitur, & à talium ore lex non requiritur, ſed ſolum quod Sacramenta conficiant, & ideo talibus ſufficit ſi tantum de ſcientia habeant, quod ea quæ ad Sacramentum perficiendum ſpectant rite ſeruari poſſint.* Hæc ille. Ex quo colligitur quod Do- 206.
mini examinatores largi debent eſſe in approbatione Regularium tam ad Ordines quam ad audiendas confeſſiones,ſi enim ſciunt ſubſtantialia Sacramenti Pœnitentiæ, & diſtinctionem mortalis à veniali, & ſint capaces, & habiles,ſat eſt vt approbentur. Cuius ratio eſt, quia in Religioſis ſemper eſt ſpes proficiendi cum ſemper cum viris litteratis habitent,habeantque frequen- 207.
tes caſuum conſcientiæ collationes. *Et licet neſciant reſpondere aliquibus interrogationibus non ideo non ſunt idonei, cum poſſit eſſe quod in libris veritatem eorum quæ ſcire tenentur ſciant quærere,*vt dicebat Rota,& notat Innocentius *vbi ſup.* & tamen ibi erat ſermo de Abbate ſæculari qui habebat animarum curam.vide infra Reſol.*** in dubio 1.

Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ ad primum 208.
reſpondetur.Quod non eſt multum tempus ſpatiũ quatuor, aut ſex menſium; maius enim inconueniens eſt quod non approbetur ſi aliàs eſt dignus quã quod illud tempus differatur collatio Beneficij.Ad ſecundum reſpondetur quod Cõcilium intelligitur *peracto examine* vltimo.Quare exiſtimo quod ſi quis in concurſu primo examine reprobatus

probatus exiit, quia ex aliquo accidenti non respondit, vel non legit totum tempus præscriptum, potest iterum ad examen ab Episcopo admitti.

209. Ad tertium respondetur, quod etiam si examinatores per vota faciant coram Notario declarationem quod non est idoneus possunt iterum illum examinare quia illud fuit secundum quod experti sunt. Et hoc potuit prouenire non ex imperitia, aut ignorantia, sed ex aliis causis puta turbatione, accidente, &c. Et sic si in primo examine non declaratur idoneus, vel reprobatur, non illico expirat gratia, siue ad Ordines, siue ad Beneficium.

Ad quartum respondetur quod in tempore quatuor, vel sex mensium non potest acquiri scientia sufficiens ad satisfaciendum examini, si alias exa-
110. minatus illam non habebat, quamuis possit ad memoriam reducere ea quæ alias sciebat habitu; imo si quis propter sui ingenij velocitatem adquireret habitum scientiæ illis sex mensibus, hoc ipso redditur satis idoneus, & declaratur homo magnæ capacitatis. Quare idoneitas non debet esse quando litteræ Apostolicæ expediuntur, sed quando fit examen ad conferendum Beneficium.

Resolvtio XIII.

Vtrùm si examinatores nec approbent, nec reprobent, sed in ancipiti maneant, sit nulla electio?

SVMMARIVM.

211 *Supponunntur quædam ad maiorem quæstionis intelligentiam, & numero* 217. *& seqq.*

220 *Respondetur ad dubium propositum.*

223 *Proponitur difficultas, & resoluitur, & numeris seqq.*

229 *Duabus aliis rationibus roboratur, & n.*231.

232 *Non tenentur examinatores Synodales de omnibus examinare per seipsos immediatè, sed per se, vel per Ordinarium cui se remittunt.*

211. SVppono quod aut loquimur de electione digni oris ad Beneficium, aut loquimur de approbatione in examine. Si loquamur de electione magis idonei, solus Episcopus habet votum decisiuum, quia ipse solum eligit, non examinatores, vt esse decisum referunt Garcia *de Benefic. part. 9. cap. 2. num.*105. *&* 108. *&* 199. Franciscus Leo *in thesaur. part.2. cap.3. num.*34. Zerola *in praxi part.* 1. *verbo Parochia* Massobr. *in praxi requisit.*4. *dub.*1. *&* 4. Barbosa *de potest Episcop. allegat.*60. *citata num.*96. Bellarminus *in re-*
212. *solutionibus Sacræ Congregationis* dicit sic fuisse resolutum *die* 5. *Iunij* 1599. subiungens in additionibus, quod licet examinatio, & probatio ad præsentandum ex pluribus aliquos ad Parochialem iuris patronatus pertineat ad Episcopum, & examinatores, tamen electio præsentandi pertinet ad solum Patronum, qui potest validè præsentare dignum omisso digniori. Potest Episcopus eligere extra locum examinis absentibus examinatoribus publicè, vel secreto, vt ipsi placuerit sine Notario publico, sed cum suo Secretario de Camera qui parem fidem dabit. Potest etiam eligere illum qui solum dimidiam votorum partem habuit, omissis illis qui habuerunt omnia, si illum iudicauerit magis idoneum ministerio, iuxta dicenda infra Resolut.....

Si tamen loquamur de approbatione in examine, soli examinatores si plures fuerint habent votum decisiuum, non episcopus, aut eius Vicarius, nisi in casu in quo examinatores fuerint in votis æquales, si sint plures quam tres, vt quatuor, vel 214. sex, tunc enim si Episcopus accedat ad vnam partem, ille est approbatus. Sic fuit decisum *in vna Vicentina*, refert Bellarm. *in obseruat. doctrin. littera X.* Garcia *p.9. cap.2. num.*109. Massobr. *in Prax. requisit.4. dub.7.* qui *dub.*4. optimè ait quod examinatores debent sua vota dare non separatim, sed dum simul congregati sunt cum Episcopo. Sed ipse Episcopus dum datur locus accessui debet votum suum dare dum est simul cum exa- 215. minatoribus, alias approbatio est vitiosa. Non tamen ex eo quod Episcopus accedat ad vota æqualia censetur electus ad Beneficium examinatus, bene tamen censetur approbatus Garcia *vbi suprà num.*58. Quod si Episcopus sit impeditus idem præstare poterit eius Vicarius; imo etiam si non sit impeditus potest Vicario id mandare, *num.*119. Barbosa *allegat. cit. num.*41. qui addit quod id non possunt facere inferiores Episcopo habentes ius conferendi. Sed si habeant Vicarios, & alia requisita non videtur mihi quod id non possint facere per suum Vicarium generalem si- 216. cut possunt alia, & Concilium id non declarat, sed relinquit dispositioni iuris communis, in quo non inuenio id esse prohibitum; Concilium autem solum dicit id esse conueniens quod fiat, coram Episcopo non impedito.

Suppono secundò, Quod ille solus est approbatus, qui habet plura vota examinatorum, & si ista fuerint æqualia ille cui accesserit Episcopus, vel eius Vicarius. Vnde si sunt tres examinatores, 117. & vnus approbet, duobus reprobantibus, etiam si Episcopus accedat ad vnum, non manet approbatus. Idem dicendum si sint quinque examinatores, & quilibet eorum approbet vnum, cæteris aliis quatuor reprobantibus, etiam si Episcopus accedat vni, manet reprobatus, Ita Garcia refert decisum *vbi supr. num.*60. Massobr. *dub.7. citato.* Quod si adsint tres examinatores, & duo vota sua applicent examinatis, alius autem cum præsens sit examini noluit votum alicui applicare, tenet electio, & satisfactum fuisse Decreto Concilij tenet Bar- 118. bosa *super Concil. cap.*18. *citato in declaration. num.*17. Quod si vno non applicante suum votum duo examinatores quilibet applicet suum votum diuerso examinato, ille cui Episcopus, vel eius Vicarius accesserit erit approbatus, quia vota sunt paria, & datur locus accessui, quando tertius exa- 219. minator nec approbat, nec reprobat, & non vult suum votum alicui applicare. Legantur Garcia *p.9. cap.2. num.*54. *vsque ad* 64. Flaminius Parisius *de Resignatione libr.8. quæst.9. numer.*105. *&* 106.

His positis Respondetur ad Dubium propositum quod si examinatores omnes nec approbent, 220. nec reprobent, nolintque votum suum alicui examinatorum applicare, electio Parochialis, facta ab Episcopo nulla est ipso facto, nec prouisus, aut electus tuta conscientia potest retinere, vtpote non suum, cum nullum titulum vel coloratum acquisierit, vt declarauit Pius Quintus *in Bulla supius citata.* Probatur manifestè, quia ex Conci-

lio Trident.*cap.*18.*citat.* ad prouiſionem Eccleſiæ Parochialis neceſſarium eſt tanquam forma ſubſtantialis quod præcedat examen, & renuntiatio eorum qui idonei ab examinatoribus ſint iudicati: ergo ſi non adeſt examinatorum Synodalium iudicium quod in hac parte eſt deciſiuum, ſi procedat Epiſcopus nulliter ad electionem procedit,quæ ipſo facto nulla eſt,nullumque confert
221. titulum Beneficij,nullumque dat dominium. Vnde Rota *in vna Calagurritana Beneficij coram Vbaldo die* 13.*Ianuar.*1614. *num.*1. refert aliam die 22. *Aprilis anni prateriti coram Damaſceno*, vbi deciſum fuit iuxta Bullam Clementis Octaui debere Examinatores Synodales referre idoneos ad Curata,quia hoc eſt de forma Bullæ Pij Quinti,quam Clementis Octaui,quam ipſius Concilij. Quod ideo tam exacta conſtitutione determinauit,quod iſti examinatores ſint perſonæ omni exceptione maiores, vt ſuo iudicio, prudentia, & maturitate idoneos referant Epiſcopo vt electio-
222. nem faciat conuenientem Miniſtrorum. Quod ſi hoc iudicium non expreſſerint non approbando, nec reprobando cæco modo procedet Epiſcopus cum in ordine ad examen examinatores ſint oculi Epiſcopi quibus vident idoneos. Ex quo fit quod ſi ex tribus examinatoribus duo non declarent vota ſua non approbantes, nec reprobantes, & vnus declarat & applicat, omnes quibus applicat, ſi Epiſcopus accedat, erunt approbati.

Sed quid ſi omnes approbent de ſcientia, non tamen de vita, & moribus, ſed in hoc ſe remit-
223. tant Epiſcopo vt informationē faciat,& facta informatione Epiſcopus eligat, tenebit ne electio? Reſpondetur quod circa hoc variæ deciſiones ſunt, nam Congregatio Concilij 1601. *die* 24. *Maij* cenſuit quod ſi examinatores renuntient Epiſcopo idoneum quoad ſcientiam, & quoad vitam, & mores reiiciant approbationem ad Vicarium Epiſcopi, aut ad Epiſcopum non ſatisfaciunt Decreto Concilij. Et Bellarmin. dicit *in addition. num.* 11. ſic etiam fuiſſe declaratum in vna *Caſalenſi*, *vt habetur in libro informat*, *ſuper Concilium*, *fol.*683. Et ita defendunt Gonzalez *ad reg.*8. *Gloſſa* 4. *num.*100. Nicolaus Garcia *part.*5. *cap.*7. *num.*11. *verſ. ad* 3. *& part.*6. *cap.*2.
224. *num.*239. 240. *&* 241. vbi alias deciſiones adducit Maſſobr. *requiſit.*4. *tit.dub.*1.Galetus *in Margarita*, *verbo*, *examinatores num.* 2. Riccius *in praxi reſol.*631. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.*60. *citat. num.*95. & Palao *tract.*13. *diſput.*3. *punct.*2. §.4. *n.* 8. Sed pro altera parte ſunt etiam Deciſiones, nam *in vna Caſalen. citata coram Robuſtiero anno* 1586.expreſsè determinatur quod examinatores poſſunt quoad mores, & vitam ſe remittere ad Ordinarium. Et *deciſion.*293. *coram Cardinali Caualier*, idem ſtatuitur, & explicatur Tridentinum.

225. Sed ego hanc contrarietatem concilio, & ad concordiam reduco hac diſtinctione, quia aut examinatores non approbando, nec reprobando quod Epiſcopus fecerit circa mores,& vitam examinandi, nec Epiſcopus aliquid refert de moribus, & vita, ſi eſt aliquid in contrarium, & ſic non ſatisfit Decreto Tridentini, *cap.* 18. *citato* dicentis *quod renuntientur qui iudicati fuerint idonei ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam opportunis*, &c. Et hoc vult Sacra Congreg. Concilij,& nihil aliud.

226. Si tamen examinatores Synodales facto examine de ſcientia,& doctrina ſe remittant ſed Epiſcopum, vel eius Vicarium approbando approbationem, vel reprobationem quam ipſe fecerit de moribus, & vita examinandorum, dubio procul valet electio facta ab Epiſcopo. Ita Rota *in duabus deciſionibus citatis.* Barboſa *in collect. ad Trid. ſeſſ.* 24. *cap.*18. *num.* 126. Et probatur primo ex ratione quam tradit deciſio coram Robuſtiero *citata*, quia quamuis ex diſpoſitione Concilij potuiſſent examinatores ſe informare de his (ſiue extraiudicialiter,vt cenſuit Rota coram Caualler) & referre Ordinario, tamen non tollit quin etiam ipſi poſſint ſe remittere ad Ordinarium, cum in dubio iuriſdictioni Ordinarij tantum cen- 227.
ſeatur derogatum cumulatiuè, non priuatiuè. Poſſunt ergo examinatores approbare, vel reprobare de moribus, & vita per Ordinarium, cui ſe remittant tanquam cui delegant ſuam iuriſdictionem quoad hanc partem.

Dices: ergo etiam idem poſſunt facere quantum ad ſcientiam, & doctrinam? Reſpondetur negando ſequelam, quia licet multa deſiderentur ad idoneitatem, tamen examen præcipuè tendit ad inquirendam ſcientiam, & doctrinam, quia de moribus, & vita propriè non fit examen, ſed informatio. Vnde hæc poteſt remitti ab exami- 228.
natoribus Ordinario qui tanquam Paſtor bene nouit mores ouium ſuarum. Si tamen examinatores ſciant aliquid de moribus, & vita quod obuiari poſſit,tenentur illud Epiſcopo renuntiare.

Secundò probatur ex ratione quam tradit de- 229.
ciſio coram Caualler. Quia quamuis in Decreto fiat expreſſa mentio quod renuntiētur idonei ætate, moribus, doctrina, & prudentia, quia ſolum fit expreſſa mentio eorum quæ tacitè inſunt gratia exempli, nam immediatè ſubditur, *& alia rebus ad Eccleſiam vacantem gubernandam opportunis*,vt quod ſit Clericus, & ex legitimis natalibus procreatus, quod non ſit matrimonio iunctus, quod non ſit Regularis ſolemniter profeſſus, & à Religione expulſus, quod non ſit irregularis ex- 230.
plicitè. Vnde ſicut de iſtis non tenentur renuntiare examinatores, ſed ſe remittere Ordinario, ſi aliquid ſciat, ita in ætate, moribus, vita, &c. ſed ſat erit dicere examinatos eſſe idoneos facta expreſſa mentione de ſcientia, reliquis intellectis, ſi nihil ſciant in contrarium, quia quod tacitè ineſt, ſi exprimatur, non ponit nouam obligationem. Bart. *ad leg. ſi ita ſtipulatus* §. *ſi tibi nupſero*, *verſ. Hic non placet D. de verbor. obligation.* Rota *deciſ.*377. *apud Farinacium p.*2. Et ſic tenet praxis totius Hiſpaniæ; nec enim examinatoribus renuntiatur informatio facta ante examen de ſcientia,& doctrina,ſed illam ſibi reſeruat Epiſcopus, vt ſuppoſita approbatione de ſcientia ipſe eligat, vel reprobet ſecundum merita informationis factæ.

Tertiò, quia licet examinatores conſtituti ſint 231.
iudices à Concilio ad renuntiandum Epiſcopo idoneos, & idoneitas ex pluribus confletur, & non ſolum de ſcientia, & doctrina, cum hæc ſola non ſit ſatis ad rectè gubernandam Eccleſiam, vt tradunt Ioannes Valerus *de different. vtriuſque fori*, *verbo electio num.*1. Rota *deciſ.*22. *n.*28. *& deciſ.*90. *coram Burato*, & dicam infra Reſo- 232.
lut..... tamen non tenentur examinatores Synodales de omnibus illis examinare per ſe ipſos immediatè, ſed per ſe,vel per Ordinarium, cui ſe remittunt. Et dum ipſi nihil ſciunt in contrariū facto examine de ſciētia,poſsēt examinatos idoneos

renun

renuntiare quantum ad id quod per se tenentur exequi. Sed de his aliquid amplius infra Resolut.....

Resolvtio XIV.

Vtrùm Episcopus possit limitare Dominis examinatoribus Synodalibus numerum examinandorum in concursu ad Parochialem?

Svmmarivm.

233 *Colligitur ex Concilio non esse simpliciter necessarium ad concursum respectu Parochialium quod conuocentur oppositores per publicum edictum, & num seqq.*

166 *Quædam supponuntur, & n.*230. 234. 238. *& seqq.*

141 *Nullomodo potest Episcopus determinare numerum oppositorum ad concurrendum in concursu Parochialium, & num. seqq.*

247 *Si distantia, & temporis intercapedo multa sit inter primum examen, & prouisionem Parochialis, necessarium est nouum examen.*

223. EX Concilio *c.* 18. *sæpius citato* colligitur non esse simpliciter necessarium ad concursum respectu Parochialium quod conuocentur oppositores per publicum edictum, ibi, *Et si Episcopo, aut Synodo Prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire per edictum, etiam publicum vocentur qui volent examinari.* Ex quo loco sic concludunt Nauarrus *consil.* 4. *de præbendis*, & Bellarminus *in obseruation. doctrinæ ad præfatum cap.* 18. *littera H. Quod non cogitur Episcopus, licet multum deceat, proponere edictum publicum per prædictum consilium, quia id non præcipitur in illo, nisi per Synodum Prouincialem fuerit id post illud statutum, vt in plerisque locis est factum.* Et sic dicit Cardinalis fuisse decisum *die Augusti*

224. *anno* 1599. Vnde examen ad Parochialem in concursu faciendum, aut per nominationem iuridicam, aut per edictum publicum. Sed aduertit Nauarrus ex Tridentino quod Episcopus non potest impedire ne alius, vel alij possint nominare intra decem dies examinandos, quos tenebitur examinare, Concilium enim dicit: *liberum sit tamen etiam aliis qui aliquos ad id aptos nouerint eorum nomina deferre, vt possit postea, de cuiuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio.* Quare si Episcopus hanc comminationē impedierit, nulla est electio subsecuta cum impediat formam introduci, quam Concilium vult in-

225. troducere. Similiter nula est electio, & totus concursus vitiatur si sit statutum in Synodo Prouinciali quod conuocatio oppositorum fiat per edictum publicum, & Episcopus omisso edicto faciat concursum per nominationem, quia Synodus statuit pro regionis more quod conuocatio fiat per edictum tanquam per formam substantialem, quam sola Synodus, non Episcopus potest alterare, vt supra dixi Resolut..... & sic declaratum à duplici Congregatione Concilij refert

226. Garcia *part.* 9. *cap.* 2. *num* 38.

Suppono primò, quod si adueniat vacatio Parochialis iuris Patronatus laici, si Patronus vnum dumtaxat præsentet iste solum est examinandus ab Episcopo cum tribus examinatoribus Synodalibus, qui si illum idoneum inuenerit, tenetur Episcopus ipsum instituere. Ita declarauit semel, & iterum Congregatio Concilij *apud Garciam de Benef. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 255. & institutum ab Episcopo non possunt Patroni ipsum ad nutum amouere, cum habeat iam ius ad rem. Ita Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 38. *num.* 58. & 81. Zerola *in praxi verbo Parochia §.* 2. *dub.* 7. & alij quos citat, & sequitur Garcia *vbi supr.* Quod si fuerint 227.
plures à Patronis præsentati, & habeant æquales Patronorum vota, examen debet fieri per concursum non posito edicto, aut Episcopi nominatione, cum nominent Patroni, quorum præsentatio est loco edicti, aut Episcopi nominationis. Ita Gonzalez *ad reg.* 8. *glossa* 6. *num.* 138. dicens sic fuisse declaratum à Congregatione Concilij, quæ declaratio admissa fuit à Rota *coram D. Blancheto die* 30. *Iunij* 1587. quam refert Flaminius Parisius *lib.* 7. *quæst.* 5. *num.* 21. *& in alia Illerdens. portionis* 11. *Decembris* 1613. *coram D. Burato* Massobr. *in praxi requisit.* 7. *dub.* 27. *numero* 5. qui addit quod si aliquis ex præsentatis plura habeat Patronorum vota, is solum debet examinari, & si fuerit idoneus, institui ex *cap.* 3. 228.
de iure Patronatus, vbi Glossa. Gutierez *lib.* 2. *qq. canonicar. cap.* 11. *num.* 20. Couarruuias *ad regul. peccatum* 2. *part.* §. 7. *num* 4 Vega *in summ. part.* 1. *cap.* 36. *casu* 34. Et ratio est, quia ex præsentatione Patronorum habet præsentatus ius considerabile acquisitum ad Parochialem, cui iuri derogatur si cum sit idoneus alij admittuntur ad examen. Et sic tenuit Rota *inter decisiones Buratti die* 26. *Iunij anno* 1626. *decis.* 952. Si ta- 229.
men iste talis voluerit cum aliis præsentatis examen subire, cedit iuri suo, faciens se aliis parem. Ita *decis.* 494. *coram Gregorio XV.*

Suppono secundò, quod aliud est quod duo Presbyteri oppositores ad Parochialem sint præsentati à Patronis Clericis, aliud quod sint exa- 230.
minati, & ambo reperti idonei, vt acutè contemplatus est Nauarrus *lib.* 3. *consil. de iure patronat. consil.* 5. Etenim propriè non est præsentatio Patroni expositio ad examen; hæc enim est solum præparatio quædam ad præsentationem quæ de iure supponit præsentatum esse idoneum, quæ idoneitas claresci per examen, quo si inueniantur idonei præsentantur, vt Episcopus instituat, aut eligat instituendum. Vnde ad præsentationem sequitur institutio, non vero ad examen, & approbationem factam ab examinatoribus Synodalibus. Ex quo fit quod Episcopus non potest eligere vnum ex approbatis, & & examinatis, nisi præsententur à Patronis postquam sunt examinati, per notata à DD. *ad cap. cum autem de iure Patronatus.*

Ratio est, quia si ex duobus repertis æque ido- 231.
neis posset Episcopus vti gratificatione, & vnum ex illis eligere ante præsentationem, vanum esset ius præsentandi in Patrono quod non tollitur per examen præcedens, sed tantum datur illi materia apta suæ præsentationis. Tum etiam, 232.
quia supposito quod ambo competitores sunt inuenti æquales in idoneitate, nullo iure vel antiquo, vel nouo Concilij Tridentini tenetur Patronus præsentare quem Episcopus elegit, cum Concilium solum intendat quod Ecclesiis prouideatur de Ministris idoneis. Et sic Episcopus non potest ex examinatis idoneis vnum gratificando

tificando eligere, sed ad Patronum pertinet ipsos præsentare, & si plures idoneos præsentet, tunc potest Episcopus vnum eligere. Tamen respectu examinis omnes competitores debent ab Episcopo, & Synodalibus examinari, nec ad ipsos pertinet determinare quis sit magis idoneus, sed ad
233. Patronum, si institutio pertinet ad Episcopum cui præsentabitur ab illo. Quod si ad alium, & non ad Episcopum institutio pertineat, Episcopus ipse ex approbatis eliget magis idoneum quem Patronus, tenetur præsentare ei cui competit instituere. Ita Nauarrus *vbi supr.*

Suppono tertiò, quod si Patronus laicus vno præsentato succesſiuè alium, vel alios præsentet postquam sunt examinari iuxta formam inductam
234. à Tridentino, *cap* 18. *citato*, ab examinatoribus Synodalibus, potest Episcopus ex præsentatis quem voluerit eligere, & instituere, modo sit idoneus repertus. Si vero Patronus fuerit Ecclesiasticus, aut Collegium, tunc primus præsentatus debet institui, quia in hoc tenet verum Axioma *Qui prior est tempore, potior est iure.* Ita *cap. cum autem de iure Patronatus.* Ita Guttierez *de Sacrament. confirmat. part.* 3. *cap.* 13. Ceuallos *commun. quæst.* 265. *&* 295. Garcia *de Benef. p.* 5. *cap.* 9. *à num.* 112. Reginaldus *in praxi lib.* 30.
235. *tract.* 3. *numer.* 223. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 72. *num.* 151. Vnde Patronis laicis, non Ecclesiasticis permittit ius potestatem variandi in præsentatione, itaut vno præsentato possint succesſiuè alium præsentare non priuatiue ad priorem, sed cumulatiuè, & hoc pro vna dumtaxat vice. Ita Garcia *vbi supr. num.* 214. Nauarrus *ad cap. placuit de Pœnitent. distinct.* 6. *num.* 167. *&* 171. Tiraquellus *ad legem Boues* §. *hoc sermone num.* 25. *D. de verbor. significat.*

236. Sed cur ius hoc priuilegium variandi laicis concessit, & non personis Ecclesiasticis, cum non minus ius considerabile acquirat præsentatus ab Ecclesiastico, quam à laico, & sic in vtroque verificari debet *qui prior est tempore*, &c. Respondetur quod Pontifex tanquam supremus legislator vtens plenitudine potestatis voluit sic statuere concedens hoc priuilegium laicis, & non Ecclesiasticis, vt illi animarentur ad fundandas Ecclesias, & Beneficia, & sic ampliorem præsentandi potestatem illis concessit, itaut in præsentatione cumulatiuè possint variare non tamen re-
237. cedendo à priori præsentatione, alias si priorem excluderent, absque dubio præsentatio esset nulla, & nullus actus. *Ita cap. cum autem citatum.* Lappus *alleg.* 78. *num.* 6. Guttierez *vbi supr. n.* 4.

238. Suppono quartò, quod si plures sint competitores ad Parochialem iuris Patronatus, & omnes sint idonei, non possunt examinatores Synodales vnum tantum approbare, quamuis sit cæteris dignior, sed omnes debent approbare tanquam idoneos, vt Patronus eligat. Ita decisum refert Garcia *p.* 9. *capite* 2. *numero* 264. *in vna Atrebaten.* ibi, *examinatores plures approbare debere, vt patronus Ecclesiasticus vnum eligere possit Episcopo præsentandum pro institutione. Et repugnat hoc Decretum (Concilij cap.* 18. *citato) examinatoribus qui vnum tantum probant, vt electio Patrono tollatur.* Quod si plures reperti sunt æquè idonei, Patronus Ecclesiasticus potest gratificare, & ex ipsis vnum eligere, qui ab Episcopo institutore instituatur, quia ad Patronum Ecclesiasticum pertinet eligere digniorem, & sic
239. ad eum pertinet gratificatio. Ita decisum refert Garcia *vbi suprà num.* 266. *&* 267. & tenet Nauarrus *consil.* 5. *citato.* Azor 2. *p. institution. lib.* 2. *cap.* 22. *quæst.* 15. Quod si Patronus Ecclesiasticus digniorem non præsentet, adhuc tenetur Episcopus ipsum instituere, quia ad instituentem non pertinet electio dignioris, sed solum præsentatum instituere. Nisi in terminis edicti positi alius oppositor ex approbatis ab examinatoribus Synodalibus se opponat dicendo quod non
240. est præsentatus dignior, quod constabit ex relatione examinatorum facta, vel facienda.

Hæc autem suppositio tenet verum quando institutio pertinet ad Episcopum, quia si Episcopus faciat concursum ad Parochialem, cuius collatio pertinet ad inferiorem, tunc potest ex pluribus approbatis idoneis ab examinatoribus gratificare, & vnum digniorem eligere, cui tenetur inferior Collator conferre. Quia vt ait Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. Ordinario competit gratificatio quando sunt plures æquè idonei, vt in Parochialibus quarum collatio ad Papam pertinet, ad Ordinarium qui facit concursum attinet eligere digniorem, & quem maluerit ex approbatis æquè idoneis remittere ad Papam, vt conferat. Sic decisum est *in vna Braccharensi*, vt refert Garcia *partic.* 9. *cap.* 2. *numero* 273. *&* 274.

241.

His prælibatis quæ Resolutionem præsentem aliquatenus concernunt, & scitu digna sunt, respondetur ad titulum resolutionis, nullo modo
242. posse Episcopum determinare numerum oppositorum ad concurrendum in concursu Parochialium. Ita Riccius *in decis. Curiæ Neapolit. part.* 4. *decis.* 31. & decisum refert Garcia *vbi sup. n.* 100. & Bellarm. *ad cap.* 18. *Concil.* refert sequentem decisionem Cardinalium: *Si Episcopus proponat examinatoribus quem ipse iudicat idoneum pro Parochia, non satisfacit Concilio, sed debet plures proponere, & admittere propositos ab aliis.* Et reuera hæc fuit mens Concilij inducentis formam in prouisione Parochialium per concursum, & posuit examinatores Synodales, non Episcopum, ad iudicandum de idoneitate oppositorum con-
243. currentium. Et sic posito edicto omnes quotquot venient habent ius vt examinentur, cui iuri non potest contrauenire Ordinarius. Sed nunquid si vocatio ad concursum non fiat per edictum publicum ad portas Palatij Episcopalis, vel Ecclesiæ Matricis affixum, sed per Episcopi nominationem possit Episcopus nominare omnes quotquot veniunt, sed aliquot? Respondetur, non posse ex verbis Concilij, *cap.* 18. *citat. verf. Porro* dicentis: *liberum tamen sit aliis qui aliquos ad id aptos nouerint eorum nomina deferre*, &c. Et infrà: *Transacto constituto tempore omnes qui descripti fuerint examinentur.* Ex quibus fit quod non est in potestate Episcopi quod examinati describantur nec quod postquam sunt descripti non examinentur.
244.

Si beneficia Parochialia ex concursu resultantia, quia eorum possessores ad pinguiora promoti sunt, possint ab Ordinario sine nouo examine, aliis iam examinatis, & probatis conferri, dubium est scitu dignum. Cui respondet Garcia *vbi sup. num.* 100. quod est necessarium nouum examen,
245. nouusque concursus. Quod decisum esse à Sacra Concilij Congregatione referunt Bellarminus, & Barbosa ad *cap.* 18. *citat.* & sequuntur. Cassaneus *in consuetud. Burg. Roch.* 4. §. 7. *Glossa* 11. *num.* 45. Barbosa *in Collectan. ad Concilij cap.* 18. *num.* 63. Bellarmin. *in additione doctrinæ num.* 4.

Sed

Sed ego ſub diſtinctione reſpondeo, & dico primò. Si prouiſio Parochialium reſultantium fiat
246. ſtatim non eſt neceſſarium nouum examen, maximè ſi ita vſu introductum eſt, vt dicit Garcia, fieri in Archiepiſcopatu Toletano. Ratio eſt, quia examinatus, & approbatus ab examinatoribus Synodalibus ad Parochiales vacantes quæ collatæ ſunt dignioribus, multo magis erit idoneus & approbatus ad reſultantes ex concurſu, & ſic examen nouum non adducit nouam notitiam examinati, & ſic eſt ſuperfluum; cum enim prouiſio fiat ſtatim non eſt præſumendum quod examinatus, & approbatus aut obliuiſcatur eorum quæ ſciebat, aut malis moribus inficiatur, & forma Trident. moraliter obſeruatur, nam vnum examen ſufficit ad adquirendam idoneitatem pro Parochialibus in parua diſtantia temporis prouidẽdis.

Dico ſecundò, ſi diſtantia, & temporis intercapedo multa ſit inter primum examen, & prouiſionem Parochialis, neceſſarium eſſe nouum exa-
247. men. Sic intelligo declarationem Cardinalium, & Authores citatos. Ratio eſt, quia in illa magna temporis intercapedine poſſunt mores examinati notabiliter mutari, ſcientia obliuiſci, & ſic de idoneo fieri non idoneus, & de apto miniſtro ineptus.

Resolvtio XV.

Quomodo poſſint examinatores concludere concurſum examinis?

Svmmarivm.

248 *Senſus difficultatis eſt duplex.*

249 *Vt vterque ſenſus abſque ambiguitate clareſcat, aliqua prælibantur, & n. ſeqq.*

256 *Loquendo in primo ſenſu non poſſunt examinatores aliquibus ex præſentibus examinatis concurſum concludere ad effectum prouiſionis de Parochiali.*

257 *Loquendo in ſecundo ſenſu, quid ſentiat Auctor, & num. ſeqq.*

262 *Vtrùm examinatus, & prouiſus ab Ordinario poſſit à ſucceſſore iterum examinari. Reſpondetur, & num. ſeqq.*

248. Senſus difficultatis eſt duplex. Primus, an ſi ſint præſentes ad diem præfixum in edicto plures oppoſitores ad vnã Parochialem poſſint examinatores vno, vel aliquibus examinatis vno die concludere concurſum, itaut Epiſcopus prouideat Eccleſiam aliis non examinatis. Secundus ſenſus eſt. An ſi intra ſpatium edicti plures ſint oppoſitores ad præfatam Parochialem, qui ſubſcripſerunt pro examine, completo ſpatio edicti, ſi ſolum adſit vnus vel alter qui vno die examinari poſſint, poſſint examinatores Synodales non expectatis aliis qui deſcripti ſunt vno die concludere concurſum vt ad prouiſionem procedatur.

Vt tamen vterque ſenſus abſque ambiguitate clareſcat aliqua ſunt prælibanda quæ ad illius
249. enodationem conducere aliquatenus poſſunt. Primum, quod ſi ſemel edicto publicato iuridicè nullus oppoſitorum compareat ad diem examini præfixum, vel ex oppoſitoribus nullus ſit repertus idoneus, tunc poteſt concludi diem concurſus, & aliud edictum proponi ad conuocandos oppoſitores. Quod ſi nec ad hoc edictum aliquis idoneus compareat concluſo concurſu, ſine concurſu, præuio tamen examine alicui minus inſufficienti poteſt Parochialis conferri. Ita declarauit Sacra Congregatio apud Bellarm. & Barboſam *ad cap. 18. ſeſſ. 24. Trid.* & apud Proſper. & Auguſt. *ad ſumm. Bull. q. 5.* Cardinalis Matthæus reſpondit, *anno 1592. die 4. Martij* Epiſcopo Vicentino. Et in alia declamatione apud eoſdem 140.
habetur. Quod ſi redditus Parochialium, adeo exigui ſint quod non excedant vigintiquatuor ducatos auri de Camera, vt eas nullus idoneus requirat, & in concurſu nullus idoneus appareat, ſed omnes ſunt rudes *Sanctiſſimus mandauit conferri minus inſufficienti, quem poſtea inſtrui curare debet Epiſcopus vt idoneus euadat:* debet tamen præcedere examen, & examinatores iudicare qui ſit minus inſufficiens.

Secundum: quod tranſacto tempore præfixo 241.
in edicto, & vnus dumtaxat idoneus compareat, illo examinato poteſt concludi concurſus, nec opus eſt ponere aliud edictum, quamuis reddituſ Parochiales pingues ſint. Ita Barboſa *in collectan. ad Concil. cap. 18. n. 82. & de poteſt. Epiſcop. allegat 60. n. 51.* & deciſum refert Proſper de Auguſt. *vbi ſup.* & Garcia *p. 9. cap. 2. num. 215.* Filliucius *de Benef. tract. 41. num. 151.* Caſtro Palao *tract. 13. diſp. 3. punct. 2. §. 1. num. 8.* qui dicit vno 242.
idoneo comparente dumtaxat quia ille ſolus deſcriptus eſt, non poſſe Epiſcopum aliud edictum proponere prorogando terminum aliorum decem dierum, iuxta conceſſionem factam Pij Quinti *in Bulla ſæpius citata.* Sed verius eſt poſſe Epiſcopum prorogare edictum, quia hæc prorogatio conceſſa eſt à Pontifice vt poſſint eligi Miniſtri digniores Eccleſiæ. Quare etſi ille qui comparuit idoneus ſit approbatus; tamen poteſt in termino illorum decem dierum alius dignior comparere. Quare dubio procul poteſt Epiſcopus aliud edictum proponere, & concurſum differre 243.
pro aliis diebus; declarationes vero Cardinalium quas adducit Garcia *num. 215.* intelliguntur de termino viginti dierum tranſacto, ad quem limitauit Pius V. *in ſua Bulla.*

Tertium, quod ſi finito termino edicti, & peracto examine per examinatores Synodales, electoque ab Epiſcopo magis idoneo, ſi iſte decedat, aut deſiſtat, aut renuntiet electioni de ſe factæ, non eſt concluſus concurſus quantum ad effectum prouidendi Parochialem, ſed poteſt Epi- 244.
ſcopus ſine nouo edicto, & concurſu prouidere illam in magis idoneo ex relictis, eo modo quo infra enucleo. Hoc eſt contra Garciam *num. 122. & 123. vbi ſup.* dicit enim quod electione facta ab Epiſcopo de digniori iam eſt finitus concurſus: ſecus vero ſi non ſit facta electio, aut nominatio de digniori, quia tunc poteſt Epiſcopus ſine nouo concurſu prouidere Parochialem in magis idoneo ex relictis.

Ego quidem dico quod ſi electus, aut nomina- 245.
tus tanquam dignior ante poſſeſſionem acquiſitam cedat electioni nondum eſt concluſus concurſus, quia ſi electio non eſt acceptata, non eſt perfecta, & ſic cum non ſit actus perfectus non eſt finitus concurſus; ſi vero electio acceptetur, & poſt acceptationem electus deſiſtat ante poſſeſſionem, aut cedat iuri per electionem acquiſito, ſi huiuſmodi ceſſio, aut deſiſtentia fiat in continenti poſt acceptationẽ interuallo vnius, aut duorum dierum etiam non eſt concluſus concurſus quantum ad effectum prouidendi in magis idoneo ex relictis, quia quæ ſtatim retractantur pro non fa-

246. ctis habentur,& paria ſunt aliqua fieri ante actum vel poſt ſi fiat in continenti, vt ſi teſtis deponat, & immediatè in continenti iuret valet depoſitio, etiam ſi ante depoſitionem debeat iurare de neceſſitate. Ita Cenedo *ſingular.56. num.6.* Barboſa *tractat. de dictionibus vſufrequent. diction.155. num. 9.* Rebuffus *in concordata Rubrica de collat. §. præfati in verbo ante vacationem.* Iaſon *in l. admonendi num. 227. D. de iureiurando.* quia quæ in continenti fiunt, à iure ineſſe creduntur *l.lecta 40. §. dicebam D. ſi certum petatur cap. Officij 38. de electione,* & explicant Cardin. Tuſcus *tom. 4. littera I. conc.81.* Marcus Antonius *variar. reſol.*
247. *lib.1. reſolut.69. num.5. & reſol finali caſu 62.* ſi ergo poſt acceptatam electionem de ſe factam in continenti renuntiat electus, cenſetur renuntiatio facta (moraliter loquendo, quantum ad effectum prouidendi Parochialem) ante acceptationem, & ſic ſine nouo concurſu, & examine poteſt Epiſcopus illam dare magis idoneo ex relictis.

248. Hanc doctrinam abſque dubio attenderunt Eminentiſſimi Cardinales in Congregat. Concilij in illa celebri declaratione facta ad petitionem Capituli Toletani, Sede vacante,*anno 1577.* quam ad verbum refert Garcia *part. 9. cap.2. n.8. verſ. Octauo* ibi, *examen, & approbatio pro legitimis non habeantur ad Parochiales vacantes, ſi ante ad alias Parochiales quæ prius vacauerint fuerit facta. itaut non ſufficiat quem iudicatum fuiſſe idoneum præteritis menſibus, aut annis ad aliquas Parochiales,* &c. Vbi Sacra Congregatio facit menſionem menſium, & annorum, quia quæ poſt menſem, & annum fit non dicitur fieri in continenti, nam hoc aduerbium inuoluit celeritatem inter vnum, & alterum actum, vt notant Grillandus *tract. de Hæreticis lib.1. quæſt. 5. num.5. & 13.* Cenedus *vbi ſupr. num. 4.* Tiraquellus *ad l. ſi vnquam num. 119.* Nata *conſil. 50. num. 29.*
249. quæ diſtantia breuis interualli temporis non verificatur in menſibus, & annis præteritis, bene tamen in paucis diebus tranſactis; qui quanti debeant eſſe arbitrio Ordinarij iudicis relinquitur, vt multis citatis tenet Sanchez *lib. 10. de Matr. diſput. 12. num.23.* & ſic in hac materia vt plurimum denotat ſpatium triuni dierum *l.finali §. illico.* vbi Iaſon *C. de iudiciis.* Barboſa *vbi ſuprà num.16.*

Difficilius eſt ſi electus moriatur,an ſit concurſus concluſus, & ad prouiſionem ſit neceſſarius
250. nouus concurſus, nouumque examen. Et exiſtimo quod ſi mortuus eſt ante acceptationem electionis de ſe factæ quod ad prouiſionem non eſt neceſſarium nouum examen, & nouus concurſus, quia quouſque ſit acceptata electio non eſt perfectus concurſus, quia nondum eſt prouiſus Miniſter, & ſic de relictis poteſt Epiſcopus magis idoneum eligere. Si tamen electus moriatur poſt acceptationem iam concurſus eſt perfectus actus qui in continenti non poteſt retractari, cum ſit mortuum agens, & ita neceſſarium eſt nouum examen nouuſque concurſus per edictum nouum, ad quod faciendum eum-
251. dem terminum habet Epiſcopus numerandum à die mortis ſibi notæ, vt dicunt Nauarrus *conſ.11. num.3. de reſcriptis.* Cerda *in praxi p.2. §.2.*

Quartum, quia licet ceſſante ratione motiua legis humanæ, ceſſet ipſius obligatio, vt multi tenent, tamen ceſſante ratione ob quam forma
252. fuit inducta non propterea ceſſat obſeruatio formæ ſubſtantialis ad validitatem alicuius actus requiſitæ. Aretinus *in l. 2. column. 2. verſ. Tu autem D. de vulgari, & pupillari.* Tiraquellus *tract. ceſſante cauſa limit. 37.* Mantica *de coniectur. vltimar. voluntat. tit.1. num.25. lib.4.* Rota *in vna Veronenſi Monaſterij S. Zenonis 18. Martij 1575. coram fœlic. recordat. Clement. VIII.* Vnde fit 253.
quod nihil eorum quæ Trid. requiſiuit ad prouiſionem Parochialium tanquam formam ſubſtantialem omitti poteſt. Quare etiam ſi Patronus laicus in fundatione Eccleſiæ Parochialis ponat conditionem quod præſentatus ad illam ſit immunis ab examine Synodalium examinatorũ, hæc conditio turpis eſt, & ſic non admittenda. *cap.finali de condition. appoſitis.* etſi enim Patronus laicus de conſenſu Epiſcopi poſſit quaſcumque conditiones ponere in fundatione, *cap. cum* 254.
dilectus de conſuetudine cap. niſi §. porro de renuntiat. & Trident. *ſeſſ.25. cap.5.* tamen conſuetudo, & conditio de illiterato admittendo non ſubſiſtit. Abbas *in cap. poſt quam num.2. de elect.* Sotus *lib.3. de iuſt. quæſt.8. art.2.* Clerici enim de iure diuino debent eſſe litterati per notata *ad cap. extirpandæ de præbend.* hæc autem litteratura dignoſcenda eſt per examen ſiue in concurſu, ſiue extra. Vnde Rota *in nouiſſ. part. 1. deciſ.48.* deciſum fuit quod prouiſio Apoſtolica ſine examine non valet, quamuis Papa ſciat hoc Decretum Trident. quia cum inducat formam in prouiſione facienda, niſi expreſe deroget, non cenſetur derogare. Quæ doctrina veriſſima eſt,ſi loquamur 255.
de forma præciſa qualis eſt quam inducit Trid. reſpectu examinis, vt expreſsè determinat Rota cum Giptio *in vna Volaterrana Parochialis 20. Maij 1591. & in alia coram D. Pamphilio in vna Toletan. profeſſionis 27. Februar.1595.* apud Garciam *part.9. cap.2. num.330.* igitur videndum eſt an examen omnium qui præſentes adſunt ſit forma ſubſtantialis non omittenda, etiamſi plures extraiudicialiter cognoſcantur inepti ab examinatoribus.

His prælibatis, dico primò, ſi loquamur in primo ſenſu propoſito difficultatis in principio Reſolutionis, non poſſe examinatores aliquibus ex præſentibus examinatis, aliis non examinatis, concurſum concludere ad effectum prouiſionis de Parochiali. Hoc ad minus tenet Concilium *cap. 18. verſ. Tranſacto conſtituto tempore omnes qui deſcripti ſunt examinentur.* Et ſic declarauit Congregatio apud Barboſam *in declaration. num. 38.* Rota *apud Seraphinum in vna Toletana Parochi die 3. Iulij 1595. num.5. & in alia Carthagin. Paroch. coram Orano die 9. Decembris* 256.
1588. Et ratio eſt, quia omnes deſcripti intra tempus edicti, ſi adſunt, habent æquale ius, vt examinentur, & ſic non poteſt concludi concurſus ad effectum prouiſionis examinatis aliquibus, aliis omiſſis, quamuis examinatores extraiudicialiter agnouerint examinandorum ineptitudinem quia, vt modo dicebamus, etiam ceſſante ratione motiua ad inducendam formam forma omittenda non eſt.

Dico ſecundo, loquendo in ſecundo ſenſu exi- 257.
ſtimo contra Barboſam *in Collectan. ad cap. 18. citat. num. 80. & de poteſt. Epiſcop. allegat. 60. num.51.* Garcia *part. 9. cap.2. num. 330. & 331.* quod ſi examen fiat in die præfixo in concurſu, in quo adſunt aliqui præſentes examinandi, & non aduenerunt omnes qui deſcripti ſunt iſtis non expectatis poteſt concludi examen, & fieri

prouiſio

prouisio Parochialis. Ita tenent Palao *tract.15.de Benefic.disp.3.punct.1.§.4 num.3.* Garcia *p.9.c.2. num. 216. & 217.* qui sic loquitur: *An vno comparente possit prorogari terminus, & proponi aliud Edictum? Congregatio censuit non esse proponendum aliud edictum, sed illum qui comparuerit examini subiiciendum, & si idoneus repertus fuerit, eidem Beneficium esse conferendum, nisi qui descripti sunt excusent se legitimo impedimento detineri quominus valeant ad concursum accedere; tunc enim poterit Episcopus legitimè terminum prorogare.*

258.

259. *Ex qua declaratione apparet quod si ex oppositoribus descriptis aliqui non compareant ad examen in die pro examine, & concursu deputato nec se excusent, legitimè poterit sine eis examen, & concursus fieri, vt etiam alias censuit Sacra Congregatio his verbis: Episcopus vacante Parochiali posuit edicta, & infrà sex dies quatuor comparuerunt qui adscripti fuerunt iuxta formam Concilij, sed in die pro examine & concursu deputato ex ipsis quatuor duo tantum comparuerunt qui examini se subiicerent, idoneique reperti sunt, dubitatum fuit an examen prædictum subsistat ex quo duo alij adscripti non fuerunt examinati, cum Concilium præcipiat quod omnes adscripti examinentur? Congregatio censuit subsistere, quia verba Concily intelliguntur quatenus veniant ad examen, alias in potestate vnius esset nolle venire, impedireque ne vlterius procederetur.* Hactenus Garzia qui sibi non concordat *ad n.330.citatum.*

260.

Nec decisiones Rotæ quas adducit respiciunt speciem huius casus, non quæ facta est coram Seraphino *vna Toletan. Paroch.* nam vt constat *n.4.* in illo concursu non fuit appositus dies præfixus ad illum, & ad examen *& num.5.* cum adessent plures examinandi solus vnus fuit examinatus. Et *num.6.* non fuit expectatum tempus ad comparendum, intra quod potuissent alij concurrentes se examini subiicere. In quibus circunstantiis egregia, & doctrinalis fuit Rotæ resolutio declarans prouisionem nullam. Quæ circunstantiæ non concurrunt in specie nostri casus & conclusionis.

261.

262. Inquires. Vtrum examinatus, & prouisus ab vno Ordinario possit à successore iterum examinari? Respondetur, quod sine causa rationabili non potest, bene tamen si subsit causa rationabilis. Ita Barbosa in Collectan. *ad cap.13.sess.13. num.21.* ex Aldana *in Compend.canon. resolut.lib. 2.tract.5.num.28.* dicente ita esse resolutum *in vna Placentina 26.Augusti.1628.* Et hoc certum est, sicut potest Episcopus de nouo electus iterum exanimare, etiam Regulares, vt determinauit Pius Quintus *in Bulla quæ incipit, Romani Pontificis, edita anno 1571. Octauo idus Augusti.* ibi, *Ab Episcopo successore pro maiori conscientiæ suæ quiete de nouo examinari poterunt.* Ita tenent Miranda *tom.1.de Prælato Regular.q.45.art.7.* Et ita declarauit Sacra Congregatio semel apud Barbosam *in Collectan.Bullarum verb. Appellare.* Et iterum apud Villalobos *tom.2. tract.9. diffic.53. num.3.*

263.

264. Fagundez *in 2.Ecclesiæ præcept. lib.7. cap.2. num. 28.* quæ doctrina omnino certa multo fortiori iure currit in Parochis, qui magis intendunt animarum curis, & profectibus. Istud tamen examen non est necessarium quod fiat ab examinatoribus Synodalibus, sed ab aliis quos Episcopus elegerit, pro suæ conscientiæ quiete. Si Beneficium Parochiale fuerit perpetuum non poterit Episcopus Parochum quem insufficientem inuenerit ab illo priuare, sed vel suspendere ad tempus donec idoneus fiat, vel coadiutorem ponere. Secus vero si Beneficium fuerit amobile ad nutum; tunc enim si non fuerit idoneus repertus potest illo priuare, vt quotidie fit in hoc Archiepiscopatu Hispalensi, & sæpius fecit Eminentissimus Cardinalis Spinola.

265.

Resolvtio XVI.

Vtrum examinatores Synodales debeant nominari in Synodo formali?

SVMMARIVM.

266 *Supponuntur, & prælibantur quædam ad Resolutionem quæstionis, & num.* 281. 283. 285. 292. 296. *& seqq.*

298 *Respondetur ad titulum Resolutionis.*

SVpponendum est quod quamuis supra *Resolut.* 3. dixerim quod Episcopus vigore cuiusdam declarationis potest nominare examinatores Synodales à Capitulo approbandos in casu in quo illi qui in Synodo electi sunt non subsistant, quia vel decesserunt, vel recesserunt, vel inhabiles facti sunt vt constat ex Declaratione authentica Cardinalium Sacri Concilij Interpretum *anno 1593.* Decano Eminentissimo D. Cardinali Matthæio. Quamuis, inquam, hoc ita sit, & probabile etiam quod Episcopus propria authoritate non possit deficientibus Synodalibus alios examinatores ad effectum prouidendi Parochiales eligere, vt videtur declaratum *in vna Toletana, & in alia Sesenatensi*, quas authenticas refert Garcia *vbi suprà num.84.*

266.

Verùm enim verò verius existimo & probabilius contrarium, etiam si hic examinatorum defectus contingat ante annum celebrationis Synodi, si adsit aliqua rationabilis causa eam non celebrandi, contra Dianam *p.3. tract.5. Resolut.64.* & Iscoterium *de re beneficiaria tom.1. lib.2. q.31. à num.71.* Et contra eumdem Garciam *num.92. & 93.* tenent Homobonus *p.1. tract.2.exam.cap. 3.q.30.in fine.* Riccius *in Praxi tom. 1. Resolut. 355.* & sic tenuit Rota Romana *in multis decisionibus solidissimis fundamentis nixa in vna literens Archipresbyterat.6. Iunij 1582. & in Placentina Paroch.de Malpartida 20.Decembr.1585.* *Et in eadem 29.Nouembr.1593. & in vna Pampilo. de Muria. 23. Ianuar. 1592. & in alia eodem anno 29.Aprilis.* In quibus DD. Auditores censuerunt quod deficientibus examinatoribus in Synodo deputatis, potest Episcopus deputare examinatores absque celebratione Synodi. Has decisiones ad verbum refert Garcia à *num.87.* & ex ipsis sequentia solida eliciuntur fundamenta. Primum, quia vbi forma obseruari non potest ad validitatem actus requisita vt actus validus sit, si omitti non potest sine detrimento, sufficit quod actus fiat meliori modo quo possit. Ita Aimon. *consil.177.num.5.* Romanus *consil.433.num.5.* Tiraquellus *de legib.connub.gloss.6.num.116.* Rolandus *consil.81.num.25. lib.1.* & *consil.43. num.36. lib.2.* Alciatus *lib.1.num.41. de liberis, & postum.* & communiter DD. *ad l.Turpia §.1.D.de legatis 1.* dicunt quod statutum mandans quod mulieres debeant contrahere cum consensu consan-

267.

268.

269.

guineorum intelligitur quatenus adſint in loco contractus.

270. Secundum. Quia Concilium loquitur cum præſuppoſito quod examinatores Synodales exiſtant: ergo ceſſante hoc præſuppoſito ceſſat eius diſpoſitio irritans, vt notatur. *l.Mancipia.C.de ſeruis fugitiuis.*Ibi Fulgoſius,Salicetus *num.*3.Decius *conſil.*201.*num.*2. Riccius *conſil.*55. *in fine lib.*3.*& conſil.*83.*num.*5.*lib.*5. Socin. *iunior conſil.* 154.*num.*22.*lib.*3.

271. Tertium,Quia quando conſtitutio indicit formam,& illa de facto non poteſt obſeruari, veluti quia non adſunt perſonæ, vel qualitates requiſitæ,ſufficit quod actus fiat eo modo quo prius fieri poterat.*cap.Quia propter.*vbi Abbas *num.*12.*de electio.* Aymon *conſil.*12. *à num.*2. Quare cum Epiſcopus qui cum Synodalibus examinatoribus non potuit de Parochialibus, vt Concilium diſponit,prouidere, potuit per ſe ipſum examinatores deputare,ſicut ante Concilium,hoc enim permiſſum fuit *cap. Accepimus* & ibi Gloſſa, *verbo Examinari de ætate,& qualitate*

272. Quartum,Quia,vt ait Garcia *num.*94,ſecutus Flaminium *lib.*7.*q.*5.*num.*20. Beneficia Parochialia iuris patronatus laicorum poſſunt conferri præſentatis qui examinati ſunt ab examinatoribus deputatis ab Ordinario ſi non ſubſiſtant Synodales, quia quod iſti non exiſtant non debet nocere patronis: ergo ſi ob difficultates, & impedimenta Epiſcopus non poteſt Synodum congregare in qua eligantur examinatores,poterit illos ipſe deputare, cum non ſit in culpa quod iſti non exiſtant,& ſic illi non debet nocere, ſed poteſt vti iure antiquo, in quo illi hoc erat licitum,

273. vt optimè docet Palao *tract.*13.*de Beneſio.diſp.*3. *punct.*2.*§.*3.*num.*6. Quam poteſtatem non abſtulit Concilium ab Epiſcopis,ſed ſolum præſcripſit modum illa vtendi: quod ſi modus ille obſeruari non poteſt, quia ſerpit peſtis,vel adeſt aliud legitimum impedimentum congregandi Synodum, dubio procul poteſt Epiſcopus examinatores deſignare.

274. Quintum, Quia vt ait Rota apud Farinacium *p.*2.*deciſ.*34. *coram Cardinali Mellino die* 20.*Nouembr.*1595.*num.*2. Quando conſtitutio habenti poteſtatem faciendi actum mandat ſimpliciter ſine clauſula annullatiua actum fieri illum ſub certa forma, ſi fiat ſine tali forma actus valet,& tenet. Ita Gloſſa *in Clement.*1. *verbo Inhibentes de iure patronatus*, quam ſequuntur Cardinalis *q.*7. Ancharran.*notab.*3. Imola *num.*4. Abbas *num.*1.& *conſil.*91. *n.*1. *lib.*9. atqui Epiſcopus habet facultatem nominandi examinatores ad prouidendum de Parochialibus *cap.Accepimus citato*, & Conſilium non abſtulit hanc poteſtatem,ergo deputatio facta ab Epiſcopo tenet.

275. Sextum,Quia vt ait Rota apud eumdem, *ibidem deciſ.*577.*coram Veroſpio die* 14.*Aprilis ann.* 1614.*num.*9. quando aliqua forma datur ad aliquem effectum, bene per æquipollens poteſt adimpleri, dummodo effectus ſit ſubſecutus, vt tenent Pariſius *conſil.*31.*num.* 34. *lib.*2. Puteus *deciſ.*252.*num.*8.*& 9.lib.*2.Caſſado *deciſ.*2.*num.*2.*de re iudicata.* Baldus *ad l.ſi duo Patroni §.ſi quis iurauerit. verſ. quæro qui dicatur D. de iureiurand.* Bartholus *ad l.Gallus §.ſi quid D.de liberis, & poſtum.* Mantica *de tacit. lib.*2. *tit.*4.*num.*45.*&* 46.

276. Rota diuerſorum *deciſ.*33. *num.*4.*&* 5.*p.*2. atqui forma eligendi Synodales in Synodo eſt ad effectum quod eligantur Miniſtri idonei, ergo hæc forma poteſt ſuppleri per æquipollens, vt quod quando in Synodo non poſſunt eligi quia non celebratur, eligantur ab Epiſcopo de conſenſu Capituli.

Neque obſtant Declarationes Eminentiſſimorum Cardinalium,quas adducit Garcia *à num.*81. *vſque ad* 85.nam vel intelliguntur quando Synodus quotannis poteſt celebrari, neque eſt aliquod 277. impedimentum legitimum ad eam celebrandam. Vel intelliguntur quando ſubſiſtunt aliqui examinatores electi in Synodo, & iſtis omiſſis Epiſcopus, vel Capitulum eligit alios examinatores, qui iudices ſint deciſiui in examine ad Parochialem, vt conſtat in *vna Toletana adducta à Garcia num.*83.& in alia *Seſeraten.relata num.*84. in quibus reſponderunt Eminentiſſimi nullius efficaciæ fuiſſe examina peracta, ex eo quod excluſerunt Epiſcopi examinatores electos in Synodo ab examinatione, cum ſint iudices quibus id negotium commiſit Trident. non vero ex eo quod Epiſcopi non poſſint in defectum Synodalium non ſubſiſtentium alios deputare, quando 278. adeſt impedimentum legitimum celebrandi Synodum; tunc enim non eſt culpa Epiſcopi quod non eligantur in Synodo, & ſic reuiuiſcit poteſtas, quam ex iure communi habet ad deputandos examinatores ſe ſolo, de conſilio,aut conſenſu Capituli.

Totum hoc declaratur. Quia Concilium in 279. forma quam inducit, *cap.* 18. *citato*, circa concurſum, & examen faciendum in prouiſione Parochiali dicit quod examinatores Synodales quotannis in Synodo eligantur, & tamen, vt notat Garcia *num.*75. hæc non eſt forma ſubſtantialis ſed manent examinatores, cum ſua poteſtate etiam ſi ſingulis annis non deputentur à Synodo vt eſt ſæpius declaratum à Congregatione, & tenet Ledeſma *in ſumm.tom.*2.*tract.*7. *cap.*1.*conc.*7. *difficult.*13. quia Concilium id determinans ſupponit exequi aliud decretum quod quotãnis celebretur Synodus, quo ſuppoſito non exiſtente, forma illa non obligat, vt conſtat ex declaratione authentica Decano Cardinali Mateio, *in vna Toletana*, vbi quia non interfuerunt examinatores Synodales ante quatuordecim annos electi in Synodo, declaratur nullum examen,& Sedi Apo- 280. ſtolicæ beneficium curatum reſeruatum, iuxta conſtitutionem Pij V. citatam. Et idem dicendum in præſenti in ſpecie huius ſuppoſitionis. Ex quo fit contra Dianam *vbi ſupr.* & Venetum *in exam.Epiſcopali.lib.*4.*cap.*26.*num.*12. quod ſi in ſpecie huius caſus prouiſio Parochialis fiat, prouiſio valida eſt,quia non fit ſine examinatoribus legitime deputatis,& ſic tuta conſcientia impetrari non poteſt, & ſic electus tuta conſcientia Beneficium retinere poteſt.

Supponendum ſecundum. Quod examinato- 281. res in caſu neceſſitatis (quia Synodales non ſubſiſtunt) ab Epiſcopo deputati, & ab Epiſcopo approbati durant vſque ad tempus nouam Synodum congregandi. Vnde etiam poſt annum ſuæ electionis durant, & pro legitimis ſunt habendi. Ita Ledeſma *vbi ſupr.* Garcia *num.*73. & declarauit Sacra Congregatio ſemel *in Toletana* (Sede vacante) §.7.quam refert idem Garcia *num.*8.& iterum in alia Ciuitatenſi *ann.*1593.eodem relatore *num.*72. quæ declarationes authentica forma ſunt tranſcriptæ. Quare Epiſcopus deputans examinatores, non poteſt illos priuare, niſi cognita cauſa iuridice,quia eorum authoritas, & iuriſdi- 282.

ctio

ctio differtur ex declaratione Clementis VIII. vsque ad tempus Synodum congregandi, vt constat *ex declaratione Ciuitaten.* Quare id quod supra Resolut.····· dixi quod Episcopus simul cum capitulo potest examinatores à se deputatos amouere, intelligitur iuxta dicta, scilicet, si causa iuridice examinetur.

283. Supponendum tertium. Quod si examinatores aliqui Synodales per sententiam de crimine Simoniæ ratione examinis commisso fuerint conuicti potest Episcopus (si non potest Synodus celebrari) alios, loco illorum, deputare, si non superexerint sex. Colligitur ex dictis suppositione prima contra Barbosam *in Collectan. ad cap.* 18. *Concily num.* 104. qui in numeris sequentibus plura imponit Garciæ quæ non dicit. Si enim non est facultas congregandi Synodum, vt supponimus, Episcopus ex facultate sibi concessa à iure communi, & declarationibus Cardinalium supra relatis, poterit examinatores vsque ad sex deputare. Verum est quod si sit in viridi obseruantia, quod quotannis celebretur Synodus, non potest Episcopus, etiam prætextu quod ipse de nouo esset adeptus possessionem Episcopatus, si post

284. annum adhibeat examinatores superstites. Ita Rota *in vna Panormitana Archipresbyteratus* 5. *Iunij* 1620. *coram Buratto, inter illius impressas decis.* 479. Quare examinatores electi, & deputati in Synodis anterioribus, nisi in Synodo vltima sint de nouo electi, aut confirmati, non faciunt validum concursum, & examen. Ita decisum refert Barbosa *de offic. Parochi. cap.* 2. *num.* 67. *in vna Monopolitana* 13. *Iulij* 1630.

285. Suppono quartò, authoritatem Synodum congregandi residere in ordinariis Episcopalem iurisdictionem habentibus, vel in illis qui cum nullius sint, habent proprium territorium, vel quasi Episcopalem iurisdictionem, nam ius congregandi Synodum est ius Episcopale. *Cap. Conquirente de off. ordinarij.* vbi Honorius III. iura Episcopalia numerans inter ea ponit *Synodi Congregationem* iuxta *canon.* 6. *septimæ Synodi*, relatum *cap. Quoniam dist.* 18. vbi dicitur quod omni excusatione semota, omnibus modis celebranda est. Quem canonem confirmarunt plurima Concilia, Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. Basilienſe *sess.* 25. Toletanum 12. *sub Sixto IV. cap.* 1. Aurelianense

286. 5. *cap.* 18. Tarraconense 1. *cap.* 6. quod intellige de excusatione friuola, nam rationabilis admittitur, vt notat Glossa ibi, *verbo excusatione.* Legantur Concilium Lateranens. *sub Inocentio III. cap.* 6. Antiochenum *can.* 10. Epistola Hormisdæ Papæ *ad Episcopos Hispaniæ.* Castro *de iust. Hæreticor. punit. cap.* 5. vbi totis viribus adhortatur quod quotannis Synodus Diœcesana celebretur, & quolibet triennio Prouincialis, quæ per Archiepiscopum per seipsum celebrari debet, & sic Sede vacante, illam non potest celebrare Capitulum, sic determinante Tridentino *vbi suprà.* vt asserunt. Quaranta, *verbo Concilium num.* 2. *in*

287. *fine*, & si antea id possit facere, vt dicunt Bottæus *de Synodo part.* 1. *num.* 43. & alij, quod secus est de Synodo Diœcesana quæ potest celebrari à Capitulo, Sede vacante, quia Trident. *c.* 2. *citato*, non dicit quod Synodi Diœcesanæ celebrentur ab Episcopis per se ipsos, sicut dicit de Synodo Prouinciali, sed solum ait *quod Synodi Diœcesanæ celebrentur quotannis.* Ita Piasec. *in Praxi Episcopali part.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. Vgolinus *de officio Episcopi cap.* 48. Botterus *de Synodo part.* 1. *quæst.* 6. *& part.* 2. *num.* 2. Azor. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 45. *quæst.* 4. Barbosa *de Potest. Episcop. allegat.* 54. *numer.* 103. Massobr. *de Synodo cap.* 2. *dub.* 4. Pauin. 288. *de Potestate Capituli Sede vacante part.* 1. *quæst.* 7. & 10. Garcia *part.* 9. *cap.* 2. *num.* 8. dicit esse decisum in *vna Toletana Sede Vacante. vers. sexto edita anno* 1577. Gauantus *in Enchiridio Episcopor. verb. Synodus Diœcesana num.* 2. & multi alij asserentes quod Episcopus per suum Vicarium potest Synodum Diœcesanam celebrare, & ita idem potest Capitulum, Sede vacante per Vicarium suum.

Ratio est, Quia Capitulum Sede vacante fun- 289. gitur Vice-Episcopi, & succedit in his quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus iure expressis. Et iurisdictio data à Concilio Episcopis circa concursum est ordinaria, sicut & Congregatio Synodi. *cap. conquerente. de officio ordinarij* legatur Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 20. *num.* 1. Molina *de iust. & iure tract.* 5. *disput.* 11. *num.* 11. Hoc autem non potest Vicarius Metropo. quia 290. Concilium dicit quod Synodus prouincialis Metropolitanus per se ipsum faciat, & ipso impedito Co-Episcopus antiquior. Potest etiam Synodum congregare Episcopus consecratus qui nondum est possessionem adeptus, & qui electus est confirmatus. Ita Innocentius *in cap. Transmissam. in fine. de electione.* Si tamen sit electus & non confirmatus non potest Synodum congregare nisi sit immediate subiectus Papæ, vel sit vltra Italiam in valde remotis partibus, vt vtriusque Indiæ, & similium. Vnde fit quod neque ille 291. qui est nominatus à Rege Episcopus ante prouisionem Papæ non potest Synodum congregare. Ita Bottæus *quæst.* 6. *citat num.* 36. Massobrius *c.* 2. *citat. dub.* 2. & ratio est quia iste nominatus ante prouisionem Papæ nullam habet iurisdictionem quæ à solo Pontifice confertur.

Suppono quinto, quid requiratur ad Synodum 292. siue Prouincialem, siue Diœcesanam? requiritur enim vel edictum generale, vel speciales litteræ quibus vocales vocentur. Ita Massobr. *cap.* 2. *cit. dub.* 7. vel saltem requiritur quod in Synodo præfigatur dies Synodi sequentis, quo die præfixo non est necessarium edictum, vel litteræ speciales, nam ipse dies præfixus clamat, & edicit Synodum, quæ celebrari potest siue in propria, siue in aliena Diœcesi, de licentia tamen Ordinarij. Bottæus *part.* 1. *de Synodo. quæst.* 9. *num.* 57. Massobr. *dub.* 8. qui *dub.* 9. dicit quod fieri potest extra Ecclesiam in loco priuato. Ad eam tenentur venire nisi legitime impediti omnes Sacerdotes habentes animarum curam. Ita *Cap. Quod* 293. *super his*, iuncta Glossa *de maioritate, & obedientia.* Trident. *cap.* 2. *citat. vers. ratione tamen.* Quæ regula generalis est, & comprehendit etiam Regulares, & Monachos. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 29. *quæs.* 5. *num.* 4. & etiam Rectores Parochialium nullius, venire tenentur ad Synodum viciniorem, vt docet idem ibidem *numer.* 5. & Peyrinis *tom.* 1 *constit. in expositione constitutionis secundæ Iulij II. num.* 64. & 65. Quamuis Sayrus *in floribus decisionum. tit. de offic. iudicis ordinarij. decis.* 11. satis docte probet non posse 294. Episcopum huiusmodi Rectores compellere vt ad Synodum veniant, quia quamuis possit illos visitare, non tamen potest cogere vt interſint Concilio, cum aliud sit ius visitandi, & aliud vocandi ad Synodum, & sic ex concessione primi non sequitur concessio secundi, à disparitis enim non

sit

fit illatio. Idem docet Nauarrus *consil.* 11. *de potestate, & officio iudicis ordinarij*, etsi Bellarminus in *in Declaration.* dicat contrarium esse declaratum à Congregatione. Requiritur etiam quod si Synodus Prouincialis est celebrata, ipsa Synodus Diœcesana celebretur post sex menses numerandos à die in quo Episcopus in suam do-
295. mum aduenit. Ita Massobr. *part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 5. ex Concilio Toletano 16. *cap.* 6. relato *in cap. decernimus* 18. *distinct.* Si tamen necessitas expostulauerit, poterit pluries in anno celebrari. *Cap. de Conciliis* 18. *distinct.* quando autem aderit hæc necessitas, Episcopus iudicabit.

296. Suppono sexto. Aliud esse Synodum esse legitimam, aliud esse formalem; nam legitimitas sumitur à principiis positis in suppositione quinta, quod scilicet fiat edictum, quo conuocentur PP. Synodales, &c. At vero Synodum esse formalem exigit quod in ea tractentur negotia ad Diœcesim attinentia, hæc enim tractatio est finis Synodorum, vt dicitur in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. *Prouincialia Concilia sicuti omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renouentur.* Quod antea determinauerat Martinus Braccharensis Episcopus. *in libro*
297. *Græcarum Synodorum cap.* 18. *relato in Cap. propter Ecclesiasticas.* 18. *distinct.*

298. His suppositis & prælibatis ad titulum Resolutionis respondet Garcia, *cap.* 2. *citat. num.* 67. & 86. ex Bottæo *de Synodo* 1. *part. num.* 5 & 3. *part. in principio*, quod examinatores debent deputari in Synodo formali quam facit Episcopus cum Clericis sibi subditis ad tractandum de his quæ curæ Pastorali incumbunt, & de spectantibus ad reformationem; & bonum regimen Episcopatus. Vnde non sufficeret Congregari clerum ad effectum solum nominandi examinatores, & iudices Synodales tunc enim reuera non deputantur in Synodo, & sic examen, & concursus cum eis factus esset nullus.

At ego existimo quod si Synodus sit legitime publicata, *vt supra*, & congregatis in illo illis
299. qui interesse debent, & inuitatis capitulo Cathedralis, & Collegiatarum, & Vicario Episcopi qui interesse debet, vt tenet Massobr. *cap.* 3. *dub.* 5. fiantque in illa actus præambuli, vt sunt electio consultorum, tam in Theologia, quam in vtroque iure Doctorum, electio etiam Promotoris & Secretarij & legatur alta voce professio fidei, iuxta Bullam Pij IV. quæ incipit *Iniunctum*, & Decreta Trident. *de residentia*, quæ habentur *cap.* 1. *sess.* 6. *de Reformatione.* Si, inquam, his peractis eligantur adminus sex examinatores Synodales, & aliæ personæ, adminus quatuor, quibus causæ in partibus delegandæ committantur, quorum quatuor si aliquis deficiat potest Episcopus alium substituere, vt dicit Trident. *sess.* 25. *cap.* 10. nominetur etiam alij tanquam iudices Conseruato-
300. res pro quibuscumque capitulis, Conuentibus, & Ecclesiasticis communitatibus, qui in Synodo debent nominari iuxta constitutionem Gregorij XV. quæ incipit, *Sanctissimus, sub die* 20. *Septembr.* 1621. quamuis nihil aliud fiat in Synodo, omnes istæ electiones validæ erunt, quamuis ad nihil aliud congregetur & sic examina, & concursus, & sententiæ latæ à iudicibus validæ erunt.

301. Ratio est perspicua. Quia huiusmodi electiones examinatorum, & iudicum Synodalium per maximè necessaria est ad bonum regimen Episcopatus, vt finis imponatur litibus, & vt prouisiones Beneficiorum in Ministris idoneis fiant, vt oportet: ergo quamuis ad hunc solum finem Synodus Diœcesana valde formalis est: vtpote de re valde necessaria, quamuis in illa nihil tractetur de reformatione morum in speciali. Quare ad hunc dumtaxat finem congregatam fuisse in Diœcesi Abulensi refert Garcia *num.* 68.

Existimo secundò, Quod Synodus Prouincia- 302.
lis non est legitima, & formalis si solum congregetur ad effectum nominandi huiusmodi Officiales. Ratio est, quia vt Tridentinum dicit, *cap.* 2. *sess* 24. Synodi Prouinciales principaliter sunt institutæ, & renouatæ, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersiis componendis &c. Vnde *cap.* 18. *eiusdem sessionis* dicit quod examinatores Synodales eligantur in Synodo Diœcesana. Et rectè quidem, quia in Synodo Prouinciali non sunt ita benè cognitæ personæ cuiuscumque Diœcesis, quæ sint idoneæ ad hoc munus. Vnde Metropolitanus eo anno in quo ce- 303.
lebrat Synodum Prouincialem pro moderandis moribus &c. suæ Metropolis, debet celebrare Synodum Diœcesanam ad deputandos examinatores, & iudices suæ Diœcesis; hæc enim quotannis debet celebrari, illa vero de triennio in triennium, vt constat ex citato *cap.* 2. *Tridentini*, & ratio adducta idem confirmat, quia Episcopi aduenientes ad Prouincialem non benè noscunt personas idoneas in Diœcesi Metropolitani vtipsas eligant in iudices, & examinatores.

Resolvtio XVII.

Vtrum Examinatores Synodales teneantur sui Officij rationem reddere in Synodo.

SVMMARIVM.

304 *Adducuntur verba Concilij Tridentini.*

305 *An Synodus diœcesana possit rationem exigere ab Examinatoribus Synodalibus, & illos, si culpabiles sint punire?*

306 *An si Examinator pro examine ad Ordines aliquid acceperit, teneatur dare rationem in Synodo, tanquam infectus vitio simoniæ, & n. seqq.*

307 *An si quis Examinator, vt amico gratificaret, quadam inter examinandum dixit in fauorem promouendi, &c. incurrerit pœnas latas in Concilio, & n. seqq.*

SAcrosanctum Tridentinum Concilium lo- 304.
quens de Examinatoribus Synodalibus sic decernit *cap.* 18. *sess.* 24. *De his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Prouinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint.* Quæ verba intelligenda sunt si Synodus per Promotorem rationem sic officij exigat; tunc enim tenentur Examinatores illam reddere Synodo, quæ illos puniet si culpatos repererit.

Sed dubium est an id possit facere Synodus 305.
Diœcesana? Ratio dubij est, quia Concilium dicit quod id debet fieri in Synodo Prouinciali: ergo non in Diœcesana. Ex alia vero parte est, quia Diœcesana etiam congregatur ad morum emendationem,

dationem, & punitionem delictorum, *cap. Quoniam* 18 *distinct.* ergo in illa tenentur examinatores sui officij rationem redere, si promotor id exigat. Et ita mihi videtur. Et Concilium Tridentinum dat potestatem Synodo Prouinciali, non quidem priuatiuè, sed cumulatiuè, imo Episcopus solus si examinator diffamatus sit potest ab illo rationem exigere & illum, si culpabilis sit, punire.

306. Sed supersunt duo Diabola. Primum, An si examinator pro examine ad ordines aliquid acceperit, teneatur dare rationem in Synodo, tanquam infectus vitio simoniæ, de qua Concilium, *cap.* 18 *citato.* Ratio est dubitandi pro negatiua, quia Concilium Tridentinum nouum ius constituit inducendo crimen simoniæ, si examinatores Synodales in approbatione idoneitatis ad Beneficia Parochialia occasione examinis aliquid accipiant. 307. Quæ simonia cum solum sit de iure humano, & sit constitutio pœnalis non debet extendi ad examen pro ordinibus. Argumento ex regula, *Odia, de regul. iuris in* 6. & Glossa *cap. final. de iure Patronatus.* Decius *in Rubrica de iudiciis num.* 1. vbi Ripa *num.* 14. *&* 15. Et viri valde docti ita senserunt, quos tacito nomine refert Nauarrus *consilio* 67 *de Simonia.* Secundo. Quia ex approbatione examinatorum ad ordines nullum ius acquiritur ad ordines, nam restat in arbitrio ordinatoris, vel illos iterum examinare vt sibi constet ocularitèr de idoneitate, vel illos non 308. ordinare. Quod secus est in approbatione ad Beneficia Parochialia, nam semel approbatus ab examinatoribus non potest in eodem concursu iterum examinari ab Episcopo.

Sed quamuis hæc argumenta speculatiuè considerata apparentiam habeant, probentque non committi simoniam, attento iure naturæ, vel di- 309. uino, vt dicit Nauarrus *consilio* 67. *citato num.* 2. tamen iure Pontificio dubio procul incurritur simonia, vt docet idem Nauarrus. Probatur primò, Quia non solum committitur Simonia quando emitur ipsa ordinatio, sed etiam cum datur pecunia pro actis directis ad eius acquisitionem, quales sunt examinatio, approbatio, fauor, & intercessio, qua quæritur consensus ordinantis ad ordines dandos. Ita expressè habetur *in Concilio Narnetensi c.* 11. & habetur *in cap. Quando Episcopus* 24 *dist.* vbi textus clarè loquitur de exami- 310. natoribus, siue rogent Episcopum vt det ordines, vt sunt Archipresbyteri, & Archidiaconi, siue solum simpliciter examinent, vt alij prudentes viri gnari diuinæ legis, & cætera.

Sed placuit ponere hic per digressionem verba Glossæ ibi, verbo *Inuestigent*, vbi inquirit, *Sed nunquid ordinandi ita rigidè sunt examinandi vt* 311. *dicitur in textu? quod videtur, vt dicitur cap. Constitutus de Purgatio. Canonic. Et cap. Cum in cunctis de election. Arguitur contra ex l. Si quis venditor in principio. D. de ædilitio edicto. vbi dicitur, quod non ita amare, sed cum quodam temperamento accipiendum est, vt non requiratur nimia perfectio. cap. Cum nobis olim. Hæc autem tria potissimè requirenda sunt, ætas legitima, litteratura sufficiens, & morum honestas, cap. Cum in cunctis de election. Et si non fuerit in his tribus examinatus, deponendus est, cap. Nihil est de electione.*

312. Quæ doctrina Glossæ amplectenda est ab examinatoribus, maximè pro ordinandis Religiosis in quibus litteratura non est necessaria, vt notat Glossa *ad cap. Leg.* 16. *q.* 1. *verbo instructio.* Et nota Marginalis *ad cap. Quando Episcopus iam citatum.* Barbosa *tom.* 5. *collectan. ad Decretum in præfatum cap. Legi. nota quod minor scientia requiritur in Monachis, hos enim bene legentes, & cantantes, & si in lingua latina aliquatenus deficient, tuta, & secura conscientia potest Episcopus ordinare; regulariter enim loquendo non ordinantur ad curam animarum sed solummodo ad assistendum choro Diuinisque Officiis & ad ministrandum Altari, faciendamque rem sacram, remanetque in illis spes de comparanda tali scientia, & cognitione necessaria ad suum munus, & officium peragendum propter continuam instructionem, quæ hisce de rebus habetur in cunctis Religionibus. Quare ita tenent Maiolus de irregular. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 5. *Iacobus de Graffis p.* 1. *Decision. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 24. *Henriquez lib.* 10. *Summ. cap.* 16. *in fine. Carolus de Graffis de effect. lib. Clerical. in Prælud. num.* 64. *Portel in dub. Regular. verbo Ordines sacri num.* 6. *Miranda in Man. tom.* 2. *quæst.* 22. *art.* 7. *conc.* 1. Hactenus Barbosa. Quæ iuncta illis quæ diximus supra Resolution. 11. probabiliorem etiam in praxi faciunt hanc sententiam.)

Hac digressione posita probatur, secunda huius primi Dubioli Resolutio, quia negari non 314. potest, quin examinatio, & examinatorum approbatio conferant ius quoddam petendi, & accipiendi ordines ab Episcopo; est enim quædam via directa ad ordines, instituta ab Ecclesia magna cum deliberatione, per potestatem supernaturalem à Deo acceptam. Et ita ius quod per illam approbationem, & examinationem datur, est spirituale supernaturale, directum ad consequendum ordinem. Quare datio pecuniæ, aut doni pretio æstimabilis, dubio procul in accipiente, & dante Simonia est, iure Pontificio. Vnde manent 315. soluta duo argumenta in oppositum adducta. Primum, quia constat *ex cap. Quando*, quomodo sit Simonia. Secundum, quia examinati, & approbati habent ius ad petendos ordines, quamuis Episcopus possit illi iuri non satisfacere, ob rationabiles causas ipsum mouentes.

Secundum Dubiolum est additio ad resolutionem primam, An si quis examinator motus litteris alicuius Principis, aut amici valde chari (cuius epistolam adduxit examinandus) vt amico gratificaretur quædam inter examinandum dixit in 316. fauorem promouendi ad Beneficia, & sic erexit iste animum, & promptior factus est ad respondendum, ab omnibus examinatoribus renuntiatus est aptus, & idoneus. Dubitatur igitur, An 317. iste examinator incurrerit pœnas latas in Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *vers. Caueant.*

Nauarrus *Consil.* 53. *de Simonia. num.* 3. dicit quod si examinator per ea quæ dixit notabile ad- 318. iutorium non dedit examinando ad Parochialem non incurrit pœnas Concilij, cum nulla incurratur censura, aut pœna per id quod non præstat notabile damnum, vel commodum, cum in hac Simonia iuris humani, sicut in fere omni alia materia legis humanæ paruitas materiæ excuset à mortali, iuxta D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 4. & per notata à D D. *ad cap. vnum orarium* 25. *distinct.* vbi Barbosa *num.* 3. & Couarruu. *lib.* 1. *variar. c.* 1. *num.* 2.

Sed ego existimo quod si prædictus examinator videns turbari examinandum multum iuuet 319. motus litteris amici, ex quibus agnouit esse idoneum, sed tunc turbari, quod nullo modo incurrit

currit pœnas à Concilio impoſitas. Et ratio eſt quia ſuis verbis confortatus bene reſpondit, & aliis examinatoribus ſatisfecit. Quare examinator tantum abeſt quod incurrat pœnas quod imo potius fecit actum virtutis confortans puſillanimes:quod enim hoc faciat motus litteris vel amici,vel Principis non vitiat actum.

320. Secundò: quia finis Concilij in ponenda hac rigida pœna,& declarando ſimonię vitium incurriſſe eſt ne examinatores qui ſunt iudices conſtituti ad iudicandum de idoneitate prouidendi corrumpantur muneribus aut fauoribus humanis, & declarent idoneum qui reuera non eſt. Quod non contingit in præſenti, cum videndus ab omnibus aliis examinatoribus,vel à maiori parte eſt renunciatus idoneus.

321. Tertiò: Quia vt notat optime Nauarrus *conſil.21. & in Manuali cap.23.num.109.* duplex eſt confidentia, ſicut & duplex ſubordinatio. Vna bona quæ ordinatur in bonum finem, altera mala quæ ordinatur in malum, iuxta doctrinam

322. Cardinalis. *Clement.2.de Teſtib.not.2.* & ſic leges quæ prohibent confidentiam, & ſubordinationem cum ſint prohibitiuæ, & pœnales intelliguntur de confidentia, & ſubordinatione mala, non de bona, quia iſta eſt actus virtutis, vt egregie enucleat Nauarrus *Conſil. citato num.7. & 8.* Ita etiam duplex fauor poteſt prætendi ab examinatore Synodali, qui etiam præſtare poteſt motus illo fauore duplex iuuamen inter examinandum. Vnus *Bonus* eſt, & alter Malus. Primus ſi per litteras ore ad os illi dicantur virtutes, & ſtudia vera eligendi; & approbandi in examine. Se-

323. cundus fauor eſt malus, ſi examinatori referantur virtutes, & litteratura falſa, & occultentur nota vitia, quæ ſciens examinator multum iuuat oppoſitorem motus fauore humano. Et iſte dubio procul incurrit pœnas Concilij, non vero ſi multum iuuet motus fauore vero. Neque hoc iuuamen, cum ſit actus virtutis prohiberi queit.

Resolvtio XVIII.

Vtrum ſi Examinatores Synodales legitimè non examinauerint,prouiſio Parochialis ſit nulla, & irrita?

SVMMARIVM.

324 *Tribus dictis titulo reſolutionis ſatisfit,& numero 329.332.& 334.& ſeqq.*

324. EXempli gratia. Quia examinatores non erant legitime electi, aut quia non fecerunt iuramentum, vel non renuntiauere de omnibus de quibus renuntiare tenebantur, in quibus caſibus examen non eſt legitimum & in illis dubitatur,

325. an prouiſio ſit ſubreptitia, & nulla? Sed dubium poteſt procedere vel de prouiſione facta à Pontifice præſuppoſita relatione Ordinarij de idoneitate prouiſi, in cuius prouiſione dicit Pontifex: *Nos tibi, quia dilectis filiis examinatoribus in Synodo Diœceſana, iuxta formam Concilij Tridentini, deputatis ſeruata forma Concilij huiuſmodi in concurſu aliorum examinatus, & idoneus repertus, & teſtimonio ordinarij de vita, & moribus prædictis ab idoneitate commendatus, &c.* aut de prouiſione facta ab aliis inferioribus Epiſcopo præſuppoſito tamen examine facto in concurſu. Aut de prouiſione facta ab ipſomet Epiſcopo. Rurſus poteſt procedere dubium, vel in foro externo, & iudiciali, aut in foro conſcientiæ,itaut 326.
prouiſus teneatur in foro poli relinquere Beneficium Parochiale, ſicut ſupra diximus reſolut.9. diff.1.de illo qui ſine examine requiſito à Concilio habet Parochialem.

Suppono quod ſi Parochialis quæ prouidetur eſt iuris patronatus laici, etiam ſi examinatores legitimi non ſint, id eſt Synodales, perfecerint examen prouiſio eſt in vtroque foro. Probatur 327.
quia vt refert Aldana *in Compend. Canonic.Reſolution. lib.3. tit.9.num.52.* ita deciſum eſt *die 19. Decembr.* 1620. quod præſentatus à Patronis laicis ſat eſt quod examinetur,& reperiatur idoneus ab aliis examinatoribuus non Synodalibus. Quare etſi non ſeruetur forma,Tridentini valida eſt huiuſmodi prouiſio. Secundò, quia incuria, malitia, aut negligentia Epiſcopi, aut examinatorum nocere non debet Patronis præſentantibus legitime, & ſecundum ius quod ipſis competit. Quare etſi legitime non procedant, non inde 328.
caſſa eſt & irrita prouiſio.

Hoc ſuppoſito. Dico primò, reſpectu aliarum Parochialium,ſi examen legitimum non eſt aliquo ex capite, in foro externo eſt prouiſio nulla, & ſubreptitia, etiamſi prouiſio fiat à Papa præcedente examine, & teſtimonio Ordinarij de idoneitate, moribus, & vita prouiſi. Ita Garcia 329.
p.9.cap.2.n.265. Probatur, quia Concilium *c.18. citato* circa finem dicit,*quod omnes prouiſiones,ſiue inſtitutiones præter ſupradictam formam factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.* Quod Decretum Concilij comprehendere etiam prouiſiones Papæ, niſi ipſe expreſſe ſupra Concilium diſpenſet. tenet Rota *deciſ.* 48. *numer.3. part.1.* quod multo fortius currit in prouiſionibus factis ab omnibus aliis ordinariis Papa inferioribus,etiamſi ſint Cardinales,& Sedis Apoſtolicæ legati,& Apoſtolici Nuntij vt expreſſe declarauit Pius V. *in Bulla quæ incipit,in conferendis ſæpius citata.*

Quæ concluſio etiam tenet verum quantum- 330.
uis Papa Motu proprio faciat prouiſionem faciens narratiuam in illo quod præceſſit examen legitimum iuxta formam Trident. Si enim probetur contrarium prouiſio declaranda eſt nulla, & ſubreptitia; vt enim dicit Rota *deciſ.525.num.5.p.1. diuerſ.* falſitas cauſæ perpetuo annullat gratiam, quamuis motu proprio conceſſam;falſa enim cauſa aut qualitas relata de facto alieno, ſi iuridice probetur contrarium, ſi talis eſt quod difficilius gratia concederetur,nihil prodeſt;quia gratia conceſſa motu proprio, ſiue diſpenſando in impedimentis, ſiue in conferendo beneficia, non debet operari vltra mentem. & intẽtionem concedentis & intelligitur veris exiſtentibus expreſſis, ſine 331.
quibus alias, aut non conceſſiſſet, aut difficilius, vt tenent Guttierez *canonic. qq.lib.2. cap.15. numer.* 77. Azeuedo *l.2. titul.* 14. *lib.5. Recopilat. numer.* 31. Butteus *deciſ.* 187. *num.5. lib.* 1. Sanchez *lib.8.de Matrimon. diſput.21.num.46.& 47.* quamuis enim clauſula *Motus proprij* tollat ſubreptionem *cap.ſi motu proprio.de Præbend.in 6.& Clement.1.eodem.* ſed non quando requiritur diſpenſatio in aliquo ſimpliciter requiſito,vt notant Barboſa *ad cap.ſi Motu proprio citato. n.14.* Couarruu.*in Cap.Alma p.1.§.7. num.1.* & alij.

Dico ſecundò. Si quis à Papa prouidetur de 332.
Parochiali, præſuppoſito examine, ſed non legitime

aliquo ex capite, non tenetur in conscientia Beneficium relinquere ante sententiam declaratoriam nullitatis examinis. Probatur primò. Quia, vt ait *Rota, apud Farinacium tom.2. decis.* 741. *coram Burato* 22. *Iunij* 1615. *n.* 1. prouisio Apostolica præbet titulum coloratum, nisi notoriè constet de subreptione, quia tunc ex notorietate titulus discoloratur. Vnde prouisio Apostolica etiam si esset nulla, vel subreptitia præbet hunc titulum coloratum, vt tenet Rota *apud eumdem decis.*517. *num.*2. Cassad. *decis.*1.*num.*10. Puteus *in noua impression. decis.*76. *lib.*1. Si autem titulus ad non titulum non reducatur per sententiam,
333. non tenetur quis ante sententiam restituere aut fructus, aut Beneficium, cum perseuerante titulo ratione illius possideat. Et rem quam quis titulo aliquo possidet, bona fide possidet, & ratione bonæ fidei non tenetur quis re, quæ titulo est sua, ante sententiam priuari.

Dico tertiò, si quis ab aliquo Ordinario Papa inferiore, siue à Legato à latere, & Nuntio Apostolico prouideatur in aliqua Parochiali, examine non legitimè facto, tenetur in conscientia ante
334. sententiam relinquere Beneficium, & restituere fructus perceptos. Ratio est, quia sic prouisus non est possessor bonæ fidei, cum non habeat titulum, nec coloratum: ergo non potest retinere; titulus enim dat ius ad retinendum vsque ad sententiam qua titulus saltem coloratus fiat discoloratus, & reducatur ad non titulum. Ante-
335. cedens expressit Pius V. in Bulla citata, ibi, *Collationes, prouisiones, & quascumque deputationes Parochialium Ecclesiarum ab Episcopis, & à quibusuis aliis collatoribus, tam Ordinariis, quam delegatis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Sedis Apostolicæ Delegatis, vel Nuntiis præter, & contra formam Concilij Tridentini traditam, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam, factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, & nullius valoris fore, & esse, nullumque ipsis ius, aut titulum, etiam coloratum possidendi præbere volumus.*

336. Quæ conclusio intelligitur nisi prouisus laboret ignorantia iuris, aut facti inuincibili; quamdiu enim durat non est possessor malæ fidei, & nullam obligationem incurrit restituendi. Vt autem hæc ignorantia depellatur non sufficit quod vnus, vel alter dicat examen non esse legitimum, sed requiritur quod sint testes omni exceptione maiores. Quare si iste habuit titulum putatum sibi sufficientem ex iusto errore, & ignorantia inuincibili promanantem, potest præscribere, vt determinat Rota, *apud Farinac. tom.2. decis.*672.
337. *coram Coccino Decano anno* 1615. *die* 30. Maij ex l. Celsus D. de vsucapio. *Vnde decennalis possessio est melior titulus de mundo ad possidendum in conscientia*, vt dicit Seraphinus *decis.* 974. *in Toletana Parochialis* 24. *Februar.*1592. *num.*3. & sic talis possessio est optimus titulus coloratus qui non ita facilè discoloratur, maximè vbi est tolerantia Superiorum, qui soliti sunt sic visitare. *Idem decis.* 1055. *in Marsicana Beneficij* 15. *Decemb.* 1593. *n.*3. & *decis.*1498. *die* 16. *Maij* 1604. *in Flauentina Monasterij numero* 19.

***

Resolvtio XIX.

Vtrùm examinatores Synodales possint alteri examen in concursu faciendum delegare, aut committere.

SVMMARIVM.

338 *Quædam supponuntur in ordine ad resolutionem huius quæstionis, & num.* 350. *& n. seqq.*

356 *An veniente die concursus ad Parochialem possit aliquis examinatorum alteri, scientia & prudentia prædito subdelegare examen faciendum de scientia, & litteratura prouidendi.*

357 *Ratio dubitandi.*

360 *Resoluitur difficultas.*

366 *Respondetur ad rationem dubitandi.*

338. SVppono quod si Pontifex det litteras Apostolicas in forma *dignum arbitramur*, &c. cum mandato de prouidendo, si dignus, & idoneus reperiatur, quas committit Episcopo, vel Ordinario addens, *Super quo conscientiam tuam oneramus*, quæ verba non ponuntur in forma pauperum, potest nihilominus Episcopus, vel Ordinarius examen de idoneitate in litteratura, vita, & moribus alteri committere, dummodo sit vir prudens, & doctus de cuius scientia, & prudentia sit satisfactus, siue sit in dignitate constitutus, siue sit simplex Clericus. Ita Riccius *in collectan. part.* 5. *decis.* 1690. *vers. Hinc est.* Barbosa *ad cap. is cui num.*2. *de officio iudicis delegati. & in Collectan. DD. ad cap.*13. *sess.*7. *conc. c.* 24. Aldana *in compend. Canon. resolut. lib.* 2. *titul.*5. *num.*11. Rota *decis.*63. *in antiquis, alias* 752. vbi id expressè deciditur. Ioannes Andreas *in cap. super de offic. delegat.* Nauarrus *tit. de offic. Vicarij conf.*2. *n. vnico in* 1. *edition. & consil.*6. *tit. de offic. iudic. delegat. in* 2. *edit.* Emmanuel Rodrig. *tom.* 2. *qq. regular. q.*119. *art. vlt. concl. vlt.* Genuensis *in praxi cap.* 69. *num.*5. Thomas Sanch. *infra citandus.* Angelus *in authent. ad hæc num.* 2. *cap. de iudiciis.* Stephanus Gratianus *decis.* 157. *Marchiæ num.*9. Flores *q.*4. *à num.*67. Graffis *decis.*9. *lib.* 2. *Thesaur. decisio. aureor. casuum conscient.* & declarauit Sacra Congregatio interpretum, quam refert Garcia *infra citandus numero* 103.

339. Probatur primò, quia licet addantur illa verba, *Super quo conscientiam tuam oneramus*, nisi aliud reddatur non eligitur industria personæ, sed solum fit delegatio vt constet idoneitas, & dignitas prouidendi, & sic executor litterarum potest alteri vices suas subdelegare, cum delegatus Papæ vices suas possit subdelegare *Clementin. iudices de officio delegat.* & ibi omnes Doctores. Vnde egregiè, vt assolet, Thomas Sanchez *lib.*8. *de Matrimon. disputat.*27. *num.* 43. *in fine dicit quod quando ea verba conscientiam tuam oneramus, non diriguntur personæ nominatæ, videntur posita in vim monitionis, potius quam in vim for-*
340. *mæ delegationis, & consequenter examen per ea verba à Pontifice commissum poterit subdelegari. Quod eo vel maximè verum est quod per huiusmodi verba, & similia non censetur electa industria persona, quando delegatio non fit persona cognita, & determinatè sed dignitati,*

alias dicendum esset eam commissionem mortuo eo officiali non transire ad successorem. Hæc ibi. Quare etsi delegatio cum præfata clausula fiat Hispalensi Archiepiscopo, aut Toletano determinatè, si non determinetur, & nominetur persona, semper potest subdelegari. Legatur Sanchez *lib.3.de Matrim.disp.7. num.20.* Imo etiam si nominetur
341. persona nomine proprio, vt notat Garcia *part.6. cap. 2. num. 110.* alicuius constituti in dignitate, vel officio quod talis commissio non fit tantum ratione personæ, quantum ratione officij, vel dignitatis.

Secundò, quia consuetudo, & vsus est optima legum, & litterarum Apostolicarum, etiam in
342. forma *dignum*, interpres. Atqui generalis consuetudo omnium executorum, etiam cum præfata clausula est quod possit examen subdelegare, vt testatur Rota *decis. 18. in nouis, alias 457.* ergo hæc consuetudo vt licita obseruanda est *cap. cum consuetudinis de ætate, & qualit.*

Tertiò, quia illa verba, *Super quod conscientiam tuam oneramus* potius sonant in monitionem, quam in conditionem, & non sunt nisi ex-
343. citatiua, vt fiat prouisio vt oportet *cap. licet de officio ordin.* & declaratiua obligationis quam quilibet iudex siue Ordinarius, siue delegatus tenetur facere; alias ædificat in gehennam *cap. litteras de restitut. spoliator.* Quare id quod explicatur præfatis verbis de iure non solum humano, sed diuino tam naturali, quam supernaturali inest. Et sic quando expressè ponuntur, nihil de nouo operantur, nec inducunt nouam formam, vt te-
344. nent Glossa *Clement. I. de off. delegat. verbo repererint.* Cardinalis *ibi quæst. 13.* Immola *n. 20.* & 21. Nauarrus *in summ. cap. 27. num. 37.* Couarr. *ex cap. alma p. 1. §. 9. n. 8. & 9.* quos citat, & sequitur Barbosa *in collectan. ad præfat. Clementin. num. 9.* ergo delegatus Papæ cui remittuntur litteræ cum præfatis verbis poterit subdelegare, & examen factum per iudicem subdelegatum validum erit, & per consequens prouisio, si sit reperta idoneitas. Nisi in litteris dicatur quod examen fiat per examinatores Synodales. Hæc autem conditio non iure communi inest, & sic inducit formam quæ prætermitti non potest. Si tamen dicatur, *Per diligentem examinationem per se adhibitis examinatoribus Synodalibus faciendam, &c.*
345. potest Ordinarius suum examen committere alicui qui cum præfatis examinatoribus examen perficiat, quia præfata verba solum denotant quod examen debeat esse per Synodales, non tamen excludunt quin executor possit committere, aut subdelegare delegationem suam, an tamen examinatores Synodales id possint dicam modo.

Doctrina huius suppositionis, etiam tenet verum, quidquid dicat Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disput. 33. num.4.* quamuis in litteris Apostolicis dicatur, *Si per solertem inquisitionem inueneris esse idoneum ad Beneficium, conferto illi.* Hæc enim verba non inducunt formam, sed veniunt in admonitionem. Ita Glossa, Cardinalis. & Nauarrus *citati.* Et ratio est perspicua, quia si dicatur in litteris, *Si idoneus sit*, hæc verba non inducunt formam, vt fatetur Thomas Sanchez:
346. ergo etiam si dicatur, *Si per solertem inquisitionem inueneris esse idoneum, non inducitur forma.* Consequentia est clara, quia illa verba, *Si idoneus sit* denotant quod delegatus faciat solertem, hoc est, prudentem inquisitionem de idoneitate, vt sibi prudenter constet prouidendum esse idoneum, hoc enim iure naturali inest: ergo quamuis expressè ponatur *Si per solertem inquisitionem, &c.* non ponitur aliqua noua forma, itaut sit necesse fieri aliquam specialem informationem. Tum etiam, quia solers inquisitio idem 347.
est ac prudens informatio de idoneitate, at prudens informatio semper de iure inest: ergo solers inquisitio. Et denique quia solers inquisitio, & prudens informatio includuntur in recta conscientia quam exquirit Pontifex dum dicit, *Super quo tuam conscientiam oneramus*, atqui hæc verba, vt vidimus ex ipso Thoma Sanchez, non inducunt formam, sed solum sunt in admonitionem recti exercitij executionis: ergo nec priora.

Quod si dicatur in litteris: *Committimus conscientiæ tuæ*, aut *quod procedas secundum conscientiam tuam*, tunc, ait Rota *in vna Regien. Hospitalis 26. Martij 1580. coram Cantucio decis. 130. 2. part. diuers. num. 4.* cum Abbate *in cap. Pastoralis de officio delegat.* & Felino *ibi & verbo delegatus in repertorio* quod non potest fieri subdelegatio. Quos sequitur Garcia *part. 6. cap. 2. num. 102.* Sed mihi non probatur hæc opinio, sed contraria magis arridet, quod etiam in hac specie possit fieri subdelegatio, quia ista 349.
verba solum significant admonitionem, sicut illa, *oneramus conscientiam tuam*, vt executio fiat vt oportet, & id quod significant inest de iure communi, quare quando exprimitur nihil operatur. Quod probant ea quæ adduximus in Superioribus. Legatur Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disp. 8. num. 4.*

Suppono secundò, id quod dixi Resolut..... 350.
quod examinatores, etsi quando ipsi velint facere informationem de moribus, & vita personæ prouidendæ possint illam facere, siue iudicialiter, siue extraiudicialiter. Tum si sciant aliquid indecens, teneantur illud renuntiare Ordinario, alias mortaliter peccabunt, & officio suo non satisfacient, vt notat Garcia *part. 9. cap. 2. n. 106.* tamen informationem istam possunt committere Episcopo, & illi se conformare. Ita Barbosa *in collectan. ad cap. 18. sess. 24. Tridentini, ex decisione Rotæ coram Caualler, quam loco citato adduxi.* Verum est quod examinatores non possunt 351.
se exonerare ab informatione de moribus, & vita dicentes hoc esse onus Episcopi, cum illis Concilium hoc onus iniunxerit, sed non priuatiuè ad Episcopum, sed cumulatiuè, itaut possint se exonerare, & Episcopo totum hoc onus remittere, quia vt dixi, Episcopus maiorem habet notitiam de ouibus suis. Quare quando Sacra Congregatio Eminentissimorum Interpretum Concilij apud Garciam *part. 6. cap. 2. à num. 137.* censuit examinatores teneri relationem facere, etiam circa ætatem, & legitimam ordinationem, & legitimum thorum, bonos mores, ex quibus conflatur idoneitas, intelligitur quando id resciuerint. Quod si nesciant non tenentur per seipsos de his 352.
informationem facere sed sat est quod per Episcopum, aut ipsius Vicarium faciant, & quod nihil in contrarium sciant.

Vnde optimè Garcia *p. 9. cap. 2. num. 111.* adducit sequentes Cardinalium declarationes: *Approbantibus examinatoribus aliquem, tanquam magis idoneum in scientia, cuius tamen mores ignorantur, & habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum, & approbatum in moribus, hic vltimus est præferendus.* Et alia quæ dicit: 353.

Præfe

Præferendus eſt minus doctus, modo idoneus, quando eius mores ſunt noti, & approbati, Doctiori cuius vita ignoratur. Et hanc adducit Gonzalez: *ad reg.8.Cancell.gloſſa 4.n.112.* Et ratio vtriuſque deciſionis eſt, quia examinatores ſunt iudices conſtituti à Concilio vt iudicent de idoneitate oppoſitorum: ergo ſi agnoſcunt aliquem idoneum in
354. ſcientia,& bonis moribus ornatum,quamuis alius ſit doctior, ſi tamen ignorant mores an boni vel mali ſint, non poſſunt iudicare magis idoneum, cum idoneitas ex pluribus conſletur. *cap. cum in cunctis de electio. & cap. cum te de ætat. & qualit.* Trident. *ſeſſ.24.c.18.& ſeſſ.22.c.2. & 4.de reform.* tenent Gonzalez *vbi ſup.à n.*108.Guttierez *lib.2. canon.qq.c.11.n 61.* Staphileus *de litteris gratiæ 9. forma à n 16.* Rebuffus *in praxi, titulo, requiſita ad collationem.* Et alij, & ſic minus doctus præferendus eſt, ſi ſit litteratura ſufficiens, & cæteræ partes integrantes idoneitatem notæ, & in do-
355. ctiori ignoratæ, cum iudex non ignoranter, ſed ſcienter debeat ſententiam proferre.

Verum eſt quod ſi in doctiori ſit ſcientia eminens nota, & manifeſta, & non ſcitur male viuere tenentur examinatores, ſaltem extraiudicialiter informationem facere per ſe, vel per alios de moribus, & vita doctioris antequam renuntient Epiſcopo de idoneitate: non enim ignorantia ipſorum nocere debet doctiori. Poteſt enim contingere quod ſit diuerſi Epiſcopatus, & ſic inculpabiliter ignotus examinatoribus.Sed de hoc iterum Reſolutione ſequen. vbi plura ſcitu digna.

356. His ſuppoſitis difficultas non parua ſupereſt, an veniente die concurſus ad Parochialem poſſit aliquis examinatorum alteri ſcientia, & prudentia prædito ſubdelegare examen faciendum de ſcientia, & litteratura prouidendi. Ratio dubitandi eſt, quia Concilium loco citato æquè loquitur de ſcientia, moribus, & vita, de quibus
357. renuntiare tenentur Epiſcopo examinatores, ſed iſti poſſunt ſe remittere Epiſcopo, quantum ad informationem de moribus, & vita, vt vidimus ſuppoſitione ſecunda, ergo etiam quantum ad informationem de ſcientia. Et ſicut in prima informatione non eligitur induſtria perſonæ, ita neque in ſecunda,cum enim examinatores habeãt iuriſdictionem ordinariam ad iudicandum de idoneitate, non videtur cur non poſſint eam delegare,iuxta vulgatum axioma quod iuriſdictio or-
358. dinaria delegari poteſt. Et quidem quod examinatores ſint iudices Ordinarij ad iudicandum de idoneitate oppoſitorum conſtat, quia vt dicunt Menochius *de præſumptio lib.2. cap.26.num.31.* Sarauia *de adiunctis quæſt. 32. num.7.* Maſtrillus *deciſ.202.* quando iudex adiungitur Ordinario à lege, adiunctus eſt etiam iudex Ordinarius, licet quando adiungitur à Principe ſit delegatus; atqui
359. examinatores Synodales adiunguntur Epiſcopo reſpectu prouiſionis Parochialis, non à Papa, ſed à lege lata in Tridentino: ergo ſunt iudices Ordinarij ad iudicandum de idoneitate perſonæ cui facienda eſt prouiſio.

Sed nihilominus mihi indubitatum videtur examinatores Synodales non poſſe committere alteri quantumuis docto examen faciendum in concurſu reſpectu Parochialium,ſed per ipſos debent id præſtare. Quod ſi ſint legitimè impediti, inhabiles, aut abſentes,Epiſcopus debet prouide-
360. re de remedio, iuxta dicta in Superioribus. Huius reſolutionis duo ſunt fundamina. Primum, quia quando eligitur induſtria perſonæ ad aliquod negotium non eſt locus ſubdelegationi, vt eſt omnino certum in iure, de quo nullus dubitat, ſed reſpectu examinis faciendi in concurſu ad prouiſionem Parochialium eligitur induſtria examinatorum Synodalium, qui ſint inſtructi ſcientia,& prudentia: ergo non poſſunt ſuam poteſtatem alicui ſubdelegare. Minor conſtat ex pluribus. Primò, ex Tridentino *cap.18.cit.* vbi præcipit Sancta 361.
Synodus. Primò, quod eligantur in Synodo. Secundò, quod ſint licentiati,aut Doctores, vel qui magis fuerint idonei ad præfatum munus.Tertiò, quod iurent ſe fideliter munus executuros.Quartò, quod peracto examine Epiſcopo renuntient quotcumque ab eis idonei iudicati fuerint. Quæ omnia dubio procul denotant clarè, & manifeſte eligi in his induſtriam ipſorum.

Secundò, quia examinatores Synodales ſunt 362.
conſtituti, & tam grauiter electi vt Eccleſiæ,Dei prouideatur de Miniſtris idoneis, vt conſtat ex Trident. in exordio *cap.18. citati*, ibi, *expedit maximè animarum ſaluti à dignis, atque idoneis Parochis gubernari.* Itaque in examine facto in concurſu non prouidetur perſona de Beneficio, ſicut fit in litteris in forma *Pauperum*, vel in forma, *dignum*, ſed prouidetur Eccleſiæ de perſona: ergo eligitur examinatorum induſtria,argum. manifeſto *ex cap. is cui 12. de officio iudicis delegati in 6.* vbi omnes quorum plures refert ibi Bar- 363.
boſa *num.1. & 3.* & in collect. *ad cap. vltimum eodem §. is cui in Decretalibus à num.3.*

Tertiò, quia prouidere alicui Eccleſiæ Parochiali de Miniſtro idoneo res eſt ardua valde,quæ ſi bene exequatur valde vtile eſt ipſi Eccleſiæ, ſi malè valde damnoſum: atqui quando res eſt ardua, quando eius executio delegatur cenſetur electa induſtria perſonæ, & delegatus non poteſt ſubdelegare, vt tenent Ancharranus *cap. finali de officio iudic. delegat. num.5.* Aimon *conſ.303.n.3. volum.2.* Menochius *de arbitrar. lib.1. quæſt.54. num.11. & 12.* & Rota *apud Farinacium tom.1. deciſ.234. n.9.* & alij quos tam ipſe, quam Thomas Sanchez *lib.3. de Matrimon. diſp.7.18. re-* 364.
ferunt. Et eſt caſus deciſus *in cap. is cui de officio delegat. in 6.* vbi Bonifacius VIII. dicit, *Quod circa eligendam perſonam idoneam certæ Eccleſiæ induſtria tunc videtur electa:* ergo cum examinatores Synodales eligantur in Synodo ad approbandas perſonas idoneas Eccleſiæ non poſſunt ſubdelegare officium ſuum.

Secundum fundamentum ſit. Quia examina- 365.
tores Synodales eliguntur ad nudum factum, & miniſterium, vt eſt examen in ſcientia: atqui nudum factum, & miniſterium ſubdelegari nequit, *cap. fin. §. is cui de officio delegati.* & notant DD. *in cap. cum Bertholdus de re iudica. & in Clem. iudices de officio delegat.* vbi Paul. & Gloſſa *littera A.* quia examinator eſt nudus Miniſter, & ita non ſubdelegat, quia propriè non eſt iudex, ſed examinator, vt conſtat dum alicui committitur teſtium examinatio, qui ſubdelegare non poteſt: quamuis enim examinatores Synodales ſenten- 366.
tiã ferant de idoneitate oppoſitorũ,tamẽ hoc iudiciũ fũdatur in nudo examinis miniſterio quod eſt indelegabile:quod ſecus eſt in executione literarũ in forma,Dignum,cuius induſtria non eligitur.

Ex his reſpondetur ad rationem dubitandi, eſſe diuerſam rationem, quia vt notat Felinus *in cap. cum Bertholdus citato num.2.* & Antonius Mariæ Papazon *in adnotat. ad deciſion. 3. aliàs 164. de offic. delegati in nou.* in examine de ſcientia eligi-

tur induſtria perſonæ, quod ſecus eſt in informatione de moribus, & vita, fide, legalitate, &c. quæ delegari poteſt, Clement. *Romani de iureiurand.* Vnde quamuis examinatores ſint iudices Ordinarij ad ferendum iudicium de idoneitate in
367. concurſu ad Parochialem, miniſterium examinis de ſcientia, & litteratura delegare non poſſunt; alias concurſus nullus, quia in hoc eligitur eorum induſtria, vt dixi, non tamen in informatione de vita, & moribus.

Resolvtio XX.

Ex quibus capitibus debeant examinatores aliquem iudicare idoneum?

SVMMARIVM.

368 *Concilium Trid.* cap. 18. *adducitur.*
370 *Ille dicitur dignior, & idoneior, qui ad miniſterium ad quod aſſumitur vtilior, & aptior exiſtimatur, & n. ſeqq.*

COncilium Tridentinum *cap.* 18. *ſæpius citato* ſic fatur ad examinatores Synodales: *Peracto examine renuntientur quotquot ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam opportunis.* Quibus verbis quatuor principia idoneitatis
368. expreſsè enumerat, & plura alia implicitè, ibi *aliis rebus*, vt ſunt legitimus thorus, ordo requiſitus, quod ſit ortus ex Patribus non infectis aliqua infidelitatis ſpecie, vt hæreſi, Paganiſmo, aut Iudaiſmo. De hac idoneitate legendi ſunt Gutierez *conſil. 2. n. 22. & lib. 2. Canonic. qq. cap. 11. à n. 61.* Gonzalez *ad reg. Menſium gloſſa 4. à n.* 108. Petrus Gregor. *de Benefic. cap. 35. n. 1.* Rebuffus *in concord. tit. de collat. verſ. idoneitas.* Azor *p. 2. lib. 6.*
369. *c. 15. q. 1.* Vaſq. *opuſc. de Benef. c. 2. §. 3. dub. 1. n. 49.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 34. dub. 14. numero 64.* Rebellus *de oblig. iuſt. p. 1. lib. 3. q. 2. n. 1.* Campanil. *in diuerſ. iur. rubr. 7. cap. 6. n. 73.* Caſtro Palao *tom. 2. tract. 13. de Benef. diſp. 2. punct. 11. §. 2. n. 4. DD. cap. cum in cunctis de electio & cap. eam te de ætate & qualit.* vbi Barboſa *à num. 3.* Anton. Auguſt. *collectan. 1. Decretal. lib. 1. tit. 4. cap. 16.*

370. Ex quibus colligitur quod ille dicitur dignior, & idoneior qui ad miniſterium ad quod aſſumitur vtilior, & aptior exiſtimatur. Quare ex maiori aptitudine, & proportione ad finem miniſterij deſumenda eſt maior, vel minor idoneitas, aut dignitas electi, ſi alias iſte non eſt impeditus aliquo impedimento iuridico. Quare contingere poteſt vt ſanctior, & doctior minus aptus ſit ad animarum curam, qua non viget ea prudentia, & vigilantia, qua alius minus ſanctus, & minus
371. ſanctus, & minus doctus. Vnde ille dicitur, & dignus, & idoneus qui habet ſufficientiam, & omnes partes requiſitas ad miniſterium prout oportet miniſtrandum, quamuis comparatione alterius maiorem ſufficientiam habentis (qui dignior dicitur) vtiliuſque adminiſtraturi minus dignus exiſtat.

372. Circa quæ notanda maximè eſt doctrina Eminentiſſimi Caietan. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 3. §. *in eodem artic. quam deſumpſit ex D. Thom.* ibidem, dicit enim Cardinalis: *Diligenter aduerte diſtinctionem in littera poſitam, ſcilicet quid conueniat diſtribuenti, quid acceptanti Epiſcopatum* (& idem eſt de Beneficio curato cum actuali cura, proportione ſeruata) *& menti fige quod diſtributor tenetur ad comparatiuam, hoc eſt, ad eligendum meliorem ad regimen Eccleſiæ. Vbi tria includuntur, primo quod eligendus ſit bonus ſecundum charitatem, nullus enim peccator eſt eligibilis, & loquor de peccato mortali.* (notent hæc DD. electores, nam ſermo eſt de peccato mortali publico, & cum ſcandalo) *Secundo quod ſit bonus, ſeu idoneus ad Eccleſiæ regimen in tribus actibus conſiſtens principaliter quæ in littera numerantur, ſcilicet inſtructio, defenſio, & pacifica gubernatio. Tertio quod ſit magis idoneus ad hæc quam quicumque alius poſſibilis haberi, alioquin vitium acceptionis perſonarum eſſet, ſi ille actus poſſibilis haberi melior iſto ad regimen poſtponeretur.* Et infrà: *Is autem qui eligitur non tenetur ad comparatiuam; non enim tenetur ad hoc quod licitè acceptet,* 374. *reputare ſe aliis magis idoneum ad Eccleſiæ regimen, ſed tenetur ad poſitiuam, quod nullum in ſe impedimentum inueniat ad prælationis officium aſſumendum*, &c. 373.

Quæ doctrina valde conformis eſt Decreto Tridentini, & ex ipſa deducitur quod idoneitas requiſita in eligendo ad Parochialem deſumenda eſt non in ordine ad finem charitatis, qui eſt vita æterna ſed in ordine ad rectum regimen Eccleſiæ, quod in tribus principaliter conſiſtit, vt dicit D Thomas *in corp. art.* quod electus *poſſit Eccleſiam inſtruere, quod poſſit eam defendere, & eam pacificè gubernare. Ad primum requiritur* bona vita, & mores, ad ſecundum requiritur doctrina, & ſcientia, ad tertium requiritur prudentia. Quas tres partes expreſsè poſuit Concilium; 376. ætas enim has omnes tranſcendit, & hæ illam præſupponũt. Quare mihi viſum eſt ſigillatim de his circunſtantiis agere, ex quibus idoneitas iſta venatur, ex hoc enim totum officium examinatorum dependet, vt ritè, & rectè, & prout oportet exerceatur. 375.

§. I.

De ætate eligendi ad Parochialem.

SVMMARIVM.

377 *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.*
378 *Variæ ætates ad exercitia diuerſa litterarum aſſignatæ.*
379 *De ætate eligendi ad Parochialem, & n. ſeqq.*
382 *An Ætas viginti quinque annorum ita ſit neceſſaria, vt niſi impleta ſit, hoc eſt, annus 25. inceptus, electio, & prouiſio Parochialis ſit nulla, & inualida? & n. ſeqq.*
392 *Reſpondetur ad rationes in oppoſitũ, & n. ſeqq.*
398 *An annus vigeſimus quintus debeat eſſe inceptus ad diem concurſus, & examinis an ad diem electionis ab Epiſcopo faciendæ, vel collationis, &c. & n. ſeqq.*
400 *Inferuntur quædam corollaria, & n.* 411. 414. 417. 419. *& ſeqq.*

CVm rationis iudicium ab organis corporalibus, hoc eſt, ab operatione ſenſuum internorum dependeat ex alligatione animæ ad corpus *oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari,* vt latè oſtendo *in meo præcurſore Philoſopho controu. 4. de imagin.* operationeſque ſenſuum à diſpoſitionibus corporalibus pendeãt, & diſpoſitiones iſtæ magis vel minus perfectæ ſint ratione ætatũ quæ variæ ſunt in viuente, ideo Sacri Canones, & Concilia varias decreuerunt ætates requiſitas ad beneficia obtinenda à miniſtris Eccleſiæ. Si enim antiqui, vt ait Aloyſius Luſinus *lib. 2. de cõpeſcend. animi affect. c. 4.* varias ætates ad exercitia diuerſa litterarum 377.

litterarum assignabant, multo potiori ratione Ecclesia ab Spiritu Sancto edocta, diuersas ætates pro diuersis diuersorum officiorum Ecclesiasticis ministeriis constituit. Circa quod quantum ad Beneficia simplicia, Canonicatus tam Cathedralis, quam Collegiatæ, dignitatum, & pensionum videndi sunt Narbona *de ætate ad omnes humanos actus requisita anno* 14. *quæst.* 54. *&* 55. Lessius *de iust. lib.* 2. *dub.* 20. *num.* 109. Filliucius *de Benefic. tract.* 41. *cap.* 5. Palao *tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 3. Vasquez *de Benefic. cap.* 5. §. 2. *dub.* 2. *&* 3. Azor *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 7. *& seqq.* Barbosa *ad cap. cum iniunctis* 7. *de election.* Mandosius *tract. de minori ætate cap.* 4. *num.* 12. Henriq. *lib.* 10. *summ. cap.* 19. §. 1. hic enim solum agendum de ætate ad Parochialem requisita.

378.

379. Igitur si loquamur de ætate requisita tam à iure antiquo, quàm à iure nouo Concilij Trident. annus 25. inceptus exigitur *cap. cum in cunctis* §. *inferiora de electio* quod confirmauit Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 12. & tenent communiter DD. Nauarrus *in Manuali cap.* 25. *num.* 116. *& consil.* 4. *de ætate & qualit.* Parisius *lib.* 4. *de resignatio. c.* 9. *num.* 16. Lessius *de iustit. cap.* 34. *num.* 107. *&* 108. Azor *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *quæst.* 2. *&* 9. Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.* 60. *num.* 65. *& lib.* 1. *iur. Eccles. cap.* 21. *num.* 47. Palao *vbi sup. num.* 12. Vasquez *dub.* 2. *in fine* Matsobr. *in praxi requisit.* 10. *dub.* 11. *num.* 24. Moneta *de commutat. vlt. voluntatum cap.* 10. *num.* 114. Filliuc. *de Benef. tract.* 41. *cap.* 5. *num.* 39. & alij, quos & citat, & sequitur Narbona *anno* 25. *q.* 56. *n.* 4. & ratio huius determationis sumitur ex doctrina S. Thom. & Caiet. *supra adducta*, quia Beneficium hoc datur ad institutionem, defensionem, & pacificam gubernationem cœtus fidelium, & sic quanto dignius est officium tanto maior ætas requiritur in eligendo in quo maior prudentia exigitur, quæ ex maiori ætate habetur, cum prudentia ab experientia gignatur, & experientia longum tempus exquirit. Hæc autem ætas non

380.

381. à die Baptismi, sed à die natiuitatis computanda est, vt notant multi ex citatis Doctoribus, & videri possunt Couarruu. *in* 4. *Decretal. p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 3. Molina *de iustit. tract.* 2. *disput.* 572. non tamen computanda est à die conceptionis, (quidquid dicat Glossa *ad regul.* 17. *Cancellar.*) & decisum referunt *die* 4. *Septembr.* 1627. Sell. *in selectis cap.* 14. *num.* 8. Barbosa *in Collectan. ad sess.* 23. *cap.* 10. *num.* 4.

382. Sed modo superest non parua difficultas, an hæc ætas vigintiquinque annorum ita sit necessaria vt nisi impleta sit, hoc est annus 25. inceptus, electio, & prouisio Parochialis sit nulla, & inualida. Affirmant Rodriguez *in summ. part.* 1. *cap.* 30. *num.* 1. Vega *part.* 1. *cap* 36. *casu* 5. *&* 21. Ledesma 2. *part. tract.* 7. *pag. mihi* 361. *conc.* 17. Azor *vbi supra quæst.* 12. Basilius *de Matrimon. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. Guttierez *con.* 44. *num.* 7. Zeuallos *commu. quæst.* 693. *num.* 7. Thomas Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 1. *dub.* 48. *num.* 6. Narbona

383. *vbi supr. num.* 12. asserens dictam ætatem eo instanti perfectam desiderari quo quis aut eligitur, aut nominatur ad Beneficium curam habens animarum nisi dispensationem impetrauerit Apostolicam, & addit Garcia *part.* 7. *cap.* 4. *n.* 84. quod hoc tenet verum quantumuis paruum, & modicum tempus, vt vnus dies, vel hora desit, nam in his quæ à iure sunt determinata, & limitata

374. non licet arbitrari. Idem docet Castro Palao *vbi suprà num.* 15. *&* 16. Addunt etiam quod Episcopus non potest dispensare in hac ætate, vt colligitur *ex cap. permittimus de ætat. & qualit. in* 6. vt tradunt Lessius *infra citandus num.* 108. *vers. dico* 4. Garcia *vbi supr. num.* 71. Azor *quæst.* 9. Aloysius Riccius *part.* 4. *decis.* 309. *num.* 9. Sigismundus Bononia *de election. dub.* 62. *numero* 6. Glossa *ad cap. licet canon. de election. in* 6. *verbo Carere.*

Sed quamuis hæc sententia in rigore iuris verior sit, & in praxi securior, tamen non requiri ad validitatem electionis ad Parochialem, & alia Beneficia curam animarum habentia quod annus vigesimus quintus sit inceptus, sed sat esse quod vigesimus quartus sit ita inchoatus, quod ad finem anni vigesimi quarti completi, & vigesimi quinti incepti possit qui est electus Sacerdotio Ordinari tenet expresè Barbosa *de potestate Episcopi allegat.* 60. *num.* 82. vbi postquam dixit requiri ad obtinenda Beneficia curata ætatem 25. *annorum* inceptorum, subdit: *& sufficit ad validitatem collationis cuiuscumque Beneficij curati quod prouisus sit prima tonsura initiatus, & ætatem habeat vt intra annum ad Sacerdotium promoueatur, vt per cap. licet Canon. & cap. commissa de electio in* 6. *resoluunt Rebuffus in praxi tit. requisita ad collationem num.* 24. *Roch. de iure Patronatus, verbo Honorificum num.* 24. Hæc ille, citans etiam Garciam, sed malè cum oppositum teneat, vbi suprà, & Guttierez *lib.* 2. *canon. qq. cap.* 15. *num.* 33. vbi nec verbum dicit.

385.

386.

Sed potest hæc sententia fundari, quia eodem modo requirit ius, & Concilium ætatem in Canonicatibus, Subdiaconatus 21. annos completos, & 22. inceptos, Diaconatus 22. completos, & 23. inceptos, & Presbyteratus 24. completos, & 25. inceptos, ac requirit ad Parochialem 25. annum inceptum; atqui in prioribus Canonicatibus sat est quod 22. annum inceperit, itaut intra annum possit quis Subdiaconus Ordinari, vt dicit Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. sicut etiam dicit quod qui accipit Parochialem debeat intra annum Ordinari, iuxta *cap. licet, & cap. commissa citatis.* Et idem est in aliis Canonicatibus, vt expresè tenent Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 34. *n.* 110. Azor *vbi sup. q.* 5. ibi, *Quo fit vt in his Canonicis quorum præbendæ Sacerdotium requirunt necessarius sit annus* 25. *inceptus, aut certè ea ætas vt ad annum vnum fieri Presbyteri queant.* Sa *verbo Beneficium num.* 31. Zerola *in praxi part.* 1. *verb. Beneficium* §. 1. *vers. ad dignitates*, & tenuit Rota apud Seraphinum *decis.* 500. *in vna Virdunen. Canon.* 13. *Februar.* 1581.

387.

388.

Et ratio videtur in his omnibus æqualis, quia cum Concilium terminum constituat vnius anni vt quis suscipiat Ordinem cuilibet Canoniæ debitum ex consuetudine, vel statuto videtur satis quod vt sit valida collatio Canonicatus Diaconi quod quis habeat annum 22. completum, itaut ad inceptionem anni 23. possit hunc ordinem suscipere. Et idem est de illo cui confertur Parochialis, si intra annum fiat Sacerdos; hic enim est finis legis, & intentum legislatoris (quo optimè declaratur lex) vt scilicet intra annum accipiat ordinem ad suum ministerium expostulatum: si enim postquam quis compleuit 23. annum, & 24. attigit habet vnum annum à die possessionis pacificæ vt fiat Sacerdos vt dicitur *in cap. commissa de electio. in* 6. & alias ipso iure Beneficium vacat, ad

389.

390.

quid requiritur quod ad collationem Parochialis requiratur annus 25. inceptus, cum etiam si solum sit 24. inceptus consequitur quod intra spatium vnius anni fieri debeat Sacerdos?

391. Sed hæc sententia nullatenus sustinenda est, cum sit contra expressam determinationem Gregorij IX. *in Concil. Lugdunen. relato in cap. licet Canon. citato* explicantis constitutionem Adriani III. *editam in Concilio Lateran. cap.* 13. & relatam *cap. cum in cunctis de electio.* & confirmatam *in Tridentino sess.7. cap.*3. dicit enim Pontifex: *Decernentes collationes de Parochialibus Ecclesiis, qui non attigerint* 25. *annum de cætero faciendas, viribus omnino carere*, id est, *ipso iure* irritas esse, & inualidas, vt notat ibi Glossa. Quare prior sententia omnino est amplectenda.

392. Nec rationes in oppositum aliquid valent. Ad primum respondetur. Primò, quod licet iuxta ius commune *sexti cap. licet canon.* intelligatur solum de Ecclesia Parochiali, & non de aliis Beneficiis relatis *in cap. cum in cunctis §. inferiora de electione.* vt tenet & probat Glossa *verb. Parochialis*, tamen iure nouo Concilij Trid. *sess.* 24. *c.* 12. dictum *cap. in cunctis* dicitur: *Nemo deinceps ad dignitates quascumque quibus animarum cura subest promoueatur, nisi qui saltem* 25. *annum attigerit, iuxta constitutionem Alexandr. III. in Concilio Lateranensi promulgatam quæ incipit cum in cunctis.* Quare cæteri Canonicatus, aut dignitates non habentes curam animarum possunt prouideri, & collatio valida est si fiat ante annum post quem possint ordine sacro initiari quem requirit dignitas, aut Canonia, vt probabiliter sentiunt illi Doctores qui nixi sunt verbis

393. Concil. de illis dicentis, *c.*12. *citato: Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiat, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat.* Quare præter citatos ita tenent Henriq. *lib.* 14. *cap.* 10. §. 10. Barbosa *in Collectan. ad præfatum cap.*12. *num.*15.

Respondetur secundò, cum Palao, & Nicolao Garcia *vbi sup.* & aliis quos modo referam quod sicut in Parocho requiritur 25. annus inceptus, ita in aliis canonicatibus ex statuto, & consuetudine requirentibus ordinem sacrum annexum

394. requiritur ætas completa expostulata à iure ad illum ordinem, itaut in qualibet anni parte possit sacro illo ordine initiari, quod enim annus ille concedatur vt possint ordinari non obest quominus quando fit collatio debeant habere ætatem completam ad sacrum ordinem tunc recipiendum, vt clarè constat *in cap. licet*, vbi exigitur annus 25. inceptus ad collationem Parochialis, & tamen *in cap. commissa citato*, datur annus à die possessionis ad Sacerdotium accipiendum. Ita Hojeda *de incompatibilit. Benefic. c.*24. *num.* 16. Maiolus *de irregularit. cap.*30. *num.* 12.

395. Flaminius Parisius *de resignat. lib.*4. *quæst.*9. *n.*11. item de viginti duobus annis ad dignitates requisitis à Trid. *eodem cap.*12. debere esse completos tenent Sayrus *in floribus decis. de ætate, & qualitate decis.*4. Lessius non sibi admodum constans *vbi sup. num.*108. Massobr. *vbi sup. dub.*13. Mandosius *in tract. de ætate min. cap.* 5. *num.* 10. Gratianus *disceptatio forens. cap.*591. *num.*9. Armendar. *in addition. lib.*1. *tit.* 18. *l.*7. *de Episcopis num.*2. & alij quos non vidi, & sequitur Barbosa *in Collectan. ad cap.*12. *citatum num.* 14. qui existimant bene quod illa verba Concilij *vt non sit minor* 22. *annis* declarare debere esse completos.

Ad secundum respondetur, Primò, negando assumptum, vt modo dicebam ex Palao, & Garcia. Respondetur tertiò, esse disparem rationem, quia Concilium innuit loco citato sufficere quod quis sit in ea ætate quod possit intra annum initiari in Canonicatibus qui non habent animarum curam, quod non dicitur in illo qui opponitur ad Parochialem. Quare si non habet 25. annum inceptum illi non potest dari Ecclesia Parochialis, imo nec admitti vt oppositor in con- 396. 397. cursu, est enim inhabilis, imo nec præsentari à Patrono, etiam laico; hic enim debet præsentare habilem ad Beneficium; sicut neque Rex potest nominare aliquem in Episcopum qui non habeat annum trigesimum completum, nisi in nominatione petat à Pontifice dispensationem ætatis nisi deficiant pauci dies qui transient ante electionem.

Si tamen petas, an annus vigesimus quintus debeat esse inceptus ad diem concursus, & examinis an ad diem electionis ab Episcopo faciendæ, vel collationis, ita quod si examen duret octo, vel decem dies qui deficiunt ad complendum annum 24. & incipiendum 25. possit quis admitti in concursu oppositor? Respondetur affirmatiuè, quia *cap. cum in cunctis §. inferiora de electione & c. licet Canon. eodem in* 6. solum requirunt hanc ætatem ad suscipiendam Parochialem, & vt collatio sit valida, non vero vt quis opponatur in concursu. Quod si tempore electionis non adest talis ætas, & adsit tempore possessionis, aut quando nuntius portat epistolam de electione facta collatio nulla est, quia subiectum non est capax, & habile susceptionis Beneficij Parochialis, maximè si desit multum temporis. 398. 399.

Ex dictis infertur primò, nimis scrupulosè locutum Garcia *vbi sup.* quem sequuntur *Pontius de Matrim. lib.*7. *cap.*65. *num.*1. Narbona *anno* 22. *quæst.*1. *num.*10. & alij asserentes ætatem ad Parochialem, vel ad Ordines Sacros requisitam ita strictè esse interpretandam quod si quis ordinetur ordine Sacro matutino tempore illius diei in quo vespertino ingreditur ætatem requisitam peccat mortaliter, & manet suspensus, & si ministret manet irregularis. Sed contrarium mihi videtur valde probabile, & praxi securum. Ita Villalobos *tom.*1. *tract.*11. *difficult.*11. *num.* 2. Ledesma *in summ. tom.*1. *tract. de Sacrament. ordin. cap.*7. Diana *part.*2. *tract.* 14. *resolut.* 27. *& p.*5. *tract.* 5. *resolut.* 17. quibus consentit Philibertus Marchinus *tract.*1. *de Sacrament. Ordin. part.* 5. *cap.*2. *num.*7. 400. 401.

Probatur primò, quia in iure *parum, & nihil æquiparantur. l. quando D. de conditio. & demonstratio. cap. coram dilecto de offic. delegati*, vt notat Barbosa *ibi num.*4. Menochius *consil.* 96. *n.*8. & alij: at quod distet dimidius dies parua distantia est in fauorabiilbus, ac per consequens nulla, præcipuè vbi lex non præscribit quod à momento in momentum assumatur temporis spatium, vt sit in anno Nouitiatus ad professionem vt determinauit Rota *part.*1. *decis.*175. *num.*7. *apud Farinacium.* 402.

Secundò, quia de modico horarum spatio in fauorabilibus non curat lex, vt notat Baldus *ad cap. cum in cunctis de election. num.* 3. *& in cap.* 403.

vltimo

vltimo colum.2. verſ.modo quæro.de præſcriptionibus. Tiraquellus *de iudici.in reb.colum.19.verſ.69.* ergo ſi deficiat dimidius dies qui paucis horis comprehenditur non curat lex, & ſic licite poteſt quis ordinari, & eligi in Parochialem: cum enim Concilium ad Parochialem requirat 25. annum inceptum, quia ætas perfecta qualis requiritur ad animarum curam in illo anno completur *l. finali. C. de his qui veniam ætatis impetrantur*, ille qui parum per paucas horas quæ in 404. dimidio die continentur diſtat a perfectione, perfectus cenſetur. arg. *ex l.eo tempore D.de teſt.milit.* vbi dicitur *quod proxime accingendus cenſetur pro accincto.* & ſic annus proxime incipiendus cenſetur pro incepto.

405. Confirmatur ex doctrina Mandozij *de ætate minori cap.14.num.11.* Panormitan. *cap.Atteſtationes de ſponſalib.impuber.* aſſerentium quod licet requiratur ſeptennium completum ad ſponſalia, ſi tamen ſunt in vltima die ſeptennij ſat eſt ſi illud ſit inceptum. Quam doctrinam amplectuntur Sanchez *tom.2.conſil lib.7.cap.1.dub.33.num.7.* Ergo ſi quis ſit in vltimo die in quo complet annum 24.& incipit eodem die 25. cenſetur moraliter incepiſſe, ſicut enim vltimus dies ſe habet ad complementum requiſitum ſeptennij, ita ad inceptionem vigeſimi quinti.

406. Tertiò, Quia licet quando deficit dimidius dies vel minus, vt vna hora, aut vnus quadrans non ſit annus inceptus naturaliter ſecundum ſolis circulum qui completur diebus 365. Et ſequens circulus incipitur à quocumque minuto circuli ſubſequentis; tamen ciuiliter, & politicè in fauorabilibus quæ ſunt amplianda, annus ſequens cenſetur inceptus, argum. ex his quæ tradunt Thomas Sanchez *lib.5.Summ.cap.4.num.4.* 407. *& 5.* Henriquez *lib.10.de Sacram. ordin. cap.19. num.2. & in Commento littera O.* Rodrig. *tom.3. q.15.art.5.* Barboſa *de poteſt.Epiſcop.allegat.101. num.20.* Miranda *tom.1.q.22.art.3 in fine*, quod annus ille 1582. à quo Gregorius XIII. abſtulit decem dies reputabatur annus integer tam quantum ad ordines, quam quantum ad profeſſionem. Nec erat neceſſarium decem dies aſſumere ex anno ſequenti, quia ciuiliter, & poſitiue annus integer erat quamuis non naturaliter; ita etiam ciuiliter dicitur annus inceptus quando deficit dimidius dies.

408. Dicunt etiam præfati DD. quod in anno biſſextili duo dies pro vno reputantur ciuiliter, & politicè in ordine ad profeſſionem, & alios contractus. Ego vero non exiſtimo verum in ordine ad ætatem requiſitam ad ordines, & ad acquirendam Parochialem, quæ ætas completur v.g. die 24. Februarij non vigſiema quinta quæ etiam dicitur in Martyrologio *ſexto Calendas Martij*, ſed in anno Biſſextili ſi completur ætas naturaliter die 24.Februarij, die 25. dicitur in ordine ad hunc effectum incipere annus 25. requiſitus, quia ſat eſt quod tranſierint 24. circuli ſolares, & incipiat 25. quod in fauorabilibus eſt manifeſtum.

409. Sed obiicit Sanchez *dub.citat.* quia tunc parum pro nihilo reputatur quando ex paruo illo non pendet tota impletio præcepti, v.g. breuiſſimum ſpatium eſt dimidietas Salutationis Angelicæ, & tamen ſi nocte Iouis, poſtquam immediatè ſonuit duodecima noctis hora aliquis carnes comederet peccaret morraliter, & tamen non peccaret ſi ante talem horam per idem ſpatium breue manducaret: ergo cum lex dicat *quod annus 25. ſit inceptus* ad Parochialem, & ad Sacerdotium ante quodcumque minimum ſpatium, etiam dimidiæ horæ annus inceptus non eſt: ergo in ſpecie huius caſus non tenet verum quod parum pro nihilo reputatur.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem, quia 410. tranſacta media nocte ſtatim præceptum de non comedendo carnes eſt in poſſeſſione, atque ita qui in illo breui ſpatio aut carnes comedit, frangit ieiunium Eccleſiæ, aut aliquid comedit, aut bibit frangit ieiunium naturæ. Si verò ante dimidiam noctem comedat, aut bibat non frangit, quia nondum præceptum eſt in poſſeſſione. At in ſpecie noſtri caſus, diſpoſitio Tridentini cum ſit fauorabilis, & de re honorifice cenſetur adeſſe quando parum temporis abeſt, & ſic tenet locum quando inceptio anni 25. diſtat ſolum per dimidium diem.

Colligitur ſecundò, Quod ætas requiſita ad- 411. habendum Beneficium curatum non requiritur quoties in fundatione illius Patronus Fundator minorem ætatem requiſiuit, vt eſt expreſſum à Rota *in vna Gerundinenſ.Benefic. coram Lancelloto die 12.Iunij* 1579. quam refert, & ſequitur Garcia *p.7.cap.4.num.10.* Marchin. *vbi ſuprà num.7.* Gonzales *ad Regul. Menſium gloſſ.5. num.91.* Sà correctus *verbo Beneficium num.30.* Sic etiam declarauit Sacra Congregatio apud Garciam 412. *num.9.* dicens quod Concilium in ſuo Decreto de ætate requiſita non derogauit priuilegio fundationis, quod habet fundator. Vnde valet ſi dicat Fundator patronus quod poſſit præſentari ad Parochialem qui 23.annum expleuerit, vt poſt annum poſſit de Sacerdotio initiari. Quod ſi fundator dicat quod ſi in ſua parentela, nec qui intra annum poſſit ad Sacerdotium promoueri præſentetur vnus de ſua parentela, ſi iſte eſt idoneus, & capax ad examen, & in illo approbatus iuxta diſpoſitionem Trident. *ſeſſ.24. cap.18. verſ. quod ſi iuris patronatus*, etiam ſi habeat 22.annum debet 413. ei Parochialis conferri, & per Vicarium inſeruire, vſque ad tempus Sacerdotij. Et hic eſt caſus deciſionis Rotæ citatæ quæ dicit ſic deciſum à Sacra Congregatione. Quod ſi quis de familia non habeat 14. annum requiſitum ad Beneficium ſimplex vt requirit Trident. ſat eſt quod habeat 12. quia Concilium non derogauit fundationi.

Colligitur tertiò, Quod ſi quis non habens 25. ætatis annum inceptum ſi in concurſu Parochialis iuris patronatus oppoſitor, & à Patrono 414. nominatus, ſi tempore præſentationis impleuit annum 24. & incepit 25. valida eſt præſentatio, & collatio argum. ex his quæ dicit Rota *in vna Burgen. Abbatiæ 19. Nouembr. 1588. coram D. Peña*, vbi fuit deciſum quod licet Patronus laicus nominet ad Beneficium aliquem laicum, nominatio eſt valida, quia iura dicentia præſentationem de laico eſſe nullam intelligenda ſunt de præſentatione propriè dicta, quæ tunc fit quando præſentatus coram Ordinario ſiſtitur, ab eo inſtitutionem accepturus. Ita Riccius *in Praxi reſol. 140.num.3. & deciſio Rotæ 530. apud Farinacium tom.1.in vna Fauentin.Benefic.20. Nouemb.1613.* vbi confirmatur *deciſio Peñæ*: ergo etiam ſi quis dum nominatur non habet 25. annum inceptum, ſat eſt quod illum habeat dum præſentatur coram ordinario.

Sed eſt hic notanda ſingularis doctrina Rotæ 415. *deciſ.216.num.5.apud Farinacium tom.2.* quod licet

cet quando ex ſtatuto, conſuetudine, aut priuilegio, & etiam in iure Patronatus Eccleſiaſtico requiritur ad præſentationem Beneficij aliquis ordo ſacer, ſufficiat quod ille cui fit collatio habeat ætatem legitimam ad illum ordinem ſuſcipiendum. Vnde eadem Rota *in decis.530. citata. num.12.* dicit, quod ſi teſtator requirit Sacerdotium in præſentato ſufficit illum intra annum promoueri. *Cap.ſi cui de Prabend in 6.* & Ferret. *Conſil.305.* quando vero patronus laicus diſponit quod præſentetur Preſbyter, non ſufficit quod
416. præſentatus habeat ætatem idoneam ad preſbyteratum, ſed requiritur quod actu ſit Preſbyter. Ita Lambertinus *de iure patronat. part. 1. lib 2. actio 29.quæſt.7.* Barbatius *conſil. 33. in fine lib.2.* Vnde fit quod qui non eſt in ea ætate in qua tempore præſentationis poſſit actu eſſe Preſbyter, nec poteſt à Patrono nominari, nec ad examen admitti. Iuxta dicta in ſuperioribus.

417. Colligitur quartò. Quod ætas 25. annorum inceptorum requiſita ad Parochialem non requiritur quando Parrochialis eſt vnita alicui Beneficio, aut dignitati, ſed ſufficit ætas requiſita ad tale Beneficium, aut dignitatem, cum acceſſorium ſequatur naturam principalis. Ita declarauit Sacra Congregatio apud Garciam *part.7. c.4. num.30.* & ſequitur ipſe *ibi.* & *p. 12. cap.2.n.26.* Barboſa *de offic. Paroch.part.2. num.7.* Gonzalez *ad reg.8.gloſſ.9.num.4.* Riccius *in Praxi reſol.512. in 2.edition.* Ojeda *de incompatibilit. Benefic.p.2.*
418. *cap.3. num. 5.* Et ſicut ad Beneficium vel dignitatem non requiritur examen in concurſu, ita neque ad Parochialem, ſed ſufficit examen ad Beneficium requiſitum. Bene verum eſt quod ad dignitatem habentem animarum curam requiritur annus 25. inceptus vt declarauit Sacra Congregatio *die 4.Decembr.1627.*

419. Colligitur vltimo. Quod ille eſt magis idoneus iudicandus cæteris paribus qui ſenior eſt alio cum quo concurrit. Ita Barbatius *conſil.23.n.13. volum. 1.* Tiraquellus *de iure primogen. in præfatio.numer.182.* Rolandus *conſil.47.numer.70.lib.1.* Marius Antoninus *variar Reſolut lib.1.cap.4.n.1.* Acuña *ad cap.Conſuluit.num.2.diſp.74.* vbi Gelaſius Papa ſcribens Victori Epiſcopo ordinat quod *eligat ætate maturiores, quibus conferat maiora beneficia.* Verum hæc maior ætas, & ſenectus non eſt computanda annorum numero; tanta enim poteſt eſſe quod ſit inhabilis ad miniſtrandum Sacramenta, cum magna ſenectus annexas habeat plures infirmitates, & incapacitatem ad inſer-
420. uiendum. Vnde Parocho valde ſeni coadiutor datur, vt notant Doctores quos citat, & ſequitur Barboſa *de offic. Epiſcop. allegat. 53. num.91.* Quare quod quis dicatur idoneior, quia ſenior arbitrio, examinatorum, & Epiſcopi relinquitur argumento ex his quæ docent Menochius, *de arbitrar.caſu 59.* & *de Præſumption. lib.6. quæſt.46. num. 25.* Flaminius Pariſius *lib. 5. de Reſignatio. quæſt.6.à num.4.* quamuis ſenectus incipiat ab anno 50. vſque ad 70. vt vult Farinacius *in Prax. crim.p.3.quæſt.92. num.22.* & videndus eſt Narbona *anno 50. quæſt. 2.* vbi erudite, vt aſſolet id tractat.

421. Qui *anno 30.quæſt.2. num.7.* dicit quod ſenes in dubio prudentiſſimi iudicantur, adeo quod niſi per quindecim teſtes contrarium probari non poſſit arg. *ex l.vnicuique 7.in princip.Cod.de proxim. Sacror. ſcrinior lib. 12.* & notat Acuña *in Cap. Porro 6.num.4.* & *5.84. diſtinct.* adeo enim ſenectus tot habet priuilegia quæ enumerat Paleotus *tractat. de Senectut.* quia vt ait D. Thom. *lect.1. in Epiſtol. 2. ad Tit. Diſponit ad contemptum delectationum, & ad prudentiam: alia vero ætates anteriores ad oppoſita; quamuis aliquando contingat è conuerſo, tamen vera ſenectus communiter loquendo* (ad quod attendit ius) *ætate fit do-* 422.
ctior, vſu prudentior, proceſſu temporis ſapientior vt ait S. Hieron. *ad Nepotian.* & ſic S Thom. *in 4.diſt.44.q.1.art.3. quæſtiunc.1.ad 1.* dixit, *quod ſenectus habet reuerentiam non quidem propter defectum corporis, ſed propter ſapientiam æſtimatam in ſenibus, ex antiquitate.* & ſic *2.2.quæſt.63.art.3. & q.145. art.1. ad 2.* dixit quod *Senes honorantur propter ſignum virtutis quæ in eis ſemper præſumitur.* Sicut prudentia quæ longæuitate temporis 423.
gignitur ab experientia. Quare prudentia in viris ab anno trigeſimo incipit ordinarie (in multis enim ante pilos naſcitur vt Tiraquell. *vbi ſup. num. 101.*) & perficitur in 40. vt vult Halicarnaſſæus *lib.2.Roman. Antiquit.* vbi dicit quod Romani elegerunt in Regem Numam Pompilium ferme quadragenarium, quæ ætas prudentiſſima eſt. Vel vt volunt alij ab anno 50. in quo perfe- 424.
ctiſſima eſt prudentia. Vnde exiſtimo quod ſi quis ſit aliis requiſitis ornatus ſi ſit 40. vel 50. annorum natus non debet alter illi præferri quia ſenior.

§. II.

De Moribus, & prudentia requiſitis in eligendo ad Parochialem.

SVMMARIVM.

425 *Eligendus in Parochialem bonis moribus debet eſſe ornatus. Cúmque bonos mores, hoc eſt virtutes morales regat prudentia, ſine qua nulla eſt vera virtus, debet etiam vigere prudentia, quod amplius declaratur, num.ſeqq.*

CVm idoneitas eligendi ad Parochialem conſiſtat in ordine ad regimen animarum, & 425.
Eccleſiæ ſibi committendæ, maximè ſunt attendendi mores, & prudentia Politicochriſtiana, & ſic grauitas morum in Miniſtro Eccleſiæ relucere debet, *cap.Cum in cunctis de election.* Et ſic in Beneficiatis, maximè curam animarum habentibus, boni mores ſunt neceſſarij, & ex illis præcipuè deſumenda eſt idoneitas, plus enim valet morum grauitas ſimul cum prudentia ad regimen Eccleſiæ, quam cætera attributa, vt tenet Syluan. *conſil. 22.num.22.* & ex ipſo Barboſa *ad cap.citat.num.7.* Sed quid ſint iſti boni mores, quorum grauitatem tantopere commendat ius tam antiquum, quam nouum Concil. Trident. *ſeſſ.24.cap.18.* exa- 426.
minare operæpretium eſt. D. Thom. *1.2.q.58.art. 1.* dicit quod *mos* ſignificat inclinationem naturalem, vel quaſi naturalem ad aliquid agendum, vel ſignificat conſuetudinem, nam conſuetudo vertitur in naturam, & facit inclinationem ſimilem naturali. Et ſic cum inclinatio ad actum ſit propriè in virtute appetitiua, mores etiam vel ſunt in appetitu ſenſitiuo, vel in voluntate. Hæ autem inclinationes aut ſunt ad bonum honeſtum, & ſic ſunt virtutes morales, aut ad bonum apparens, & ſic ſunt vitia.

Igitur

427. Igitur eligendus in Parochialem bonis moribus debet esse ornatus, & malis nullo modo infectus. Cumque bonos mores, hoc est, virtutes morales regat prudentia, sine qua nulla est vera virtus, debet etiam vigere prudentia. De qua Bernardus *serm. 49. in Cant.* dicit *quod omni virtuti ordinem ponit, & quod non tam est virtus quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.* legatur D. Thom. *q. citat. art. 4.*

428. Quare huius prudentiæ defectus (cum grauitas morum ex animi virtute nascatur) *cap. finali dist. 41.* Omnimodam grauitatem morum quæ necessaria est fugat, & excludit vt notat Nauarrus *in cap. Si quando de Rescript. exceptio. 11. num. 2.* Qui optimè addit quod quamuis quis habeat prudentiam bene agendi coram Deo non bene sequitur habere illam prudentiam se, & Ecclesiam gubernandi, *cap. Indecorum, de ætat. & qualit.*

Vnde licet quis habeat aliquam prudentiam,

429. & aliquales virtutes, si non sunt viriles, & constantes, aptus non est ministerio. Et sic optime Gratianus *in Proœm. dist. 39.* dicit quod Prælatos sæcularium negotiorum oportet habere peritiam, quia debent subditis non solum spiritualia, sed etiam carnalia subsidia præbere. Et ita B. Gregor.

430. *lib. 8. Epist. 40. ad Clerum, & Nobiles Neapolitanos* scribens dicit quod quidam Episcopus iam electus repulsus fuit solum pro simplicitate, quia non habebat peritiam, & solertiam in dirigendis negotiis Ecclesiæ. Idem statuitur *cap. Episcoporum 74. distinct.* iuncta Glossa quod propter eumdem defectum quis arcendus est ab Archidiaconatu. Qui enim hac simplicitate fulget, non potest

431. Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus defendere, sed bona ipsius dilapidabit, vt aiebat Gratianus ex B. Gregorio. Ex quo fit quod non ex eo quod quis sit sanctior coram Deo illico est magis idoneus, etsi enim qui sanctior est bonos habeat mores in ordine ad finem charitatis, tamen non ideo habet bonos mores in ordine ad bonam Politicam gubernationem Ecclesiæ, quæ magis attendenda est in prouisione Ministrorum.

432. Hic placet adducere duas illius semper sapientissimi Nauarri doctrinas quæ maximè conducunt ad præsens institutum, & quas debent maximè notare examinatores. Prima habetur loco citato *exceptio 15. in fine*, vbi sic fatur venerabilis senex: *Sicut scientia litterarum, ita morum honestas requiritur in promouendo ad Beneficium, cap. Cum in cunctis de electione; imo tanto magis quanto vita bona doctrinæ bonum præstat, quod ipsummet cap. Cum in cunctis significat, dum prius de morum quã de litterarum scientia meminit: at defectus morum honestatis non vitiat ipso iure collationem, licet talis sit qui efficiat quem Beneficio indignum. Omnis*

433. *enim constitutus in peccato mortali, vt inimicus Christi ita indignus est stipendiis de illius patrimonio sumendis, vt erudite de more S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. quod diligenter adnotauit ibi Caietan. & ita indignus est Beneficio, quod est pars patrimonij Christi. Cap. cum ex eo de electio. in 6. & cap. Cum secundum Apostolum eodem, non tamen regulariter est nulla collatio existenti in peccato mortali facta. Quod satis probat cap. Sicut el segundo de iureiurando quod ibi Glossa memorabilis adnotauit*, &c.

434. Verum circa hanc doctrinam Nauarri notandum est quod non quodcumque mortale peccatum facit indignum, & reddit non idoneum ad Beneficium, si alias promouendus est in manifesto, bonus vir reputatus. Ita Caietan. *vbi suprà §. nota secundo. Quod omnes comparationes eligibilium ad Ecclesiastica ministeria præsupponunt bonitatem absolutè hoc esse bonum virum, hoc est quantum humana fragilitas concedit personam illam esse in gratia Dei. Vnde qui manifestè tenet concubinam, vel in alio peccato mortali creditur versari extra latitudinem eligibilium, seu promouendorum est; propterea in littera dicitur quod minus boni, & non dicitur quod mali præferantur melioribus.* Hæc Cardinalis. Et S. Thom. ibi *in corp.* dicit: *Quod dignitas alicuius personæ potest considerari dupliciter. Vno modo simpliciter, & secundum se, & sic maioris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quod ille qui est minus sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel aliquid huiusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principaliter ordinantur ad vtilitatem communem secundum illud 1. ad Corint. cap. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem; ideo quandoque absque acceptatione personarum in dispensatione spiritualium, illi qui sunt simpliciter minus boni melioribus præferuntur, sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.* Hæc ibi. Quibus adde quod etiam has gratias concedit peccatoribus, & qui non sunt in gratia Christi, & Dei, vt docet idem Sanctus Doctor *q. 172. art. 4. in corpore, & ad 2.* Legatur Fernandez *in exam. Theolog. Moral. p. 4. cap. 4. §. 1. num. 5.* vbi dicit præferendos potentiores, & nobiliores, si eorum potentia, & nobilitas valde conducat ad comprimendos aduersarios. Quæ doctrina conformis est Diuo Thomæ.

435.

436.

Ex quo fit quod si peccatum mortale sit occultum, etiam si sciatur ab aliquo examinatore, & si faciat malum virum coram Deo, tamen non facit malum ciuem, hoc est malum ministrum Ecclesiæ, si aliàs per alias qualitates potest esse vtilis in ministrando, defendendo Ecclesiam, & eam pacifice gubernando. Si tamen peccatum mortale sit publicum non potest esse vtilis Minister, quia suo malo exemplo magis destruet, quam instruet: instructio autem est vnus actus optimi Ministri habentis animarum curam.

437.

438.

Existimo tamen contra Palao *tract. 13. disp. 4. punct. 5.* Quod si peccatum, & mali mores sunt notorij, & ita publici vt nullatenus occultari possint, quod electio, & prouisio est ipso iure inualida. Moueor ex Concil. Trident. *sess. 24. c. 18.* & ex Concilio Lugdunens. *relato in Cap. Cum in cunctis. de electio.* & ex *Clem. 1. de ætat. & qualit.* in quibus iuribus eodem contextu exiguntur boni mores, scientia, ætas & natalium legitimitas: atqui si quis sit omnino illiteratus & non habeat ætatem requisitam, aut sit illegitimus prouisio facta est ipso iure inualida: ergo etiamsi mores, publice sint mali, & notorie persona scandalosa, & sic vt dicebat Caietanus, est ineligibilis. Ita Panormitan. *Cap. dudum. el secundo de electio.* Silua *de Benefic. 3. part. quæst. 2. à num. 10.* ille enim qui habet notorie malos mores nequit officium debitum Beneficio curam animarum habenti exercere, cum non possit instruere, & pacifice gubernare. Cum vita ipsius publice, & notorie

439.

torie ſcandaloſa ſit. Imo exiſtimo quod cum iſto non poſſet Pontifex diſpenſare, ſicut neque cum
440. omnino illiterato, quia Pontifex ſolum eſt diſpenſator in ædificationem Eccleſiæ, non in deſtructionem, nam illi data eſt plenitudo poteſtatis in vtilitatem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, at iſte ſcandaloſus non eſſet vtilis, ſed deſtructor. Quod ſi vitam emendet, & perſeueret voluntas collatoris, ablato obice, reualidatur collatio, & voluntas habet effectum conferendi actu.

Altera Nauarri doctrina habetur ibidem *exceptio.17.num.5.* vbi dicit: *Quemadmodum Concilium noluit per Cap. Cum in cunctis.de electio. inducere neceſſitatem ſcientiæ eminentis in promo-*
441. *uendo ad hoc quod promotio ipſo iure teneat, ſed ſatis eſt non omnino carere litteratura & ſpem maioris profectus præferre, ita noluit inducere neceſſitatem honeſtatis morum heroïcorum, & eminentium, ſed ſufficientem, hoc eſt, ne omnino morum honeſtas deſit, & ſpes mediorum attingendorum præferatur. Sicut enim ætatis maturitatem Concilium illud exigit, non tamen eminentem, & perfectiſſimam, ſed quæ mediocris ſit, vel ad me-*
442. *diocrem tendat, ita &c.* Vnde fit quod examinatores ad iudicandum aliquem magis idoneum non debent inquirere magnam morum honeſtatem, ſed quæ ſufficiens ſit ſimul cum aliis ad ferendum iudicium quod promouendus futurus ſit magis vtilis Eccleſiæ ad inſtruendum, defendendum & pacifice gubernandum. Et ſic qui magis ſanctus, & magis ſciens eſt poſtponi poteſt, vt minus aptus ad huiuſmodi miniſteria, vt dicebat Diuus Thomas.

§. III.

De Scientia, & Litteratura.

SVMMARIVM.

443 *Illiterati ſunt incapaces beneficij. & numeris ſeqq.*
456 *Infertur corollarium. & n. ſeqq.*
460 *Quis dicatur literatus; quiſve illiteratus. & num.ſeqq.*
467 *Notandum circa prouiſionem Parochialium in ignaris, & illiteratis. & num.ſeqq.*

443. ILliteratos eſſe de iure communi incapaces Beneficij eſt omnino certum, *Cap. Illiteratos 38. diſtinct.* & ibi Gloſſa *cap. finali.de ætat.& qualit.* ſunt enim irregulares durante illiteratura. *cap. vltimo de temporib. ordinandor.in 6.cap. Dudum. el primero. de electio. & cap. Cum in cunctis §. finali. eodem*, vbi plures citat Barboſa *num.* 8. & Garcia *part.7.cap.7.à num.*13.Leſſius *lib.2.cap.*34. *num.*129.Palao *tom.2. diſp.4 punct.6.num.5.* Ojeda *de Incompatibil.part.1.cap.24. numer.*28. conſtatque ex Trident.*ſeſſ.22.cap.4.in fine de Reform.* vbi dicitur *quod ſit irrita prouiſio facta, niſi iis qui iam ætatem, cateraſque habilitates integre ha-*
444. *bere noſcantur.* Quando autem *cap.3 ſeſſ.7.*dicit, Quod prouiſio facta non habilibus omnino irritetur, loquitur Concilium de illis prouiſionibus in quibus non eſt ita manifeſtum factas eſſe in habilibus; in his enim quouſque declaretur inhabilitas, prouiſio irrita non eſt; quando enim conſtat aliquem eſſe penitus illiteratum non relinquitur examinandum an electio ſit valida, quia à iure communi eſt incapax Beneficij illiteratus, ſicut qui non habet ætatem requiſitam. Legatur Palao *vbi ſupr.num.*8.

Et ſic notat Barboſa *de Poteſt. Epiſc.alleg* 46.*à num.*6. quod illiterati ſunt *nulli* in Eccleſia Dei,& non veniunt appellatione *hominum*, ſed *iumentorum*, & ſunt magis odioſi, & incapaces Beneficiorum, quam *homicidæ*. Ita Flaminius *lib.5. de Reſignatio.quæſt.3.num.*90. Innocentius *Cap.Cum noſtri. de conceſſio Prabend.* Cuius rationem dat Nauarrus *ad cap. Si quando. de Reſcript exceptio* 445.
12. quia in homicidam cadit ius Beneficij ſaltem 446.
ante homicidium quæſiti, in illiteratum qui nunquam didicit litteras nullum ius Beneficij poteſt cadere; ſi enim aliquando didicit, & eſt penitus oblitus,non amittit Beneficium,ſicut nec amens, vel furioſus,*Cap.ſcripſit 7.quæſt.*1. *& c.*1. *de Clerico ægrotante.*

Hæc regula generalis quamuis de iure communi vera ſit in vniuerſum, nulla facta limitatione, tamen limitanda eſt primò, quod ſolum teneat verum in Beneficiis curatis, canonicatibus, Dignitatibus, & ſimilibus in quibus requiritur induſtria, & conſilium aut habent aliquem ordinem Sacrum annexum, non vero in Beneficiis 447.
ſimplicibus, & aliis huiuſmodi. Ita Gonzalez *ad Reg.*8.*gloſſa* 4.*num.*50.Nauarrus *ad Cap.Si quando citatum excep.*13. *num.*8. vbi id pluribus confirmat; tum quia conſuetudo tam antiqua, quam noua, tam vrbis, quam Orbis ita habet, cum vbique gentium Chriſtianorum Epiſcopi inſigniunt prima tonſura ſcientes aliquantulum legere vel ſcribere, & eiſdem prima tonſura inſignitis conferunt Sacerdotia, hoc eſt beneficia ſimplicia, nec vnquam talis collatio iudicata eſt inualida. Secundò, quia initiatis prima tonſura 448.
poſſunt valide conferri beneficia ſimplicia, atqui ad primam tonſuram ſolum requiritur ex Trid. *ſeſſ.*23 *cap.*4. quod ſciat legere, & ſcribere, & fidei rudimenta, ergo.

Niſi velis dicere quod in materia Beneficiorum ille dicatur litteratus qui ſcit legere, & ſcribere, quia iam ſcit aliquas litteras, & ſic non dicitur 449.
pœnitus illiteratus. Et ſic Nauarrus *vbi ſup.* Addo tamen contra Palao *vbi ſuprà.* quod etiam ſi quis dum actu ei confertur Benficium ſimplex, ratione cuius tenetur recitare officium diuinum, illud non ſciat recitare eſt valida collatio, quia licet Beneficium detur propter officium *Cap.finali. de reſcrip.in 6.* tamen ad validitatem collationis non exigitur quod actu ſciat recitare officium diuinum, ſed quod poſſit addiſcere illius recitationem. Et hoc conſtat ita eſſe dicendum ex conſuetudine, & praxi vniuerſali.

Limitatur ſecundò, regula adducta, & com- 450.
prehendit limitatio omnia omnino Beneficia. Quod ille qui tempore collationis eſt prorſus illiteratus, & litteraturam ſufficientem poſtea addiſcat, & conferens non pœniteat eo inſtanti in quo factus eſt litteratus reualidatur collatio antiqua ex tacita noua collatione ſuperueniente, cum ſi non retractetur prima voluntas conferendi ſemper permanere intelligatur, & ablato obice cauſat ſuum effectum. Ita Gonzalez *vbi ſupr. n.*49. Salzedo *in Practica. cap.*21.*in fine.* Nauarrus *exceptio* 18.*num.*5.quidquid in contrarium dicat Palao *vbi ſup.num.*6. cum aliis quos ibi citat. Pro- 451.
batur primò. Quia ſi Epiſcopus ante deuolutionem poteſtatis conferat Beneficium deuoluta poteſtate reuiuiſcit nouiter collatio ab initio nulla

ex

ex defectu poteſtatis, vt docent Panormitan. *in Cap. Cum ex officij. de præſcriptionib.* Felinus *ibi. num.*36.

452. Probatur ſecundò. Quia ſi alicui excommunicato tolerato conferatur Beneficium, quamuis collatio ſit nulla, tamen poſt abſolutionem ab excommunicatione reuiuiſcit noua collatio ex voluntate collatoris perſeuerante, vt tradunt Leſſius *vbi ſup.num.*119. Coninch *diſp.*19. *de Sacrament. num.*73. Diana *part.*5. *tract.*9. *Reſolut.* 100. & 101. Suarez *de cenſuris diſput.*26. *ſect.*3. *num.*7. & *diſp.*27. *ſect.*5. *num.*25. Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.*7. *num.*12.

453. Limitat tamen Nauarrus, & bene, quando ille cui Beneficium confertur ſi cognoſcit ſe illiteratum omnino, & ſciens, & prudens collationem ſibi factam non valere propter illiteraturam conſentit ei, & illius poſſeſſionem accipit, quia iam eſt poſſeſſor malæ fidei. Quæ mala fides acceptantis retractat ciuiliter voluntatem dantis, & ſic intruſus eſt in Beneficium. Sed raro quis iudicat propter illiteraturam collationem ſibi factam eſſe inualidam, ſed habet ignorantiam inuincibilem, quæ cum ſit facti omnino excuſat, ſi ſit iuris excuſat in pueris, & in ruſticis, & in his qui conſilio prudentum acceptarunt.

454. Ex quibus deducit Nauarrus dicens: *Dico ex his inferri remedium ſalutis animarum huiuſmodi Canonicorum, & Beneficiatorum, vt ſcilicet addiſcant ea quæ ſuis Beneficiis bene regendis ſunt neceſſaria; neque verecundentur hoc facere conſiderantes illud Magni, & grauiſſimi Patris Auguſtin. in cap. Si habes* 24. *quæſt* 3. *Senex enim à iuuene, & Epiſcopus tot annorum à Collega nedum anniculo paratus ſum edoceri. Et illud Senecæ: Nulla ætas ſera eſt ad dicendum, etiam vſque ad* 88. *annum*, vt ait Gloſſa in illud *cap. Si habes per text. in illum ſingularem in l. apud Iulian. D. de fideicommiſſ. libert. quæ habet Pomponium Iuriſconſultum peritiſſimum* 88. *agentem memorem fuiſ-*
455. *ſe illius ſententiæ, & ſi alterum pedem in ſepulchro haberem adhuc diſcere vellem. Quod ſumma cum laude multos feciſſe legimus, & facere vidimus, ſuaſoreſque vt facerent nonnullis fuimus. Quin & ſcimus clariſſimum virum, eundemque prouidentiſſimum Epiſcopum Zamorenſem, D. Ioannem Emmanuelem Zamoræ, & Tauri, & aliis ſui Epiſcopatus Oppidis ad id opportunis, ante paucos annos coegiſſe Parochos capite iam canos, & qui ſexageſimum agebant annum ad diſcendas litteras latinas, quas vel nunquam didicerant, vel parum in eis profecerant.* Hactenus Nauarrus. Quod conſilium ego etiam do omnibus Epiſcopis vt ſemel, & iterum examinent ſuos Parochos circa literaturam caſuum conſcientiæ, & ſi neſciant, ſufficienter faciant addiſcere, vel Coadiutores illis conſtituant interim ſuſpendendo illos ab adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.

456. Ex dictis colligitur peccare mortaliter omnes Beneficiarios qui petierunt, Beneficia & qui collata ſibi retinent qui vel ſunt prorſus illiterati, vel non habent ſufficientem ſcientiam, neque ſpem illam acquirendi vt rite, & recte ſuo mu-
457. neri, & officio ſarisfaciant. Vt enim dicit S. Gregorius Magnus *lib.*7. *epiſt.* 100. *ad Syagrium* & refertur. *in Cap. Non eſt putanda.* 1. *quæſt.* 1. *Quiſquis Sacerdotium non ad elationis pompam, ſed ad vtilitatem adipiſci deſiderat, prius vires ſuas cum hoc quod eſt ſubiturus onere, metiatur, & ſi impar eſt abſtineat, & ad id cum metu, etiam cui ſe ſufficere exiſtimat, accedat.* Et quidem naturali iure nititur Pontifex *in cap. finali. de Reſcriptis in* 6. dum dicit *quod Beneficium datur propter officium:* ergo illiteratus iure naturali eſt incapax Beneficij, ſi ſcientiam non habet ſufficientem ad exequendum officium, propter quod inſtitutum eſt Beneficium, eſt enim officium adæquatus finis motiuus Beneficij, & ſic literatura 458.
oppoſita illiteraturæ omnimodæ eſt in Clericis requiſita iure diuino, vt tenent Viualdus *in Candelabr. de irregularit. num.*97. Graffis *de effectib. Cleri. in Prælud. num.*64. Azor *part.*2. *lib.*6. *cap.*6. *quæſt.*4. in quo nec Pontifex diſpenſat. Gloſſa *in principio. diſtinct.*5. & tenent omnes fere, D. Thomas 2.2. *quæſt.*100. *art.*8. vbi Caietanus, & reliqui expoſitores. Et ſic mortaliter peccat illiteratus illud ſciens, & prudens de ſua illiteratura accipiens. Et ſimiliter ſi illud retinet tenetur ſub mortali ſcientiam ſufficientem acquirere. Quod 459.
ſi faciat, dum facit non tenetur reſtituere fructus ſecus vero ſi non faciat. Hoc corollarium tenent Panormitan. *Cap. Venerabilis. de Præbendis.* Nauarrus *cap.*1. *§. caueant. de Pœnit. diſt.*6. & Miſcellan. *de oratio miſcell.*41.

Sed modo reſtat videndum quis dicatur literatus quiſve illiteratus. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 76. *art.*2. dicit: *Quædam autem quis ſcire tenetur, illa ſcilicet ſine quorum ſcientia non poteſt debitum* 460.
actum recte exercere. Vnde omnes tenentur ſcire communiter ea quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta: ſinguli autem ea quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. Et ſic ille proprie illiteratus dicitur qui ignorat ea quæ ſcire tenetur, ſine quorum ſcientia debitum actum ſui officij exercere nequit. Quanta autem ſcientia eorum requiratur, arbitrio iudicis, & examinatorum Synodalium relinquitur, argum. *ex l.*1. *de iure delib* & *Cap. de cauſis. de officio delegat.* vbi communiter Canoniſtæ, & tenent Andreas Siculus *conſil.* 34. *num.*39. Bonifacius *Clementin.* 1. *de ætat. & qualitate.*

Ex quo principio colligunt D D. quod ille di- 461.
citur illiteratus ad Parochialem qui neſcit ea quæ ſufficiunt ad populum edocendum ea quæ credere, & obſeruare debet, eique Sacramenta miniſtranda. Ita Gonçalez *ad reg.*8. *gloſſ.*4. *à num.*71. Si tamen ſciat legere latine competenter ad recitandum, & ad miſſandum, non tamen bene principia Grammaticæ calleat, quia conſtructionem ignorat an ſit Parochus dicendus illiteratus? alicui videbitur quod ſic, argument. *ex cap. finali, de ætate, & qualit.* vbi Honorius III. Epiſcopum 462.
Calinenſem priuat ab Epiſcopatu, *quia nunquam de Grammatica didicit, & faſſus eſt, ſe nunquam legiſſe Donatum, & per euidentiam facti de illiteratura, & inſufficientia ſua conſtat quod contra Deum iſſet, & contra canonicas ſanctiones tantum in Epiſcopo tolerare defectum, &c.* Vnde Cardinalis exponens *illud Cap.* dicit quod intelligitur de illo qui licet ſciat linguam latinam loqui ex vſu, & conſuetudine, ſi tamen non ſciat intelli-
gere dicitur illiteratus & incapax. Et idem docet 463.
Rebuffus *lib. de Pacif. Poſſeſſor. num.*213. & 214. quod vniuerſaliter intelligitur de illo qui habet Beneficium cui annexa eſt animarum cura, & ordo aliquis ſacer, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.*6. *de Reformatione.*

Sed exiſtimo quod licet quis neſciat grammaticam ſecundum ius nouum Trident. non poſſit licite petere Parochialem cui annexus eſt ordo

Sacer

Sacer tamen non est penitus illiteratus, itaut sit incapax Beneficij, si alias sciat legere latine ad
464. recitandum, & Missam celebrandum. Moueor primò. Quia licet quando omnes libri doctrinales tam Sacræ doctrinæ, quam casuum conscientiæ, & sermonum ad populum habendorum erant lingua latina conscripti illiteratus diceretur qui illam non calleret, vt optime probat *text. in cap. finali citat.* & docet Barthol. *authent. Si nouo iure. Cod. si certum petatur*, nemo enim qui nescit construere tunc temporis habebat scientiam sufficientem ad obtinendum huiusmodi Beneficium per *text. glossa* 1. *Clement.* 1. *de concessio. Prabend.* quam approbant Cardinal. Panormit. & Imola. Tamen hodie cum multi ex præfatis libris sint
465. doctissime lingua vulgari typis mandati, in qui- Parochi, etiam si nesciant construere possint inuenire ea quæ ad instructionem, defensionem, & pacificam gubernationem, & Sacramentorum rectam administrationem sunt necessario requisita, non dicuntur illiterati omnino ex eo quod non sciant linguam latinam intelligere.

Secundò, id videtur expresse decisum à Rota *in vna nullitatis Sanonen. Monasterij* 29. *Martij* 1610. *coram Damasceno, vbi num.* 9. dicit: *Incipiendo ab eruditione cum sit notum istum Abbatem bene legere, & bene loqui latine non videbatur Dominis posse dici ineruditum, glossa, & scribentes in Clement.* 1. *de conces. prabend. crescens. decisio* 12. *de concessio. prabend. & in terminis de persona Abbatis tradunt Panormit. post Innocent. & alibi dict. cap. Cum in cunctis num.* 4. *de election. attento præcipue examine facto in adeptione Abbatiæ, quo stante præsumitur sufficiens, Cap. Accepimus. de ætate, & qualitate.* & ibi D D. *& licet nesciuerit respondere nonnullis interrogatoriis sibi factis, non per hoc probatur totalis ineruditio, cum possit esse quod in libris veritatem eorum quæ scire tenetur, sciat quærere. Innocent. dicto cap. Cum in cunctis numero* 1. Butrius *numero* 10. Abbas *numer.* 40. Hæc ibi. & alia quæ non pigebit legere. Vnde cum hodie maxima cum vtilitate tot libri vulgari idiomate sint impressi, in quibus Parochi possunt inuenire quæ scire tenentur non ex eo sunt illiterati, quia nesciant libros Latinos construere.

467. Sed circa prouisionem Parochialium in ignaris, & illiteratis notandum est esse vnam Cardinalium declarationem *circa Cap.* 14 *sess.* 23. *Tri-*
468. *dent.* quam diuersimode referunt Barbosa, & Cardinal. Bellarmin. ille enim sic refert: *Congregatio censuit nunquam ignaros promouendos esse ad Sacros Ordines, sed iam promotis conferri posse Parochiales, quando litteratiores inueniri non possunt. Interim Episcopus diligenter curare debet, vt discant, & prout profecerint debebit eos promouere, ac tandem ex sua conscientia, & iudicio rem totam conficiat.* Bellarminus autem sic refert: *Diaconi & Subdiaconi qui carent doctrina pro Sacerdotio non sunt promouendi, nisi maximus esset defectus Sacerdotum, & nulla spes habendi exteros tenuitate Prabendæ, tunc Episcopus diligenter curet vt discant, & prout profecerint ordinet secundum*
469. *suam conscientiam, & det Parochias promotis, si non habet literatiores.* Hactenus ille. vbi in hac declaratione prout refertur à Barbosa videtur dici quod ignaris iam promotis detur Parochialis, quod non dicit prout refertur à Bellarmino, sed quod Episcopi curent quod Diaconi, & Subdiaconi discant, & prout profecerint ordinet, & det Parochiales, & hoc quando est maximus defectus Sacerdotum, & nulla spes habendi exteros. Quod videtur denotare debere esse vrgentissimam, imo extremam necessitatem Sacerdotum; tunc enim si Diaconi, & Subdiaconi sunt penitus ignari, & illiterati, donec literati fiant sufficienter, Regularibus vtatur Episcopus, quos examinatores Synodales approbare debent idoneos. 470.

Rursus aduertendum est quod Parochus qui approbatus est idoneus pro vna Parochiali, non est iudicatus idoneus in scientia pro tota Diœcesi sed solum pro illa Ciuitate, & oppido vbi sita est Parochia. Ita declarauit Sacra Congregatio *apud Bellarm. vbi supr. cap.* 15. Aduertit etiam Candelabrum aureum. *de Confessione cap.* 26. *vers. Septimo*, quod illiteratus approbatus ab ordinario ex- 471.
cusat pœnitentem qui ei confitetur, & aggrauat Episcopum approbantem. Ita etiam Bellarmin. *in obseruat. doctrin.*

In reliquis etiam Beneficiis iuxta officia propter quæ sunt instituta attendenda est litteratura, aut illiteratura, si enim iurisdictionem habeant annexam, & causarum iudicium, vtriusque iuris scientia necessaria est. Ita Gonzalez *vbi suprà num.* 64. quæ non debet esse eminens, sed quæ satis sit vt sciat in libris quærere ea quæ requiruntur ad exercitium iurisdictionis, & iudicaturæ, 472.
sciatque dubitare, & inquirere à doctioribus, & maximè quod sit docilis, & illo sit spes melioris frugis in scientia acquirenda. Quæ spes maximè est attendenda. Rota *vbi supr. num.* 12. *&* 13.

Ex quo fit quod Archidiaconi qui sunt oculi Episcopi illi dantes consilium, & vt adiuuantes assumpti in partem ministerij, vbi fieri potest debent esse Magistri, seu Doctores, aut licentiati in 473.
Theologia, vel iure Canonico. Quod si isti Archidiaconi habeant iurisdictionem contentiosam debent esse doctores promoti in publico Gymnasio, aliàs gradus illis non suffragatur. Ita Barbosa, *de Potest. Episcop. alleg.* 60. *num.* 6. *ex Massobr. in Praxi requisition.* 20. *dub.* 6. iuxta *Bullam* 63. *Pij Quinti*, qui addit quod si isti Archidiaconi sint tales dumtaxat nomine sine iurisdictione non debent habere huiusmodi gradus, vt declarauit Sacra Congregatio *ad cap.* 12. *sess.* 24. *Trident.* Scholastria vero personis idoneis & habentibus
474. huiusmodi gradus conferenda est, alias prouisio irrita est, & inualida, vt dicit Trident. *sess.* 23 *cap.* 18. *de Reformat.* Et declarauit Sacra Congregatio, ibi, *Decanatus vero si non sit consuetudo, non constat ex aliquo loco Concilij quod debeat conferri graduato.* Et sic respondisse Sacram Congregationem refert Garcia *p.* 7. *cap.* 7. *num.* 34. & Barbosa *vbi supr. num.* 61.

Aduertenda sunt aliqua circa huiusmodi gradus requisitas. Primum quod vt collatio sit valida non requiritur quod persona in qua fit prouisio actu habeat illos, sed sat est quod dum fit collatio sit habilis vt infra paruum tempus gradu requisito sit insignitus. Ita Lessius *lib.* 2. *de iust. it. cap.* 34.
476. *n.* 206. quidquid dicat Palao *disp.* 4. *citata punct.* 6. *num.* 18. Ratio est quia si est habilis ad gradum tempore collationis, gradum censetur habere, quia proximè accingendus censetur pro accincto *l. ex eo. D. de testamentis milit.* Sicut in Beneficiis curatis, quibus necessarium est Sacerdotium permittit ius quod tempore collationis sit habilis ad illud recipiendum, quamuis actu non habeat, quia fictione iuris censetur iam sacerdos. Ita pari fictione censendus est Doctor qui tempore collationis

tionis est habilis ad gradum, quod forte non accepit, quia sine dignitatis fructibus non poterat habere sumptus necessarios. Et sic si alias est habilis in scientia, & moribus, & futurus idoneus Ecclesiæ, non quia pauper fit inhabilis. Vnde data opera Trident. *sess.23.cap.18.* loquens de Scholastria dicit quod non dentur *nisi Doctoribus, vel* 477. *Magistris in sacra Pagina, aut in iure canonico & aliis personis idoneis, quæ per se id munus explere possint.* Et sic Concilium præter graduatos citatos sentit esse alias personas idoneas tempore collationis ad præfatam dignitatem. Et sic non est forma collationis quod actu sit graduatus ille cui confertur dignitas, sed sat est quod sit habilis, & idoneus ad gradum, vt expresse tenet Bellarmin. *sess.22.cap.2.in Additio n.1.*

478. Confirmatur ex Rota *apud Farinacium tom.2. decis.216 num.5.* vbi dicitur quod quando vigore statuti, consuetudinis, aut priuilegij, aut iuris patronatus Ecclesiastici, debet fieri collatio, aut Beneficij habentis sacrum ordinem annexum, sufficit quod ille cui fit collatio habeat ætatem legitimam, & sit habilis ad illum ordinem suscipiendum: ergo etiam sufficiet quod sit habilis ad suscipiendum gradum requisitum à Concilio. Legatur *Decis. 496. coram Brouano in Placentina Canonicatus 3. Iunij anno 1613. tom.1.apud Farinacium n.4.& 5.* vbi dicitur idem procedere in dispositione legis vniuersalis.

479. Secundò est aduertendum quod gradus præfati requisiti si sint collati absque sufficienti scientia, non sufficiunt ad hoc quod collatio Beneficij valida sit. Ita sentio contra Palao *vbi supr.num.19. punct.6.* Garciam *p.7.cap.7.n.50.* Barbosam *de Potest.Episcop.allegat.55.n.5.* Probatur, primò, Quia Doctoratus requiritur propter scientiam, cuius est publicum testimonium: ergo si non adest scientia testimonium falsum est: ergo nihil deseruit, nec facit habile subiectum. Vnde data opera dixit Trident. *sess.22.c.2.* loquens de Episcopo: *Scientia vero polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere; ideoque ante in Vniuersitate studiorum Magister, seu Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico, merito sit promotus: ergo si merito* non sit promotus, nec idoneus vt merito promoueatur, sed diligentia, & subornatione adscriptus est Doctorum Catho-logo, non est habilis.

480. Cui Decreto Trident. addit Gregor. XIV. *speciali constitutione quæ incipit onus Apostolicæ*, quã refert Quaranta, *verbo electio, vt peculiaris circa doctrinam promouendi ad Episcopatum diligentia adhibeatur, ita quod priuilegium Doctoratus, aut Licentiaturæ nemini suffragetur. sed de eorum etiam doctrina diligens fiat inquisitio, nisi ex aliqua publica functione illud notorium esset.* Atque ita priuilegium Doctoratus, & aliorum graduum requisitorum, si non adest sufficiens scientia, aut spes illam acquirendi ad satisfaciendum officio, collatio beneficij valida non est. Nec obstat quod gradus validè sint collati, quia non gradus nudus 481. exigitur, sed gradus in quantum sunt testimonia publica scientiæ sufficientis. Quare si ista non adest, non redditur subiectum habile ad collationem, & sic est inualida. Et sic in prouisione Parochialium, & Episcoporum iam non attenditur ad testimonium, & priuilegium huiusmodi graduũ, sed promouẽdi subijciuntur rigido examini.

482. Tertiò, est aduertendum contra eumdem Palao *n.20* quod si quis gradum huiusmodi requisitum accipiat contra constitutiones, & consuetudinem Vniuersitatis falsò probando cursus necessarios, vel descriptionem in matricula, etiam si statuta declararent gradus sic acquisitos inualidos esse, nihilominus collatio Beneficij requirentis gradum valida est, si alias est idoneus, & sciens, ille cui facta est collatio. Ratio quæ me mouet hæc est, quia ius commune, & nouum Tridentini, requirit huiusmodi gradus in quantum sunt publicum testimonium de scientia, & litteratura personæ: ergo si hæc est sufficiens parum refert quod hoc testimonium non sit factum legitimè, quia vt dicit Aristot. 2. posterior. *Propter quod* 483. *vnumquodque tale, & illud magis.* Quare sat est quod quis de facto sit Doctor, &c. quamuis non sit iuridicè graduatus. Et quid interest hoc, si reipsa est idoneus in illa scientia in qua gradum accipit?

Secundo probatur argumento eorum quæ tradunt Rota *decis.532.n.4.2.p. diuersorum*, & Rota *in vna Toletana de Huerta anno 1589.* Ægidius *decis.116.in fin.* & alij quos refert, & sequitur Garcia *p.6.c.2.n.206.* qui dicunt sufficere quod impetrans verificet gradum Doctoratus de facto, quam- 484. uis illum non habeat iuridicè, & validè: ergo vt quis sit capax Beneficij requirentis gradum sufficit quod illum de facto sibi collatum habeat, quãuis ob defectum alicuius conditionis requisitæ inualidè sit collatus, dummodo non desit scientia. Vnde noto quod Concil. Trid. *sess.22.c.2.* non dixit quod validè sit promotus, sed quod *merito* sit promotus: ergo si adest meritũ non obstat validitati collationis quod gradus validè non conferatur.

§. IV.

Quod sit ex legitimo Matrimonio.

SVMMARIVM.

485 *Illegitimi inhabiles sunt, & irregulares ad Beneficia, & Ordines suscipiendos, & n.seqq.*

487 *Generalis regula. Omnis natus ex legitimo matrimonio legitimus est, & omnis qui nascitur ex copula illicita fornicaria est illegitimus.*

480 *Ampliationes Regulæ, & n. seqq.*

500 *Limitationes eiusdem Regulæ, & n. seqq.*

520 *Quis possit dispensare in irregularitate ista illegitimationis? & n. seqq.*

527 *Inferuntur quædam corollaria, & n. seqq.*

CErtissimum est in iure Canonico illegitimos, 485. id est, non natos ex legitimo Matrimon. inhabiles esse, & irregulares ad Beneficia, & Ordines suscipiendos *cap. innotuit de electione. cap. vt filij defiliis Presbyt. & in 6. eodem tit.c.1.& 2.* iure etiam ciuili sunt incapaces ad integram successionem, vt constat *ex l.vlt. C.de naturalibus liberis. & Authent. quibus modis efficiantur naturales sui.* quamuis ad aliquas dignitates admittantur, vt tenent Sylvest. *verb. illegitimus n.1.* Paleotus *infra citand. c.56. n.4. ex l. Generaliter §. spurios D. de natur.liber. & l.spurij eodem.* Ratio autem harum legum est. Primò, dignitas Clericalis quæ huiusmodi vilibus conferri non debet *cap. inter dilectos de excessib. Prælat.* secundò, detestatio criminis paterni *cap. vrgentis de Hæred.* tertiò, quia solent tales esse imitatores criminis paterni *cap.* 486. *si quis cum militibus 6.q.1.* Quare hæc prohibitio omnes quoscũque filios illegitimos cõprehendit,

siue manzeres, siue spurios, siue nothos, siue naturales. Quando autem his distinguantur non est huius loci. Videatur Gabriel Paleotus *in tr. sing. de hac. mater. cap.* 17. ex quo plura deducam in sequentibus.

487. Sit ergo generalis regula. Omnis natus ex legitimo matrimonio legitimus est, & omnis qui nascitur ex copula illicita fornicaria est illegitimus *cap. tanta qui filij sint illegitimi.* Explicant Paleotus *vbi sup. c.2. vsque ad 6.* egregiè à prima origine id enucleans. Molina *de iust. & iur. tract.2. disp.167.* Guttierez *tract. de Matrimon. cap. 1. à num.22.* Sanch. *lib.1. disp.2.*

Ampliationes Regulæ.

Amplia primam partem regulæ. Primò, etiamsi parentes ambo, vel vnus habeant votum simplex castitatis, aut contraxerint sponsalia de futuro,
488. quia hæc impedimenta, etsi impediant non tamen dirimunt, & sic matrimonium est validum, & legitimum. Ita Auth. *cit.* quos sequitur Castro Palao *disp.4. tr.13. punct.1. §.1. n.3 & 5.* Basil. de Leon *de Matrim. lib.12. cap.2. n.7.* quod etiam tenet verum etiam si ex consensu vtriusque votum sit emissum, propter eamdem rationem, quia votum hoc non est ex natura sua impedimentum dirimens. Facit *cap. tanta citatum.*

489. Amplia secundò, etiam si Matrimonium reipsa sit inualidum, si tamen putatur validum bona fide quæ sit saltem in vno coniuge; hæc enim bona fides excusat copulam fornicariam in illo qui habet bonam fidem, & per consequens illegitimationem, quæ ex illa vt ex causa oritur. Ita habetur *cap. ex tenore cap. cum inter.* qui filij sint legitimi. Et pluribus confirmant Basil. *vbi sup. c.8.* Gutierr. *c.7. n.2.* Bona autem fides præsumitur, quando non clādestinè, sed præmissis denuntiationibus iunguntur; aliàs si sine denuntiationibus iungerētur, affectatores ignorantiæ præsumerentur, & sic
490. in mala fide *cap. cum inhibitio §. fin. de clandestina desponsatio.* Ita Zeuallos *q.697. à n.4.* Sanch. *lib.3. de Matrimon. disput.41. à num.1.* Guttier. *vbi sup. n.9.* Paleotus *cap.3. num.5.* Quod intellige si non adsit iusta causa omittendi denuntiationes, quia si adest non præsumitur ignorantiæ affectatio ex habitatione longa coniugum; in foro externo iudicatur legitimum esse Matrimonium, & sic filios inde natos esse legitimos. Ita Guttier. *n.11.* Mascardus *de probation. conc.1021. & 1316.*

491. Amplia tertiò, quod non est putandus illegitimus natus ex adulterio, si maritus accessit ad vxorem tempore quo potuit concipi; si enim manifestè non est probatum non posse à marito esse genitum semper standum pro legitimitate. Nec filius tenetur credere matri, vt se iure legitimitatis priuet *cap. officij de pœnit. & remiss.* Basil. *lib.11. de Matrim. c.9. n.3.* Paleotus *vbi supr. cap.24. n.3. & 4.* Doctores *ad l. miles §. defuncto de adulteriis.* Baldus *l. filium de his qui sui vel alieni.* Abbas *in cap. intelleximus de adulteriis.*

492. Amplia quartò, ad filios expositos quorum parentes ignorantur, quia eo ipso censentur legitimi, apti ad ordines, & ad beneficia quæcumque, ad munia publica, & dignitates. Ego *supr. tract. de præscript. in mala fide ciuil. resol.5* l. multos ibi citaui, quibus addo Paleot. *c.63. n.7.* Salas *1.2. tr.8. disp. vnic. sect.24. n.246.* Garciam *de Benef. p.7. c.2. n.7.* Probatur primò *ex c.1. de infantib. expos.* vbi Gregor. Papa affirmat non ex eo aliquem censeri illegitimum, quia eius parentes ignorantur, possunt enim isti nasci ex legitimo thoro, vt multi
493. exposti nati sunt. Quare ne istis noceat ignorantia parentum, hæc eadem omnibus expositis prodest *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi,* ibi, *in fauorem prolis potius declinamus.* Quamuis enim multi exposti ex fornicaria sint concepti actione, & sic est præsumptio quod hic in particulari sit ita genitus, tamen cum multi etiam exponantur ex legitimo matrimonio nati, etiam est præsumptio quod hic ita sit genitus. Et vt ait Menoch. *de præsump. casu 89. n.23.* quando duæ præsumptiones in vno actu singulari concurrunt semper validior est quæ excludit delictum, aliàs si sola natalium,
494. & parentum ignorantia notum faceret, & illegitimum, incapacemque dignitatum, & beneficiorum proculdubio multi Summ. Pontif. quorum patres penitus ignorantur illegitimi, & spurij tenerentur. Quod ex hoc capite affirmare absonum est. Hi sunt Dionysius I. Leo V. Bonifacius VII. Ioannis XIX. & alij. Hæc sententia valde probabilis est, sed ego resolut. 51. citata contrarium docui.

Amplia quintò, si Matrimonium legitimum putetur, est tamen nullum impedimento erroris interueniente altero coniuge filij nati, perseuerante ignorantia, geniti legitimi sunt. Ita determinat Cœlestinus III. *ad Episcopum Eboracensem* relatus *cap. referente.* Gloss. *verbo ignorantiam & cap. ex tenore* idem definit *Innocent. III. ad Canonicos Benauentanos, qui filij sint legitimi,* & Glossa ibi *verb. ignorantiam* addens singulariter in verbo *legitimum, quod sufficit bona fides alterius parentis, vt filij dicantur legitimi. Etsi nascantur, lite mota legitimi sunt, licet postea separentur, vel si ante sententiam sit conceptus.* Legatur Paleotus *cap.9.* vbi probat id tenere verum etiam iure ciuili.

Amplia sextò, etiam si parentes haberent iuris 496.
inuincibilē ignorantiam, vt si inuincibiliter ignorarent consanguinitatem in quarto gradu non dirimere matrimonium, & sic coniungerentur sine Pontificia dispensatione. Ita Ruinus *cons.51. n.1. volum.5.* Berthol. *ad l. fin. de conditio. sine causa & ad l. si adulterium de adulteriis* inclinat Paleotus *c.9. n.8. & 9.* Abbas *cap. per venerabilem n.36. & cap. Perlatum n.5. qui filij sint leg.* Et ratio est quia æquitas, & benignitas exposcunt vt patribus quos non malitia, sed simplicitate lapsos cognoscimus, & consequenter eorum filiis indulgeatur. Et sicut illi non peccarunt in coniunctione, nec eorum generatio fuit actio fornicaria quod legitimitate gaudeant, nec à beneficiis, dignitatibus, & successione in hæreditate excludantur.

Amplia septimò contra Paleotum *cap.10. n.3.* vbi sic loquitur: *Si proponas, vxorem cum marito* 497.
ab hostibus captam fuisse, dumque in captiuitate detineretur filium ex marito enixam esse, ac deinde in ciuitatem cum filio absque viro reuersam fuisse satis constat hic filium spurium dici, tametsi inter parentes Matrimonium initio legitimè esset copulatum. Probat ex Glossa *l. Diuus de Captiu. & postlimin. & in l. ab hostibus §. non minus D. ex quibus causis maior. & in leg. 1 Cod. de captiuis, & postlimin.* Sed quamuis hoc verum teneret iure ciuili quod illius expositoribus relinquo, tamen iure canonico falsum omnino est, quia vt 498.
quis iure canonico sit legitimus habilis ad Ordines, Beneficia, & dignitates, sat est quod quis non ex fornicaria actione sit genitus, sed ex legitimo Matrimonio quod cognoscere

ad

ad Ecclesiam,non ad iudicem laicum attinet.*cap. causam el secundo, qui filij sint legitim. & cap. lator. eodem.*

Amplia octauò. Si aliquis alicui fœminæ promitteret matrimonium contrahere,& eam postea cognouit carnaliter,præsumitur in facie Ecclesiæ
499. validum esse, & legitimum matrimonium præsumptione iuris,& à iure,contra quam non admittitur probatio. Quare si cum alia contrahat est in facie Ecclesiæ nullũ matrimonium, & ad primũ præsumptum redire cogetur. Ita determinat Greg. IX. *c.is qui de sponsalib.* & tenent omnes ferè scribentes *ibi.* Ex quo fit quod si ex tali matrimonio præsumpto, etsi fornicaria actione, re ipsa,& coram Deo peccaminosa filij nascantur erunt legitimi. Ita Sylvester *verb. legitimi num.* 1.

Limitationes eiusdem Regulæ.

Limitatur primò, hæc octaua ampliatio nisi vterque vel alter protestetur per talem carnalẽ cõmixtionem non intendere matrimonium contrahere,si cum alia contrahat de facto in facie Ecclesiæ hoc secundum Matrimonium tenet,& filij nati ex primo non sunt legitimi. Ita Basil. de Leon
500. *lib.2.de Matr.c.12.n.4.* & est per se euidens contra Barbos. *ed cap.is qui cit.n.10.*& alios antiquos quos citat. Probatur primò, quia ad Matrimoniũ præsumptum requiritur consensus præsumptus, quia sine consensu de præsenti non stat hic contractus;atqui quando ambo protestantur se commiscri animo fornicario non est consensus de præsenti, imo potius dissensus: ergo non est consensus præsumptus, & ita nec Matrimonium.

501. Secundò, quia contra præsumptionem iuris,& de iure saltim indirectè admittitur probatio, maximè parte confitẽte,vt tenet idem Barbos.multis citatis *n.14.*ergo si coniuges probẽr se protestasse commiscri animo fornicario manifestum est præsumptionem euanescere, quia præsumptio iuris, & à iure est quando lex habet pro certo, & sibi comperto ita esse.at in hoc casu per testes,& partibus fatentibus non ita est,arg.*ex cap.transmissa, qui filij sint legit.* sed contrarium, vt constat ex protestatione facta,& ita cessat omnino præsumptio,& euanescit,nam præsumptio est coniectura genita ex signis verisimilibus, vt omnes docent; hic autem nullum est signum consensus,imo po-
502. tius est manifestissimum de dissensu. Et sic Greg. IX. non est locutus in specie huius casus,sed quãdo non adest protestatio quæ non est conditio turpis,quidquid dicat Innocent. *c 2.de spons.* cum potius sit signum dissensus, & quod non contrahatur matrimonium.Verum tamen est quod cum hæc protestatio iuridicè sit probanda, & contra
503. præsumptionem iuris, & à iure indirectè admittendæ sunt probationes,& ante illas Ecclesia præsumat validum fuisse Matrimonium quod filius natus est legitimus, *c.cum inter qui filij sint legit.*

504. Limita secundò, eamdem ampliationem.Quod teneat verum in illis Regnis vbi non est receptum Trid. nam vbi receptum est,verum tenere nõ potest (aiunt Barbosa, & Pontius) quia post sacram Synod.*sess 24.c.1.de refor.* sublata sunt matrimonia præsumpta,& sponsalia de futuro nõ transeunt in matrimoniũ per copulam subsecutam, & alios actus occultos factos à cõtrahẽtibus,sed requiritur cõsensus expressus verbis,aut aliis signis.Ita primꝰ docuit Nauarr. *in Man.c.22.n.28. & c.25.n.144.* & sequũtur iam ferè omnes,plures citant Barbosa *vbi sup.n.11.*Sanch.*lib.3. de Matrim.disp.40.n.3.* Guttier.*lib.1. can.c.28.n.4.* Cenedo *collectan.131.*

n.2. Basilius Legion. *vbi sup.* quia matrimonium hoc est clandestinum, quantum ad pœnas iuris.

Sed non vrget,quia si hæc copula fiat coram Pa- 505.
rocho,& testibus,etiam istis renuentibus, non est contra Concilium,quia iam non est clandestinum signum illud quod determinauit decretum denotare consensum. Neque Concilium absolute abstulit matrimonium præsumptum, sed clandestinum quod non fit coram Parocho,& testibus; si enim illa præsumptio iuris,& à iure fiat coram illis, habebit eam vim quam de iure communi habet,quia Concilium solum addidit contractui matrimonij hanc conditionem quod fiat coram Parocho, & testibus. Quod si ista conditio adest, si matrimonium aliàs de iure antiquo est verum in facie Ecclesiæ, dubio procul erit verum in facie 506.
Ecclesiæ iure nouo Tridentin. Etsi iure Decretal. sponsalia de futuro, secuta copula, transibant in matrimonium, si sponsalia, & copula fiant coram Parocho,& testibus transibunt etiam in Matrimonium, cum Tridentinum non abstulerit præsumptionem hanc iuris, & à iure.

Sic discurreram contra Basilium, & Barbos. & 507.
& reuidens Thom. Sanch. eruditissimum virum inueni ita sentire,*vbi sup.n.7.* & citat Henriquez *lib.11.de Matrim.c.3.n.7.& in Comm.littera I.* id affirmat de traductione solemni sponsæ in domum sponsi, quæ si fiat coram Parocho, & testibus transit in matrimonium; non tamen est signum consensus, nixus, & conatus ad copulam, etiam post sponsalia de futuro. Ita Couarr. *1.p.4. c.3.§.1.n.19.* Sylvest.*verb.Matrimon.2.§.16. vers. prima addit tamen quod traductio ad domum.præcipuè in virgine, non transit,* sed potest intelligi si non fit solemnis,vt est solita fieri.Ex quo fit quod filij nati ex huiusmodi matrimonio præsumpto valido sunt legitimi.

Limita tertiò,regulam ipsam,quando filius nas- 508.
citur ex parentibus legitimo Matrimonio iunctis,quod consũmarunt,tamen sunt impediti reddere,& petere,quia alter eorum professionem solemnem,ex alterius consensu, aut sciente, & non contradicente in iudicio, emisit, aut ordinem sacrum, cui annexa est continentia ex Ecclesiæ statuto,aut votum solemne castitatis. Ratio est,quia procedit ex coitu sacrilego ex personis aliàs inhabilibus ad validè contrahendum, sic de facto matrimonium non esse contractum. Ita Palao *tom.13.disp.4.punct.1.§.1.n.4.* Azor *2.p.lib.2.c.6. q 8.in fine.*Suar.*de cens disp.50.sect.2.n.5.*Sanchez *lib.9.de Matrim.disp.38.* referens plures antiquos *n.2.* Cæterum non bene citat Palao Sanchez hic 509.
enim contrarium dicit, affirmans huiusmodi filium esse legitimum, quamuis sit irregularis. Et sic licet sine dispensationem possit ordines suscipere,vt expresse dicitur *cap.litteras de filiis Presbyteror.* tamen succedere potest vt hæres suus in hæreditate, etiam in maioratu,& habere alias dignitates quæ legitimis conceduntur. Ita Barbosa *ad præfat. cap. litteras.*vbi Cardinalis *q.1.*Butrius *n.7.*Abbas *n.4.* Maiolus *de irregular.lib.1.c.4.n.9.* Et ratio est clara. Illegitimitas cum sit pœna ob incontinentiam paternam, si talis pœna non exprimatur,non præsumitur imposita.Regula *Odia de regul.iur. in 6.* Pontifex autem solum declarat 510.
talem esse irregularem, non vero illegitimum: ergo solum afficitur irregularitate, nam quantum ad illegitimationem semper inclinare debemus in fauorem prolis,*cap.ex tenore qui filij sint legit.*

Quæ doctrina intelligenda est quando Matrimonium est consũmatũ,nã si tantum fuit ratũ,&

intra tempus à iure ſtatutum alteri coniugum ad Religionem tranſiuit, ibique profeſſionem ſolemnem emiſerit, ſi ex vtroque filius naſcatur
511. prorſus eſt illegitimus, quia Matrimonium ratum profeſſione diſſolutum eſt, & ſic non habet vim filium legitimandi: ſecus autem eſſet ſi vir ad ſacros Ordines promoueretur per quos non diſſoluitur Matrimonium, *extrauaganti antiquæ Ioann. 22. de voto.* Ita Maiolus *n.* 8. & Sanch. *n.* 4. ſimiliter ſi alter coniugum, alio ignorante, aut non conſentiente profeſſionem emittat ſolemnem, ſi poſtea filius naſcatur legitimus eſt omnino, etiam quoad ordinum, & Beneficiorum promotionem, cum tali caſu profeſſio nulla ſit, *cap. quidam cap.*
512. *placet de conuerſione coniugatorum.*

Sed aduertendum eſt multum valde referre an iſte genitus ex parentibus profeſſione ſolemni impeditis ſit illegitimus, an vero ſit legitimus, etſi irregularis, quia ſi eſt illegitimus prorſus eſt inhabilis ad Beneficia etiam ſimplicia, niſi interueniat diſpenſatio *cap. innotuit de electio c. vt filij de filiis Presbyter. cap.* 1. & 2. *eodem in* 6. & ſic collatio valida non eſt, ſed ipſo iure nulla, vt tenent omnes ſcribentes; attamen ſi ſit legitimus, etſi irregularis, collatio beneficij, etiam curati, non eſt ipſo iure irrita, ſed irritanda à iudice, ante cuius ſententiam tenet collatio, & fructus facit ſuos abſque obligatione reſtituendi. Poteſt etiam illud validè reſignare, & exercere omnes actus competentes ratione Beneficij, & ſic
513. valide eligit, præſentat, confert Beneficia, iuriſdictionem ad excipiendas confeſſiones, & ad miniſtranda Sacramenta, ad aſſiſtendum Matrimonio, etſi, quia irregularis, non poſſit ſine diſpenſatione actus ordinis exercere. Ita Præpoſitus 3 *p. q.* 5. *de irregular.* Coninch *diſp.* 18. *de cenſur. dub.* 1. *n.* 6. Turrian. *de cenſur. lib.* 7. *diſp.* 58. *dub.* 2. Suar. *diſp* 40. *ſect.* 2. *n.* 35. Hurtado Complutenſ. *diſp.* 1. *de irregular. diffic.* 20 *n.* 21. Cornejo *tract.* 5. *de irregular. diſp.* 5. *dub.* 2. §. *oppoſitam ſententiam.* Eligius Baſſeus *verbo irregularitas* 1. *n.* 13. Filliucius *tract.* 19. *n.* 83. Courſets *ad cap.* 1. *regul S. Franciſci lect.* 28. *folio mihi* 773. qui omnes ſecuti ſunt Sylueſtrum *excomm* 4. *n.* 4. vbi hoc egregiè explicat ponens diſcrimen inter excommunicatum, & irregularem, *Quia* (inquit) *inhabilitatio excommunicati eſt in pœnam peccati, irregularitas autem poteſt eſſe ſine culpa, & irregularis non eſt ſeparatus à perceptione Sacramentorum, licet celebrare non poſſit.*

514. Quare exiſtimo quod licet iſte filius, de quo loquimur ſit irregularis, tamen collatio Beneficij nõ eſt ipſo iure irrita, quia licet non poſſit Ordines ſuſcipere, tamen poteſt ſuſcipere primã tonſuram, ratione cuius habilis ſit ad validè recipiendũ Beneficium, vt docet Sayr. *de cenſur. lib.* 5. *c.* 5. *n.* 15. & 16. Aloyſius Bariola, quem citat, & eius ſententiã probabilem reputat Bonacina *de cenſur. in comm. diſp.* 7. *de irregul. q.* 1. *punct.* 1. *n.* 3. quia prima tonſura non eſt propriè ordo, cum nullũ habeat miniſterium in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ, & ſacrificium, ſed ſolum eſt quædam deputatio ad ordines. Et ſic inhabilitas ad Ordines quam ha-
515. bet irregularis, præcipuè ſi non ſit ex delicto homicidij voluntarij, aut alio, non eſt extendenda ad primam tonſuram, cum irregularitas ſit canonicũ impedimentum directè impediens ſuſceptionem, vel vſum ordinum. Quamuis enim ſit inhabilis ad ordinum ſuſceptionem, non inde fit quod ſit inhabilis ad primam tonſuram, quia iſta accepta poteſt habere diſpenſationem ad alios ordines.

Neque obſtat quod Trid. *ſeſſ.* 14. *de reform. c.* 2. *in fin* dicat quod tõſuratus ab alieno Epiſcopo ſuſ- 516.
pẽdatur ne ad vlteriorem gradum poſſit procedere. Et ita multo magis valebit quod irregularis ſit omnino inhabilis ad primam tonſuram, ait Marchin. *tract.* 2. *de Sacram. Ordin. p.* 1. *c.* 14. *n.* 3. *nam quomodo* (inquit) *eſt veriſimile Eccleſiam ad ſtatum Eccleſiaſticum velle admittere illegitimum, vel energumenum, ſi ad vlteriores gradus iſti poſtea aſcendere non valebunt?* Hoc, inquam, non obſtat, tum quia in pœnis non valet argumentum à ſimili vt pœna extendatur, *cap. pœnæ de pœnit. diſt.* 1. 517.
vbi egregiè Nauarr. *n.* 1. & 22. Tum ſecundo, quia in pœnis non veriſimilitudo, ſed verba legis quæ propriè ſunt accipienda, operantur, nam pœnæ exorbitant à iure naturali, quare cum iure poſitiuo ſunt impoſitæ extendi nullatenus debent propter veriſimiles rationes. Quare Eccleſia non vult poſitiuè admittere illegitimum ad primam tonſuram, ſed id permittit cum expreſsè non prohibeat, niſi promoueri ad Ordines, ad quos vel Papa, vel Epiſcopus de facili diſpenſat.

Igitur quod collatio facta filio legitimo, irregulari tamen, etſi ſit irritanda, non ſit ipſo facto inualida, ſed quod accepta diſpenſatione irregularitatis non ſit neceſſaria noua collatio, itaut ſi ſit ordinatus Sacerdotio, & conferatur ei Parochia- 518.
lis in concurſu illam poſſit retinere tuta conſcientia ante ſententiam iudicis irritantis collationem. Probatur primò, quia priuatio exercitij Ordinis non obſtat, quominus collatio valida ſit, quia irregularis poteſt retinere Beneficium conſecutum ante irregularitatem *cap. ex litteris de exception. cap Clericis, ne Clerici, vel Monachc. ap. fraternitati de Cleric. excomm. celebrante*; at tamen non poteſt habere aliquod Ordinis exercitium. Secundò, 519.
quia ius expreſsè prohibens collationem Beneficij non irritat illam, niſi expreſsè id exprimat, *c ſi ſoli de conceſſ. præb. in* 6. vbi id determinat Bonifacius VIII. & explicant ibi Canoniſtæ, quorum plures refert Barboſa *ibi n.* 1. atqui nullum extat ius irritans collationem factam irregulari ſed ſolum decernit eſſe irritandam Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de reform.* quamuis enim in iure dicatur quod cum aliquibus irregularibus poſſit diſpenſari ad obtinendum Beneficium *c.* 2. *de Clericis pugnantib. in duell. c.* 20. *de Clerico non ordinato miniſtran.* intelligitur ad licitè acquirendum, itaut non poſſit ab eo auferri per ſententiam; non tamen validè obtinẽdum, ſed per ſententiam auferẽdum. Hoc dixerim iuxta horum DD. ſententiam, nam meam infra §. 21. enucleabo.

Sed quis poteſt diſpenſare in irregularitate iſta 520.
illegitimationis? hic poſſumus loqui aut ſecundũ ius antiquum, aut ſecundum nouum Concil. Trid. Si ſecundum ius antiquum poſſunt DD. Epiſcopi, interueniente iuſta cauſa cum illegitimis ad habendum Beneficium ſimplex, etiam ſi ſit Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ inſignis, & portio dimidia Cathedralis, etiam ſi Beneficio ſimplici aut Canonicatui accedat, & vnita ſit acceſſoriè Eccleſia Parochialis, quia acceſſorium ſequitur naturã ſui principalis. Papa vero ſolum diſpenſat in Beneficiis quæ habent ſacrum ordinem annexum. Ita Azor *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 50. *q.* 8. Sayr. *de cenſ. lib.* 6. *c.* 11. *n.* 8. Henriq. *tom.* 2. *lib.* 15. *c.* 8. *n.* 10. & *in comm. litter. B.* Molfeſ. *in ſumm. tract.* 2. *c.* 16. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 41. *c.* 10. *n.* 50. March. *de Sacram. Ord. p.* 1. *c.* 16. Garcia *de Benef. p.* 7. *c.* 2. *à n.* 48. Poſſunt etiam de iure an- 521.
tiquo diſpenſare cum illegitimis vt obtineant Canonicatum in Eccleſia Cathedrali. Ita Silua *de Benef. p.* 3. *q.* 61. *in fin.* Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 3. *q.* 11. dicit tamen quod vſus Rom. Curiæ eſt in contrarium.

Nauarr.

*fil.3.n.4.de stat.& qualit.*dicens esse communem & Glossa *ad cap.1.de filiis Presbyt. in 6. verbo Beneficium.* Ioannes Andreas *n.3. Dominicus n.7.* & multi alij Canonistæ. Suarez *de censuris disput.30. sect.5. n.6.* Villadiego *de irregul. cap.16. vers.circa.*Tabiena *verbo Beneficium 2.n.14.& 15.* Sylu. *n.11.*& Armilla *n.25.*Probatur *ex dicto cap. is qui de filiis Presb.in 6.*vbi Bonifacius VIII. Episcopis concedit facultatem dispensandi ad Beneficium non habens curam animarū. Talia sunt Beneficia Canonicatus in Ecclesia Cathedrali:ergo.

522. Sed supposito iure nouo Concilij Trid.*sess.24. c.12.* vbi statuitur quod omnes Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis,& integræ portiones habeant ordinem annexum,hodie sicut Episcopus non potest dispensare cum illegitimis ad sacros Ordines, ita neque ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis. Ita Sayrus *de censur lib.6. cit.c.11.n.11.* Zerola *in praxi verbo Canonici §.3.*Auila *de censuris part.7. disp.3.dub.6.notat.3.* Less. *lib.2.de iust.c.34. n.86.* Henriq. *lib.14.cap.8.§.10.* quos sequitur Barbosa

523. *alleg.46.cit.n.33.*Et ratio est,quia vt aduertit Garcia *p.7. c.2.n.66.* qui promouetur ad Beneficium debet esse habilis tempore promotionis ad ea quæ sibi incumbunt ratione Beneficij *c.dudum el primero de electione cap.Si pro Clericis de prabend.in 6.* idem docet Marchin.*vbi sup.p.10.c.1.diff.2.*et enim tempore collationis subiectum debet esse aptum, vt saltim intra certum tempus possit sine dispensatione ab alio superiore facienda; si enim hæc requiratur collatio valida non est; sicut nec Matrimonium est validum inter personas itteritas impedimento dirimente,in quo Pontifex dispensat,quia tempore contractus (non stante dispen-

524. satione)inhabiles sunt.Addit Garcia,& bene *n 68.* quod si aliquis spurius ex dispensatione Papæ potest ad sacros Ordines promoueri,cum illo potest Episcopus dispensare vt habeat Canonicatum in Ecclesia Cathedrali. Si tamen eius pater non sit, aut fuerit immediatè Beneficiarius eiusdem, quia in hoc non potest Episcopus dispensare,nisi solus Pont.ita Gloss.*ad c.1.de fil.Presb.in 6.verbo Tale.*

525. Iure tamen tam antiquo Decretalium, quam nouo Trid. non potest Episcopus dispensare cum illegitimis ad habendas dignitates,aut personatus, etiam sine animarum cura. Ita Glossa *vbi sup.verbo Beneficium* Azor *vbi sup.q.3.* dicens ita tenere omnes Doctores.Sylvest. *verb.Beneficium 3.n.12.* Rosella,*verb.illegitimus n.11.*Armilla *n.25.*Valentia *tom.4.disp.7.q.19.punct.3.*Toletus *lib.1 summ. c.52.*& est expressè decisum à Gregor. IX. *in cap. nimis de filiis Presbyter. in Decretal.* quod tenet etiam ibi Glossa, *verbo Sedis Apostolicæ.* Quare iuxta hunc textum intelligendus est textus *in c.2. de fil. Presbyterorum in 6.* vbi conceditur Episcopo facultas vt dispenset ad Beneficium cum ille-

526. gitimo, dummodo non sit curatum. Et quamuis dignitates multæ non habeant curam animarum, tamen æquiparantur curatis *cap. dudum el segundo de electio.* Tum etiam quia Bonifacius VIII.dicit quod Episcopus dispenset ad Beneficium,dummodo sit tale super quo Episcopus possit dispensare; atqui dispensare non potest in dignitatibus *iuxta cap. nimis citat.*

527. Ex quibus infertur quod cum dispensatio sit odiosa strictissimè debet intelligi,itaut quàto minus fieri possit lædat ius *c.1.de fil.Presbyt.in 6.*Tenent omnes,plures citat Suar. *de leg. lib.11. c.11. n.10.*Salas *disp.20.sect.10.* Molina *de iust.tract.2. disp.591.* Sanch.*lib.8.de Matrim.disp.1.* Nicolaus Garcia *p.1.c.6.n.58.& seqq.*Vnde in dispensatione non valet argumentum à maiori ad minus,neque extenditur ad casum habentem in se maiorem rationem vt egregiè probant Couarru.*de sponsalib. p.2.c.8.§.8.*Nauarr.*de redditib.q.3.monito 10.n.2.* neque dispensatio comprehendit casum mixtum, & dupliciter prohibitum nisi dispensetur in vtroque. Rota *apud Farinac. tom.2. decis.76. num.2.* 528.

Ex quo fit quod dispensatus ad Ordines Sacros non censetur dispensatus ad Beneficia. Ita Abbas *ad cap. litteras de fil. Presbyt.n.3.* & alij quos cit. & sequitur Azor.*vbi sup.4.q.* quamuis,ne cogatur 529. mendicare,congruum est vt etiam dispensetur ad Beneficium congruum,arg.*ex cap.Diaconi.5.dist. 93.§.mendicet. cap.proposuit de fil. Presbyter.cap. Episc. de prabend.*Cæterum non ex eo quod quis dispēsetur ad ordines ex natura rei sequitur quod dispensetur ad Beneficium,sed potest Papa primū concedere sine secundo,cum possit habere patrimonium, aut viuendi modum, ratione cuius non mendicet,quamuis aliqui non improbabiliter di- 530. cant quod dispensatio ad ordines extenditur ad Beneficia solita conferri Clericis Ordinatis Minoribus,quos citat Barbosa *n.6.*quibus addo Sayrum *lib.7 de censur.c.14.*Belletum *disquis.Clericalium p.1. tit. de disciplin. regular. §.3. num.39.*

Quod si nihil horum habeat existimo satis pro- 531. babile quod dispensatus ad ordinem Sacrum implicitè,& quasi iure naturali censeatur dispensatus ad aliquod Beneficium. In cuius confirmationem est elegans textus *in c.proposuit.vbi cit.*Alexandr. III. scribens Oxonienſi Episcopo de quodam Sacerdotis filio qui erat Subdiaconus dicit quod illi conferat Beneficium,*quia indignum est,*inquit, *vt ipse postquam est in Diaconum ordinatus omnino debeat Ecclesiastici Beneficij prouisione carere.*Ponderanda est ratio Pontificis,*quia indignum est,&c.* si autem est indignum: ergo vt fiat non est necessaria dispensatio. Consequentia est clara, quia ad hoc quod fiat id cuius contrarium est indignum: non est necessaria dispensatio, cum ex natura rei licitum est facere id quod excludit, quod est indignum.Vnde idem Alexander III. *cap.Episcopus* 532. *de præb. mandat.quod si Episcopus aliquem ordine sacro ordinauerit sine titulo certo,tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei conuenientia stipendia militiæ Clericalis ministret, nisi talis Ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

De iure enim diuino est quod sacris initiatus 533. qui Ecclesiæ seruit, de redditibus Ecclesiæ viuat *cap. cum secundum Apostolum de prabendis,* vbi sic dicit Innocent.III. Episcopo Zamorensi,*Cum secundum Apostolum qui Altari seruit viuere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur repelli non debeat à mercede, patet à simili vt Clerici viuere debeant qe patrimonio Iesu Christi, cuius obsequio deputantur.*vbi Pontifex rationem naturalem suæ decisionis nobis dedit,eo enim ipso quod quis sacris ordinibus initiatur ad onus eligitur: ergo non debet à mercede Beneficij repelli, sed viuere de patrimonio Christi.Et sic ex iure diuino dispensatus ad Ordines est dispensatus ad Beneficia, si non habet aliàs vnde viuat. Sicut qui dispen- 534. satur ad habendum Beneficium, cui annexus est ordo facer Subdiaconatus eo ipso est dispensatus ad alios sacros Ordines, qui ex diuino iure sunt connexi. Ita Marchin. *infrà citand. n.15.* Nauar. *lib.1.conf. de stat, & qualit. conf.1. & lib.3. de regularib. conf.57.*

Non tamen dispensatus ad Ordines minores est dispensatus ad Sacros, & sic dispensatus absolutè ad ordines intelligitur ad minores. Ita Sanchez *lib.8. citat. disp.1. num.26.* Azor *cap.3. citato quæst.6.* est enim, vt dixi, dispensatio odiosa, & sic strictè interpretanda, & quoad fieri possit limitanda, seruata proprietate verborum, atqui nomine *Ordines* propriè significat non primam tonsuram, quæ propriè ordo non est, bene tamen quatuor minores qui propriè ordines sunt: ergo dispensatio, nisi aliud addatur ad solos illos est limitanda, & non extendenda ad maiores, vt latè Reginaldus *in praxi lib.30. tract.2. num.75.* Molfesius *tract.2. c.16. num.* 8. quidquid in contrarium dicat Marchin. *vbi sup. c.4. n.10.* etenim dispensatio non datur à Pontifice iuxta intentionem petentis nisi explicatam in verbis supplicæ. Et quis dicat quod intentio supplicantis attendatur à dispensante cui occulta est? quare si non exprimatur quod dispensatio petitur ad omnes ordines, bis petenda erit, primo ad minores, secundo ad maiores. 535. 536.

Similiter dispensatus ad Beneficia non est dispensatus ad dignitates, & qui est dispensatus ad dignitates absolutè,& non dicatur ad omnes non est dispensatus ad maiores, & principales post Pontificalem, neque etiam ad dignitates quibus inest animarum cura. Similiter dispensatus ad Beneficia curata, non est dispensatus ad dignitates. Ita Azor *vbi supr. à quæst.7. vsque ad* 10. Barbosa *vbi suprà à numero* 10. *vsque ad* 17. Marchinus *numero* 14. qui bene dicit quod dispensatus ad Beneficium curatum non intelligitur dispensatus ad Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ: contrarium enim tenet Silna *de Beneficiis part.2.quæst.62. num.6.* sed melius Barbosa ex principio posito, quod dispensatio non debeat extendi etiam ad casum habentem in se maiorem rationem, imo quamuis in dispensatione dicatur quod fit habilis ad omnia Beneficia, non intelligitur habilis ad dignitates; istæ enim in odiosis, qualis est dispensatio non veniunt nomine Beneficij. *Clement. I. de sequestr. posse* Belletus *vbi supr. part.2. tit. de discipl. clerical. §.2. n.38.* Quare apertis verbis debent exprimi in rescripto dispensationis. 537. 538.

Supposito tamen quod Episcopus possit cum illegitimis dispensare ad minores ordines, & vt habeant Beneficium simplex; dubium est an possit dispensare vt habeant plura Beneficia simplicia? negant communiter Doctores quos referunt, & sequuntur Garcia, *vbi sup. num.50.* Azor *q.12.* Barbosa *num.* 28. Probant *ex cap.* 1. *§. ille de fil. Presb. in 6.* vbi Glossa, *dicit enim Pontifex quod Episcopus solum potest illegitimis vnum Beneficium conferre*; cum enim simus in materia prohibitiua, non debet extendi ad plura *cap. gaudemus de diuortiis.* Cæterum Glossa, *vbi sup. littera K.* dicit, *imo dispensatione Episcopi potest illegitimus habere vnum Beneficium curatum, & aliud simplex.* Quod maximè tenet verum si vnum non sufficiat ad congruam sustentationem, quidquid dicant Azor, & Garcia *vbi supr.* iuxta ea quæ diximus in superioribus *ex cap. cum secundum Apostolum de Præbend.* Et quidem cum omnes Authores hanc communem sententiam confirment *ex cap. 2. citat. de fil. Presbyt.* cum Pontifex ibi manifestè loquatur de Beneficio curato, & dicat vnicum dumtaxat posse obtinere, non video quomodo ad simplicia extendatur. Id etiam constat ex *cap.2.* vbi dicitur quod cum dispensatione facta semper mentione de defectu natalium possit illegitimus plura Beneficia curata obtinere, licet enim ita sint incompatibilia, etiam in legitimo, tamen vult Pontifex quod vt dispensetur in ista incompatibilitate cum illegitimo fiat mentio de defectu natalium, & aliàs dispensatio erit subreptitia. 539. 540.

Deinde quia plura Beneficia simplicia, etiam si quodlibet sit sufficiens ad congruam sustentationem, non sunt incompatibilia, nec vt habeantur requiritur hodie dispensatio, vt egregiè dicit Soto *de iust. & iur. lib.3.q.6.art.3.conc.4.* vbi ait: *in Beneficiis simplicibus nullam residentiam requirentibus nullam esse necessariam dispensationem, vt plura eadem persona obtineat, quod non solum iam receptus vsus, verum & ratio id docet.* Et Cardin. *in cap. iam dudum & in Clement. de rescript.* dicit *quod ita seruat consuetudo, quam Papa scit, & tolerat, & aliter dicendo totus mundus damnatur.* Aragon. *2.2.quæst.63.art.2. conc.3.* Valentia *disp.5.q.7.punct.2.* Barbos. *de potest. Episc. alleg.62. n.8. & ad c.17. Concilij sess.24.n.6. in Collect. Doctor.* Aloysius Riccius *in decis. p.4.decis.236. n.5.* & ita inualuit consuetudo in Hispania, quam secure in praxi sequuntur DD. Episcopi; imò vt notat Barbosa alleg. cit. stylus Curiæ habet quod vni dentur tot Beneficia simplicia quot sufficiunt ad congruam sustentationē, quia si quando vnum non sufficit potest dari aliud, etiam possunt dari alia, si duo priora non sufficiunt, quia singula quæ non prosunt, collecta iuuant, & Summ. Pont. absque aliqua dispensatione plura Beneficia vni personæ conferunt. Quare dubio procul hæc consuetudo iam præscripta excusat à peccato conferentes, quando ad conferendum iustis mouētur de causis. Legatur Thom. Sanch. *tom.1.consil. lib.2. c.2. dub. 6. vbi n.25. & 26.* id, vt assolet, egregiè explicat dicens cum Soto nullam requiri dispensationem, vt quis habeat plura Beneficia simplicia, sed solum requiri causas rationabiles vt excusetur à mortali. Explicat etiam egregiè quæ Beneficia simplicia debent esse. Quare minus bene Garcia *part. 11. cap.5. num. 279.* contrarium tenuit. 541. 542. 543.

Ex qua doctrina clarè colligitur quod Episcopus potest illegitimo plura Beneficia simplicia dispensando conferre, quia non requiritur dispensatio Papæ in incompatibilitate, quia compatibilia sunt. Quare sicut potest conferre primum, potest & alia quæ sufficiant ad congruam sustentationem, ratione habita personæ.

Sed nunquid illegitimus sit inhabilis ad pensiones? affirmat Garcia *p.1. cap.5.à n.115. vsque ad* 140. Nauarrus *consil.5. & consil.61. n.5. de fil. Presb. & conf.11.n.3. de tempor. Ordin.* qui dicit quod non est capax pensionis (secundum stylum Curiæ in Dataria, & Cancellaria, cui magis est standum, vti magis propinquus Papæ, quam stylus Rotæ, qui non est capax Beneficij. Sed contraria sententia mihi magis arridet, quam tenuit Rota *in vna Militen. pensionis apud Farin. tom.2. decis.549. die 14. Maij 1614. coram Burato*, vbi ait, *Illegitimus non est inhabilis ad obtinendam pensionem, nisi ratione clericatus, super quod si sit dispensatus non indiget dispensatione super illegitimatione, quam opinionem perpetuo seruat Rota.* Hæc ibi. Et postea adducit septem Rotæ decisiones idem affirmantes. Idem docent Paleotus de nothis, & spuriis *c.50. n.4.* Zerola *in praxi 1.p.* 544.

verbo

545. *verbo ordo* §.4. Ratio eſt,quia penſio non eſt propriè Beneficiũ, & ſic in lege pœnali qui eſt inhabilis ad Beneficium non eſt inhabilis ad penſionẽ, vt optime Saa emendatus, *verbo Homicida n.*20. Suarez *de Cenſuris diſp.*44. *ſect.*3. alias 4.*num.*39. & ſic declarauit Sacra Congregatio *ad cap.*7.*ſeſſ.* 14.*Trid. Hoc decretum quod loquitur de incapacitate Beneficiorum in qua ſunt homicidæ non extenditur ad penſiones.* Quam declarationem referunt Bellarminus, & Barboſa *ibi.* Et quidem mihi magnum eſt argumentum quod Rota Romana dicat quod hanc opinionem perpetuo ſecuta eſt, vt iudicem non eſſe ſtylum contrarium in Dataria, aut Cancellaria.

546. Verum eſt quod Trid. *ſeſſ.*25. *cap.* 15. *de reformat.* prohibet filios preſbyterorum *penſiones ſuper fructibus Beneficiorum quæ Parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.* Quod decretum intelligi de filiis genitis antequam eorum Parentes clerici ſint effecti,tenent Garcia *part.*7. *cap.*3. *num.*15. Sigiſmundus à Bononia *de electio. dub.*73.*num.*3. & alij, quos citat & ſequitur Barboſa *in Collectan. ad illud cap.*15. Trident. *num.*5. & dicunt ita declaraſſe Sacram Congregationem.

Sed verius eſt oppoſitum quod tenent Emmanuel. Rodrig. *tom.*1.*quæſt.*13.*qq. Regul.art.*7.Mi-
547. randa *in Manual.tom.*2. *q.*2.*art.*10. quia cum lex ſit pœnalis debet intelligi ſtricto modo de filiis factis à patre exiſtente Preſbytero, qui enim ante ordinem Sacrum, aut ſolemnem profeſſionem genitus eſt, propriè non eſt filius Clerici, & ſacrilegus, ſed naturalis, & ſic poteſt accipere à patre aliquod legatum, & ſuccedere matri ab inteſtato: ergo etiam poteſt pater dare illi penſionem ſuper fructibus Beneficij; hæc enim pœna ſtatuitur in odium, & deteſtationem ſacrilegæ incontinentiæ paternæ, quod innuit Trident.dicens, *vt paternæ, incontinentiæ memoria locis Deo conſecratis quos maxima puritas, ſanctitaſque decet, quam maxime arceatur, non liceat filiis clericorum, &c.*

Et ſic eſſe intelligendum conſtat clare *ex cap.*
548. *Propoſuiſti.* 82. *diſtinct.* quod eſt Innocentij *ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, & citatur in Margine Concilij* vbi dicitur, *Quo magis* (id eſt quanto magis) *hi Sacerdotes & Leuitæ* (in lege gratiæ) *pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent quibus vel Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt,& nullus ſit dies qua vel à ſacrificiis diuinis, vel baptiſmatis officio vacent.* vbi ponderanda ſunt illa verba, *Pudicitiam ex die conſecrationis ſuæ ſeruare debent*, quæ manifeſte denotant quod incontinentia paterna, de qua loquitur Trident. & deſumpſit ex Concilio Toletano 9. *cap.* 10. non eſt illa quæ exercetur ante diem conſecrationis. Et ſic filij naturales ex hac geni-
549. ti hoc decreto non comprehenduntur, ſicut nec filij profeſſorum in aliqua Religione qui nati, aut generati ſunt ante profeſſionem ſolemnem.

Idem etiam conſtat *ex Cap. Plurimos eadem diſtinct.* quod eſt Siricij Papæ *ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum*, cui reſcribit dicens: *Plurimos Sacerdotes Chriſti, atque Leuitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procuraſſe, & crimen ſuum hæc præſcriptione defendere, &c.* & paulo inferius, *quia aliquanti de quibus loquimur, &c.* vbi ponit grauiſſimas pœnas his de quibus locutus eſt,qui ſunt qui de propriis vxoribus, quarum acceſſus erat illis prohibitus, quam qui de turpi coitu ſobolem procreaſ- 550.
ſent *poſt conſecrationis ſuæ tempora*: ergo has pœnas non incurrebant iſti, nec eorum filij, ſi ante conſecrationis tempus ex turpi coitu ſobolem procreaſſent; iſti enim proprie non ſunt filij clericorum, ſed ſæcularium,qui rempore coitus poterant Matrimonium contrahere, & Concilium dicit *filij clericorum*, qui modus loquendi formalis debet eſſe, vt pote dogmaticus, & magiſtralis, & hic non eſt filius clerici, ſed laici. Legatur Bellarmin. *ad præfatum c.*13. *in obſeruat. doctrin. verbo non.liceat.*

Quod autem Concilium dicat filios clericorum *qui non ex legitimo Matrimonio ſunt nati,* 551.
quibus verbis videtur denotare ſuo decreto comprehendere etiam filios naturales ante tempus conſecrationis genitos, hi enim non ſunt ex legimo Matrimonio: hoc, inquam, non obſtat reſolutioni factæ, nam hoc dixit Concilium forſan propter filios Græcorum qui nubere poſſunt cum Virgine, & filij nati ſunt legitimi. Tum etiam illa verba poſuit explanationis gratia,quaſi diceret filios clericorum *quia non ſunt ex legitimo matrimonio nati*, ſed potius ex ſacrilego coitu ideo, &c. Vnde filij clericorum ex legitimo matrimonio poſſunt habere penſiones ſuper fruuctus Beneficiorum patris. Garcia *vbi ſupr. n.*35. Armendar.*l.*1.*de filiis Preſbyteror. inter leges Nauarræ.* Quod ſi aliquando eſt diſpenſatum vt re- 552.
fert fuiſſe diſpenſatum *anno* 161.*die* 11. *Ianuarij*, hoc fuit ad maiorem ſecuritatem.

Ex dictis colligitur quod ſi Preſbyter habeat 553.
penſionem,cum facultate transferendi,dummodo non ſit poſita ſuper Beneficio proprio, poteſt illam transferre in filium illegitimum habitum poſt Preſbyterium.Ita Gonzalez *ad Reg.*8.*gloſſ.*5. *num.*22.& 23. Azor *p.*2.*lib.*8.*cap.*8.*q.*7. Barboſa *de Poteſtat.Epiſcop.allegat.*65.*num.*27. Aldana *in compend.canonic.Reſolut.lib.*5.*tit.*18.*num.*15. vbi refert deciſum *in vna Zamorenſi* 9. *Nouembr.* 1619.& *in alia ſub die* 15.*Septembr.*1619.Garcia *p.*7.*cap.*3.*num.*32. quamuis *num.*36. dicat hanc ſententiam tutam non eſſe,nec veram. Sed falli-tur quia tuta,& veriſſima eſt, quia vt probatũ relinquimus penſio in pœnalibus non venit nomine Beneficij in Bulla Clementis ſeptimi edita anno 1530.& eſt 36.huius Pontificis quam ponit Nauarrus *ad cap. Si quando de Reſcriptis exception.*21. & quamuis militaret in penſione ratio 554.
Concilij, ſcilicet vt paternæ incontinentiæ memoria longiſſimè arceatur, tamen hoc non obſtat, quia lex pœnalis non extenditur ex paritate rationis,vt tenet communis ſententia.

Infertur amplius quod licet filius non poſſit ſuccedere Patri in Beneficio ſiue ſimplici,ſiue curato, tamen pater poteſt ſuccedere filio, etiam in eadem Eccleſia in qua illegitimus filius habuit idem, vel quodcumque aliud Beneficium, etiam 555.
diſſimile. Vnde poteſt in concurſu ſuccedere in Parochiali filij illegitimi. Ita Rodriguez *tom.*1. *ſumm.cap.*29.*num.*4. Sigiſmundus *de electio.dub.* 75.*num.*3. Sayrus *de cenſur.lib.*6.*cap.*10 *num.*44. Vega *p.*1.*ſumm.cap.*36.*caſu* 18. Leſſius *lib.*2.*cap.* 34.*num.*91.Azor *p.*2.*lib.*6.*cap.*14.*q.*18. Et ratio eſt quia Concilium ſolum loquitur de filio illegitimo reſpectu patris: ergo cum ſimus in pœnalibus non debet extendi decretum, ſed intra ſuam ſphæram, vt ſonant verba contineri,imo filius illegitimus poteſt renuntiare Beneficium

quodcumque illud sit in fauorem Patris. Ita Ioannes Andreas quem refert, & sequitur *Abbas in c. Ex transmissa de filiis Presbyterorum num.3.* & hos sequitur Bellarm. *vbi infrà.* Nec obstat quod dicatur Sacram Congregationem contrarium declarasse, quia non constat de ea.

Infertur vltimo, quod Decretum Concilij non
556. comprehendit nepotes legitimos Presbyterorum, ex filio illegitimo respectu aui, sed potest illi succedere in Parochiali, & aliis Beneficiis, etiam Dignitatibus &c. Ita Azor *vbi suprà q.17.* Sayrus *n.16.* Nauarrus *consil.9. de filiis Presbyter* vbi adducit decisionem Rotæ *coram D. Rubeis 14. Februa. ann.1574.* Et quamuis sacra Congregatio Concilij aliquando declarauerit quod nepos ex filia, vel filio illegitimo non possit habere pensionem super Beneficio aui, tamen tandem *primo die Mar-*
557. *tij 1598.* declarauit *quod Decretum Trident. non prohibet vt nepos illegitimus ex filio illegitimo Beneficium quod auus habuit obtinere non possit.* Quod multum magis est quam quod filius legitimus ex filio illegitimo idem obtineat. Hanc declarationem referunt Barbosa ad *cap.15. sess.25. de Reform.* Bellarminus *ibidem in additione num.7.* quod etiam intelligitur viuente auo, vt tenuit Rota, & Eminentissimi Cardinales omnes in Congregatione *anno 1586. die 13. Maij*, dixerunt hoc esse de iuris rigore verum, sicut nepos non legitimus Clerici potest capere ex testamento, & succedere auo *l. filius C. de naturalibus liberis.* Paleotus *de Nothis, & spuriis cap.53.* Molina *tom.1.*
558. *tract.2. disp.167. conc.9.* Couarruuias *4. Decretal.2. p. cap.8. §.5. num.11.* quamuis non possit succedere patri, nec ex eius testamento quidquam capere. Ita *lex Regia 6. tit.8. lib.5. Recopilation.*

559. Multas alias ampliationes, & limitationes huius regulæ primæ possem adducere, sed ne longior euadat Tractatus iste quam par est, sisto; doctrinæ enim adductæ, & adducendæ sufficienter instruere possunt examinatores Synodales ad iudicandum de idoneitate oppositoris.

Sed vnum superest dubium, An irregularitas orta ex defectu natalium, & illegitimitatis pœna possit ab Episcopo virtute priuilegij dati à Concilio Trident. *sess.24. cap.6.* dispensari, quando non est publica, & notoria, etiam si notum sit tribus, vel quatuor, itaut illegitimus occultus sic dispensatus possit tuta conscientia obtinere, & retinere Beneficia curata, Dignitates, etiam Maiores, Cathedralium. Negat Marchin. *de Sacram.*
560. *ordin. tract.1. part.10. cap.1. diff.3. num.14.* vbi dicit omnes fere Doctores contrariam sententiam tanquam falsam eliminare, & citat plures, & Suarez *de Censur. disp.50. sect.5. num.5.* dicit esse improbabilem. Probatur quia Concilium solum dat potestatem Episcopis dispensandi in quacumque irregularitate ex delicto occulto proueniente; atqui illegitimitas non est delictum illegitimi, sed defectus, & delictum parentum non est filij illegitimi delictum: ergo.

Sed contraria mihi videtur valde probabilis, etiam in praxi. Ita Auila *de Censuris. part.7. disp.3. dub.7.* Coninch. *disp.18. de Sacram. dub.14. num.117.* Magister Cornejo vir maxima prudentia, & virtute præditus *tom.2. tract. de censuris.*
561. *disp.15. de irregular. dub.2. quæst.1.* Layman *in Theolog. Moral. lib 2. tract.10. part.1. cap.5. num.2.* Præpositus *3. part. quæst.5. de irregular. dub.16. numer.130.* Peyrinis *de Prælato quæst.2. cap.5. §.9. num.143.* Barbosa *de iure Ecclesiast. vniuers. lib.1. cap.11. num.156.* quos vidi, & citat sequutus eos Diana *part.1. tract.15. resol.21. & part.4. tract.2. resol.64. & part.7. resol.24.* qui omnes probabilem sententiam dicunt, & sic minus bene improbabilem dixit Suarez. Probatur primo. Quia hoc priuilegium Episcopis concessum est à Concilio in fauorem animarum, & sic late est interpretandum. *Reg. odia. de regul. iur. in 6.* licet enim 562.
dispensatio stricte sit interpretanda. *cap. 1. de fil. Presbyteror. in 6.* tamen potestas dispensandi quæ datur hoc priuilegio late est intelligenda, vt optime Peyrin. *vbi supr.* atqui licet illegitimitas non sit peccatum, nec orta ex peccato filij, sed parentum, tamen originem suam proximam trahit à delicto: ergo cum Trident. dicat Episcopos posse *in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare.* Etiam poterit dispensare cum illegitimo ad sacros Ordines, Beneficia maiora, seu Dignitates, & Prælaturas; prouenit enim hæc irregularitas ex delictis Parentum.

Secundò probatur *ex Cap. nisi cum pridem. de renuntia. §. Personæ*, vbi Innocentius III. loquens de irregularitate orta ex defectu natalium, dicit
licet irregularitatem huiusmodi non potuerit subti- 563.
cere, si tamen & culpa latet, & causa potest non minus vtiliter, quam misericorditer dispensari. vbi Glossa *verbo & causa* dicit, *Si ipsa irregularitas occulta est, dispensatur cum ipso propter vtilitatem ipsius Ecclesiæ.*

Ex quo fit quod cum ex priuilegio Pij Quinti dato Regularibus in Bulla quæ incipit *Romani Pontificis edita anno 1571. die 21. Iunij*, possint 564.
Prælati Regulares, etiam locales in suos subditos quod possunt Episcopi in suos vigore Concilij Trident. *cap.6. citat.* quoad dispensationem, & absolutionem, sicut Episcopus potest dispensare in irregularitate occulta orta ex defectu natalium; ita & quilibet Prælatus Regularis. Ita Sigismundus à Bononia *de electio. dub.76. à num.6.* Marchin. *vbi supr. part.9. diff.1. num.9.* Rodriguez *tom.1. quæst.61. art.9.* Sanchez *de Matrim. lib.8. disp.2. num.13.* Peyrin. *vbi supr.* imo id possunt etiam in Nouitios, sed si à Religione exeunt iterum incidunt in eamdem irregularitatem, vt notat Hieron. Rodrig. *resolut.52. num.27.* aliis citatis contra Sanchez *lib.5 in Decalog. cap.5. num.14.* cuius sententia probabilissima est, & secura in praxi, quia licet ab excommunicatione absolutus tempore nouitiatus in illam reincidat si à Religione 565.
discedat, tamen dispensatus in irregularitate non reincidit, quia hæc reincidentia irregularitatis nullum habet in iure fundamentum, & tamen nisi exprimatur in iure asserenda non est; datur enim illa dispensatio propter actum heroïcum relinquendi sæculum, & sic sortita est absolute suum effectum, illo actu posito quamuis non perseueret; est enim quid distinctum actus positio, & illius perseuerantia. Videatur Hieronymus Rodriguez *Resolu.76. numero 7.* vbi docte tractat contra Sanchez.

***

§. V.

§. V.

De legitimatione originis ex Matrimonio secuto.

SVMMARIVM.

567 *Dispensatio & legitimatio differunt.*
568 *Non potest quis pro parte esse legitimus, & pro parte illegitimus.*
573 *Probabile est quod per professionem solemnem in Religione approbata, tollatur omnis illegitimationis nota, & n. seqq.*
576 *Legitimatio duplex, vna à iure, altera ab homine, & n. seqq.*
580 *Legitimandus debet esse subditus legitimantis.*
582 *Nunquid Princeps siue secularis, siue Ecclesiasticus possit filium suum legitimare? & num. seqq.*
587 *Filius laicus alicuius Clerici potest à Principe seculari legitimari quoad successionem in bonis paternis, & quoad dignitates & officia ad quæ legibus ciuilibus erat inhabilis.*
592 *Princeps non potest legitimare filium ad successionem paternam sine consensu ipsius Patris, & filij.*

567. HVcusque degustauimus quædam de dispensatione illegitimitatis & in hoc §. alia breuiori calamo degustanda sunt circa legitimationem illegitimi; valde enim in hac materia differunt dispensatio, & legitimatio, vt notant Emmanu. Rodrig. *tom.1.q.13.art.10. pro huius notabilis.* Couarruu. *4.p.Epitom.cap.8.§.8.* Molina *tract.2.disput.173.* Rebuffus *in Praxi tit. de dispensatio.* Super *deffectu natal.num.74.& 75.* Nauarrus *consil.2.qui fil.sint legit.* Miranda *tom.2.q. 2.art.5.* nam quando illegitimo non conceditur habilitas ad omnia ad quæ de iure erat inhabilis, sed solum ad ordines, vel ad Beneficia simplicia, vel quid simile taxatum, etiam si habilitans vtatur verbis *legitimare*, vel *legitimationis* non est propria legitimatio, sed dispensatio, non enim quis potest pro parte esse legitimus, & pro parte illegitimus. Si tamen simpliciter, & absolutè habilis reddatur ad omnia ad quæ inhabilis erat de
568. iure tunc legitimatio est, quamuis non vtatur verbo *legitimare*, sed verbis *dispenso tecum*, vel *restituo te natalibus*, vel *habilem te facio*, hic enim non ad verba, sed ad factum est attendendum.

569. Quæ doctrina ita vera est, quod quamuis Pontifex, vel Princeps sæcularis habilitet illegitimum ad omnia ea ad quæ inhabilis erat, & addat aliquam conditionem, vt si dicat Pontifex, *Reddo te habilem ad ordines, & ad Beneficia, qualiacumque sint, si proprius Episcopus non contradicat*, hæc est vera, & propria legitimatio conditionalis, quæ transiit in absolutam posita conditione. Ita Couarruu. *2.p.de sponsalib. cap.8.§.8.num. 1.& 2.* Molina *vbi supr.vers. dubitant DD.* Basilius de Leon *lib.11. de Matrimon. cap.4. num.3.* Et ratio est, quia hæc est gratia Principis qua habilitatur quis ad omnia si ponatur conditio, quod non contradicat, quæ non tollit voluntatem, & consensum Principis, quo non ad determinatum tempus, nec ad aliqua munia habilem facit, sed ad omnia, & ad omne tempus, dependenter tamen à conditione.

570. Vnde fit quod si quis illegitimus dispensatus in seculo ad Beneficium siue curatum, siue simplex, si fiat Religiosus, indiget noua dispensatione vt eligatur Prælatus, quia dispensatio stricti iuris, & strictè interpretanda *cap.1. de filiis Presbyter in 6.* Si verò dispensetur ad quæcumque, & qualiacumque Beneficia tunc non indiget noua dispensatione vt sit Prælatus in Religione, quamuis hæc vniuersalis dispensatio est propriè legitimatio, quæ latè est interpretanda, & sic reddit personam habilem ad quæ iure canonico erat inhabilis. Si verò quis Religiosus illegitimus legitimetur à Papa, & post probet nullitatem professionis poterit in sæculo habere quæcumque Beneficia, & qualiacumque, etiam si curata sint, & principaliores Dignitates, quia legitimatio Principis latè est interpretanda ad omnia habenda ad
571. quæ Principis potestas extenditur. Secus verò si legitimatio fiat à Prælato Regulari virtute suorum priuilegiorum, quæ potius est dispensatio ad Beneficia ordinis quam legitimatio. Quare si probetur nulla professio indiget noua dispensatione
572. ad Beneficia sæcularia siue simplicia, siue curata &c. Quod si alicui illegitimo ex priuilegio Papæ concedatur Parochialis dispensando in inhabilitate censetur dispensatus ad sacros ordines, quia de iure Parochus tenetur infra annum fieri Sacerdos. Quare qui dispensat ad Parochiam dispensat necessario ad Sacros ordines.

573. Obiter nota valde probabile esse quod per professionem solemnem in Religione approbata tollatur omnis illegitimationis nota, etiam quo ad dignitates & Prælaturas Ecclesiasticas, & Episcopatus. Ita concessit Eugenius IV. Congregationi S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia, quę Bulla inter ipsos practicatur hodie, vt notat Portel *in Dub.Regular.verb.Illegitimus num.9.* nec derogata est per Sixtum Quintum in Bulla contra illegit. aut per Gregorium XIV. in Bulla moderatrice Bullæ Sextinæ, quia quamuis Gregorius derogauerit omnia priuilegia quæ dispensabant cum illegitimis alio modo quam ipse dispositit,
574. tamen Clemens VIII. Bulla I. apud Emmanuel Rodrig, in Bullario, & Paulus V. in Bulla quam refert Fr. Ludouicus de S.Ioan. Euangelista in fine summæ, confirmarunt omnia priuilegia etiam per modum communicationis *ex certa scientia*, quæ clausula idem operatur ac clausula *de plenitudine potestatis*, quæ confirmatio habet vim innouationis, & reualidat inualidatum, & reuocatum, vt optimè Emmanuel Rodrig. *tom.2. q.33. art.4.cap.1.de transactione.* Et *cap. Quoties de Pactis.* Vbi omnes Doctores Canonistæ. Ex Theo-
575. logis ita sentiunt Suarez *de legib.l.9.cap.19.num.* 4. Rosella *verbo absolutio quoad seculares ad §.16.* Portel *in Dub.Regul.verbo Priuileg.num.33.* Barbosa *de clausulis vsu frequent.clausul.59. num.19.* vnde Abbas *consil.655.num.19.* dixit *quod non potest quari à Principe cur ita faciat quando facit ex certa scientia.* Legatur Barbosa *num.54.* vbi satis probabiliter defendit quod illa verba *ex certa scientia* solum referuntur ad priuilegia quæ sunt in vsu. Sed de hoc aliàs latius dicam. His præliabatis.

576. Suppono primò, Quod cum legitimatio sit natalium restitutio quod ad ea quæ iure positiuo filiis illegitimis denegata sunt, vt latè explicat Molina *vbi suprà disp.171.* ex Couarruu. *loco citato,*

duplex

duplex eſt,vna à iure,altera ab homine,quæ à iure, eſt quæ naſcitur ex Matrimonio legitimo ſubſecuto,quæ ab homine,eſt qnæ fit à Principe Supremo non recognoſcente Superiorem in ſuo regimine, & eſt duplex ſicut eſt duplex ſupremus Princeps, vna ciuilis quæ fit à Principe ſæculari, vel à Papa prout eſt Dominus abſolutus temporalis; altera canonica, quæ fit à Pontifice prout eſt princeps, & Legiſlator Supremus, Chriſti Vicarius habens iuriſdictionem à iure diuino in totam Eccleſiam, cuius eſt Caput, Gubernator
577. & Rector. Aliquando etiam Princeps Supremus deelegat inferioribus poteſtatem legitimandi,qui aduertere debent an hæc poteſtas delegata ſit ad diſpenſandum, an ad legitimandum, cum ex poteſtate diſpenſandi non inferatur poteſtas legitimandi, quamuis è contra bene inferatur ex poteſtate legitimandi poteſtas diſpenſandi. Ita Couarruuias *vbi ſuprà.num.6.* & Molina *diſput.173. verſ. Obſeruandum eſt*, niſi dicatur in litteris commiſſionis *quod diſpenſes Antonium ad omnia*
578. *ad quæ inhabilis eſt à iure*; nam *vt ſupra* dixi hæc eſt poteſtas ad legitimandum ſub nomine poteſtatis ad diſpenſandum. Quod ſi delegetur abſoluta poteſtas legitimandi non poteſt legitimare ad feuda, & maioratus, quia legitimatio eſſet in damnum tertij, quod nunquam fit à Principe niſi vtatur plenitudine poteſtatis quæ nunquam præſumitur, niſi exprimatur. Ita Couarruuias *numer. 6.* & Doctores *ad legem Gallus D.*
579. *de liberis, & poſthum.* Et propter eamdem rationem non poteſt ex tali poteſtate legitimare illegitimum ſtantibus filiis legitimis, bene tamen ſi ſunt alij filij prius legitimati. Et ſi poteſtas eſt conceſſa ad legitimandos filios poteſt & filias, quia iſtæ in fauorabilibus veniunt filiorum nomine. Ita DD *citati.*

Ex quo fit quod legitimandus debet eſſe ſubditus legitimantis, cum legitimatio ſit actus iuriſdictionis voluntariæ quæ exerceri nequit niſi in ſubditum. *l. vltima D. de iuriſdiction. omn. iudic.* Eſt tamen iuriſdictio iſta talitet voluntaria quod à ſubditis eius exercitium non pendeat; atque ita cum legitimatio ſit inhabilitatis inductæ per legem ablatio, & remotio;nemo autem poteſt remouere aliquem ab hac inhabilitate niſi is qui illum ſua lege inhabilem fecit *cap. Per venerabilem qui fil. ſint leg.* vbi Pontifex legitimat filios Regis Francorum, quia id facere poterat abſque al-
581. terius iniuria, eo quod filij Regis nemini ſint ſubiecti, atque ita ſi eſſent ſubiecti id non poſſet facere niſi hoc cederet in magnam Eccleſiæ vtilitatem ſpiritualem, quia tunc poteſtas temporalis totius mundi ſubordinatur poteſtati ſpirituali quam habet Pontifex ad gubernandam totam Eccleſiam. Ita Molina *diſp.173. citata* Sanbhez *de Matrim. lib.8. diſp.7. num.1.* Baſilius de Leon *lib.11.citat.cap.5.num.6.*

582. Sed nunquid Princeps ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticus poſſit filium ſuum legitimare, negant Baſilius *vbi ſup. cap.6. num.5.* & alij, *ex l.qui iuriſdictioni.D. de iuriſdictione*, vbi determinatur quod Pater non debet ius *dicere nec ſibi, nec vxori, nec liberis, nec libertis, nec exteris quos ſecum habet*; cumque legitimatio habeat iuriſdictionem non ſolum voluntariam, ſed etiam contentioſam, quam pater non poteſt exercere in filios, nec illos poterit legitimare; quod ſi poſſet non petiiſſet Rex Franciæ à Pontifice quod filios ſuos legitimaret, *Cap. Per venerabilem citat.*

Sed verius eſt oppoſitum. Ita Couarruuias *vbi* 583.
ſupr.num.20. Molina *diſputat citat.verſ.Princeps* Quia legitimatio per ſe eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, quamuis per accidens admiſceatur contentioſa, quando eſt aliquis contradictor: at iuriſdictionem voluntariam poteſt Pater exercere in filium *l.1. & 2.D. de offic. Prætor.* imo ſi filius conſentiat poteſt & contentioſam *leg.in priuatis. D. de iudiciis.*

Secundò, quia vt dicunt Molina, & Baſilius *vbi ſuprà.* filius natus ex parentibus impeditis ad 584.
contrahendum poteſt legitimari à Principe, quia illegitimatio, & inhabilitas eſt introducta iure humano, nam iure naturali omnes filij naſcerentur legitimi, vt optime Paleotus *cap. 2. & 3 de noth. & ſpur.* at quæ ſunt de iure humano poteſt Princeps abrogare, & ſic tollere illam inhabilitatem vtendo plenitudine poteſtatis; non enim requiritur quod Princeps faciat legitimam copulam ex qua natus eſt filius legitimandus;hoc enim eſt impoſſibile cum ad præteritum non detur potentia; non enim requiritur ad legitimationem 585.
reſtitutio natalium ex matrimonio, ſed naturalium ex natura, quæ intelligitur eo ipſo quod Princeps auferat inhabilitatem ortam ex ſua lege, ergo hoc modo Princeps poteſt legitimare ſuum filium.

Neque fundamentum oppoſitum aliquid probat, quia etiam probaret Principem ſuos familiares non poſſe legitimare, cum neget lex in eos poſſe exercere iuriſdictionem. Quare reſpondetur primo,quod Princeps poteſt etiam in hac lege 586.
diſpenſare quod poſſit Pater in filium iuriſdictionem contentioſam exercere. Reſpondetur ſecundò, quod lex loquitur de conuenientia, non de neceſſitate. Verum eſt quod filius ſic legitimatus non poteſt ſuccedere in Regno, vel maioratu, ſi ſtatutum ſit quod ſoli legitimi ſuccedant, quia legitimatus non comprehenditur ſub legitimo. Ita Theologus Molina *vbi ſupr.* & Molina Iuriſconſultus *lib.3.de Primogenit.cap.3.à num.3.* Ad confirmationem Reſpondetur Regem Francorum diſpenſationem petiiſſe à Pontifice ad maiorem ſecuritatem, non quia ipſe non poſſet diſpenſare ad ciuilia, tum etiam vt diſpenſaret ad Eccleſiaſtica.

Suppono ſecundo filium laicum alicuius cleri- 587.
ci poſſe à principe ſæculari legitimari quoad ſucceſſionem in bonis paternis, & quoad omnes dignitates, & officia ad quæ legibus ciuilibus erat inhabilis. Ita Couarruu.*num.10.* Molina *verſ.ad quem autem* Baſilius *numer. 6.* & Fachineus *lib.3. cap.59.* Ratio eſt, quia hic filius ſæcularis eſt:ergo in illum poteſt Princeps iuriſdictionem exercere legitimando ipſum, cum leges quæ per hanc legitimationem relaxantur, ſint pure ciuiles, & non Canonicæ. Nec Princeps diſponit de bonis 588.
Clericorum quæ ſunt excepta à laica poteſtate. *Cap. Eccleſia S. Mariæ de Conſtitut.* nec ſubiicit gabellis, & tributis dum à clerico poſſidentur; non tamen ita ſunt exempta quin Princeps, non quidem immediate, & primario, ſed ex conſequenti legitimando filium ad ſucceſſionem poſſit legitimatis applicare. Quare pater clericus poteſt coram iudice ſæculari conſenſum neceſſarium ad legitimationem filij præbere. Neque hoc eſt tractare cauſam coram iudice ſæculari, ſed ſolum 589.
conſenſum ſuum præbere qui neceſſario exigitur. Verum Azor *infra citandus quæſt. 5.* dicit: *Ego quidem conſilium darem vt ab vtroque Principe, ſcilicet*

ſcilicet ſæculari, & Eccleſiaſtico huiuſmodi natalium reſtitutio peteretur.

Si tamen filius iſte per diſpenſationem ſit ordinatus minoribus, & habeat Beneficium nullo modo poteſt legitimari à principe ſæculari. Ita Azor *part.2.lib.2. cap.15. quæſt.5.in fine.* Baſilius *vbi ſupra. cap.6.num.9.* contra Molinam *vbi ſup. verſ. Quando filius.* Couarruu. *num.9.* & alios.

590. Ratio eſt, quia legitimatio eſt actus iuriſdictionis mixtæ ſcilicet voluntariæ & contentioſæ, atqui clericus non poteſt ſe ſubiicere iuriſdictioni voluntariæ iudicis ſæcularis,& multo minus contentioſæ, quia non poteſt coram illo contendere, aliàs poſſet in illum vti vi coactiua quod eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, cui non poteſt Clericus renunciare. *Cap. Si diligenti. de foro compet.*

591. Neque obſtat quod hic filius ante clericatum contraxerit inhabilitatem, & illegitimationem ex vi legum ciuilium, quarum relaxatio ad Principem ſæcularem pertinet. Quia licet hoc verum ſit, tamen eo ipſo quod factus eſt clericus eximitur à iuriſdictione ſæculari, ſicut bona clerici ante clericatum erant ſubdita legibus ciuilibus, Gabellis, & tributis, tamen poſt clericatum omnino exempta ſunt. Quare vt iſte Clericus legitimetur à Principe ſæculari, & fiat habilis ad dignitates,& officia ſæcularia eſt neceſſarium quod Pontifex diſpenſet in hoc quod iuriſdictioni ſæculari ſubdatur. Vnde Pontifex ſtatuere poteſt ne bona clericorum ad filios eorum ſpurios & Sacrilegos deueniant,quamuis à Principe legitimati ſint, vt ſic Clerici arceantur maiori rigore à libidine,&intuitu filios ditandi, pauperibus alimenta de patrimonio Chriſti denegent. Sic de facto ſtatuit Pius V. *ſpeciali conſtitutione* quam refert Nauarr.*de ſpolio Clericor.§.vlt.n.6.notab.4.* quam non fuiſſe in Hiſpania receptam teſtatur Molina *tract.2.diſp.169.in fine.*

592. Hinc fit quod Princeps non poteſt legitimare filium ad ſucceſſionem paternam, ſine conſenſu ipſius Patris & filij. Ita ſtatuitur. *Authent. quib. mod.naturales efficiantur ſui §. Generaliter.* Cum enim filius per legitimationē tranſeat in patriam poteſtatem, & ſic ad patrem adminiſtratio, & vſusfructus bonorum attineat, ratio poſtulat vt legitimatio non fiat iſtis renuentibus:ſatis tamen

593. erit ſi non renuat filius & taceat. Ita *l.2.D.ſoluto Matrim.§.vlt* & tenet Baſilius *vbi ſup.num.13.* qui *num.* 14. adnotat hoc eſſe intelligendum de iure communi, & poteſtate Principis ordinaria, nam ſi vtatur plenitudine poteſtatis,& dicat quod *Motu proprio, & ex certa ſcientia* legitimat non requiritur conſenſus; imo & ſi adſit filij, aut patris contradictio poterit legitimare, quia conditiones requiſitæ ad legitimationem, cum ſint introductæ iure humano, eas poteſt Princeps relaxare.

594. Rurſus non requiritur conſenſus Patris, vt Princeps filium illegitimum habilem faciat ad honores, & officia Reipublicæ, quia hæc habilitatio ſolum reſpicit perſonam filij,ſucceſſio tamen reſpicit perſonam Patris, & ſic ſine iſtius conſenſu fieri nequit. Qui conſenſus expreſſus non requiritur, ſed ſufficit præſumptus. Ita Molina *vbi ſupr. verſic. vt legitimatio diſput.173.* qui *verſi. item legitimatus.* addit quod legitimatus ad ſucceſſionem paternam conſequenter manet legitimatus ad ſucceſſionem aliorum. Quod mihi difficile eſt, niſi legitimatio ſit abſoluta ad habilitationem omnem; ſi enim ſolus diſpenſatus ſit 595.
ad ſucceſſionem paternam, cum diſpenſatio ſit ſtricti iuris ad ſucceſſionem aliorum non extenditur. Quare ſtricte eſt intelligenda. *Cap.1.de filiis Preſbyt. in 6.*

§. VI.

Statuitur I. Regula.

SVMMARIVM.

596 *Filij illegitimi naturales, qui geniti ſunt ex parentibus ſolutis, inter quos non erat impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium legitimantur matrimonio ſecuto & n.597.*

598 *Ampliationes huius regulæ, & n.603.612. 614. 616. 619. 620. 623. 627. 630. 645. 646.*

604 *An Filij contradictio obſtet legitimationi ex matrimonio? & n ſeqq.*

635 *Inferuntur quædam corollaria, & num.638. 639.640.*

641 *An ſi diſpenſatio non fiat in radice poſſit Pontifex legitimare filium illegitimum ad ea quæ iure ciuili ſunt illi prohibita?*

HIs poſitis ſit prima Regula. Filij illegitimi 596.
naturales qui geniti ſunt ex parentibus ſolutis inter quos non erat impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium legitimantur Matrimonio ſecuto. Ita determinauit Alexander III. *in Concil.Lateran.p.35.cap.1.* & refertur *cap.Tanta qui filij ſint legit.* ibi. *Tanta eſt vis matrimonij vt qui antea ſunt geniti, poſt contractum Matrimonium legitimi habeantur.* Quæ verba Hiſpane dedit nobis *lex 13.tit.1.part.4.* notat tamen Couarru. *2.p.de ſponſal.cap.8.§.2.num.* 18. matrimonium ſubſecutum habere vim hanc non à ſe, ſed à iuris diſpoſitione, & beneficio Principis.Quare iuris fictione retrotrahitur præſens matrimonium ad tempus natiuitatis, imo & conceptionis, itaut qui illegitimi ſunt concepti, & nati, per matrimonium ſecutum non ſolum ex tunc legitimi fiant, ſed à tempore conceptionis, 597.
& natiuitatis legitimi habeantur, vt multis citatis tenent Couarruu. *num.26.* & Tiraquellus *de iur.primogenitura, q.34.num.34.* quidquid dicat Facchineus *lib.4.Controuerſ.cap.54.* ſine aliquo vrgente argumento vt legenti conſtabit,quamuis aliqua argumenta rectè diſſoluat.

Hæc regula ampliatur primò, Etiam ſi matri- 598.
monium ſubſecutum ſit ſolum præſumptum in foro externo. Ita contra Sarmiento *lib. 1. ſelect. cap.6.num.2.* tenet communis ſententia vt videre eſt, in Baſilio *lib.11.de Matrimon.cap.1.§.2.num.* 13.Garzia *p.7.cap.2. num.30.* Ratio ſumitur ex cap.*Quod nobis*, & cap.*Tanta* iuncto cap.*ex tenore qui fil. ſint legit.* vbi Matrimonium cum impedimento dirimente contractum, ſed celebratum in facie Eccleſiæ bona fide contrahentium legitimat prolem, eo tempore generatam:ergo etiam habet vim legitimandi filios antea generatos, quia Matrimonium quod Eccleſia habet pro vero, & præſumitur validum retrotrahitur fictione 599.
iuris; ad diem conceptæ prolis vt eam legitimet; quamuis enim reipſa non ſit verum Matrimonium,ſed præſumptum, tamen in fauorem prolis

impro

impropriatur verbum vt illam priuilegium Principis comprehendat.

600. Quæ ampliatio verum tenet, etiam si coniuges sint dispares in nobilitate, & diuitiis, ita vt fœmina aut vir sint vilis conditionis, infames vt latrones publici, & meretrices, quia cum hæc disparitas non impediat valorem matrimonij non potest impedire legitimationem ab eo prouenientem. Ita Couarruu. *vbi suprà num.* 9 Fachineus *cap.* 53. vbi optimè explicat textum *in §. sed ad aliud. authent. quib. mod.* quod loquatur de meretrice de qua non erat certum an filius conceptus esset ab eo cum quo contraxit, an ab alio, & sic non debet reputari legitimus. Legantur Basilius *lib. cit. cap.* 2. *n.* 2. Barbosa *in Collectan. ad cap. Tanta citat. n.* 3.

601. Existimo tamen quod si Matrimonium præsumptum contractum sit absque dotalibus instrumentis, vt scriptura dotis, & donationes inter nuptias, iure Cæsareo non legitimat prolem, quia quamuis sine istis instrumentis constare possit verum Matrimonium, tamen præsumptum non potest stare, quia deficientibus his instrumentis præsumptione iuris, & à iure præsumitur simulatio matrimonij, & concubinatus continuatio, & sic non legitimat filios *instit. de nuptiis. §. aliquando & authent. quibus mod. §. vltimo* quamuis si vir non habuerit prius accessum ad fœminam cum qua contrahit, possit contrahere sine dotalibus instrumentis iure Cæsareo *l. finali C. de donatio. ante nupt.* Idem est si verum matrimonium sit, legitimat enim etiam sine dotalibus instrumentis.

602. Existimo etiam quod hæc legitimatio per Matrimonium subsecutum tandem resoluatur ad beneficium Principis sic sua lege statuente quod fictione iuris filij antea nati censeantur nati ex legitimo matrimonio, cum reipsa ex eo nati non sint. Quæ iuris fictio priuilegium est factum à Principe, qui si non ita statuisset legitimi non essent, sed naturales filij ante matrimonium geniti. Cæterum legitimatio facta ex vi matrimonij habet plures effectus quam legitimatio facta non per priuilegium iuris, sed per priuilegium principis factum alicui personæ particulari, quæ non est legitimata per matrimonium subsecutum, vt in sequentibus videre licet.

603. Secundò, amplia. Quod tanta sit vis matrimonij quod ipso subsecuto filij fiant legitimi, etiam si Pater contradicat. Ita Couarruu. *vbi suprà* §. 2. *num.* 12. & 16. Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. *q.* 12. Molina *disp.* 172. *num.* 5. Basilius *lib.* 11 *cap.* 1. § 3. *num.* 21. & 22. Probatur primò, Quia contradictio paterna non impedit valorem matrimonij: ergo neque eius vim, & efficaciam ad legitimandum detinere potest. Quod tenet verum non solum iure canonico cui in hac materia matrimoniali est standum, & ita omnes concedunt; sed etiam iure ciuili secundum quod etiam est certum quod patris contradictio non obstat (vt tenent Authores citati) legitimationi ex matrimonio, quia sicut parentum contradictio non impedit Matrimonij aliqui sunt coniuncti in matrimonio inualido cacia Matrimonij promanantem necessario.

604. Sed an filij contradictio obstet legitimationi ex Matrimonio. Couarruu. *vbi suprà num.* 16. Basilius § 3. *citat. num.* 22. Castro Palao *tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 1. § 2. *num.* 10. dicunt quod iure Canonico non obstat, bene tamen iure ciuili, *Authent. quibus mod. naturales efficiantur sui. Nouella* 89. *cap.* 10. vbi id expressè affirmatur, & probat ibi Gotifredus *littera C. & O.* concludens: *Patria potestas res est maxima, sed ea tamen tanti momenti non est vt eius habita ratione inuitum filium lex aut Imperator in patriam potestatem redigat l.* 12. *D. de adoptio. l. vnica C. de ingratis filiis.* 605. Quod vero iure canonico contradictio filij non obstet, probatur, quia omnia iura Pontificia aperte clamant soli efficaciæ, & vi matrimonij concedi legitimationem sine tabulis, & instrumentis dotalibus, & sine consensu Patris, aut filij. Tum etiam quia sicut consensus paternus non impedit valorem matrimonij, ita neque eius efficaciam ad inferendam legitimationem.

606. Sed magis mihi placet opinio Fachinei *lib.* 3. *controu.* 54. quod non solum iure ciuili, de quo non est dubitandi locus, sed etiam iure canonico requiratur consensus filiorum ad legitimationem ex matrimonio. Rationes quæ me mouent sunt. Primo, quia quod filij antea geniti fiant legitimi non est ex natura rei, & secluſa lege Principis, cum quadam iuris fictione matrimonium retrotrahatur ad præteritam conceptionem, aut natiuitatem filiorum naturalium & hoc in beneficium filiorum; atqui nemo inuitus accipit beneficium, id quod naturalis ratio dictat. Neque enim expedit bono publico quod filij naturales legitimi fiant: ergo nisi eorum consensus accedat, non resultat suitas, & legitimitas. 607. Secundò, quia nemo emancipatur inuitus, igitur minus quis inuitus in potestatem redigitur *l. vlt. D. de his qui sunt sui nemo enim inuitus alteri per legem, aut Imperatorem, aut Papam alteri subiicitur*, vt aiebat Gothofredus.

Tertiò, quia licet possit Pontifex statuere quod infantes nondum vsum habentes rationis fiant legitimi ex subsecuto matrimonio, vt dicit Barthol. *leg. vltima D. de his qui sunt sui iur.* sicut Ecclesia per patrinos supplet illorum voluntatem requisitam ad Baptismum; tamen sicut non potest Pontifex facere quod aliquis iam vsum rationis habens baptizetur, & subiiciatur Ecclesiæ potestati inuitus, ita non potest Pontifex sua lege statuere, sicut nec Imperator sua, nec Supremarum potestatum proprium est redigere inuitum filium, & nolentem in potestatem patriam, à qua erat liber ante contractum Matrimonium. 608.

Quartò, quia nullibi inuenitur expressum in iure canonico quod filij naturales inuiti, & renuentes fiant legitimi, & sui; sed tantum habetur *Cap. Tanta. citat.* quod tanta est vis matrimonij quod filij naturales ante illum geniti fiant legitimi, absque alio Principis rescripto. Vnde Pater ex vi voluntatis qua vult contrahere matrimonium, tenetur filios antea genitos in suam potestatem accipere, cum affectus naturalis circa illos semper perseueret; Si tamen ipsi filij velint se illi subiicere, & non contradicant, de hoc enim nihil determinat ius canonicum. Quare standum est determinationi iuris ciuilis, quia sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuuantur *Cap.* 1. *de noui operis nuntiatione.* 609.

Quare verum est quod filij contradictio non euertit matrimonij valorem, & sic nec eius efficaciam ad legitimationem; tamen dissensus, & contradictio illius est impedimento ne legitimitas, & suitas subsequatur. Sicut contradictio baptizandi non euertit valorem Baptismi, tamen impedit ne Baptismus suum effectum operetur. 610.

Verum

Verum est quod consensus requisitus ad legitimationem non debet esse expressus, aut virtualis, sufficit quod filius expresse non contradicat, quia tanta est Matrimonij vis vt illico legitima-
611. tionem operetur. Ex quo fit quod si cõtradicat filius naturalis nulla iura suitatis acquirat quoad successionem, hæreditatem, &c. neque quoad sacros Ordines, recipiendos, aut Beneficia Ecclesiastica obtinenda, vt dicam infra de legitimis.

612. Amplia tertiò, quod tanta sit Matrimonij vis quod legitimet nepotes ex filio naturali genitos etiam si filius mortuus sit in sua illegitimitate, si auus concubinam ducat in vxorem hoc Matrimonium nepotes legitimos facit, quia legitimatio non fit mediante filio mortuo, sed immediatè ab auo per Matrimonium subsecutum. Ita Azor *part.3. lib.2. cap.* 13. *quæst.* 13. Fachineus *vbi suprà cap.* 56. vterque Molina Iurisconsultus *lib.*3. *de primogenit. cap.* 1. *num.* 3. Theologus *tract.* 2. *disp.*172. *num.*10. Basilius *vbi suprà num.*23. vnde *in cap. Tanta* non expressit filiorum nomen, sed tantum dixit, *Tanta est vis Matrimonij, vt antea geniti legitimi efficiantur*; sic enim comprehenduntur omnes descendentes, quia cum iste sit Matrimonij fauor, ad omnes extendi debet, quia legitimatio respectu aui non communicatur medio filio nepotibus, sed immediatè à matrimonio quod fictione iuris retrotrahitur ad nepotes, quia fingit ius quod ab initio est contractum.

613. Fateor contrariam sententiam improbabilem non esse, quam sequuntur multi quos citat Fachineus, & inter ipsos est Doctiss. Antonius Gomez *lib.*1. *tract.*13. *part* 4. *column.*2. *in fin.* quia quamuis ius fingat Matrimonium fuisse contractum ab initio conceptionis filij qui mortuus est, tamen cum iste filius sit iam mortuus, non est medium habile, vt modo nepotes legitimentur, quia filius cum modo non existat non legitimatur; imò in sua illegitimitate mortuus est, & sic semper manet medium inhabile vt ad nepotes legitimatio deriuetur.

614. Ampliatur quartò, quod regula teneat in quocumque Matrimonium contrahatur, siue sit articulus mortis, siue sit ætas decrepita, quia licet tunc temporis ex debilitate corporis, & spirituum vitalium defectu homines inhabiles sint de facto ad generandum, tamen verum Matrimonium contrahitur, & spe prolis habendæ celebratur, cum celebretur etiam in illis temporibus ad sobolem legitimam habendam. Tum etiam hoc exigit fauor legitimationis, & honor Matrimonij, cui sine limitatione concessum est vt originem confirmet, & sic etiam comprehendit articulum mortis, & ætatem decrepitam. Ita omnes Canonistæ *ad cap. Tanta.* Tenent etiam Theologi omnes, Basilius *vbi suprà* §. 1. *num.*6. Molina *disp.*172. *citat.* Sanchez *lib.*7. *de Matrimon. disp.*105. Hieronymus Rodriguez *in compend. resol.*76. *num.*4. Sanctarellus *quæst.*25. *variar. reso-*
615. *lut. num.*3. quæ ampliatio est vera, etiam si essent substituti sub conditione si sine liberis decedat; succedet vtique legitimus per Matrimonium, & substitutus excluditur. Ita Sanchez *n.* 8. Molina *vers. posita validitate.* Intelligenda tamen est ampliatio si tempore mortis, & in ætate decrepita adsit sufficiens iudicium rationis ad contrahendum.

616. Amplia sextò, etiam si Matrimonium aliàs validum clandestinè contrahatur non præmissis denuntiationibus; tale enim Matrimonium legitimat prolem. Ita Sanchez *de Matr. lib.*3. *disp.*34. Azor *part.*2. *lib.*2. *cap.*13. *quæst.*9. & determinauit Rota *apud Farinac. tom.*1. *decis.*71. *n.*11. imò etiam si Matrimonium sit ratum, & non consummatum, originem confirmat, & legitimat, vt dicunt Sayrus *de cens. lib.*6. *cap.*10. *num.* 28. Basilius *num.*16. qui notat, & optimè idem priuilegium legitimandi prolem habere ea sponsalia quæ ex dispositione iuris transeunt in Matrimonium; tunc enim legitimant non vi sponsalitij contractus, sed quatenus vim Matrimonij habet ex iuris dispositione.

Tenet etiam verum ampliatio, si Matrimo- 617.
nium ratum dissoluatur per professionem solemnem in Religione; quod enim ab initio fuit verum, & validum Matrimonium illico filios non contradicentes legitimauit. Quare quod postea dissoluatur vel professione, aut potestate absoluta Summi Pontificis nihil obest filiorum legitimitati. Ex matrimonio tamen clandestino contra formam Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. matrim.* filij antea habiti non fiunt legitimi vbi Concilium est receptum. Filij tamen geniti ex Matrimonio clandestino sine Parocho, & testibus non sunt spurij, sed postea legitimantur ex
Matrimonio celebrato legitimè. Quia si nullum 618.
adest impedimentum ex eo quod clandestinè contrahant cum non reddantur inhabiles ad ritè, & validè contrahendum, matrimonio valido subsecuto, filij ex matrimonio inualido contracto geniti dubio procul legitimantur. Legatur Hieron. Rodrig. *resol.*76. *num.*2.

Ampliatur sextò, quod filij naturales ante Ma- 619.
trimonium concepti, Matrimonio secuto, vere, & propriè legitimi fiunt, & iura suitatis habent, & reipsa & non solum æstimatione, legitimi habentur. Ita Basilius *lib.*11. *cap.*11. *n.*2. Azor *c.*13. *cit. quæst.*6. Molina *disp.*372. *n.*5. Abbas Canisius, & alij, *ad cap. Tanta.* ibi enim illa verba *legitimi habeantur* posita ab eo qui potestatem faciendi quod significant habet, rei veritatem continent, iuxta doctrinam Barthol. dicentis idem esse si statutum dixerit *habeantur pro ciuibus, ac, sint ciues, ex l. si quis pro emptore D. de vsucap. l. si maritus D. ad l. Iul. de adulteriis:* etenim fictio quam in præsenti introduxit ius non refertur ad legitimationem filiorum, sed ad hoc quod censeantur nati, vel procreati ex legitimo Matrimonio; hac enim fictione posita filij antea geniti non minore proprietate sunt legitimi, quam alij filij postea nati.

Amplia septimò, ad filios genitos à Mona- 620.
cho, vel Moniali tempore nouitiatus; vel aliis qui voto simplici castitatis facto extra Religionem approbatam (qualis est Societas IESV cuius Scholares vota simplicia emittentes vere sunt Religiosi, & inhabiles ad Matrimonium contrahendum post constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit: *Ascendente Dominò*) isti enim legitimantur subsecuto Matrimonio, quia tempore conceptus habiles erant ad contrahendum, & sic filij naturales sunt, & legitimi efficiuntur si Matrimonium subsequatur. Ita Sayrus *vbi suprà*, & Sanctarellus *quæst.*22. Et propter eam- 621.
dem rationem tenet verum ampliatio in filiis naturalibus Commendatorum Ordinum Militarium, isti enim etsi faciant votum solemne castitatis, tamen est coniugalis, quod non reddit inhabilem ad Matrimonium, & sic filij eorum non sunt spurij, & quamuis sacri-

legi naturales tamen qui ſubſecuto Matrimonio legitimantur, quidquid dicant Hieronymus Rodrigez *reſol.76. num.3.* Villalobos *tract. 35. difficult. 10. num.7.* Satmiento *lib. 1. ſelect. cap. 6.* tamen nobiſcum tenent Barboſa *ad cap. Tanta*
622. *num.33.* Molina *tract. 2. diſp.167. num.8. & 9.* & & alij, quamuis coitus ſacrilegus damnabilis ſit, tamen ſi inter eos qui coëunt tempore coitus non impedimentum dirimens in fauorem legitimitatis ſubſequens matrimonium legitimat filios. Excipe tamen Commendatarios S. Ioannis, hi enim inhabiles ſunt ad contrahendum.

623. Amplia octauò, quod Matrimonium ſubſequens legitimat filium qui tempore natiuitatis natus eſt ſine impedimento inter parentes ad contrahendum; quamuis tempore conceptionis tale ſit impedimentum dirimens, vt quia Pater erat vxoratus, aut Subdiaconus, aut affinis, & conſanguineus; tempore tamen natiuitatis hoc impedimentum eſt ablatum vel quia vxor mortua eſt, vel diſpenſatione conſecuta à Papa. Ita Molina *diſput. 171. num.4.* Couarruuias *part. 2. Epitom. cap.8. §. 2. num.2.* eſtque determinatum *in leg. Caſtellæ 11. Tauri* quæ *eſt 9.tit.8. lib.5. nouæ recopil.* quia in fauorem legitimitatis iudi-
624. candum eſt vel tempore conceptionis, aut natiuitatis prout magis expediens fuerit filio *l. nuper §. vltim. D. de natural. liber.* Quod ſi parentes ante Matrimonium habentes ignorantiam eſſe inter illos impedimentum dirimens filium generent quem inuincibiliter non ſpurium, ſed naturalem iudicant, cum reipſa ſpurius ſit, exiſtimat Molina *num.11.* ſecutus Couarruu. *num.17.* & Molinam Iuriſconſult. *lib.3.cap.1.num.17.* per ſubſequens Matrimonium filium non legitimari. At ſi ignorantia eſt facti mihi videtur certum contrarium, quia licet non ignorent copulam eſſe illicitam, ſi inuincibili ignorantia laborant de impedimento: ergo illis aut filio nihil nocer, quia quantum ad hoc idem eſt ac ſi non eſſet impedimentum. Ita Baſilius *lib. 11. cap. 2. num. 8.*
625. Azor *part. 2. lib. 2. cap.13. quæſt.9.* Emmanuel Sà correctus *verbo filius num. 10.* Quod etiam tenet verum etiam ſi tam filij naturales ſint putatiuè quam Matrimonium præſumptum, quia bona fides parentum, & Eccleſiæ præſumptio facit quod Matrimonium retrotrahatur ad extrema quæ præſumptiuè ſunt habilia ad legitimitatem. Si tamen ignorantia ſit iuris, & ſint perſonæ intelligentes itaut præſumi poſſit ignorantiam affectari, & non ſint ruſtici, filius non legi-
626. timatur, quia ignorantia iuris non excuſat *cap. cum inhibitio §. 1. de clandeſtina deſponſation.* Ita Couarruuias *dicto §.1. num.19. & 20.* Garcia *de Beneficiis part.7. cap. 2. num. 33.* Facchineus *lib.3.cap.53.* nec ſatisfacit Baſilius *vbi ſuprà n.10.* quia Pontifex expreſsè loquitur de ignorantia affectata, & ſic cum illa nequit eſſe bona fides, ſiue ſit ignorantia facti, ſiue iuris.

627. Ampliatur nonò, etiam ſi filius conceptus ſit ex coniugato, & ſoluta ignorante inuincibiliter impedimentum, legitimatur per ſubſequens Matrimonium. Ita Gloſſa *2. ad cap. Tanta.* Quam ſecuta eſt Rota teſte Caſſadoro *deciſ.1. de ſponſalib.* & Rota *part.1. diuerſor. deciſ.601. numero 5.* Ludouicus de Sardis *de legitima per verum Matrim. num.16. & per Matrimon. putatiu. quæſt.1.* Surdus *conſil.303. num.20. volum.3.* dicens hanc ampliationem eſſe communiter approbatam, & ſequendam tanquam benignam, piam, & fauorabilem. Et ratio eſt clara, quia Matrimonium putatiuum celebratum cum ignorantia alterius 628.
coniugis de impedimento filios genitos legitimat, *cap. ex tenore qui fil. ſint legit.* ergo concubinatus putatiuus filios facit naturales, & legitimabiles per ſubſequens Matrimonium; licet enim operam dent rei illicitæ quam numquam Eccleſia approbat, tamen ignorantia inuincibilis excuſat abſque dubio ab adulterio, aut inceſtu: ergo legitimitati prolis nullatenus obſtat Matrimonio ſecuto. Quando autem *cap. Tanta* excipit filios genitos ſtante Matrimonij contrahendi impedimento intelligitur non ignorato ab aliquo contrahente tempore conceptionis, ar-
gument. *ex cap. quod nobis eodem.* In cuius textus 629.
ſpecie interueniſſe impedimentum dirimens mihi dubium non eſt, & tenet Gloſſa *ibi in figuratione caſus* dicens: *Nota quod ab initio non valuit ex poſt facto conualeſcit.* Ergo caſus de quo loquebatur Alexander III. erat de Matrimonio inualido, quod poſtea conualuit ex approbatione Eccleſiæ, quia ſi ſolum erat impedimentum impediens nullus dubitat quod eſſet Matrimonium, & ſic quod filij geniti ex ipſo erant legitimi.

Ampliatur decimò, ſatis ſingulariter, quod 930.
filius inceſtuoſus legitimus efficitur per ſubſequens Matrimonium, ſi Papa diſpenſet in radice Matrimonij. Ita ſatis doctè Rota *apud Farinacium tom. 1. in vna Pampil. illegitimitatis die 20. Iunij 1609. deciſ. 191. & part. 2. deciſ. 677. numero 19. in vna Hiſpalen. coram Manzanedo die 11. Maij 1615. vbi num.1.* dicitur factum eſſe tempore Gregorij XIII. *anno 1573.* cuius diſpenſationis litteræ iuſtificatæ fuerunt coram Vbaldo *die 11. Maij anno 1612.* Probatur ampliatio primò, quia Pontifex poteſt diſpenſa- 631.
re in radice Matrimonij, ergo hac poſita diſpenſatione filius habitus Matrimonio nullo ſtante fit legitimus, ſubſecuta validitate ipſius. Antecedens probatur, quia poteſt Pontifex tollere impedimentum à iure poſitiuo proueniens, relinquendo Matrimonium in terminis priorum conſenſuum, & ſic verum, & validum prout ex tunc, ac ſi diſpenſatio illud præceſſiſſet; hac enim diſpenſatione poſita in radice, ſequitur neceſſario legitimatio prolis, quia ſic Pontifex ad ius ciuile reducit primæuum ius naturæ, quo omnes legitimi naſcebantur, vt optimè Couarruuias *in 4. Decretal. part.2. cap. 8. §. 8. num.13.* Molina Iuriſconſultus *lib.3.cap.2. num.12.* Henriquez *de Matrimon. lib. 1. cap. 20. numero 2.* Ludouicus Lopez *2. part. inſtructor. cap. vltim. conc. 3.*

Vnde fit quod quando Pontifex diſpenſat in 632.
radice Matrimonij non eſt neceſſarius nouus conſenſus ad validitatem Matrimonij contracti, itaut nouo conſenſu validetur, & non ex vi primi conſenſus; aliàs Pontifex non poſſet diſpenſare in radice Matrimonij, *quod dicere nefas eſt*, ait Rota. Quare vt ſaluetur diſpenſatio in radice nullitas matrimonij procedens ex prohibitione canonica non mutat conſenſum contrahentium, ſed impedit obicem ponendo ne tales conſenſus cauſent Matrimonium. Quo impedimento, & obice ſemoto remanet primus ille conſenſus quoad eſſentiam integer, & habilis ad cauſandum Matrimonium, taliter quod accedente diſpenſatione in radice, reſultat matrimonium ex vi primi conſenſus præſtiti validum ex tunc,

non

non vero ex alio conſenſu de nouo præſtando. Quæ Rotæ doctrina valde profunda eſt, & veriſſima iuxta ſententiam antiquorum, & D. Thomæ, quod datur verum Sacramentum Pœnitentiæ informe ex poſitione alicuius obicis, quo ſeclu ſo ex vi priorum actuum pœnitentis, & præteritæ abſolutionis cauſat ſuum effectum, à quo cauſando impediebatur, quidquid dicat Molina *tom.* 3. *de iuſtit. diſput.* 624. *num.* 3. *verſ. Ego non*
634. *dubito*, vbi negat Pontificem ſic poſſe diſpenſare in radice Matrimonij vt non requiratur nouus conſenſus, ſed quod antiquus ſufficiat. Sed hoc falſum eſt, vt vidimus cum ſufficiat antiquus conſenſus; aliàs non eſſet diſpenſatio in radice, ſed ad hoc quod filij reipſa ſint illegitimi ſufficit quod quando aderat impedimentum non cauſabat conſenſus validum Matrimonium, tamen illo ablato ſtatim illud cauſat, & aufert illegitimitatem ac ſi ab initio non eſſet.

635. Ex quo colligitur primò, quod ablato impedimento per diſpenſationem in radice Matrimonij retrotrahitur validitas ipſius, vt filius habitus à principio vere legitimus ſit, etiam cum damno tertij, quia Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi in radice, quam non habet Princeps ſæcularis, qui cum non poſſit diſpenſare in radice Matrimonij, etiam ſi legitimet filios ad honores ciuiles, non poteſt illos facere legitimos, & ſic neque in damnum tertij, quamuis Pontifex non diſpenſet expreſsè in illegitimitate, quia diſpenſando in radice cenſetur prolem ex illo matrimonio ſuſceptam legitimare
636. ab initio cum approbet Matrimonium ac ſi ab initio contractum fuiſſet nullo interueniente canonico impedimento. Ita Rota *deciſion.* 191. *numero* 3. & ſic addit Cephalus *conſil.* 307. *numero* 49. quod illa verba *prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam decernendo* non ſunt neceſſaria in filiis ſuſceptis in figura Matrimonij. Vnde Rota *num.* 4. carpit Sanchez quod dicat
637. illa verba, *Prolem ſuſceptam*, &c. eſſe impropriè intelligenda; ſunt enim cum improprietate accipienda. Et concludunt Domini dicentes: *Iſta fraus, & fallacia contra litteras Apoſtolicas quæ conſiſtunt in clauſulis, & decretis, eſt omnino reiicienda.* Quare ſententiam Rotæ ſecutus eſt Molina *tom.* 3. *tractat.* 2. *diſputat.* 624. *num.* 3. *verſ. Quando Summus Pontifex.* vbi optimè id enucleat.

638. Colligitur ſecundò, quod quando duo conſanguinei in gradibus prohibitis contraxere, & ſtante nullo Matrimonio filios habuerunt, ſi poſtea impetrarent diſpenſationem ſimpliciter, & non in radice, eſt neceſſarius nouus conſenſus ad contrahendum, & filij ante habiti non ſunt legitimi, ſed ſpurij, & indigent Principis diſpenſatione, aut legitimatione. Ratio eſt, quia ſi non diſpenſatur in radice primus conſenſus operari nequit Matrimonium, & ſic vt contrahatur, requiritur de nouo quod mutuo conſentiant. Ita Rota *in Hiſpalen. num.* 12.

639. Colligitur tertiò, quod quando à partibus petitur à Pontifice diſpenſatio in radice Matrimonij, ſi Pontifex diſpenſet, & illis nota ſit iuridicè diſpenſatio, non poſſunt retrocedere, ſed coniuncti remanebunt in Matrimonio, & ſic diſſentire nequeunt. Ratio eſt clara ex dictis, quia Matrimonium validatur ex vi prioris conſenſus qui neceſſario cauſat Matrimonium validum ablato impedimento, & obice qui per diſpenſationem aufertur: ergo notificata tali diſpenſatione non eſt in voluntate contrahentium diſſentire, ſed perpetuo remanebunt coniuncti, etiam ſi non accedat nouus conſenſus expreſſus, vel implicitus per copulam affectu maritali habitam, imo ante illam ex vi prioris conſenſus manet validum Matrimonium, quidquid dicat Thomas Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 7. *num.* 25.

Colligitur quartò, quod quando diſpenſa- 640.
tio fit in radice Matrimonij filius habitus Matrimonio nullo conſtante fit legitimus, & ſuus ad omnia quæ illi prohibita ſunt, non ſolum iure canonico, ſed etiam iure ciuili. Ratio eſt, quia eſt legitimus, ac ſi eſſet genitus poſt diſpenſationem.

Sed dubium eſt, an ſi diſpenſatio non fiat 641.
in radice poſſit Pontifex legitimare filium illegitimum ad ea quæ iure ciuili ſunt illi prohibita. Negat Molina *tom.* 2. *diſputat.* 624. *numero* 3. & dicit eſſe notiſſimum ex ſe, & quod ita affirmat communis ſententia, quam (dicit) refert Molina de Primogenit. *libro* 3. *cap.* 2. *numero* 10. Quare Sanchez *vbi ſuprà num.* 3. refert ex Nauarro hanc diſpenſationem poſtulatam fuiſſe à Gregorio XIII. *anno* 1584. & eam negaſſe, quia aiebat ſe non poſſe illam dare.

Et quidem ſi nullum præcedat Matrimonium 642.
non poteſt Pontifex hanc diſpenſationem concedere, quia eſſet directa ad temporalia in quæ Pontifex non poteſt extra ſuum diſtrictum. Ita Sanchez *lib.* 8. *citat. diſputat.* 3. *numero* 3. & 7. qui optimè addit *numero* 8. & 10. quem ſecutus eſt Baſilius *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 8. quod ſi Matrimonium eſt nullum ex impedimento indiſpenſabili à Pontifice, quia de iure diuino, & naturali, vt ex defectu conſenſus, vel quia coniux viuebat, etiam non poteſt legitimare, quia non poteſt nullitatem illius Matrimonij tollere, & radicem legitimitatis honeſtare. Poteſt etiam Pontifex illegitimos, imo & ſpurios per ſubſequens Matrimonium legitimos reddere, & ita 643.
id poterit ſpeciali reſcripto legitimare in aliquo caſu particulari. Ita Baſilius *vbi ſuprà num.* 1. ex Rota quam ibi adducit.

Quare ad propoſitum dubium certa reſolutio eſt poſſe Pontificem filium ex Matrimonio nullo genitum legitimare ad omnia ea ad quæ erat inhabilis iure ciuili. Ita Sanchez *vbi ſuprà num.* 4. Baſilius *cap.* 5. *num.* 9. Couarruuias 2. *part. de ſponſalibus cap.* 8. §. 8. *num.* 13. qui plures citant, & tenet Rota *in Hiſpalen. citat.* Et ratio
eſt, quia licet Pontifex non poſſit facere quod ma- 644.
trimonium illud ſit validum, quod nec Deus poteſt facere, quia ad præſtitum nulla dabilis eſt potentia: at tollendo illam legem quia reddebat irritum Matrimonium, ac ſi nunquam edita fuiſſet, qua derogatione facta omnes effectus ex Matrimonio nullo prouenientes de medio tollit, & redditur habilis filius genitus, ac ſi ex legitimo Matrimonio eſſet natus. Legatur Caſtro Palao *diſput.* 4. *cit. punct.* 1. §. 5. *à n.* 7. Vnde minus bene dixit Molina ſuam ſententiam eſſe notiſſimam, & communem. Pontifex autem Gregorius XIII. optimè negauit ſe non poſſe filium legitimare ad honores ciuiles, ſi nullum præceſſit Matrimonium.

Ampliatur vndecimò, quod Matrimonium ſubſe- 645.
cutum legitimat filios naturales, etiam ſi inter-

mediet aliud Matrimonium v.g. filios habuisti in soluta, cum ipse solutus esses, tamen illam non duxisti, sed aliam, & ista mortua, cum priori copulatus es Matrimonio, illud legitimat filios ex illa genitos. Ita Couarruuias §.2. *cit. num.*28. Azor *cap.*13. *citat. quæst.*5. quia quod aliud Matrimonium interponatur non obstat quominus Matrimonium secundum celebratum cum prima validum sit, & sic inferat legitimationem filiorum; imo idem faceret si Matrimonium non esset verum, sed putatiuum, cum bona fide alicuius ex contrahentibus, vt constat ex dictis.

646. Ampliatur duodecimò, quod etiam si impedimentum dirimens sit de iure diuino, & naturali, vt sunt gradus consanguinitatis in linea recta in quibus Pontifex dispensare non potest, & ita matrimonium contractum sit nullum, nullitate indispensabili à Pontifice nihilominus Pontifex potest filios legitimare, quasi à principio essent legitimè concepti ex vero matrimonio. Ratio est, quia inhabilitates Canonicæ quas filij contraxerunt omnes sunt de iure humano, quarum dispensatio subdita est iurisdictioni Pon-
647. tificis, atque ita quamuis non possit dispensare in impedimento, & efficere quod Matrimonium sit validum, potest nihilominus abolere ab ea prole inhabilitates canonicas ex ea illegitima natiuitate euenientes, ac si nata esset ex matrimonio nullo ob impedimentum canonicum iure humano introductum. Ita Molina *tom.*3. *disp.*624.*n.*3. *vers. nonnulla obserua.*

648. Sed hæc doctrina summam patitur difficultatem, quia si velit dicere quod Pontifex potest legitimare huiusmodi prolem, sicut potest spurios illos legitimando ad Ordines, & ad Beneficia, & cætera munia Ecclesiastica, verum dicit. Si tamen dicat quod Pontifex potest dispensare in radice Matrimonij quod videtur, indicare, omnino falsum est, quia non potest dispensare in radice Matrimonij, nisi ita dispenset impedimentum, vt validetur Matrimonium ac si ex tunc fuisset validum. Si autem non potest dispensare impedimentum nec in radice Matrimonij, & sic non potest legitimare prolem ac sit esset nata ex matrimonio nullo ob impedimentum ab ipso dispensabile. Quare ista proles legitimata erit, non vero legitima.

§. VII.

Deducuntur aliqua Corollaria.

SVMMARIVM.

650 *Cùm filij ex subsecuto Matrimonio, verè & propriè legitimi sint, non à rescripto Principis, sed à iure sit, quòd ipso iure succedant in maioratibus, quantumuis magni sint, &c. & num. seqq.*

660 *Filij huiusmodi absque alia noua dispensatione sunt habiles ad Ordines, etiam maiores, ad omnia beneficia, dignitates, curam animarum, & Episcopatus.*

661 *Sixtus V. statuit quod ad Cardinalatus dignitatem nullus ascendat, qui non sit ex legitimo Matrimonio natus, quamuis sit factus legitimus ex subsecuto Matrimonio, & num. seqq.*

667 *Filij huiusmodi excludunt substitutum, cui maioratus adiudicatur, si possidens sine filiis decesserit, quantumuis contrahatur matrimonium in odium substituti.*

650. EX dictis omnibus ampliationibus plura sunt deducenda Corollaria in praxi valde vtilia. Corollarium primum. Cum filij ex subsecuto Matrimonio vere, & propriè legitimi sint non à rescripto Principis, sed à iure fit quod ipso iure succedant in maioratibus, quantumuis magni sint, & etiam in emphyteusi Ecclesiastica, in nobilitate patris, & in Hidalgua, & ad feuda Imperialia, vel alia quæcumque, etiam Ecclesiastica. Ita tenent fere omnes quos videre licet apud Barbosam *ad cap. Tanta citat.* Tiraquell. *de iur. primogenitura quæst.*34. *num.*55. *& de nobilitate cap.*15. *num.*21. Cenedum *collect.*68. Basilium Legion. *lib.*11. *de Matrim. cap.*11. Paleotum *de nothis, & spur. quæst.*13. *num.*3. Azorium *part.*2. *lib.*2. *quæst.*14. *cap.*13. ad quæ non possunt succedere legitimati rescripto Principis vt docent Azor *vbi modò.* Afflictus *decis.* 386. Et sic Ve-
651. lasco *eonsult.*134. *num.*8. consuluit vt qui voluerit succedere in Emphyteusi Ecclesiastica debet impetrare à Papa legitimationem cum clausula Vt bona Ecclesiastica possit obtinere.

Ex quo fit quod in hac successione maioratuum, &c. filij legitimi facti ex subsecuto matri-
652. monio præferuntur filiis habitis ex legitimo Matrimonio. Ita Tiraquell *quæst.*34. *cit.* Molina *de primogenit. lib.*2. *cap.*11. *num.*23. Molina Theologus *tract.*2. *disput.* 172. *& duabus sequentibus.* Basilius *lib.*11. *cap.*11. *à num.*6. Couarruuias *dicto §.*2. *num.*27. *cap. autem* 2. *§. naturales in libris feudorum* loquitur de filiis legitimatis rescripto Principis, qui sunt inhabiles ad feuda, & multo magis ad maioratus, *vt supra dixi.* Addunt tamen Basilius *cit.* Barbosa *num.* 29. & alij quos citat, quod sicut ex natiuitate filij ex legitimo Matrimonio reuocatur donatio Patris iuxta
653. terminos *leg. si vnquam C. de reuocand. donation.* ita per legitimationem filiorum ex subsecuto matrimonio. Ratio est, quia filij legitimi facti ex subsecuto Matrimonio per omnia æquiparantur filiis habitis ex legitimo Matrimonio §. *si quis igitur Authent. quibus modis*, &c. *l. nuper & l. cum quis §. vltim. C. de naturalib. liber.* Ita Couarruuias §.2. *citat. à num.* 21. vterque Molina Theologus *tract.*2. *disp.*372. *num.* 6. Iurisconsultus *lib.*3. *cap.*1. *à num.*6.

654. Colligitur secundò, verum tenere hoc corollarium in specie casus ampliationis 11. vbi dixi filios naturales legitimos fieri, etiam si intermediet aliud Matrimonium; nam si subsequatur Matrimonium cum prima, eius filij præferuntur filiis secundæ in omnibus successionibus. Ita Couarruuias *vbi sup. num.*35. Basilius *num.*9. vbi dicit hoc esse de rigore iuris verius contra Palao *tractat.*13. *disput.* 4. *punct.*1. §.2. *num.*17. Probatur primò, quia filij naturales, sui & legitimi efficiuntur ex subsecuto Matrimonio, quia fictione iuris retrotrahitur Matrimonium ad tempus suscepti filij, vt tradunt omnes *ad cap. Tanta citat.* itaut illo tempore existimetur contractum. Quare si illo tempore esset primogeni-
655. tus, illi debetur primogenium, & maioratus. Et idem esset si Papa dispensaret in radice Matrimonij aliàs nulli ex impedimento dispensabili; etenim retrotractio ista eos effectus operatur quos operatur legitimum Matrimonium, nisi testator

fundator

fundator excludat filios legitimos factos ex subsecuto Matrimonio ; tunc enim standum est fundatoris voluntati. Addit tamen Molina iurisconsultus *vbi sup. n.* 20. quod filius legitimus ex matrimonio præferendus est aliis secundo genitis ex legitimo matrimonio, etiam si in fundatione maioratus, aut vinculi repetatur quod succedant filij nati ex legitimo matrimonio, *cap. Tanta citat. Tanta est vis Matrimonij*, &c. quamuis enim fuerit ius acquisitum filio primo nato ex legitimo matrimonio, tamen id ius semper intelligitur sub ea conditione nisi potius ius oriatur. Sicut si primogenitus mortuus resurgat illi debetur maioratus, etiam si secundo genitus ius acquisierit, quod ius primogenitus resurgens adimit secundo genito iam possidenti cuius præiudicij nulla habetur ratio. Et sic similiter dicendum est in specie huius casus, quod optimè considerauit Pontius *n.* 9. *citato* addens : *Ego ab hac sententia neque in iudicando, neque in consulendo recederem.* Et benequidem, cum ratio adducta sit conuincens. Tum insuper, quia huiusmodi legitimi omnia iura suitatis consequuntur, & succedunt contra paternum testamentum, & illud rumpunt, vt multis citatis tradit Barbosa *vbi suprà num.* 29. *vers. decimo.*

656. 657.

658. Confirmatur tota hæc doctrina, quia legitimitas orta ex Matrimonio subsecuto oritur non rescripto Principis, sed ex iure ipso, quo fictione iuridica retrotrahitur Matrimonium, & reducitur ad ius naturale, in quo omnes erant legitimi vt docet Rota *decis.* 692. *citat.* sic ius acquisitum filiis secundæ abscinditur à iure ipso sic disponente in fauorem matrimonij. Nec vxor secunda grauata est ex eo quod præferantur primæ ; nemo enim grauatur in eo quod ius disponit. Confirmatur secundò, quia si sit aliquis substitutus, & contrahatur Matrimonium cum concubina in odium illius, filij legitimi ex Matrimonio secuti excludunt illum substitutum, vt tradunt Palao, & Molina *infra citandi*, & succedunt in maioratu, quamuis sit in damnum tertij : ergo similiter in specie nostri casus.

659.

Corollarium secundum, huiusmodi filij absque alia noua dispensatione sunt habiles ad Ordines, etiam maiores, ad omnia beneficia, dignitates, curam animarum, & Episcopatus. Ita omnes Authores citati in superioribus. Quibus addo Reginaldum *in praxi lib.* 30 *num.* 70. Belletum *disquisit. Clericor. titul. de disciplin. Cleric.* §. 3. *num.* 18. Henriquez *lib.* 11. *de Matrimon. cap.* 20. *num.* 2. Palao *tract.* 13. *disput.* 4. *punct.* 1. §. 4. Ratio est clara ex dictis, quia hæc legitimatio eadem est quoad effectus cum illa quæ oritur ex legitimo matrimonio.

660.

661. Sed Papa Sixtus V. *anno* 1590. *sua constitutio. quæ incipit, postquam*, statuit quod ad Cardinalatus dignitatem nullus ascendat qui non sit ex legitimo Matrimonio natus, quamuis sit factus legitimus ex subsecuto matrimonio. Ita referunt Sayrus *lib.* 6. *de censur. cap.* 10. *num.* 13. & 14. Sanctarellus *variar. quæst.* 42. *numero* 19. Henriquez *vbi suprà num.* 2. quamuis mihi dubium sit an id velit Pontifex, quia iuxta ea quæ refert Cherubinus in comp. Bull. *const.* 50. huius Pontificis §. 11. solum videtur loqui de filiis illegitimis legitimatis, aut super defectu natalium dispensatis ; loquitur enim de legitimatione facta rescripto Principis ; hi enim vere, & propriè legitimati dicuntur ; at filij qui ex subsecuto matrimonio legitimi fiunt non habent hanc legitimitatem ex dispensatione, sed ex vi, & efficacia matrimonij, quare non tam propriè legitimati, quam legitimi sunt *cap. Tanta, citato.* & cum simus in materia odiosa intelligenda venit constitutio non de legitimis propriè quales fiunt ex legitimo matrimonio subsecuto, sed de legitimatis propriè rescripto, & dispensatione Pontificis. Et cum hæc legitimitas sit fauor factus matrimonio, & illius priuilegium singulare, nisi expressè derogetur non intelligitur derogatus.

662.

Hoc videtur innuere Couarruuias *de Matrimon. part.* 2. *cap.* 8. §. 10. *num.* 5. vbi ex Nicolao de Vuald. *tractat. de successione ab intestato folio* 9. *colum.* 4. dicit : *nunquam aliquem legitimatum fuisse ad Cardinalis dignitatem obtinendam, atque semel id concessum fuisse, sed legitimatum non potuisse, secuta morte, dignitatem illam consequi. Idem asserit neque ad Rotæ prætorium admitti illegitimos, etiam natalibus restitutos Principis rescripto, quamuis Romanus Pontifex expressè id concedat. Eadem refert Ludouicus Gomez. in regular. de triennal. possessor. quæst.* 2. *dicens hac de causa Philippum Decium virum alioqui nostra ætate summis dignum laudibus ab eodem prætorio repulsum, cum semel à Romano Pontifice hoc munus esset ei delatum. Regia vero lex* 12. *Tauri legitimatum rescripto Principis ad quoscumque honores, ac publica munera admittit.* Hæc Couarruuias. Vnde legitimatus rescripto Principis ad quodcumque prætorium Regium, etiam vt præses illius, admittendus est.

663. 664.

Ex quo fit quod si filius naturalis ante contractum Matrimonium inter eius parentes ordinetur Ordinibus Sacris absque Pontificis dispensatione, & postea parentes contrahant matrimonium verum, vel præsumptum, eo ipso filius fit legitimatus, & aufertur irregularitas ex defectu natalium, quia ex promotione ad ordines sine dispensatione non incurritur noua irregularitas, sed tantum suspensio ab Ordinis suscepti exercitio, peccat tamen mortaliter, ablata tamen irregularitate hac potest, & in susceptis ministrare, & ad nouos promoueri. Ita Sayrus *vbi suprà num.* 30. quamuis contrarium sentiant Viualdus *in candelabr. cap. de tertia specie irregular.* §. 1. *num.* 13. Ancharranus *ad cap. Osius* 56. *distinct.* Maiolus *lib.* 1. *de irregularit. cap.* 4. *num.* 16. quod est valde probabile quantum ad exercitium Ordinis suscepti à quo est suspensus, quia suspensio ista est censura, ab eaque debet absolui in foro externo dispensatione Pontificia, qua posita non indiget alia vt ascendat ad altiorem Ordinem. Sed nihilominus probabilius est oppositum quod defendit Basilius *vbi suprà numero* 5. quia ista suspensio, licet sit censura, tamen aufertur per legitimationem, duratque vsque dum auferatur irregularitas natalium, qua ablata aufertur & illa, argumento ex his quæ docent Suarez *de censur. disput.* 29. *sect.* 1. *num.* 1. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 161. Toletus *in summ. lib.* 1. *cap.* 46. Rodriguez *tom.* 2. *cap.* 69. & alij.

665. 666.

Corollarium tertium, huiusmodi filij excludunt substitutum cui maioratus adiudicatur, si possidens sine filiis decesserit, quantumuis contrahatur Matrimoninm in odium substituti. Ita Molina *tract.* 2. *disput.* 172. *vers. contrariam*

667.

trariam ſententiam. Sarmiento *lib.* 1. *ſelectar. cap.*6. Baſilius *lib.* 11. *cap.* 11. *numero* 11. Palao *vbi ſuprà* §. 2. *num.* 20. quia quamuis ſic contrahens peccet in motiuo quod habet ad contrahendum, in odium ſcilicet tertij, & vt damnum illi inferat, tamen non peccat in contrahendo, cum contractus ille licitus ſit; legitimatio autem prolis à Matrimonio contracta prouenit, non à ma-
668. litia contrahentis impeditur. Quare cum contrahens iure ſuo vtatur nequaquam cenſendus eſt fraudem committere, iniuriam inferre, aut dolo facere, vt eſt certa regula iuris; non enim excluſio ſubſtituti ex iniquitate contrahentis originatur, ſed ex matrimonio.

669. Idem dicendum eſt ſi quis ingreditur Religionem, ibique profeſſionem emittat ſolemnem in odium ſubſtituti, vt Religio ſuccedat. Ita Molina *vbi ſup.* qui addit quod ſi iſte fictè profiteatur, aut ducat fictè concubinam, cum ſit ibi fraus, & dolus, tunc enim etiam in foro exteriori præferendus eſt ſubſtitutus filiis ex concubina, & Mo-
670. naſterio, niſi in Monaſterio perſeuerer, quia tunc præſumitur profeſſus vere, & tranſacto quinquennio non poteſt reclamare, nec eſt audiendus, niſi priuilegio Papæ reſtituatur in integrum, vel niſi Matrimonium contraxerit in facie Eccleſiæ, tunc enim Matrimonium verum præſumitur, & ſic filij ex concubina fiunt legitimi, & ſunt præferendi.

Ex quo fit quod quando Pontifex diſpenſat in radice Matrimonij filius genitus fit legitimus ita vt excludat ſubſtitutum, aliàs vocatum ad ſucceſſionem maioratus, &c. quæ diſpenſatio in radice
671. tantæ efficaciæ eſt vt operetur hunc effectum legitimitatis, etiam mortuis parentibus. Ita Barboſa *ad cap. cum per venerabilem, qui fil. ſint legitim. num.*6. Gonzalez *ad reg.*8. *Cancellar. Gloſſa* 5. §. 9. *num.* 57. Caſtillo *tom.* 5. *quotid. cap.* 105. *num.* 26. Baſilius *lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 10. Sayrus *lib.* 6. *de irregular. cap.* 11. *num.* 6. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 7. *num.* 6. vbi plures adducit. Huius ratio eſt eadem quam Rota *apud Farinac. deciſ.* 687. & ſupra nos
672. tradidimus, quia ad validandum Matrimonium nullum ex impedimento canonico dirimente quando diſpenſatur in radice ipſius non requiritur nouus conſenſus quem parentes mortui præſtare non poſſunt. Vnde legitimatio filiorum non fundatur in nouo conſenſu, ſed in matrimonio ipſo quod nulliter contraxerunt, & ipſum reducit Pontifex ad ſuam radicem diſpenſando impedimentum, ac ſi nunquam extitiſſet. Ad hoc autem per accidens eſt quod parentes viuant, vel
673. mortui ſint, ſemper enim Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi impedimentum. An vero requiratur quod parentes petierint ante mortem hanc diſpenſationem, affirmat Rota *vbi ſupr. numero* 13. alij negant, ſed aſſerunt quod filius repræſentans perſonam patris poteſt poſtulare. Vtrumque eſt probabile. Primò an diſpenſatio in radice Matrimonij comprehendat ſolum filios genitos ſub figura Matrimonij an vero ſufficiat affectus mentalis tanquam ad vxorem primam
674. requiri docet Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſputat.*7. *num.*7. Garcia *part.*7. *cap.*2. *num.*41. Et tenuit Rota *in vna Sardicenſ. Canonicatus* 25. *Februarij* 1601. *coram Cardinali Ludouiſio.* Non requiri figuram matrimonij tenent Caſtillo *vbi ſupr. numero* 28. Baſilius *lib.* 11. *cap.* 5. §. 1. *numero* 12. vbi adducit deciſionem Rotæ coram D. Iuſto *die* 10. *Iunij* 1609. in qua expreſsè aſſeritur non requiri figuram Matrimonij. Et ratio eſt clara, quia vt ait Rota *in deciſ.* 687. *citata apud Farinacium part.* 2. dum Pontifex diſpenſat in radice Matrimonij *ex tunc diſpenſando* im- 675.
pedimentum, reducit Matrimonium ad ius naturale, in quo omnes filij erant legitimi ex legitimo Matrimonio, ad quod nihil aliud requirebatur, niſi conſenſus maritalis, & ſic iſte ſufficit: imò addit Seſſe *deciſ.* 131. *numero* 22. quod ſufficit quod iſte conſenſus ſit dubius, & præſumptus vt diſpenſetur in radice Matrimonij; vt autem præſumatur magnum indicium eſt ſi parentes ante mortem diſpenſationem hanc expoſcant, vt dicebat Rota *ſuprà.*

§. VIII.

De legitimatione prolis ex reſcripto Principis.

SVMMARIVM.

676 *Principes qui poſſint originem reſcripto ſuo legitimare? remiſſiuè.*

677 *Quid ſit legitimatio, & quotuplex? remiſſiuè.*

SVpra §. 1. dixi quod Principes potentes re- 676.
ſcripto ſuo originem legitimare duo ſunt in genere, cum debeant eſſe ſupremi nullum agnoſcentes ſuperiorem. Hi ſunt Summus Pontifex, & Imperator; hi enim duo nunquam agnouerunt Superiorem in ſua linea. Poſtea tamen temporis decurſu, & rerum deuolutione multi ſunt Principes ab Imperio independentes facti qui poſſunt leges ferre ſubditos obligantes in conſcientia, & originem in ſua Republica legitimantes. Qui autem ſint hi ſæculares Principes latè enumerat Barboſa *in Collectan. ad cap. per venerabilem, qui filij ſint legitim. à num.* 22. *vſque ad* 35. Dixi etiam quod ſit legitimatio, & 677.
quotuplex in genere, eſt enim duplex, vna quantum ad ſpiritualia quæ tollit inhabilitates iure canonico introductas, & hæc pertinet ad Principem Eccleſiaſticum. Altera tollit inhabilitates iure ciuili inſtitutas, & hæc pertinet ad Principem laicum, vel ad Eccleſiaſticum in illis terris in quibus habet ſupremum dominium, aut ſi legitimare eo pacto ad ſpirituale bonum Eccleſiæ ſit neceſſarium, & ſæcularis Princeps ad quem alioquin ſpectat, legitimare nolit, aut non tam cito velit, aut poſſit, aut denique niſi qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcit vult ea 678.
in parte ſe, & ſuos ſubiicere Sedi Apoſtolicæ, ſicut fecit Rex Gallus ſubdens filios ſuos Innocentio III. vt eos legitimaret, vt refertur *cap. per venerabilem citato.* Dixi etiam in quo diſcriminentur diſpenſatio, & legitimatio, de quo videndus eſt Molina *tract.*2. *diſp.*273. *num.* 3.

***

§. IX.

Tripliciter potest Papa aliquem legitimare.

SVMMARIVM.

679 *Papa tripliciter potest aliquem legitimare.& n.681.& 690.*

679. VT autem quidquid ad legitimationem originis ex rescripto Principis maiori breuitate comprehendamus notandum quod Papa tripliciter potest aliquem legitimare aut dispensando in radice Matrimonij inualidi ob impedimentum canonicum *ex tunc* ipsum reualidando, dispensans *ex tunc* impedimentum ac si nunquam fuisset, & tunc Papa legitimat prolem ante dispensationem in radice genitam, sed cum matrimonio mandat decerni legitimam, hoc est declarat originem non infectam à principio, & *ex tunc*, & *non ex nunc*. Cum enim Papa procedat remouendo obicem,& obstaculum interpositum, quod cum sit à iure canonico inductum, nemini facit iniuriam, & sic hoc modo potest legitimare, etiam in terris Imperij, vel cuiuscumque alterius Principis absoluti, & non recognoscentis superiorem. Quæ omnia determinauit Rota coram D. Iusto. *citata supr. de anno* 1609. quæ est 191. *apud Farinacium. part.1. vers. quinimo sicut Papa.* Sed an hoc modo possit legitimare filios Presbyterorum habitos sacrilege existimo quod non, quia Presbyter non potuit habere figuram matrimonij, & minus affectum maritalem, cum sit incapax dum sacrilege commiscetur, & vnum ex his requiritur ad dispensandum in radice matrimonij, nisi sint Presbyteri Græci, quibus licitum est ducere virginem in matrimonio.

680.

681. Secundò, potest legitimare Pontifex quando aliqui sunt coniuncti in matrimonio inualido propter impedimentum canonicum, dispensando illud vt iterum contrahant, & insuper facit prolem legitimam rescripto suo ipsam habilitando ad successionem, & cæteras habilitates iure canonico impositas illegitimis, ad inhabilitates iure ciuili inductas, & hoc modo legitimando non potest legitimare in terris suo dominio temporali non subiectis. Ita Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disput.7. num.1. & 2.* Basilius *lib.11. de Matrim. cap.5.§.1. à num.3.* qui plures citat, quibus addo Palao *vbi suprà. §.5. num.4.* Molinam *de primog. lib.3. cap.2. num.11.* alterum Molinam *disp.citat.* Couarruuias *2.part.de sponsal. cap.8.§.8.num.16.*

682. *& 18.* quia Pontifex non potest directe leges Supremorum Principum tollere, & in illis dispensare, nisi in casibus supra relatis in quibus indirecte dispensat, cum enim habeat duos gladios, hoc est, duas iurisdictiones, nequidem ambas directe, sed canonicam directe, & sæcularem indirecte, quoties ad spiritualia ea vti necessitas vrget, vt est communis sententia hodie tam Theologorum, quam Iuristarum. Si tamen hæc necessitas non interueniat, Papa non potest interturbare iurisdictionem sæcularem. *Cap. nouit. de iudiciis.*

683. Sed contrarium censuit Rota *in decis.19. citata num.12.& 13.* plures aducens grauissimos Doctores, & dicit idem docuisse Rotam *decis.1. in quis, alias* 200. *qui fil. sint legitim.* Quare Papa principaliter, vel in consequentiam potest legitimare in toto mundo, non solum respectu spiritualium, sed etiam temporalium. Ita videtur decidisse Innocentius tertius. *in capite per venerabilem citato.* vbi arguit à maiori ad minus hoc est à potestate maiori legitimandi in spiritualibus ad minorem legitimandi in temporalibus. Et si prior potestas inest Papæ multo magis posterior saltem per consequentiam licet principaliter. Quod argumentum validum esse in iure docent Couarruu. *vbi suprà. num.11.* Emman. Rodrig. *in summ.tom.1 cap.166. num.3.* Henrriquez *lib.7.cap.3.§.vltimo.* Sanchez *vbi suprà.disput.2.* Sayrus *lib.6.de censur. cap.11.num.8.* & quidem hoc argumentum fuisse Pontificis, & 684.
non partis petentis dispensationem constat clare ex contextu,ibi, *Si ad actus spirituales illos legitimans vt possint in Episcopos promoueri,verisimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat sæculares, præsertim si præter Romanum Pontificem, alium non agnoscant inter homines superiorem qui habeat legitimandi potestatem.* Quod ita esse dicendum pluribus probat valde efficacibus argumentis. Primò, Quia eo ipso quod quis ad apicem Episcopalis dignitatis attollitur eximitur à patria potestate. Ita Acuña 685.
ad Cap. Si seruus sciente. num.9.& 10.distinct.50. Molina *tract.2. disp.229.* dicens sufficere quod sit quis Episcopus electus,quamuis non administret, consecratusve sit. Secundò, si simplex Episcopus scienter seruum alterius in Presbyterum ordinaret, licet ordinator satisfacere domino teneretur ordinatus tamen iugum euaderet seruitutis, & tamen hic per consequentiam dispensatur in legibus ciuilibus.

Tertiò, Quia monstruosum est vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa sæculares 686.
actus illegitimus remaneret. Vnde cum ad spirituales dispensatur intelligitur in temporalibus dispensatum,monstruo enim simile est quod quis sit illegitimus pro parte, & pro alia legitimus, maximè quando legitimatio fit primo ad spiritualia, & Ecclesiastica quæ superiora sunt,& altiora quam sæcularia. Et quis dicet quod quis sit legitimatus vt sit Episcopus, & non sit legitimatus vt sit Consul,aut Dux &c?quamuis possit esse legitimatus ad sæculares actus, non tamen ad Ecclesiasticos, quia argumentum à minori ad maius
non valet. Quare hæc sententia mihi maximè ar- 687.
ridet, quia his rationibus motus Summus Pontifex filium,& filiam Regis Francorum legitimauit ad spiritualia,& sæcularia. Quam sententiam dicit Rotar. *num.13. esse frequentissimam, & veriorem, & contrariam non esse veram, nec communem.*

Ad fundamentum contrariæ Respondetur vnico verbo Pontificis Innocentij III. *cap. Per venerabilem citat.* Quod quando Pontifex directè dispensat & legitimat ad spiritualia consequenter 688.
intelligitur dispensare, & legitimare ad temporalia. Sicut eo ipso quod aliquem elegit in Episcopum consequenter exemit à patria potestate;hoc enim non est directè dispensare in legibus sæcularibus, & interturbare Principum iurisdictionem,sed cum possit iure diuino legitimare ad ordinem superiorem, legitimat consequenter ad inferiorem superiori subordinatum. Quod fit consequenter,& illatiue; sicut dispensatio vt quis illegitimus fiat Sacerdos, quamuis non fiat expressa mentio de ordinibus inferioribus est dispensa-

tus ad illos ſuſcipiendos nam monſtruoſum eſſet quod quis ſit diſpenſatus ad ordinem ſuperiorem,& non ad inferiorem.

689. Ex quo fit Pontificem hoc modo poſſe legitimare conſequenter ad temporalia, non ſolum quando ius non eſt quæſitum tertio, ſed etiam quando ius eſt quæſitum,& tertius poſſidet. Ita Rota *vbi ſupr.* Baſilius *lib.*11.*cap.*5.*num.*5. dicens: *Habet Pontifex Poteſtatem multa faciendi contra ius quæſitum alteri, illudque multimodis tollere, & imminuere,vt cum aliquem creat Epiſcopum, vel Cardinalem eximit à patria poteſtate, & quia ius habet creandi Cardinalem,eo ipſo habet poteſtatem tollendi ius quæſitum patri* &c. Id quod expreſsè dicitur *cap. Per venerabilem citato.* Sequuntur Sanchez *lib.*8.*citat.diſp.*7.*num.*6. Palao *diſp.*4.*cit. punct.*1.§.5.*num.*10. Gutierrez *de Matrimon.cap.* 74.*num.*26.qui addunt,primò,quod Pontifex debet habere iuſtam, & vrgentem cauſam ad ſic legitimandum,ſecundò, quod Pontifex non cenſetur ſic legitimare in damnum tertij niſi clarè id exprimat.

690. Tertiò, diſpenſat Pontifex non legitimando, & ſupplendo natalium defectum quoad omnes effectus iuris, nec habilitando ad omnes inhabilitates,ſed tantum ad aliquas,v.g. ad ordines tantum, vel ad Beneficium curatum: hæc enim eſt propriè diſpenſatio, quæ extendi non debet vltra

691. id quod verba ſignificant,vel ad ea quæ ſunt connexa,& inſeparabilia: eſt enim diſpenſatio odioſa, & exorbitans à iure,& ſic ſtrictè intelligenda, vt latè probat Thomas Sanchez *vbi ſupr.diſp.*1. *num.*4. niſi diſpenſatio facta ſit motu proprio Principis,tunc eſt amplianda,quia tunc fit ob publicam vtilitatem. Quare extendenda eſt quantum ipſa verborum ſignificatio patitur, tũc enim motu proprio dicitur facta diſpenſatio, quando id exprimit Pontifex, etiam ſi præceſſerit partis petitio,*cap.Si motu prop.de Præbend.in* 6.Legatur Couarruu. *in epitom.p.*2.*cap.*8.*num.*19. vbi dicit primam legitimationem eſſe pleniſſimam, ſecun-

692. dam pleniorem, tertiam vero dicit verè eſſe diſpenſationem propriè; ſecunda vero etſi non ſit tam ampla ſicut prima,tamen non eſt propriè diſpenſatio, ſed legitimatio propria,& amplè intelligenda, quamuis non ſit in radice matrimonij; alias legitimatio facta à Principe ſæculari qui non poteſt diſpenſare in radice matrimonij vera non eſſet legitimatio, quod dici nequit.

§. X.

Ponitur Regula vniuerſalis circa Principis legitimationem cum ampliationibus.

SVMMARIVM.

693 *Pontifex habet plenitudinem poteſtatis ad legitimandum filios illegitimos ex coitu damnato prouenientes, etiam ſi matrimonium anteceſſerit nullum ex aliquo impedimento dirimente in quo poſſit diſpenſare.*

694 *Ampliationes 8. predicta Regulæ,& n.*694. 695.702.707.713.717.723.726.

693. SIt igitur Regula: Pontifex habet plenitudinem poteſtatis ad legitimandum filios illegitimos ex coitu damnato prouenientes, etiã ſi matrimonium anteceſſerit nullum ex aliquo impedimento dirimente in quo poſſit diſpenſare. Eſt regula omnino certa & indubitabilis quam ſequuntur omnes *ad titul. qui filij ſint legitimi,& ad tit.de fil.preſbyteror.in* 6. Et traditur ab Innocentio III. *in cap. Per venerabilem.*

Ampliatur,primò. Quod poteſtas delegata ad 694. legitimandum filium adulterinum, & inceſtuoſum quando conceditur in fauorem legitimantis poſſit exerceri etiam ſi vtrumque vitium reperiatur in vna, eademque perſona. Ita Angelus *in Summ.verb.diſpenſatio num.*9.& ibi Silueſter *q.*5. *num.*10.& Saà emendatus *num.*7. Mendoſius *Regul.*11.*Cancel. q.*3.*num.*10. Henriquez *lib.*14. *de irregul cap.*8.*num.*10. & eſt expreſſum *in lege ſi ita D.de liberis,& poſthum.*vbi dicitur *quod mixtum continetur ſub ſimplici. Lex* autem *vim paſſam verſ.præſcriptione D.ad leg.Iul. de adulter.* quæ contrarium dicit, intelligitur in non fauorabilibus, ſicut altera prior in fauorabilibus, vt concordat Barthol. *ad leg. Gallus §.qui ſi tantum num.*3.*D.de liber.& poſthum.* cum enim poteſtas legitimandi ſit fauor & gratia conceſſa legitimanti amplianda eſt ad mixtum vtroque vitio. Quod ſecus eſt quando poteſtas legitimandi fit in fauorem legitimandi filij cui eſt fauor paſſiuus ipſius,& non tam eſt poteſtas legitimandi, quam diſpenſatio in eſſe producta expectans ſolum executionem. Ita Sanchez, *lib.*8.*citat.diſp.*2.*num.*6. ſedde hoc puncto aliàs dicam.

Ampliatur ſecundò. Quod qui habet poteſta- 695. tem delegatam diſpenſandi cum illegitimis alicuius communitatis cuius ipſe eſt pars, & illos legitimandi poteſt ſecum directè diſpenſare, & habilem ſeipſum reddere, ſicut poteſt alios ſuæ communitatis. Dixi *directe* quia indirectè certiſſimum eſt, ſi eligat perſonam in confeſſarium qui ſecum ipſo diſpenſet, ſicut ipſe poteſt cum aliis. Ita declarant Congregatio Concil. vt notat Suarez *de cenſur.diſp.*41.*ſect.*2.*num.*3.& Sanchez *vbi ſupr.diſp.*3.*num.*3. affirmat idem eſſe dicendum de caſibus occultis conceſſis Epiſcopo in Trident. *ſeſſ.*24.*cap.*6.*de Reform.* cumque poſſit diſpenſare cum aliis in irregularitate ex defectu natalium, poterit idem ſecum facere. Et cum illud priuile- 696. gium factum Epiſcopis extendatur ad Prælatos regulares qui habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem vt eſt communis ſententia, quam ſequitur *p.*7.*tract.*2.*reſolut.*14. poſſunt etiam Prælati Regulares.

Igitur ampliatio intelligitur quod habens poteſtatem delegatam ad diſpenſandum cum illegitimis, vel illos legitimandi poteſt ſecum dire- 697. ctè verè & propriè diſpenſare ſine eo quod eligat alterum qui ſecum diſpenſet, maxime quando non interuenit damnum tertij, nec pars quæ tali legitimationi ſe opponat. Ratio quæ me mouet eſt,quia poteſtas legitimandi hoc modo dicit iuriſdictionem non contentioſam requirentem teſtium examen & partis oppoſitæ citationem; ſic enim iniquum eſt in propria cauſa ſibimet ius dicere contra ius ab aduerſario intentum *l.vnica C.ne quis in ſua cauſa.* Quare hæc poteſtas diſpenſandi, & habilitandi illegitimum,ſolum poſtulat iuriſdictionem voluntariam, ac veluti directionem ex prudenti iudicio ortam,vt diſquiratur prudenter cauſæ ad diſpenſandum iuſtitia quam non repugnat: erga ſeipſum aliquem habere, cum non ſit iuſtitia punitiua, aut vis coactiua, quam nemo in ſeipſum habet.

Vnde

698. Vnde egregie D.Thom. *in 4.distinct.2. quæst.1. art.5. quæstiunc.4. ad 3.* quod quando iurisdictio exercetur per modum sententiæ nullus eam potest exercere in seipsum; cum in iudicio non possit idem esse reus, & iudex & sic nemo potest seipsum excommunicare, absoluere à peccatis. Quando tamen iurisdictio exercetur per modum cuiusdam dispensationis, eam potest homo exercere in seipsum sicut potest dispensando indulgentias aliis, sibi ipsi eas immediate applicare, &
699. secum dispensare sicut dispensat cum aliis. Quare in exercitio iurisdictionis voluntariæ potest aliquis vices duorum sustinere nisi specialiter sibi interdicatur. Quod late prosequitur Panormitan. *ad Cap.finale n.5.de constitut. & ad cap.ex litteris. n.11.& 12.de Probatio.*

Confirmatur ex *l si Consul. D. de adoption.* vbi dicitur quod si filiusfamilias præses sit, potest semetipsum emancipare, vel in adoptionem tradere. Cur ergo non potest quis seipsum legitimare & dispensare in inhabilitatibus iuris si habeat potestatem delegatam ad dispensandum in illis quoscumque de sua communitate? ita tenent Sylvester *verb. lex q.14.* Paludanus *in 4.distinct.38.quæst.4. art.4. conc.4. num.41.* Sotus *distinct.18. quæst.1. art.4.conc.2.* Ledesma *2.p.4.quæst.29.art.4.in fine.*
700. Suarez *3.part.tom.4.disp.52.sect.1.num.20.* Henriquez *lib.6.de Pœnitentia.cap.4.num.3.& in Commentar. littera I.* Azor *part.1.lib.5.cap.15.q.6.*

701. Ex quo fit quod Episcopi possunt secum directe dispensare in omnibus his quæ ex vi Concilij *sess.24.cap.6.de reformat.* possunt cum suis ouibus dispensare. Similiter Prælati Regulares, etiam Viee-præpositi, & superiores, secum in omnibus his in quibus possunt cum subditis ex vi suorum priuilegiorum. Et sic omnes inhabilitates quas possunt auferre ab aliis, possunt à seipsis abstergere proprie, & directe, quia non sunt ipsi peioris conditionis quia Superiores, quam alij quia subditi. Tenet etiam verum in Principe sæculari qui potest secum dispensare in his omnibus temporalibus in quibus potest cum subditis. Et multo magis id tenet verum in Summo Pontifice.

702. Ampliatur tertio, ad filios spurios siue ex adulterio, siue ex sacrilegio Presbyteri, siue Religiosi professi; hos enim omnes, etiam si sint habiti à Patre in filia naturali, potest Papa legitimare eos habilitando, & auferendo omnes inhabilitates iuridicas. Ratio est, quia hi omnes non sunt inhabiles iure naturali, sed iure humano, in quo potest Pontifex dispensare. Verum est, vt notat Molina, *disp.273.citat. num.4.* quod horum filiorum legitimatio non est tam ampla: & priuilegiata, ac est filiorum naturalium, siue legitimentur rescripto Principis, siue ex subsequuto Matrimonio, vel dispensando in radice Matrimonij, vt
703. constat ex dictis. Verum tamen est quod legitimatio spurij si concedatur ample, & absque restrictione est proprie legitimatio, & non solum dispensatio, & sic est ample interpretanda. Ita Couarruuias *in Epitome part.2.cap.8.§.8. num.4.*

Ex quo fit quod si filius Presbyteri legitimetur à Papa legitimatione ampla, & absque vlla restrictione, sed ipsum habiliter ad omnes inhabi-
704. litates quas habet à iure, potest primò obtinere Beneficium in eadem Ecclesia in qua Pater est Beneficiarius, & Beneficium patris, siue mediate, siue immediate. Secundò, pensionem positam in fructibus Beneficij paterni. Tertiò, dignitatem in Ecclesia in qua Pater est Canonicus. Quartò, Beneficium Parochiale. Quintò, Beneficium in 705.
ea Ecclesia in qua Pater habet solum sedem in choro ratione dignitatis. Sextò, Beneficium in ea Ecclesia quæ est soror alterius in qua Pater est Beneficiarius. Septimò, administrationem ex officio, aut beneficio in ea Ecclesia in qua Pater Beneficium habuit. Octauò, capax Beneficij quod illi obuenit ex reciproca resignatione quam Pater eius faciet cum alio vt iste det filio suum Beneficium, quæ omnia prohibita sunt filiis Presbyterorum à Tridentiuo *sess.25. cap.15.* vt late prosequuntur Barbosa *ibi in Collectan. DD. à num.20.* 706.
& *3.part.de potestat. Episcop. allegat.65.* Garzia *de Benefic. part.7. cap.2. & 3.* Gonçalez *ad Reg.8. glossa 5.* Palao *tractat.13. disput.4. punct.2.* quæ fere omnes inhabilitates absterguntur si filius Presbyteri legitimatur absque aliqua restrictione, qua habilis efficitur ad omnia: secus vero si dispensetur solum ad habenda Beneficia, aut Dignitates, aut curam animarum habentia, quia hæc dispensatio stricte est intelligenda, & non extenditur ad inhabilitates inductas à Concilio Tridentino, nisi exprimatur.

Ampliatur quartò, Quod legitimatus rescripto Principis, etiam si Pater post legitimationem 707.
habeat filium ex legitimo Matrimonio, aut naturalem legitimum factum per subsequens matrimonium, talis legitimatio non censetur reuocata de iure communi ad succedendum in hæreditate cum aliis filiis legitimis. Ita Panormitanus *ad cap. Per venerabilem. qui fil. sint legitim.* Sylvester *verbo filij. quæst.14.num.17.* Barthol. *ad l.ex facto D.de vulga. & pupil. substit.* Ratio est quia ante 708.
filium natum ex vxore filius naturalis est legitimatus perfecta, & adæquata legitimatione: ergo etiam manet perfecta quoad omnes suos effectus post natum filium ex matrimonio. Probatur consequentia ex regula 73. *de reg. iur in 6.* quæ habet, *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari.* idem constat *ex l. in ambiguis. D. de reg. iur.* & late prosequuntur. Tiraquellus *in tract. cessante causa. limit.12.num.15.* Couarruuias *in cap. Quamuis pactum p.2.§.1.n.7.* ergo legitimatio facta perfecte à Principe retractari non potest post generationem filij legitimi.

Neque alicuius ponderis sunt fundamenta quæ 709.
contra obiicit Molina *disp.173.citat.num.28.* quia legitimans Princeps si hoc facit habilitando ad omnia ad quæ inhabilis est illegitimus, dubio procul intendit quod succedat cũ aliis filiis legitimis qui futuri possunt esse; iam enim illegitimus habet ius quæsitum ad rem, ad hæreditatem paternam, atque ita quod postea nascantur alij ex matrimonio illi nocere non potest. Rursus, quamuis donatio facta reuocetur filij natiuitatem, ideo est, quia non præsumitur Patrem donaturum in eo euentu; si tamen res donata transiit in 710.
dominium donatarij, iterum ab eo repeti nequit, at illegitimus legitimatus perfecte iam est habilis ad succedendum patri, & sic hæc habilitas ab eo auferri nequit, nec impediri quominus patri succedit, quia non est in voluntate sua contrauenire decreto, & rescripto Principis. Legatur Molina *disp.174. num.33.* vbi adducit elegantem doctrinam ad propositum. Dixi hoc esse verius de iure communi, nam de iure Castellæ contrarium dicendum est, quia sic decisum *leg.12. Tauri*, quæ est 10. *tit.8. lib.5. noua recopilat.* Vnde Molina 711.
vbi suprà. dicit: *licet posterior sententia tam probabilis*

habilis sit, quia tamen prior est Bartholi,& communior forte in hoc Regno Portugalliæ stabitur in iudicando priori sententiæ.

712. Ex quo fit quod legitimatus rescripto Papæ, aut sæcularis Principis potest succedere simul cum aliis legitimis natis ante talem legitimationem obtentam,si Principi explicetur illegitimum habere fratres legitimos, & in rescripto non ponatur sine præiudicio legitimorum filiorum, & aliorum succedentium ab intestato. Ita Molina *num* 27.qui addit quod Parentes huic filio legitimato non possunt relinquere maiorem portionem quam sit minima portio vni ex legitimis relicta. Ita habetur *Authent. quibus modis naturales.§.& quoniam varia* & *l.vltima. §.vltim. C.de natur.liber.* Vnde pater non potest meliorare filium legitimatum,hoc modo,in tertio,& quinto, aut ex illis constituere maioratum in quo illum filiis legitimis præferat. Ita Molina iurisconsult. *lib.2.cap.*11.*num.*17.

713. Ampliatur,quintò. Posse Pontificem in omnes fideles,& in suos subditos Principem illegitimum legitimare,etiam si spurius sit, ad omnes iuris inhabilitates, habilitando etiam ad successionem, quamuis pater mortuus sit; Si tamen pater ante mortem id velit, & postulauerit,vel in testamento,vel alio modo iuridico, argumento *ex authent. quibus modis* §. *Si vero is.* Potest enim Princeps reseruare sibi potestatem derogandi legibus suis quoad illegitimos,& sic si ad eius notitiam venerit quod pater voluit quod filius legitimaretur, 714. potest illum legitimare,& sic ius quod hæredes ab intestato habebant ad bona defuncti, post eius mortem est dependens à Principis voluntate an velit legibus suis derogare,quibus ius illud quod habent hæredes nitebatur. Quod si Pater ante mortem nõ postulauit filij legitimationem,Princeps in damnum hæredum ab intestato non potest illegitimum legitimare quo ad bonorum successionem,nisi id expediat bono communi,in tali enim casu vtitur Princeps dominio alto quod habet in omnia bona particularium, & sic potest concedere illegitimo ius ad successionem, etiam 715. in damnum hæredum, & quantumuis filius sit spurius ex adulterio,aut sacrilego coitu genitus,vt dixi,id poterit facere Princeps si pater postulauerit,quia sicut viuente patre potest iste filius legitimari,ita post mortem postulante Patre dum viueret. Quare non video quo fundamento id de filio spurio negauerit Molin. *lib.1.de Primog.c.7. à num.*36.cum concedat de filio naturali,in vtroque enim casu potest Princeps derogare suis legibus.

716. Ex quo fit quod si institutor fideicommissi dicat quod filij eius succedant non explicando an sint futuri naturales, an legitimi, an spurij,posse Pontificem legitimare spurium, qui legitimatus succedet,& excludet substitutum.Ita Molina *disp.* 174.*citat num.*39. Ratio est, quia iste nomine filiorum comprehenditur, & Princeps aufert rescripto suo incapacitatem quam habebat à iure humano, potestque ex rationabili causa huic iuri humano præiudicare. Ita Molin. *lib.*3.*cap.*3.*num.* 43. addit tamen hoc non tenere locum in institutione maioratus, in qua agitur de familia nobilitanda,in quo nomine filiorum non naturales, nedum spurij,sed solum legitimi intelliguntur, quia dum agitur de filiorum honore,isti solum intelliguntur,vt est certa sententia.

717. Ampliatur sextò, Quod Papa, seu Princeps sæcularis possit illegitimum legitimare ad bonorum,& hæreditatis successionem, quamuis hæreditas sit delata. Ita sentio contra Molinam *disp.* 174.*citata num.*25. cum omnibus ferè iuris ciuilis Doctoribus. Ratio quæ me mouet ea est,Quia 718. Princeps supremus,& absolutus procedens ex certa scientia,& de plenitudine potestatis potest,præiudicare iuri quod habent hæredes adeundi hæreditatem sibi delatam, quia facultas adeundi, & quod adita hæreditate dominium acquirat hæres sunt introducta iure ciuili,&illis derogãdo potest Princeps præiudicare. Etenim quamuis per delationem hæreditatis hæres acquirat dominium,& ius ad bona defuncti, tamen dominium hoc non est ita absolutum quin hæres possit illi renuntiare non adita hæreditate,ante cuius aditionem solum habet dominium *ad rem*,non *in re.* Quod autem habeat hoc dominium ad rem ante aditionem so- 719. la delatione hæreditatis ortum ducit à iure humano,non à iure gentium, & sic potest Princeps iustis ex causis illi præiudicare, quamuis hæres iam habeat acquisitum dominium *ad rem* bonorum defuncti. Sicut per emptionem,& venditionem traditur dominium *ad rem* rei venditæ, & emptæ ante traditionem; & tamen potest Princeps emptionem,& venditionem rescindere iustis ex causis. Quia licet dominium hoc sit iam acquisitum,tamen nondum est perfectum *in re*, & est valde debile, & sic semper est dependens à Principis voluntate, qui potest impedire ne vlterius progrediatur & sic absque iniustitia, & sine contrauentione ad septimum Decalogi præceptum poterit legitimare illegitimum vt succedat in hæreditate delata; est enim hoc ius quod hæres habet per delationem hæreditatis simile illi quod habent filij legitimi ad hæreditatem pater- 720. nam viuente patre, & tamen potest Princeps legitimare illegitimum vt simul cum legitimis succedat Patri in hæreditate, quamuis istis minuantur portiones, vt tenet ipse Molina *num.*8. quia hoc solum est ius *ad rem* in quo potest Princeps præiudicare dispensando legibus suis, quamtumuis filij legitimi iam hoc ius acquisitum habeant.

Ex quo fit quod si hæreditas non solum sit delata,sed etiam adita,hoc est,quando hæres consentit hæreditati, & acquirit dominium perfectum *in re* bonorum defuncti, etiam si non acceperit possessionem, non potest Princeps, etiam si 721. vtatur plenitudine potestatis (nisi vtatur dominio alto, quo vti non potest nisi interueniat bonum commune) legitimare illegitimum ad successionem hæreditatis. In hoc bene Molina *vbi suprà num.*23. Ratio est, quia aditione hæreditatis hæres acquirit dominium *in re* bonorum defuncti potestque de illis disponere tanquam de re sua,quod non potest per solam delationem,atqui Princeps non potest sine iniustitia,& contrauentione septimi præcepti Decalogi aliquem priuare re sua, ad quam iam ius in re acquisiuit, quamuis illius non habuerit possessionem, quæ non dat nouum ius *in re*,vt optimè Couarruu. *in Epitom.p.*2.*cap.*8.§.9. Molina iurisconsl. *lib.*2.*cap.* 7.*num.*29.

Neque obstat quod non detur actio furti, sed 722. expilatæ hæreditatis,& tamen daretur actio furti si acquisita esset possessio. *l.*2.*& vlt.D.de crimine expilatæ hæreditatis*, quia hoc procedit in foro externo quod vult quod actio furti solum detur quando aufertur res possessa inuito domino, tamen

tamen in foro conſcientiæ dubio procul ſit contra ſeptimum decalogi præceptum quoties auferetur res aliena inuito domino, & nemo conſtituitur ſimpliciter dominus niſi per dominium ſimpliciter, quale habetur per dominium *in re* ante poſſeſſionem.

723. Ampliatur ſeptimò, quod à Papa, vel Principe legitimato filio, huius filij ex legitimo matrimonio nati ſunt legitimi reſpectu aui quoad ſucceſſionem, & alia. ita Molina *diſp.* 174. *n.* 32. Couarruu. 2. *part. epitom. cap.* 8. §. 10. *num.* 7. vbi egregie id confirmat. Primò, quia legitimatus reſcripto Principis vere legitimus cenſetur iuxta doctrinam Barthol. in *leg. ſi is. D. de vſucap.* & approbat ipſe Couarruu. *ibi* §. 8. *num.* 13. dicens eſſe communem pluribus citatis. Si autem pater legitimatus legitimus cenſetur, eius filius legitimus reſpectu aui locum patris obtinebit. *leg. ſi auus Cod. de filio prætor.* Secundò, Quia fortior eſt legitimatio quam adoptio *authent. quib. mod. naturales.* §. *tribus* & tenet Baldus *in l. neque abſens. D. de adoptio.* ſed patre adoptato cenſentur

724. nepotes adoptari *l.* 2. §. *finali. D. de adoptio.* ergo etiam legitimato patre cenſentur nepotes legitimati reſpectu aui, ablata enim radice infecta, fructus ex illa naſcentes infecti non erunt.

Ex quo fit quod legitimato filio à Summo Pontifice ad omnia Beneficia Eccleſiaſtica, eius filij legitimi poſſunt habere abſque alia diſpenſatione beneficia aui, ſiue in eadem, ſiue in diuerſa Eccleſia, quia reſpectu illius legitimi ſunt, illique ab inteſtato poſſunt ſuccedere, ſine alio Principis

725. reſcripto. Similiter filius legitimatione perfecta legitimatus reſcripto Principis non ſolum fit legitimus reſpectu Patris, ſed etiam omnibus patris agnatis abſque eorum conſenſu, etiam quoad ſucceſſionem in bonis. ita Couarruu. §. 10. *cit. num.* 3. plures citans, & habetur deciſum. *l.* 12. *Tauri.* quæ eſt 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopil.* quando autem in authent. *citat.* §. *filium*, dicitur quod legitimatus non fit legitimus niſi ſolo patri, non vero patris agnatis loquitur de legitimato per oblationem curiæ, non vero de legitimato reſcripto Principis, vt notatur *l.* 7. *tit.* 15. *part.* 4. ita Couarruu. *vbi ſuprà.*

726. Ampliatur octauò, quod legitimatus à Summo Pontifice, ſi poſtea diſpenſationem petat ad obtinenda plura Beneficia curam animarum habentia vel quæ ſint alio modo incompatibilia, non eſt neceſſum in petitione exprimere quod ſit illegitimus. Ratio eſt quia legitimatus cenſetur legitimus: ergo ſi petat diſpenſatonem ad plura beneficia incompatibilia obtinenda non indiget exprimere quod illegitimus fuit. Ita Molina *vbi ſuprà. num.* 35. Secus vero ſi ſolum eſſet diſpenſatus ad vnum beneficium, quia vt habeat aliud curam ſimiliter animarum habens indiget exprimere quod ſit illegitimus, ne diſpenſatio ſubreptitia ſit.

727. Ex quo fit male addidiſſe ipſum Molinam quod diſpenſatus illegitimus ad habendum vnum Beneficium curam animarum habens non poteſt aliud habere illo dimiſſo ſine noua diſpenſatione quæ cum ſit ſtricte intelligenda ſolum intelligitur de vnico. Sed hoc mihi non probatur, & contrarium ſentio cum Angelo, *verb. Beneficium. n.* 24. Sylueſtro *verb. Beneficium.* 3. *q.* 11. *n.* 14. Tabiena *Beneficium.* 2. *quæſt.* 17. *num.* 19 qui Sylueſtrum tranſcripſit in hac parte, qui ſecuti ſunt Ioannem Andream, *Cap. non poteſt num.* 5. *de præbendis in* 6. & ratio eſt quia diſpenſatio facta illegitimo, etſi ſit de Beneficio habendo, tamen reſpicit perſonam illam reddens capacem ad vnum dumtaxat beneficium habendum: ergo ſi non habeat duo ſed vnicum ex vi diſpenſationis quia factus eſt capax habendi primum Beneficium, iſto dimiſſo, poterit aliud habere, vt eius capacitas repleatur, niſi in diſpenſatione dicatur quod ſit capax ad Beneficium determinatum, & certum, vt ex Panormitano notat Geminianus, *Cap. is qui. de fil. Preſbyt. in* 6. 728.

Ex quo principio colligitur quod diſpenſatus in voto caſtitatis, & Religionis, vt poſſit contrahere matrimonium, mortua prima vxore poteſt aliam ducere ex vi matrimonij perſeuerante cauſa motiua quam habuit Pontifex ad diſpenſandum, & quam poſuit in reſcripto: cum enim diſpenſatio ſit abſoluta ius ſuſtulit impedimentum quod obſtabat ad contrahendum, capacemque reddidit perſonam: ergo niſi excludantur ſecundæ nuptiæ ex vi prioris diſpenſationis poſſunt contrahi. 729.

Dixi, *perſeuerante cauſa motiua, &c.* qua motus eſt Pontifex ad diſpenſandum cum illegitimo vt habeat Beneficium curatum; tunc enim illegitimus non poteſt ex vi prioris diſpenſationis relicto vno beneficio aliud obtinere, v. g. motus eſt Pontifex vt diſpenſet cum Petro illegitimo, 730. quia pauper eſt, ſi obtento vno Beneficio dies factus, vel ex hæreditate, vel ex fructibus prioris Beneficij non poteſt ex vi prioris diſpenſationis illo beneficio relicto aliud obtinere. Sicut dum aliqua mulier diſpenſata ad contrahendum cum affine, quia pauper eſt, ſi antequam exequatur diſpenſatio, dies facta eſt, corruit prior diſpẽſatio vt optime Th. Sanch. *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 30. *n.* 16. Ratio eſt, quia ceſſante cauſa legis, & priuilegij facti alicui particulari ceſſat vis ipſius. Quod multo magis tenet in diſpenſatione quæ eſt odioſa, iſta enim inualida eſt, ſi cauſa non ſubſiſtat: ergo eius vis ceſſat ceſſante cauſa, arg. *ex l. ex facto D. de vulgari.* vbi priuilegium factum patri vt 731. poſſit ſubſtituere filio furioſo, ceſſat filio ſanæ mẽtis effecto, & euaneſcit ſubſtitutio illi antea facta, quia vt ait Iuriſconſultus: *Iniquum incipit fieri beneficium Principis, ſi adhuc id valere dicamus, auferret enim teſtamenti factionem homini ſanæ mentis.* Sic ergo ſi cauſa diſpenſandi cum illegitimo vt habeat Beneficium curatum fuit paupertas, iſta ceſſante iniqua incipit fieri diſpenſatio, & ſic nulla, vt habeat aliud ſimile Beneficium, priori relicto.

§. XI.

Limitationes eiuſdem Regulæ.

SVMMARIVM.

732 *Quinque limitationes ſupradictæ Regulæ, & n.* 734. 735. 738. *&* 741.

748 *Quid requiratur vt legitimatio per reſcriptum ſit valida, & quæ qualitates eius qui legitimatur ſint expreſſandæ.*

LImitatur, primò, Regula poſita, Quod ſi Princeps legitimet ſuo reſcripto filium illegitimum ad honores, dignitates, ſucceſſiones, legitimas, & teſtamentarias natalibuſque reſtituatur, ita tamen quod Patri ſuccedat in ea parte quam ei pater relinquere voluerit, ſicut in Regnis Hiſ- 732.

paniæ

paniæ fiunt omnes legitimationes cum hac clauſula, *quod legitimatus ſuccedat Patri in eo quod Pater illi relinquere voluerit*, vt notant Couarr. *vbi ſuprà* §.8.*num.*7. Gregorius Lopez *in l.9.tit.* 18.*part.*3.in hac,inquam,ſpecie filius legitimatus patri ſuccedet, niſi pater contrarium diſpoſuerit, cuius voluntati ſtandum eſt. Quod ſi pater expreſsè non excluſerit illi ſuccedet ab inteſtato, quia cum hæc ſit vera legitimatio latè eſt interpretanda. Ita Couarruu.*num.*6. quod ſecus eſt ſi filius non legitimetur ad honores, & dignitates,
733. nec natalibus reſtituatur, ſed ſolum illi concedatur, quod Patri ſuccedat in certa bonorum portione, vel in ea parte qua pater voluerit; tunc enim non ſuccedet ab inteſtato vt optimè ex Iaſon adnotauit Illuſtriſſimus Præſes *num.*4. quod hæc non tam eſt legitimatio quam diſpenſatio, quæ ſtrictè interpretanda eſt. Quod ego limito iuxta dicta, niſi cauſa diſpenſationis fuerit filij illegitimi paupertas, qua perſeuerante debetur ea portio ex vi talis diſpenſationis,etiam ſi pater inteſtatus decedat.

734. Limitatur ſecundò,à Couarruu.*vbi ſupr.n.*50. quod is qui Cæſari,vt Comes Palatinus,aut Regi ſubiectus eſt, habet tamen ab eo poteſtatem delegatam legitimandi, non poteſt legitimare proprios filios ſine ſpeciali licentia ad id impetrata. Sed ego contrariũ iudico probabilius, quia princeps poteſt legitimare proprios filios,vt ſupra dixi,& tenet ipſe Couarruu.*num.*49.ergo qui habet poteſtatem delegatam indeterminatam ad omnes poterit etiam proprios filios legitimare, niſi id à delegante prohibeatur expreſsè. Secundò. Quia non debet eſſe peioris conditionis in ſuos, ac eſt in alienos.Tertiò. Quia iuriſdictio iſta eſt voluntaria,& non contentioſa, & mera gratia Principis quando non fit in præiudicium tertij:ergo in ſuos poteſt exercere illam.

735. Limitatur tertiò, ab eodem Couarru. *num.*36. quod qui habet poteſtatem delegatam ad legitimandum non poteſt diſpenſationem ad aliquem actum illegitimo concedere,quia inquit,commiſſio Principis ad actum magis odioſum non eſt extendenda. Quod ſentit Socinus *conſil.*246. *columna.*3. *volum.*2. Alexandr. *conſil.finali volum.*5. Alciatus *l.*2.*in princip.num.*51.*D. de verbor.obligat.* Ex quo ſubinfert quod habens poteſtatem delegatam legitimandi, etſi poſſit legitimare naturales,non tamen ſpurios,quia horum legitimatio potius eſt diſpenſatio quam vera legitimatio. Sed neutrum mihi probatur,non primum,quia vt optimè Tabiena *verbo legitimus num.* 4. *in fine*, licet Comes Palatinus poſſit legitimare quoad vnum actum, & non quoad alium,quia legitima-
736. tio eſt reintegratio totius ſtatus *l.ſi pariter D.de liber.cau.* tamen poteſt diſpenſare,quia licet non poſſit plus facere quàm ſibi commiſſum ſit, minus tamen facere poteſt, quia non debet ſeruare formam verborum ſui priuilegij, ſicut debet iudex delegatus. Quare ſicut poteſt auferre omnes inhabilitates illegitimi, ipſum legitimando, poteſt duas dumtaxat cum illo diſpenſando, quia licet diſpenſatio ſit odioſa poteſt à poteſtate fauorabili, & fauorabiliter interpretanda promanare.
737. Ex quo fit quod licet ſpurij legitimatio eſſet diſpenſatio (de quo non diſputo) tamen poſſet prouenire ab habente poteſtatem legitimandi,vt tenet Antonius de Buttio,*cap.Per venerabilem qui fil.ſint legit.num.*4. vbi traditur quod argumentum à maiori ad minus eſt efficax in iure, vt tenent Abbas ibi.& in *cap.ad aures column.*4.*de reſcriptis.* Barbatius *tract.de poteſtat. Cardinal.p.*2. *q.*1.Gloſſa ſingular. *in clement. vnica. de offic.vicar.verbo Sacerdotium.*

Limitatur quartò, à quibuſdam, quod quando 738
reſcriptum dicit quod aliquem legitimat ſine præiudicio filiorum legitimorum debeat intelligi modo legitima portio filiorum legitimorum non minuatur. Ita Angelus *conſil.* 264. Paulus *conſil.*27.*lib.*2. Alciatus *in Rubrica de liberis & poſthum.num.*13. Cæterum Siluester *verbo legitimus num.*12. *verſ. Septimum.* dicit quod hæc clauſula poſita in reſcripto debeat intelligi quod legitimatus æqua lance ſuccedat cum legitimis, non autem quod in totum ab hæreditate excludatur, quia interpretatio quod in totum excludatur eſſet contra mentem legitimantis, & produceret effectum contrarium contra omnia iura
mundi *l.legata inutiliter D.de legatis* 1. Et quod 739.
produceret effectum contrarium. Pater quia legitimatio aufert inhabilitatem ſuccedendi patri, aliàs non eſſet legitimatio, ſed diſpenſatio: ergo legitimatus non poteſt in totum ab hæreditate excludi.

Secundò, quia tale præiudicium virtute præfatæ clauſulæ non debeat attendi conſtat clare
cap. 2. *de pactis in* 6. iuncta Gloſſa *verb. detri-* 740.
mentum & nota marginalis ibi aduertit *quod actus non dicitur in alterius detrimentum vergere, niſi principaliter fiat;ſecundario enim poſſet detrimentum prouenire filiis, vel viro, vel venientibus ab inteſtato, vel ſimilibus perſonis.* Quod ſequuntur Palacios *in Repetit.cap.Per veſtras.de donatio.int. vir. & vxor.* Tiraquel. *tract. res inter alios acta. verſ. Sed hæc.* Couarruu. *in cap. Raynutius. de teſtament.*§.10.*num.*22. Quare Felinus *in cap.Si diligenti numer.* 32. *de foro compet.* dixit *præfatam gloſſam auream eſſe, ab omnibus receptam*, vt videre eſt in Nauarro. *in Cap. ſi quando colum.*77.*de reſcriptis.*

Limitatur quintò, quod legitimatus à Princi- 741.
pe ſæculari ad omnia temporalia ad quæ inhabilis eſt, quamuis iure ciuili vere legitimatus dicatur tamen iure pontificio non eſt legitimatus proprie ſed diſpenſatus. ita teneo contra Couarr. *num.*20. Ratio quæ me mouet ea eſt, quia legitimatio eſt totalis natalium reſtitutio, & totius ſtatus reintegratio, ita vt ſit legitimatus habilis ad ea quæ legitimus habilis eſt, atqui hoc totum quod ablatum eſt illegitimo, Princeps ſæcularis reſtituere nequit, quia licet poſſit habilitare ad omnia ſæcularia,at ad ſpiritualia habilitare nõ poteſt. Sicut nec poteſt diſpenſare in radice matrimonij, cum ex iure canonico ſicut non poteſt
ponere impedimentum dirimens, vt eſt omnino 742.
certum in Eccleſia Chriſti poſt eius aduentum,vt conſtat ex Trid.*ſeſſ.*24.*can.*12. ita nec auferre diſpenſando *ex tunc* in illo: ergo non poteſt perfectè legitimare, ſicut poteſt Summus Pontifex qui poteſt legitimare diſpenſando in radice Matrimonij, quæ legitimatio aufert omnes inhabilitates ſiue proueniant à iure canonico, ſiue à ciuili, & ſic princeps ſæcularis non reſtituit illegitimum natalibus perfectè, ſed ſolum diſpenſat cum illo derogando leges quæ ipſum inhabilem faciebant ad ſecularia. Quare ad ea poſſunt admitti, non tamen ad omnia quæ legitimis iure competunt & ſic non eſt propria legitimatio, vt ipſum nomen ſonat, ſed ſolum diſpenſatio. ita defendunt Caſtrenſ. *conſ.*3. *volum.*2. Socinus *conſ.*65.*volu.*3.

Baldus

Baldus *l. 1. C. de liber. natural.* Curtius Senior *consil.73. dub.4.* Siluanus *conſ.45. num.43.* & plures alij quos citat, & aliquando ſecutus eſt Couarruuias *vbi ſuprà num.15.*

743. Verum eſt primò, quod diſpenſatio hæc cum ſit ad omnia quæ iure ciuili prohibita ſunt illegitimo, poteſt dici legitimatio ciuilis, & latè ſit interpretanda in ordine ad ſæcularia, cum Princeps concedat illegitimo totum id quod ſua poteſtate poteſt concedere; non tamen id quod non poteſt, & ſic abſolutè legitimatus non ſit cum excludatur quia illegitimus ab omnibus Eccleſiaſticis honoribus niſi accedat legitimatio Pontificia; quæ ſi ſit in radice Matrimonij ad omnes quaſcumque inhabilitates habilitat.

744. Verum eſt ſecundò, quod legitimatio ciuilis etſi non ſit ſimpliciter legitimatio, ſed ſecundum quid, & addito diminuente, quod reducit filium ſic legitimatum in patriam poteſtatem, ſi filius voluerit, iuxta dicta in ſuperioribus, quia licet ſit ſimpliciter diſpenſatio, tamen quia eſt ad ea omnia quæ iure ciuili ablata ſunt ab illegitimo, ſit quod cum hic, quia illegitimus, ſit extra patriam poteſtatem, ſi legitimatur legitimatione ciuili ad patriam poteſtatem reducitur, vt tenet Caſtrenſis *conſilio citato, column.4.* Vnde fit quod filio illegitimo ante legitimationem ciuilem non poteſt

745. pater vota irritare. Bene tamen poteſt hanc legitimationem ciuilem, quia hoc poſſunt patres ratione patriæ poteſtatis. Rurſus non eſt admittenda diſtinctio illa triplex legitimationis, pleniſſimæ, plenioris, & minus plenæ, quam introduxit nouiter Couarruu. *num.19.* ſicut enim minus plena eſt ſimpliciter diſpenſatio, ita plenior ſimpliciter diſpenſatio eſt, quia illa non reſtituitur illegitimus natalibus ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

746. Doctrina huius limitationis quòd ſcilicet legitimatio ciuilis facta ab Imperatore non ſit vera, & rigoroſa legitimatio, ſicut ea quæ fit à Summo Pontifice, hoc argumento conuincitur, quod poſuit Couarruuias *vbi ſuprà à num.21.* Quia vera legitimatio ſimilis eſt natalium reſtitutioni quæ Beneficio Principis libertis conceditur; nam ſicut qui ex libertina conditione natalibus reſtituitur ad illum ducitur ſtatum non quo ipſe natus eſt, ſed quo omnes ab initio orbis conditi, creatique generis humani liberi naſcebantur, priuſquam ſeruitus iure belli fuerit introducta. Ita *l.1. & 2. penult. & vltim. D. de natal. reſtituend.* ita illegitimus per legitimationem perfectam reſtituitur natalibus, ac reducitur ad illum ſtatum in quo iure naturæ omnes legitimi naſcebantur,

747. ex coitu nempe coniugali, cæteris coniunctionibus eadem lege improbatis: atqui Princeps ſæcularis quantumuis abſolutus, & orbis Imperator non poteſt ſic illegitimum natalibus reſtituere, cum non poſſit illum ad ſpiritualia, & Eccleſiaſtica habilitare, non eſt ergo rigoroſa legitimatio, ſed ſolum ſecundum quid, & imperfecta natalium reſtitutio. Quod tenet verum etiam ſi legitimetur filius naturalis ex ſoluto, & ſoluta propter eamdem rationem, quæ dubio procul rem conuincit, & demonſtrat.

748. Plura alia omitto ne longius diuagetur digreſſio, & hæc ſufficiant ad plenam notitiam legitimationis. Quid autem requiratur vt legitimatio per reſcriptum ſit valida, & quæ qualitates eius qui legitimatur ſint expreſſandæ latè Molina *diſput.174. à num.18.* Quid vero ſignificent illa verba in diſpenſationibus matrimonialibus poſita pro Matrimonio contrahendo, vel contracto reualidando, *quod non obſtante impedimento ſit diſpenſatio ad Matrimonium libere contrahendum, prolem ſuſceptam, ſi quæ ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo.* Conſtat enim ex dictis quod hæc diſpenſatio non ſolum eſt ad ſpiritualia, ſed etiam ad ciuilia, & temporalia, vt conſtat ex deciſionibus Rotæ ſupra adductis, & videri poſſunt Baſilius *lib.11. cap.5. à num.12.* Garcia *de Benefic. lib.7. cap.2. à num.40.*

§. XII.

De aptitudine ex parte corporis requiſita ad Beneficium obtinendum.

SVMMARIVM.

749 *Corporis ineptitudo, quæ irregularitatem inducit, reddit hominem incapacem ab Beneficium obtinendum non ſolum licitè, ſed validè, & num. ſeqq.*

750 *Corporis ineptitudo vt irregularitatem inducat, requiritur quod ſcandalum generet in celebrante.*

753 *Regula generalis. Defectus, aut vitium corporis inducens irregularitatem inducentem incapacitatem canonicam eſt ille qui impedit vſum, & exercitium Ordinis, vel notabilem inducit deformitatem.*

749. COrporis ineptitudinem quæ irregularitatem inducat incapacem reddere hominem ad Beneficium obtinendum non ſolum licitè, ſed validè opinio certior, & communior docet. Ita tenent Azor 2. *part. lib.6. cap. 4. quæſt.13.* Sotus *de iuſtit. lib.5. quæſt.2.* Aragonius 2.2. *quæſt. 65. art. 1.* & ibi Salonius *controuerſ. 4.* Valentia 3. *part. diſp.7. quæſt.19. punct.3.* Suarez *de cenſur. diſput. 51. ſect. 2.* Sayrus *lib.6. cap.9.* Henriquez *lib. 14. cap. 8.* Ludouicus Lopez *tom. 2. part. 2. cap.23.* Auila *de cenſur. part.7. diſput. 3.* Molina *tractat.3. de iuſtit. diſput. 70.* Nauarrus *in ſumm. cap. 22. num. 190. & 249.* & alij innumeri quos videre non vacat locus, & citat & ſequitur Garcia *part.7. cap.12. num.2.*

750. Vt tamen corporis ineptitudo hanc irregularitatem inducat, & incapacem reddat Beneficij requiritur quod vitium hoc corporis ſit tale quod ſcandalum generet in celebrante, vel in actu ſolemniter celebrandi. Ita expreſsè Rota *in vna Romana penſionis die 3. Iunij 1583. coram Seraphino*, citans plures, & tenet Butrius *ad cap. Thomas de corp. vitiat.* vbi Honorius III. dicit quod ille cui deficit vnguis pollicis, ſi eſt capax ad frangendam Hoſtiam non debet impediri ad Ordines ſuſcipiendos, quia, vt notat Gloſſa, *hæc deformitas parua eſt*, & ſic non generat ſcandalum, & non cauſat irregularitatem.

751. Addit tamen Salon. *vbi ſuprà conc. 2.* Nauarr. *conſil.1. de corp. vitiat.* Sayrus *eodem tit. in florib. deciſ.2.* Belletus *diſquiſit. Cleric. part.1. titul. de diſciplin. Cleric. §.7. num. 12.* quod ſi nulla præcedente culpa deficiat pars pollicis itaut huiuſmodi defectus notabilem deformitatem non inducat neque Hoſtiã frangere impediat non inducit irregularitatem quæ eſt ratio Honorij III. *in prafato c. Thom.* Addo ego quod etiam ſi ſit aliqua culpa

752. quia dabat operã rei illicitæ ex qua accidentaliter inductus

inductus fuit hic defectus adhuc non est irregularis. Ita contra Sylvestrum *verb. corpore vitiati n. 3. in fine* tenet Campanili *in diuers. canon. Rubric. 11. cap. 17. num. 112.* quod intellige nisi ipse voluntariè se mutilauerit, quamuis possit Hostiam frangere.

753. Vnde hæc sit generalis regula. Defectus, aut vitium corporis inducens irregularitatem inducentem incapacitatem canonicam est ille qui impedit vsum, & exercitium Ordinis, vel notabilem inducit deformitatem, aut horrorem, qualem inducit nasi amputatio, & similium. Ita colligitur *ex c. 2. de Cleric. ægrotant. & cap. vltim. de corpor. vitiat.* Quæ regula vera est siue huius defectus deformitas causetur ex culpa, siue sine culpa, siue ex causa iusta, siue ex iniusta, siue ex causa naturali, siue ex accidentali. Ita Molina *tract. 2. disp. 70.* Suarez *disp. 50. sect. 2. n. 16.* Reginaldus *in praxi lib. 30. n. 46.* Filliucius *tractat. 19. cap. 6. quæst. 4.* Coninch *de censur. disp. 18. dub. 13. num. 106.* Couarruuias *ad Clement. si furiosus 1. part. cap. 6. §. 2. num. 8.* Et quidem ratio, & æquitas naturalis id exposcit quod ad Ordines non promoueatur, & ab eorum exercitio excludatur, qui vel nequit eos exercere, vel horrorem incutit adstantibus. Huius regulæ adnotationes infra

754. in alia regula generali adducam. Vnde Æthiopes non sunt irregulares, eo quod non inducunt notabilem horrorem. Ita Maiolus *lib. 1. cap. 21.* & iam est in vsu hos ordinari.

Secundo certum est quod ille qui à se aliquod membrum, aut partem notabilem membri voluntariè abscideriť, aut fecerit abscindi est irregularis, & incapax ad Beneficium. Sic determinant Innocentius *Epist. 4. c. 5. ad Felicem Nuzerianum Episcopum*, refertur *cap. qui partem*, vbi ita, *Qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt.*

755. *Cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones præcipiunt, & Clericos fieri, etsi in clero fuerint reperti non abiici, in illis enim voluntas est iudicata, quæ sibi ausa fuit ferrum iniicere: in istis vero casus veniam meruit.* Idem statuitur de his qui se voluntariè castrauerunt in Concil. Arelat. 2. *c. 7.* & in Canon. Apost. *can. 22. & 23.* quos confirmauit Concilium Ni-

756. cænum *cap. 1.* Si tamen à Medicis, aut à Barbaris abscindantur virilia, aut digitus (dummodo non sit index, aut pollex vtriusque manus) non est irregularis *cap. si quis à Medicis 7. & cap. lator. 11. dist. 55.* An vero si quis monstruosè habeat aliquod membrum superfluum, & Medici, & Chirurgi iudicant posse sine periculo vitæ, & sine deformitate abscindi iudico quod non maneat irregularis, *cap. aut si quis eadem dist. 55.* loquitur de membris necessariis, non de superfluis, & quando est periculum in abscissione.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm aliquis possit licitè consentire se abscindi?

SVMMARIVM.

757 *Pater an possit filium castrare vt conseruet vocis suauitatem ad inseruiendum Ecclesiæ? & num. seqq.*

775 *Castrans se voluntariè ad vocis suauitatis conseruationem, est irregularis, & numero 776.*

777 *Si tamen quis non culpa sua, sed iusta ex causa ad euitandam infirmitatem, vel à Barbaris abscindatur non sit irregularis.*

SEd nunquid possit Pater filium abscindere, 757
hoc est, castrare, vt conseruet vocis suauitatem ad inseruiendum Ecclesiæ? affirmant Salon. *vbi suprà vers. hinc sequitur.* Pasqualigus *decis. 498. per totam*, negant omnes antiqui quos refert *num. 1.* & alij quos citat Diana *part. 3. tractat. 5. resol. 38. & part. 6. tract. 8. resol. 36.* quod ita certum existimo vt contrarium existimem practicè improbabile. Quare sententiam Pasqualigi latè impugnant Adam Tanner. 2. 2. *disput. 4.* 758
quæst. 8. dub. 5. num. 101. Cardinalis Lugo *de iust. & iur. disput. 10. sect. 1. num. 23.* dicens sententiam negatiuam esse omnino veram. Belletus *vbi suprà §. 7. num. 12.* Barbosa *in Collectan. ad cap. si quis abscideriť 55. distinct. num. 1. vers. iam eamdem* Lezana *tom. 3. qq. regul. verb. Homicidium num. 4. & verb. irregularitas num. 75.* Bonacina *de censur. disput. 7. quæst. 2. punct. 2. num. 34.* Layman *lib. 3. Theolog. Moral. tract. 3. part. 3. cap. 1. à num. 1.* Megala *tom. 2. promptuar. verb. Eunuchus* P. Thesaurus *in praxi part. 2. verb. membrorum mutilatio cap. 1. §. amplia 2.*

Huius sententiæ negatiua fundamenta valde 759
efficacia, sunt practicè, & prudenter insolubilia. Primum sumitur ex Sacrorum Canonum, & Conciliorum determinationibus contra quosdam qui in primitiua Ecclesia se abscindebant, & castrabantur intelligentes ad litteram illud Christi *Matth. 19. Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum.* Quæ verba sic intellexit Origenes vt liberius fœminis intra domos Euangelium prædicaret sine periculo incontinentiæ. Quæ sententia adeo creuit, vt Augustinus *lib. de hæresib. ad Quod-vult-Deum, cap. 37.* dicat: *Fuerunt quidam nominati Valesij qui non solum seipsos, sed etiam quos hospitio recipiebant castrabant, credentes sic se Deo debere seruire.* Contra quam Hæresim latè disputant Basilius *lib. de Virginit. circ. fin.* Chrysostom. *hom. 63. in Matth.* Augustinus *lib. 6. contra Iulianum cap. 5.* & sic passim reprehenditur Origenes, contra quem Baronius *tom. 2. Annal. ad ann. Domini 208.* Et 760
contra huiusmodi erroneam sententiam Concilia determinarunt, quod qui se castrat, aut voluntariè permittit castrari est sui homicida, nisi id faciat ad euitandum maius damnum totius corporis de Medicorum consilio *cap. si quis à Medicis 55. distinct.* Vnde *Canon. 22. & 23.* Apostol. dicitur: *Si quis abscidit semetipsum*, id est, *si quis amputauit sua virilia, non fiat Clericus, quia sui homicida est, & Dei conditoris inimicus. Si quis cum Clericus fuerit abscideriť semetipsum omnino damnetur, quia sui est homicida.* id est, vt notat ibi Glossa, *non quod homicida tunc sit factus, sed propter homicidij periculum, quod sequi poterat sectionem dicitur homicida; non enim considerandum est quid eueniat, sed quid proximè euenire possit*; est enim testiculorum abscissio in homine sano proximum mortis periculum, multo magis quam sciffio viæ ad extrahendum lapidem vesicæ. Quare si, vt ait Pasqualig. quando est periculũ vitæ non est licitũ se castrare,

761

cum

cum ſemper id periculum adſit ex natura rei, maximè in iuuenibus ſemper erit illicitum. Tum
762. etiam quia Canon Apoſtolicus non ſolum damnat euirationem per abſciſſionem, *quia ſui eſt homicida*, ſed etiam *quia Dei conditionis eſt inimicus*, hoc eſt, aduerſatur voluntariè rei quam Deus condidit, quam ſub eius dominio non reliquit. Quæ ratio demõſtratiua eſt (vt iam explico) & sẽper vrget in omni caſu, in quo non eſt hæc abſciſſio medium ad conſeruationem totius viuentis.

763. Secundum fundamentum eſt, quia bonum ſpirituale animæ multo maioris conſiderationis eſt quam vocis conſeruatio ad vtilitatem, & commodum ſuſtentationis vitæ, & ad inſeruiendum Eccleſiæ in cantu, & vt reddatur honorabilis apud Principes propter vocis ſuauitatem; hæc enim omnia ad corpus pertinent, bonum autem ſpirituale ad gratiæ incrementum: ergo ſi propter bona, & commoditates extrinſecas corporis licitum eſt ſeipſum caſtrare, multo magis propter bona ſpiritualia animæ: at hoc non licet vt clarè decernitur *cap. meritum* 33. *diſt. & cap. Hi qui ſe* 55. *diſtinct.* ergo nec illud licitum erit, aliàs ſi propter lucrum, & commoditatem temporalem licet patri filium abſcindere, & ipſe filius licitè poteſt conſentire, ſequeretur quod vt quis admitteretur in Regio Palatio in quo ex reſcripto Regis non poſſint interius aſſiſtere, niſi Eunuchi,
764. vt habent multi Reges Aſiæ, & Orientis, licitum eſſet ſe caſtrari, vt hunc honorem conſequeretur. Rurſus ſi quis alteri magnam pecuniæ ſummam promitteret, licitum eſſet ſe abſcindere, quod concedere abſurdiſſimum eſt, & dignum grauiſſima cenſura. Quare nunquam licitum eſt ſe caſtrare, niſi in ordine ad ſuſtentationem vitæ ſit medium ſimpliciter neceſſarium extrema neceſſitate, ita vt fame pereat ſi illud non exequatur, vt optimè adnotat Cardinal. Lugo, ſicut licet membrum abſcindere ad euadendam mortem à Tyranno infligendam, vel ad tuendam corporis ſanitatem de medicorum conſilio, vel ad euadendam infirmitatem incurabilem, *cap. ex parte de corp. vitiatis*, ſemper enim licita eſt abſciſſio
765. quando ordinatur ad totum corpus ſeruandum, membra enim ſunt propter bonum totius, & hoc eſt maius bonum quod attendi debet, non extrinſeca bona fortunæ, etiam ſi ſit maximus honor, aut magna proximi vtilitas etiam ſpiritualis, ad quam non eſt medium proportionatum membri cuiuſlibet abſciſſio, aut mutilatio.

766. Tertiò fundamentum eſt. Quia membri cuiuſlibet abſciſſio eſt intrinſecè mala, & prohibita iure naturali: ergo non licet: Sicut nec licet ſui occiſio, ad idem enim præceptum quintum Decalogi vtrumque pertinet vt optimè Caſtro *de hæreſib. verb. Eunuchus.* Card. Lugo *vbi ſup n.* 21. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 1. vbi Caietan. & omnes expoſitores. Sicut enim nemo poteſt ſeipſum occidere, quia non eſt dominus ſuæ, vitæ, & ſic occiſio ſui eſt intrinſecè mala, ita cum non ſit dominus ſuorum membrorum, vt dicitur *l. liber homo* 9. *D. ad leg. Aquiliam.* & ibi Gothifredus *littera D.* & latè probat Fagundez *lib.* 5. *ad* 5. *Decalog. præcept. cap.* 13. *num.* 1. concludens multis citatis quod ſi quis ſe abſcindat amputans membrum, aut ſine rationabili cauſa permittat abſciſſionem, eſt ipſo facto excommunicatus ſi ſit
767. Clericus ex Canon. *Si quis ſuadente.* Vnde non poteſt illius abſciſſionem, aut mutilationem, facere, aut non ſentire, & hic eſt verus intelle-

ctus canonis Apoſtolorum, vbi dicitur quod ſe caſtrans *eſt ſui homicida*, id eſt, habet malitiam contra quintum præceptum *non occides*, quæ eſt homicidij malitia.

Ad hoc fundamentum reſpondet Paſqualigus 768.
num. 4. negando quod abſciſſio membri ſit intrinſecè mala, aliàs nunquam eſſet licita, etiam in extrema neceſſitate pro ſaluanda vita totius, ſicut quia mendacium eſt intrinſecè malum nunquam eſt licitum, etiam pro ſaluanda vita alicuius *cap. ſuper eo de vſuris.* Et ſic cum aliquando ſit licita mutilatio *c. Eunuchus cap. ſi quis à Medicis* 55. *diſt.* hæc non eſt intrinſecè, & ex obiecto mala. Verum Paſqualigius malè theologizauit, quia aliàs neque homicidium non eſſet ex obiecto malum, neque furtum, quod Catholicè negari abſolutè nequit. Probatur ſequela, quia aliquando licet hominem occidere cum eſt medium ad effugiendam mortem, & eſt aggreſſor iniuſtus. Deinde dum quis eſt in vrgentiſſima neceſ- 769.
ſitate, licet rem alienam clam furripere: ergo ſi ex eo quod in neceſſitate ſaluandi vitam, & ſalutem corporis licitum eſt ſe caſtrare, aut mutilare colligit hic Doctor (aliàs valde eruditus) quod mutilatio non eſt intrinſecè, & ex obiecto mala, neque homicidium, aut furtum mala eſſent intrinſecè, & ex obiecto. Quod dici nequit, quia cum ſint præcepta naturalia eorum obiecta ſunt contra naturam rationalem, atque ita intrinſecè mala.

Secundò, quia horum præceptorum obiecta vt 770.
ſunt ipſis prohibita non conſiderantur ſecundum eſſe phyſicum naturale quatenus ſunt vitæ ablatio, & rei alienæ contrectatio phyſica, hoc enim modo denudata non ſunt prohibita lege naturali, vt eſt omnibus in confeſſo, aliàs non eſſet licitum poteſtati publicæ malefactorem occidere, quod eſt error in fide. Conſiderantur ergo huiuſmodi obiecta cum illis circunſtantiis cum quibus ſunt prohibita, vt ſint homicidium voluntarium propria authoritate factum, & non in ſui defenſionem, & furtum quod ſit ablatio rei alienæ rationabiliter inuito domino: hæc enim ſunt horum præceptorum obiecta, & ſic illorum contrauentiones ſunt ex obiecto malæ, & ab intrinſeco. Et eodem modo eſt abſciſſio membri, aut muti- 771.
latio intrinſecè, & ex obiecto mala, quando ſcilicet non ordinatur in bonum totius ſuppoſiti, hoc eſt, ad illius conſeruationem, & ſanitatem; membra enim ſunt propter bonum totius. Quare ſi non interueniat bonum intrinſecum huius, illa abſcindere eſt intrinſecè malum; ſicut occidere malefactorem qui eſt Reipublicæ membrum politicum, nunquam licet et Reipublicæ niſi eſſet neceſſarium ad eius bonum commune, & pacem publicam conſeruandam.

Tertiò, quia licet vox, hoc eſt, loquela ſit res 772.
maxime neceſſaria homini ad ſuos conceptus exprimendos, & ad humanum conuictum, & ſic ſi eſſet nec eſſarium alicuius membri abſciſſio (quod non credo) vt homo non euaderet mutus, poſſet ita fieri, quia ordinatur ad bonum intrinſecum totius. Cæterum ad conſeruandam vocis ſuauitatem in cantu ad placendum Principibus, & ad canendum cantu figurato in Eccleſia, abſurdum eſt omnino dicere quod poſſit quis ſe caſtrare, cum bonum hoc ſuauitatis vocis non ſit neceſſarium ad totius naturalis conſeruationem, aut ad ſanitatem tuendam: cætera autem bona inde conſecuta prorſus extrinſeca

sunt, & insufficientia ad auferendam malitiam intrinsecam quinti præcepti, quæ reperitur in abscissione genitalium, vel alterius membri, cum hoc non possit facere quis nisi rationabili
773. causa, quæ magis ponderet quam obseruatio præcepti: atqui conseruatio suauitatis vocis ob bona illa extrinseca non potest sic esse rationabilis cum conseruatio membri à Deo sit præcepta, & eius abscissio prohibita, vt rationi naturali contraria, cui non præponderant motiua illa extrinseca.

774. Exemplum autem quod adducit Pasqualigus de mendacio nullius efficaciæ est; solum enim probat quod mentiri ita est intrinsecè malum quod nulla circunstantia occurrente possit licitè fieri. Non tamen probat quod abscissio membri non sit ab intrinseco mala, vt est prohibita iure naturæ; quamuis quando adest aliud præceptum maius, vt est conseruatio totius, & eius sanitas non obliget præceptum de non se abscindendo.

775. Ex dictis infertur quod castrans se voluntariè ad vocis suauitatis conseruationem est irregularis, quia abscidit à se membrum. Ita constat ex iuribus citatis *ex* 55. *distinct.* atque ita vt ordinetur maioribus Ordinibus, & habeat Beneficium curatum indiget dispensatione Pontificia si est publicum quod ipse se abscidit. Si tamen ita occultum est vt probari non possit existimo
776. quod possit dispensari ab Episcopo, sicut in aliis irregularitatibus occultis iuxta priuilegium Episcopis concessum à Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. Ablata autem irregularitate fit capax ad quodcumque Beneficium. Quamuis tamen vt hæc irregularitas non possit dispensari ab Episcopo, requiratur publicitas, vel notorietas culpæ, non tamen requiritur vt incurratur (quidquid dicant Valentia, & Auila *dub.* 1. *vbi suprà*) nam iura citata, & *cap.* 1. *&* 2. *de corp. vitiatis* non fundantur in culpæ notorietate, sed in excessu, & sæuitia, quam quis in se exercuit, itaut sui homicida dicatur. Ita Molina *disput.* 30. *citat. num.* 16. & antea idem dixerat *disp.* 67. *num.* 8. Toletus *in summ. cap.* 63. *regul. vlt.* & tenet Glossa *in cap. exposuisti de corpore vitiatis, verb. tacuerit.* Et est casus decisus ibidem ab Innocentio III.

777. Si tamen quis non culpa sua, sed iusta ex causa ad euitandam infirmitatem, vel à Barbaris, aut inimico abscindatur non fit irregularis, & absque dispensatione potest Ordinari, & habere Beneficium, etiam curatum. Ita iuribus citatis *ex* 55. *distinct* & definiuit Innocentius III. *cap. ex parte de corpor. vitiat.* & Glossa *ibi, & in cap. Thomas eodem verb. deformitatem.* Quare si ab aliquo absque culpa sua deficiat aliquod membrum cuius defectus non causet notabilem deformitatem, aut impedimentum ad celebrandum non fit irregularis. Quod egregiè explicuit Rota *in decis. Seraphini suprà citata*, & tenent Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. §. 1. Sayrus *in Claui lib.* 7. *cap.* 9. *à num.* 34. non est tamen necessarium vt sic sectus virilia secum portet sicca, vel ad
778. puluerem redacta. Ita Glossa 1. *in cap. Eunuchus* 55. *distinct.* Toletus *vbi suprà num.* 4. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 200. Auila *vbi suprà dub.* 1. *vers. sequitur* 3. Viualdus *in candelab. de irregularit. num.* 181. Vulgus enim ignoranter contrarium dicit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm si quis abscindatur dando operam rei illicitæ fiat irregularis?

SVMMARIVM.

779 *An si quis dando operam rei illicitæ fuit causa quod ab eo membrum abscindatur, fiat irregularis? & numer. seqq.*

791 *P. Vasquez Doctrina circa propositum reprobatur.*

795 *Inferuntur quædam corollaria scitu digna & numer.* 797. 799.

779. SEd dubium est, an si quis dando operam rei illicitæ fuit causa, & occasio quod ab eo membrum abscindatur fiat irregularis? Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 20. *&* 21. aliis citatis dicit quod si quis dans operam rei illicitæ fuit causa, aut occasio quod abscindatur membrum, si prius adhibuit diligentiam sufficientem ne abscinderetur, non fieri irregularem. Ratio est, quia hæc irregularitas incurritur ob malitiam contra quintum Decalogi præceptum, quia quis sui est homicida, neque contra se committat sæuitiam; atqui adhibita sufficienti diligentia ne sequatur abscissio, quamuis de facto sequatur non committitur peccatum, ergo neque incurritur irregularitas. Secundò, quia nulla irregularitas incurritur nisi sit ius expressum illam inducens; atqui nullus est textus quo inducitur irregularitas propter casualem abscissionem membri: ergo.

780. Sed ego existimo quod si quis dat operam rei illicitæ ex se periculosæ, & tendenti ad abscissionem membri, aut occisionem, quod si sequatur abscissio membri dubio procul est irregularis. Ita Toletus *in summ. lib.* 1. *cap.* 82. *à n.* 3. vbi egregiè id explicat pluribus exemplis. Caietanus 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 9. Cornejo 3. *part. tract.* 5. *de irregular. disp.* 5. *dub.* 2. *conc.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 3. *punct.* 3. *& tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 3. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 21. *dub.* 23. Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 3. *sect.* 1. *dub.* 1. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disput.* 32. *num.* 25. Corduba *lib.* 2. *quæstionar. quæst.* 26. §. *his præmissis & §. secunda pars.* Sotus *de iust. lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 9. *conc.* 3. Sayrus *lib.* 7. *de censur. cap.* 5. *num.* 12. est expressa D. Th. 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 8. *in corp. &* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. & in Addition. *quæst.* 41. *art.* 4. *ad* 3. tenet Suarez *tom. de censur. disput.* 45. *sect.* 6. Bonacina *de censur. in communi, disputat.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 7. *num.* 9. *vers. secunda limitatio.* Garcia *de Beneficiis part.* 7. *cap.* 12. *à num.* 10. Molina *tractat.* 3. *disp.* 77.

781. Hi enim omnes, & plures alij conueniunt in hoc quod est in iure mihi manifestum, quod quando res cui opera datur est ita illicita quod periculum inducat ad homicidium, aut mutilationem, quorum vnum, aut alterum ordinariè sequitur, si reipsa sequitur, irregularitas consequitur, aut quando prohibitum est alicui ne rei illicitæ operam det propter periculum homicidij, aut mutilationis, si alterum sequatur, irregularis manet, quia est præsumptio iuris, & à iure quod tale homicidium, aut mutilatio fuit voluntarium, & reipsa est voluntarium,

luntarium saltem indirectè, & habet actio malitiam contra quintum Decalogi præceptum. Quare si actus exterior propter quem inducitur irregulares sequatur, dubio procul irregularis efficitur.

782. Probatur primò, quia quando opus prohibetur quia periculosum, eo ipso quod velit opus exercere, indirectè vult effectum secutum *iuxta regul. 6. de reg. iur. in 6. qui dat causam damni, damnum dedisse videtur*, quando scilicet est causa proxima damni ex qua vt in plurimum damnum sequitur, & sic quotcumque quis adhibeat quamcumque diligentiam, si ab opere prohibito propter periculum non se abstineat, sed illud exequitur, semper præsumitur à iure quod velit effectum secutum, & quod voluit periculum proximum homicidij, aut mutilationis, & sic semper ista præsumitur præsumptione iuris, & à iure quod sint indirectè voluntaria, etsi sequantur incurritur irregularitas.

783. Secundò probatur manifestè *ex cap. de Presbytero. de corp. vitiat.* Vbi Alexander III. dicit: *quod Presbyter qui obtulit duellum, & ablatum acceptauit in quo partem digiti amisit esse irregularis. Quod si non perdiderit tantum de digito quin sine scandalo possit celebrare potest Episcopus in hac irregularitate dispensare.* Et addit Glossa *ibi* singularis, *verb. suscepit.* quod qui duellum suscepit licet impunè possit occidere, non tamen habet affectum, vel propositum occidendi, sed ius suum defendendi non repellitur ab officio suo, vel quod hic dicitur est dispensatio, ita tamen quod homicidium aut truncatio non sequatur, quia tunc dispensare non potest, vt expressè determinat Alexander idem III. *cap. Porrò.* de Clericis pugnantib. duell. & hoc non ex alio nisi quia dat operam rei illicitæ prohibitæ propter periculum homicidij, aut truncationis. Vnde si ista sequatur quamuis quis omnem possibilem humanam diligentiam adhibuerit irregularis manet, quia eo ipso quod ad duellum exiit, & ab illo non abstinuit censetur voluntarium in sua causa homicidium, aut abscissio.

784.

785. Tertiò, est textus expressus *in cap. is qui de homicidio in 6.* vbi Bonifacius VIII. dicit: *Qui mandauit aliquem verberare, licet expressè inhibeat ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat.* Cuius determinationis fundamentum posuit, *quia*, inquit, *cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuerit cogitare.* Vbi Glossa *verb. culpa* dicit: *istud est regulare quod vbi culpa præcessit quis teneatur de casu cap. vt sicut el secundo. de Homicid. in Decretal.* vbi id determinat Innocentius III. si enim mandatum non reuocauit tenetur cogitare talem effectum posse prouenire ex verberatione, & sic volens verberationem vult implicitè, & indirectè homicidium, aut mutilationem, & sic si sequatur irregularis efficitur: secus tamen esset si quis mandaret aliquem baculo verberari eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, & occiderit. Ita declarauit Sacra Congregatio Concil. *die 2. Septemb.* 1604. quam refert Barbosa *in summ. Bullarum verbo irregularitas num. 1.*

786.

Quartò, etiam est textus expressus in *cap. tua nos de homicidio.* Vbi Innocent. III. dicit quod quidam Monachus strumam aperuit mulieri ex quo mortua est, quia male se à ventis custodiuit. Iste talis irregularis est, *Quia licet esset peritus in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit quam debuit diligentiam adhibere, post condignam satisfactionem, cum eo misericorditer agi possit vt diuina valeat celebrare, alioquin* (id est si non erat peritus, & non adhibuerit diligentiam quam debuit, aut ex cupiditate fecit) ait Glossa, *interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore.* Quare corruit solutio Lessij *lib 2. de iust. c. 9. n. 105.* asserentis Monachum istum non adhibuisse sufficientem diligentiam. Cum oppositum expressè dicat text. Quare Pontifex ideo declarat ipsum irregularem, *Quia Monachus multum deliquit alienum officium vsurpando, quod sibi minimè congruebat*; Clericus enim in maioribus constitutus est prohibitus mederi abscindendo, vel adurendo *cap. sententiam sanguinis ne Clericor. vel Monachor.* vbi id prohibet Innocentius III. Et sic irregularis declaratur Monachus iste, quia dabat operam rei illicitæ sibi prohibitæ, & ita in illa fuit volitus effectus, quamuis peritus fuerit, & omnem debitam in arte adhibuit diligentiam; semper enim quod ab arte sibi prohibita propter periculum homicidij, aut mutilationis non abstinuit, non fecit quod debuit facere, & semper præsumitur præsumptione iuris, & à iure, quod homicidium, aut mutilationem secutam voluerit. Quare Chirurgus laicus qui vrendo, vel scindendo omnem adhibuit diligentiam ad sanandum, quamuis sequatur mutilatio non fit irregularis, quia non dat operam rei sibi prohibitæ, & non deest lenitas vel mansuetudo si abscindatur pars vt totum seruetur. Ita Nauarrus *cap. 27. summ. num. 209.* Sylvester *verb. Homicidium 3. num 3.* Suarez *disputat. 47. de censur. sect. 2. numero 2.* Qui addunt idem dicendum si mors sequatur, quamuis illi sit prohibita curatio in pœnam alicuius criminis, non tamen ob periculum homicidij, aut mutilationis. Ita Cornejo *vbi suprà §. infertur tertio.* & Bonacina *citatus.*

787.

788.

789.

790.

Ex quo colligitur inutilem esse doctrinam quam tradit Vasquez *1. 2. disput. 129. num. 5.* vbi dicit verum esse quod Pontifices sæpius excusant ab irregularitate, quia non dabat operam rei illicitæ *cap. dilectus cap. significasti el primero cap. Ioannes cap. quidam de Homicidio.* tamen nunquam reperitur in iure Canonico affirmans propositio, quod qui da operam rei illicitæ si sequatur homicidium, aut mutilatio sit irregularis. Sed fallitur Vasquez, quia in iure canonico dupliciter excusant Pontifices ab irregularitate ex homicidio secuto, aut affirmando quod quis dabat operam rei illicitæ, vt *cap. Ioannes.* dabat vt operam rei illicitæ, vt *Capite dilectus & Cap. Quidam.* citatis, aut dicendo quod non *citato.* Et hoc modo dubio procul Pontifex excludit causam adæquatam qua quis fit irregularis ex homicidio, aut mutilatione secutis, quamuis ipsum non intenderit. Vt enim ibi dicit Glossa *verb. nec dedit operam rei illicitæ, quod si esset imputaretur, vt planè dictum est cap. sicut §. hi quoque eodem.* Sicut enim *negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis.*

791.

792.

Secundò, fallitur Vasquez, quia in iure Canonico est expressum quod dans operam rei illicitæ, si sequatur mors, aut mutilatio incurritur irregularitas. Ita *in cap. tua nos. & in cap. sicut §. Hi quoque* vt legenti constabit, & tenent Couarruu.

793.

in Clement. si furiosus part.2. §.2. num.2. Suarez *de censur. disp.44. sect. 3. num. 31.* Maiolus *lib.5. cap.48. §.4. num.1.* Auila *part.7. disput. 6. sect.3. dub.3. concluſ.1.* Sayrus *lib.7. cap.2. num.7. cap.4. num.11.* Reginaldus *in Prax. lib. 30. num. 114.* Belletus *vbi ſuprà §.5. num.22.*

794. Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum quod eo ipſo quod quis dat operam rei illicitæ ſibi prohibitæ ob periculum homicidij, aut mutilationis, ſi ab opere non deſiſtat, habet malitiam homicidij, & ſic eſt irregularis ſi ſequatur effectus. Ad ſecundum reſpondetur quod in ſpecie huius dubij non eſt mutilatio, aut homicidium caſuale, ſed voluntarium in cauſa.

795. Ex dicta Reſolutione plura poſſemus inferre Corollaria ſcitu digna: ne tamen longius diuagemur, duo, vel tria ſolum deducam; cætera enim apud Doctores citatos videri poſſunt. Igitur infertur Primò, quod ſi quis ſciens, & videns accedat ad mulierem morbo gallico laborantem, ex quo acceſſu conſecuta fuit membri genitalis abſciſſio efficitur irregularis. Ita Emmanuel Rodrig. *tom.1. ſumm. cap.158. n. 7.* quidquid dicant Couarruuias *vbi ſuprà §.4. num 9.* Ludouicus Lopez *cap.27.* Ratio eſt, quia ſciens, & videns accedit ad contagium, ex quo ex natura rei ſequitur infectio, & membri canceratio, quæ ne creſcat neceſſario abſcindendum eſt membrum, vnde cum illius non ſit dominus, ſi talis canceratio ſequatur cum det operam rei illicitæ ordinatæ ad abſciſſionem dubio procul irregularis efficitur, ex
796. omnibus ferè textibus citatis. *Et cap. Thomas de corp. vitiatis*, quantumuis omnem adhibuerit diligentiam. Et ſic exercens opus illicitum cum tali muliere non ſolum peccauit contra caſtitatem, ſed contra iuſtitiam, ſe exponens periculo manifeſto abſciſſionis eius quod ſuum non eſt, ſcilicet membrum, vt ſupra dicebam, & ſic efficitur irregularis abſciſſione ſecuta, & incapax Beneficij ſine diſpenſatione ſaltem Epiſcopi, ſi non ſit notoria abſciſſio.

797. Colligitur ſecundò, quod ſi quis accedat ad vxoratam, aut ad Virginem, facta ſufficienti diligentia ad euitandum periculum mortis, aut abſciſſionem propriam, vel alienam, & accidit quod accedens maritus, aut Pater, & conſanguinei ipſum mutilarunt, aut fœminas occiderunt, non manet irregularis. Ita Toletus & Bonacina *vbi ſuprà*, & tenet Garcia *num.12. & 14.* Ratio eſt, quia adulterium vel ſtuprum non inducunt periculum proximum mortis, aut mutilationis, quæ per accidens ſequuntur, & ita quamuis adulter det operam rei illicitæ, etiamſi ſequatur homicidium vxoris, aut mutilatio propria, non efficitur irregularis: ſecus vero ſi negligens negligentia quæ mortale peccatum fuerit. Ita Diana *vbi ſuprà reſolut. 21.* & Authores citati, præcipuè Card. Toletus.

798. Neque obſtat dicunt Nauarrus *in ſumm. cap. 27. num. 198.* Hoſtienſis, & alij ab eo citati, quos ſequitur Suarez *diſp.51. ſect.2. num.8.* dicens *hanc ſententiam eſſe ſecuriorem*, quod ſi quis ſua culpa mutiletur, etiam ſi membrum ſit occultum, vt ſi quis in pœnam delicti eunuchus fiat aut ſi inuentus cum adultera idem patiatur à marito, maneat irregularis, nam, inquit, in his irregularitatibus indirecta voluntas æquiparatur directo affectui. Hoc, inquam, non obſtat, quia facta ſufficienti diligentia, cum hi effectus non ſequantur per ſe ad illas cauſas non qui vult iſtas conſequitur quod indirectè velit effectus, & omnia iura quæ loquuntur de abſcindente ſe, manifeſtè loquuntur de voluntate directa, vel exequente, vel permittente, vt legenti conſtabit.

Colligitur tertiò, quod ſi quis teneatur ex iu- 799.
ſtitia aliquem defendere, vt faciendo quod in ſe eſt ipſum liberet à morte, & mutilatione membri, ſi ex eius omiſſione mortali ſequatur homicidium, aut mutilatio, fit irregularis, & incapax ad ordines, & ad Beneficia, ſine diſpenſatione. Conſtat hoc ex pluribus iuribus quibus dicitur quod qui poteſt hominē liberare à morte, & mutilatione, ſi tenetur liberare, & non liberat, homicida eſt. *cap. non inferenda*, quod eſt Ambroſij *lib.1. de offic. cap. 36.* & Gloſſa *ibi verb. ſi poteſt. & cap. oſtendit.* quod eſt Auguſt. *in Pſal.81.* 800.
& Gloſſa ibi 23. *quæſt.3.* vbi habetur: *qui deſinit obuiare cum poſſit, conſentit.* Et ratio eſt clara. Quia ſi quis tenetur ex iuſtitia alium defendere ſi non defendit eum poſſit conſentit in homicidium, & reuera eſt homicida realis, cum priuet eum quem defendere tenetur re ſua neceſſaria ad defenſionem non minus ac ſi priuaret illum propriis armis defenſiuis, quibus mortem vitaret, & ſic moraliter influit in homicidium exterius executum. Ita Sayrus *lib. 7. de cenſur. cap.4. n.3.*
vnde fit quod Medicus publico, vel particulari 801.
ſtipendio ad curandum conductus, ſimiliter aduocatus, & procurator conducti, & illi qui cuſtodiam viarum ſtipendio aſſumpſere, Rex, & Gubernator, & ſimiles Miniſtri conducti à Republica ad conſeruandam, & defendendam ſunt irregulares, ſi omiſſione mortali aliquis mutiletur, aut moriatur, quia hi omnes tenentur ex iuſtitia, & contractu curare infirmum, & defendere à morte, vel mutilatione illum quem defendendum ſuſceperunt.

§. XIII.

Vniuerſalis Regula circa corpore vitiatos, qualiter poſſint obtinere, vel non obtinere Beneficia.

SVMMARIVM.

802 *Regula vniuerſalis: quicumque irregularis diſpenſatus ad Ordines, vel ad exercitium eorumdem, eſt diſpenſatus ad obtinenda quæcumque Beneficia, & numeris ſeqq.*

Fundamentum huius Regulæ, num.802.

809 *Ampliationes Regulæ.*

Sit igitur vniuerſalis Regula quod quicumque 802.
irregularis diſpenſatus ad Ordines ſacros recipiendos, vel ad exercitium eorumdem iam receptorum, abſque aliqua alia diſpenſatione eſt diſpenſatus ad obtinenda quæcumque Beneficia ſiue ſimplicia ſint, ſiue curam animarum habentia, ſiue dignitates maiores in quacumque Eccleſia, etiam Cathedrali, ſiue ad vſum licitum iuriſdictionis quo aliquando ipſo facto priuatur irregularis, aliquibus caſibus exceptis de quibus infra in limitationibus. Fundamentum regulæ eſt quia irregularitas definitur: *Quod ſit impedimentum canonicum quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines promoueri per ſe, & directè prohibetur.*

Quæ

Quę definitio recepta eſt apud omnes tam Theologos, quam Canoniſtas, vt videre eſt in Suarez *de cenſur. diſp. 40. ſect. 1.* Sayro *lib. 6. cap. 1.* Molina *tract. 3. diſp. 63.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 9. punct. 1.*
803. Bonacina *diſp. 7. q. 1. punct. 1. num. 1.* Quare cum omne Beneficium debeat dari alicui qui ſit aliquo ordine inſignitus ſaltem prima tonſura, & ad iſtam etiam ſit incapax irregularis qui omnino ab eccleſiaſtico ordine eſt excluſus (vt tenent Suarez *diſp. 42. ſect. 2. num. 2.* & Bonacina *diſp. 7. de irregular. q. 1. punct. 4. num. 4. in fine.* Filliucius *tract. 19. num. 60.* Et infra attingam) vel ab exercitio ordinum iam receptorum, ſit quod ſicut carentia cuiuſcumque irregularitatis eſt capacitas ad recipiendum aliquem fidelem ad ſtatum eccleſiaſticum, vel ad exercitiũ miniſterij ordinis iam recepti, ita quæcumque irregularitas facit ſubiectum incapax ſicut ordinis eccleſiaſtici, ita cuiuſcum-
804. que Beneficij: ergo à contrario ablata omni irregularitate per diſpenſationem fit homo capax cuiuſcumque Beneficij, quia ſicut poſita cauſa ponitur effectus, ita ablata cauſa, aufertur effectus. Quod axioma iuris latè, & eruditè enucleat ad propoſitum Barboſa *de Axiomat. iur. axiom. 40.* Tiraquellus *in ſpecial. tract. ceſſante cauſa ceſſat effectus.* Ancharranus *conſ. 47 num. 4.* dicens quod eſt Regula generalis *in legibus, contractibus, & aliis diſpoſitionibus ſiue à iure, ſiue ab homine quod ceſſante cauſa finali ceſſat effectus.*

Vnde notat Cardinalis Tuſchus *tom. 1. litt. C.*
805. *conc. 202. num. 7.* quod quarta Epiſcopi quæ debetur ratione iuriſdictionis, ceſſante iuriſdictione ceſſat quarta & *num. 14.* dicit quod ceſſante cauſa impedimenti ceſſat & ipſum impedimentum: cum ergo cauſa impedimenti ad Beneficia ſit impedimentum ad ordines, & eorum exercitium quod eſt irregularitas, ſi iſta ceſſat, ceſſat illud. Vnde Sacra Concilij Congregatio *die 17. Martij 1619.* declarauit quod monoculus diſpenſatus ad ordines poteſt admitti ad concurſum. Quæ declaratio fundatur in doctrina tradita quod incapacitas Beneficij eſt effectus adæquate proueniens ab irregularitate qua ablata per diſpenſationem ad ordines aufertur & ipſe effectus, qui in eſſe, & conſeruari pendet à ſua cauſa.

806. Ratio à priori huius Regulæ eſt, quia beneficium datur propter officium, & ſicut qui inhabilis eſt ad officium, eo ipſo eſt inhabilis ad Beneficium, ita qui habilis eſt ad officium etiam eſt habilis ad Beneficium niſi id expreſsè negetur à iure, vel à conferente habilitatem ad vnum, & expreſsè neget ad aliud.

Ex quo fit quod quando Concilium Trident.
807. *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reformat.* determinat quod *homicida voluntarius, etiam ſi homicidium ſit occultum nullo tempore ad ſacros ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica Beneficia, etiam ſi curam animarum non habeat conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio eccleſiaſtico perpetuo careat,* intelligendum eſt quod homicida voluntarius ſit primo, & per ſe irregularis ad ordines ſuſcipiendos, & ad illorum exercitium ſi ſint recepti, & ad beneficium, & officium eccleſiaſticum habendum, etiam per ſe, ſed ſecundario, hoc eſt, tanquam effectus irregularitatis, qua ablata,
808. etiam ipſe aufertur. Aduerte obiter circa huiuſmodi Decretum, quod licet homicida voluntarius ſit irregularis, & incapax Beneficij cuiuſcumque, tamen ſine diſpenſatione poteſt obtinere penſionem, quantumuis magnam. Sic tenent Suarez *de cenſur. diſp. 44. ſect. 4. num. 39.* & Sà correctus *verb. Homicida num. 21.* & declarauit Sacra Congregatio quam ipſi referunt, & nos etiam ſupra.

§. XIV.

Ampliationes Regulæ.

SVMMARIVM.

809 *Licet quis careat potentia ad videndum in oculo dextro, ſi tamen illũ habeat integrum non manet irregularis: ſecus tamen ſi illum habeat erutum, aut oculus canonis careat lumine viſorio, & n. ſeqq.*

EX dictis colligitur primò, Quod licet quis 809.
careat potentia ad videndum in oculo dextro, ſi tamen illum habeat integrum non manet irregularis: ſecus tamen ſi illum habeat erutum, aut oculus Canonis careat lumine viſorio ad videndum, itaut ſine notabili conuerſione faciei ad populum non poſſit canonem legere, aut in quolibet oculo habeat maculam, ſeu nubem quæ notabilem indicat deformitatem. Ita tenuit Rota *apud Seraphinum deciſ. ſupr. cit.* quam refert ad verbum, & ſequitur Garzia *p. 7. cap. 12. num. 87.* Molina *tract. 3. diſp. 70. num. 5.* Filliucius *tract. 19.*
num. 167. Suarez *diſp. 50. ſect. 2. num. 15.* Addunt 810.
tamen quod eſt irregularis qui habet naſum diſtortum valde, aut labia corroſa, aut abſciſſa, aut naſum corroſum, aut linguam ita impeditam vt verbum integrum vix poſſit pronuntiare. Similiter qui vtraque aure ita eſt ſurdus vt nullatenus poſſit audire, etiam ſi poſſit audire aliquo inſtrumento in aure poſito, qui vſus in Altaris miniſterio valde indecens eſt. Si tamen hic defectus adueniat iam ſacerdos factus, etſi poſſit Miſſam priuatam ſubmiſſe celebrare, non tamen Miſſam ſolemnem, vt notat Reginaldus *lib. 30. cap. 51. n. 50.* 811.
Poterit tamen ad eam celebrandam admitti, ſi vna tantum aure ſurdus ſit. Ita Sayrus *lib. 6. cap. 8. n. 17.* Filliucius *vbi ſupr. n. 169.*

DIFFICVLTAS I.

De ſurdo vtraque aure.

SVMMARIVM.

812 *Surdus vtraque aure an ex vi huius defectus, & vitij corporalis ſit incapax beneficij acquirendi? & n. ſeqq.*
Inferuntur quædam corollaria num. 819. 820. 823. 832. 839.

SEd circa ſurdum vtraque aure qui huiuſmodi 812.
infirmitatem, facto iam Sacerdote, acquiſiuit dubium eſſe poteſt, An ex vi huius defectus, & vitij corporalis ſit incapax beneficij acquirendi? Nullus quem viderim de hoc tractat, cum in facti contingentia mihi caſus occurrerit, nec Diana qui *part. 5. tract. 6.* inſtituit de hoc mentionem fecit, cum ſit dubium multum notabile. Igitur certum eſt qui cæcitatem, aut ſurditatem omnimodam poſt Sacerdotium incurrit lucratur diſtributiones quotidianas, ac ſi præſens eſſet. Ita teſtatur Barboſa *tract. de canon. cap. 24. n. 30.* deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione *die 20. Iulij 1619.* & antea *die 11. Auguſt. 1618.* qui enim ca-

pta poſſeſſione canonicatus,aut Dignitatis,etiam curam animarum habentis factus eſt omnino ſurdus aut cæcus fructus facit ſuos, & diſtributiones quotidianas,etiamſi choro non aſſiſtat. Ita etiam Moneta *de quotidian.diſtribut.quæſt.6.n.16.* Quod
813. probatur, & optime *ex leg. ſi ea.* vbi Imperator Gordianus à muneribus perſonalibus eum qui vtriuſque oculi aciem prorſus amiſerit. Et *ex l. cum auriculari.* vbi Imperatores Diocletianus, & Maximianus excuſant ſurdum. Et iidem Imperatores *in l.Podagræ.* excuſant laborantem hoc morbo, itaut propriis rebus interceſſum commodare non poſſit. *Cod. de his qui morb.ſe excuſ.* qui omnes licet habeant vacationem à Choro,& lucrentur diſtributiones quotidianas, tamen non habent vacationem à Conſilio præſtando in commodum ſuæ communitatis ſiue in Capitulo, ſiue extra,ſiue voce, ſiue ſcripto argument. *ex l.1. D. de poſtulando.*

814. Quare minus bene dixit Sanchez *tom.1.Conſilior.lib.2.cap.2. dub.90.n.7.* quod cæcus, aut ſurdus non excuſatur à reſidentia chori vt lucretur diſtributiones quotidianas, quia, inquit, *Chorus authorizatur huius Canonici præſentia.* In hoc enim minus bene dicit, quia Pontifex *Cap. vnico. de cler. non reſident.* poſtquam dixit quod abſentibus non debentur diſtributiones, excuſat, & excipit eos qui cauſa morbi non adfuerunt; morbus autem eſt cæcitas, & ſurditas omnimoda. Ita Cenedus *lib.1. Practicar.quæſt.1. numer.13.* Riccius *in Praxi aurea. Reſolut.397.* Menochius *de arbitrariis caſu 60.num.14.* & eſt communis ſententia eorum qui de diſtributionibus
815. quotidianis tractant. Et quid obeſt quod chorus careat authoritate Canonici infirmi, & cæci? quod etiam tenet verum etiam ſi huiuſmodi cæcitas, aut ſurditas proptia culpa ſit inducta. Ita Sanchez *vbi ſup.dub.91.* Couarruu.*lib.3.var.c.13. num.* 8. Cenedus etiam *n.* 8. Zerola *part.1.verb. Diſtributiones.§.3.verſ.ſexto.* Barboſa *de Poteſtat. Epiſcop.allegat.53.n.168.*

816. Qui addunt hoc eſſe verum ſi alàis Canonicus ſolitus erat diuinis officiis intereſſe, aliàs ſecus. Quod ego intelligo ſi aliàs nunquam,aut rariſſime intererat; ſi enim aliquoties in anno interſit,etiam ſi culpa ſua fuit factus cæcus,aut mutus,aut ſurdus lucratur in abſentia diſtributiones, quia Sacra Congregatio abſolutè declarauit quod *ſi accepta poſſeſſione factus eſt cæcus,lucratur.* Quæ declaratio cum fauorabilis ſit extendi debet. Quod ſi facta collatione & acceptata, ante poſſeſſionem ſurdus, & cæcus fiat,exiſtimo quod licet fructus Beneficij faciat ſuos, non tamen di-
817. ſtributiones quotidianas quas Sacra Congregatio concedit accepta poſſeſſione,ſine qua non poteſt intereſſe. Si tamen Canonicus aliquis fiat in Eccleſia vbi fit natalium informatio,etiam ſi poſſeſſionem non acceperit, nec in habitu choro interſit, quia tamen ſi interſit in loco determinato extra chorum ad lucrandas diſtributiones quas de facto lucratur, ſi interim dum fiunt informationes cæcus,aut omnino ſurdus fiat poſtea,lucratur illas quia per ipſum non ſtat quominus poſſeſſionem accipiat, & ante ipſam iam incepit lucrare.

Hoc ſuppoſito manet dubium propoſitum, An Sacerdos factus cæcus, aut omnino ſurdus,ſit in-
818. capax Beneficij. Et dico quod eſt incapax vterque Beneficij curati, aut dignitatis curam animarum habentis, quia nec ſurdus, nec cæcus poſſunt exercere officia huius Beneficij, cum cæcus ſit incapax celebrandi,& ſurdus audiendi confeſſiones, & publicè celebrandi. Vterque tamen eſt capax Beneficij ſimplicis quod ſolum expoſcit diuini officij recitationem quam poteſt facere ſurdus, & cæcus ſi Pſalmos memoriter teneat, ita vt ſaltem cum ſocio poſſit ſoluere penſum horarum, alias nec huius Beneficij capax eſt,niſi aliàs ſit diſpenſatus ab onere recitandi, tunc enim capax eſt noui Beneficij.

Colligitur ſecundò,ex præfata Regula vniuerſali iuncta ea quam ſupra poſui,quod carens vtraque aure cartilagine ſua culpa, eſt irregularis, 819.
etiam ſi poſſit defectum occultare capillis. Ita Nauarrus *cap.27. num.199.* Auila *de cenſur.p.3. diſp.3.dub.1.* contra Bonacinam *loco citato num.8.* ſecus tamen ſi non ſua culpa, & defectum poſſit occultare capillis,argum. *ex cap. Si quis à Medicis & cap. Lator & aliis iuribus 55.diſtinctio.* Si tamen qui ſe auriculas abſcidit,diſpenſetur in irregularitate abſque alia diſpenſatione, poteſt ad concurſum admitti, & eſt capax Beneficij.

Colligitur tertiò. Quod ſi quis fœmina repu- 820.
tatus facie, inceſſu, conſuetudine, locutione, &c. temporis ſucceſſu virilia eruperunt latentia aliquandiu ſub fœmineis pudendis, itaut ſexus fœmineus amplius non appareat (& quidem quod ex fœminis mares fiant latè docent Hippocrates *lib.6.Epidemiar.cap.8.* Galenus *lib.de Anatom.&* de facto ſæpius contigiſſe probat latè Torreblanca *in Practic. iur.ſpiritual. lib.5. cap.9. à num.20. vſque ad 24.)* quem caſum occurriſſe, & ad Sacram Pœnitentiariam Romæ delatum teſtantur Suarez *diſp.51.ſect.2.num.2.* Filliucius *tract.19. num.162.* Bonacina etiam dicit fuiſſe de hoc Mediolani conſultum à viro peritiſſimo qui dicebat Hiſpaniæ contigiſſe, & ego addo quod Cordubæ
821. ſucceſſit. Addunt tamen iſtum talem non eſſe irregularem,nec inhabilem ad Beneficia, cum iſte, ait Bonacina, non ſit amplius fœmina, aut Hermaphroditus. Sed ego nulli aſſentior ex his Authoribus, quia ſi ſemel iſte homo vſus eſt fœmineo ſexu ad neceſſitatem vrinæ emittendæ,& paſſus eſt muliebria etiam ſi virilia de nouo erumpant, dubio procul erit androgynus, & hermaphroditus, in quo magis vigent virilia. Vnde dubio procul erit irregularis, vt ipſemet Bonacina tenet *num.13.* & Suarez *num.1.* & Filliucius *num. 163.* qui plures alios citant. Quare niſi à viris peritis iuſſu Pontificis, aut Epiſcopi inſpiciatur & declaretur quod ſexus fœmineus amplius non appareat. Quod ſi ſemel illo vſus fuit ſine miraculo eſt impoſſibile quod claudatur,& occultetur, & ſic ſemper manet irregularis ad ordines,& Beneficia,niſi diſpenſetur à Pontifice ad ordines, ſine qua diſpenſatione admitti non poteſt ad concurſum neque ad profeſſionem ſolemnem in aliqua Religione etiam virorum,teſte Nauarro *conſ.*
822. *47.de irregularit.* quem citat,& ſequitur Bonacina,& de hoc infra latius vbi explicabo qualiter androgynus ſit irregularis, & incapax ad Beneficium.

Colligitur quartò, laborantes morbo caduco, 823.
etſi ſemel illo laborauerint, ſunt irregulares ad ordines *cap.Maritum.diſt.33.* ſed ibi Pontifex ſolum loquitur de illo qui aliquando in furiam verſus inſaniuit, non tamen de illo qui ſemel caduco morbo laborauit, maximè ſi hanc infirmitatem ſemel patiatur, ſine voce etiam confuſa, aut ſine ſpumæ effuſione, vt expreſsè tenet *ibi* Gloſſa

verb.

verb. de His. Sed habere debent *Coadiutores* ad celebrandum propter periculum. Et totum hoc expresse dicitur *in Concil. Toletan. 11. cap. 14. relato in cap. illud 7. quæst. 1.* Similiter non probat quod semel epilepticus sit irregularis ad exercitium ordinum. *Cap. Communiter. eadem distinct.* quod est Pij Papæ qui manifeste loquitur de dæmoniacis, & arreptitiis, imo potius excipit, *qui corporis incommoditatibus dediti, sine huiusmodi passionibus* (spuma, & vocibus) *in terram prolabuntur elisi.* Quare loqui solum de dæmoniacis tenet *ibi* Glossa *verb. qui tamen.*

824.

825. Quare existimo primò, quod semel ordinatus, etiam si raro aliquoties in anno, vt semel in mense patiatur infirmitatem epilepsis potest adiuncto sibi coadiutore Sacerdote ieiuno celebrare. *cap. illud citato, & Cap. nuper 7. quæst. 2.* ita Bonacina *vbi suprà. num. 22.* plures citans. Vt tamen possit sine socio celebrare arbitrio Episcopi qui consultis medicis id iudicabit relinquendum est, vt notat Suarez *disput. 50. sect. 1. num. 5.*

826. Existimo secundò, quod qui semel passus est morbum caducum non est irregularis vt promoueatur ad ordines, & habeat Beneficia, etiam curata potestque admitti ad concursum. Ratio est quia irregularitas non est inducenda, sine textu iuris canon, qui illam inducant; atqui nullus est talis textus, nam *cap. Maritum. loquitur de eo qui aliquando versus est in insaniam cap. Communiter,* loquitur de dæmoniacis, vel de illis qui cum spuma, & vocibus, & horrore in terram cadunt, de quibus potest este rationabile iudicium quod à Dæmone agitentur. Rursus qui semel tantum aut iterum epilepsim passus est, aut capitis vertiginem non est proximum periculum quod iterum incidant, maxime quando sani facti ex medicamento, multum temporis interceßit à quo

827. illam infirmitatem passi sunt. Quod secus contigit si aliquoties in anno id patiantur; si tamen semel aut iterum ordinari possunt, & beneficia obtinere, etiam curata, & ad concursum admitti.

Quod secus est de illo qui aliquo temporis non breui spatio, sed habitualiter vel furiosus est, vel mente captus (de amentibus enim qui à prima ætate ita sunt nati, non est dubium semper irregulares esse, qui ita semper permanent) nec possunt celebrare, nec ad ordines promoueri, etiam si li-

828. berati sint, nisi de approbatione Summi Pontificis. Ita Maiolus *lib. 2. c. 14.* Suarez *disp. 51. dub. 1. n. 5.* Filliucius *tr. 19. n. 184* Reginaldus *lib. 30. tr. 2. n. 37.* Coninch. *disp. 18. n. 107.* Quod sint irregulares non dubito, sed quod indigeant dispensatione, & approbatione Summi Pontificis non assentior cum Tabiena *verb. corpore vitiati. num. 10.* Rosella *eodem.* & D. Antonino *3. part tit. 28. cap. 5. sub finem.* Quos citat, & sequitur Reginaldus *vbi suprà.* male citatus à Bonacina pro se *num. 23. vers. tertiò.* Maiolus *lib. 2. cap. 14.* & sumitur *ex cap. Communiter citato.* argumento manifesto à dæmoniacis ad illum qui versus est in amentiam, vbi remittitur dispensatio, aut declaratio, quod dæmoniacus est totaliter liberatus iudicio

829. Episcopi, qui spatio vnius anni inueniat *an ab incursu dæmonum* sint liberati. Quare idem erit in illo qui in vesaniam est versus, & tamen etsi textus loquatur de illo qui iam est ordinatus quantum ad ordinis exercitium, tamen eadem est ratio quantum ad ordinis promotionem, vtraque enim est vera irregularitas, non tamen est simpliciter perpetua quæ solum reseruatur Summo Pontifici, sed durante causa, scilicet amentia, qua cessante, cessat irregularitas; Episcopus tamen ex consilio medicorum debet approbare sanitatem transacto anno, quo sanus est iudicatus, quo approbante cessat irregularitas tam ad promotionem quam ad vsum ordinum. Quare habilis manet tam ad beneficia obtinenda, quam vt admittatur ad concursum. 830.

Vnde fit quod ad Episcopum pertinet iudicare an defectus corporis talis sit quod inducat irregularitatem, constat *ex cap. 2. de corp. vitiatis*, itaut incapax sit Beneficij, & oppositionis ad concursum Parochialium. Ita Bonacina *vbi suprà. numer. 36.* supposita tamen declaratione Episcopi quod defectus inducat irregularitatem, ab ea solus Summus Pontifex potest dispensare. Addit tamen idem Author quod Prælatus regularis non potest declarare an defectus suorum subditorum inducant irregularitatem. Fallitur tamen, quia 831. Prælatus Regularis eamdem habet in suos subditos, authoritatem, & iurisdictionem ac habent Episcopi in suos subditos, vnde in fauorabilibus habent idem quod Episcopi, tenet optime Diana *7. p. tr. 2. res. 24.* Tū etiam quia illis cōfert dimissorias ad ordines suscipiendos, atque ita ad illum pertinet cognoscere an sit habilis, & an defectus corporis inducat irregularitatem. ita insinuat Suarez *sect. 2. citat. n. 16.*

832. Colligitur quintò, quod quando irregularitas oritur ex causa inculpabili, etsi quis sit inhabilis ad Sacerdotium potest ab Episcopo ordinari de minoribus Diaconatu & subdiaconatu, v. g. quis absque speciali deformitate amisit lumen oculi canonis, & sic non potest Canonē legere sine speciali deformi conuersione faciei ad librum, propter quod inhabilis est ad Sacerdotium. Similiter quis est abstemius itaut vinum bibere non possit, isti non sunt irregulares ad præfatos ordines, & sic possunt tacere hunc defectum dum illis ordines conferuntur. Possunt etiam admitti ad examen illorum Beneficiorum quæ Sacerdo- 833. tium non exigunt, etiam si sint Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, aut eiusdem dignitas simplex Ita tenent Panormitan. *Cap. exposuisti. num. 2. de corp. vitiatis.* Nauarrus *cap. 27. num. 204.* Eman. Rodrig. *in Summ. tom. 2. cap. 158. num. 11. & 12.* Felicianus *de censur. tit. de irregul. cap. 6.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 19. punct. 3* Ludouicus Lopez *tom. 2. instruct. part. 2. cap. 23.* Sayrus *lib. 6. c. 7. n. 8.* Maiolus *lib. 2. cap. 25. num. 2.* Henrriquez *lib. 14. de irregularit. cap. 8. §. 7. & in Commentar. litt. N.* vbi alios citat, Bassæus *verb. irregularitas 2. n. 12. in fine*, quamuis *num. 13.* inconsequenter loquatur quidquid in contrarium dicant Bonacina *vbi supra num. 28.* Palao *tract. 13. disp. 4. punct. 4. n. 3.* & alij quos ipsi citant.

834. Probatur tamen illatio, quia licet quando quis propria culpa amisit membrum, vel factus est ex proposito abstemius sit irregularis ad omnes ordines, & sic si est irregularis ad minores, etiam est ad maiores, quia isti non possunt suscipi sine minoribus, tamen quando quis est sine sua culpa inhabilis factus ad ordinem superiorem, non inde fit quod sit inhabilis ad inferiores, in quibus sine deformitate, aut impedimento corporali potest ministrare. Quamuis enim ordines inferores ordinentur ad ministerium Altaris, & Sacerdotium, quo veluti complentur, & perficiuntur, tamen non est simpliciter necessarium

quod

quod qui est inhabilis absque propria culpa ad Sacerdotium sit inhabilis ad inferiores, cum in illis possit Altari ministrare deseruiendo Sacerdotio,quamuis ipsi no sint actu Sacerdotes. Vnde notat optimè Garcia *p.7.cap.12.num.27.*quod inter Diaconatum, & Sacerdotium *non est necessaria actualis connexio, vt patet in primitiua Ecclesia, in qua Diaconatus, & subdiaconatus recipiebantur sine respectu ordinis Sacerdotalis ad permanendum,& ministrandum in illis,& hodie in Cardinalibus Diaconis.*

836. Secundò, Quia qui manet inhabilis absque propria culpa ad Sacerdotium,non manet ad alios ordines inferiores, cum nullum sit ius quod hoc exprimat,nam *cap.non confidat 50. distinct.* quod est Gelasij Papæ *ad Episcopos per Lucaniam* non probat contra nostram resolutionem, cum manifestè loquatur Pontifex de his qui corpore vitiati sunt,itaut sine deformitate, & notabili scandalo non possunt diuinis ministeriis deseruire, quales non sunt abstemius, & qui in oculo sinistro lumen amisit; isti enim sine nota possunt in ministerio Diaconi, & Subdiaconi deseruire. Sicut contrarij etiam dicunt, quod si alicui deficiat lumen oculi dextri non est irregularis, & potest ordinari Sacerdotio,nam *cap. Si euangelica 55.dist.*

837. loquitur de illo à quo erutus est oculus, quæ est magna deformitas. Vnde quando idem Gelasius *cap. illiteratos 36. dist.* excludit à sacris Officiis *aliqua parte corporis vitiatos vel imminutos,*intelligitur de enormiter vitiatis & imminutis, vt ibi explicat Glossa, *litt.Y.* in ordine ad officium, & ministerium suum.

Quod secus dicendum est si alicui deficiat membrum integrum, vt pes, aut oculus qui sit erutus; isti enim sunt omnino irregulares. Vnde

838. quamuis possint ministrare in Diaconatu,& subdiaconatu, non tamen possunt ordinari propter impedimentum canonicum,scilicet membri integri defectum,quod est magna indecentia, argum. *ex cap.nullus Episcopus dist.1.& cap.si quis in infirmitate 55.distinct.* & tenet ibi Turrecremata *num.1.* Hug. *ad cap.Presbyterum de clerico ægrot.* Quæ indecentia non est si abstemius, aut cui deficit lumen oculi sinistri ministrent in Diaconatu. Et hoc est quod dixit Sayrus *vbi supr.* & non intellexit Gatzia.Quare abstemius,& qui non habet lumen in oculo sinistro non est absolutè irregularis, sed inhabilis ad Sacerdotium in cuius exercitio non potest ministrare.

839. Colligitur sextò, quod licet defectus corporis qui reddit hominem inhabilē ad ordinum exercitium reddat etiam ad ordines suscipiendos, si sine propria culpa sit membri alicuius defectus post ordines susceptos non reddit inhabilem ad illos ordines exercendos; quorum exercitium non impedit defectus ille,v.g. Sacerdoti sine culpa sua amputatus est pollex, aut index,licet non possit celebrare potest tamen vti Diaconatu, & Subdiaconatu. Si ministrare possit in Missa solemni, potest etiam audire Confessiones,& prædicare verbum Dei, sicut Sacerdos cæcus potest; imo etiam qui morbo caduco laborat poterit etiam audire confessiones. Ita colligitur *ex cap.*

840. *Presbyterum de Cleric. ægrot.* vbi Eugenius Papa Clerico cui à prædonibus duo digiti cum medietate palmæ abscissi sunt non permittit Missam celebrare, bene tamen concedit cæteris officiis Sacerdotalibus fungi. Vnde si Diacono simile quid contingat non potest ordinari Sacerdos, tamen potest ministrare in Diaconatu absque notabili scandalo,& deformitate, vt si ab oculo canonis lumen deficiat, vel facto Sacerdote abstemius fiat, poterit illi conferri Beneficium, & admitti ad examen,non tamen ad concursum.

§. XV.

Eiusdem Regulæ limitationes.

SVMMARIVM.

841 *Tres eiusdem regulæ limitationes adducuntur & n.843.& 845.*

841. LImita primò, propositam Regulam quod ille qui habet manum abscissam ita irregularis est quod nec Pontifex possit cum illo dispensare vt sacrum Sacerdotium assumat,& ita incapax est ad concursum. Ratio est perspicua,quia ex natura rei est impossibile quod Ministerium suum exequatur,scilicet,sacrificare,vna enim manu id non potest præstare, quod maximum scandalum præberet; qnamuis enim possit confessiones audire,tamen hoc non est præcipuum Sacerdotis munus, sed sacrificare. Quare ratio naturalis dictat quod qui non potest sacrificare non possit etiam Sacerdos fieri, & sicut in primo non potest dispensare Pontifex, ita nec in secundo propter eamdem rationem. Neque poterit dispensare cum amentibus,& lunaticis, & furiosis, nisi sani fiant,quia

842. non possunt habere intentionem exercendi sacrificium. Si tamen isti lunatici, aut amentes sint solum ex parte, quia in omnibus non habent iudicium,sed in aliqua rerum serie, & deuote recitent, & faciant alios actus Religionis an possint dispensari vt minores ordines accipiant,& sic sint beneficij simplicis capaces, existimo quod sit, quia isti non sunt furiosi,& satisfaciant Horarum Canonicarum obligationi. Idem dic de laborantibus morbo caduco.

843. Limita secundò, in illegitimo qui licet sit dispensatus in irregularitate ad ordines, etiam Sacerdotium,non exinde fit habilis ad Beneficia curam animarum habentia & sic etiam est inhabilis ad concursum. Ita *cap.1.& 2.de fil.Presbyter. in 6.& cap.1.eodem in Decretal.* Quare nisi legitimetur aut à Papa, aut per subsequens Matrimonium,quamuis auferatur irregularitas ad ordines, manent cæteræ inhabilitates vt supr.§.....latius dixi. Legantur Suarez *tom.de censur.disp.50.sect. 5.§.3.*Sanchez *lib.5.Summ. cap.5. num.19.* vnde illegitimus etsi per professionem fiat habilis ad ordines, non tamen ad Prælaturam cum iurisdictione.

844. Sed cur si ab aliquo irregulari auferatur irregularitas,aufertur inhabilitas ad Beneficia,& potest admitti ad concursum, sine alia noua dispensatione, non tamen ab illegitimo,à quo etsi auferatur irregularitas ad ordines, manent cæteræ inhabilitates?

Respondetur, quod ius canonicum in odium incontinentiæ paternæ id statuit, *cap.1. de fil. Presbyteror.* Vnde illegitimis æque primo abstulit omnem honorem Ecclesiasticum, & sic dispensatus in vno,non censetur dispensatus in alio. *cap.1.de fil.Presbyteror.in 6.* at in aliis irregularitatibus non sic, quia inhabilitas ad Beneficium incurritur propter inhabilitatem ad officium quam primo, & per se causat irregularitas, qua ablata,

ablata, aufertur & alia ad Beneficia.

845. Limita tertiò, de abstemio qui vinum nullatenus potest bibere sine vomitu; iste enim ita irregularis est, vt durante hac infirmitate, nec Pontifex possit dispensare.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum Pontifex possit dispensare cum abstemio, vt in solo pane Sacrificium verum conficiat?

SVMMARIVM.

846 *An Pontifex possit dispensare quod sacrificium Eucharisticum institutum à Christo Domino possit celebrari in sola specie panis? Resoluitur difficultas numer.* 858. & 865.

890 *Inferuntur quædam corollaria, & num.* 893. 895.

846. VErum hæc tertia limitatio connexionem summam habet cum ea celebri Quæstione, An Pontifex possit dispensare quod Sacrificium Eucharisticum institutum à Christo Domino possit celebrari in sola specie panis? nam si ita est, vtique poterit Pontifex dispensare cum abstemio vt absque potione vini celebret sacrificium: secus vero si in vna specie confici Sacrificium non valet, cum Sacerdotium primario ordinetur ad Sacrificium. Et sic examinandum est an sit potestas in Ecclesia ad dispensandum quod Sacrificium Missæ fiat in specie panis, sicut est potestas ad decernendum quod laici, & clerici non conficientes solum communicent in specie panis, & non in vtraque panis, & vini.

Prima sententia affirmat. Ita tenent plures Doctores Antiqui quos infrà referam, & sequuntur plures recentiores, Claudius *de Euchar. repet.* 10. *cap.* 3. Alanus *lib.* 2. *cap* 20. Ioannes Helfes. *de Commun. sub vtraq. spe. tract.* 1. Taper. *art.* 13. *contra Luther.* Palacios *in* 4. *disp.* 3 *dist.* 11. Nunus 3. *part. quæst.* 83 *art.* 1. *dub.* 10. Fagundez *in* 1. *Præcep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Marchin. *de Sacrament. Ordin. tract.* 3. *de Sacrificio. part.* 2. *cap.* 1. *art.* 15. Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 19. *quæst.* 2. *§. tertium.* Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 13. §. 1. *& lib.* 14. *de irregular. cap.* 8. §. 7. *litt. L.* qui addit quod Pontifex potest dispensare cum abstemio vt celebret in ea regione in qua dispensauit quod solum celebretur in pane. Basseus etiam *verb. Missa* 1. *num.* 4. valde probabilem iudicat hanc sententiam.

847.

848. Sed horum auctorum non est idem motiuum, nam antiqui, & plures ex Modernis à Claudio vsque ad Tapper inclusiue sentiunt id posse Pontificem, quia autumant non esse de iure diuino præceptum quod celebretur in vtraque specie Missæ Sacrificium, sed solum de iure humano. Probatur, quia vt referunt Volaterranus *lib.* 7. *c.* 4 *fol.* 80. Honuphrius *in Chronico.* Genebrardus *in Chronologia circa annum* 1490. Tapper, & Claudius citati dicunt Innocentium VIII. dispensasse cum Norwegiis. & Claudius addit quod dispensauit Sedes Apostolica etiam cum Danis quod in solo

849. pane fieret Sacrificium, eo quod in illis regionibus vinum non conseruatur quin acescat, aut congeletur. Secundò, quia non est locus Sacræ Scripturæ, aut Concilij Generalis in quo dicatur quod sit de iure diuino quod Sacrificium fiat sub vtraque specie. Vnde Christus Dominus Lucæ 24. in sola specie panis communicauit discipulis euntibus in Emmaus, & sic in solo pane confecit Sacrificium, vt ex Patribus probat erudite Cardinalis Toletus *notat.* 7. *in cap.* 6. *Ioann.* probans quod quando Christus dixit: *Nisi manducaueritis carnem, & sanguinem biberitis, &c.* ly *&* est idem quod *vel*, vt dixiti B. Paulus 1. *ad Cor.* 11. *Quicumque manducauerit carnem, vel biberit calicem Domini, &c.* Tertiò, quia licet integritas 850. Sacrificij exigat vtramque speciem, sicut & integritas Sacramenti, tamen essentia Sacrificij essentialiter saluatur in vna dumtaxat specie, sicut essentia Sacramenti, vt est de fide determinatum in Tridentino *sess.* 21. *c.* 3. & quidem in vna tantum specie totus Christus offertur, & sic est verum Sacrificium.

Alij vero Doctores à Nuño, & Fagundez sentiunt quod quamuis sit de iure diuino quod sacrificium fiat sub vtraque specie nihilominus Pontifex ex rationabili causa, & vrgente, publicaque necessitate qualis est illa quæ mouit Innocentium VIII. potest de plenitudine potestatis dispensare quod sacrificium fiat sub vna dumtaxat specie; alias si non est causa impellens, non, & sic dispensatio erit nulla & non de plenitudine potestatis dispensatio, sed dissipatio, de plenitudine tempestatis. Probatur primò, quia quamuis iuramentum, votum, & matrimonium ratum obligent de iure naturali, & diuino, tamen Pontifex potest in illis dispensare & de facto multi Pontifices dispensarunt, vt de Matrimonio ratò testantur Nauarrus *in Manual. cap.* 22. *num.* 21. Caietan. *iom.* 1. *opuscul. tractat.* 18. & Henrriquez *lib.* 1. *de Matrimon. cap.* 8. *num.* 11. *littera F.* testatur Gregorium XIII. vno die dispensasse cum vndecim, de voto, & idem est de iuramento dicunt D. Thom. *in* 4. *distinct.* 38. *q.* 1. *art.* 4. Scotus *dist.* 37. *quæst. vnica.* Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2.

851.

852.

Secundo probatur ex facto Innocentij VIII. 853. qui dispensauit cum Norwegiis. Quod confirmatur, quia Christus consecrauit aliquando in duplici specie vt in nocte Cœnæ, aliquando in specie panis, vt supra dicebam: ergo signum est quod essentia Sacrificij in vna dumtaxat specie sita est: cum enim Christus Dominus in vtilitatem totius Ecclesiæ, & omnium fidelium hoc sacrificium instituerit, non esset ita vniuersaliter institutum si non posset dispensari quod celebretur in vna specie, cum possit contingere quod ingens Regio vinum non ferat, nec asportatum conser- 854. uet: non est autem dicendum quod ista Regio sit sine sacrificio, hoc enim implicat cum Sacrificium sit de iure naturæ, & diuino, nec sine Sacrificio saluari Religio potest. Et quidem valde absurdum est dicere, quod cum Christus Dominus præuiderit quod aliqua Regio futura erat vini non ferax aut vinum non cõseruans quod non reliquerit in Ecclesia potestatem ad dispensandum quod ibi Sacrificium offerretur in specie panis; alias illa Regio sine Sacrificio foret, quod valde absurdum est.

Tertiò, quia essentia sacrificij vt sup. dicebam 855. saluatur optime in vna specie. Et quidem mihi est indubitatum quod Christus Dominus ita posset instituere sicut instituit essentiam Sacramenti, ergo in Ecclesia mansit potentia ad dispensandum salua essentia pro rerum, temporum, & locorum varietate, vt decernit Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *&*

Constan

*Constantiense sess.*13. quod quamuis dicant in Sacramentis eadem videtur ratio in Sacrificio.

856. Quartò, ex doctrina Ioannis Præpositi.3.*p. quæst. vnica. de Sacrament. Ordin. dub.*10. *n.*109. dicentis Christum Dominum non constituisse materiam, & formam Sacramenti ordinis in particulari,sed solum in genere, monendo vt conferantur ordines per aliquod signum sensibile, & ita reliquit Ecclesiæ determinare materiam, & formam per quas significetur potestas quæ in ordine confertur. Pro qua sententia refert Tapper,Arcudium Fornarium,& Bellarm.qui de Apostolis hoc concessit, dicitque Præpositus ita sensisse viros doctissimos Romæ, & Louanij à se consultos:ergo ita reliquit in Ecclesia potestatem ad determinandum an in aliqua Regione in qua vinum adseruari nequit Sacrificium Missæ possit in vna solum specie confici, cum tam Sacrificium, quam Ordo pro tota Ecclesia sint instituta.

857. Quinto. Quia integritas Confessionis est de iure diuino,vt fatentur omnes, & tamen si ex integritate confessionis sequatur aliquod scandalum,aut damnum pœnitenti,aut alicui tertio,potest quis valide confiteri quamuis dimidiet confessionem; quando enim occurrunt duo præcepta diuina simul incompatibilia in aliquo casu id quod magis obligat est seruandum: cum ergo in Noruergia duo occurrant præcepta diuina, vnum sacrificandi,& aliud quod sacrificium fiat in vtraque specie, cum hoc sit impossibile in illa Regione, vbi non est vinum vitis, obseruandum erit præceptum, quamuis solum fiat in vna specie, in quasicut est verum Sacramentum, ita est verum Sacrificium, cum, vt dicebam,ibi offeratur totus Christus.

858. Sed nihilominus dico primò, Pontifex potest dispensare in hoc quod Sacerdos conficiat licitè Sacramentum Eucharistiæ in solo pane in illis terris in quibus vinum seruari non possit. Et sic intelligo dispensationem factam à Sede Apostolica cum Noruergiis,& Danis. Ita tenent expressè Tabiena *verb. Eucharistia* 1.*num.* 20. Armilla *num.*10. Angelus *Euchar.*1.§.20. Summa Pisana *num.*2. Adrianus *in* 4.*q.*6.*de Euchar.*§.*pro responsione.* Vbi dicit quod integrè celebrare,& integrè sumere corpus, & sanguinem domini est merè positiui iuris humani. *cap.Comperimus de consecratio. dist.*2. quod est Gelasij Papæ, sequuntur Alexander de Ales *lib.*6.*compend Theolog.* D.Antonin.3.*p.tit.*13.*cap.*6.§.2. Gabriel *lect.*53.*in can. dub.*13.*in fine* Turrecremata *ad cap.Comperimus citat.in* 4.*ratione.* Et hi tres vltimi referunt hanc sententiam fuisse Beati Alberti Magni cuius hæc sunt notanda verba *in tractat. Corporis Christ.*

859. *In terris vbi vinum haberi non potest debet recurri ad Sedem Apostolicam, & consultare quid ibi faciendum. Tamen propter intolerabile damnum animarum quod incurritur ex defectu Sacramenti videtur cum talibus dispensandum vt Corpus Christi sine Calice conficerent.* Addunt Gabriel,& Turrecremata, *vt Corpus Christi haberetur sine calice, & sic Sacerdotes conficerent Sacramentum.*

Probatur, quia vtraque species panis, & vini non est materia essentialis Eucharistiæ prout Sacramentum est, sed solum pertinet ad eius integritatem, cum in qualibet specie totus Christus

860. contineatur vt definit Trident. *sess.*21.*cap.*4.vnde in qualibet specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumunt fideles, vnde omnino certum est, itaut oppositum sit erroneum quod verba consecrationis panis statim ac debite pronuntiantur sortiuntur suum effectum non expectando prolationem formæ Calicis,quidquid in contrarium dixerint quidam Antiqui, contra quos disputant D. Bernardus *Epist.* 69.*ad Guidonem*,& S.Thom. 3.*p.q.*78.*art.*6. cum ergo vtraque species solum pertineat ad integritatem Sacramenti quod essentialiter saluatur verè, & propriè in vna tantum, fit quod Pontifex 861.
possit dispensare quod panis solum consecretur sine sanguine, quia vt determinat idem Trident. *vbi supr. cap.*2. *In Ecclesia perpetuo fuit potestas vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia,& essentia,ea statueret, vel mutaret,qua suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum,temporum,& locorum varietate,magis expedire iudicaret.* Cum ergo in terris in quibus vinum conseruari non potest maximè expediat fidelium vtilitati, & Eucharistiæ veneration, quod consecratio fiat in solo pane, poterit in hoc Summus Pontifex dispensare;alias
vt dicebat Albertus *intolerabile animarum dam-* 862.
num incurreretur, cum nec viaticum possent accipere,neque gratiæ augmentum,nec admirabiles alios effectus Eucharistiæ percipere quos refert Siluester *verbo Eucharistia* 4.*num.*2.quod omnino dici non potest, & sic fatendum necessario quod Pontifex potest dispensare in hoc quod consecretur vna species sine alia,& sic optimè dixit Adrianus *solius iuris positiui humani esse quod integrè celebretur*, hoc est, consecretur *corpus,& sanguis.* Quod expressè docuit D.Thom.*in* 4.*dist.* 11.*q.*2. *art.*1.*quæstiunc.*1. *ad* 4. vbi dicit, *non esse licitum in vna solum specie consecrare, quia hoc est contra consuetudinem Ecclesiæ.* Et sic solum est de iure positiuo.Quod non retractauit 3.*p.q.*83.*art.* 1.*ad* 2. imo id confirmauit, atque ita in hoc dispensare potest Papa.

Contra hanc conclusionem sentiunt Bonacina *de Euchar.disp.*4.*q.*2.*punct.*3. Suarez *disp.*55.*sect.* 863.
4.*conc.*3.Nuñus *q.*74.*art.*1.*dub.vnico*, qui vt assolet facilis in censurando,dicit esse improbabilem. Probat ex Trident.*sess.*22.*cap.*1. Sed ibi Concilium loquitur de Sacrificio, non de Sacramento. Deinde dicit quod vtraque species est de integritate Sacramenti, ac per consequens de eius substantia, cum pars integralis sit de substantia rei, sicut brachium de substantia hominis. Respondetur hoc verum esse,sed quod Sacramentum sit integrum non est de iure diuino, sed de iure humano, nam de iure diuino solum est quod fiat Sacramentum verum, & in essentia perfectum; cæ- 864.
tera vero quæ ad essentiam non pertinent relicta sunt determinationi Ecclesiæ, vt dicebamus ex Trident. Falsum etiam est hoc esse contra communem Scholasticorum sententiam, cum eam expresse affirment tot & tam graues Doctores. Quare non est de iure diuino quod semper quod fit Sacramentum fiat Sacrificium verum.

Dico secundò Pontifex non potest dispensare in hoc quod verum, & proprium Sacrificium à Christo Domino institutum fiat in vna solum spe- 865.
cie panis,aut vi ni. Ita Suarez *tom.*3.*in* 3.*p.disp.*75. *sect.*6.Vasq. *disp.*223.*à n.*12.Coninch *q.*83. *art.*1. *dub.*5.*num.*102. probabilius iudicat Syluester *Eucharistia* 1.*num.*6. idem à fortiori tenent Bonacina, & Nuño *vbi supr.* Sotus *in* 4. *dist.* 19. *art.* 1. *ad* 3. Pitigianus *dist.* 11. *quæst.* 6. Bartholomæus ab Angelo *dialog.*4. *de Euchar.* §.351. Probatur

primò,

Primò, quia licet potuiſſet Chriſtus Dominus inſtituere verum ſacrificium in vna ſolum ſpecie
866. panis, aut vini, quæ ex vi conſecrationis erat myſtica immutatio rei oblatæ in proteſtationem diuini Dominij, & excellentiæ qua Deus proteſtaretur Author vitæ & mortis; tamen de facto non ita inſtituit, ſed in vtraque ſpecie panis, & vini ſecundum ordinem Melchiſedech, qui de facto vtrumque obtulit tanquam altiſſimi Sacerdos, quamuis vnam ſpeciem dumtaxat poſſet offerre.

Quod clare determinat Concilium Tridentin. *ſeſſ.22. cap.1.* vbi agit de inſtitutione non Sacramenti de qua egerat *ſeſſ. 13. cap.2.* vbi nihil dicit quod ſit præceptum iuris diuini, quod vtraque ſpecies ſimul conſecretur. Igitur cap.1. ſic loquitur: *Quia per mortem Sacerdotium eius* (ſcilicet Chriſti) *extinguendum non erat, in Cœna nouiſſima qua nocte tradebatur, vt dilecta ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile ſicut hominum natura exigit relinque-*
867. *ret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur eiuſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur, applicaretur, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* & Can.2. *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe vt ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum, Anathema ſit.*

868. Quod teſtimonium ita expreſſum eſt & præclarum, vt exiſtimem hodie debere eſſe indubitatum apud Catholicos quod iure diuino, & ex præcepto Chriſti ſit requiſita ad verum, & proprium ſacrificium vtriuſque ſpeciei conſecratio, *vt ſemper intellexit, & docuit Catholica Eccleſia*, id colligens ex illis verbis *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quo deduco contra Fagundez, & alios ſecundi modi dicendi, quod Pontifex non poteſt diſpenſare, nec illi reliquit Chriſtus poteſtatem ad diſpenſandum vt ſacrificium quod ſecundum ordinem Melchiſedech inſtituit Chriſtus, fiat in vna dumtaxat panis ſpecie, aut vini, ſed neceſſario confici debere in vtraque ſpecie.

869. Quod mihi perſuaſum omnino habeo ſequenti diſcurſu deſumpto ex Tridentino quod *ſeſſ. 21.* in qua vt determinaret contra Bohemos communionem ſub vtraque ſpecie non eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſtatuit non eſſe fideles adſtrictos ex præcepto diuino Chriſti vt laici, & Clerici non conficientes communicent in vtraque ſpecie vt Bohemi exiſtimabant, vt dicerent neque Pontificem, neque vniuerſale Concilium poſſe aliter diſponere infringendo præceptum Chriſti, vt conſtat *ex libello oblato per Barones Regni Bohemiæ, Concilio Conſtantienſi*, vt refert Pelbartus *in Roſario aureo tom.4. verbo Euchariſtia 5. pag in. mihi* 114. contra quos Sacra Tridentina Synodus ſtatuit nullum eſſe tale diuinum Chriſti præce-
870. ptum. Et *cap. 2.* determinat. *In Eccleſia eſſe poteſtatem ad diſponendum circa diſpenſationem Sacramentorum, ſalua illorum ſubſtantia, itaut ſtatuere, & mutare poſſit quæ ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauerit.*

Ex qua doctrina omnino certa clare colligitur in Eccleſia non eſſe poteſtatem ad diſpenſandum in præceptis diuinis Chriſti. Patet, quia vt Concilium determinaret in Eccleſia eſſe poteſtatem ad inferendam legem vniuerſalem quòd laici, & Clerici non conficientes communicarent ſolum in ſpecie panis, & non in vtraque, primo determinat non eſſe diuinum præceptum Chriſti communicandi in vtraque ſpecie; ſi enim in Eccleſia eſſet poteſtas ad diſpenſandum in præceptis diuinis Chriſti, quamuis concederetur Hæreticis eſſe præceptam à Chriſto communionem ſub vtraque ſpecie, poſſet nihilominus ſancta Synodus declarare quod grauibus, & iuſtis cauſis examinatis adducta declarat quod tale præceptum diuinum non obligat, & ſic diſpenſat in eius obligatione, ſicut vt ait Fagundez, diſpenſauit Pontifex cum Noruergiis, & Danis in præcepto diuino ſacrificandi ſub vtraque ſpecie; atqui Concilium hoc non fecit, ſed ſupponens non eſſe de iure diuino communionem ſub vtraque ſpecie, dicit Eccleſiam habere poteſtatem ad determinandum quod non fiat communio à laicis niſi in ſpecie panis dumtaxat: ergo manifeſtè ſentit quod in Eccleſia non eſt poteſtas ad diſpenſandum in præceptis diuinis Chriſti. Cumque ſit diuinum præceptum quod Sacerdotes offerant ſacrificium ſub vtraque ſpecie 872.
panis, & vini, non poteſt occurrere circunſtantia vt Pontifex diſpenſet quod fiat verum ſacrificium in ſpecie panis ſolum. 871.

Secundò probatur non eſſe talem poteſtatem in Eccleſia, quia Chriſtus Dominus non reliquit poteſtatem quod Pontifex diſpenſet in materia, aut forma Sacramenti, vt determinat Trident. *ſeſſ.22. cap. 2.* quia in illis conſiſtit Sacramentorum eſſentia, & hoc non ex alio non poteſt Pontifex, niſi quia materia, & forma Sacramentorum ſunt de iure diuino, & ex præcepto Chriſti, atqui etiam eſt ex præcepto Chriſti quod ſacrificium fiat in vtraque ſpecie panis, & vini: ergo non poteſt diſpenſare quod verum ſacrificium fiat in vna ſpecie. Quod ſecus eſt de Sacramento, de quo non conſtat ex ſacra ſcriptura, aut Concilio aliquo generali quod ſit præceptum Chriſti vt fiat in vtraque ſpecie, ſed ſolum ex facto Chriſti, quod non facit ius diuinum; alias conſecratio in azymo eſſet de iure diuino, contra quod faceret Eccleſia 873.
Græca. Quod non eſt ita, vt certum eſt in Eccleſia Latina. Vnde ſicut Pontifex poteſt diſpenſare quod in Eccleſia Latina conſecretur in pane fermentato, ita & quod conſecretur in vna ſpecie, quia vtrumque eſt de iure humano, & conſuetudine: quod enim conſecratio vini ſit de integritate Sacramenti, & ſic pertineat ad eius ſubſtantiam, in qua non poteſt diſpenſare Pontifex, vt ait Trid. non probat eſſe de iure diuino quod ſimul conſecretur vtraque ſpecies, vt exiſtimant Nuño; & Bona *vbi ſup* quia aliàs non poſſet diſpenſare quod communio fiat in vna tantum ſpecie, quia altera etiam pertinet ad ſubſtantiam Sa- 874.
cramenti in qua non poteſt eſſe diſpenſatio; nam aliquid pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti accidentaliter, ſicut brachium ad ſubſtantiam hominis, & in hoc vtique poteſt eſſe diſpenſatio; aliquid pertinet ad ſubſtantiam eſſentialiter vt materia,

vt materia, & forma, & in hoc non potest esse dispensatio, & sic loquitur Tridentinum sumens *substantiam pro essentia.*

Tertio probatur, quia si essentia sacrificij saluatur in vna dumtaxat specie, in illaque est verum, & proprium sacrificium, sicut est in qualibet verum, & proprium Sacramentum: ergo sicut si Sacerdos consecraret vnam speciem sine dispensatione Papæ conficeret verum Sacramentum, ita conficeret verum sacrificium. Neque ad hoc est necessaria dispensatio; nisi solum vt licitè fiat, quod valde absurdum esse ex eo constat. Primò, quia Christus nunquam sacrificauit in vna specie; at aliquando consecrauit in specie panis, quando communicauit discipulis euntibus in castellum, vt ex August. Chrysost. Theophilacto probat Toletus *vbi suprà.* Secundò, quia vt supra ex Concil. Trid. dicebam, sacrificium fuit institutum à Christo in vtraque specie panis, & vini tanquam essentialiter requisitis ex suo præcepto ad sacrificium incruentum expressiuum sacrificij cruenti in ara crucis peragendi hæc autem expressio non fit tantum in vna specie. Ex quo fundamento Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. *artic* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. *& lect.* 6. *ad cap.* 10. *epist.* 1. ad Corinthios dicit quod illæ voces consecrationis Calicis *noui & æterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* sunt essentiales, quia per illa explicitè explicatur sanguis Christi in passione effusus, & ideo sunt essentialia sanguini provt in hoc Sacramento consecratur, cum enim sacrificium incruentum, vt ait Tridentinum, sit repræsentatiuum sacrificij cruenti quod factum fuit sanguine effuso à corpore, quamuis per consecrationem panis id implicitè significetur, tamen quia corpus ex vi consecrationis à corpore, quamuis per consecrationem panis id implicitè significetur, tamen quia corpus ex vi consecrationis potuit esse viuum, & cum sanguine vt repræsentetur mortuum, & cruentum sanguine de facto institutum est non solum consecratione corporis, sed etiam consecratione sanguinis vt sic incruentum repræsentaret cruentum, quod ex dispositione diuina essentialiter requirebat corpus Christi mortuum sanguine eius effuso, & sic sacrificio Eucharistico essentiale est vtrumque sicut ait Diuus Thomas quod sanguini Christi prout in hoc Sacramento consecratur essentialia sunt ea quæ significantur per illa verba noui & æterni, &c. quamuis per illa prima verba *Hic est Calix sanguinis mei* explicetur conuersio vini in sanguinem explicitè, & cætera implicitè quod non sufficit ex vi huius institutionis sed requiritur explicitè repræsentari, vnde fit quod licet consecratio corporis non expectet consecrationem sanguinis vt panis conuertatur in corpus Christi, & sit verum Sacramentum vt supra dicebam, tamen vt sit verum sacrificium consecratio corporis facta expectat consecrationem sanguinis cum vtraque sit essentialis sacrificio, provt de facto est institutum à Christo.

Ex dictis colligitur. Primò, quod si Pontifex dispenset quod in aliqua regione consecretur panis sine vino quamuis ibi non sit verum, & proprium sacrificium, sed improprium sicut in die parasceues quando fit oblatio ex præsanctificatis, quamuis aliquanto proprius cum tunc fieret consecratio panis populus tenetur audire sacrum eo modo quo fit in illa Regione, quia licet dispensatum sit quod factum fiat sine consecratione Calicis, tamen non est dispensatus populus ne audiat Missam, & assistat illi consecrationi ad adorandum corpus Christi consecratum, hæc enim adoratio, & veneratio est vnum ex præcipuis motiuis quod Ecclesia habet ad præcipiendum quod fideles diebus festiuis audiant sacrum vt enim optimè notant Suarez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 4. Henriquez *lib.* 9. *de Missa cap.* 25. §. 1. Nuño *vbi suprà art.* 6. *& in* 2. *part. dub.* 2. Filliucius *tract.* 5. *n.* 198. præceptum de sacro audiendo reducitur ad tertium præceptum decalogi de colendo, & adorando Deo.

Vnde existimo quod si in feria 6. Parasceues cadat dies festus vt solet annuntiatio Beatæ Virginis quamuis ibi non fiat verum, & proprium sacrificium (quidquid dicat Nuño) nihilominus tenentur fideles sub peccato mortali illi assistere quidquid dicant Gauantus in commentario ad rubricas missalis vbi testatur contrarium determinasse sacram rituum Congregationem die 29. Februarij anno 1622. (& ego tunc fui Romæ, & consultatus iussu Gregorij X V. à Magistro sacri Palatij) Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 62. sed mecum sentiunt Vasquez 3. *part. tom.* 3. *disput.* 232. *num.* 18. Nuño *vbi supra difficult.* 2. & Fagundez *præcept.* 1. *Ecclesiæ lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. quamuis enim declaratio Cardinalium verum teneat quantum ad præceptum Ecclesiæ positiuum, quod tunc non obligat cum non sit verum sacrificium, tamen cum Ecclesia præceptum naturale de colendo Deo ad dies festos determinauit sicut determinauit præceptum diuinum de Confessione, & Communione vt semel in anno fiat, qui non assistit ad adorandum, & colendum Deum in illo sacrificio imperfecto facit contra tertium Decalogi præceptum, ad hoc enim parum refert quod illud sit verum sacrificium, siue consistat in consecratione, siue in oblatione, siue in sumptione rei sacrificatæ.

Infertur secundò, quod in illa Regione in qua dispensatum est quod fiat consecratio in vna tantum specie, licet non sit verum sacrificium, sed improprium, & Sacerdotes deseruiant solum ad consecrandum corpus, & illud distribuendum sanis, & infirmis, hæc dispensatio solum extenditur ad hoc quod consecretur corpus sine sanguine. Vnde Sacerdos quotiescumque celebrat consecrationem tenetur seipsum communicare, & de illo sacrificio licet improprio sumere, iuxta *cap. Relatum de consecratione distinct.* 2. quod desumptum est ex Concilio Toletano 12. *Can.* 5. nisi in casu vrgentis necessitatis, aut ægritudinis superuenientis *cap. illud & cap. Nihil* 7. *quæst.* 1. Rursus hæc consecratio, & sumptio cum non sit verum sacrificium, sed solum communio non prodesset ex opere operato, nisi sumentibus, sicut nec sacrificium imperfectum, quod fit Feria sexta Parasceues prodest nisi sumenti ex opere operato, non tamen animabus Purgatorij nisi in quantum est opus satisfactorium quod potest illis applicari, & prodesse illis etiam modis quos explicui in speciali Resolutione contra Raynaudum quæ typis dabitur in hac 2. part. huius tomi. Poterunt tamen Sacerdotes huius Regionis stipendium assignatum pro hac celebratione accipere. 893. 894.

Infertur tertiò, quod licet in huiusmodi Regionibus cum quibus dispensatum est quod fiat consecratio in sola panis specie non sit verum sacrificium, est tamen improprium. Quod autem non sit proprium non interest, quia hoc est per accidens, 895.

est

est tamen verum, & proprium Sacerdotium qui preces offerat, & consecret corpus Christi. Si tamen contingeret, quod ad illas Regiones vinum asportaretur tenerentur illud consecrare, vt fieret proprium sacrificium, quia dispensatio facta est ex necessitate, qua cessante cessat, & dispensatio, cum iure naturali teneantur offerre proprium sacrificium, quando adest illius materia.

896. Ad fundamenta primi modi dicendi respondetur ad primum, quod quamuis Volaterranus dicat Pontificem dispensasse quod Calix fieret sine vino hoc est impossibile, quia Pontifex non potest apponere nouam materiam consecrationis Calicis. Alij tamen dicunt quod Pontifex dispensauit quod solum consecraretur corpus sine sanguine quod concedimus, tamen negamus quod esset verum sacrificium. Ad secundum respondetur quod iam vidimus expressum Concilij Tridentini testimonium ad probandum quod sit necessaria, & præcepta vtraque species ad verum sacrificium; quando enim Christus solum panem consecrauit non fecit verum sacrificium, sed communionem.

897. Ad tertium respondetur, quod est diuersa ratio de Eucharistia Sacramento, ac de Eucharistia sacrificio, nam in prima consideratione cum totus Christus contineatur in qualibet specie consecrata quælibet facit verum Sacramentum. Vnde consecratio sanguinis pertinet ad Sacramenti integritatem: at Eucharistiæ secrificium cum sit expressiuum sacrificij cruenti in quo sanguis Christi effusus est, vtraque species non tantum ad integritatem sed ad essentiam sacrificij pertinet, quamuis enim totus Christus offeratur in consecratione solius panis, at non offertur per modum sacrificij ab ipso instituti, est tamen vera oblatio quæ Deo summè placet ex qua potest

898. moueri ad ingentia beneficia nobis largienda, tamen ex opere operato solum causat vt Sacramentum non vt verum, & proprium sacrificium; sicut si quis ex malitia solum consecraret panem, & illud offerret Deo erit oblatio ex parte rei oblatæ Deo gratissima tamen nihil operaretur per modum sacrificij.

899. Ad fundamenta Fagundez respondetur quo ad primum in quo præcipuè nititur hic Author ex multis capitibus debile est, & sic necesse est quod facile corruat, non enim valet arguere, potest Pontifex dispensare in voto, & iuramento quorum obligatio est de iure diuino, & naturali, ergo potest dispensare in hoc quod sacrificium fiat in vna dumtaxat specie panis, vt enim aduertit Thomas Sanchez *lib. 2. de Matrimonio disput. 14. num. 8. ad 4.* duplex est ius diuinum naturale, aliud absolutum vt de non fornicando, non mentiendo, & in hoc nullo modo Pontifex dispensat, aut dispensare potest: aliud fundatum in actu, vel contractu humano, vt est votum, & iuramentum, & in hoc potest dispensare: quando enim in his dispensat non dispensat in iure diuino ex quo votum habet obligandi

900. vim, alias cum Episcopus, & Prælati Regulares habeant potestatem dispensandi in votis suorum subditorum dispensarent in iure diuino, quod dicere absurdum est. Quare tam isti quam Pontifex non dispensant in iure diuino sed solum auferunt obligationis fundamentum quam homo

901. actu libero sibi imposuit, vt ait D. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 10. ad 2. Authoritate Superioris*, inquit, *dispensantis fit vt hoc quod continebatur sub voto non contineatur in quantum determinatur in hoc casu hoc non esse materiam congruam voti, & ideo non dispensat in præcepto iuris naturalis, aut diuini, sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potit omnia circunspicere.* Hæc S. Thomas. Quare omnino implicat quod Pontifex perseuerante materia voti congrua dispenset in voto; hoc enim solum potest facere Deus; at præceptum diuinum de sacrificando in vtraque specie est ius diuinum absolutum, non fundatum in aliquo actu hominis determinantis sibi materiam circa quam obligatur, & sic nulla potestas humana potest in illo dispensare, cum illius materiam posuerit Christus Dominus, qui antequam illud imponeret omnia circumspexit.

Respondetur secundò, & est valde vrgens 902.
confirmatio nostræ secundæ conclusionis, quod quamuis Pontifex posset dispensare in aliquo iure diuino, tamen non potest dispensare in hoc quod fiat sacrificium proprium in sola specie panis, quia Christus instituit sacrificium Missæ in duplici specie panis, & vini vt esset significatiuum, & expresè repræsentatiuum sacrificij cuenti in quo effusus est sanguis Christi, quæ effusio non exprimitur sola consecratione panis. Quare cum Pontifex non possit alterare hanc significationem, nec potest in hoc præcepto, & iure dispensare. Sicut quamuis Pontifex possit dispensare in Matrimonio rato non consummato, tamen in Matrimonio consummato non potest dispensare, vt dicit Alexander III. *cap.* 903.
ex publico de conuersion. coniugator. ex eo solum, vt egregiè dicit Thomas Sanchez *lib. 2. citat. disputat. 13. num. 7. vers. tandem.* quod Matrimonium consummatum perfectè significat indissolubile vinculum inter Christum, & Ecclesiam per carnem assumptam, vt tradit August. *lib. de bono coniugal. cap. 7. & 18.*

Ad illud quod adducit de Matrimonio rato 904.
respondetur quod communis sententia Theologorum negat Pontificem posse dispensare in illo etiam sicut in voto, & iuramento. Pro hac numerat Sanchez *disput. 14.* citata, viginti, & octo Authores Theologos, & Canonistas, inter quos Sotus *in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4.* dixit, *Contrariam sententiam nec probabilitatis vmbram habere.* & Petrus de Ledesma *quæst. 67. de Matrimon. art. 2. dub. 4.* dicit esse *improbabilem.* Sed abstineo à censura. Negatiuam sententiam dicit Sachez esse *probabilissimam.* Quod si Pontifices aliquando dispensarunt nixi sunt in contraria opinione, quæ communis est iurisperitorum, & loquuntur de dispensatione in Matrimonio rato, quæ fundatur in deliberatione vtriusque contrahentis consensu, sicut nos sumus philosophati de dispensatione voti, & iuramenti.

Ad secundum respondetur ex illatione. Tertiò, 905.
quod in Religionibus non esset verum sacrificium per accidens, & ex defectu materiæ, illud tamen Christus instituit primò, & per se pro tota sua Ecclesia, in qua deficeret Religio si deficeret sacrificium proprium, quod in quacumque parte celebretur totius vniuersi, offertur pro tota Ecclesia, & omnibus fidelibus tam viuis, quam defunctis.

Ad tertiũ respondetur quod aliud est quod Chri- 906.
stus potuit instituere, aliud quod de facto instituit,

de facto enim instituit verum sacrificium in vtraque specie potuit tamen instituere in vna solum, vt dixi.

Ad quartum respondetur. Primò, illam sententiam Ioannis Præpositi omnino falsam esse, & mihi intolerabilem, facillimè enim idem possemus dicere in multis aliis Sacramentis, & Con-
907. cilium Trident. *sess.7. can.1.* anathematizat, eum qui dixerit omnia septem Sacramenta non esse à Christo Domino instituta. Instituuntur tamen quando determinatur materia, & forma: ergo hoc non reliquit Ecclesiæ. *& sess.23.can.3.* etiam anathema dicit si quis dixerit Sacramentum Ordinis *non esse vere, & propriè Sacramentum, & à*
908. *Christo Domino institutum.* Respondetur secundò, quidquid sit de hoc Sacramento, tamen Ecclesia non potest alterare, velmutare materiam quam determinatè assignauit Christus, qualis est panis, & vinum ad perficiendum sacrificium secundum ordinem Melchisedech vt vidimus ex Trident.

909. Ad quintum respondetur quod præceptum de integritate confessionis non obligat in illis casibus, saluatur tamen essentia Sacramenti confessionis, quia aliqua peccata subiiciuntur clauibus super quæ cadit absolutio, & de quibus est dolor; adest enim materia proxima Sacramenti, & forma; at dum sacrificatur in vna specie non adest materia proxima instituta à Christo Domino, & ita non saluatur ratio essentialis sacrificij incruenti instituti ab eodem. Et sic in illis Regionibus in quibus non conseruatur vinum non obligat præceptum sacrificandi, & vbi non est Eucharistia, nec moraliter est possibilis non obligat præceptum diuinum de sumendo viaticum in articulo mortis.

910. Ex dictis in tota hac digressione colligitur quam vera sit limitatio. Tertiò, quod Pontifex non potest dispensare cum abstemio vt sacrificet, quia sacrificium verum requirit vtramque speciem panis, & vini, hoc autem sumere nequit abstemius Pro illis tamen Regionibus in quibus dispensauit quod conficiatur solum Sacramentũ, poterit etiã dispensare cũ abstemio; imo ex vi prioris dispensationis in illa Regione est dispensatus ad conficrandum Corpus. In his tamen Regionibus vini feracibus, etiam poterit dispensare quod abstemius secluso scandalo consecret panem, & sibi communicet, quia, vt dixi, quod simul consecretur vtraque species, vt solum consuetudo Ecclesiæ, & lex humana, in qua potest dispensare; in quasi dispenset absque causa, peccabit quidem, tamen dispensatio valebit vt tenet Sanch. *vbi sup. disp.15. num.5.*

DIFFICVLTAS II.

De energumenis, & Dæmoniacis qua ratione sint irregulares.

SVMMARIVM.

911 *Regula suprapositа limitatur in obsessis à Dæmone, qui irregulares sunt ad Ordines suscipiendos, vel ad eorum exercitium, & num. seqq.*

911. Limita quartò, regulam suprapositam in obsessis à Dæmone qui irregulares sunt ad ordines suscipiendos, vel ad eorum exercitium in susceptis. Vnde sunt incapaces Beneficij, nec possunt admitti ad concursum *cap. Maritum, & cap. Clerici dist.33. & cap.communiter eadem dist.* vbi dicitur quod Ordinatus potest sui Ordinis actum exercere ex Episcopi dispensatione, si constet vnum annum transiisse in quo à Dæmone non vexetur. Ita Henriquez *lib 14. cap.8. §.8. littera A.* Nauarrus *in summ. cap.27.num.203.* Molina *tract.3. disp.70. num.12.* Toletus *lib.1. c.64. & prius cap.59.* Suarez *de censur. disp.52. sect.1. num.7.* Coninch *disp.18.num.107.* Vgolinus *c.55. num.2.* Sayrus *lib.6. cap.9. num.14.* Reginaldus *lib.30. num.43. 2.part.* Filliucius *tract.19. n.187.* quamuis Suarez *disput.51. sect.1.num.7.* existimet quod quantum ad promotionem ad ordines requiratur Papæ dispensatio. Sed id quod diximus verius est.

Addunt tamen. Primò quod liberatus à Dæ- 912.
mone absque Episcopi dispensatione possunt ad minores Ordines promoueri. Quia *cap. Clerici citatum* solum dicit quod non promoueantur ad superiorem sacri Regiminis gradum. Ita etiam Glossa, & Turrecremata *ibi.* Verum cum *cap. Maritum.* sit Authoris de Ecclesiasticis dogmatibus qui legem vniuersalem ferre non potest. Et *cap. communiter,* sit Pij Papæ qui loquitur quod postquam Episcopus per spatium vnius anni à die liberationis à vexatione Dæmonis probauerit sanum esse posse cum illo dispensare. Et *cap. Clerici* sit Nicolai Papæ, illéque cum sit post Pium, illius Decretum moderauerit quod qui ab adoles- 913.
centia à Dæmonibus cognoscuntur obsessi ad superiorem sacri Regiminis gradum ascendere non possunt, intelligi hoc cap. debet de superiori gradu regiminis qui sit Sacerdotium, & Presbyterium, & sic non solum ad minores Ordines, sed etiam ad Diaconatum, & Subdiaconatum promoueri possunt absque dispensatione: cum enim agatur hic de censura inferenda, & incapacitate declaranda, quod est odiosum, strictè & toto rigore sermonis seruato debet nitelligi, & sic sunt irregulares solum quantum ad Sacerdotium, & Beneficia quæ Sacerdotium requirunt, & sic ad concursum admitti non possunt sine dispensatione sine qua eligi non possunt in 914.
Superiores Regulares. Possunt tamen ea habere Beneficia quæ Diaconatum, vel Subdiaconatum solum exigunt.

Sed circa hanc limitationem sunt duo examinanda. Primum, quia cum Tractatu de delictis generant. suspic. in fide. Resolut..... dixerim quod aliquis vir bonus potest ab Angelo bono, & sancto fieri arreptius, & energumenus, itaut à sensibus abstrahatur, & ipse non loquatur sed Angelus bonus per ipsum; an inquam, iste arreptitus bonus sit irregularis tam quantum ad promotionem, quam quantum ad Ordinum exercitium. Respondetur quod tex- 915.
tus adducti loquuntur solum de Dæmoniacis, & à Dæmonibus obsessis, non tamen de illo qui ab Angelo bono est possessus, qui non irreuerenter diuina tractabit, sed summa reuerentia. Quare promoueri poterit ad sacros Ordines, & admitti ad concursum, nisi ista arreptio ita sit continua vt non possit attendere ad administrationem sui officij: in exercitio vero Ordinis Sacerdotalis si possidetur multoties, & timet possideri dum est in Altari nunquam ad istud debet accedere nisi cum Sacerdote socio ieiuno, 916.
qui possit perficere sacrificium, arg. *ex cap. Nihil*

quod

quod est Concil. Tolet. 7. *c.* 2. *& cap. illud* quod est Concil. Tolet. 11. *cap.* 14. *causa* 7. *q.* 1. ibi, *Si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit turbatus fuerit, vel ad terram elisus, qui eius vicem exequatur intrepidus.* Et additur ibi, sed non est Concilij, sed alicuius Glossæ textui insertæ, *sed si hoc sacrificanti frequenter acciderit, tunc omnimodo ab oblatione prohibeatur.* Quod intelligitur de infirmis epilepticis, & morbo caduco qui contingit cum spumæ iactatione, & vocis confusæ editione, argum. *ex cap. in tuis litteris & cap. nuper* in quibus Alexander Secundus, & Gelasius Papa id ita determinant. Quod si summa compositione id fiat, & absque corporis indecentia vt decet Angelo bono non est prohibendus, sed ne sine socio celebret. 917.

Secundum quid in præfatis Decretis nomine *Dæmoniaci* intelligatur? de hoc puncto interrogatus fuit anno præterito à quodam Illustrissimo Prælato nostræ Hispaniæ. Ratio difficultatis est, quia *cap. maritum loquitur de illo qui afflictione Diaboli vexatus est. & cap. communiter* dicit de his *qui aut in terram arrepti à Dæmonibus eliduntur, aut quolibet morbo vexationis incursibus efferuntur. & cap. Clerici* loquitur de his qui à Dæmonibus sunt obsessi. & *cap. vsque adeo* tractat de his qui *arrepti sunt à Dæmonibus.* Quorum Canonum diuersus modus loquendi magnam ingerunt difficultatem. Vt enim notant Raphaël de la Torre 2. 2. *quæst.* 90. *artic.* 2. *disput.* 18. *& disputat* 26. del Rio *lib.* 3. *disquisit. part.* 1. *quæst.* 4. *sect.* 6. Thyrreus *de Dæmoniac. part.* 1. *cap.* 4. & ex illis noster Pater Laurentius de Aponte *tom.* 2. *in Matth. digressio.* 5. vt quis propriè dicatur Dæmoniacus necessarium est *quod Dæmon sit intra vltimam corporis superficiem* (siue quæ ambit totum corpus, siue partem illius, vt brachium, pedem, digitum) *tanquam in loco, & immediatè vexet per se ipsum cum quodam modo subactionis manendo in ipso tanquam in proprio habitaculo.* 918. 919.

Vnde notant præfati Doctores quod multipliciter, & variis modis homines Diaboli afflictione vexantur, & à Dæmonibus rretiti ad terram eliduntur, nam alij Dæmones vexantes homines dicuntur *possidentes*, hi sunt qui interius possident homines, iuxta ea quæ modo dicebam, & dicuntur Græcè *Cataboli*, & propriè sunt arreptitij, & energumeni. Alij sunt *assistentes*, seu *obsidentes* quia assistunt, & obsident corpus humanum, in illud que varios effectus operantur, iam infirmitatis, vt constat in Beato Iob in quem tot mala corporis induxit Dæmon, & in Beato Paulo qui dicebat 2. *Cor.* 12. *num.* 7. *datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet.* Quod multi Patres intelligunt de infirmitatibus corporis vt Anselmus, & Beda *ibi*, Hieronym. *in cap.* 4. *Epist. ad Galat. vers.* 13. Nazianzen. *orat.* 30. *de morte Basilij fratris.* Augustinus *in Psalm.* 130. *Sathanas enim obsidebat Paulum, illique assistebat, infirmitatem in illo causans.* Vel intelligitur de stimulis carnis hoc est, de concupiscentiæ motibus; *Dæmon enim*, ait optimè Cornelius à Lapide ibi, *humores commouendo, sanguinem accendendo, spiritus generationi deseruientes incitando, & inflammando, Pauli phantasiæ turpes imaginationes obiiciendo concupiscentiam quasi sopitam, laboribus, inediis mortificatam suscitabat, & ad turpes libidinis motus commouebat, & acuebat*, velut inimicus qui ciuitatem obsidet, & tormentis bellicis illam quatit, & sic Angelus Sathanæ Paulum obsidebat, illique tanquam inimicus assistebat ipsum infestando & quatiendo, & turpibus motibus colaphizando. Tertiò intelligitur locus Pauli quod non solum Dæmon Apostolum obsideret, & assisteret per motus internos concupiscentiæ, sed etiam per externos impulsus, ipsum verberibus, & pugnis cædendo, & in faciem calaphizando, ex quo resultat vehemens dolor in corpore Apostoli. Ita multi apud Cornelium *vbi suprà.* 920. 921. 922.

Et quidem à Dæmonibus obsidentibus, & assistentibus per excitationem turpium cogitationum rarissimi sunt, & hoc specialissimo priuilegio gratiæ, qui liberi sint, multi etiam Sancti habent Angelum Sathanæ qui in illis infirmitates corporis causant exquisitas, vt perpetuum stomachi dolorem, podagram, dolorem capitis continuum, febrim ethicam, & alias innumeras, vt in Beato Iob, etsi istæ infirmitates non impediant ordinum exercitia obsessi à Dæmonibus non sunt irregulares, non incapaces Beneficij, possuntque ad concursum, & examen admitti. Similiter si Dæmones obsideant exteriori impulsu percutiendo, nisi ad terram allidant, vel circa ordinum exercitia aliud impedimentum apponant, vt isti Dæmones obsidentes possunt apponere, sicut possunt colaphis cædere, & pugnis percutere; ad hoc enim non est necessarium quod sint interius homines possidentes. Neque obstat quod *in c communiter* dicat Pontif. esse irregulares *qui quolibet modo vexationis incursibus efferuntur*, quia hoc intelligitur quando ad terram allidunt, aut causando morbum caducum decidunt frequenter; in his enim casibus, etiam à Dæmonibus obsessi sunt irregulares, & de his loquitur clare *cap. Clerici citatum*, isti enim propriè dicuntur energumeni, vt dicit Glossa *ad cap. omni die de consecratio. dist.* 5. *& in cap. exorcista* 23. *dist.* arreptitij etiam dicuntur. 923. 924. 925.

Quare cum obsessi à Dæmone aliquando sint irregulares, aliquando non, vt vidimus de illis qui possessi sunt à malis spiritibus, videndum restat an semper sint irregulares. Et quidem communiter loquendo ita censendi sunt, & omnino incapaces ad ordines, ad Beneficia, & ad concursum, si liquido constet à Dæmonibus possideri; si enim à peritis, & expertis exorcistis non iudicantur tales esse cum ipsi possideant suum ius. In dubio ab illo non sunt expoliandi, nisi faciant actiones scandalosas, aut indecentes, ministeriisque Altaris indignas; tunc enim iure naturali inhabiles sunt, vt assumantur ad ordines, aut in illis se exerceant. Si tamen liquido constet energumenos, & possessos à Dæmone esse, irregulares sunt, & sine dispensatione Pontificia ad Ordines promoueri non possunt si ante transactum annum ab incœpta sanitate Ordinari velit, vel transacto anno cum dispensatione Episcopi. Hoc totum constat ex iuribus citatis 33. *distinctionis.* 926.

* * *

DIFFICVLTAS III.

De Hermaphroditis, & Androgynis.

SVMMARIVM.

927 *Hermaphroditi si in illis magis vigeat sexus fœmineus, vel æquè vigeat cum virili prorsus irregulares sunt, & incapaces Beneficij, & dignitatis Ecclesiasticæ, &c. & numer. seqq.*

931 *An si in Hermaphrodito magis vigeat virilis sexus, sit irregularis, & incapax Beneficij, & num. seqq.*

939 *Inferuntur duo corollaria, & num.* 940.

927. LImita quintò, in Hermaphroditis; isti enim, si in illis magis vigeat sexus fœmineus, vel æquè vigeat cum virili prorsus irregulares sunt, & incapaces Beneficij, & cuiuscumque dignitatis Ecclesiasticæ, imò & caracteris Sacerdotalis, sicut & fœmina, quia horum subiectum est propriè vir, qualis non est iste, cum nec simpliciter sit vir, nec fœmina. Ita tenent omnes, nec vidi
928. aliquem qui contrarium dicat.

Sed an possit cum dispensatione Pontificis initiari prima tonsura quæ caracterem non imprimit, nec propriè Ordo est, & sic illum facere capacem Beneficij, quia licet non sit vir simpliciter, est tamen vir secundum quid, & maximè si in habitu virili incedat, & decenter, nullus quem viderim tractat; non videtur tamen improbabile quod si Pontifex vtatur plenitudine potestatis id possit facere, maximè si ipse Androgynus sexum virilem elegerit, sicut potest, vt te-
929. stantur Sanchez infra citandus *num.* 2. Sylvester *verbo Hermaphroditus.* & Tabiena *eodem*, & iuret quod in posterum non est vsurus altero fœmineo sexu. Si enim validè, tunc Matrimonium contrahit loco viri vt aliis citatis tenet Sanchez *num.* 6. cur saltem prima tonsura, & Beneficio simplici ex dispensatione Pontificia non erit capax? Legatur Glossa *in cap. Diaconissam* 28. *q.* 2. *verbo Ordinare in fine*, vbi quamuis apertè maledicat quod fœmina baptizata potest ordinis caracterem recipere, hoc enim dicere est Cathaphygarum error, & omnes Scholastici *in* 4. *distinct.* 25. vbi S. Thom. *quæst.* 2. *art.* 1. *&* 2. id docent, non tamen est aperte falsum quod iste
930. Hermaphrodita sit capax primæ tonsuræ, quæ nec est Ordo, nec caracterem imprimit. Sed de hoc alij iudicent. Certum tamen est quod iste in quo æqualiter viget vterque sexus est incapax professionis solemnis in Religione siue virorum, siue mulierum vt ex multis concludit Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disp.* 106. *num.* 9. propter pericula, & scandala grauissima quæ inde oriri possunt. Si tamen sexus virilis vigeat, valida erit professio in Religione virorum, etsi fœmineus in Religione Monialium, vt tenet Marchin. excludi tamen debet propter inconuenien-
931. tia quæ in Regularibus possunt contingere.

Supereſt ergo difficultas an si in Hermaphrodito magis vigeat virilis sexus sit irregularis, & incapax Beneficij? communiter affirmant Doctores vt videre est apud Bonacinam *de irregularit.*
932. *disp.* 7. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 26. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 51. *num.* 1. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. §. 6. Molina *tract.* 3. *disp.* 20. *num.* 13. Probat Bonacina *ex cap. si testis* §. *Hermaphroditus* 4. *q.* 2. Sed friuola est probatio, quia ibi agitur de testimonio ferendo, non de irregularitate. Et sic dicit ibi Glossa verbo *Hermaphroditus* quod si in illo magi svigeat virilis sexus, vir est reputandus, & potest esse testis. Et quidem quod sit reputan-
933. dus vir simpliciter constat *ex iure ciuili l. quæritur D. de statu homi l. repetundarum D. de testibus*, quod adeo verum est vt sentiat, & optimè Sanchez quod si iste in quo prævalet sexus virilis loco fœminę Matrimonium contrahat, sit nullum Matrimonium iure naturæ, cum in ipso sexus virilis prævaleat, & sic in illo debet contrahere loco viri. Suarez vero id probat, quia hoc est monstruosum, & Hermaphroditus est corpore vitiatus, & sic irregularis, *cap. illiteratos* 36. *dist.* sed neque hæc ratio est efficax, quia monstruositas dummodo non sit notoria non inducit, vt optimè Cardin. *Tolet. infra citandus*, nam qui naturaliter esset eunuchus, & qui tres digitos, aut nullos haberet in pede, aut aliquod vitium latens, haberet monstruositatem, & tamen
934. non esset irregularis, cuius rationem modo adducam.

Quare dicendum est quod iste non est irregularis, sed absque dispensatione Pontificis potest ordinari, & est capax Beneficij, potestque ad concursum, & examen Synodale admitti. Ita Toletus *lib.* 1. *summ. cap.* 63. *num.* 6. cuius sententiam refert, & approbat Basseus *verbo irregular.* 2. *num.* 7. Fornarius *de ordine cap.* 3. *num.* 1. Turrecremata qui citat Hugon. *cap. si testes* 4. *quæst.* 2.
935. Marchin. *de Sacram. Ordin.* 1. *part.* 4. *cap.* 2. *n.* 11. & Torreblanca *de iur. spiritual. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 11. Probatur, quia vt optimè Card. Toletus, est regula certa in materia de irregularitate obseruanda quod vbi vitium est citra culpam non inducit irregularitatem, nisi vbi inhabilitas est circa Altaris ministerium, aut deformitas, aut scandalum, quorum nihil est in Hermaphrodito in quo viget sexus virilis. Quomodo autem iudicandum sit qualiter sexus prævaleat latè Sanchez, & Marchin. asserentes standum esse iudicio personarum quæ sint præditæ prudentia, scientia, & experientia, vel ipsius Hermaphroditi dicto, cui credendum est, cum ipse experiatur in se quis sensus prædominetur, & Medici iuxta ipsius relationem iudicium laturi sint. Quare male Filliuc. *tract.* 41. *cap.* 5. *num.* 3. dicit quod *in cap. si testes* §. *Hermaphroditus* iste in quo prævalet sexus virilis habe-
936. tur infamis; hoc enim falsum est, imo potest esse testis.

Sed aduertendum quod in huiusmodi Androgynis vtrumque sexum æquiualere quando vtraque genitalia maris, & fœminæ omnibus numeris completa, & perfecta habent, adeo quod illis dextra mamma sit viri, sinistra mulieris, dari-
937. que huiusmodi Androgynos certo certius est. Ita Aristot. *lib. de admirandis auditio. circa medium* D. Isidorus *lib.* 11. *ethymolog. cap.* 3. Plinius *lib.* 7. *histor. cap.* 4. Et eius commentator Iacobus Dalecampi, vbi plura adducit exempla de mulieribus quæ cum semel peperissent eruperunt virilia ad coëundum apta. Et quidem cum in irrationabilibus animibus, & quadrupedibus Authores antiqui id fateantur Aulus Gelius *lib.* 9. *cap.* 4. D. Augustinus *lib.* 3. *de ciuit. cap.* 31. Isidorus *lib.* 12. *cap.* 7. Plinius *lib.* 12. *cap.* 72. cur in hominibus id non contingat? hoc dixerim contra Marchin. *vbi suprà.* id negantem, dicit enim esse vulgarem opinionem fundatur dicto Aristot.

lib. 4.

lib. 4. Histor. animal. cap. 4. dicentis iis (scilicet Anē
938. drogynis) *semper alterum genitale ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum subinde delitescat*, notat enim quod & si aliquando vnum genitale delitescat, non tamen sèper, cum aliquando vtrumque pateat, & vtrumque ratum; sæpius tamen delitescit virile, quod in pueritia propter caloris tenuitatem erumpere non valet; crescente tamen ætate, & caloris vigore aucto erumpit
939. virile, vt tradunt Medici, & docuit Augustinus *vbi suprà*. Hæc dixerim obiter contra Marchin.

Ex dictis infertur quod ille qui androgynus est & ipse experitur quod prævalet sexus virilis, cum non sit irregularis non tenetur dicere se hermaphroditum esse, sed hoc sub silentio habito, potest ordinari, obtinere beneficia, & opponi in concursu, & retinere curam animarum sibi collatam. Sed tutius est manifestari vt à peritis dig-
940. noscatur.

Infertur secundò, quod Patronus potest præsentare hermaphroditum sexu virili prævalentem quia non est corpore vitiatus, quem tanquam irregularem excludunt Doctores à præsentatione. Cum enim iste de quo loquimur sine dispensatione possit obtinere & retinere beneficia, etiam potest præsentari à Patrono ad Beneficium.

§. XVI.

Quod cui confertur Beneficium in concursu debeat carere censura.

SVMMARIVM.

941 *An carere debeat censura, ille cui confertur*
941. *beneficium in concursu?*

SVpra dixi non esse improbabile quod si irregulari, dummodo non sit ex homicidio voluntario conferatur Beneficium, & si collatio sit illicita, est tamen valida. Sed dubio procul contrarium est verius, & tanquam securius tenendum quod infra magis discutiam, & sic sit Regula, innodatus excommunicatione maiori non est idoneus, & capax Beneficij collationis, sed ista est ipso iure nulla. Ita fere omnes, paucis exceptis Palao *disputat. 4. citat. punct. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 12.* Suarez *disput. de censur. sect. 3.* Azor *part. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2.* Basseus *verbo Beneficium 3. num. 10.* Garcia *de Beneficiis part. 7. cap. 13. n. 4.* Toletus *in summ. lib. 1. cap. 13. num 4.* Sayrus *lib. 2. de censur. cap. 5. à num. 4.* Couarruuias *Cap. Alma. part. 1. §. 7.* Auila *de censur. part. 1. disput. 1. dub. 5.* Eman. Rodrig. *in summ. tom. 1. cap. 29. num. 5.* Villalobos *tom. 1. tract. 47. diff. 9.* Raynaudus *de Monitoriis. part. 2. cap. 2. num. 29.* Magister Cornejo
942. *tract. 5. de excommunic. disp. 10. §. 7. dub. 1.* Turrianus *lib. 2. de censur. disput. 16. dub. 1.* Sanchez *tom. 1. opuscul. lib. 2. cap. 2. dub. 10.* qui plures alios citant, & sequitur Diana *part. 5. tractat. 9. resol. 99.* & definita est *Cap. postulastis. de clerico excommunicato, vbi §. conculcationi* id determinat Innocentius III.

***

§. XVII.

Regulæ ampliationes.

SVMMARIVM.

943 *Tenet prædicta Regula, etiamsi excommunicatus sit toleratus. & numeris sequentibus.*

954 *Excommunicatum non posse eligi ad beneficium Ecclesiasticum. & n. 955.*

956 *Collatio est nulla, & inualida, etiamsi prouisus ignoret inuincibiliter se esse incapacem per excommunicationem. & numeris seqq.*

959 *Excommunicatus non potest esse oppositor ad beneficium in concursu nec ad illum admitti. & n. seqq.*

AMpliatur hæc Regula primò, etiamsi excommunicatus sit toleratus. Ita ferè citati. Et ratio est, quia vt optime Coninch *disp. 14. de* 943.
Sacrament. num. 70. Auila *part. 2. sect. 6. disput. 5. dub. 2.* quamuis Concilium Constantiense permittat impune cum excommunicato tolerato communicare, tamen illum non reddit habilem, nec absterfit inhabilitatem quam habet à iure ad habenda Beneficia. Cum enim motiuum Concilij, quod fuit non irretire conscientias fidelium scrupulis, & anxietatibus, dum cum excommunicatis communicarent, perseueret, etiam si excommunicati non restituantur ad habilitatem ad habenda Beneficia, dicendum non est quod sit valida collatio facta excommunicato, etiam tolerato; non enim ex determinatione Concilij aliquid vtilitatis consequitur, sed solum fideles cum eo communicantes.

Fateor sententiam P. Gasparis Hurtado *disp. 6. de excomm. diff. 2. num. 6.* quod hæc collatio sit valida valde esse probabilem. Moueor *ex cap. postulastis citat.* vbi Pontifex *§. consultationi.* dicit 944.
excommunicatum esse incapacem Beneficij, nec illud licitè retinere posse, *quia cum excommunicatis communicare non debeat collator Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt.* Atqui post Concilium Constantiense licitum est cum excommunicatis toleratis communicare: ergo licitè, & canonicè illis conferuntur Beneficia. Probatur consequentia satis efficaciter, quia cessante ratione motiua legis cessat eius obligatio, vt est communior, & certa sententia. Quare ex eo quod Concilium concessit impunè cum excommunicatis toleratis communicare, illis consequenter, & quasi accidentaliter restituta est habilitas ad Beneficia.

Confirmatur valde efficaciter, quia licet ex- 945.
communicatus sit priuatus omni iure spirituali, tamen hoc intelligitur de excommunicato non tolerato. Quare Episcopus excommunicatus toleratus validè confert Beneficia, vt censuit Rota *coram Vbaldo in vna Placentin. Benefic. die 20. Nouembr. 1613. apud Farinac. decis. 534. num. 5.* ergo etiam idem erit in collatione passiua. Nec video cur excommunicatus non toleratus non priuetur spirituali iure actiuo, & priuetur iure spirituali passiuo. Sed nihilominus prior sententia in consulendo, & iudicando sequenda. Ita Ro-

ta *vbi sup. num. 7.* vbi dicit quod etiam si sit occultus excommunicatus est incapax Beneficij, quod secus est in conferente excommunicato occulto, cuius gesta ratione publici officij sustinentur, *vt Rota sæpius canonizauit* vt dicitur *num.6.*

947. Addit tamen Garcia *num. 5. & 6.* quod hæc ampliatio est vera quamuis collatio facta sit à Pontifice motu proprio; hic enim supponit subiectum capax, & alias non inhabile. Quare nec præstat titulus coloratus ad effectum, vt conseruetur in possessorio, & fructus faciat suos, quia vt ait Pius V. *in Bulla quæ incipit in conferendis*, ex prouisione ipso iure nulla nullus titulus, etiam coloratus acquiritur, quamuis sufficiat ad effectum regulæ de triennali. Ita Sarnanus *ad illam regulam q. 27. & 28.* Nauarrus *ad cap. si quando de rescriptis exceptio.20. num. 9.* quod scilicet si quis (exceptis Simoniacis, & intrusis in Beneficiis reseruatis in corpore iuris) sit per triennium in pacifica possessione cuiuslibet Beneficij, non possit aduersus illum intentari actio, nec Beneficium impetrari, vt explicant Ant. Gomez *ad illam Regulam quæst. 20. 16. & 27.* Couarruu. *regul. possessor. 2. part. §. 10. conc.8.* Barbosa *ad cap. postulatis de Cleric. excommunic. celebr. n.20.*

Probatur, quia Pontifex in præfata Regula solum excludit Simoniacos, & intrusos, exceptio
948. autem firmat Regulam in contrarium: ergo quamuis quis sit inhabilis quia excommunicatus, aut quia sine ætate requisita, aut quia illegitimus, si tamen per triennium pacifice possedit non potest Beneficium ab alio impetrari sed ad ordinarium pertinet examinare quo titulo Beneficium possideat. Quæ doctrina etiam est vera, non solum si adsit bona fides, sed etiam si mala, vt tenent Ludouicus Gomez *vbi supr. q.42.* & Couarruu. *conc.* 4. cum enim Pontifex in hac Regula statuenda intendat lites euitare perpetuas, si esset requisita bona fides impetrans Beneficium obiiceret pos-
949. sessori quod bona fide careret, quod non est difficile. Et rursus possessor probare deberet se habuisse bonam fidem. Quod valde difficile est, & sic lites non euitarentur. Vnde Rota apud Farinacium *tom.2.decis.181.num.2.de anno 1606.* dicit quod in quærendis non requiritur bona fides ex Balbo *2.p.3.partis q.13.num.9.* Quod qua ratione sit intelligendum dixi supra *tract.8. cap. 1. & 2.*

Tenet etiam verum in foro conscientiæ ita vt possessor etiam malæ fidei ciuilis post trienna-
950. lem possessionem pacificam securus sit in conscientiæ foro & non solum in iudiciali. Ita contra Thom. Sanchez *lib 7. in Decalog. cap. 29 num. 89* Ludouicus Gomez *q.42. citata* vbi dicit *sic bis fuisse decisum in Rota suo tempore.* Et decisio. *Rot.181.* clarè dicit *quod in bonis acquirendis non requiritur bona fides*, sed voluntas Principis potentis sic disponere, vt potuit Papa propter plenissimum dominium quod habet in Beneficiis omnibus, & sic fecit in Regula de Triennali ad sedandas lites, & scrupulos auferendos. Sicut qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ subdens peccata clauibus, cum dolore illorum, & si accedat cum ignorantia culpabili mortali, & sic accedat cum mala fide, tamen accipit verum, & validum Sacramentum etsi informe, vt dixi Resolut. de Confess. informi quæ typis dabitur, *p.2. huius*
951. *tom. tract. vlt.* Quia Christus habens plenitudinem potestatis sic statuit. Ita quamuis quis pacifice possidens per triennium (nisi sit Simoniacus, & intrusus in Beneficia in corpore iuris Papæ reseruata) mala fide Beneficium possideat, acquirit validum titulum, vt securus sit in conscientia, quia ad euitandum maius inconueniens. ita ob bonum publicum Pontifex determinauit in præfata Regula.

Neque ex hoc sequitur quod Pontifex faueat peccanti, quia hoc est per accidens, sicut nec Christus per hoc quod qui accedit cum ignoran- 952.
tia mortaliter vincibili ad Confessionem accipiat Sacramentum verum, & validum, licet informe, peccatori fauet, quia hoc est per accidens, non ex intento Christi, & Pontificis, quia Christus semper intendit Sacramentum formatum, & Pontifex bonam fidem excludentem peccatum. Quando autem dicitur in Regula *Possessor* quod *Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit de reg. iur. in 6.* intelligitur quando possessor est malæ fidei ob titulum reprobatum, vt quia possidet rem furtiuam, vel inuasam iniuste: tamen si sit possessor alicuius Beneficij, etiam si non habeat titulum validum, quia incapax erat illius, vel ex defectu ætatis, vel quia erat excommunicatus, & sic ha- 953.
beat malam fidem, tamen Princeps supremus, qualis est Pontifex, potest determinare quod post possessionem triennalem habeat titulum, quo in conscientia tutus possit retinere Beneficium, quamuis aliàs illud obtinuerit incapax. Vt enim optimè notauit Thomas Sanchez *vbi supr. num. 85.* iste Clericus excommunicatus aut non habens ætatem sufficientem non est omnino incapax sicut laicus qui incapax est, & tituli, & possessionis, sed est incapax solum tituli, non possessionis. Quare Pontifex post triennalem possessionem dispensando in illa incapacitate ad titulum, reducit possidentem ad statum in quo possit retinere Beneficium & vt faciat fructus suos. Sicut dum dispensat in radice Matrimonij reducit contrahentes, ac si ex tunc valide contraxissent, & sic filij nati sunt legitimi, *vt supr. dixi* §.4. Sed in hoc de possessore malæ fidei peccaminosæ nihil determino sed subiicio dictamen sapientioribus.

Ampliatur secundò, quod vera sit excommu-
954. nicatum non posse eligi ad Beneficium Ecclesiasticum. Ita decernitur *cap. Constitutis 1. de appellatio.* Vbi Glossa, & plures quos citat Barbosa *ibi num.2.* Vnde nec postulari, nec præsentari ad Beneficium iuris Patronatus siue Ecclesiastici sit, siue laici; eadem enim est ratio horum trium postulationis, electionis, & præsentationis, vt dicit Glossa *ad cap. Quoniam de electio. in 6.* & probat Couarruu. *cap. Alma p.1. §.7. num.1. & 2.* & ex ipso Toletus *vbi suprà num.4.* & cæteri communiter. Quia patronus quicumque sit tenetur præsentare habilem ad collationem, & institutionem. Quæ ampliatio tenet verum, etiam si electio non fiat ad Beneficium Ecclesiasticum quod datur in titulum, sed etiam in quacumque dignitate, & officio temporali habente vsum iurisdictionis non solum ecclesiasticæ, sed & temporalis; vtriusque enim iurisdictionis vsus prohibitus est excommunicatis, *cap. Postulatis & cap. finali de cleric. excommunic.* Vnde excommunicatus non 955.
potest esse electus in Regem, Principem, nec Vicarius, administrator, gubernator Episcopatus, legatus etiam à latere, nec Patronus, Inquisitor &c. quia his omnibus prohibita est communicatio. Ita Sanchez *infrà citandus num.4* Siluester *excomm.3.§.9.* Auila *vbi suprà disp.6.dub.7.* Henri-

quez

quez §.4. Toletus *num.*8. etsi Suarez *disp.*16. *de censur. sect.*2. *à num.*2. contrarium sentiat in officiis, & dignitatibus laicis, quod scilicet istorum electiones factæ in excommunicato non sint ipso iure irritæ, sed irritandæ.

956. Ampliatur tertiò, quod collatio sit nulla, & inualida, etiam si prouisus ignoret inuincibiliter se esse incapacem per excommunicationem. Ita Couarruu. *vbi supr.* & Toletus. Quibus addo Azor *p.*2. *lib.*6. *cap.*7. *q.*8. Auila *de censur. disp.*13 *sect.*1. *num.*25. Lopez *in Instructor. tom.*2. *p.*2. *cap.*17. Nauarrus in Manual. *cap.*27. *num.*271. Henriquez *lib.*13. *cap.*3. §.3. & alij quos citat, & sequitur Garzia *p.*7. *c.*13. *num.*9. Ratio est, quia subiectum est incapax, & ignorantia non facit capacem, quamuis excuset à peccato retentionis, vt constat in Matrimonio, in quo si contrahentes habeant

957. impedimentum dirimens, quamuis illud inuincibiliter ignorent, tamen Matrimonium nullum est, & inualidum ipso iure, etsi à peccato reddendi debitum, & petendi excusentur ignorantia inuincibili qua laborant.

Contra hanc ampliationem quæ certissima, & communissima est, tenet Diana *vbi supr. resol.*99. *vers. notandum.* dicens hanc prouisionem validam

958. esse cum Nauarro *ad cap. Fratres. de Pœniten. dist.* 5. *num.*45. vbi alios refert, & Fabro *in* 4. *dist.*25. *quæst.*1. *disput.*4. *cap.*4. *num.*192. quod censet probabile Lessius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*22. *num.*117. Sed fallitur Diana contra vsum Pontificum qui expeditione Bullarium absoluunt Beneficiarios ab excommunicatione, quantum ad hunc effectum, quod scilicet collatio Beneficij valida sit. Secundò, quia licet ignorantia excuset à pœnis quæ incurruntur in illo statu, si aliquid prohibitum in illo statu fecerint, tamen non habilitat subiectum incapax, vt notauit Couarruu. *vbi suprà. num.*3. Sanchez *tom.*1. *consilior. lib.*2. *cap.*2. *dub.*10. *numer.*7. Quare opinionem Dianæ non iudico practicabilem siue in consulendo, siue in iudicando.

959. Ampliatur quartò, quod excommunicatus non potest esse oppositor ad Beneficium in concursu, nec ad illum admitti, quia non potest cum aliis communicare in actionibus publicis, & ordinatis ad iurisdictionem spiritualem, vel ius aliquod spirituale acquirendum, argum. *ex cap.* 1. *de rescriptis. in* 6. vbi Bonifacius VIII. decernit quod rescriptum ipso iure non valet si ab excommunicato super, alio quam super excommunicationis, aut appellationis articulo fuerit impetratum. Et sic excommunicatus omnino incapax est actionis ad aliquod ius spirituale acquirendum, qualis est oppositio ad concursum, & admissio ad examen

960. pro Beneficio obtinendo, & impetratio Bullarum ad obtinendum Beneficium siue in forma *Pauperum*, siue in forma *dignum* facta ab excommunicato est ipso iure nulla, etiamsi impetrans esset inscius suæ excommunicationis *vt sup.* ita Sanchez *vbi suprà. num.*12. plures citans. Si tamen sit excommunicatus toleratus existimo quod oppositio sit ipso iure nulla; imo & quod Episcopus potest illum admittere ad oppositionem non quia illum vitare tenetur, sed quia oppositio in concursu est actio ordinata ad ius spirituale acquirendum, cuius est incapax excommunicatus maiori, admissio etiam nulla est, quia licet licitum sit communicare cum tolerato ac si non esset excommunicatus vt docet Diana *tract.*9. *part.*5.

961. *resol.*117. tamen cum toleratus sit incapax iuris spiritualis non potest ad illud habendum admitti, sicut nec patronus potest præsentare excommunicatum. Vnde si oppositor excommunicatus acquirat Beneficium, & ante collationem absoluatur, nulla est collatio, quia examen nullum, & oppositio nulla fuit; non enim fuit habilis oppositor.

Ampliatur quintò, etiam si sit excommunicatus excommunicatione minori. Ita ampliat Garzia *vbi suprà. à num.*27. *vsque ad* 33. Sanchez *vbi suprà. dub.*12. Azor *part.*2. *lib.*6. *cap.*7. *quæst.*7. Armilla *verbo excommun. num.*9. Philiarchus *de offic. Sacerd. lib.*3. *cap.*17. & alij plures, etiamsi tam electores, quam electus inuincibiliter ignorent excommunicationem. ita Abbas *ad cap. finale de Cleric. excommun. num.*8. Candelabrum *num.*49. Vgolinus *de censur. Tabula* 3. *cap.*6. §.3. *num.*3. 962.

Sed mihi nullo modo placet hæc ampliatio; 963. existimo enim, vt non semel tutatus sum tanquam practice etiam probabilissimum excommunicatum excommunicatione minori non esse incapacem ad beneficia Ecclesiastica. Et quidem Sanchez *vbi supr. num.*6. *in fine.* dicit *hanc sententiam esse probabilissimam*, quam tenent ex Antiquis Richardus *in* 4. *distinct.*18. *art.*7. *quæst.*4. D. Anton. 3. *part. tit.*19. *cap.*2. §.3. Felinus *Cap. Dilecte de exception.* Syluester *electio* 1. *quæst.*14. Tabiena *numer.*17. ex Modernis Toletus *lib.*1. *cap.*17. *& lib.*5. *cap.*66. Sotus *in instructio. in materia de excomm. lect.*4. Dominicus de Soto *in* 4. *dist.*22. *quæst.*2. *art.*3. Auila *part.*2. *cap.*6. *disput.*12. *dub.*4. Rodrig. *tom.*1. *summ. cap.*105. Sa emendatus *verb. excommun. num.*33. Suarez *disputat.*25. *sect.*2. *à num.*19. Lessius *vbi suprà. num.*116. Sayrus *lib.*2. *cap.*22. *num.*23. Bonacina *disp.*2. *de excomm. quæst.*3. *propositio.*3. *num.*6. Filliucius *tract.*13. *cap.*2. *quæst.*9. Alterius *lib.*1. *de censur. disput.*4. *cap.*2. Vasquez *de excommun. dub.*6. *num.*12. Reginaldus *lib.*32. *praxis. num.*143. Coninch. *disput.*14. *num.*263. Turrianus *de censur. lib.*2. *distinct.*26. *dub.*4. & alij innumeri.

Probatur clare, quia Gregorius IX. *cap. si celebrat. de cleric. excommun.* dicit quod excommunicatus minori excommunicatione *eligere non prohibetur vel ea quæ ratione iurisdictionis sibi competunt exercere; si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda.* Quibus verbis Pontifex declarauit *Capite. Postulastis. eodem.* vbi Innocentius tertius. Gregorio antiquior determinat quod collatio facta excommunicatis sit nulla, & irrita ipso facto, quod intelligatur de excommunicatione maiori, quia facta excommunicato minori non est irrita, sed irritanda. Et quidem satis prudenter est ita 965. statutum, quia cum tempore Gregorij IX. non liceret communicare cum excommunicatis, & qui communicabat incurrebat excommunicationem minorem, si ista redderet incapacem ipso facto aliquem ad beneficia erat occasio multarum inquietudinum, & scrupulorum. Quare Gre- 966. gorius volens conscientias se dare fidelium declarat mentem Innocentij vt eius decretum non intelligatur de excommunicatione minori, sed quod electio facta in tali excommunicatione irretiti non sit ipso iure irrita, sed irritanda. Quod cum simus in pœnalibus in sua propria significatione est intelligendum, & non ad impropriam detorquendum. Aliud enim est *irrita* aliud *irritanda*, cum hoc significet futurum, illud de præsenti non requirent sententiam condemnatoriam,

967. riam, ſicut exigit verbum *irritanda*, cum hoc ſignificet futurum, ex vi cuius Beneficiarius non tenetur ſe expoliare beneficio collato. Quare in præfato *Cap. Si celebrat.* ſolum prohibetur ne excommunicato minori fiat Beneficij collatio, aut ad illud eligatur, præſentetur, aut nominetur; non tamen quod collatio, electio, præſentatio, & nominatio ſit ipſo iure irrita, ſed ſolum *irritanda* vt notat Baſſeus *excomm.4 num.1.* etiam ſi electio, aut collatio ſit cuiuſcumque Beneficij ſimplicis, & non requirentis aliquem Sacramentorum vſum paſſiuum, aut actiuum, quia omnis qui eligitur ad quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum ad hoc eligitur, vt celebret, aut recipiat Sacramenta. Legatur Suarez *num.24.& 25.*

968. Ex quo inferunt & bene Vaſquez, Reginaldus, Bonacina, Torres, contra Suarez *vbi ſupr. num.18.* & alios, quod ſi Elector, Prouiſor, collator, &c. aut prouiſus, & electus ſiue inſtitutus ignorant inuincibiliter excommunicationem minorem, electio non eſt irritanda, quia ignorantia excuſat ab omni culpa, & electio venit irritanda, quia cum ſcientia excommunicationis minoris quæ priuat participatione, & vſu paſſiuo Sacramentorum ſe ingerit vt eligatur ad illud munus quod illum vſum requirit. Quare ſicut qui ignorat inuincibiliter ſuam minorem excommunicationem, ratione ignorantiæ poteſt accedere ad ſacramenta, ita poteſt eligi, aut inſtitui ad beneficium: nec eius electio, aut inſtitutio irritanda eſt, quia hæc irritatio eſt pœna quæ ſine culpa

969. non incurritur. Quare excommunicatio minor non reddit ſubiectum incapax ipſo facto Beneficij, ſicut excommunicatio maior. Quare excommunicatus minori poteſt opponi ad beneficium curatum in concurſu cuius admiſſio, examen, oppoſitio valida erunt, ſicut & collatio, quæ ſi ignoranter facta eſt excomunicationis, non eſt irritanda; ſicut nec irritanda eſt electio ſic excommunicati ad dignitatem, ſeu miniſterium politicum temporale, ſiue ad Cathedram ſacræ Scripturæ, ſi non habet Beneficium annexum, quibus omnibus eſt incapax excommunicatus maiori.

DIFFICVLTAS I.

An ſi excommunicatio ſit iniuſta faciat incapacem ad beneficia?

SVMMARIVM.

970 *Ampliatur prædicta Regula, etiamſi excommunicatio maior ſit iniuſta. & numeris ſeqq.*

976 *Innocens probatus nocens in foro externo, eſt prorſus inhabilis ad beneficia, & ad concurſum Parochialium, &c.*

982 *Prædicta Regula tenet verum etiam in permutatione beneficiorum, ſiue ſit facta in manibus Ordinarij, Legati à latere, ſiue Papæ. & num.ſeqq.*

988 *Ampliatur item Regula ad Penſiones, quarum eſt incapax excommunicatus. & num. ſeqq.*

970. AMpliatur ſextò, etiam ſi excommunicatio maior ſit iniuſta. Ita tenent communiter communiteer Doctores, quos citat, & ſequitur Garcia *vbi ſuprà num.11.* quia excommunicatio iniuſta in reipſa, quia contra veritatem condemnatur quis, ſi ſecundum allegata, & probata eſt inuentus reus non eſt iniuſta dicenda; imo iuſtiſſima, quia iudex non debet alio modo procedere niſi ex allegatis, & probatis, quamuis alias ipſe vt particulais perſona contrarium ſciat, vt cum D.Thom.multis citatis probaui *in 2.part. huius tomi tract.6.* Quare ſi quis ſecundum allegata, & probata ſententia iuſta priuetur beneficio, aut dignitate, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue Laica, 971. reipſa & vere manet illo priuatus, itaut non poſſit ſententiæ diffinitiuæ contrauenire, quamuis euidenter ſciat reipſa non eſſe iuſtam, quia iuſtitia inter homines non attenditur ad id quod eſt reipſa, ſed ad id quod probatur, & allegatur; aliàs valde turbaretur bonum publicum, & Reipublicæ pax: ergo excommunicatio quæ ſecundum allegata, & probata iuſta eſt, quamuis ſit innocens contra quem fertur, & ſic in re ſit contra veritatem, tamen valida eſt, & reddit ſubiectum incapax beneficij. Conſequentia videtur euidens, quia actus clauium qualis eſt excommunicatio validus eſt, ſi clauis non errat; atqui non errat quando exercetur ſecundum allegata, & probata: ergo valida eſt hæc excommunicatio. 972. Quod vero clauis non erret euidens eſt, quia procedit legitime modo humano in ſuo ordine, & operatur ſecundum ſcientiam ſibi accommodatam. Et ſic huius ſententiæ eſſe videtur S. Thom. *in 4 diſtinct.18. quæſt.2. art.1. quæſtiunc.4.* dicens quod quotieſcumque cauſa non eſt talis, quæ ſententiam latam annullet excommunicatio eſt valida, vt ſi quis pro falſo crimine, ſed in iudicio probato excommunicatur, & ſic cauſat excommunicationis effectus, licet in re ſit iniuſta, quia contra veritatem.

Fateor ampliationem iſtam eſſe communem, 973. & veriſſimam, ſi loquamur de obligatione exterius exequendi præceptum Superioris quod ſecundum allegata, & probata iuſtum eſt, & obediendi ſententiæ latæ, etiam in amiſſione magni maioratus, aut Regni, aut Dignitatis, quo quis priuatur, & alteri adiudicatur; contra quam ſententiam ſi vltima eſt & executiua nullus valebit contraire, alias mortaliter peccabit, & tenebitur ad omnia damna ex contrauentione orta, quia bonum politicum, & pax publica exigit quod ſtetur ſententiæ latæ ſecundum allegata, & probata, & ſic condemnatus tenetur ſe conformare ſententiæ propter bonum publicum quod magis ponderat quam particulare, niſi ſine graui læſione boni publici, aut miniſtrorum iuſtitiæ poſſit ſententiam effugere.

Cæterum cum ſententia excommunicationis 974. lata contra reipſa innocentem, etſi probatus nocens in foro externo, reipſa non nitatur veritati, & ſic reipſa non eſt actus iuſtitiæ, cum deficiat conformitas rei ad rem atque reipſa eſt iniqua & iniuſta (quamuis ſecundum humanum iudicium ſit æquiſſima, ita quod ſi aliter fieret iudex mortaliter peccaret, quia in foro externo in- 975. iuſte procedit) vnde huius ſententiæ efficacia eſt ſecundum intentionem ferentis, quæ cum iuſta debeat eſſe tendit ſemper ad veritatem, & conformitatem rei ad rem, & ipſius rei æquitatem; alias clauis erraret in ferendo excommunicationem, & dum clauis errat non operatur. Vnde *cap.1. de ſentent. & re iudicata in 6.* dicitur *quod æterni tribunal iudicis illum reum non habet quem iniuſte*

iniustè iudex condemnat. Fere idem habetur *cap. à nobis, el segundo de sent. excomm.*

976. Vnde manifestè deducitur quod innocens probatus nocens in foro externo sit prorsus inhabilis ad beneficia, & ad concursum Parochialium, & in foro eodem sit condemnandus ad priuationem Beneficij collati, cui condemnationi tenetur in conscientia obedire; tamen in foro interno, & conscientiæ quod attenditur secundum æquitatem rei ad rem non est incapax beneficij, & oppositionis ad concursum, sed si illi conferatur Beneficium valida erit collatio, cum iste sit innocens reipsa non est dignus tali pœna, quæ ipso iure incurritur quando reipsa adest culpa, *cap. sicut dignum de homicidio.* Si ergo reipsa ista non est, reipsa non incurritur hæc inhabilitas per excommunicationem solum validam, & iustam in foro externo.

977. Verum est (id quod maximè notare oportet) quod si forum externum declaret talem collationem esse nullam, & irritam, hæc declaratio non fundatur in sola præsumptione quod sit condemnatus nocens, sed fundatur in reipsa, non quidem in culpa, cum ista non fuerit reipsa, sed in maxima conuenientia boni communis cui conuenit quod qui probatur nocens puniatur pœna debita; cum enim beneficium illud alteri possit conferri, & de facto conferatur reipsa collatio valida est, & sic alter amisit titulum, cum idem beneficium non possit æquè esse duorum; alias magna confusio, & alteratio sequeretur.

978. Quare hanc sententiam tenent Magister Soto *in 4. distinct. 22. quæst. 1. artic. 3. vers. His tamen non obstantibus*, vbi neruosè vt assolet illam confirmat, aduertens ex Caietano (quem sequitur *2. 2. quæst. 70. art. 4. §. ad secundum*) *quod in pure moralibus Theologos aliter vti nominibus iudicij, & sententiæ iustæ, & iniustæ, & aliter Iurisconsultos. Theologi enim solam rei veritatem contemplantes non distinguunt inter iudicium iniustum, & nullum, id quod Sanctus Thomas ibi expresè docet dicens iniustum iudicium non esse iudicium. Quare idem est iniustum, & nullum.* 979. *Sed quia Iurisconsulti non tam ad rei veritatem quam ad præsumptionem iuris attendunt, distinguunt inter sententiam iniustam, & nullam dicentes quod potest esse iniusta, & nihilominus non esse nulla.* Hæc ille. Quæ doctrina valde est notanda, quia nos in præsenti vt Theologi loquimur. Idem docet Adrianus *quæst. 6. quodlib.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 4. sect. 7. num. 11. & 26.* plures citans.

980. Confirmatur, quia non est maior potestas clauium ad lædendum in spiritualibus, quam sit potestas ciuilis ad lædendum in temporalibus; at si quis reipsa sit innocens, etsi à iudice condemnetur ad pœnam, quia secundum allegata est probatus nocens, potest è carcere fugere, & non soluere pœnam, nisi interfit scandalum publicum, & pacis publicæ perturbatio: ergo dum innocens excommunicatur nulla est in rei veritate excommunicatio; Ecclesia enim solum pro peccato reipsa commisso accipit potestatem ferendi validam excommunicationem. Cum autem innocens nullum habeat peccatum, nullum in se habet effectum excommunicationis in foro interno, licet in externo præsumatur. Legatur *cap. si quis 24. quæst. 3.*

981. Ex quo infert Soto quod taliter excommunicatus si est Sacerdos, & celebrat nullam incurrit irregularitatem, nec pœnam iuris incurrit in conscientiam estque adeo id licitum vbicumque citra scandalum id facere valuerit, sacris se perinde ingerere, ac si non esset excommunicatus. Doctrina huius sententiæ intelligitur de excommunicato etiam non tolerato, & publico Clerici percussore, si ita solum est probatum in foro externo, cum in interno sit innocens.

Ampliatur septimò, quod tenet verum Regula etiam in permutatione Beneficiorum siue sit facta in manibus Ordinarij, Legati à latere, siue Papæ. 982. Ita Garcia *vbi suprà à num. 15.* vbi plures citat. Sanchez *cap. 2. citatato dub. 13.* est communis, vt videre est in Suarez *disput. 14. sect. 1. num. 12.* Couarruu. *in cap. alma part. 1. §. 7. numer. 2.* Ratio est, quia permutatio includit mutuam collationem vtriusque Beneficij; at excommunicatus est incapax collationis: ergo & mutuæ permutationis.

Secundò, quia si vnus ex permutantibus sit 983. ex alio capite incapax non est valida mutua permutatio, vt quia est illegitimus, aut non habet ætatem requisitam: ergo si est incapax quia excommunicatus dixi mutuæ permutationis, quia ex parte illius qui non est excommunicatus valida est permutatio, quia ipse habebat titulum sui Beneficij, & erat capax alterius: ergo ex vi huius permutationis, sicut abdicat à se beneficium suum, ita acquirit ius in alterum; quod enim excommunicatus non acquirat ius non est ex defectu, & culpa alterius compermutantis, sed sua, quia incapax est. Quare potest abdicare à se ius quod habebat in suum Beneficium, non tamen potest acquirere in alterum. Et licet ex- 984. communicatus peccet mortaliter permutando (nisi id faciat ad petitionem, & in fauorem alterius compermutantis, vt bene Suarez, *vbi infrà num. 4.*) tamen potest conferre beneficium validè, quia electio, & collatio actiua facta ab excommunicato valida est, vt determinauit Rota *in decisione adducta ampliat. 1.* Quare ampliatio ista intelligenda est de excommunicato tolerato, vt determinat Rota *decis. 534. citata*; nam si non sit toleratus, vt quia publicè expositus in tabella, aut publicus percussor Clerici, non est valida permutatio, quia non tolerato etiam collatio actiua est prohibita, & nulliter ab illo fit, vt dicit Suar. *vbi sup. sect. 2. num. 3.*

Addit Garcia *vbi suprà num. 18. & 19.* quod 985. hæc ampliatio tenet verum quando collatio facta excommunicato ex causa permutationis, etiam si tempore resignationis, & admissionis non esset excommunicatus, quia per collationem confertur titulus, & ius ad Beneficium, cuius est incapax; tenet tamen collatio quam tempore resignationis, & admissionis fecerit excommunicatus, si tempore collationis est absolutus. Sed mihi hoc vltimum nullatenus probatur, quia vt dicitur *cap. vltimo de rerum permutat. in 6. & in Clementina vnica eodem*, resignantes beneficia causa permutationis, per mutuam resignationem, & admissionem Ordinarij acquirunt ius ad Beneficia 986. quæ permutantur, itaut collatio alteri facta ipso iure sit nullius firmitatis ex nouo iure Clementinarum; quamuis ex iure sexti Decretalium solum sit ex æquitate, quam præfert Pontifex iuris rigori; atqui excommunicatus prorsus est incapax cuiuscumque iuris ad beneficium, sicut

ſicut & ipſius Beneficij. Et ſic alter reſignans ex facto ſuo, nec Ordinarius ex admiſſione reſignationis poteſt aliquod ius præbere: atque ita ſi tempore admiſſionis eſt excommunicatus, & ſi tempore collationis ſit abſolutus collatio nulla eſt, quia ex parte excommunicati ab initio fuit nulla permutatio, & ab initio fuit nulla reſignatio in illius fauorem, etiam cauſa permutationis, vnde beneficium reſignatum in fauorem excommunicati cadit ſub gratia expectatiua, & poteſt illud conferre cui voluerit, etiam ſi tempore collationis ſit abſolutus.

987. Si tamen permutatio facta ſit cum excommunicato propter hæreſim, quæ poſt factam permutationem publicata eſt, & damnatus hæreticus, poteſt qui beneficium ab hæretico accepit, iterum ad ſuum quod hæretico dedit propria authoritate redire, ſi fiſcus ipſum ſpoliet à Beneficio hæretici vt poteſt ſpoliare, quia hæreticus ita permutauit quod poſſit fiſcus ita permutationem reuocare, ac ſi facta non eſſet, & ſic hæreticus nullum acquiſiuit ius, vtpote excommunicatus. Et ſic eo ipſo quod à permutante aufertur beneficium poteſt ſi ignoranter permutationem fecit propria authoritate ad ſuum beneficium reuertere, quia non tranſtulit titulum in Hæreticum, qui eſt illius incapax. Legantur Sanchez *lib.2. ſumm cap.16. n.9.* Fagundez *lib.1. in Decalog. cap.18. num.11.*

988. Ampliatur octauò, ad Penſiones quarum eſt incapax excommunicatus. De hac ampliatione legendi ſunt Filliucius *tractat. 12. cap. 5. num. 123.* Suarez *de cenſur. diſput.13. ſect.1.num.8.* vbi egregiè diſcurrit vt aſſolet. Turrianus *lib.2. de cenſur. diſp.16.* Vaſquez *dub.6 de excommun.num.1.* Cornejo *tract.5. de excommun.diſp.10. §.7. dub.1. diſſic.4.* Auila *2. part.cap.6. diſp.5. dub.5.* Præpoſitus *3. part. quæſt. 2. de excommun. dub. 11. num. 64.* Raynaudus *de Monitor. part. 2. cap. 2. num. 29. pagin. mihi 321.* Garcia *part.1. de Benefic cap. 5. num.130.* Et ego quamuis ſupra dixerim dum ſtatuerem Regulam de illegitimis quod non ex eo quod quis ſit incapax Beneficij, eo ipſo eſt incapax penſionis, quæ nomine Beneficij non venit in odioſis, & ſic quod illegitimus, etſi ſit incapax Beneficij poteſt tamen habere penſionem.

989. Cæterum exiſtimo quod quæcumque penſio detur titulo ſpirituali, ſiue ſit perpetua, ſiue ſit temporalis, nec licitè, nec validè poteſt dari excommunicato excommunicatione maiori. Ita plures ex relatis quibus addo Sanchez *vbi ſup. dub.10.n.19.* Villalobos *tom.1. tract.17.difficult.9 num.3.* Mercerum *3. part. quæſt.21. dub.8.* & de penſione perpetua quæ datur titulo Beneficij & dicitur *Preſtamo* tenent Vaſquez, & Torres, & dicit indubitatum Suarez, ex pluribus quæ adducit *numero 7.*

1000. Ratio quæ me mouet hæc eſt, quia excommunicatus eſt incapax omnis iuris ſpiritualis; atqui penſio data, vel habita titulo ſpirituali confert ius Eccleſiaſticum ad percipiendos fructus beneficij in quo fundatur penſio: ergo excommunicatus eſt penſionis incapax. Quod adeo verum eſt quod reſcriptum, aut Bulla impetrata ab excommunicato ad effectum obtinendi penſionem ſit ipſo iure nullum, niſi ad effectum obtinendi abſoluatur *argum. cap. Dilectus de reſcriptis. & cap.1. de reſcriptis in 6.*

1001. Quod vero excommunicatus ſit priuatus omni iure ſpirituali paſſiuo eſt manifeſtum in iure *cap. Poſtulatis de Cleric. excomm.* vbi Innocent.III. ex eo infert quod excommunicati non poſſunt licitè, & validè retinere beneficia, quia cum illis communicari non poteſt; atqui etiam aſſignatio penſionis eſt quædam communicatio: ergo excommunicatus illius non eſt capax, & quamuis ſit toleratus cum quo poſſumus communicare per extrauag. *Ad euitanda* tamen ipſe excommunicatus non accipit aliquam habilitatem quam antea non habebat, ſed ſemper manet ex parte ſua incommunicabilis, & ſic incapax cuiuſcumque iuris ſpiritualis, quod oriri poteſt ex noſtra communicatione. Quare licet penſio non ſit Beneficium proprium, vt declarauit Sacra Congregatio Trident. 1002.
Et colligitur apertè *ex cap. quamuis de Prabendis in 6.* tamen eſt proprium ius ſpirituale ad percipiendos fructus, qui licet ſint naturales, tamen in quantum ſunt Eccleſiaſtici, & Deo dicati ius ad illos percipiendos ſpirituale eſt. Quare malè Præpoſitus cui conſentit Diana *part. 5. tractat.9. reſol. 103.* ex eo quod penſio non ſit Beneficium colligit quod excommunicatus quamuis ſit incapax Beneficij non eſt incapax penſionis. Hæc enim illatio eſt contra ſtylum Curiæ Romanæ, ſecundum quem ille cui confertur penſio abſoluitur ab excommunicatione *ad effectum.* Quod mihi indubitatum eſt quando aſſignatur penſio propter munus ſpirituale, vt cum datur Coadiutor Epiſcopo, aut Adminiſtrator Epiſcopatus; tunc enim penſio eſt annexa, & acceſſoria ad munus ſpirituale, & ſic ſicut iſtud non poteſt habere excommunicatus, ita nec illam quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. 1003.

Si tamen penſio detur titulo mere laico, & ſæculari, exiſtimo quod excommunicatus non eſt illius incapax, quia nullum ordinem habet ad aliquod ſpirituale, ſed eſt quædam temporalis donatio ex fructibus Beneficij. Sicut ſi Beneficiarius faciat donationem alicui conſanguineo, vt ex fructibus Beneficij quotannis accipiat mille: hæc autem donatio valida eſt, quamuis donatarius ſit excommunicatus. 1004.

§. XVI.

Limitationes eiuſdem Regulæ.

SVMMARIVM.

1005 *Omnes iſtæ ampliationes, & Regula ipſa intelliguntur, niſi in reſcripto, & Bullis ponatur abſolutio ab excommunicatione quantum ad effectum conſequendi, & obtinendi beneficium, aut penſiones.*
Declaratur hæc limitatio n. ſeqq.

1005. LImita primò, quod omnes iſtæ ampliationes, & regula ipſa intelligantur, niſi in reſcripto, & Bullis ponatur abſolutio ab excommunicatione quantum ad effectum conſequendi, & obtinendi Beneficium, aut penſiones. Ita omnes citati præcipuè videndi ſunt Sanchez *dub.10. cit. n. 10.* Toletus *lib.1. ſumm. cap. 13. num.2. & 3.* Garcia *vbi ſup. à num. 59.* Auila *part. 2. cap.6. diſputat.5. dub.2.* qui notat primò quod hæc abſolutio quoad effectum vt collatio Beneficij, & Bullarum impetratio ſit valida, non prodeſt *iuxta Regulam Cancellariæ 74. Iulij III. & Sixti V.* illi qui per annum continuum in cenſuris inſorduerint, nec etiam in aliis caſibus in præfata regula numeratis, in quibus ſi per quatuor 1006.

men

menſes non ſe abſoluerint, ſic enim habet regula Sixti huiuſmodi abſolutionem, *non ſuffragari non parentibus rei iudicatæ, incendiariis, violatoribus Eccleſiarum, falſificatoribus, vt falſificari procurantibus litteras, & ſupplicationes Apoſtolicas, & illis vtentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus,* 1007. *violatoribus Eccleſiaſticæ libertatis, via facti auſu temerario Apoſtolicis mandatis non obtemperantibus, vel Nuntios, vel executores Apoſtolicæ Sedis, & eius Officialium, eius commiſſa exequentes impedientibus. Qui propter præmiſſa, vel aliquid eorum excommunicati à iure, vel ab homine per quatuor menſes ſcienter excommunicationis ſententiam huiuſmodi ſuſtinuerint, & generaliter quibuſcumque aliis qui cenſuris aliquibus, etiam aliàs quam vt præfertur quomodolibet ligati in illis per annum continuum inſorduerint.* Quare ſi præfati excommunicati in Bulla Cœnæ ſcienter non in- 1008. ſorduerint per quatuor menſes, & cæteri per annum continuum, abſoluti cenſentur quantum ad effectum per præfatam clauſulam Bullis, & reſcriptis inſertam, quæ naſcitur ex ſupplicatione facta à parte impetrante, & multo magis habebit effectum ſi Pontifex eam ponat motu proprio.

Addit Garcia *nnm. 62. 63. & 64.* quod præter abſolutionem inſertam in reſcripto, quæ ſolum operatur, vt litteræ ſint validæ ſi Beneficium impetratur in forma *Dignum*, etſi in forma commiſſaria vt valeat mandatum de prouidendo, etſi 1009. in forma gratioſa, vt valeat prouiſio, præter hanc, inquam, abſolutionem, danda eſt alia à Commiſſario, executore, ſiue collatore Beneficij, vt collatio ſit valida, & prouiſio teneat. Contrarium tenet Sanchez dicens non eſſe neceſſariam abſolutionem aliam quantum ad hunc effectum, ſed ſufficit ea quæ Bullæ inſerta eſt. Sed hoc verum eſt ſi poſt Bullam impetratam non eſt incurſus in aliam excommunicationem, quia Bullæ abſolutio ſolum extenditur ad cenſuras quibus tempore expeditionis innodatus impetrans exiſtit: ſi vero ſit alia denuo incurſa neceſſaria eſt alia abſolutio.

1010. Notant ſecundò, quod præfata clauſula non prodeſt excommunicato propter hæreſim externè prolatam. Ita Sanchez *vbi ſuprà* Auila *dub. 2. citat.* Couarruu. *in cap. alma part. 1. §. 11. n. 15.* Probant *ex cap. excommunicamus el primero §. credentes de Hæreticis.* Sed hic loquitur Pontifex de publicis fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus Hæreticorum, ſi poſtquam notati ſunt ab Eccleſia quod ſint excommunicati per annum inſorduerint, & non ſatisfecerint. Quare diſtinguendum eſt, quando aut Bulla, aut reſcriptum promanat à Papa qui habet plenam poteſtatem ab omnibus caſibus abſoluendi. Et exiſti- 1011. mo quod clauſula illa etiam extendatur ad excommunicatum per hæreſim externam, occultam tamen, nam ſi ſit notoria, vel ad iudicium deducta, nullo modo talis clauſula operatur, quia iſte omnino eſt incapax Beneficij, neque quantum ad effectum validitatis, aut reſcripti, aut collationis aliquid operatur: ſecus vero ſi hæreſis ſit occulta, dummodo per annum in excommunicatione non inſorduerit.

1012. Vel clauſula illa ponitur in Bullis, & reſcriptis promanantibus à Legatis, & Nuntiis Apoſtolicis, & iſta operatur in omnibus excommunicationibus à quibus ipſi iuxta ſuas facultates à Summo Pontifice illis conceſſas poſſunt abſoluere, & non in alias. Nuntius tamen Hiſpaniarum, vt notat Garcia *num. 69.* plenam habet poteſtatem abſoluendi ab omnibus, & à quibuſcumque cenſuris à quibus poteſt Pontifex, & ita etiam ab excommunicatione hæreſis occultæ quantum *ad effectum iſtum.*

DIFFICVLTAS I.

An ſit abrogata Epiſcopis poteſtas ad abſoluendum ab hæreſi occulta?

SVMMARIVM.

1013 *An per Bullam in Cœna ſit abrogata facultas data Epiſcopis per Tridentinum Concilium, vt poſſint abſoluere in foro externo, ab hæreſi occulta? & num. ſequent.*

1018 *Iudicium Auctoris ponitur, & n. ſeqq.*

1030 *Reſpondetur ad fundamentum oppoſitum, & num. ſeqq.*

SI vero clauſula illa ponatur ab Epiſcopo ma- 1013. ior difficultas eſt an extendatur ad excommunicationem incurſam propter hæreſim occultam. Oritur enim difficultas ex illa celebri quæſtione An per Bullam in Cœna ſit abrogata facultas data Epiſcopis per Sacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 24. cap. 6.* vt poſſint abſoluere in foro externo ab hæreſi occulta? Affirmant ablatam eſſe & plures, & graues Doctores, pluſquam quinquaginta numerat, & ſequitur Sanctarellus de hæreſi *cap. 5. dub. 1.* Sanchez *tom. 1. ſumm. lib. 2. cap. 11. num. 27.* Garcia *part. 11. cap. 10. num. 155.* Coninch *diſput. 14. de excommun. num. 243.* Vnde Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 30. ſect. 2. n. 12.* dicit quod ſæpè in Tribunali Sacræ Inquiſitionis conclamatum fuit hodie id non poſſe Epiſcopos, & ſic declaratum à Gregorio XIII. ſic expoſtulante Sacra Concilij Congregatione.

Sed negant abrogatam eſſe Authores non mi- 1014. nori authoritate, & doctrina præditi. In primis Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 21. ſect. 3. num. 3.* & de fide *diſput. 21. ſect. 3. num. 13.* probabile iudicat, Sanchez *vbi ſup.* probabiliſſimum. Et abſolutè ita ſentiunt ſapientiſſimus Magiſter meus Petrus Lorca *diſput. 45. de fide num. 10.* Guttierez *lib. Canon. 1. cap. 13.* Bañez *2. 2. quæſt. 11. art. 4. dub. 2.* Aragonius *art. 3.* & alij viginti quos refert & ſequitur Fagundez *lib. 1. in Decalog. cap. 15. num. 5. & lib. 8. in 2. præcep. Eccleſ. cap. 8. n. 32.* Quibus addo Portel *in dub. regul. verb. Epiſcopus num. 1.* Crouſers *lect. 11. ad cap. 7. Regulæ S. Franc.* Puteanus *2. 2. quæſt. 11. art. 4. dub. 2.* Zerola *in prax. part. 2. verb. abſolutio §. 8. & verbo Hæreticus §. 4.* Sa emendatus *verb. Epiſcopus num. 27.* Henriquez *in ſumm. lib. 6. cap. 14. §. 7. littera M.* Baſſeus *in Florib. verb hæreſis num. 182.* imo Layman *lib. 1. Theol. Mor. tractat. 5. part. 2. cap. 5. num. 2.* dicit Epiſcopos in Regionibus Septemtionalibus poſſe propter frequentiam caſuum, & difficultatum adeundi Papam abſoluere ab hæreſi, etiam manifeſta. Quod etiam conceſſit Gregorius XIII. *anno 1576. die 25. Februarij* etiam Epiſcopis Belgij.

Addit Baſſeus probabile eſſe poſſe Religioſos 1015. Mendicantes abſoluere ab hæreſi occulta. Addit ſecundò, ex Diana *4. part. tract. 4. reſol. 139. Bul-*

lam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & ideo non derogari facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. Vnde producta sententia anno 1619. die 18. Julij in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissim. Cardinal. visa, tolerata est, & tanquam probabilis à multis huius Academiæ Duacensis Doctoribus admissa. Hæc Basseus.

1016. Huius sententiæ fundamentum valde efficax est, quia lex posterior indistinctè, & generaliter loquens limitanda est per legem, & Decretum antiquius, quando istud illi expresè contradicit, etsi in nouiori decreto, & lege posita sit clausula, *non obstante lege, aut decreto contrario*, vt clarè probat Thom. Sanch. *lib.2. de Matrimon. disput.24. num. 6. & num. 7.* atqui Bulla Cœnæ loquitur indistinctè, & generaliter: ergo eius decretum limitandum per decretum Trident. consequentia probatur, quia Trident. loquitur dumtaxat de hæresi occulta, Bulla autem Cœnæ absolutè loquitur, non exprimens an sit occulta, vel publica, sed solum dicit quod casus in illa reseruati *à nullo possint absolui, etiam si in genere, vel in specie possent virtute facultatum concessarum etiam ab aliquo Concilio generali.* Et ita decretum Bullæ limitandum est decreto Concilij, quod illud solum loquatur de casibus publicis, non de
1016. occultis. Vnde Pius V. in quodam motu proprio adimens facultatem concessam Episcopis per Trident. *cap. 6. citat.* absoluendi à casibus iniquæ susceptionis Sacrorum Ordinum addit, *etiam si crimen penitus occultum fuerit.* Et sic manifestum est quod per illa verba Bullæ *in genere, vel in specie*, non comprehenditur hæresis occulta, sed publica, vt expresse notant Sanchez *vbi sup.* Beccanus *tom. 2. in 12.cap.15.concluf.4.*

1018. Sed ego existimo. Primò, hanc secundam sententiam speculatiuè probabilissimam esse, vt probat eius fundamentum. Existimo secundò, non esse probabile asserere quod Confessores Regulares iuridicè, & canonicè expositi ad audiendas confessiones possint absoluere ab Hæresi occulta, quia etiam virtute Bullæ quilibet non regularis posset ab illa absoluere, cum possit absoluere ab omnibus casibus Episcopalibus: ergo si hæresis occulta est casus Episcopalis, dubio procul quilibet approbatus poterit ab illa virtute Bullæ absoluere. Quod cedit in maximum S. Tribunalis Sancti Officij detrimentum, & nimis in hac materia grauissima laxatur habena, vt facilius quis in hæresim externam licet occultam prolabatur.

Quare vel hoc solo argumento motus existi-
1019. mo, tertiò, practicè in consulendo, & iudicando non esse probabile asserere (quamuis speculatiuè sit probabilissimum) quod non sit Episcopis ablata potestas absoluendi ab hæresi occulta. Ita Diana *part.7. tract.2. resol.23.* Trullench *tom.1. in Decalog. lib.1. cap.3. dub.4. num.11.* Marchin. *de Sacram. Ordinis tract.1. p.9. cap.1. diffic. 9.* Suarez *de fide disp.21. sect.4. num.13. dicit, censeo non esse in praxi ab hac sententia recedendum.* Et Trullench *in explicat. Bull. lib.1.§.7. cap.2. dub.7.n.4.* dicit *hanc sententiam omnino tenendam censeo.* & Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 40. num.22. &* & 23. dicit, *non videtur posse in dubium reuocari quin Episcopis sit sublata facultas absoluendi*
1020. *prædictos Hæreticos occultos per dictum processum Bullæ.* & Peña *in Director. part 3. q.92. com.141. vers. & quidem.* dicit ita declarasse Gregor. XIII. & Pium V. & Azor *part.1. lib.8. cap.19. quæst.3. & cap. 10. q. 10.* sic declarasse Clementem VIII. & Bonacina *disp. 4. de censur. q. 3.punct.2. n. 1.* Garcia *part.11.cap.10. num.115.* dicit *absque dubio esse sublatam hanc potestatem Episcopis* referens quod Magister Sacri Palatij in indice librorum prohibitorum edito authoritate Papæ abstersit à candelabro aureo, & à Sa contrarium, & sic candelabrum in nouissima editione *post annum* 1602. *part.1. tit.11. num. 13.* retractauit opinionem primam. Marchin. etiam *vbi sup.num.6.* dicit satis prudenter: *Credo oppositam sententiam hac nostra etate non sine graui culpa, & periculo animarum practicari posse, quia in re tam graui, non est amplectenda sententia adeo lubrica quæ post responsa Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis declarationes pœnitentes exponat periculo damnationis.* quamuis enim declarationes Sum-
1022. morum Pontificum nobis iuridicè non constent (si enim iuridicè constarent, nec probabilitas speculatiua relinqueretur in opinione contraria) tamen cum sint tam graues testes, & omni exceptione maiores, Viualdus qui propterea palinodiam dixit, Peña, Garcia, Suarez, Nauarrus in Manual *cap.27. num.275.* & innumeri alij qui testantur talem esse declarationem Pontificiam, dubio procul sufficit ad auferendum opinioni oppositæ quod practicè deffendi possit. Et sic concludit Barbosa *vbi sup. num.25. Propter quod iam obtinuit quod, & inuiolabiliter obseruatur vt Episcopi à SS. D. N. Papa facultatem petant absoluendi prædictos Hæreticos occultos; quam Pontificis nomine, causa cognita, Domini Cardinales*
1023. *Inquisitores generales vrbis, & orbis concedere solent, confectis super ea re patentibus litteris, quibus omnes prædicti Cardinales suo ordine subscribunt.* Eamdem absolutionem ex potestate delegata (quam etiam possunt subdelegare) impendunt Domini Inquisitores, siue totum Tribunal, siue quilibet seorsum. Verum est quod quilibet seorsum non subdelegat, sed totum Tribunal. Legatur Marchin. *vbi sup. diff.10.*

Videant ergo Authores contrarij qua ratione practicè sit probabile non esse abrogatam potestatem Dominis Episcopis absoluendi ab Hæresi occulta: ego vero tuta conscientia non auderem consulere quod quis ab hæresi occulta absoluatur
1028. ab Episcopo, nam eo ipso quod ab Episcopo potest absolui factus est casus Episcopalis, vt est per se euidens, quidquid dicat Ludouicus à Cruce in *expositione Bullæ Cruciatæ disp.1. cap.3. dub.7.n.4.* Vnde quilibet Regularis Confessor virtute suorum priuilegiorum in tota Ecclesia, & quilibet Sacerdos laicus approbatus ab Ordinario virtute Bullæ Cruciatæ posset ab eo absoluere, vt supra dicebam, & in re grauissima respectu peccati omnium grauissimi, & respectu Reipublicæ Christianæ pernicioſissimi dicere, & practicare omnino absurdum est. Vnde sapienter Philibertus Marchin. *vbi sup. num. 6.* loquens de opinione contraria dicit *illam opinionem probabilem fuisse,*
1029. *& tutam, antequam Summi Pontifices mentem suam declararent; at post declarationem inter probabiles opiniones minimè numerandam; præsertim cum Sacra Inquisitionis Tribunal præceperit oppositam sententiam minimè practicandam, teste Sanchez vbi suprà.*

Ad fundamentum oppositum late respondet
1030. Marchin. illud retorquendo in contrarios ex doctrina Garciæ *p.4. c.5. à n. 30.* adducentis motum proprium Pij V. quod non requiratur expressa,

&

1030. & ſpecialis mentio Concilij Trident. vt intelligatur derogatum illis dictionibus *non obſtantibus ordinationibus, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ac contrariis quibuſcumque*; hoc enim non vrget, quia expreſsè Pius Quintus ſicut & declaratio Cardinalium loquitur in materia Beneficiorum propter lites quæ quotidie emergebant in Sacro conſiſtorio Rotæ; ex aliis tamen melius retorquet argumentum præfatus Marchina. Legatur.

1031. Reſpondetur ſecundò, ex doctrina Thomæ Sanchez *lib.2. de Matrim. diſp.34.num.7.* vbi dicit quod ius antiquum concedens bimeſtre ſponſis ad profitendam ſit correctum per Tridentin. *ſeſſ.25.de regular. cap.15.* vbi ſtatuitur nullum admittendum eſſe ad profeſſionem niſi tranſacto nouitiatus anno; qua lege omnino derogatur *cap. ex publico de conuerſ. coniugator.* vbi ſponſis datur bimeſtre ad profitendum iuxta probabiliſſimam ſententiam Canoniſtarum; loquitur enim

1032. Concilium per negatiua verba generalia, ne ante annum fiat profeſſio: vniuerſalis autem negatiua eſt vniuerſaliter intelligenda comprehendens omnem ſpeciem, *cap. ſolitæ §. finali de maioritate, & obedientia l.de pretio D. de publica in rem actione*; eſt enim negatio malignantis naturæ, & quidquid poſt ſe inuenit deſtruit. Cum ergo Pontifex in Bulla Cœnæ ſtatuat per verba negatiua vniuerſalia, dicens quod ea quæ ibi reſeruantur

1033. à nullo præterquam à Romano Pontifice abſoluantur, per quamcumque poteſtatem, etiam conceſſam *per cuiuſuis Concilij decreta*, & per Sedem ipſam Apoſtolicam, & ſic cenſetur illa generalis derogatio ſpecifica, & indiuidua.

Præcipuè cum talis derogatio noua intelligi non valeat niſi derogato Concilio quod talem poteſtatem conceſſit *l.2. §. 2. de liberis, & poſthum.* nullum tamen eſt Concilium quod dederit poteſtatem Epiſcopis ad abſoluendum ab Hæreſi occulta niſi Trident. Quare Bulla Cœnæ non ſolum loquitur de Hæreſi publica, ſed etiam, &

1034. maximè de occulta quæ dubio procul incurrit excommunicationem Bullæ, & Pontifex ſibi ſoli reſeruat excommunicationem quam ibi ponit. Et ſic nullus alius, niſi ſpeciali priuilegio poſt Bullam conceſſo abſoluere poteſt. Quod enim Pius V. forſan Sixtus Quintus in illo breui explicuerit, *etiam ſi delictum ſit penitus occultum*, id fecit claritatis maioris gratia, & ad excludendam omnem opinionem, etiam ſpeculatiuè probabilem. Cum ergo in caſu noſtro conſtet legiſlatorem voluiſſe derogare Decretum Tridentini, tum ex verbis ipſius Bullæ Cœnæ quæ ampliſſima ſunt, & negatiua; tum ex declaratione Pontificia, nullo modo neceſſarium erat amplius explicare, vt notat Magiſter ſacri Palatij in ſumma Sa emendati, verbo Epiſcopus num.27.

1035. Ex dictis conſtat quod vbi Bulla Cœnæ non eſt vſu recepta, vt teſte Baſſeo *verbo Hæreſis num.16.* non eſt recepta in Anglia, Germania, & Gallia, & vbi Epiſcopi ex ſpeciali conceſſione poſſunt abſoluere ab hæreſi occulta, aut manifeſta, vt in Belgio, ſi Epiſcopi reſcriptis ponant illam clauſulam quod impetrantes abſoluantur *quantum, ad effectum*, prodeſt hæc abſolutio excommunicato propter hæreſim occultam. In aliis vero Prouinciis vbi recepta eſt Bulla Cœnæ non prodeſt præfata clauſula, quia Epiſcopi non poſ-

1036. ſunt abſoluere ab hæreſi occulta. In Gallia vero, Germania, & Anglia, cum caſus iſte ſit factus Epiſcopalis, poſſunt non ſolum Prælati Regulares, ſed etiam Confeſſores Regulares ab hæreſi occulta abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum, maximè Pij Quinti, quem refert Rodrig. *tom.1. qq. regul. q.61. art. 9.* Hieronym. Rodriguez *reſol.64. num.5.* Suarez *tom.4. de religion. tract. 9. lib.2. cap.20 num.11.* Coriolanus *de caſib. reſeruatis part.1.ſect.1. art.23.* in Belgio vero vbi Epiſcopi poſſunt abſoluere ab hæreſi nedum occulta, ſed etiam publica, & manifeſta ex ſpeciali delegatione Summi Pontificis non eſt factus ca- 1037.
ſus Epiſcopalis, ſed ſemper eſt ſolum Papalis, quia ibi Epiſcopi non poteſtate ordinaria, ſed delegata: in qua delegatione electa eſt induſtria perſonæ, vt negotij ſumma grauitas expoſcit, & ſic nullus alius niſi Epiſcopus poteſt ab hæreſi, etiam tantum occulta abſoluere.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm excommunicatus poſſit validè acceptare Beneficium, vel facere optionem?

SVMMARIVM.

1038 *Præfata Regula non tenet verum in acceptatione Beneficij collati, etiam ſi ſit curatum, & in concurſu acquiſitum, illud enim validè quis acceptat, etiamſi excommunicatus ſit, ſi tamen collatio facta fuit ante excommunicationem, & n.ſeqq.*

1042 *Fundamentum huius limitationis ponitur, & ſtabilitur, num.ſeqq.*

1047 *Reſpondetur ad fundamenta oppoſita, & num. ſeqq.*

1050 *Inferuntur quædam corollaria, & n.ſeqq.*

1054 *Aliæ limitationes præfatæ Regulæ, & num.* 1056.

LImitatur ſecundò, præfata Regula quod non 1038.
teneat verum in acceptatione Beneficij collati, etiam ſi ſit curatum, & in concurſu acquiſitum; illud enim validè quis acceptat, etiam ſi excommunicatus ſit, ſi tamen collatio facta fuit ante excommunicationem. Ita Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.34. dub.22. num.118.* Couarruu. *lib.3.variar. cap.16. num.4.* Vaſquez *opuſc. de excomm. dub.6.* Toletus *lib.1. cap.13. num.4.* Turrianus *lib.2. de cenſur. diſp.16. dub.2.* Mercerus *3. p. q.21. dub.8.* quos citat, & ſequitur Diana *tom.5. tract. 9. reſol.102.* quibus addo Garciam *part.7. de Benefic. cap.13 à n.35.* Sanchez *tom.1. conſil. lib.2. cap.2. dub.10. n.14.* Nauarrum *in cap. ſi quando de reſcriptis, iuxta meum except.9. iuxta nouum except. 10. num.9.* Sayrum *lib.2. cap.5. n.11.* Alterium *lib.2. de cenſur. diſp.6. cap.5.* Bonacinam *de excommun. diſp.2. q.2.p.4. §.1. n.9.* Rota *deciſ.5. de conceſſ. præbend. in nouis & deciſ.8. de excommun. in antiq. & deciſ.4. eodem in antiquioribus.* Azor *part.2. lib.7. cap.23. q.5.* Filliucium *tractat.12. à n.120.* Auilam *2. p. cap.6. diſp.5. dub.8.*

Probatur primò, quia *in cap. paſtoralis de* 1039.
Clericor. excommunic. ſolum inualidatur collatio, & electio facta excommunicato, non vero acceptatio: ergo cum ſimus in odioſis ad iſtam non debet extendi prohibitio. Tertiò, qua ſolum eſt excommunicato prohibita actio, qua ius acquiritur ad Beneficium, & officium; at acceptatio non eſt acquiſitiua iuris, ſed tantum declarat conſenſum neceſſarium eius cui collatio eſt facta:

ergo etiam si fiat ab excommunicato non est inualida.

1040. Licet aliqui existiment excommunicatum mortaliter peccare acceptando, quia se offert ad ministerium, quod sine peccato non potest exercere: tum etiam quia est indignus Beneficio, vtpote illius incapax quantum ad vsum. Quamuis Suarez *infra adducendus*, & Garcia *num.* 46. *&* 47. dicant non peccare mortaliter, quia, ait Suarez, non est considerandus status in quo acceptat, sed pro quo acceptat, in quo scilicet absolutus possit suum munus exercere licitè. Sed non satisfacit, quia existens in excommunicatione acceptat, & illo existens est indignus, & incapax exercitij sui officij propter quod acceptat Beneficium, & pro illo statu, & tempore quo acceptat se offert ad exercitium quod licitè, & sine mortali non potest facere, & sic mortaliter peccat.

1041. Hæc limitatio, etsi plausibilis sit, & valde communis, mihi nunquam arrisit; existimo enim de iuris rigore verius esse acceptationem propriam inualidam esse, si fiat ab excommunicato. Ita Vasquez *opusc. de Benefic. cap.*4. §. 4. *dub.*2. *num.*245. vbi dicit se in materia de excommunicatione dixisse nullam esse acceptationem factam ab excommunicato, quare non sibi contrarius est, vt putat Bonacina, sed malè citatur pro contraria. Sequitur Suarez *tom.*5. *de censur. disp.*13. *sect.*1. *à num.*15. *& disp.*14. *sect.*2. *num.*34. idem dicit de possessione, quæ ab excommunicato acquiri valide nequit. Tenent etiam Hurtado Complut. *disp.*6. *de excomm. differ.*3. *num.*8. Coninch *de Sacram. disput.*14. *dub.*9. *n.*79. Layman *lib.*2. *tract.*5. *part.*2. *cap.*2. *quæst.*3. *num.*11. Raynaudus *de Monitor. part.*2. *cap.*2. *num.* 29. *in fine.* Auila *vbi suprà dub.*6. Lessius etiam *num.*118. *vers. Sed hæc ratio.* innuit valde D. Caietan. *verb. excomm.* §. *excomm. plura sunt illicita, circa med.*

1042. Fundamentum, cui nitor, est. Quia licet acceptatio vt dicit puram explicationem consensus alicuius rei oblatæ possit fieri ab excommunicato, vt multis decisionibus declarauit Rota, & videre est *in vna Placentina Beneficij coram Vbaldo die* 21. *Maij ann.* 1614. *quæ est decisio* 602. *apud Farinacium tom.*1. *num.*8. tamen acceptatio prout est efficax ad acquirendum ius in re respectu Beneficij non potest fieri ab excommunicato. Ratio est euidens, quia excommunicatus est incapax acquirendi ius *in re* Beneficij: ergo quamuis per collationem acquisierit ius *ad rem*, itaut Beneficium alteri non possit conferri, vt expressè definitur *in cap. si tibi absenti de præbendis in* 6. tamen cum ius *in re* non acquiratur sine acceptatione, siue ista requiratur tanquam conditio, siue

1043. tanquam dispositio, siue quocumque alio modo, tamen prout efficax ad inducendū ius *in re* implicat quod illud inducat eo modo quo requiritur, si subiectum est incapax illius iuris, vt reipsa est, si sit excommunicatus. Quod egregiè adnotauit Lessius *vbi suprà*, & sic talis acceptatio prout inductiua iuris ad rem pro tempore excommunicationis vana est, & nullius efficaciæ, quantum ad iuris acquisitionem.

Vnde si iste qui acceptauit excommunicatus moriatur ante absolutionem non vacat Beneficium vt fatetur, & ipse Diana, & tenet optimè Suarez, cum nondum acquisierit titulum Beneficij, &

1044. ius *in re* ad illud. Quod notare maximè oportet vt dignoscatur ad quem pertinet noua Beneficij collatio; nam si excommunicatus acceptauit in mensibus Papæ, etiam si moriatur in mense Episcopi, ad Papam, & non ad Episcopum pertinet prouisio, quia acceptatio Beneficij non solum dicit declarationem voluntatis, sed etiam acquisitionem iuris perfecti in Beneficio, cuius est incapax excommunicatus, & sic ex hac parte est vana acceptatio, & in hoc sensu est inualida, id est, non efficax.

Nisi dicas quod est valida, sed informis, sicut 1045.
Sacramentum potest esse validum, sed informe, propter indispositionem subiecti. Quare sicut ablato obice Sacramentum quod erat informe fit formatum, & causat gratiam; ita acceptatio excommunicati est valida, sed informis, quia non causat ius *in re* perfectum, quod causabit ablata excommunicatione, quia tunc fit subiectum capax. Et sic, vt dicebam, si acceptatio fit in mensibus reseruatis Papæ, si ante absolutionem moriatur prouisus, in mensibus Episcopi prouisio non ad Episcopum, sed ad Papam pertinet, quia prouisus nondum acquisiuit ius *in re* perfectum. Vnde fit quod si alicui in concursu fiat collatio Beneficij curati non potest illud acceptare validè 1046.
existens in excommunicatione, quia ista acceptatio non est valida quantum ad acquisitionem iuris, vt optimè notauit Cornejo *tract.*5. *de excommun. disput.* 10. §.7. *dub.*1. *differ.*5. *vers. Sed respondetur.*

Ad fundamenta opposita respondetur. Ad primum, quod *in cap. pastoralis* solùm fit mentio de collatione, & electione; tamen in iure expressum habetur, ibique dicitur quod excommunicatus est incapax omnis iuris spiritualis, & ita nequit valide habere quidquid efficaciter tale ius inducit, sicut est incapax institutionis ex beneficio, quamuis institutio non sit collatio, & incapax præsentationis, quamuis ista non sit collatio. 1047.

Ad secundum respondetur, iam enim dixi 1048.
quod acceptatio quatenus dicit consensus expressionem, potest haberi ab excommunicato, tamen cum etiam inducat aliquomodo ius perfectum ad beneficium, hoc modo est vana, & inefficax, quamuis de se sit inductiua illius ablato impedimento; hac enim ratione dicimus contractus factos à pupillo, & minori esse inualidos sine authoritate Tutoris, vel Curatoris, & sine Decreto iudicis, non quia non sint consensus liberi sufficientes ad inducendam obligationem, sed quia subiectum minoris, aut pupilli est incapax ad se 1049.
obligandum sine præfata authoritate, qua aduenient in virtute priorum consensuum resultat obligatio. Vnde pupillus, aut minor potest absque beneficio restiturionis in integrum rem suam repetere, si sine authoritate præfata impleuit contractum, quia res ad seipsum semper pertinet, quia alter contrahens non acquisiuit ius *in re*, etiam si contraxerit cum ea conditione vt impetretur licentia tutoris, & iudicis.

Ex dictis infertur excommunicatum non posse 1050.
validè optare beneficium, siue muretur titulus, vt quando portionarius optat Canonicatum, & Canonicus dignitatem, & similia. Siue non mutetur titulus vt quando solum optat beneficium habens pinguiores fructus. Ita Lessius *vbi suprà vers. simile etiam.* Suarez *disput.* 15. *sect.*1. *n.* 19. contra Garciam *num.*48. qui malè addit *num.* 49. quod etiam excommunicatus non toleratus potest optare Beneficium, si non mutetur titulus. Quod omnino falsum est. Probatur tamen illa- 1052.
tio in excommunicato tolerato, & sic concluſum

erit

erit quod multò fortius id est verum in non tolerato, quia in optione, de qua loquimur, acquiritur nouum beneficium non solum quoad temporalitates, & fructus, sed iuris spiritualis ad illos percipiendos; esset enim simoniacus qui propter pretium non optaret Beneficium, vt alius optaret: atqui excommunicatus est omnino incapax cuiuscumque iuris spiritualis: ergo & optionis faciendæ, non enim qui optat manet cum priori Beneficio, sed istud ad alium deuoluitur,
1052. & ipse nouum acquirit. Verum est quod potest exprimere voluntatem optandi,& deferre optionis executionem ad tempus in quo absoluatur, nisi ex statuto, aut lege sit præfinitum tempus ad optandum, nam si intra illud non absoluatur transiit optio ad alium.

Infertur tertiò, quod Coadiutoriæ, vel accessus ad Beneficia, siue fiant in forma *Dignum*, ita vt collatio committatur Ordinario, si vacat Beneficium; siue in forma gratiosa, itaut Papa succedente vacatione Beneficij *ex nunc pro tunc*, &
1053. *ex tunc pro nunc* confert Beneficium, etiam si tempore vacationis impetrans sit excommunicatus, nihil refert. Si tamen tempore collationis, aut institutionis sit absolutus. Ita Garcia, quia illa particula *ex tunc* facit quod prouisio facta sit tempore gratiæ factæ, non tempore vacationis; ista enim posita fictione iuris retrotrahitur prouisio.

1054. Limitatur tertiò, adducta regula. De collatione facta à Pontifice ei quem scit esse excommunicatum, quia etiam si non ponatur in Bulla particula absolutionis *ad effectum*, collatio est valida, quia tunc interuenit quædam virtualis dispensatio Pontificis. Ita Cornejo *vbi suprà vers. excipitur*, ex Couarruuias *in cap. Alma part. 1. §. 1. num. 1.* Sed nunquid collatio facta excommunicato excommunicatione à qua Episcopus potest absoluere sit valida si scienter quod sit excommunicatus Beneficium illi conferat? Alicui
1055. videbitur quod sic, quia licet Episcopus non possit dispensare in hoc quod excommunicatus sit capax Beneficij, quia hoc impedimentum est Papale, tamen potest illum absoluere, & eo ipso quod conferat censetur virtualiter absoluere, si sciat esse excommunicatum, quia absolutio virtualis videtur sufficere, vt sit capax Beneficij. Quare sicut collatio Papæ est virtualis dispensatio quæ prius antecedit ad collationem,ita collatio facta ab Episcopo est quædam virtualis absolutio,quæ sufficere videtur, cum absolutio censuræ non sit Sacramentalis. Sed malè faciet Episcopus, si prius non absoluat expressè, & grauiter peccabit.

1056. Limitatur quartò, vt possit quis retinere Beneficium sibi collatum,si cum eo fuerit dispensatum, qua dispensatione facta post absolutionem non requiritur noua collatio expressa per expeditionem Bullæ, aut Scripturæ, cum ipsa dispensatio sit quædam virtualis collatio. Ita Suarez *disp. 13. cit. sect. 1. n. 34.* Auila *disp. 5. citata dub. 4.* Sayrus *lib. 2. de censur. cap. 5. n. 21. & 22.* Azor *2. p. lib. 6. cap. 7. q. 2.* & decidit Pontifex Innocentius III. *in cap. postulatis §. consultationi. de Cleric. excomm.*
1057. vbi Glossa,& communiter omnes,quorum plures adducit Barbosa *ibi n. 27.* dicens manifestè probari ex hoc textu non requiri nouam collationem. Quis autem possit dispensare de Episcopo affirmant Glossa ibi *verbo dispensation.* Suarez, Azor *vbi sup.* Sanchez *de Matr. lib. 8. disp. 5. n. 1.* & alij quos citat, & sequitur Barbosa n. 29. quia dispensatio quæ non reseruatur Papæ in iure scripto,vel ex consuetudine potest ab Episcopo concedi: talis est ista de qua loquimur, cum Papa *in prafato cap. postulastis* non reseruet sibi,nec alibi inueniatur reseruata.

Sed hæc doctrina extendenda est quod Episcopus possit hanc dispensationem dare, etiam si collatio Beneficij pertineat ad Episcopum inferiorem. Ita Barbosa *num. 30.* ex Couarruu. *vbi suprà §. 7. n. 8.*& Suarez *num. 36. & 37.* Similiter non potest Episcopus dispensare, si collatio facta fuit à Papa, cui nullus inferior potest se ingerere. Ita Couarruu. *num. 8. citato vers. quod si Romanus Pontifex.* Potest tamen dispensare, etiam si scienter contulerit Beneficium excommunicato, quia cum concedatur facultas dispensandi, & nulla sit lex pœnalis quæ inducat hanc pœnam, non est à nobis imponenda. Ita post multa Garcia *n. 86.* secutus Suarez *vbi sup.*& vtrumque sequitur Barbosa *n. 31.* Non tamen potest dispensare cum eo qui intrusus est in Beneficium sibi collatum exi- 1059.
stenti in excommunicatione ait Garcia *n. 88.* Est autem intrusio, vt optimè Lessius *vbi sup. n. 123.* cum quis sciens absque Canonico titulo Beneficium accipit, aut retinet, vel cum quis accipit, aut retinet Beneficium sciens nullum ius, saltim perfectum, sibi competere, vt latè Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 16. num. 7.* 1058.

§. XVII.

De suspenso, & interdicto, & irregulari.

SVMMARIVM.

1060 *Suspensionis definitio.*
1061 *Interdictum quid?*
Quid sit irregularitas. ibid.

LOquimur de suspensione quæ est censura Ecclesiastica, & definitur à Doctoribus ita, *Suspensio est censura Ecclesiastica, qua alicui personæ Ecclesiasticæ prohibetur ob suam culpam exercitium seu officij, vel Beneficij Ecclesiastici in totum ad certum tempus, vel in partem, siue ad certum tempus, siue in perpetuum.* quam definitionem adducit Auila ex communi sententia *3. p. de censur. disp. 2. dub. 2.* vbi eam per partes explicat, & bene. Qui Author *part. 5. disput. 1.* etiam ex communi definit interdictum dicens quod est *censura Ecclesiastica qua homo separatur à certis Sacramentis, omnibusque diuinis Officiis, & Ecclesiastica sepultura.* Irregularitas tamen non est censura, eam tamen definit *part. 7. disput. 1.* quod sit *impedimentum Canonicum ex facto, vel defectu prouenieus quo directè impeditur aliquis Ordines suscipere, & in illis ministrare.* Has tres definitiones vno, vel altero verbo addito, vel sublato tradunt omnes Summistæ sub eisdem titulis, Sylvester, Tabiena, Angelus, Lumblinus, Caietanus, & alij. Suarez, Sayrus, Cornejo, & cæteri dum tractant de censuris. Notat tamen Auila *part. 2. cap. 6. disputat. 5. dub. 4. in fine*, quod quantum attinet ad Beneficia suspensus, excommunicatus, interdictus, & irregularis æquiparantur; quod etiam dicit Nauarrus *in summ. cap. 25. num. 133. & 134.* adducit *textus cap. cum inter de electione cap. postulastis, & cap. si celebrat. de Clericor excommunicat. celebr.* 1060. 1061. 1062.

celebr. Sed quomodo hæc doctrina sit intelligenda sequentibus regulis enucleatur.

§. XVIII.

Regula prima.

De suspenso, & interdicto.

SVMMARIVM.

1063 *Suspensus, suspensione durante peccat mortaliter si Beneficium de nouo obtineat, siue in concursu, siue in simplici collatione, electione, institutione, &c.*

106 *Ampliationes prædictæ Regulæ, & n.* 1068. 1069. 1072. 1075. 1083. 1099.

1063. SVspensus suspensione censura illa durante peccat mortaliter si Beneficium de nouo obtineat, siue in concursu, siue ex simplici collatione, electione, institutione, siue quacumque alia ratione titulum Beneficij acquirat scienter de sua suspensione, siue sit ab homine, siue à iure lata. In hoc ni fallor, conueniunt omnes. Ita tenent Lessius *lib.*2. *cap.*34. *num.*116. Suar. *tom.*5. *de censur. disp.*26.*sect.*2. *num.*9. *& disp.*27. *sect.*1. *num.*26. Cornejo *tract.* 5. *de suspensio. disput.*2. *dub.*3. *vers. Quæres secundo.* Toletus *lib.*1.*cap.*45. *num.*8.Hoc ad minus probant omnes textus quos infra adducam, quibus, vt omnes Doctores dicunt, prohibetur suspensis Beneficium obtinere,
1064. etsi obtineatur quod eius prouisio irritetur. Et ratio est euidens, quia suspensione censura siue occulta sit, siue publica est indignus: ergo scienter cognoscens suam indignitatem agit contra prohibitionem in re grauissima, & sic mortaliter peccat.

Ampliatur primò, ad suspensum etiam toleratum; sicut enim hodie post extrauag. Martini Quinti quæ incipit *Ad euitanda*, est excommunicatus toleratus, & non toleratus,ita est suspen-
1065. sus toleratus, & non toleratus, iste enim est qui publica sententia in ipsum lata suspenditur aliqua suspensione ex his quæ in iure continentur; vt enim dicit Gregorius IX. *cap. quæsitum de cohabitatione Clericor.quoad alios* (itaut euitare ipsum teneamur) *nisi peccatum ipsum sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit.* Et quamuis ibi sit sermo de suspensione quæ est pœna ob delictum, non de censura quæ fertur in contumacem, & est medicina ad euitandum peccatum, tamen eadem est in vtroque ratio; vt enim dicit Martinus Quintus *in præfata extrauag. ad euitanda* id quod dicitur de excommunicato intelligitur de interdicto, & suspenso, vt notat optimè Suarez *disput.* 27. *sect.*2. *n.* 2. qui vt vitentur debent esse specialiter, & expressè nominati.

1066. Igitur regula posita intelligitur etiam de suspenso non tolerato; peccat enim mortaliter si Beneficium obtineat, quia per extrauag. *Ad euitanda*, in nihilo releuantur qui sunt censura aliqua irretiti. Quare sicut tenemur vitare excommunicatum non toleratum in omnibus, ita suspensum non toleratum, & nominatim denuntiatum in his actionibus à quibus est suspensus, nisi excusat extrema necessitas, & hoc non solum ratione scandali, sed ex præcepto alio, quia suspensus non potest ex vi suspensionis licitè exercere actus, siue sint Ordinis, siue iurisdictionis à quibus est suspensus: ergo qui illis cooperatur mortaliter peccat, nisi excusetur aut ignorantia 1067.
inuincibili, aut extrema necessitate, vt si petam à non tolerato absolutionem à peccatis (quæ nisi in extrema necessitate non erit valida) si vero sit toleratus, & ipse sit expositus ad exercendos actus à quibus est suspensus, possum interueniente aliqua necessitate illi cooperari, vel etiam non interueniente, si meus Parochus, & superior est, quia licet ipse peccet, ego tamen vtor iure meo, nec ipsum incito, aut prouoco ad actus sibi prohibitos. Imo addit Henriq. *lib.* 13. *cap.*33. quod si quis sit nominatim denuntiatus suspensus ab ordine Sacerdotali; si tamen dicat Missam non pecco ipsum audiendo, si illi non ministrem, aut aliàs non inducam ad celebrandum. Sed ego de hoc aliàs dixi in tract. de occasione proxima cap. de Clerico concub. resolut····· §.2.

Ampliatur secundò, ad electionem cuiuscum- 1068.
que officij regularis habentis iurisdictionem. Ita omnes citati, quia suspensus censura, aut interdictus personaliter est indignus cuiuscumque Beneficij, & si eligatur sua diligentia, & industria mortaliter peccat.

Ampliatur tertiò, quod irretitus suspensionis, aut interdicti censura peccat mortaliter si se opponat in concursu. Similiter mortaliter peccant 1069.
examinatores, & Episcopus illum admittentes ad concursum, & examen. Ratio est quia euidenter est indignus, & ipse peccat mortaliter non solum acceptando Beneficium, sed faciendo quamcumque actionem (antequam absoluatur) ordinatam ad illius consecutionem, argum. ex his quæ docent DD. *ad cap. si celebrat. de Cleric. excomm.* vbi statuitur regula quod quando alicui aliquid est prohibitum, etiam sunt prohibita omnia quæ ordinantur ad illud, quia vt dicitur, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Secundò probatur, quia suspensus à Beneficio 1070.
suspensione totali est prohibitus ne faciat actionem ordinatam ad fructus percipiendos, augendos, aut quomodolibet tractandos, aut administrandos, siue locatione, siue venditione; adeo quod multi sentiunt hos contractus esse ipso iure irritos, & sic ad minus erunt illiciti: ergo etiam oppositio, & examen ad concursum sunt actiones prohibitæ suspenso, & cum hic & nunc perseuerante censura licitè fieri non possint, neque Episcopus ad examen admittere, neque examinatores illud facere licitè possunt.

Ampliatur quartò, si quis propria culpa non 1072.
sit suspensus, aut interdictus, sed quia sua communitas validè suspensa est, & sic omnes illius communitatis irretiti sunt censura. Et quidem communitatem sic interdici, & suspendi posse latè docet Suarez *disp.* 28. *sect.* 3. *num.* 2. quem sequitur,vt assolet Auila *part.*3.*disp.*3. *dub.*2.*conc.*3. Torres *lib.*4. *de censur. disp.* 43. *dub.*2. Id constat clarè *ex cap. vnico ne sede vacante in* 6. *§.*1. *vbi de suspensio. & cap. si sententia de sentent. excomm. in* 6. vbi de interdicto; hæc autem communitas dupliciter potest suspendi, aut interdici. Primò, si omnia illius membra deliquerint, aut contumacia fuerint in obediendo, & sic totum Capitulum, & communitas suspenditur, aut interdicitur ratione cuiuslibet membri, & tunc qui est innocens à culpa, excusatur à suspensione 1073.
in foro interno; in foro tamen externo nocens

cens reputabitur, nisi in eodem probat innocentiam.

Secundò, potest Communitas suspendi vt vnum corpus mysticum, non ratione membrorum, sed ratione capitis regentis illud, vt Episcopi, aut Decani, & sic omnes innocentes etiam tenentur, & ligantur censura suspensionis sicut interdicto populo ratione delicti Gubernatoris, etiam innocentes ligantur censura. Si tamen interdicantur ciues aut populus, non est interdictus Clerus, neque isto interdicto intelligitur interdicta Ecclesia cuius sunt clerici, sed possunt alij 1074.
clerici alterius Ecclesiæ ibi celebrare. Ita *cap. Si sententia citato*, & *ibi* Glossa *verbo si sententia* & *cap. Per exceptionem de Priuil. in 6.* Bernardus, Innocentius, & Hostiensis *cap. Quod nullis de priuilegiis*; isti enim suspensi, & interdicti ratione suæ communitatis licitè non possunt eligi, aut prouideri de Beneficio &c. Quamuis si innocentes sint est probabile contrarium vt dicam *infrà num.* 1126. possunt tamen eligere, & conferre Beneficium *cap. Vintonienſis de electio. in 6.* etiam si electio competat ei ratione Beneficij à quo est suspensus.

1075. Ampliatur quintò, siue suspensio sit ab officio tantum, siue à Beneficio tantum, siue ab officio, & beneficio simul, siue ab ingressu Ecclesiæ, siue à Pontificalibus, siue hoc sit ad tempus expressum vsque dum satisfecerit, siue perpetuo; omnibus enim his modis fertur, & ferri potest hæc censura, qua si quis ligatur indignus redditur beneficio Ecclesiæ contra quam contumax est, & inobediens. Quare miror Dianam quam facilè recedat à communi sententia propter vnum, vel alium Authorem quem inuenit, vt sic laxet habenas in materia morali ex quo resultant innumera inconuenientia, non solum in ordine ad directionem animarum in foro interno, sed etiam in externo, & politico. Asserit enim *tom. 5. tract. 10. Resolut. 2.* quod suspensus ab officio licite potest prouideri de beneficio, citat pro se Acuñam *ad Decretum dist. 71. cap. 3. num. 3.* Hurtado *de censur. disp. 3. de suspension. diffic. 4. num. 8.* Qui fun-
1076. dantur friuolo argumento desumpto *ex cap. vel non est compos. 14. de tempor. ordinan.* vbi cuidam suspenso ordinato ante debitam ætatem mandat Pontifex quod detur Beneficium; hoc enim fecit Pontifex vt puniret Episcopum qui puerum tredecim annorum in Diaconum ordinauit, quem suspendit ab ordine Diaconatus vsque ad legitimam ætatem, & dispensat vt Beneficium ei conferatur vt habeat titulum suæ ordinationis *cap. Cum secundum Apostolum de Prabendis*. Quare casus illius capitis non facit ius vniuersale, sed ex natura rei suspensus ab officio licite (nisi dispensetur) non potest habere Beneficium de nouo. Hæc est communis sententia, vt dicit Turrianus, *disp. 39 de censur. dub. 2.* pro qua citat Vasquez in materia de suspension. Suarez *disp. 26 sect. 3. num. 9.* Coninch *de Sacrament. disp. 15. dub. 2. num. 7.* Mercerum *q. 4. de censur. dub. 2.* Layman. *lib. 1. Theolog. mor tract. 5. p. 3. cap. 1. num 3.* & à fortiori id tenent omnes quos infra adducam tenentes collationem factam suspenso ab officio esse inualidam. Cornejo *tract. 5. disp. 2. de suspensio. dub. 1.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 8 num. 14.* Azor *lib. 6. cit. cap. 7. q. 2.* Candelabrum aureum *tit. de suspensio. num. 139.* Nauarrus *in Summ. cap. 25. n. 133.* & alij.

1077. Quod mihi videtur expressè diffinitum, *cap. Cum dilectus de consuetudine*, in quo Innocentius III. declarat electionem cuiusdam factam in Abbatem suspensam, nullam, & inualidam, dicens, *eam iustitia cassauimus exigente*. Quare id tenet Glossa ibi *verbo à suspensis vers. Et hæc quæ dicuntur*. Idem apertè colligitur *ex cap. Cum bonæ memoriæ ibi* Cœlestinus III. declarat quosdam Clericos Baranenses suspensos quoddam beneficium Ecclesiasticum adeptos esse *quod illud non licet eis aliquatenus retinere*. Et quamuis faciat illos spoliare, etiam beneficiis antea obtentis, hoc fuit quia contumaciter perstiterunt per triennium in suspensione, vt notat Glossa vltima, ibi, *Tamen, quia suspensi ab officio licitè non potuerunt beneficium nouum obtinere*. Vnde Glossa *ibi verbo sus-* 1078.
pensi dicit, *Beneficia eis tempore suspensionis conferri non possunt, vel litteras pro Beneficio obtinendo impetrare*. Et infrà *littera C. Puniendi ergo sunt qui suspensi spiritualia præsumunt tractare, in tantum quod Episcopus cum talibus non possit dispensare, cap. Si quis Episcopus 11. quæst. 3.* & Glossa *in cap. Pastoralis §. verum verbo subtrahuntur de Appellatio.* dicit, *Suspensus ab officio nihil debet de officio Ecclesiastico attrectare, & in hoc æquiparetur excommunicato*.

Quod manifestè constat *ex cap. Si celebrat. de* 1079.
cleric. excomm. vel suspen. celebrante, vbi Gregorius IX. hanc regulam statuit vt probet electionem factam in excommunicato excommunicatione minori esse irritandam, ac per consequens si scienter fiat esse illicitam, *eo quod ad susceptionem eorum eligitur à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus*; atqui omne beneficium datur propter aliquod officij ministerium: ergo cum suspensus ab officio sit à Summis Pontificibus priuatus omni ministerio sui officij non minus quam excommunicatus excommunicatione minori, sicut iste licitè non potest obtinere beneficium, ita neque suspensus, vt notat ibi Glossa verbo *neque eligere, circa finem*.

Neque hoc est extendere legem pœnalem, sed 1080.
solum experimere casum singularem contentum sub regula vniuersali; quando enim sunt plures casus habentes eamdem rationem, quamuis legislator vnum casum exemplariter ponat, cæteros etiam non expressos comprehendit, *l. Scire oportet §. qui non iure D. de excusat. Tuto.* vbi id expressè statuitur. Id quod satis docte comprobant Castillo *tom. 6. cap. 17. num. 2.* Barbosa *ad cap. Nuper 34 de decimis.* Rota *p. 1. diuersorum in vna Vlixiponen. decimarum coram Rusboterio decis.* 122. & 123. Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 14. num. 16.*

Tum etiam, quia quando in lege pœnali ponitur ratio infligendæ pœnæ, vbicumque est iden- 1081.
titas rationis extenditur lex etiam pœnalis *l. His solis C. de reuocan. donat.* Ita Antonius de Butrio *cap. vestra de cohabit. clericor.* & pulchrè id enucleat Siluester *verb. lex num. 18. vers. & dico*, quia
1082. ratio est ius, ergo vbi est eadem ratio à legislatore expressa in lege, est idem ius, nisi legislator ipse aliter expressè disponat. Vnde ista non est propriè extensiua interpretatio, sed potius intensiua, & intellectiua, quia lex non est aliud quam legis ratio *l. non dubium C. de legibus*.

Ampliatur sextò. Ad clericum publice Concubinarium. supra *Tract. 1. de occasione proxima. Cap. de Clerico concubinario.* dixi huiusmodi esse 1083.
suspensum, non tamen explicui quæ suspensio sit ista; quamuis enim ibi contra Fagundez, & alios

oſtenderim quod publicum concubinarium, ſi denunciatus ſit talis, teneamur in diuinis vitare etiam hodie poſt Extrauag. Martini Quinti *quæ incipit, Ad euitanda.* cuius verba ibidem dedi; tamen non explicui an ſuſpenſio iſta ſit cenſura, ratione cuius non poſſit licite beneficia obtinere itaut ſi in illa ſuſpenſione celebret fiat irregularis. Et quidem ſi Clericus, etiam in minoribus conſtitutus, ſit notorie concubinarius, itaut nul-
1084. la tergiuerſatione celari poſſit, ſit ſuſpenſus ſuſpenſione cenſura in qua ſi celebret fiat irregularis, ſentiunt Antiqui omnes. Sylueſter *verb. Concubinarius.num.3.quæſt.4.* Angelus *ibi num.2.* Tabiena *verb.Clericus.num.13 & 14.* Iacobus Vngarellus *in Addition. ad Angelum. verb.tunc ſuſpenſus.* Armilla *num.5.* Panormitanus *ad cap. ſi celebrat.de Cleric. excomm.* Archidiaconus §. *Hæc de malis.32.diſtinct.* Nauarrus *in Manuali.cap.25. à à num.77.& cap.27.à num.154.* Auila *3.part.diſp. 5.dub.2.conc.1.* Baſſeus *verb. Concubinatus.num.5.* Couarruuias *in Clement. Si furioſus. part.1. §.1. num.5.& 6.* Henrriquez *lib.13.cap.36.num.4.* D. Antoninus *3. part. titu.27.cap.3.* Guttierez *lib.1. canonicar.cap.1. num.14.* Azor *part.2.lib.6.cap.7. quæſt.5.* Lopez *2.tom. part.2.cap 23.* & innumeri alij quos refert Garzia *part.7.cap.12.num.8.& 9.* & tranſcripſit Philibert. Marchin. *tract.1. de Sacramento Ordinis.part.8.cap.3.num.12.*

1085. Et quidem eſſe notorium concubinarium ſuſpenſum ipſo iure mihi indubitatum eſt, ſi loquade iure antiquo. *Cap. Prater hoc.* vbi Alexander II. (referens ſimilia decreuiſſe Leonem III. & Nicolaum II. in Concilio Romano 113. Epiſcoporum) ſuſpendit Clericum concubinarium manifeſtum. Eamdem ſuſpenſionem imponit Gregorius VII. *relatus Cap. Si qui ſunt. 81. diſt.* & *Cap. Quæſitum 10. de cohabitat. Clericor.* vbi Gregorius IX. loquens de Concubinario dicit: *Quod ſi eſt occultus, ſuſpenſus non eſt, niſi peccatum huiuſmodi ſit notorium per ſententiam ſeu per*
1086. *confeſſionem factam in iure, aut per euidentiam rei quæ tergiuerſatione aliqua celari non poſſit.* Vnde Gloſſa ibi *verbo propoſito*, bene dicit, *in caſu propoſito, ſcilicet fornicatione; in iſto enim caſu magis videtur vitandus, cum in aliis non ſit quis ipſo iure ſuſpenſus, quantumcumque crimen fuerit notorium, excepto Simoniæ crimine, vbi ſuſpenſus eſt ipſo iure, etiamſi crimen ſit occultum.* Hæc Gloſſa. Neque aliquid intereſt quod Alexander & Gregorius VII. imponant hanc ſuſpenſionem verbo *interdico*, & non verbo *ſuſpendo*, quia vt optime Angelus, & Sylueſter, non eſt differen-
1087. tia inter *ſuſpendimus*, & *interdicimus*, quia ſunt æquipollentia, & nihil refert quid de æquipollentibus fiat *Cap. licet ex quadam.de teſtibus. leg. non poſſunt. D de legibus.* Quare ſententia Xuarez *diſput.31.ſect.4. num.11.* quod iſti notorij concubibarij non ſint ipſo iure ſuſpenſi, etiam ſecundum ius antiquum à nullo Authore antiquo ſecuta, ab omnibus derelinquitur. & Marchinus *vbi ſup.* ipſam ſingularem dicit.

1088. Ad hæc iura reſpondent Guttierez *numero 43.* Henrriquez *num.4.* Baſſeus *num.5.* Sotus *in 4.diſtinct.13.quæſt.2.art.9.circa fin.* Bonacina *diſp.3.de ſuſpenſio. punct.5. §.1. num. 39.* & alij quos citat quod canones iſti ſunt abrogati contraria conſuetudine, iuſque antiquum correctum fuiſſe per Trident. *ſeſſ.25.cap. 14. de Reformat.* vbi dicitur huiuſmodi clericos ſuſpendendos eſſe ab Epiſcopo præmiſſa monitione.

Verum enim vero huiuſmodi ſolutio mihi nul- 1089.
latenus arridet. Primò, quia falſum omnino eſt huiuſmodi Canones Summorum Pontificum eſſe contraria conſuetudine abrogatos, Sacra enim Congregatio contrarium edixit vt refert Barboſa *ibi num.7.* vbi dicitur, *Clerici concubinarij notorij ſunt etiam hodie ipſo iure à diuinis ſuſpenſi, prout in veteri iure ſunt.* Reſpondet Fagundez *Præcept. 1. Eccleſ. lib. 1. cap. 5. numero 49.* ex Garzia, Congregationem locutam fuiſſe de iure, ſequendo opinionem aſſerentium quod in iure eſt expreſſa huiuſmodi ſuſpenſio. Et hoc non tollit quin ius antiquum ſit alicubi contraria conſuetudine derogatum. Vnde Lopez *vbi ſupr.* dicit ſtan- 1090.
dum eſſe vſui, & conſuetudini Prouinciæ. Sed contra primò. Quia adminus in tota Italia non eſt talis conſuetudo, quam abſque dubio nouiſſent Eminentiſſimi Cardinales. Secundò, quia cum declaratio ſit generalis, & dicat quod hodie ſunt ipſo iure ſuſpenſi prout in veteri iure ſunt, videtur clare inſinuare nullibi eſſe conſuetudinem cum declaret ius antiqum vigere.

Tertiò euidentiſſime colligitur per Concilium Trident. non eſſe correctum ius antiquum, ſed illud reliquiſſe in ſua vi, nam hoc ſi per ius nouum eſſet correctum Sacra Congregatio non ſic de- 1091.
claraſſet. Quare hodie notorios concubinarios eſſe ipſo iure ſuſpenſos abſque eo quod, procedat aliqua Superioris monitio, tenent nouiſſime Belletus *part.1. Diſquiſit. tit.de diſcipl. clerical. §.5. num.45.* Armendar. *in Additio. ad leg. Nauarra. lib.4.tit.5.leg. vnica. num.16.* Alterius *diſput.9.de Cenſur. c.5.* Concilium Mediolanenſe *6.n.118.* & in Memoriali Sciendorum à Clericis Bononien. *cap.3. num.16.* vtrumque refert & ſequitur Doctus Marchin *vbi ſup.num.17.*

Et quidem Tridentinum non correxiſſe ius 1092.
antiquum quod notorij Concubinarij ſint ipſo iure à diuinis ſuſpenſi, mihi certum videtur, illis verbis *Pœnis à Sacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur.* Vna autem pœna eſt ſuſpenſio ab officio ipſo iure, vt conſtat ex citatis Decretis *32.diſt.& cap. Quæſitum de cohabitat.Clericor.* Quare ad hoc non requirit Concilium admonitionem, ſed ad hoc quod priuentur ipſo facto tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum Beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum. Deinde requirit monitionem ſecundam vt ſuſpendantur ab adminiſtratione Beneficiorum. Deinde dicit Sacra Synodus: *Si ita* 1093.
ſuſpenſi nihilominus eas concubinas non expellant, aut cum eis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, & officiis, & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis priuentur, atque inhabiles, ac indigni quibuſcumque honoribus, &c. Quare Concilium nullam facit mentionem de ſuſpenſione ab ordine, ſeu officio Clericali, quia hanc ſupponit incurſam per Sacros Canones, de quibus facit mẽtionem, & citantur ad marginem; ad hanc enim 1094.
cum præſupponatur notorietas non requiritur monitio, ſed ſolum vt ſuſpendantur à Beneficiorum adminiſtratione, & Beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, vt Vicariatus, &c. vt enim notant Turrianus *diſp.39.dub.2.* Suarez *diſp.31.ſect.3.* & alij non ex eo quod quis ſit ſuſpenſus ab ordine eſt ſuſpenſus ab adminiſtratione Beneficiorum, aut Beneficiis ipſis poſſeſſis, cum ſint iſtæ diuerſæ pœnæ. Et ſic Concilium non correxit ius antiquum de ſuſpenſione ab ordine impoſita Clericis notoriè concubinariis.

Sed

1095. Sed an hæc pœna ſolum extendatur ad clericos initiatos ordinibus Sacris, an vero etiam cõprehendat clericos in minoribus affirmat Marchin. *vbi ſupr. num.* 18. & ſequuntur multi quos refert. Sed licet hoc ſit probabile, & tutum, ſed mihi probabilius videtur, & etiam tutum quod ſolum comprehendat clericos in Sacris, videlicet Subdiaconum, Diaconum, & Preſbyterum, hos enim exprimunt Nicolaus *in cap. Nullus.* Et Alexander *in cap. Præter hoc.* 32. *diſt.* & Gregorius VII. *cap. Si qui ſunt* 81. *diſt.* Quare leges omnes
1096. poſteriores cum non exprimant de quibus clericis loquantur, limitandæ ſunt iuxta leges priores, maximè cum ſimus in odioſis. *l. ſed & poſteriores D. de legibus.* Et *Authent. de Succeſſione ab inteſtato circa principium,* & notat Nauarrus *cap. Placuit de Pœnitentia diſt. 6. num.* 148. & eſt certum in iure, Bartholus *l. omnes populi q.* 3. *D. de iuſt. & iur.* Baldus *Authent. offeratur num.* 12. *C. de litis conteſt.* Quare ita tenent Ludouicus Lopez *vbi ſupr. cap.* 25. Suarez *diſp.* 31. *ſect* 4. *num.* 8. & 15. Ledeſma *in ſumm. p.* 2. *tract.* 27. *cap.* 18. *conc.* 1. Rodriguez *in ſumm. cap.* 202. *num.* 3. Vega *p.* 1.
1097. *cap.* 55. *caſu* 3. & multi recentiores de hoc conſulti, cum *cap. Veſtra citatum* ſolum diſtinguat inter Clericos, & Preſbyteros, & per Clericos optimè intelligantur Subdiaconus, & Diaconus.

Ex quibus omnibus infertur Clericum concubinarium notorie non poſſe licite obtinere de nouo beneficium, vtpote ipſo iure inhabilem ratione ſuſpenſionis incurſæ, quæ vt quidam notant, non eſt impoſita ob delicti grauitatem, vel in contumaciam, vel in pœnam, ſed ob ſolam infamiam, & ad tollendum fidelium ſcandalum. Sed
1098. hoc eſt falſum, quia aliàs quilibet publicus, & notorius peccator eſſet ſuſpenſus, cum cauſet ſcandalum. Quare melius alij dicunt hanc ſuſpenſionem impoſitam ob delicti grauitatem, quod maximè dedecet Miniſtros Altaris illo infici, cum in ipſis maxima puritas mentis, & corporis requiratur, vt probat D. Thom. 3. *p. q.* 88. *art.* 10. Et ita ſuſpenſio iſta verè cenſura eſt, & pœna, & ſic qui cum illa celebrat, irregularis efficitur à ſolo Papa diſpenſabilis, *cap Cum æterni de re iudicata in 6. cap. Cum medicinalis de ſent excomm.*

1099. Ampliatur ſeptimò, Quod notorius Concubinarius ſit ipſo iure priuatus in conſcientia fructibus Beneficiorum, ſi illos habeat, itaque eſt ſuſpenſus ab officio, & Beneficio, *cap. Præter hoc,* vbi Alexander II. dicit *quod neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat,* quibus verbis dicit Gloſſa *verbo ab Eccleſia,* imponitur à iure ſuſpenſio à beneficio. *Et in cap. Si quis à modo* 16. *diſt.* 80. idem Alexander II. reſcribens *Epiſcopis, & Regi Dalmatarum* dicit, *Nec aliquam portionem de rebus Eccleſiæ habeat.* Et clarius idem Pontifex reſcribens *populo Mediolanenſi,* & refertur *cap. eos etiam.* eadem *diſt. Eos* (Clericos notoriè concubinarios) *ſicut ſe iuſtiſſimè ab officio alienos faciunt, ita beneficio*
1100. *Eccleſiarum priuatos eſſe adiudicamus.* Ita defendunt, etiam poſt Tridentinum, Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 18. *punct.* 1. *verſ. Si autem* iuncto *verſ. Reſpondeo* Salzedo *ad cap.* 73. *Practicæ Bernardi* Diaz. Toletus *lib.* 1. *cap.* 47. *num.* 4. quod intelligit quando eſt mora petendæ abſolutionis, iuxta Archidiacon. *ad cap. Præter hoc* 32. *diſt.* abſolutè idem docet Marchin. *vbi ſupra num.* 25. plures ex Antiquis ante Tridentinum citans, dicitque Concilium loqui in foro externo, & quando ſolum eſt vehemens ſuſpicio de concubinatu; tunc enim vt priuetur fructibus debent præmitti monitiones; at Canones loquuntur de notorio concubinario, qui nullo modo celari poteſt, & in foro conſcientiæ.

Satis probabilis eſt hæc ampliatio, & conformis intentioni Summorum Pontificum Nicolai, Alexandri, & Gregorij in iuribus citatis *qui ex parte omnipotentis Dei, & authoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli præcipiunt, & interdicunt ne huiuſmodi notorij Concubinarij partem aliquam ab Eccleſia ſuſcipiant.* Quæ verba grauiſſima ſunt in deteſtationem huius criminis. Præceptum autem hoc cum ſit de re licita, & pœna conuenienti dubio procul, videtur in conſcientia obligare, atque ita ſuſpenſio ab officio, & ſuſpenſio à beneficio ex vi horum Canonum ſunt connexæ, cum in illis vtraque exprimatur, argumen. *ex cap. inter de purgatione Canonica.* Et quidem in his iuribus vtramque ſuſpenſionem eſſe latam tenet Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 2. *num.* 4. *verſ. confirmatur.* 1101.

Sed licet, vt dixi, hæc ſententia ſit probabilis, & tuta, tamen hodie eſt nimis rigida, cum quantum ad fructuum priuationem, & ſuſpenſionem à Beneficio temperati ſint Canones præfati, maximè poſt Trident. in quo plura requiruntur, vt Clericus concubinarius ſuſpendatur à beneficio, & priuetur fructuum perceptione, quæ requiruntur vt iſte teneatur in conſcientia ad abdicandum à ſe beneficium, & vt fructus illius non poſſit tutus percipere; cum enim ſit pœna grauiſſima, nemo tenetur illam in ſe exequi ante ſententiam etiam declaratoriam criminis, præcipuè cum Canones Antiqui non faciant illum incapacem Dominij. 1102.

§. XIX.

Limitationes eiuſdem Regulæ.

SVMMARIVM.

1103 *Limitatur Regula poſita, & num.* 1121. *& num.* 1126.

1109 *An non ſolum incurratur irregularitas quando violatur ſuſpenſio cenſura, ſed etiam quando violatur ſuſpenſio quæ eſt pura pœna? & n. ſeqq.*

Limitatur primò, Regula poſita. Quod ſuſpenſus poteſt licitè obtinere Beneficium de nouo, & impetrare Bullam de prouiſione facienda, quando eſt ſuſpenſus ſuſpenſione quæ eſt pœna, non vero cenſura. Vt tamen hoc intelligatur notandum eſt cum Suarez *diſp.* 25 *ſect.* 1. *à num.* 2. Cornejo *tract.* 5. *diſp.* 1. *de ſuſpenſione dub.* 1. *&* 2. Torres *diſp.* 37. *dub.* 1. Bonacina *diſp.* 3. *de ſuſpenſ. punct.* 1. *num.* 2. Filliucio *tract.* 17. *cap.* 1. *q.* 2. quod duplex eſt ſuſpenſio, vna pœnalis quæ fertur in pœnam, & vindictam delicti, vt dum quis ſuſpenditur ab ordine, & beneficio propter peccatum præteritum, & hæc non fertur per modum cenſuræ, ſed ſolius pœnæ. Alia ſuſpenſio eſt medicinalis qua intenditur emendatio, & bonum delinquentis, ferturque ob contumaciam reprimendam, & vt homo recedat à culpa, & emendetur obediens. Vnde vt hæc incurratur exigit monitionem, non tamen vt incurratur ſuſpenſio quæ eſt pœna. Rurſus hæc poteſt habere terminum præfixum, at cenſura ſolum quouſque emendetur, & 1103. 1104.

1105. & obediat, & vt tollatur necessaria est absolutio, at vt tollatur suspensio pœna, elapso temporis termino pro quo est imposita non est necessaria absolutio, sed solum testimonium quod sit tempus elapsum, vt in foro externo sine impedimento possit fungi officio, aut beneficio.

Hoc supposito existimo quod si quis est suspensus ab ordinum exercitio suspensione quæ est pœna ad tempus determinatum, v. g. vnius anni 1106. potest licite impetrare beneficium simplex. Ratio est, quia hæc pœna solum exprimit suspensionem ab ordine spatio determinato, inhabilitas autem ad obtinendum est noua pœna. Imo addo quod potest opponi ad concursum, & obtinere Beneficium curatum si solum sit suspensio vnius anni, quia prouisus de beneficio curato habet vnum annum vt possit illi inseruire, si non est Sacerdos: ergo idem tempus habebit si est impeditus & suspensus ab exercitio Sacerdotij. Si tamen sit suspensus perpetuo ab exercitio ordinis licite non potest impetrare beneficium, quia istud datur propter officium, & sic si licite non potest exercere officium non potest licite impetrare beneficium; potest tamen impetrare pensiones etiam 1107. perpetuas, quia istæ non dantur propter officium, nisi ad summum pro officij diuini recitatione.

Existimo secundò, Quod si quis sit suspensus suspensione censura lata propter contumaciam 1108. quæcumque sit siue à beneficio, siue ab officio, siue temporalis, siue perpetua non potest obtinere beneficium etiam simplex. Hoc constat in Regula cum suis ampliationibus, quia cõtumax in Ecclesiam indignus est quod ab Ecclesia beneficietur. Vnde celebrans irretitus hac censura irregularis efficitur, à solo Papa dispensabilis, vt supra dixi, licet à suspensione possit absolui ab Episcopo, vel à Sacerdote Confessario virtute Bullæ Cruciatæ. Legantur Suarez *disput.31.sect.4.num.14.* Valentia *vbi suprà.* Coninch. *disputat.15. num.17.* Reginaldus *lib.32. tract.2. à num.36.* Filliucius *tractat.17.quæst.4.* Alterius *disput.6.cap.2.*

1109. Inquires: An non solum incurratur irregularitas quando violatur suspensio censura, sed etiam quando violatur suspensio quæ est pura pœna? Respondent communiter Doctores affirmatiue. Ita Bonacina *vbi sup. punct.4.num.6.* ex *cap.1. de Sentent.& re iudicata.* & *de sent. excomm.in 6.* vbi Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi statuit quod sententia excommunicationis non feratur nisi in scriptis, expressa causa excommunicationis quod si iudex temerarius violator aliter fecerit per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diui-1110. nis officiis nouerit se suspensum. & infra: *ne prædictam pœnam incurrant caueant, quoniam si contigerit illos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius irregularitatem non effugient, iuxta canonicas sanctiones, supra quam non nisi per Summum Pontificem poterunt dispensari.* Vnde Glossa ibi *verbo irregularitatem*, dicit: *Quod ergo in antiquis Canonibus statutum erat de excommunicatis, extenditur ad suspensos.*

Sed ego existimo primò. Quod quotiescumque iure, vel ab homine præcipitur aliquis actus quod fiat sub tali, vel tali forma, vel prohibetur ne fiat sub pœna excommunicationis, aut suspensionis ipso facto incurrendæ, vt præcipit Innocen-1111. tius IV. *in præfato cap.* quod hæc non est pura pœna, sed vera censura, quæ datur, & ponitur ad euitandum peccatum. Quod si quis faciat, ipso facto est excommunicatus, & suspensus propriaque censura irretitus, in qua si celebret est irregularis, vt definitur præfato *cap.1.* lata enim est, tanquam medicina, ne quis illius timore perterritus contraueniat præcepto, & illi obediat.

Existimo secundò, Quod si quis ob peccatum factum per sententiam iudicis in pœnam suspendatur ab ordinis exercitio, vel à Beneficio, siue ad 1112. tempus, siue in perpetuum, iste si celebret, aut se ingerat in administratione Beneficiorum non fit irregularis. Ratio est euidens, quia ista suspensio nullo modo est censura, sed pura pœna ob peccatum lata vt constat ex dictis initio limitationis: ergo celebrans in illa non efficitur irregularis, sed dignus vt puniatur tanquam transgressor iustæ sententiæ. Vnde fit quod si Sacerdos quia solicitauit in confessione suspendatur in pœnam, propter peccatum factum, ab ordinis Sacerdotalis 1113. exercitio, etiam si celebret, ex hoc capite quia operatur contra sententiam, non fit irregularis. Similiter si Regularis ob delictum puniatur per sententiam ab ordinum exercitio, v.g. ad annum, etiam si peccet celebrando, non tamen fit irregularis ex hoc capite, nisi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda id sibi prohibeatur.

Existimo tertiò, quod si quis in pœnam per sententiam suspendatur ab eligendo, præsentando, nominando, vel prouidendo, aut à beneficio conferendo, si contraueniat, non fit irregularis. Ita Rodriguez *tom.3.q.65. art.6.* pro qua citat Hostiensem, Innocentium, & Calderinum. Quia huiusmodi suspensio non est censura, imo & actus isti validi erunt, quamuis illicitè fiant, si sit suspensus toleratus, quamuis publicus; non tamen erunt validi si fiant à suspenso non tolerato. Quod tunc solum fit quando est nominatim denuntiatus. Ita Auila *p.3.disp.3.dub.3.conc.2.* 1114.

Ex quo fit quod Episcopus suspensus toleratus à beneficio non manet suspensus ab officio, 1115. potest eligere Parochos, approbare, & instituere electos ab aliis. Ita Tabienna *verb suspensio n.4.* Quia suspensus à Beneficio non manet suspensus ab officio, quod conuenit ei ratione Beneficij *cap. Cum Vintonienses de electio.* vbi Canonicus suspensus à beneficio dicit Pontifex quod potest eli-1116. gere, etiam si electio competeret ei ratione Beneficij. Quare Episcopus suspensus à beneficio toleratus potest ea omnia quæ poterat ante suspensionem, præter ea à quibus suspensus est, & sic potest conferre Beneficia, indulgentias, excommunicare, &c. Si sit suspensus à Pontificalibus illa solum non potest exercere. Si sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ, intelligitur suæ, & sic in alia potest celebrare. Hæc omnia constant argumento ex his quæ docet Rota *apud Farinacium decis. 534. & decis.602. in vna Placentin. Benefic. tom.* 1117. *21.* quod excommunicatus toleratus potest exercere iurisdictionem, & sic multo magis suspensus. Et quamuis Rota *decis.534. num.5.* secuta fuerit sententiam Nauarri quod suspensus, etiam occultus, non possit exercere iurisdictionem, & consequenter nec conferre Beneficia &c. tamen sententiam Nauarri Rota cursim reprobauit, cum reipsa non videatur discrimen inter excommunicatum, & suspensum à beneficio.

Secus vero si sit suspensus ab officio, & beneficio; tunc enim non potest exercere iurisdictionem, siue actum ordinis, & sic non potest conferre beneficia, excommunicare, &c. quæ sunt iurisdictionis, *cap. Transmissæ de electio*, etiam si sit 1118.

occul

occultus, quia ab his omnibus ſuſpenſus eſt. Ita Nauarrus *lib.1.conſil.23 de tempor.ordinand.* Felinus *cap. Apoſtolicæ de exceptionibus, num.16.* Sic deciſum fuiſſe à Rota conſtat. Et forſan de hoc loquitur *deciſ.allata, & deciſ.17. coram Litta.25. Iunij 1599.* ita Tabiena *verb.ſuſpenſio num.4.* ibi, *Quando quis ſuſpenditur ab officio, & beneficio ſimul & talis ſuſpenſio priuat facultate exercendi iuriſdictionem ſpiritualem, & conferendi beneficia, quia iſta ſunt fundata ſuper ordine Eccleſiaſtico, & ideo laicus non poteſt ea exercere, cap.2.de iudiciis. Si ergo quis ſuſpenditur à fundamento, videtur ſuſpenſus ab omni ædificio quod eſt ſupra fundamentum.*

1119. Si vero ſit ſuſpenſus ab officio ſolum non amittit fructus Beneficij. Ita Nauarrus *in Manuali cap.27.num.160.* ibi, *Multa ad Beneficium pertinentia poteſt facere ſuſpenſus ab officio clericali, qualia ſunt regere, & gubernare illa quæ ad ſe attinent, & alia quæ ſunt diuina officia. Per quæ nuper reſpondi Beneficiatum ſuſpenſum, eo quod Presbyter factus fuit ante annum 25. cœptum, non perdidiſſe fructus Beneficij, quia per illum tranſgreſſum ſuſpenditur tantum ab officio.* Hæc ille. Quare niſi ſit nominatim ſuſpenſus poteſt exercere iuriſdictionalia, vt notat Auila *vbi ſuprà*

1120. *verſ.Ex his ſequitur.* Sed notat Tabiena quod ſi quis ſimpliciter, & abſolutè ſit ſuſpenſus ab ordine non poteſt exercere iuriſdictionem quæ fundatur ſuper ordine, ſi verò ſit ſuſpenſus ab ordine Epiſcopali, aut Pontificali ſolum ſuſpenditur ab his quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, non vero ab his quæ ſunt iuriſdictionis, etiam ſi ei competant ratione Epiſcopatus, & officij Epiſcopalis, à quo non ſuſpenditur, ſed ſolum ab ordine Epiſcopali; vnde particulariter poteſt celebrare, confeſſiones audire, diſpenſare in votis, & à cenſuris abſoluere &c.

Limitatur ſecundò, Si quis laboret ignorantia

1121. inuincibili, vel qua excuſetur à peccato propter quod eſt lata ſuſpenſio, vel qua etſi non excuſetur à peccato, ignorat inuincibiliter talem cenſuram eſſe impoſitam, poteſt licitè obtinere & impetrare Beneficium. Prima pars limitationis eſt communis, vt videre eſt apud Auilam *p.2.cap.5.diſp.5.dub.10.conc.1.* Ratio eſt, quia cenſura iſta fertur propter culpam: ergo qui ob ignorantiam excuſatur à culpa, etiam excuſatur à pœna. Vnde ſicut qui ignorat inuincibiliter ſuam excommunicationem, ſi celebrat, non fit irregularis, vt eſt certa ſententia, & notant Doctores *ad cap. Cum illorum de ſent. excomm.* D.Antonin. *3.p.tit.74.*

1122. *cap.76.* Silueſter *verb. irregularitas q.13. verſ.5.* Sotus *in 4.diſt.22.q.1.art.2.ad 1.* ita qui ignorantia inuincibili facit actum propter quem eſt impoſita ſuſpenſio, aut interdictum, poteſt impetrare licitè Beneficium, & iuxta opinionem aſſerentium validam eſſe electionem in ſuſpenſo poterit illud ſecurè retinere.

1123. Secunda pars limitationis eſt contra Auilam, *conc.2.* eſt tamen hodie communis, quam tenent Nauarrus *in ſumm.cap.27.num.274.* Sanchez *lib.2.ſumm. cap.10. num.38.* & de Matrimon. *lib.9. dub.32.* Suarez *diſp.4 ſect.9.num.19.* Filliuc. *tract.11.cap.8.num.257.* Portel *in Add. ad Dub.num.29.* Dian. *3.p.tract.5.reſol.13. & tract.6.reſol.41. & p.4.tract.4 reſol.187. (& p.6.tract.6.reſol.42.* ſentit eſſe probabile, id quod ego quoque ſentio, idē eſſe dicendum de caſuum reſeruatione à qua liber eſt ignorans inuincibiliter) Bonacin. *de cenſur. diſp.1.q.2.punct.1.num.13.* Cornejo *tract.5.de cenſur.in gen.diſp.vltim.dub.2.* Turrian. *diſp.5.dub.1. & 2. & 3.* Probatur quia aut hæc cenſura ſuſpenſionis eſt poſita ab Epiſcopo ſolum, & iſta non ligatur quis, etiam ſi ignorantia ſit culpabilis mortaliter, ſi tamen non fuerit craſſa, aut ſupina, 1124.
vt expreſſe deciditur *cap.2.de conſtit.in 6.* Si verò fuerit lata à Pontifice, quamuis neget Turrianus ſecutus ſuum Magiſtrum Vaſquez, tamen contraria eſt communis Canoniſtarum, teſte Couarruu. *in cap. Alma p.1.§.10. Suarez ſect.9.* Ratio eſt, quia cenſura propriè fertur in contumacem, non autem videtur contumax, qui licet agnoſcat præceptum, tamen ignorat pœnam cenſuræ, is enim non videtur contumaciter agere contra legem, quia licet admoneatur præcepto, non tamen ſub comminatione cenſuræ, quam ignorat. Quod non 1125.
tenet in aliis pœnis, quæ non exigunt contumaciam, nam eo ipſo quod quis voluntariè operatur contra legem, conſentire videtur in pœnam tali lege impoſitam. Vnde fit quod cum iſte ignorans non incurrat ſuſpenſionem non eſt incapax Beneficij, quia iſta incapacitas ſolum prouenit à cenſura incurſa.

Limitatur tertiò, Si quando fertur cenſura ſuſ- 1126.
penſionis in omnes Canonicos, quia præſumitur omnes peccaſſe, & nolle obedire, ſi quis eſt certus quod eſt innocens, quamuis præſumatur nocens eſt capax Beneficij, & illud poteſt licitè obtinere, & retinere. Ratio eſt clara, quia iſte non incurrit cenſuram. Ita Auila *p.3.diſp.3.dub.4 conc.2.* cuius verba ſunt: *Qui certus eſt non peccaſſe excuſatur ab incurrenda ſuſpenſione. Sic Pater Henriquez Nauarrus lib.5.conſilior. de ſent. excomm. conſil.22. num.5. & hoc intelligo quando ſuſpenſio imponitur certæ perſonæ, vel Communitati propter culpam membrorum: ſecus ſi ponatur Communitati propter culpam Rectoris.* Hæc ille, & bene.

§. XX.

Secunda Regula.

De eiſdem ſuſpenſo, & interdicto.

SVMMARIVM.

1127 *Secunda Regula: Ligatus his omnibus cenſuris eſt incapax cuiuſcumque beneficij Eccleſiaſtici, niſi abſoluatur. Vnde quæcunque collatio, electio, inſtitutio, præſentatio, &c. illis vel de illo, aut illius facta, ipſo iure eſt nulla, & inualida, & non ſolum illicita & n.ſeqq.*

OMnibus his cenſuris ligatus eſt incapax cui- 1127.
uſcumque Beneficij Eccleſiaſtici, niſi prius abſoluatur. Vnde quæcumque collatio, electio, inſtitutio, præſentatio, poſtulatio, aut nominatio illi, vel de illo, aut illius facta, ipſo iure eſt nulla, & inualida, & non ſolum illicita. Hæc eſt omnium qui ſcripſerunt ante Suarez, qui *diſp.26. ſect.3. num.3. & diſp.27.ſect.1. num.28.* ſentit collationem &c. eſſe validam, ſed irritandam. Quem poſtea ſecuti ſunt multi Recentiores inducti eius fundamentis, quæ faciunt opinionem ſpeculatiuè probabilem, quia ſua ſubtilitate apparentes ſolutiones, textibus iuris Canonici exhibuit. Quare Suarez ſunt ſecuti Alterius *diſp.4.tom.2.de cenſur. cap.3.* Cornejo *tract.5.de ſuſpenſ.diſput.2.dub.3.*

Diana

1118. Diana *part.5. tract. 10. Resolut.2.* qui dicit quod Auila non est audiendus, quia asseruit talem collationem esse inualidam, cum potius ipse Diana audiendus non sit contrarium sentiens contra totam Antiquitatem, & vniuersas Glossas iuris canonici. Eandem opinionem defendit Hurtado Complutensis *tom.de censur. disput.4 diffic.4.n.8.* Coninch. *disput.15.n.14.* Turrianus *disp.39.dub.2.* & alij.

Sed Regulam positam tenent omnes Antiqui, & multi ex Modernis quos citat Garzia *part.7.*

1119. *cap.14.* Quos ego potui videre sunt Nauarrus *in summ cap.25. num.133.* Viualdus *in Candelabr. tit.de Suspensio. num.139.* Maiolus *de irregularit. lib.3.cap.19.num.10.* Vgolinus *Tab.4.de suspensio. cap.6.§.7.num.4.* Lessius *vbi supr.num.116.* Azor *part.2.lib.6.cap.7. quæst.2.& 5.* Ludouicus Lopez *tom.2.part.2.cap.23.* Toletus *lib.1.cap.45.num.7. 8.& 9.* Bonacina *disput.3.de suspensio punct.2. numer.11.* Auila *part.3.disput 2.dub.1.vers. Ex his sequitur.* Henrriquez *lib.13. cap.32.num.3.* Sa correctus *verb.Beneficium. num.29.* & sic seruatur in curia Romana, tam stylo Cancellariæ, quam Datariæ, & Rotæ. Hæc enim in pluribus decisionibus declarauit suspensum esse incapacem Beneficij. ita in vna Melitens. Abbatiæ 24. *Ianuar.1590.*

1120. *Coram Gyptio,& in eadem coram eodem 27.Aprilis 1592.* & *in alia Vrgelitan.Canonicatus.3.Martij 1595.* quas refert Garzia *vbi sup. num. 3.& 4.* Vnde Palao *tractat.1, disputat.4.punct.8.num.1.* dicit: *certum esse suspensum, & interdictum inhabilem esse Beneficij recipiendi.* sequitur Augustinus Barbosa *de Potest. Episcop.allegat 8.num 14.* Filliucius *tract. 41. quæst.4.* qui *num.17.* dicit quod ita habet vsus Sacræ Pœnitentiariæ, quod ipse optime nouit,cum multis annis fuerit Pœnitentiarius apud S. Petrum, vbi ego illum agnoui. Candidus *disquis.18. de Beneficiis. art.14. dub. 6.n.8.* dicens *hanc sententiam esse omnino tenendam.*

1121. Probatur primò, ex *cap. Cum dilectus. de consuetud.* vbi Innocentius III. dicit, *Quia nobis constat electionem ipsam à suspensis, & de suspenso esse celebratam, eam iustitia cassauimus exigente, id est, cassam nuntiauimus,* explicat ibi Glossa, argum.euidenti *ex cap. Accedens vt lite non contestata,* vbi idem Innocentius sententiam ipso iure nullam esse declarat, vt constat ex textu, quia lata fuit sententia definitiua lite non contestata, dicit, *Prædictas cassauimus sententias, imo & cassas denuntiauimus, & inanes* vt notat ibi Glossa satis ad rem. Quare ita tenent Antiqui canonistæ *ad c.cum dilectus.* vbi Baldus *n.17.* Cardinalis *n.9.* Butrius *in 2.lectione n.59.& n.61.* Panormit.*n.20.* Imola *n.35.* Rendina *in Prompt tom.2.tit.41.n.21.* Laborinus *variar.Resolut.lib.2.Resolut.19.num.2.* quos citat & sequitur Barbosa *num. 18.* qui optime notat quod quando sunt diuersæ opiniones illa est sequenda quæ habet consuetudinem pro

1122. se iuxta notata à Crauita *consil.201.num.11.* cumque in re beneficiaria consuetudo,& stylus Romanæ Curiæ semper præualeat & iste sit pro hac regula,dubio procul eius doctrina in praxi iudicando, & consulendo amplecti debet.

Probatur secundò, *ex cap. Tanta. de excessibus Prælator.* quod adducit Rota per Gyptium *decis. citata,* vbi Gregorius IX. non solum declarat Episcopum Colubriensem esse suspensum; & collationes ab ipso factas nullas *quia despexit Petri*

1123. *claues,* sed etiam alios qui sententiam interdicti sunt violati decernit incapaces Beneficiorum, & collationes illis factas esse irritas, & inanes. vbi Glossa *verb.irritas, vers.item collatio,* quam sequitur speculat. *de dispens.§.iuxta n 16.* Abbas *c. Cum bonæ memoriæ.n.6. de ætat. & qualit.* Geminianus *consil.91.num.3. & consil.133. num.2.* quos pro se citat Rota. Quibus addo Layman *lib.1. tract.5. part.3.cap.3.vers. secunda.* Syluestrum *verb.interdictum.6 q 3.*

Probatur tertiò,manifesto textu in *Cap.ad hæc.* 1124. vbi Innocentius III. dicit Episcopum Altisiodorensem quem Canonici Senonenses in Archiepiscopum suum postulabant, esse impostulabilem,quia interdicti sententiam violauerat: *Postulationem huiusmodi (*ait Pontifex*) non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam personam, repulimus vt indignam.* vnde Glossa ibi *verbo Personam,* dicit, *Habes hic quod qui non seruat interdictum ineligibilis est, nec potest postulari.*

Quartò, est textus expressus in *Cap Cum bonæ memoriæ.de ætat.& qualit.* vbi Cœlestinus III. dicit quod suspensi non possunt aliquatenus retinere Beneficia quæ post suspensionem obtinuere,& si per annum steterint in suspensione, nec etiam possunt retinere beneficia antea obtenta. Vnde Glossa ibi *verbo suspensi,* dicit quod isti non possunt eligi, imo post absolutionem ea Beneficia quæ obtinuerunt suspensi retinere non possunt, quia tempore obtenti Beneficij inhabiles erant, vt notat eadem Glossa, quam sequitur, Barbosa *ibi num.6.* Ea autem quæ respondent Lessius & 1126. Suarez ad præfatum cap. considerationes sunt metaphysicæ non quæ ad praxim reduci possint contra communem sententiam Antiquorum, à qua nullus recedit, cum Glossæ omnes in eadem persistant.

Et quidem cum hæc disputatio sit iuris canonici, magis credendum omnibus Glossis, quam Theologis; sicut istis maior fides adhibenda in his quæ pertinent ad suam messem. Igitur Pontifex Cælestinus duo considerat,& quod illi Canonici per triennium permanserunt in suspensione, vnde tanquam suspecti spoliari debent à Beneficiis antea obtentis; postea considerat quod in suspensione noua beneficia obtinuerunt, respectu quorum incapaces erant, & sic ea licitè retinere non poterant,cum inualida esset collatio. Et hæc est huius textus plena intelligentia, nam priora Beneficia non possunt retinere post spoliationē, quæ est quædam sententia declaratoria executiua; at posteriora ante omnem sententiam, cum illorum sit incapax suspensus. Et sic textus iste intelligendus est cum distributione accommoda illorum verborum, *non licet illa aliquatenus retinere.*

Quinto probatur, quia beneficium datur pro- 1128. pter officium, *cap. Cum secundum Apostolum. de Præben. & cap. vltimo.de Rescriptis in 6. cap. Concesso 12. quæst.2.* atqui suspensus, aut interdictus non potest diuina exercere,adeo quod si exerceat manet irregularis, vt est certum in iure, ergo ex natura rei tempore suspensionis, & interdicti incapax est cuiuscumque Beneficij, & sic stylus habet apud Romanum Pontificem, & eius officiales in Dataria, & Cancellaria, & Pœnitentiaria, quod ad effectum obtinendi Beneficia absoluatur quis à suspensione, & interdicto, sicut absoluitur ab excommunicatione maiore. Quare sicut ista facit incapacem Beneficij itaut collatio sit inualida, ita & illæ, & non istæ neque illa cum eadem

ratione

ratione textus quibus probatur excommunicatus maiore excommunicatione esse incapacē Beneficij
1139. possint interpretari, non de incapacitate irritante, sed incapacitate ad licite obtinenda, & retinēda; hoc enim dicitur *in c. Postulastis de cleric. excom. Quod Beneficia non possunt conferri excommunicatis, nec illi valent ea licite retinere*; non tamen dicit quod inualide ea retineant, aut quod collatio sit nulla, *cap. etiam si celebrat.* loquitur de excommunicato minori, cuius electio dicitur irritanda, non irrita, vt dicit ipse Suarez, & nos etiam secuti sumus cum multis tum Antiquis, tum Modernis. Quare sicut quia *cap. Postulastis*, intelligitur ab omnibus fere Theologis *in 4. dist.* 18. & ab omnibus Canonistis quos refert Garcia *part. 7. cap.* 13. quod reddat simpliciter incapacem
1140. excommunicatum maiori, cum textus citati pro suspensis, & interdictis, omnes fere antiqui intelligant, quod sint incapaces incapacitate absoluta, dubio procul in praxi, ita est iudicandum, & consulendum.

Sextò: quia suspensus, & interdictus non toleratus, quia nominatim denuntiatus incapax est Beneficij itaut collatio illi facta sit nulla, vt est omnino certum: ergo etiam si sit toleratus. Consequentia probatur, quia Martinus Quintus *in extrauag. ad euitanda*, in nullo voluit releuare censuratos aliqua censura. Quare si post denuntiationem sunt simpliciter incapaces, etiam sunt ante illam. Nec est eadem ratio de excommunicato minori, cuius collatio non est irrita, sed irritanda, quia est textus expressus *in cap. si celebrat. citato*, vbi dicitur *irritanda*, non irri-
1141. ta. Quamuis si attendamus rationem textus dicentis esse irritandam pro eo quod *ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est priuatus.* Valde probabile est oppositum, quamuis ibi Glossa magna, *littera G.* ponat manifestum discrimen inter excommunicatum minori, ex vna parte, & inter suspensum, & interdictum ex alia. Lege illam.

1142. Ex dictis infertur interdictum, siue suspensum non posse impetrare Bullas, vt prouideatur, & talis impetratio est nulla, quia incapax est Beneficij, & cuiuscumque medij ad illud obtinendum. Vnde neque potest esse oppositor in concursu, etsi opponatur suspensus collatio est nulla, etiam si absoluatur ante collationem. Et examinatores peccant mortaliter, & sunt digni pœna, si illum suspensum admittant ad examen, argum. ex *cap. si celebrat. De Clericor. excomm.*

§. XXI.

Regula vnica. De irregulari.

SVMMARIVM.

1143 *Irregularitas duplex, vna prouenit ex delicto; altera ex defectu.*

1144 *Regula vnica de irregulari: Collatio Beneficij siue curati siue simplicis facta irregulari, etiam occulto, non solùm est illicita, sed inualida, itaut illa recipiens teneatur, tanquam rem iniustè possessam restituere, vel dispensatus in irregularitate procurare nouam collationem, vel explicitam, vel virtualem.*

1151 *Extenditur ad pensionem quæ datur titulo Clericali, & n. seqq.*

1155 *Limitatur eadem regula, & n.* 1158.

1154 *Respondetur ad fundamentum oppositum.*

1166 *Nunquid Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario? & num. seqq.*

IRregularitas, vt supra dicebam, *est impedimentum Canonicum ex facto, vel defectu proueniens, quo directè impeditur aliquis Ordines suscipere, & in illis ministrare.* Quæ definitio colli- 1143.
gitur ex *cap. significasti. El primero de homicidio*, & ab omnibus admittitur. Quæ in genere duplex est, vna prouenit ex delicto, aut ex culpa, vt ex iniusto homicidio, ex mala receptione, aut vsu Ordinum, aut si quis scienter existens irretitus censura celebrat, &c. altera quæ non prouenit ex culpa, sed ex defectu significationis, vt bigamia, & defectus lenitatis in iudice, vel ministro iustitiæ iustè vel condemnans ad mortem, vel occidens, aut ex indecentia qua sunt ligati corpore vitiati, de qua in superioribus plura diximus.

Hoc supposito, collatio Beneficij siue Curati, 1144.
siue simplicis facta irregulari, etiam occulto, non solum est illicita, sed inualida, itaut illa recipiens teneatur, tanquam rem iniustè possessam, restituere, vel dispensatus in irregularitate procurare nouam collationem, vel explicitam, vel virtualem. Hæc est communis & certa, quam fere omnes sequuntur suprà in præcedentibus regulis citati. Videantur Garcia *part. 7. cap.* 11. Bonacina *de irregular. disp. 7. quæst. 1. punct. 4. num. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 2. §. 5.* Auila *part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 3.* Couarruuias *reg. peccatum part. 2. §. 8. num. 6. & in cap. alma part. 1. §. 7. num. 1.* Nauarrus *in summ. cap. 25. num. 132. dicto 11. & c. 27. num. 249. dict. 6.* & sapientissimus P. Lessius postquam contra hanc regulam plura obiiceret *lib. 2. cap. 34. num. 120.* sic prudentissimè fatur: *Nihilominus in praxi sentio adhærendum nostræ conclusioni tanquam securiori, etsi rationes illius non omnino conuincant. Primò, quia est communis, à qua non facile recedendum in praxi. Secundò, quia videtur omnino consentanea praxi, & stylo Curiæ Romanæ, stylus autem seu consuetudo Curiæ ius facit. Tertiò, quia Canones ita facilè possunt intelligi, & plerique Doctores ita eos intellexerunt; non enim antiquiora illa iura ita distinctè, & disertè omnia exprimunt, sed satis est vt dicant talem non posse Beneficium obtinere. Ex communi autem sententia Doctorum facilè nascitur consuetudo quæ instar iuris habeat.* 1145.

Hanc regulam perpetuo secuta est Rota Ro- 1146.
mana. Duas decisiones adducit Garcia *num.* 8. factas coram D. Corduba, prima *die 25. Maij* 1601. & secunda, *die 22. Martij* 1602. circa Canonicatum Curzolensem. Sed ex nouissimis plures ego adducam. 1. facta coram Reuerendiss. Lugdunen. *in vna Salmantin. dimidiæ portion. 23. Ianuar.* 1609. *num.* 2. loquens de laborante morbo caduco dicit quod erat inhabilis ad Beneficia, quodque prouisio illi facta fuit ipso iure nulla. *apud Farin. tom. 2. decis.* 236. & in alia Curzolens. *Canon. 25. Maij* 1601. quæ ibidem est *decis. 44. numero 5.* addens, *Quod irregularis non potest impetrare Beneficium, quia quamuis in impetratione gratiarum sit solita apponi clausula cum absolutione ad effectum præsentium, irregularis non potest gaudere hac clausula, quia irregu-*

laritas non est censura cap. quærenti de verbor. signif. & propterea quando absoluitur à censuris non censetur dispensatus in irregularitate.

1147. Quare quamuis velint Suarez *disput.*40. *sect.*1. *num.*36. *& disp.*44. *sect.*4. *n.*34. Coninch *disp.*18. *dub.*1.*num.*6. & alij, non esse improbabile de rigore iuris, quod non omnis irregularis, maximè si non sit ex delicto sit incapax Beneficij, itaut collatio sit ipso iure nulla, & inualida, tamen indubitanter tenendum est in praxi hoc non habere probabilitatem in iudicando, & consulendo. Quamuis enim non sint iura expresè id determinantia, tamen id euidenter colligitur ex duobus principiis in iure indubitatis. Primum est quia vt irregularis possit Beneficium obtinere requiritur dispensatio. Ita determinant Cœlestinus III. *cap. Henricus de Cleric pugnantib. in duell.* & Nicolaus Papa *cap. studeat* 50. *dist.* vbi cum Clerico irregulari dispensatur vt Beneficium possit obtinere : atqui dispensatio non requiritur vbi non est impedimentum incapacitatis. Secundum principium est, quia Beneficium datur propter officium, vt probant iura supra citata *in regul.*2. *de suspensis probat.*5. ergo in iure collatio facta irregulari est ipso facto nulla. Probatur, quia iste ipso facto est incapax officij : ergo Beneficij. Vnde collator inferior Papa tenetur conferre Beneficium iuxta ordinata per Sacros Canones in quibus ipse non potest dispensare.

1148.

1149. Secundò probatur, quia communis, & certa sententia asserit etiam secundum ius antiquum coniugatos esse incapaces Beneficij non solum obtinendi, sed etiam obtenti, quia in Ecclesia Latina Ordines Sacros, & Officium non possunt habere. Quam rationem tradunt Summi Pontifices Alexander III. *cap. Sane cap. Quod* & Innocentius III. *cap. diuersis fallaciis cap. cum decorem de Clericis coniugatis* : ergo cum irregulares non possint ordinari, nec Officium Ecclesiasticum obtinere, collatio facta est ipso iure

1150. nulla, & inalida. Et quamuis Pontifex dicat vxoratos spoliari debere Beneficiis obtentis, tamen id intelligitur de spoliatione de facto, id est, quod iudex excludat eos à possessione ; non tamen de priuatione iuris, quia istam incurrunt ipso facto, & ante sententiam tenentur ea dimittere, propter subiecti incapacitatem. Vnde si quis irregularis, quantumuis occultus, accipiat Beneficium, ante omnem sententiam, tenetur illud dimitttere eo meliori modo quo non infametur, vel impetrare dispensationem in foro conscientiæ à Sacra Pœnitentiaria.

1151. Extenditur hæc conclusio ad pensionem quæ datur titulo Clericali. Ita plures ex citatis Authoribus ; & constat ex Rota *decis.* 357. *in vna Cæsarauguſt. pensionis* 1. *Iulij* 1611. *apud Farinac. tom.* 2. Ita habet stylus Curiæ vt notant Bonacina *vbi suprà*, Sayrus *lib.*6. *cap.*2. *numero* 22. Filliucius *tractat.* 19. *numero* 92. Nauarrus *consil.*63. *de simonia*, quamuis supr. dixerim probabile esse illegitimum non esse incapacem pensionis, quæ non venit nomine Beneficij. Extendi-

1152. tur tamen ad dignitates, & Prælaturas Regulares, nisi adsit dispensatio eius qui potest. Irregularis tamen ex homicidio voluntario, & intento, etsi sit priuandus Beneficiis iuxta Triden. *sess.* 14. *cap.*7. *de reform.* non tamen est priuandus pensione, quia in odiosis quando quis est priuandus re sua, pensio non venit nomine Beneficij. Ita Suarez *disput.*44. *sect.*4. *num.* 34. Bonacina *vbi suprà num.* 11. & sic dicunt declarasse Sacram Congregationem Marzolla, Barbosa, Bellarminus *in vna Cremonensi.* Riccius *in praxi decis.*4. 524. *num.*4.

Notant tamen Zerola *in praxi part.*2. *verbo dispensatio vers.* 3. Episcopum posse dispensare vt Presbyter homicida voluntarius qui antea habebat Beneficium curatum, vt illud possit obtinere in futurum. Et similiter cum Canonico homicida, vt possit interesse choro, & gaudere fructibus; non tamen potest dispensare vt Sacrum faciat, cum sit irregularitas exceptuata per Concil. Trident. *sess.*24 *cap.*6. Sed non video quomodo hæc duo cohæreant, quia secundum ius Beneficium est propter officium : ergo qui non potest dispensare in irregularitate qua priuandus est quis à Beneficio, non potest dispensare in retentione Beneficij, præcipuè cum iste homicida voluntarius sit perpetuo suspensus ab Officio, & Beneficio, vt dicitur in Tridentin. *sess.* 14. *cap.*7. & idem Concilium. *sess.* 24. *cap.* 6. citato excipiat irregularitatem, & suspensionem ortam ex homicidio voluntario, etiam occulto. Verum est quod vt hoc decretum teneat, requiritur quod homicidium sit ex proposito per industriam, & per insidias, & volitum simpliciter vt tenent Sell. *in select. Canon. cap.*18. *n.* 4. Garcia *de Beneficiis part.*7. *cap.* 11. *num.* 44. Riccius *in praxi rer. Eccles. resolut.*446. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 39. *num.* 49. & sic fuit resolutum *die* 11. *Auguſt.* 1605. tunc enim si homicidium non est sic qualificatum, sicut potest Episcopus in foro conscientiæ dispensare in suspensione, & irregularitate occulta, dispensare etiam potest in retentione officij, & Beneficij.

1153.

1154.

Limitatur primò, quod irregularitas non reddit incapacem Beneficij obtenti talem irregularitatem incursam. Ita Nauarrus *cap.*27. *cit. n.*249. Lessius *n.*130. Suarez *disp.*40. *sect.*2. *n.*15. Sayrus *lib.*6. *cap.*2.*n.*24. Auila *con.*4. Couarr. *Clement.si furiosus p.*2. §.3. *n.*5. Salzedo *in pract. cap.*94. Sa Emendatus *verb. irregular.*1. *n.*4. quia irregularitas ex homicidio voluntario directè, & ex proposito non priuat Beneficio ante sententiam iudicis declaratoriam criminis saltem, cum hæc irregularitas sit omnium maxima : ergo nec alia irregularitas superueniens priuat ipso facto Beneficio ; nullum enim ius id exprimit. Sed omnia loquuntur per verba futuri temporis, vt constat *ex cap. ne Clerici cap. fraternitatis de Cleric. excomm. & cap. ex litteris de excess. Prælator.* & sic licitè potest retinere Beneficium quousque priuetur per iudicem. Ita Portel *p.*2. *responsio.casu* 65. *ad hoc argumentum pag.* 554. Nauarrus *consil.* 17. *de Homicidio* Auila *vbi sup. vers. Hinc sequitur*, qui optimè addit cum Corduba *lib.* 1. *quæst.* 36. dummodo non sit in mora petendi dispensationem.

1155.

Verum hæc mora, etsi sit culpabilis mortaliter, non tamen obstat quominus teneatur vel relinquere Beneficium, vel quominus non faciat fructus suos. Si tamen hæc irregularitas proueniat ex infirmitate, etiam caduca, vel alia qua reddatur incapax ad Officium, non est priuandus Beneficio, *cap. ex litteris* de Cleric. ægrotant. Sed si Beneficium sit curatum debet poni ab Episcopo Vicecuratus qui pro ægroto satisfaciat.

1156.

Vnde irregularis, etiam ex delicto, si sit occultus non tenetur restituere fructus, quia vsque ad iuridicam priuationem habet titulu m Beneficij,

1156.

&

& sic facit fructus suos, dummodo per se, vel per alium præstet onera Beneficij, excepta pensione diuini Officij, quam non potest per alium præstare, cum sit onus personale. Ita Coninch *disputat.* 18. *num.* 5. Filliucius *tract.* 19. *num.* 69. & 70. Si tamen non possit per alium alia onera Beneficij præstare, nec obtinere dispensationem irregularitatis, tenetur in conscientia Beneficium resignare, nisi alia maior necessitas vrgeat, vt quia bene opinatus famam amitteret, vel est necessarium ad sustentationem vitæ, & cogeretur mendicare cum dedecore, & similes de quibus Bonacina *disp.* 1. *de censuris quæst.* 2. *punct.* 3. *n.* 6. *vers. item potest.*

1157. Ex quo fit quod qui incidit in irregularitatem post adeptum Beneficium, etiam curatum, & in concursu obtentum, potest resignare Beneficium in fauorem alterius, cum adhuc retineat titulum Beneficij. Ita Rota *decis.* 55. *in antiquis.* & Suarez *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 19. Bonacina *num.* 9.

Limitatur secundò, nisi iste irregularis dispensetur ab Episcopo quando irregularitas est occulta (excepta quæ oritur ex homicidio voluntario, & ex proposito, vt supra dicebam, & modo dicam) sic enim habetur in Trid. *sess.* 24.

1158. *cap.* 6.

Sed est dubium. Vtrùm Episcopus possit dispensare cum Bigamo vero ad minores Ordines suscipiendos, & ad Beneficium simplex obtinendum, & quod pro illo subiiciatur examini? Negant Suarez *disp.* 49. *de censur. sect.* 3. *num.* 4. referens aliquos antiquos. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 11. *diff.* 31. *num.* 13. Turrianus *disp.* 70. *de cens. dub.* 5.

1159. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 62. dicens sic declarasse sacram Congregationem, quam referunt Garcia *part.* 7. *cap.* 6. *num.* 5. Tamburinus *de iur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 3. *num.* 2. Nouarius *tract. de electio fori quæst.* 52. *num.* 2. Probatur ex *cap. nuper & cap. vltimo de Bigamis*, vbi cauetur ne Bigami suscipiant minores Ordines; etenim teste Ambrosio Epist. 82. latum est ius excludens Bigamos ab omnibus Ordinibus in Sacro Concilio Nicæno.

1160. Nihilominus probabilior est affirmatiua, & in praxi secura, quod potest Episcopus dispensare in bigamia vera ad minores Ordines. Ita ferè omnes Theologi antiqui, & tenent D. Thom. *in* 4. *distinct.* 27. *quæst.* 3. *art.* 3. ibi, *Papa potest dispensare in tali irregularitate* (bigamiæ veræ) *to aliter, sed Episcopus quantum ad minores Ordines; imo quidam dicunt quod etiam quantum ad maiores in illis qui volunt Deo in Religione seruire propter vitandum Religiosorum discursum.* Idem docent Paludanus *quæst.* 4. *art.* 5. B. Albertus Magnus, Durandus, Richardus, Bonauentura, Deza, Capreolus *ibi.* Idem docent Summistæ antiqui Syluester *verb. Bigamia quæst.* 6. Tabiena *quæst.* 7. *num.* 6. Angelus § 6. Armila *n.* 6. ex recentioribus illam amplectuntur Præpositus 3. *part. quæst.* 5. *de irregularit. dub.* 7. *num.* 137. Cornejo *tractat.* 5. *de irregul. disp.* 10. *dub.* 1. *quæstiun.* 5. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 8. *art.* 2. Ioannes de la Cruz *in direct. part.* 2. *de irregul. dub.* 1. *conc.* 1. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp.* 86. *n.* 11. Sayrus *de censur. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 11. Auila *part.* 7. *disp.* 7. *dub.* 4. Azor *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 20. *q.* 2. Hie-

1161. ron. Rodrig. *resol.* 16. *num.* 1. ex Emman. Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 24. *art.* 1. & 2. Basseus *verb. Bigamia num.* 11. Comitolus *in respons. lib.* 1. *q.* 106. Vnde Suarez *vbi sup. n.* 5. *in fine* dicit hanc sententiam esse probabilem, & in praxi seruari posse vbi est vsu recepta. Et quis dubitat quod vsu recipi potest quando tot, & tantos habet Patronos.

Probatur. Quia ita expressum est *in cap. lector* 37. *distinct.* quod siue sit Martini Papæ vt vult Gratianus, siue sit Martini Braccharensis Episcopi, vt vult Suarez, siue sit Concilij Toletani primi *can.* 3. expressè dicitur quod Lector 1162.
Bigamus potest in necessitate Subdiaconus fieri, qui ordo tunc temporis Sacer non erat; atqui si Martinus Braccharensis, aut Concilium Toletanum sentiret id solum posse facere Summum Pontificem non id determinarent. Id quod etiam tenet Turrecremata *ibi art.* 2. Glossa *in cap. vt Bigami verbo dispensare, in fine.* Barbosa *ibi num.* 5. Maiolus *de irregular. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. & quidem hunc canonem esse Martini Papæ, & Episcopi Braccharensis sentiunt Barbosa *cap. Lector citat. num.* 2. ex Sanchez *vbi suprà num.* 11. Bonacina *disp.* 7. *de censur. quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 15.
imo addo cum Armilla, Tabiena, Supplement. 1163.
Gabrielis, Turrecremata locis citatis, quos sequitur Præpositus *vbi suprà* quod Episcopus potest dispensare in Bigamia orta ex delicto, vt si quis vxorem occultè adulteram cognoscat. Et hoc ex potestate tradita Episcopis à Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 6. sicut supra diximus posse dispensare cum irregularitate occulta illegitimi, quia Concilium omnem irregularitatem prouenientem ex delicto occulto suo decreto comprehendit. An vero Regulares possint dispensare cum 1164.
suis subditis vtrumque est probabile. Videantur Hieronymus Rodrig. *vbi suprà* & Diana *resol.* 63. & dicam modo.

Ad fundamentum oppositum respondetur primò, quod ibi solum prohibetur Bigamis Clericatus; non tamen aufertur ab Episcopo potestas dispensandi, quam illi dat Pontifex Martinus. Primò, ad dispensandum, vt minores accipiant. Respondetur secundò, quod Pontifex Innocentius III. in illis capitibus expressè dicit quod illi de quibus loquitur non sunt in veritate Bigami, tamen non esse cum illis dispensandum ad vsum Presbyterij, & Diaconatus, non propter Sacra- 1165.
menti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, quia quantum in ipsis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt. Et aduertendum maximè cum Glossa *in formatione casus vtriusque capitis*, quod Pontifex non loquitur de dispensatione ad minores Ordines, sed ad maiores, vt clare constat *ex cap. vltimo.*

Sed nunquid Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, & ex proposito, affirmant Hieronym. Rodrig. *resol.* 16. *num.* 14. 1166.
Portel *in additio ad dubia verb. dispensare num.* 5. ex quodam priuilegio Pauli III. de quo in Bullario Rodriguez, vbi idem affirmant de Bigamia vera. Legantur Basseus *in Floribus verb. Abbas* §. 2. Crousers *lect.* 12. *in reg. S. Francis.* & Basseus *verb. Abusus, numero* 2. secutus Mirandam *tom.* 2. *de Prælato quæst.* 8. *art.* 10. *conclus.* 2. Portel *verb. aborsus num.* 10. Hieronym. Rodriguez *resol.* 4. *n.* 6. Vega *tom.* 2. *cap.* 5. *casu* 6. sentit quod Prælatus Regularis ex concessione Martini Quinti potest dispensare cum irregularitate orta ex aborsu procurato, & intento, secuto effectu fœtus animati. Sed dicit quod hæc concessio fuit viuæ vocis 1167.
oraculo

oraculo ex Diana 4. *part. tract.* 2. *resolut.* 87. quod viuæ vocis oraculum iam derogatum est per duplicem Bullam, vnam Vrbani VIII. editam *die* 20. *Decembris anno* 1631. alteram Gregorij XV. quam ad verbum refert idem Vrbanus VIII. Quare, ait Basseus, iam non possunt Regulares vti hoc priuilegio.

Digressio. Valde vtilis.

De viuæ vocis oraculorum reuocatione.

SVMMARIVM.

1168 *Sex notanda, & aduertenda circa viuæ vocis oraculorum reuocationem, & n.* 1171. 1177. 1183. 1187. 1193.

Sed circa hanc reuocationem viuæ vocis oraculorum, quamuis digrediendo, aliqua sunt aduertenda; est enim hodie res valde necessaria,
1168. vt quamplurimi fedentur scrupuli, & ad quietem fidelium, & Religiosorum. Primum est, quod si viuæ vocis oraculum rale fuit quod in illo nixa communitas Religiosa induxit consuetudinem rationabilem, præscriptam tempore legitimo, & requisito à iure, quamuis reuocatum sit virtute harum Bullarum viuæ vocis oraculum, non tamen est reuocata consuetudo legitima. Hoc est contra Portel *tom.* 2. *responsio. casu* 13. *num.* 18. vbi dicit etiam consuetudinem fundatam in viuæ vocis oraculo esse derogatam. Sed fallitur omnino bonus Pater, quia Bulla reuocatoria priuilegiorum, cum sit odiosa extendi non debet ni-
1169. si ad expressa quæ intendit, & explicat reuocanda *Regul. odia. de regul. iuris in* 6. atqui Pontifex solum reuocat viuæ vocis oracula, & non consuetudines quæ ex illis ortum traxerunt, cum diuersum sit viuæ vocis oraculum à consuetudine legitima; at lex non reuocat consuetudinem legitimam, & rationabilem, nisi expresse ponatur
1170. in reuocatione *cap.* 1. *de consuetud in* 6.

Deinde quia consuetudo præscripta præualet aduersus legem latam, inducitque nouum ius: ergo semper manet, nisi expresse derogetur, & non eneruatur eius vis. Legantur Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 20. *num.* 12. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 5. §. 1. *num.* 8. Mascardus *de probat. conc.* 423. *num.* 17. neque obstat quod Pontifex dicat, *non obstantibus quibuscumque in contrarium*, quia dicit respectu reuocationis oraculorum viuæ vocis, non vero consuetudinis, quia aliud est consuetudo vtendi viuæ vocis oraculi, & aliud consuetudo introducta occasione viuæ vocis oraculi, prima consuetudo derogatur sicut derogatur vsus viuæ vocis oraculi, non tamen secunda. Neque sequitur quod Bulla esset frustratoria, tum quia impedit ne vlterius sit vsus viuæ vocis oraculorum; tum vlterius ne introducatur consuetudo in illis fundata, & ab illis genita, & hoc punctum alibi etiam tetigi.

1171. Secundum quod Bulla Vrbani VIII. solum reuocat ea viuæ vocis oracula quæ non sunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa scientia. Ita tenent hodie viri grauissimi, inter quos est perdoctus Pater Fr. Ioannes à Virgine *in quadam consultatione impressa anno præterito conc.* 3. Peyrinis *tom.* 3. *in additamentis ad const. Vrbani VIII. cap.* 12. *const.* 18. *alias* 28. *Nota quod ista reuocatio non intelligitur de viuæ vocis oraculis concessis ante Pium V. qui illa omnia innouauit, & de nouo concessit cum clausula ac si de verbo ad verbum, &c. Quæ clausula operatur vt confirmatio, & innouatio, ac si esset ex certa scientia, vt probaui in const.* 4. *Pauli III. num.* 11. *tom.* 2. *& constat hoc ex constitut.* 7. *Pij V. tom. etiam* 2. *priuileg.* §. 31. *Neque etiam intelligitur de viuæ vocis oraculis concessis ante Gregorium XIII. quia iste etiam Pontifex ea omnia confirmauit per suam constitutionem primam ex certa scientia, vt habes eodem tom.* 2. *in Gregorio XIII.*

Et ratio est manifesta, quia eo ipso quod ista 1172.
viuæ vocis oracula sunt confirmata ex certa scientia per constitutiones Apostolicas iam desinunt esse viuæ vocis oracula, sed sunt priuilegia concessa per Bullas Apostolicas, & sic non veniunt in hac Vrbana reuocatione, quæ cum sit odiosa, & reuocatoria intelligenda est de illis oraculis viuæ vocis quæ talia sunt propriè, & rigorosè. Imo ego addo intelliguntur de viuæ vocis oraculis factis ante Clementem VIII. qui *Bulla sua prima apud Rodriguez in Bullario*, quam etiam refert Portel *in dub. verb. priuileg. num.* 30. omnia ea constitutione propria ex certa scientia confirmauit, quam refert Paulus Quintus *in sua con-* 1173.
stitutione quæ incipit Ad perpetuam rei memoriam die 1. *Decembris anno* 1609. *Pontificatus sui anno* 5. eam confirmat. Et iterum confirmat etiam viuæ vocis oracula per anteccessores suos concessa Fratribus Minoribus. Vnde Bulla Vrbana non intelligitur de oraculis, ante Paulum Quintum, cuius constitutionem refert Fr. Ludouicus à S. Ioanne Euangelista ad finem *tom.* 1. *super* 4. *sententiar. lingua vulgari edito.*

Sed addit Peyrinis *num.* 3. *Hæc dicta velim* 1174.
dummodo stylus Curiæ Romanæ aliter non seruet, aut sentiat. Prudens additio. Sed quantum conijcere possum hæc non sunt contra stylum Curiæ Romanæ, quia Magister Fr. Theodorus Stracius Reuerendissimus Generalis Carmeli *in quadam instructione pro suis Fratribus impressa Romæ anno* 1640. quæ fuit approbata à Magistro Sacri Palatij, *cap.* 20. expresse dicit quod apud ipsum *certa est hæc resolutio.* Quod non diceret, nec 1175.
approbaret Magister Sacri Palatij, si esset contra stylum Romanæ Curiæ. Sed Diana *p.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 17 postquam ad verbum retulit opiniones Lezanæ, & Peyrinis, subdit: *Ego circa resolutionem præsentis dubij de meo nihil dico, nihil pono, solum referre volo quid alij dixerint.* Sed ad quid, sapientissime vir, nobis totas obtrudis Authorum sententias, si de tuo nihil ponis, aut consentiendo, aut impugnando? libros enim apud nos habemus, vbi ea quæ transcribis legere possumus. Quod desideramus est iudicium, & dictamen tuum.

Tertium notandum est, quod quando viuæ 1177.
vocis oraculum factum alicui Cardinali tanquam Officiali Pontificis, & signatum est sigillo Officij publici quod exercet siue Cancellariæ, siue Pœnitentiariæ non censetur reuocatum hac constitutione Vrbani Octaui, quia tunc procedit tamquam publicus Officialis Papæ, & vtitur sigillo publico in illo Officio à Papa designato, & de hoc nullam facit mentionem Vrbanus VIII. in sua reuocatoria, sed de viuæ vocis oraculis quæ facta sunt ad instantiam quorumcumque etiam

etiam si Reges sint, & Cardinales, & subscribantur à Cardinali ipso; non enim loquitur de Cardinali Officiali publico ipsius Pontificis, & qui vt talis ex mandato ipsius publicat viuæ vocis oraculum. Vnde priuilegium concessum à Paulo III. Monialibus Religiosissimi Conuentus
1178. Hispalensis Sanctæ Mariæ de Gratia per Eminentissimum Cardinalem Raynutium anno 14. sui Pontificatus per hæc verba: *Authoritate Domini Papæ cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali, & expresso mandato, super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, concedimus quod illæ vestrarum quæ bene legere nesciuerint, & quæ pro tempore ægrotæ, aut aliqua occupatione detentæ fuerint, Pater noster aliquoties dicendo, & recitando, debito horarum Canonicarum, & officij diuini satisfaciatis.* Hæc ibi. Quod priuilegium expeditum fuit *Romæ apud S. Petrum sub sigillo Officij Pœnitentiariæ* (& aduersatur in Archiuio præfati Conuentus) *septimo Kalendas Martij Pontificatus Domini Pauli Papæ III. anno decimo-*
1179. *quarto.* Hoc, inquam, viuæ vocis oraculum non est reuocatum per Vrbanum VIII. tum propter dicta; tum quia priuilegium in illo contentum concessum est præfatis Monialibus per modum conuentionis, erant enim non Moniales, sed Beatæ, quæ non erant professæ solemni professione, nec profitebantur clausuram, & factæ sunt Moniales veræ, & conuenerunt ita fieri sub his priuilegiis, & aliis ibi expressis.

1180. Quod priuilegium magnum est, & eximij splatij pro omnibus Monialibus quæ participant de aliarum Religionum priuilegiis; quamuis enim, vt opinor, Moniales teneantur sub mortali, etiam extra chorum recitare officium diuinum, vt sæpius consultus respondi, tamen ex vi huius priuilegij possunt in casibus de quibus loquitur, non recitare, nisi aliquoties dicere Pater noster; numerum determinabit vel Priorissa, aut Abbatissa, vel prudens Confessor & iste, vel illa declarabunt, quando inscientia legendi, infirmitas, aut occupatio sit legitima, vt securius procedatur.

1181. Simile priuilegium concessit Religiosis viris Clericis Regularibur Theatinis Sancti Sylueştri in Vrbe Clemens Septimus, *Qui prædicationi verbi Dei, audientiæ Confessionum, vel etiam Sacræ Theologiæ, & Sacrorum Canonum lectioni, ac studio insistentes, siue ad legendum, siue ad libros imprimendos recitando sex, aut septem Psalmos à Præposito assignandos, cum septem Pater noster, & bis Symbolum Apostolorum satisfaciant obligationi horarum Canonicarum, & officij diuini.* Quod priuilegium referunt Diana *part*..... *resolut*..... Emmanuel Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 42. *art.* 6. Miranda *quæst.* 37. *art.* 16. refert aliud simile concessum Monachis S. Benedicti, & habetur in Com-
1182. pendio priuilegior. S. Hieronymi in Hispania *verbo horæ Canonicæ* §. 7. vt dicit Hieronym. Rodrig. *resol.* 24. *num.* 6. Quod priuilegium, ne habena laxetur, intelligi debet quod illo vti nemo possit, nisi ex Superioris licentia, & declaratione, quod hic, & nunc currat ea necessitas quam Pontifex exigit, vel nisi ipsa sit notoria, quia maior pars diei occupatur in studendo, & legendo, & confessiones audiendo, ex quibus tædio affectus, & lassatus studio, non potest moraliter attendere ad officij recitationem.

1183. Quartum notandum adducunt Peyrinis *vbi supra num.* 2. Turrian. *part.* 2. *select. disp.* 16. *dub.* 5. §. *ex altera vero* quod reuocatio Vrbani VIII. non comprehendit viuæ vocis oracula communicantia priuilegium alicui Religioni, aliàs concessum per Apostolicum diploma, quia in hoc casu non cadit ratio adæquata qua motus est Vrbanus VIII. cum gratia concessa hoc viuæ vocis oraculo intelligatur omnino sicut Apostolicum diploma. Quare sicut in huius vsu non est aliquod inconueniens ex his quæ pro motiuo suæ constitutionis adducit Vrbanus VIII. nec erit in vsu viuæ vocis oraculi, quo communicatur dictum diploma. Etenim ratio motiua quam habuit Vrbanus ad extendendum diploma Gregorij XV. fuit, *Quia sæpe ab his in cuius fauorem emanarunt* (viuæ vocis oracula) *minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni mandari. Id circo quantum in Domino possumus, his, & aliis multis occurrere volentes, proprio motu, & ex certa scientia*, &c. Quæ ratio non currit quando per viuæ vocis oraculum communicatur priuilegium expeditum alias per constitutionem, & diploma Apostolicum, & sic illud non censetur reuocatum, cum cessante causa adæquatè motiua cesset effectus, vt ex multis congestis probat eruditè Fr. Ioannes à Virgine *num.* 4. *in præfato consultatione*, vbi ex communi dicit quod in legibus, Bullis, contractibus, & aliis dispositionibus cessante causa super quam fundatur dispositio, cessat & ipsa dispositio. Legantur Barbosa *in axiomatib iur. axiom.* 45. *num.* 6. Tuschus *tom.* 1. *littera C. conclu.* 137. *num.* 14. Sanchez *tom.* 1. *summ. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 41. 1184.

Opinio hæc valde probabilis est, sed non ita facilè ad praxim reducerem inconsulto Papa, cum Vrbanus VIII. omnia viuę vocis oracula quæ propriè sunt talia reuocauerit. Quare nisi per Apostolicum diploma amittat rationem viuæ vocis oraculi (quod in eo consistit, vt notat Portel *vbi suprà num.* 2. quod Summus Pontifex ad petitionem alicuius Cardinalis, Episcopi, aut Prælati Regularis, aliquid concedat solo ore, dicendo *Fiat*, de quo impetrans testimonium scripto prodit) & fiat priuilegium expeditum per Bullam, & diploma. Ratio quæ me mouet est, quia 1186.
Vrbanus VIII. non solum reuocauit viuæ vocis oracula propter illud inconueniens quod expressit, sed etiam ad obuiandum multis aliis quæ non expressit, vt constat illis verbis: *His, & aliis multis occurrere volentes*, &c. quæ cum exprimere non teneatur, quamuis primum illud inconueniens cesset, non tamen scimus an cessent alia quæ non explicuit, & sic semper stat præsumptio in fauorem legis, & legislatoris. 1185.

Quintum notandum. Quod Vrbanus Octauus 1187.
non reuocauit priuilegia viuæuocis oraculo concessa alicui personæ particulari quæ non sit de aliquo ordine, Congregatione, instituto, vel Societate. Nec etiam concessa omnibus Christi fidelibus. Ita Reuerendissimus Generalis Carmeli de Obseruantia *loc. cit. num.* 9. quem citat, & sequitur Fr. Ioannes à Virgine, & manifestè colligitur ex Bulla Vrbana; quamuis enim reuocet oracula quibus conceditur aliquod priuilegium personis cuiuscumque instituti, Congregationis, Societatis, etiam IESV, &c. siue sæcularibus, siue regularibus, &c. tamen ly *sæcularibus* intelligitur quatenus sunt de aliqua Congregatione, aut communitate; non vero quatenus sunt sui iuris, & particulares personæ.

Sed non placet hæc sententia, tum quia ratio, 1188.

1188. & motiuum huius reuocationis multo fortius currit in personis particularibus quæ facilius abutentur viuæ vocis oraculo; tum etiam quia Pontifex distinguit expresè priuilegia per viuæ vocis oracula facta personis particularibus, & facta communitatibus, siue facta Clericis, & Presbyteris, aliisque personis. Verum est quod non intelligitur reuocatum viuæ vocis oraculum factum alicui loco sacro, siue regulari, siue sæculari, vel Altari priuilegiato in gratiam, & indultum factum omnibus fidelibus, quia ibi non fit de hoc mentio; quamuis enim loquatur Pontifex de communitatibus, & de personis particu-
1189. laribus, tamen nomine communitatis, & personarum non venit locus, vt Ecclesia, Altare, vel imago aliqua deuota, quas visitantibus Christi fidelibus viuæ vocis oraculo conceditur aliquod indultum, aut indulgentia, quamuis fuerit concessa intuitu alicuius Religionis, aut Religiosi, aut alicuius Principis sæcularis ad instantiam sui Oratoris, qui testimoniũ publicũ fert de Oraculo.

1190. Imò Portel *casu* 13. citato existimat non improbabile quod etiam non reuocentur viuæ vocis Oracula quibus conceduntur indulgentiæ Religiosis, quia de istis non fit specialis mentio, quia indulgentiæ nomen non venit sub communibus nominibus *Gratia*, *indultum*, *priuilegium*, maximè in odiosis, & reuocatoriis, vt dicit optimè Pater Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 9. *num.* 10. *Indulgentia habet speciem quoddam priuilegij, communi tamen vsu non ita vocatur, nec solet comprehendi sub nomine priuilegiorum in generalibus rescriptis Pontificum, nisi mentio illius proprio nomine fiat. Et ratio est, quia indulgentia est quædam absolutio, & non est facultas aliquid agendi, vel non agendi, quam priuilegium specialiter significat. Vel certè indulgentia est quædam specialis eleemosyna de thesauro Christi per dispensatorem eius facta; eleemosyna autem non est priuilegium, sed purum Beneficium alterius rationis.*

1191. Ex qua doctrina, quæ verissima est, constat quod cum Vrbanus Octauus non fecerit in sua Bulla reuocatoria mentionem indulgentiæ sub proprio nomine, viuæ vocis oraculum de illa non reuocatur; quamuis enim reuocauerit omnia, & singula priuilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque, &c. tamen sub nullo istorum nominum comprehenditur *Indulgentia*, non sub nomine *Gratias* (quia de cæteris constat) quia istæ intelliguntur ad aliquid agendum, vel non agendum impunè, vt clarè constat ex intento Bullæ; quia illis abutendo hi quibus concessæ sunt *minus canonica interpretatione extendunt, & perperam in disciplina Ecclesiastica detrimentum*
1192. *executioni demandant*; quibus manifestè declaratur loqui de gratiis ad aliquid agendum, vel non agendum impunè, non vero de gratiis indulgentiarum, quibus fidelibus, & Religiosis applicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum in thesauro Ecclesiæ reseruatæ; indulgentia enim etsi genericè sit propria gratia, tamen in odiosis non venit, nisi nomine specifico exprimatur. Sicut quamuis Religiosus Ordinatus sit vere, & propriè Clericus genericè, tamen in odiosis nomine Clerici non veniunt, nisi nomine specifico nominetur. Quare in odiosis vbi lex non distinguit, nos distinguere non solum possumus, sed debemus, quia odia sunt limitanda, & restringenda. Quare hæc sententia mihi probabilissima est, etiam in praxi.

1193. Sextum, & valde notandum est, quod licet omnia viuæ vocis oracula essent reuocata per Bullam Vrbani Octaui, nihilominus omnes Confessores Regulares expositi, & approbati à suis Superioribus, & Episcopis iuxta formam Tridentini possunt dispensare tum cum incestuosis ad petendum debitum coniugale, tum cum illis qui illicitè contraxere nuptias propter impedimentum voti simplicis castitatis, vt etiam possint petere, & reddere, dispensando cum illis in præfato impedimento, quousque duret Matrimonium. Hæc est hodie communis sententia, vt videre est in Peyrinis *tom. de subdito q.* 1. *cap.* 21. §. 1. *in nouissima impressione anni* 1640. quem citat, & sequitur Fr. Ioannes à Virgine *n.* 16.

1194. Et ratio est. Quia licet Regulares tam in Italia quam extra, virtute suorum priuilegiorum non possint absoluere à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ, vel ab Episcopo, & Ordinario loci, vt authenticè declarauit Sacra Congregatio Trident. *die* 17. *Nouembris anno* 1628. quam declarationem approbauit Summus Pontifex Vrbanus VIII. & ad verbum refert Lezana *in summ. qq. regul. cap.* 19. *num.* 17. ex quo transcripsit Fr. Ioannes à Virgine *n.* 14. neque etiam possint absoluere à censuris, etiam reseruatis, vt declarauit eadem Sacra Congregatio 7. *de Augusti* 1617. 1195. tamen facultas dispensandi in præfatis nullo modo abrogata est per prædictam Congregationem: cum enim aliud sit absolutio à peccatis, & censuris, aliud dispensatio in præfatis impedimentis, & cum in diuersis non fiat illatio, maximè in reuocatoriis *l. Papinianus D. de mino. cap. ad audientiam de decimis*, quamuis sit abrogata potestas ad absoluendum, non tamen potestas ad dispensandum in impedimentis propositis, etiam si eorum dispensatio sit reseruata Episcopis, quia vt ait Peyrinis, reseruando sibi non auferunt à Religiosis priuilegiatis potestatem quam habent ex priuilegio. Nec Sacra Congregatio exprimit de dispensatione reseruata, sed de peccatis, & censuris reseruatis.

1196. Et quidem Regulares habere prluilegia dispensandi in impedimento incestus post Matrimonium ad petendum, & reddendum, & similiter post contractum etiam Matrimonium in impedimento voti simplicis castitatis, constat ex duobus priuilegiis concessis viuæ vocis oraculis Pij Quinti, quæ refert Emman. Rodrig. *in Bullario in Pio V. Bulla* 9. & 12. & per Eugenium IV. *Bull.* 25. & Iulium II. *Bull.* 24. & quamuis isti Pontifices solum extendant ad tres, vel quatuor Religiosos à Superiore assignandos, tamen alij Pontifices infra adducendi non determinant numerũ.

1197. Dices quod hæc sunt viuæ vocis oracula, non diplomata, & sic sunt reuocata. Respondetur primò, quod sunt confirmata diplomate, & constitutione Pij V. Gregor. XIII. & Pauli V. vt supra vidimus *not.* 2. Respondetur secundò, quod oraculum Iulij II. quod est 24. apud Rodriguez in Bullario *pag. mihi* 237. non est illorum quæ reuocata sunt, cum sit factum à Ludouico S. Marcelli Presbytero Cardinali, & Maximo Pœnitentiario, quæ dignitas, & officium maximum est, & sic est officialis Papæ, & vt talis cui delegata est potestas ad illud faciendum dicit: *Nos igitur authoritate Domini nostri Papæ, cuius pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali, & expresso mandato, super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ*

dictæ, quàm verborum huiusmodi in illa appositorum, vos & pro tempore existentes dictorum Monasteriorum Abbates, Priores, Præsidentes, & Monachi prædicti, coniugatos huiusmodi, &c. in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officij Pœnitentiariæ quarto Calendas Augusti Pontificatus Iulij II. anno primo.

1198. Ex quo fit quod huiusmodi viuæ vocis oraculum, cum sit factum ab officiali Papæ, eiusque authoritate delegata, & in loco officij, & eiusdem sigillo munitum nullo modo est reuocatum, vt dicebam *supr. notab. 3.* Quod secus est in aliis viuæ vocis oraculis datis etiam à Cardinalibus, cuius testimonium præstant in ædibus propriis suæ Residentiæ, & sigillo familiæ suæ muniunt, quod est valde aduertendum. Verum est quod priuilegium hoc Iulij II. solum est ad dispensandum in incestu ad petendum', & reddendum, tamen priuilegium Pij Quinti quod affert Rodriguez, expresè concedit facultatem ad dispensandum cum his qui ante Matrimonium vouerunt castitatem, vt possint petere.

1199. Est tamen alia generalior concessio quæ omnes Confessores approbatos comprehendit, & non limitatur ad quatuor, quæ facta est Monachis Benedictinis S. Ruffinæ ab Eugenio IV. *in Bulla, & Diplomate quod incipit, Etsi quaslibet personas* refertur à Fr. Emman. Rodrig. *in Bullario, Bull.* 11. huius Pontificis, vbi conceditur prædictis Patribus, Abbati, & omnibus Confessoribus approbatis vota omnia permutare, & in omnibus, & singulis casibus, etiam ordinariis, aut per Synodales, & Prouinciales constitutiones reseruatis, cum eis dispensare. Vbi nomine casus non intelliguntur peccata reseruata, quia super istis non ca-
1200. dit dispensatio, sed absolutio. Quare nomine casus intelliguntur ista impedimenta incestus, & voti simplicis castitatis. Tum etiam quia de peccatis iam antea egerat Summus Pontifex §. 11. *eiusdem Bullæ.* Tum tertio, quia Cardinalis S. Marcelli *in Breui supra relato Iulij II.* loquens de incestuosis dicit, *ac eos habilitare in prædictis casibus:* ergo nomine casus ista impedimenta intelliguntur, nec de hoc potest esse dubitatio, & Sorbo *in Annotatio ad Compend. Mendican. titul. Dispensatio pag. mihi* 207. affert aliam similem concessio-
1201. nem Martini V. Monachis Benedictinis S. Mariæ de Monserrato, quam refert Portel *p. 2. Responsio. casu* 34. *n.* 3. idem priuilegium refertur in Compendio Societatis *verb. Dispensare* §. 10.

Quare non est necessarium quod deputentur tres vel quatuor, sed omnes Confessores Regulares possunt dispensare in huiusmodi impedimentis, & in omnibus reseruatis Episcopo, aut ordinario. Ita tenent Peregrinus *p. 1. Compend. Priuileg. verb. Dispensatio* §. 8. Sayrus *in Clau. Reg. lib.*
1202. *6. cap. 11. num. 98.* Ioannes Suarez *in Enchir. casuum conscien. lib. 5. verb. Debitum coniugale §. incestuosus coniux.* Diana *p. 5. tract. 13. Resol. 46.* Celestinus *in Compend. theolog. Moral. tract. 8. c. 15.* Portel *num.* 3. citato, in id maximè propendit. Rodriguez tamen *in secunda impressione Summæ cap. 242. num. 2.* Vega *tom. 2. cap. 129. casu 118. punct. 2.* Sanchez *lib 4. Summ. cap. 43. num. 11.* quos refert, & sequitur Fagundez *in 2. Præcep. Decalog. lib. 2. cap. 45.* dicunt quod non solum possunt dispensare quando Matrimonium est consummatum ab habente votum castitatis simplex, sed etiam prima vice & intra bimestre, quia qui vouit castitatem non tenetur ingredi Religionem, sed potest in sæculo manere, & ita non adest obligatio voti Religionis', quæ impediat dispensationem. Sed nunquid si habet votum Religionis poterunt Regulares virtute suorum priuilegiorum dispensare ad petendum debitum intra bimestre, existimo valde probabile esse posse. Sed de hoc aliàs.

§. XXII.

De Naturalitate quam Beneficiandus debet habere.

SVMMARIVM.

1205 *Regula de naturalitate quam Beneficiandus debet habere, nimirum: Lex, & immemorialis consuetudo approbata à Summis Pontificibus tacitè, vel expresè sanctissima, & iustissima est, & omnino seruanda, itaut nullomodo possit eligi dignior comparatione facta cum alienigenis, & exteris, sed solum comparatione facta inter naturales,*

Quàm sit certa hæc Regula ostenditur ibid. & num. seqq.

LEgibus plurium Regnorum à Summis Pontificibus confirmatis, vel expresso rescripto Apostolico, vel implicitè ex consuetudine quam 1203.
sciunt, & tolerant, alias sine Papæ consensu nihil valerent, statutum, vel introductum est quod soli naturales, & oriundi talium Regnorum possint Beneficia in illis obtinere. Sic habent ferè omnia Hispaniæ Regna Castellæ, Portugalliæ, Aragoniæ, & Regnum etiam Galliarum, in quibus sine Regio consensu, & litteris connaturalitatis exteris. Beneficia conferri non possunt. Quare ita cauetur *in Regnis Castellæ, & Legionis l. 14. c. 18. & 25. lib. 1. tit. 13. nouæ Recopil.* quibus exteris prohibetur conferri non solum Beneficia curata, simplicia, præstimoniæ, sed etiam pensiones non admittantur pro alienigenis impositæ super Beneficiis huius Regni, & infra, asseriturque ibi esse de hoc immemorialem consuetudinem, & priuilegium concessum à Sixto IV. tempore Henrici 1204.
IV. Regis Hispaniarum, quod postea inuiolabiliter Reges nostri obseruarunt, & de hoc fecit Pragmaticam sanctionem *Carolus V. anno* 1523. vt seditiones sedaret ortas, quia Beneficia exteris dabantur. Legantur Couarruu. *lib. 5. Practic. cap. 35. num. & 5. cap. 36.* Salgado *de Reg. Protection. p. 1. cap. 1. à num. 2.* Cenedus *canoni. q. 18. num. 3.* Sanchez *tom. 1. consilior. lib. 2. cap 1. dub. 8.* Solorzano *tom. 2. de Indiar. Gubernat. lib. 2. cap. 19. à num. 5.* Amaya *ad l. cines 8. num. 33. Cod. de Incolis lib. 10.*

Sit Regula certa hanc legem, & immemoriam consuetudinem approbatam à Summis Pontificibus tacitè vel expresè sanctissimam, & iustissimam esse, & omnino seruandam, itaut nullo modo possit eligi dignior comparatione facta cum alienigenis, & exteris, sed solum comparatione facta inter naturales. Ita DD. citati, quibus addo Garziam *de Benefic. p. 7. cap. 9.* Nauarra *de Restitut. lib. 2. cap. 2. num. 146.* Palao *tract. 13. disp. 4. punct. 9.* Et lata manu Petrus Gonzalez de Salzedo *lib. 2. de legib. Polit. cap. 15. per totum* in quo satis erudite confirmat. 1205.

Hæc Regula statuitur contra Ioannem Maio- 1206.

ris 4.*dist.*24.*q.*9.qui damnat huiusmodi legem,& statutum. Et contra D.Anton.2.*p.tit.*1.*cap.*20.§. 1. Gabrielem *in* 4.*dist.*15. *q.*7.*art.*3.*dub.*1. Abulensem *in cap.*22.*Matth.q.*119.qui asserunt quod non obstantibus huiusmodi legibus potest eligi dignior si sit alienigena, vel extra illam Ecclesiam,ait Abulensis,si ibi est dignior, & in Ecclesia nullus est dignus, quia si est dignus iste eligendus est. Probatur hæc sententia prima quia Innocentius III. *in cap. ad decorem de institut.* reprehendit Patriarcham Constantinopolitanum eo quod solum eligebat ministros suæ Ecclesiæ vinctos.Tum,quia Actor 10.*num.*14.dicitur quod

1207. *ex omni gente faciente iustitiam acceptus est iustus Deus.* Tum etiam,quia videtur esse successio hæreditaria eligere tantum ex hac natione ad Beneficia. Tum quartò, quia hoc est peccatum acceptionis personarum in quo non potest nec Pontifex dispensare, cum sit ius diuinum. Probatur, quia si in illo Regno non est persona digna, & extra est digna, imo dignior, ista reiecta, illam eligere ad Beneficium, maximè si curam habeat animarum, acceptio est personarum,cum accipiatur non causa, vt causa, daturque alicui bonum, præter proportionem suæ dignitatis, contra quod expressè determinat Innocentius III. *cap. ne pro defectu* 4.de electio.

1208. His tamen nullo modo obstantibus Regula posita certissima est; quamuis enim huiusmodi statuta sint contra ius canonicum *cap.Cum decorem citat.* & tenuit Rota *in vna Vallisolet præeminentiar. coram illustrissimo Pamphilio, hodie Summo Pontifice Innocent. X. die* 24. *Nouembr.* 1603.& alia *die* 7.*Iuly* 1610. *coram Patriarcha Manzanedo in Seguntina admissionis ad Capitulum,& in Toletana Confraternitatum.*3. *Decembr.* 1618.*coram Vbaldo,*tamen hoc intelligitur quando non adest Pontificium Diploma id concedens,

1209. aut non est consuetudo legitimè præscripta quæ potest derogare ius commune. Vnde Pontifex Innocentius III. *cap Bonæ memoriæ el* 2.*de Postulatione* dicit, *Quia vero non plenam de personis illius Regni notitiam habebamus,ideo non poteramus salua conscientia eidem Ecclesiæ in alia persona quæ de Regno Hungariæ originem duceret congruè prouidere, nec vellemus ei præficere alienum,* &c. atque ita hoc statutum, & lex valde conformis est iuri communi ex suppositione indulti Apostolici illam confirmantis, ex vi cuius talis lex vigorem, & efficaciam habet ad excludendum extraneos à Beneficiis, itaut prouisio facta extero non facta mentione originis sit irrita, & subreptitia, vt optimè Sanchez *vbi supr.multis citatis.*

1210.

Est etiam conformis legibus diuinis, & omnium fere nationum,vt lato calamo ostendit Salzedo *vbi sup.*id erudite demonstrans;omnes enim nationes, maxime Romani, iustissime arcebant ab honoribus publicis, imo & priuatis alias nationes quas *Barbaras* appellabant,itaut nec testamentum condere peregrinis licebat in ditione Romana,vt probant Petrus Gregorius *lib.*42.*Syntagm. cap.*8. *num.* 23. Carolus Sigonius *lib.* 1. *de Antiquit. iur. Cur. Roman. cap.* 12. vnde egregie Cassiodorus *lib.*1.*Epistolar. Epist.*34.*ad Faustum*

1211. *Præpositum: Copia frumentorum Prouinciæ debet primum prodesse cui nascitur, quia iustius est vt incolis propria fœcunditas seruiat, quam peregrinis commerciis studiosæ cupiditatis exhauriat.*Quibus verbis comprehendit prudentissimus Senator omnes rationes quibus fundatur lex, & consuetudo ista sanctissima.

Prima. Exteri pecunias Regni extrahent. Secunda, quia communiter non residebunt. Tertia, quia alienis, & prauis moribus Hispanos inficient. Quarta, sic Parochiani parum affecti erunt erga exteros subditi. Quinta, quia cum beneficia sint fundata ex reditibus Hispanorum, & ipsorum bonis, Fundatorum intentio ea est, & quidem iustissima, vt propria fœcunditas Beneficiorum incolis deseruiat potius quam peregrinis. Sexta, quia sicut fidius pro patria vitam amitteret, multo potiore iure quam pro patre, ita sicut Pater filios alimentare cogitur. *l. si quis à liberis D. de agnoscend.liber.* ita Patria si habet filios dignos quibus alimentorum Beneficia præstet,illis Patria ea præstare debet, & omnino præferre exteris; hoc enim vel ipso lumine naturali videtur manifestum, & vt dixit Claudianus Imperaior *l. Præses. C. de Seruitute, & aqua.* contrarium est durum, & crudelitati proximum. Quæ omnia attendentes Summi Pontifices faciliter hoc indultum concesserunt *Sixtus IV. Regno Castellæ,& Legionis anno* 1474. *Sixtus V.* 1587. *Regno Valentiæ*, & aliis Regnis alij Summi Pontifices, vt ex ipsorum Annalibus constare potest, & de Regnis Portugalliæ, Nauarræ, & Franciæ testatur Barbosa *ad cap. Bonæ memoriæ. cit.à num.*7.vsque *ad* 12. vbi plures Authores refert pro hac Regula, quæ licet de omnibus Beneficiis sit verissima est verior si loquamur de Episcopatibus, & Beneficiis curatis, in quibus maius periculum est quod exteri ad illa admittantur ob periculum subuersionis prauis, & insuetis moribus alienigenarum.

1212.

1213.

§. XXIII.

Extensiones Regulæ.

SVMMARIVM.

1124 *Ponuntur nouem præfatæ Regulæ extensiones,* & 1217. 1219. 1229. 1245. 1251. 1270. 1278. 1292.

1235 *Quædam notatu digna apponuntur.*

1276 *An exterus habens priuilegium ad retinendum beneficium curatum, possit percipere fructus, residens non per seipsum, sed per substitutum positum ab Episcopo?*

1214. EXtenditur primò, ad Eminentissimos Cardinales qui sine speciali indulto Regio,si exteri sint, non possunt obtinere Beneficia, aut pensiones impositas super illa. Ita Sanchez *vbi supr.n.* 3.Azeuedo *lib.*1.*tit.*3.*leg.*14.*nouæ Recopil.num.*55. Et sic seruari in Gallia testatur Rebuffus *in Prax. Beneficio Regul.*20.*Cancellar.* Sed mihi hæc ampliatio non placet,nisi sit consuetudo quæ habeat vim legis, aut speciale indultum Papæ quod de Cardinalibus faciat expressam mentionem. Tum quia regimini vniuersalis Ecclesiæ inuigilant, & consequenter cuicumque Ecclesiæ particulari deseruiunt, atque ita in quacumque possunt habere Beneficia, neque illis obest lex de connaturalitate. Secundò, Quia Cardinales sunt de corpore Papæ inter quem & ipsos non solum est vnitas, sed quædam identitas,eorumque dignitas est prima post Pontificatum Summum, vt latè, & eruditè

1215.

ditè Diana *p.5.tract.2.resol.1.* confirmat ex Bulla Eugenij IV. *ad Henricum Archiepiscopum Cantuariensem.* Et *ex cap.Felicis de pœnis in 6.* Vnde iura,& indulta aliquid prohibentia quod alias iure naturali, aut diuino non est prohibitum, vel
1216. non est in corpore iuris insertum, aut ex traditione Ecclesiæ non comprehendunt Cardinales, nisi de illis fiat expressa mentio *cap.1. de Schismaticis in 6.*vt ibi docet Barbosa *num.4.* & tenuit Rebuffus *in tract. nominatio. q.8.num.6.* quod maximè tenet verum, in his quæ sunt de materia odiosa, & exorbitanti à regulis iuris communis, aut si mauis contra ius commune, qualis est de qua tractamus materia. Ita Baldellus *lib.5 disp.41.num.8.* Sanctarellus *tom.1.variar.quæst.2.num.28.* Gigas *de Pensionibus q.5. num.7.* Quare si Cardinalis obtineat Beneficium in Hispania, etiam non facta mentione originis valida est collatio, & prouisio.

1217. Extenditur secundò, Quod non naturales non possunt habere Beneficia in Commendam, etiam si sit Beneficium Regulare,vt Abbatia.Ita Rebuffus *vbi suprà reg.20. Cancellar.* Vbi Gomezius *q.5.&* Azeuedo *leg.14.cit.num 52.& 53.* quos Sequitur Sanchez *num.4.*quia commenda,licet temporalis, est verus Beneficij titulus, ratione cuius Commendatarius percipit fructus Beneficij commendati. Vnde si est Beneficium curatum tenetur promoueri intra annum. Ita Rebuffus *de pacif.possess.num.36.* Glossa *cap.nemo de electio in 6. verb.commendare.* Sed existimo quod si commenda sit temporalis,v.g.ad annum,vel ad sex menses potest exterus illam habere, cum in illam nullum
1218. ius sit siue in re,siue in rem, aut titulum habeat, vt multis citatis tenet Barbosa *de Potest.Episcop.allegat.59.num.18.* Garcia *p.4.cap.4.à num.53.* Vnde potest Episcopus commendam pro libito auferre à Commendatario, quod secus esset si perpetua. Quam commendam perpetuam solus Papa potest facere, siue Beneficium sit sæculare,siue regulare. Idem Barbosa *num.6.* Azor *p.2. lib.6. cap.31.q.15.* Et sic commenda perpetua cum tribuat ius ad perpetuo percipiendos fructus solis naturalibus, & non exteris debet concedi;hoc tamen non intelligitur cum Eminentissimis Cardinalibus.

Extenditur tertiò, quod ad hoc quod exterus,
1219. & alienigena possit obtinere Beneficia quæ naturalibus dantur, requiritur quod in litteris,& rescripto Principis de naturalitate fiat expressa mentio,quod admittitur ad Beneficia obtinenda, & retinenda.Ita Sanchez *num.6.*Salzedo *lib.2.citato cap.18.à num.31.* Sic habetur expressè *l.14. tit.3. lib.1. Recopil.* ibi, *Ningun estrangero pueda haber Prelacia, ni Dignidad, ni Prestamo,ni Canongia, ni otro Beneficio Ecclesiastico alguno en nuestros Reynos, excepto quando por alguna muy Iusta,y euidente causa debieremos dar la tal carta de naturaleza.* Vnde Bartholus *l.Si maritus 15.§. legis Iuliæ D. ad l.Iuliam de Adulteriis* dixit.
1220. *Quod si quis ex priuilegio factus est ciuis in his quæ ciuitas ista posset concedere ciuibus, habetur vt ciuis,& vt ciuis tractabitur. Sed in his quæ habent ciues huius ciuitatis aliunde quam ex concessione ciuitatis, vt putà rescripto Principis,vel Papæ tunc non haberetur,nec tractaretur pro ciue.* Hæc ille.Et Salicetus *in Rubrica de Probationibus num.4.Statuto cauetur vt ciues originarij gaudeant certo priuilegio, vel quadam immunitate,ciuis ex constitutione non debet hoc priuilegio gaudere.* Ita ille.

Et ratio est,prima. Quia per priuilegium exteris concessum non consequuntur ea quæ naturalibus, & originariis conceduntur in rei veritate; etenim fictio rescripti non est efficax ad operandum in alienigenis quod in originariis operatur. Baldus *consil.460.volum.1.* Et alij quos citat, & sequitur Salzedo *vbi supr.num.36. & num.37.*adducit alias doctrinas ad idem, Secundò. Quia quod alienigenæ fiant naturales ex rescripto Principis est quædam dispensatio quæ fit illis ad obtinendos honores quibus gaudent originarij, ad quos fiunt habiles ex priuilegio. Hæc autem habilitas duplex est,vna ad honores, & officia politica,alia ad officia,& beneficia Ecclesiastica.Quare dispensatus, & habilitatus ad vna non intelligitur habilitatus ad alia. Quod si absolutè habilitetur ad honores, & officia intelligitur solum ad politica, quia dispensatio est odiosa, & stricti iuris,& ita strictè est interpretanda, vt omnes dicunt,maximè quando est in damnum Reipublicę. Et reuera est naturalizatio alienigenarum, quæ ratio efficaciam magnam resumet ex his quæ diximus supra,dum ageremus de dispensatione cum illegitimo. 1221. 1222.

Sed quamuis hæc extensio communis sit,probabile est contrarium, videlicet, quod eo ipso quod quis alienigena rescripto Principis habuerit *la carta de naturaleza* in his Regnis, etiam si in ea non fiat expressa mentio quod possit obtinere Beneficia Ecclesiastica, efficitur capax illorum. Probatur secundò, quia vt dicitur *l.14.cit.* vt quis possit obtinere Beneficia Ecclesiastica quæ ibi numerantur non amplius requiritur, ibi, *Ningun estrangero pueda tener Beneficio Ecclesiastico, excepto quando por alguna muy Iusta, y euidente causa debieremos dar la tal carta de naturaleza.* 1223.

Secundò, Quia lex ista est contra ius canonicum commune,vt vidimus,& tenuit Rota,in quo dispensanit Sixtus IV. ad Regis petitionem,quæ dispensatio cum sit odiosa strictè est intelligenda, & non extendenda cum enim solum declaret esse impedimentum ad obtinenda beneficia quod quis sit alienigena, & quod non sit naturalis, eo ipso quod quis naturalizetur ex priuilegio Principis, ex eodem eo ipso censetur capax omnium eorum quæ originarij, & naturales possunt habere. 1224.

Tertiò, quia quando duo contraxerunt inualide Matrimonium, si Pontifex dispenset in radice Matrimonij, filij ante geniti fiunt legitimi, vt supra vidimus, quia Papa dispensando, ex tunc fictione iuris retrotrahitur dispensatio ac si tunc esset concessa, vt late probauimus sup. vnde tales filij ad omnia sunt habiles: ergo si princeps dispenset in radice naturalizationis dicendo quod istum alienigenam habilitat ac si esset naturalis, & genitus ex originariis parentibus. Quam naturalizationem non possunt facere peculiares ciuitates, sed soli Principes Supremi sine eo quod expresse dicat quod habilitat ad Beneficia, censetur talis naturalizatus habilis ad illa, quia priuilegium Principis, si illimitate conceditur, ample est interpretandum, cum hic non interueniat damnum alicuius tertij in particulari contra ius quod habebat acquisitum, vt late ostendunt Canonistæ *ad Cap.olim. de verbor. signif.* & Legistæ *ad l.Beneficium D. de const. Princip.* & sapienter Suarez *lib.8. de legib. cap.27.* cum autem priuilegium concessum Regnis Hispaniæ à Sixto IV. & 1225. 1226.

Sixto

Sixto V. & aliis Summis Pontificibus sit contra ius commune canonicum in *cap. cum decorem cit.* est stricte intelligendum, itaut solum exigat naturalitatem ad obtinenda Beneficia, & deponat impedimentum extraneitatis: ergo ista ablata,
1227. & illa posita ex priuilegio Principis, iam iste naturalizatus manet capax ad Beneficia; nec enim Princeps sæcularis potest facere alienigenam capacem Beneficiorum, cum hoc sit solius Pontificis. Quare solum aufert impedimentum extraneitatis, quo ablato ipso iure absque alia expressione fit habilis, & potest obtinere beneficia. Atque ita si in impetratione solum dicat quod rescripto Principis est effectus naturalis horum Regnorum, quamuis non dicat quod expresse est habilis factus ad obtinenda Beneficia impetratio valida erit, & non subreptitia.

1228. Quartò; Quia hoc priuilegium naturalitatis potest esse remuneratiuum concessum à Principe in præmium meritorum quæ sint vel propria, vel aliena sibi applicata; priuilegium autem remuneratiuum respiciens personam personale est, vt multis citatis tenet Doctissimus Barbosa *l. quia tale. num.6.& seqq. D.soluto matrimonio.* vbi plures citat, quidquid in contrarium dixerit Suarez *vbi sup. cap.6.num.7.& 8.* atqui priuilegium personale factum à Principe Supremo est extensibile, & late interpretandum, vt tenet Baldus *l. si non speciali. num. 2.& 3. Cod. de Testament.* ergo eo ipso quod naturalizata sit persona habilis est ad omnia ad quæ originarij, & sic ad Beneficia, quamuis de illis non fiat expressa mentio, quia priuilegium hoc non tam respicit Beneficium, quam personam quam naturalizat.

1229. Extenditur quartò, quod Pontifex de potestate ordinaria non possit exteris Beneficia conferre inuito Principe Supremo, cui concessum est tale priuilegium. Est communis sententia, quam late defendunt Gonzalez *ad Reg.8.Cancell.Gloss.36. à n.36.* Valenzuela *tom.1.consil.2. à n.71.* Diana *3. part. tract.2. resol. 57. vers. Nota.* licet irresolute Bonacina *disp.1.de legib.quæst 3.punct.7.§.3.n.10. vers.secundo sequitur.* Suarez *lib.8.de legib.cap.37. num.5.* Salas *de legib. disput.17.sect.14.num.70.& sect.18 num.126.* Layman *tract.4 cap.23. num.19. & 25.* Lessius *lib.2.de iust.cap.33. num.35.* Reginaldus *lib.9.num.381.in fine.* Basilius *legion.lib.8. de Matrimon. cap.19 §.2. num.13.* Sanchez *l.b.8. de Matrimon. disput.33.num.9.* Thomas Delbene *tractat. de comitiis. dub.27. sect.12.* Castro Palao *tom.1. tract.3. disput.4 punct.21.§.2. num.1. & 4.* addens quod priuilegium concessum per modum contractus, sine remuneratorium, hoc est, con-
1230. cessum ob hæc, vel illa merita quibus adæquetur reuocari à concedente non posse nisi legitima causa interueniat, quæ nulla alia est nisi communis boni, & vtilitatis publicæ. Salzedo *de leg. Politic.lib.2. cap.15.n.90.* licet mendose citet Theologos. Idem sentiunt plures Iurisperiti vtriusque iuris quos iste, & illi citant.

Probatur, quia quando Princeps concedit priuilegium remuneratorium, hoc est, ob merita egregia remuneranda, hoc priuilegium est irre-
1231. uocabile, & nisi pars cui conceditur illi renuntiet non potest Princeps aliter facere licite, sicut quando concedit priuilegium per modum contractus vt multis citatis docent Suarez *num.6.* Sanchez *num.5.* Basilius *num.13.* Bonacina *num.2.* Mattienzo *lib.5. recopil. tit.7. l.11. Gloss.1.& Gloss.9.* cæterique fere omnes citati: atqui Pontifex Sixtus IV. hoc priuilegium concessit Regibus Castellæ, & Legionis ob remunerationem meritorum, & recte factorum in Ecclesiam: ergo contra illud agere non possunt de potestate ordinaria renuente Rege.

Sed an hæc remuneratio facta sit ex gratitu- 1232.
dine, an ex iustitia commutatiua? existimo solum esse ex gratitudine, quæ solum causat antidoralem obligationem, quæ non est ita rigorosa sicut quæ nascitur ex iustitia. Quare priuilegium remuneratorium ex gratitudine non est ita irreuocabile ac quod est remuneratorium ex iustitia, aut quod requirit aliquam conditionem ista posita; prius tamem priuilegium ex gratitudine etiam per se est irreuocabile, quia gratitudo hoc expostulat vt obligatio quam inducit sit per se immutabilis, cum priuilegium hoc causet aliquid quod datur in præmium remuneratorium operum. Si tamen Princeps contra illud faceret, etiam inuita parte, non teneretur recompensare, sicut teneretur si contraueniret priuilegio remuneratorio ex iustitia. Ita Suarez, & multi ex citatis.

Secundò, quia priuilegium concordatum, cum 1233.
transeat in vim contractus reuocari non potest à Principe potestate ordinaria, nisi vergat in damnum Ecclesiæ, & ex illa sequatur vexatio, vilipendium, aut notabile præiudicium boni communis, & status Ecclesiastici, vt dicunt, & optime Baldellus *lib.5. disput. 40. num.7.* Azor *part. 1. lib.5. cap.12.* Suarez *contra Regem Angliæ lib.4 cap.24. num.22. & 29.* Gonzalez *vbi supra. Gloss.28. num.24.* Valenzuela *tom.1.consil.93. numer. 68.* egregie Rebuffus *in Concordat. inter Reges Galliæ, & Summum Pontificem, Rubr. de collatio. in præfatio.* atqui hoc priuilegium factum Regibus Castellæ, & Legionis est concordatum, vt late, & erudite probat Salzedo *vbi supra à n.9.* 1234.
ergo inuito Principe reuocari nequit in nullo casu particulari, cum in omnibus militet eadem ratio. Vnde quamuis hoc priuilegium ortum duxerit ex gratitudine Pontificia, tamen eo ipso quod fuit concordatum est remuneratiuum ex iustitia, & non ex mera gratitudine. Dixi *Potestate ordinaria*, quia Pontifex potestate absoluta, & de plenitudine potestatis suæ datæ in bonum commune Ecclesiæ potest inuito Principe disponere contra hoc priuilegium.

Ex qua doctrina colligunt DD. aliqua notatu 1235.
digna quæ transcursim hic apponere licebit. Primum, quod per Bullam Cœnæ non intelliguntur reuocata priuilegia Bullæ Cruciatæ. Ita Sanchez *lib.2. summ. cap.11. num.27.* vbi alios citat, quibus adiunge Thom. Delbene *vbi supr. num.3.* Duardum *in Bull. Cœnæ. lib.3.§.2. quæst.11.n.41.* Portel *in dub.Regular.verb. Bulla Cruciatæ num.4. quia*, inquit, *est priuilegium per modum contractus concessum quod non intelligitur reuocatum nisi exprimatur.* Sousa *in Bullam Cœnæ. cap.23.disputat.10.num.7.* Salas *de leg. disputat.20.sect.10.numer.23.* Rodriguez *in Bull. §.12. dub.6.n.7.* Trullench. *lib.1. in Bull.§.1. dub.12.& 13.* Ludouicus à Cruce *disput.1. cap.10.dub.3. num.5.* Diana *p.2. tractat.11.Resolut.96.* Fagundez *lib.8.in 2.Præcep. Eccles. cap.8.n.33.* Castro Palao *vbi sup.* & etiam Basilius Legionensis *vbi sup. num.6.* Henrriquez *lib.7.cap.21.n.2.*

Secundum, quod nec reu ocantur per reuoca- 1236.
tionem quæ fit anno Iubilæi plenissimi anni Sancti quod his temporibus Pontifices concedunt

dunt ordinariè quolibet *anno* 25. Extraordinariè verò ſemper quod Eccleſiæ vtilitas, aut neceſſitas expoſtulat. Ita ferè omnes citati. Nec poteſt eſſe iam difficultas cum ita declarauerit iuridicè Vrbanus VIII. Commiſſario Cruciatæ *anno* 1625. quod ante fecerat Clemens VIII. *anno* 1600. Et antea Gregorius XIII. *die* 18. *Nouembr.* 1574. Cum autem Bulla publicationis huius Iubilæi anni ſancti ſemper ſit eadem, nec in illa expreſſetur Bulla Cruciatæ, non intelligitur reuocata vt notat Portel, etiam ſi dicatur quod reuocantur etiam facultates conceſſæ ad Regum inſtantiam ex quibuſcumque cauſis. Ratio eſt, quia non cenſetur in Principe reuocandi priuilegium voluntas quando læditur ius tertij; ſi autem hoc non obſtante reuocat priuilegia per modum contractus conceſſa tenetur recompenſationem facere, quantum intereſt ius tertij læſum.

1237.

1238. Tertium, & valdè notandum eſt quod per Bullam Cœnæ non ſunt reuocata priuilegia conceſſa Prælatis Regularibus in remunerationem, vt poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus contentis in Bulla, præter quinque quæ enumerat Iulius II. *conſt. quæ incipit. virtute conſpicuos, edita anno* 1605. *quinto Calen. Auguſt. ſui Pontificatus ann.* 3. *Hæreticos relapſos, & Schiſmaticos, qui litteras Apoſtolicas falſificant, aut ad infideles prohibita deferunt.* Et conſtit. *ad Eminentiſſimum Caietanum tunc temporis Generalem Ordinis Prædicatorum, quæ incipit, Exponi Nobis feciſti, edita anno* 1510. *die* 27. *Februarij anno* 7. *ſui Pontificatus* §. 2. addit quintum *conſpirationem in Romanum Pontificem.* Ita tenent Souſa *vbi ſupr.* Et ipſe Qualificator inſignis, Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 61. *num.* 5. Portel *verb. Abbas num.* 10.

1239. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *à n.* 5. Vbi erudite, vt aſſolet, & in praxi vir eximius, & reſolutionis mirabilis Pater Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *ſuorum Priuilegior. Bull.* 4. *Sixti* 4. *à num.* 10. Tum quia ſicut in conceſſione generali non veniunt caſus Bullæ in Cœna, niſi exprimantur, ita poteſtas conceſſa ad illa abſoluenda non cenſetur reuocata, niſi de ea fiat expreſſa mentio vti conceſſa eſt dicendo per nullum priuilegium quis ab eis abſolui poſſit, etiam ſi in eo authoritas ad eorum abſolutionem concedatur, quod in præſenti non eſt factum, nam per eaſdem cauſas ſoluitur res per quas naſcitur *l. nihil tam naturale D. de reg. iur.*

1240. Tum etiam, quia huiuſmodi priuilegia nulli præiudicium inferunt, niſi concedenti, & ſic largè interpretanda, vt optimè Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 26. Vnde Sixtus V. & Clemens VIII. in Bulla Cœnæ in verbis reuocatoriis priuilegiorum obſtantium addidere, *niſi in eis etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur*, vti comprehenduntur in priuilegiis Regularium, quæ intelliguntur etiam de caſibus reſeruatis poſt eorum conceſſionem, vt tenent Suarez *num.* 3. & Peyrinis *num.* 24. Quare non eſt neceſſarium recurrere ad illum vitioſum circulum quem deſcripſit Peregrinus *in Scholiis ad ſua Priuileg. p.* 2. *tit. Bulla Cœnæ num.* 1.

1241. Ex quo inferunt Suarez *num.* 2. Peyrinis *num.* 20. Prælatos Regulares poſſe abſoluere ſuos ſubditos ab Hæreſi occulta externa virtute cuiuſdam Priuilegij Gregorij XIII. conceſſi Patri Generali Societatis Ieſu *anno* 1584. *die* 18. *Martij*, etiam ſi ſit relapſus in hæreſim ille qui abſoluitur. Tum ſecundò, in conceſſione abſoluendi à caſibus contentis in Bulla Cœnæ comprehenditur Hæreſis vt declaratum eſt in Sacra Pœnitentiaria *anno* 1617. teſte Filliucio *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 265. Quare etiam pro Hiſpania ita eſſe ſentiendum ſentit Peregrinus *vbi ſuprà tit. Abſolutio, quoad Fratres* §. 2.

Sed in Hiſpania, & vbicumque Tribunal Sancti Officij more Hiſpano eſt erectum in Regnis Regi Hiſpaniæ ſubiectis non ſubſiſtere hoc priuilegium ſentiunt Hieronymus Rodrig. *Reſol.* 3. *num.* 5. *verſ. Ego plurimum* Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 3. *num.* 2. ob particularia huius Sanctiſſimi Tribunalis indulta, & conſuetudinem quam habent immemoriabilem, ſecundum quam reuocata ſunt omnia Regularium priuilegia quæ ſuo officio, & reſeruationi opponuntur. Quare Vrbanus VIII. per ſpeciale decretum factum Romæ in Congregatione Generalis Inquiſitionis *die* 17. *Nouemb.* 1628. reuocauit in ampla forma omnia priuilegia Regularium abſoluendi à caſibus contentis in Bulla Cœnæ, vt eſt Hæreſis. Ita Diana *p.* 1. *tract.* 5. *reſol.* 6. *& p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 122. Et idem tenent Tamburinus *de iur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 14. *q.* 17. *num.* 3. Sanchez *tom.* 1. *ſumm. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. Auila *de cenſur. p.* 7. *diſp.* 10. *dub.* 6. *notab.* 3. Et quidem ſi hoc poſſunt facere Prælati Regulares maximè eneruatur huius Sancti Officij vis, efficacia, & authoritas, quod affirmandum non eſt. Legatur Bulla Vrbani octaui *edita anno* 1631. *die* 5. *Nouembr. Pontificatus ſui anno* 9. vbi reuocat omnia priuilegia ſub ampliſſima forma, quæ opponuntur quibuſcumque conſtitutionibus, diſpoſitionibus, & ordinationibus &c. Sancti officij.

1242.

1243.

Fateor in aliis Regionibus vbi non eſt erectum dictum Tribunal, nec præfatum Decretum publicatum valde probabilem eſſe ſententiam Suarez, quem miratus ſum cur non fecerit exceptionem pro Hiſpania, vt fecit in aliis rebus ad Sacrum officium attinentibus *de fide diſp.* 20. *ſect.* 4. Vnde Pater, de Peyrinis *num.* 22. concludit: *Quæ omnia vera exiſtimo, niſi aliud obſeruet praxis Romanæ Curiæ, quod non ſcio.* Quod rectè addit, quia quando impreſſus eſt Tomus iſte prior nondum exierat Decretum Vrbanum. Et ego addo niſi ſtylus Sancti Tribunalis Inquiſitionis aliud obſeruet, hunc enim ſemper præfero, & prælatum declaro, meo particulari ſpeculatiuo dictamini.

1244.

Extenditur quinto præfata Regula. Quod ſi exterus, aut alienigena habeat ex Principis diſpenſatione Beneficium, non poteſt illud cum alio permutare. Ita Sanchez *vbi ſuprà num.* 7. quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris, & ſic non extenditur niſi ad prius beneficium. Secundò, quia permutatione vacat prius Beneficium, *cap. vnico. de rer. permut. in* 6. & ſic neceſſaria eſt noua collatio ſequentis Beneficij ad quam non eſt diſpenſatus. Ita Salzedo *in practic. cap.* 54. *num.* 16.

1245.

Sed mihi hæc extenſio non placet abſolutè loquendo. Quare exiſtimo quod ſi Princeps diſpenſet cum extraneo vt obtineat vnicum dumtaxat Beneficium poſſit illo relicto aliud ſimile in redditibus paulo magis, minúſve obtinere, ſiue per permutationem, ſiue per oppoſitionem in concurſu, ſiue per ſimplicem collationem, aut præſentationem. Probatur ex ſententia ipſius Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio. diſp.* 31. *n.* 11. vbi ait, quod diſpenſatio partialis quoad actum in voto caſtitatis, & religionis ad contrahendum matrimonium non extinguitur vnico actu, ſed licere

1246.

ad

ad alia matrimonia transire, quod probat pluribus. Sic habet, *quia quando absolutè dispensatur cum illegitimo ad Beneficium, est satis probabile eam dispensationem non arctari ad primum Beneficium, sed eo dimisso extendi successiue ad aliud, & aliud. Quod tuentur Ioannes Andreas cap. 1. de fil. Presbyteror. in 6. & cap. Non potest. de Prabend in 6. Angelus verb. Beneficium num. 24. & ibi Armilla num. 29. Siluester verb. Beneficium 3. q. 11. num. 14. Tabiena, Beneficium 3 q. 17. num. 19. & reddit Ioannes Andreas rationem quia dispensatio illa reddens illegitimum capacem non respicit Beneficium, sed personam, & clarè videntur indicare verba textus dicti cap. 1. in fine, ibi, Nisi vnicum Beneficium obtinere; tantum enim significant non licere illi virtute dispensationis, nisi vnicum retinere Beneficium, non autem duo simul.* Ergo si dispensatio Pontificis ita intelligitur multo meliori modo potest dispensatio Principis laici intelligi, cum vtraque sit æquè strictè interpretanda, vt supra dum de illegitimis agerem iterum dixi. Quod non solum in speculatione videtur mihi verum, sed etiam in praxi consulendo, & iudicando.

1248. Dixi quod possit cum alio simili paulò magis aut minus, quia si Beneficium cum quo permutat multum excedat in redditibus, existimo quod vi prioris dispensationis non potest facere permutationem, quia est contra voluntatem dispensantis rationabilem, qui non vult fructus Beneficiorum, nisi in tanta quantitate, exteris concedere. Ex quo fit quod si exterus habens Beneficium simplex quinquaginta scuta aurea reddens quotannis, si nullum aliud habeat impedimentum potest se opponere in concursu ad Beneficium habens curam animarum quod habeat similes
1249. redditus ingressus, exceptis his quæ dantur ob pedem Altaris, vt dicitur dummodo prius Beneficium simplex non retineat sed liberè absque pēsione relinquat. Aduerte tamen quod ciues originarij non possunt habere Beneficium per resignationem extranei in ipsos. Ita habetur *l. 25. tit. 3. lib. 1. Recopil.* Quod intellige nisi tale Beneficium habeat exterus ex consensu Principis, aut
1250. quia Papa de plenitudine potestatis dispensauit. Quare si Princeps sciens aliquem esse alienigenam motu proprio illi confert Beneficium censetur cum illo dispensare.

Extenditur sextò, Regula posita ad Beneficia
1251. curam animarum habentia, vt sunt Episcopatus, Curatus, & similia, quia licet Beneficia curata conferantur per concursum, & aliter facta prouisio sit ipso iure irrita, & inualida iuxta Trident. *sess. 24. cap. 18. & Bullam Pij Quinti sæpius citatam.* Iuxta quæ Beneficia hæc debent conferri digniori; tamen iste dignior est eligendus ex originariis, & regnicolis, in quibus moraliter est impossibile quod non sit aliquis aptissimus, & ita præferendus omni extero, & alienigenæ.

1252. Verum est primò, Quod si quis instituat Beneficium curatum ea conditione vt solum conferatur eis qui sunt de sua familia, aut de sua ciuitate, aut oppido, vel antiquiori de collegio, itaut digno ex illis conferatur, omisso quocumque alio digniori, est statutum iniquissimum, & intolerabile. Ita Sanchez *num. 10.* Salon. *2. 2. q. 63. art. 2. controu 3. à fol. 1009.* Soto *de iustitia. lib. 3. quæst. 6. artic. 2. ante 10 conclusion.* quem omnino sequitur Ledesma *2. part. 4. quæst. 18. articul. 2. fol. 256. column. 2.* & sic perperam illum adducit Sanchez *dubium 10. numer. 14.* vbi sibi contrarius videtur secutus Aragon *2. 2. quæstione 11. articul. citat. fol. 313. pagina 2. vers. Sed dubitabit.* Sed vterque fallitur, quia licet Pontifex, aut Generale Concilium possit consensum præbere vt fiat institutio Beneficij curati sub hac conditione expressa vt solum detur digno de familia, &c. & hoc motus de plenitudine potestatis 1253.
ob vniuersale Ecclesiæ bonum declaret quod in tali casu non obligat præceptum diuinum de eligendo digniorem, sicut declarat quod in tali casu non obligat iuramentum, aut votum, vt supra notatum relinquo; at sine hac expressa declaratione quam nullus Episcopus facere potest. prorsus est illa conditio iniqua, & statutum intolerabile, vt pote contra ius diuinum, & naturale.

Quod hoc manifesto discursu ostenditur quia hæc conditio quod eligatur dignus omisso digniori est contra iustitiam commutatiuam, & distributiuam: ergo tanquam turpis habenda est, vt 1254.
non apposita. *Cap. finali. de conditionib. appositis.* Antecedens probatur, quia institutor Beneficij curati etsi sit Dominus suorum bonorum, & illis possit vti vt libet tamen quando illa vult Ecclesiæ donare instituendo Beneficium curatum tenetur ex iustitia commutatiua attendere bonum commune, & vtilitatem ipsius Ecclesiæ, & animarum, multo magis quam bonum proprium aut suæ familiæ. Quare in ordine ad illud bonum commune non est tam dominus suorum bonorum, quam administrator; atqui si statuit quod eligatur dignus de sua familia omisso digniori extra illam manifestè non attendit primario vtilitati Ecclesiæ, & animarum, cum priuet illas meliori ministro, & consequenter maiori vtilitate, & maiori profectu fidelium, & sic facit
contra iustitiam commutatiuam legalem. 1255.

Conditio etiam illa est contra iustitiam distributiuam, quæ dictat & obligat vt præmia dentur secundum proportionem meritorum, quæ commensuratio, & proportio prorsus eneruatur conditione illa. Itaque iustitia distributiua non solum obligat vt distribuantur bona communia ciuitatis, aut Reipublicæ, secundum merita ciuium. Quod si prætergrediatur est peccatum acceptionis personarum sed etiam est peccatum hoc cum aliquid personæ tribuitur præter proportionem dignitatis in ordine ad quod considerandа est maior, vel minor dignitas, vt egregie
ostendit D. Thom. *2. 2. quæst. 63. art. 2.* eo enim ipso 1256.
quod quis instituat Beneficium curatum tenetur illud ordinare ad bonum Ecclesiæ commune, non ad bonum familiæ aut alicuius oppidi temporalis, quia vt profunde dixit Caietanus *vbi supr. §. in articulo secundo. vers. Sed quando.* præferenda est vtilitas spiritualis temporali, quia illa est finis, quoniam temporalia danda sunt propter spiritualia. Quare dubio procul conditio illa quod eligatur è familia dignus, omisso digniori extra illam aperte est turpis, & reiicienda, vt talis, cum sit peccatum acceptionis personarum contra iustitiam distributiuam.

Verum est secundò, quod hoc non tenet ita stricte in Beneficiis simplicibus. Hæc enim possunt 1257.
institui ea conditione posita in illorum fundatione vt solùm dentur iis qui sunt de familia fundatoris, aut de eius ciuitate, aut oppido, aut iis qui sunt de Collegio tali, &c. Ita Sanchez, & Aragon *vbi supr.* Couarruu. *ad Reg. peccatum part. 2. §. 7. numero 5.* Nauarrus Miscell. 43. *numer. 76.* Azeuedo

Nauarrus Miſcell. 43. *n.* 76. Azeuedo *l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *recop. num.* 13. & omnium elegantiſſimè Salon. *vbi ſup. pag.* 1010. *verſ. dico* 3.

1258. Conſtat ex *cap. Monaſterium* 16. *q.* 7. deſumptum ex Romanis Synodis Eugenij II. & Leonis IV. vbi manifeſtè agitur ſolum de Beneficio ſimplici, & non habenti curam animarum. Diſiunt enim iſti Summi Pontifices quod conſtructor Monaſterij, aut Oratorij, id eſt, Eccleſiæ, poſſit illam conferre cui voluerit, dummodo non ſit malus, & de cõſenſu Epiſcopi. Et reuera ita eſt in vſu apud omnes fideles, & maximè timoratos.

Secundò: quia hoc plurimum expedit vtilitati Eccleſiæ, vt ſæculares inducantur ad inſtituenda ita Beneficia ſimplicia, à quo facile retraherentur ſi tenerentur eligere digniores, maximè cum hæc frequenter inſtituantur in ſubſidium, & eleemoſynam ſuorum affinium, aut conciuium, paupe-

1259. rumve, qui hoc emolumento inclinentur ad litterarum ſtudia, & Eccleſiæ cultum: & ſic expedit maximè, vt poſſint inſtitutores Beneficiorum apponere conditiones iuxta quas conſanguinei, & alij pro quibus inſtituuntur ſint digni, vt poſſint eligi. Vnde quamuis primus fundator poſſit tale Beneficium ſimplex cui voluerit concedere, modo non ſit poſitiuè malus, & indignus, tamen Patronus qui illi ſuccedit proſpicere tenetur an Beneficiandus habeat eas conditiones quas fundator poſuit, & ſi varij ſint oppoſitores tenetur inter illos eligere digniorem.

1260. Tertiò, quia cum hæc Beneficia ſimplicia non ſint inſtituta in profectum, & regimen animarum, ſed ſolum in vtilitatem Eccleſię, & cultum ipſius, poteſt primus Fundator ex bonis ſuis inſtituere Beneficium prout ſibi placuerit, & libere in ſeruitium, & cultum illius Eccleſiæ, v. g. vt quinque, & non vt decem, ponendo conditiones quæ faciant dignum, & non expoſcat digniorem ſecundum ſe, ſed attentis conditionibus poſitis. Vnde tales conditiones non ſunt contra iuſtitiam

1261. commutatiuam, quæ tantum obligat electorem qui ex officio eligit; non vero illum qui ex ſuis bonis fundat Beneficium, quod cum non ſit ordinatum ad bonum commune Eccleſiæ in profectum animarum non tenetur dicere quod eligatur dignior, etiam extra ſuam familiam. Nec etiam ſunt contra iuſtitiam diſtributiuam propter eamdem rationem, quia non dat aliquid de bonis communibus; quamuis enim bona illa ex quibus fundatur Beneficium ex ſuppoſitione quod donentur Eccleſiæ ſint illius bona abſolutè loquendo, & iam non ſint amplius Fundatoris qui libere tranſtulit dominium in Eccleſiam, tamen poſitis talibus conditionibus quod ſcilicet, detur Beneficium ſimplex tali generi perſonarum, & non aliis, cum quibus conditionibus illud Beneficium fundatur: & ſic Eccleſia, & eius nomine Epiſcoſcopus tenetur ex iuſtitia illis perſonis, & non aliis confere Beneficium, vt reſolutum fuit in Rota *in vna Cæſarauguſt. Capellaniæ* 16. *Martij* 1587. *coram Eminentiſſimo Seraphino.*

1262. Verum eſt. Leges illas quæ ſtatuunt quod Beneficia, etiam Parochialia, non dentur niſi ciuibus ex ciuitate aliqua oriundis, æquiſſimas eſſe, & rationi valde conformes, & maiori vtilitati Eccleſiæ, & fidelium profectui vtiliſſimas. Ita Ledeſma, *vbi ſup.* ſic loquens: *Quod hæc Beneficia ſint pro ciuibus, & conſanguineis, vel Theologis, ſunt iuſtæ, quia plurimum illi qui ſciunt, quod ſunt Beneficia pro illis, ſtudent, & ſunt digniores, & plurimum melius prouidetur illo modo Eccleſiis, quã ſi abſolute relinquatur in poteſtate Collatorum, aut Patroni. Quamuis in aliquo caſu inueniatur aliquis dignior ex alijs non conſanguineis, aut non ciuibus illius Ciuitatis.* Hæc ille.

Sequitur Sotus *vbi ſupr. verſ enaſcitur pag.* 237. *col.* 2. vbi ſic fertur: *Reſpondetur illas leges æquiſſimas eſſe, quas vtinam de Beneficiis Parochialibus, quibus annexa eſt animarum cura vbique ſentiret Eccleſia, quemadmodum, & in Trident. Concilio,* 1263. *me præſente, ſummo omnium conſenſu conſultabatur; eſſet enim illis Decretis conforme decernentibus vt electio ex eadem Eccleſia fieret; nam non parui æſtimandus eſt ingenitus amor quem quiſque ad natiuum ſolum habet, præſertim quia licet poſſint nonnunquam inueniri extranei meritis præſtantiores, multo eſſet tamen Eccleſiæ conducentius, & ambitionibus, & litibus obuiaretur. Præterea vt incolæ ſpe illa animarentur liberos & litteris, & moribus informare.* Ità ſapientiſſimus Magiſter. Et eiuſdem ſententiæ ſunt fere omnes ſupra adducti, & omnium copioſius tractauit punctum D. Ioan. de Solorzano, mihi multis titulis ſemper venerandus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 19. *à num.* 5.

Probatur. Quia in primitiua Eccleſia quando 1264. fideles erant in maxima legum Chriſtianarum, & præceptorum legis naturalis, & diuinæ obſeruantia, ita fiebat quod Epiſcopi, & animarum Paſtores ex propria Ciuitate, & Eccleſia eligerentur, vt erudito in Sacra Hiſtoria, & iure canonico, & ciuili conſtabit. Et hodie eſt conſuetudo æquiſſima quod Summus Eccleſiæ Paſtor, & Rector Summus Pontifex ſolum eligatur ex Sacro Eminentiſſimor. Collegio Cardinalium. Rurſus in multis Religionibus valde obſeruantibus eſt lex alternatiuæ, vt in vno triennio eligatur de certa Domo Prouincialis, & altero de altera Domo. Quæ lex iuſta eſt, & rationi valde conformis, quia licet poſſit iſte alius de altera Domo eſſe dignior, & meritis altior, & præſtantior, tamen bono communi, & paci publicæ, & ad obuiandum litibus ita ſtatuere, & in illa Republica conducentius eſt.

Id ipſum non obſcurè innuit Trid. *ſeſſ* 24 *c.* 18. 1265. vbi loquens de prouiſione Beneficiorum curam animarum habentium ſic loquitur: *de his Beneficiis quæ ſunt iuris Patronatus: Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem quem Patronus ei præſentet ad quem inſtitutio ſpectat. Quod ſi iuris Patronatus laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præſentatus fuerit ab eiſdem deputatis, vt ſupr. examinari, & non niſi idoneus repertus fuerit admitti.* Vbi legem Patronatus vult Concilium ſeruari, modo præſentatus ſit idoneus, & aptus, non requirit ad validitatem electionis, & collationis, quod ſit aptior qui acciri poſſit; aliàs enim fideles retraherentur à fundatione Beneficiorum, & Paroeciarum. Verum eſt quod ſi plures præſententur dignior debet eligi ad Curatum, & ſi contrarium apponeretur in fundatione eſſet intolerabile, & iniquum, vtpote peccatum acceptionis perſonarum. 1266.

Ex quo fit male intellexiſſe Aragon vbi ſupra, ſapientiſſimos Magiſtros Ledeſmam, & Dominicum Soto qui laudant præfatam legem, tanquam iuſtiſſimam, & tamen vituperant fundationem Beneficij curati ea conditione expreſſa vt ſolum perſonis de familia, aut ciuitate detur, etiam 1267. ſi alij digniores exiſtant, dummodo ſit dignus de familia, aut Ciuitate. Sunt enim hæc duo valde diuerſa; ſi enim prius dicitur quod detur digno, excluſo digniori extra familiam, eſt tur-

piſſima conditio, vtpote contra ius diuinum naturale; eſt enim vitium acceptionis perſonarum; at vero dum ſolum dicitur quod detur perſonis de familia, Regno, aut Ciuitate, aut Collegio, aut alia communitate dummodo ſint capaces, nihil turpe exprimitur, ſed ſemper intelligendum
1268. eſt quòd detur digniori. Quod ſi aliquando poſſit contingere quod extra illas perſonas ſignatas ſit alia dignior, non iſti, ſed digniori ex illis de familia debet conferri, quia ille caſus eſt valde per accidens, & eſt maioris momenti in ordine ab bonum publicum quod obſeruetur voluntas inſtitutoris, & fundatoris, quod vni ex aſſignatis, modo non ſit indignus, conferatur, quam quod detur digniori extra familiam, ciuitatem, &c.

1269. Quæ doctrina valde conformis eſt iuri communi *cap. nullus inuitis* Cœleſtinus Papa *epiſt. ad Epiſcopos Galliæ 2. cap. 5. & cap. nec emeritis.* idem, *ead. diſt. 61.* & Gregor. Papa *lib. 8. epiſt. 40. ad Clerum, & nobiles Neapolit.* refertur *cap. obitum Victoris §. commonemus.* & Leo I. *epiſt. 82. aliàs 84. ad Anaſtaſium* refertur *cap. Metropolit. 63. diſt.* idem inuenietur alibi paſſim, tam in Decreto, quã in Decretalibus *& l. in Eccleſiis C. de Epiſcop. & Cleric.* in quibus ſtatuitur quod ſi in propria Ciuitate inuenitur dignus, iſte & non exterus debet eligi ad Beneficiũ: ergo fundator alicuius patronatus poterit id ſtatuere de familia, & proſapia ſua.

1270. Extenditur ſeptimò, regula propoſita quod teneat verum, etiam ſi exteri habeant à Rege noſtro priuilegium connaturalitatis ad obtinenda Beneficia requirentia reſidentiam, vt ſi Epiſcopatus, Canonicatus, Curatus, & ſimilia, in quibus ſi non reſident intra octo menſes à die collationis, fructus non faciunt ſuos. Ita habetur deciſum *leg. 20. & 36. tit. 3. lib. 1. recopil.* cum enim Summi Pontifices Regem Hiſpaniarum Patronum vniuerſalem conſtituerint omnium Beneficiorum iſtius modi, & alias reſidentia in illis ſit de iure naturali, & Canonico, tanquam Patronus poteſt conſtituere legem vt exteri qui habent priuilegium connaturalitatis fructus horum Beneficiorum non faciant ſuos niſi ſub hac iuſtiſſima conditione, *ſi reſideant*, & quidem quamuis Patronus particularis non poſſit ponere alias conditiones præter eas quas primus fundator in fundatione appoſuit, ſed eas ſolum quæ poſitæ ſunt, tenetur
1271. obſeruare; tamen quando ex voluntate Patroni pendet facere aliquem capacem ad Beneficium obtinendum poteſt priuilegium hoc capacitatis concedere ſub conditione honeſta, qualis eſt reſidentia, qua non impleta Beneficiatus non poteſt in conſcientia fructus Beneficij retinere, ſed tenetur illos reſtituere, niſi à Summo Pontifice de plenitudine poteſtatis ad hoc diſpenſetur.

1272. Ratio huius eſt. Quia priuilegium hoc naturalitatis conceſſum eſt conditionaliter; datur enim ſub hac conditione *ſi reſideat*, qua conditione non impleta non facit fructus ſuos. Sicut de Parocho qui ſi intra annum non fiat Sacerdos non poteſt facere fructus ſuos; & ante omnem ſententiam tenetur illos reſtituere, & amittit Beneficium. Ita Sanchez *tom. 1. conſil. lib. 2. cap. 2.* Sylueſter *Beneficium 3. q. 2.* Medina *1. 2. q. 96. art. 4. fol. 88. verſ. ad aliud* Sotus *de iuſtitia lib. 10. q. 5. art. 6. verſ. ſecundum caput.* Suarez *de legib. lib. 4. cap. 13. n. 26.* Salas *diſp. 9. ſect. 1. n. 15.* & circa hanc ſeptimam extenſionem legendus eſt omnino Salzedo *lib. 2. de leg. polit. cap. 17. à num. 57. vſque ad 96.*

1273. Sed inquires an hæc conditio intelligatur etiam in Beneficiis ſimplicibus? negat Salzedo *vbi mo-*
do n. 561. quia hæc Beneficia non requirunt reſidentiam ex conſuetudine introducta, & immemoriali, vt tenent Azor *p. 2. lib. 7. cap. 3.* Vaſquez *de Beneficiis cap. 4. §. 2. dub. 2.* Bonacina *de Beneficiis diſp. 5. punct. 1.* Sanctarellus *variar. reſol. q. 1. num. 15.* & omnium elegantiſſimè Couarruuias *lib. 13. variar. cap. 13. num. 3.* Quare lex Regia ſolum intelligitur de Beneficiis exigentibus reſidentiam, ſiue ex natura rei, ſiue ex iure communi, ſiue ex municipali.

Sed ego exiſtimo quod noſter Rex tanquam 1274.
Patronus vniuerſalis potentiſſimus poteſt priuilegium naturalitatis concedere exteris ſub conditione vt obtineant Beneficia ſimplicia ſi in Regno Hiſpaniæ morentur. Quam conditionem ſi non adimpleant non poſſunt facere fructus ſuos, quia hæc lex conuentionalis eſt, & obligat in conſcientia non impleta conditione quæ iuſtiſſima eſt, tum quia de iure communi omne Beneficium, etiam ſimplex exigit reſidentiam, vt notant multis citatis Barboſa *ad cap. quia nonnulli de Clerico non reſidente.* Garcia *de Benefic. part. 3. cap. 3. num. 2.* Et ſic Princeps ſæcularis Patronus 1275.
vniuerſalis poteſt concedere priuilegium connaturalitatis ſub hac conditione vt reſideant in ſuo Regno, itaut non valeat conſuetudo contraria. tum etiam ob rationes politicas ad bonum regimen ſui Regni poteſt ita ſtatuere, maximè ne terræ pinguedo, & craſſities diuitiarum, & ſelectior pecunia extrahantur de Regno, vt notant Azor *tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæſt. 25.* Sanchez *lib. 2. tom. 1. conſiliorum cap. 1. dub. 8. num. 2.* hoc enim ſtatutum non eſt pure ciuile, & politicum, ſed ortum ducit ex conceſſione Pontificia, qua conſtitutus eſt Rex vniuerſalis omnium Beneficiorum Patronus. Verum eſt quod ſi in priuilegio connaturalitatis hoc non exprimatur, non requiritur reſidentia ad percipiendos fructus Beneficij ſimplicis.

Inquires ſecundò, an exterus habens priuile- 1276.
gium ad retinendum Beneficium curatum poſſit percipere fructus reſidens non per ſeipſum, ſed per ſubſtitutum poſitum ab Epiſcopo? Reſpondetur quod ſi exterus iſte non reſidet perſonaliter, quia ob bonum publicum Eccleſiæ, aut Regni eſt occupatus, vel ob aliud legitimum impedimentum, percipit fructus Beneficij, ſi illi inſeruiat per ſubſtitutum. Quod an ita ſit Epiſcopus qui illum conſtituit videbit, aut Summus Pontifex; ſi vero non ſit abſens ob bonum publicum dubio procul non facit fructus ſuos. Ratio eſt, quia *lex 20. citata* exigit reſidentiam vt lucrentur fructus, quam exigunt Sacri Canones, atqui iſti exigunt reſidentiam perſonalem, *cap. peruenit 20. & cap. placuit 21. & cap. conſtitutum 22. quæſt. 1. cauſa 7.* quos Canones renouat Trident. *ſeſſ. 6. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap. 12. verſ. omnes.* ergo lex quæ obligat ad illam alias non faciat 1277.
fructus ſuos iuſtiſſima eſt, quia priuilegium connaturalitatis conceditur à Rege ſub conditione de reſidentia perſonali. Legantur Azor *vbi ſup.* Garcia *de Benef. p. 3. cap. 2. à num. 26.* Filliucius *tract. 41. cap. 4. n. 25.* Caſtro Palao *diſp. 5. de benefic. punct. 1. & 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 34. à num. 153.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg. 53. à num. 4.*

Extenditur octauò, ad penſiones perpetuas quæ 1278.
Præſtimonia dicuntur, quas non poſſunt exteri obtinere, & retinere, ſi non habeant priuilegium naturalitatis, vel niſi Pontifex vtatur plenitudine poteſtatis abrogando priuilegium Regibus Hiſpaniæ conceſſum à Sixto IV. & aliis Pontificibus. Ratio eſt, quia licet in pœnalibus penſio

non

non veniat nomine Beneficij, vt in Superioribus est probatum, tamen in fauorabilibus venit, cumque priuilegium concessum à Summis Pontificibus Regibus sit fauorabile in gratiam Regni factum, & ciuium, dum dicit quod Beneficia non conferantur exteris, sed solum naturalibus nomine Beneficiorum veniunt etiam pensiones perpetuæ, & præstimonia quas in Regnis Castellæ, & Legionis sine priuilegio naturalitatis
1279. exteri habere non possunt. Hæc est communis nostrorum Hispanorum Doctorum sententia *ex leg.* 14. 18. *& 34. tit. 3. lib. 1. nouæ recopil.* quam amplectuntur Couarruu. *cap.* 36. *num.* 9. *&* 10. *lib. qq. practicar.* Gregorius Lopez *ad l. 13. tit. 15. partita* 1. Didacus Perez *l. 23. tit. 7. lib. 7. ordinament.* Azeuedo *l.* 18. *tit. 3. lib. 1. recopil.* Pereyra *de manu reg. tom. 2. cap.* 64. *num.* 38. Salzedo *in prax. cap. 54. n.* 12. Ceuallos *qq. practicar. q.* 897. *num.* 323. & sic apud Gallos exacta diligentia seruari tradit Carolus Molineus *in reg. Cancell. de publicand. resignat. num.* 226. quamuis vt testantur Pereyra *vbi sup. num.* 42. Barbosa *de pension. quæst. 5. num.* 39. in Regno Portugalliæ pensiones admittantur pro Italis sub proprio nomine
1280. expeditis Bullis. Sed quidquid sit de Portugalliæ Regno, in Castella, & Francia contrarium practicatur, tum ex priuilegiis Pontificibus, tum ex immemoriali consuetudine.

Huius iustissimæ consuetudinis duplex est ratio, etiam in pensionibus ad tempus. Prima, quia aurum & argentum ab exteris extra regnum trahatur cum magno illius detrimento, vt supra de
1281. Beneficiis dicebamus. Et quidem si pensio (quidquid propriè sit) super fructibus Beneficij imponatur pro exteris, Beneficiorum pinguedo illis obueniet, ossibus relictis ad rodendum naturalibus, possentque nostris versus illi aptari:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boues,
Sic vos non vobis vellera fertis oues,
Sic vos non vobis nidificatis aues.

1282. Secunda, quia vt optimè Couarr. *vbi sup.* illud est satis expeditum quod in Beneficiis patrimonialibus nulla pensionis constitutio admittitur apud Hispanos cum extendat in maximum grauamen Clericorum patrimonialium, quia Beneficia ista sunt secundum dignitatem doctrinæ, & morum libere, & absque vllo onere conferenda. Et addit sapientissimus vir, *nec vidi vnquam à Summo Pontifice pensionem ex his Beneficiis constitui, nisi causa dirimendæ litis; alias enim grauis læsio resultaret ipsi Patrono cui competit ius præsentandi, aut Collatori cui competit ius conferendi Beneficium, si hoc cum sit libere dandum regnicolis, onustum pensionibus conferretur.* Et sic ex vi Bullæ Sixti I V. qua nostris Regibus datur priuilegium quod exteris non dentur Beneficia, sed originariis excluditur impositio directa pensionis super præfata Beneficia.

1283. Sed nunquid indirecta pensionis impositio possit fieri absque consensu Regio, vt quotidie fit Romæ, illam constituendo in quodam regnicola qui *Testa de ferro* nuncupatur, qui obligatur ad fructus talis pensionis alicui extero quotannis dare. Negat Petrus Gonzalez de Salzedo *lib. 2. de leg. polit. c.* 16. per totum, in quo latissimè probat huiusmodi confidentiariam pensionem impositam in capite personæ Hispanæ vt eam quotannis persoluat viro Italo, vel de familia Pontificis, vel alicuius Cardinalis, vel cuicumque alteri externo esse illicitam, & simoniacam, quia fit pactio super fructus Beneficij, & ius ad illos percipiendos, & pensio traditur Hispano in confidentiam, & fideicommissum, vt persoluatur Italo. Vnde Bulla impositionis subreptitia est, sicut esset Bulla Collationis Beneficij si exterus priuilegium naturalitatis non haberet, aut nisi prius haberetur Regius consensus. Etenim impositio in capite Hispano vt fructus Beneficij, aut pensionis extero conferantur inuenta, & facta est in fraudem legis, & priuilegij Apostolici, quod solis Regnicolis Beneficia, & pensiones conferantur. 1284.

Ego quidem libentissimè huic sententiæ assisterem, nisi Romæ agnouissem huiusmodi *testas ferreas* publicè permissas vidente, & consentiente Summo Pontifice, reclamantibus Oratoribus Regis Catholici, & Papam expedire Bullas pro huiusmodi pensionibus imponendis in persona His- 1285.
pana, quæ ex vi Bullæ manet obligata ad fructus pensionum exteris soluendos, & sic manifestum est huiusmodi confidentiam liberam esse à labe simoniæ; si enim simonia reluceret, solum esset ex iure humano, & positiuo canonico, in quo videtur Pontifex dispensare, eo ipso quod in Bullis hoc fideicommissum, & confidentiam committat personæ Hispanæ, vt hæc conferat quotannis extero Italo. Quod manifestè admisit P. Azor & ipse Hispanus, & in Curia Romana versatissimus. Hic enim sapientissimus vir *p. 2. lib. 8 cap. 6. q. 6. & 7.* supponens quod Papa potest reseruare in Beneficio Hispano pensionem pro Italo, quam ponit in persona Hispana, in commodum tamen personæ Italæ, aut exteræ alterius nationis, inquirit an ius pensionis sit penes Italum, aut penes Hispanum, & an extinguatur morte Itali, an morte Hispani? *& q.* 8. amplius dicit quod Italus in cuius commodum imposita est pensio in Capite Hispano potest isto inuito, & renuente transferre commodum istum in alium, etiam Italum. Et pro hac resolutione adducit Rotæ Decisiones 399. *&* 400. *1. p. diuersorum.* 1286.

Secundò, quia verius, & probabilius est pensionem etiam Ecclesiasticam, nec perpetuam nec datam in titulum non esse Beneficium, nec sub illius appellatione venire. Ita Azor *p. 2. lib. 3. c. 5. q. 2. & lib. 8. c. 5. quæst.* 4. vbi dicit quod est communis omnium Doctorum sententia. *& lib. 3. quæst. 2.* citata dicit quod ita est communi fere omnium consensu receptum, pro qua citat Panormitanum, Felinum, Seluam, Gomezium, Mendozium, Ardiaconum, Ioann. Andream, Geminianum, Francum, & Ancharranum, Sanch. *tom. 1. consil. lib. 2. cap. 2. dub. 63. n. 3.* Palao *de Benefic. tract. 13. disp. 1. punct. 9. §. 1. n. 4.* Toletus *lib. 5. c. 81. n. 2.* Garcia *de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 3.* & videtur decisum *in cap. quamuis de præbendis in 6.* ibi, *non in pensione, sed in Beneficiis volumus prouidere.* vbi latè, & doctè Barbosa *n. 3.* multis citatis dicit quod etiam in lata significatione pensio non venit nomine Beneficij. Et est decisio Rotæ apud Seraphinum ad propositum *decis. 531.* 1287.

Ratio est clara, quia Beneficium est ius spirituale perpetuum percipiendi fructus ob ministerium spirituale, quia Beneficium datur propter officium: pensio autem non sic est ius spirituale perpetuum, cum finiatur morte pensionarij, quod secus est si pensio est perpetua, vel data in titulum, tunc enim est propriè Beneficium, 1286.

vt optione Sanch. *lib.2. cap.3. dub.46.* Vnde fit quod cum Pontifex possit declarare priuilegium suorum antecessorum, sine consensu Patroni etiam laici, potest imponere pensiones pro exteris. Cæterum pro Regnis Castellæ, & Legionis, Aragoniæ, & Cathaloniæ pro bono pacis non expedit Bullas nomine exterorum, sed indirectè eas ponit in persona horum Regnorum naturali, cui fide commisit vt fructus soluat externo. Quod tenetur facere in conscientia, nec Regnicol, & Italus tuto illos fructus percipit. Neque huiusmodi indirecta pensionis impositio inuenta est in fraudem legis, & priuilegij, sed est
1289. quædam priuilegij interpretatio. Verum est maximè expedire bono publico horum Regnorum quod huiusmodi *ferrea capita* imminuantur, & ad puluerem vsque redigantur, supplicando sanctitati suæ ne illa consentiat in damnum naturalium.

1290. An vero Legatus à latere possit conferre Beneficia iuris Patronatus laici, & ex illis reseruare pensiones pro exteris sine consensu Patroni quando solum naturalibus conferenda sunt, vel ex consuetudine, præscriptione, vel ex priuilegio Summi Pontificis, dubiæ quæstionis est, quam ego alibi resoluo, interim videantur Azor 2.*part. lib.5. cap.29. q.2.* Butrius *ad cap. cum ducatus de iur. Patrona.* Gambatus *de officio legati lib.3. à n.* 242. qui dicunt quod legatus vtens plenitudine suæ legationis potest derogare iuri patronatus laicorum huiusmodi, & prouidere Beneficia sine Patroni laici consensu. Quare etiam potest derogare iuri quod habent naturales vt illis solum con-
1291. ferantur Beneficia. Sed ego existimo in Regnis Hispaniarum id non posse Legatum etiam à latere, quia priuilegium Regibus concessum non est mere gratuitum, sed remuneratnrium, quod transiit in vim contractus, cui legatus contrauenire nequit; imo nec Summus Pontifex contrauenit de potestate ordinaria.

Extenditur nonò, cum Sanch. *lib.2. consilior. cap.1.dub.9.num.22.* vbi sic dicit: *Rex bene potest concedere litteras naturalitatis etiam ad Beneficia obtinenda in suo Regno, quia impedimentum hoc*
1292. *non est ex iure canonico, cum hoc quantum ad hoc sit iam vsu derogatum, maximè quantum ad Episcopatus, sed est impedimentum ex mero iure Regio in quo Rex potest dispensare. Quare intelliguntur tales litteræ nisi adsit aliud impedimentum canonicum, quia in eo nequit Rex dispensare. Vnde si est Beneficium regulare & ipse est secularis, & contra, & nescit loqui idiomate linguæ, &c. indiget dispensatione etiam Papæ. Intellige in hoc casu, quando nescii loqui idiomate linguæ patriæ, in qua prouidetur si est Beneficium curatum propter Regulam Cancellariæ de idiomate quæ est 19. Et ratio est, quia per tales litteras tantum tollit Rex impedimentum iuris Regij, scilicet defectum connaturalitatis. Sic Rebuffus tom.2.const.Franciæ tract. de litter.connaturalit. gloss.2.à num.2. vsque ad 7. & similiter si Rex tantum dispenset in litteris connaturalitatis ad Beneficia secularia non poterit obtinere Regularia, licet Papa dispenset ad Regulare, quia Papa per talem dispensationem non tollit Regni inhabilitatem.*

1293. Ex qua doctrina fit quod exterus ignarus linguæ patriæ non potest admitti ad concursum, & examen pro Beneficiis curatis, etiam si habeat litteras naturalitatis, quia habet impedimentum Canonicum in quo solus Pontifex dispensat, quamuis linguæ idioma rectè calleat, tamen in illo loqui nescit, etiam admitti non debet cum non possit suos subditos instruere.

Resolvtio XXI.

Vtrùm examinatorum Officium sit proponere Episcopo digniorem ad Beneficium.

SVMMARIVM.

1294 *Quàm necessarium sit iudicium examinatorum Synodalium in prouisione Beneficij curati.*

1295 *Proponitur difficultas, & soluitur, numero* 1297.

1303 *An examinatoribus ex officio competat proponere Episcopo quis inter examinatos sit dignior, an verò solus Episcopus id faciat auditis votis examinatorum, qui renuntient qui sint reperti digni? Resoluitur duobus Dictis n.*1305. 1307.

VT ex supradictis satis constat ita necessarium 1294.
est iudicium examinatorum Synodalium in prouisione Beneficij curati, quod sine illo prorsus sit collatio irrita, taliter quod nec titulum coloratum prouisus accipiat, vt declarauit Pius V. *const.32. quæ incipit in conferendis* declarans Concil. Trident. *sess.21. cap.* 18. quod statuit ibi 1. *Quod Episcopus ex idoneis iudicatis ab examinatoribus debet eligere quem cæteris magis idoneum iudicauerit; collatio vero Ecclesiæ fiat ab eo ad quem spectabit eam conferre. Secundò, si Beneficium curatum sit iuris Patronatus Ecclesiastici, & institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter approbatos ab examinatoribus indicabit Episcopo præsentare teneatur vt ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Tertiò, si Beneficium curatum sit iuris Patronatus laicorum, debeat qui à Patrono præsentatus fuerit ab eisdem deputatis, vt supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti. Quartò, quod in omnibus supradictis casibus non cuiquam alteri quam vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictam Regulam, de Ecclesia prouideatur.*

Inquires si plures sunt æquè idonei reperti ab 1295.
examinatoribus, & in æquali litteratura constituti, potest ne Episcopus vnũ ex illis eligere, & Collatori proponere vt conferat Beneficium, aut debeat proponere omnes vt Collator eligat quem maluerit tanquam digniorem negatiuè quia nullus alius reperitur dignior. Garcia *part.9. de Benefic. c.2. n.*148. quem sequitur Palao *tract.13. de Benefic.disp.3.punct.2. §.6.num.2.* dicunt ad Episcopum solum pertinere eligere illum cui Beneficium est conferendum quod duobus conferri non
potest, sed vni: ergo Episcopo competit neces- 1296.
sario electio, & non Collatori. Quod si Episcopus plures æquè idoneos proponat Collatori, iste poterit quem voluerit eligere. Et idem docent de institutione, si ab alio quam ab Episcopo sit facienda; iste enim, & non institutor debet eligere aptiorem ex duobus æquè dignis approbatis:

secus

secus vero est si ab Episcopo solo sit facienda institutio, nam in tali casu Patronus Ecclesiasticus, & non Episcopus debet eligere digniorem negatiuè inter plures æquè idoneos. Ita Azor *p. 2. lib. 6. cap. 22. q. 15.* probabilis quidem sententia.

1297. Mihi tamen opposita videtur probabilior, quam existimo secutam Sacram Congregationem in quadam declaratione data Episcopo Vicentino, quam referunt Flaminius Parisius *lib. 8. q. 9. de resignatio.* Garcia *vbi supr. n. 149.* vbi dicitur, *examine confecto, ex his quos vitæ integritas, & doctrina commendabit Ordinarius debet eligere magis idoneos, ac postea Abbati relinquere, vt ex electis cui maluerit curam conferat.* Vbi nota quod

1298. Sacra Congregatio non dicit quod Ordinarius eligat, si vult, plures, &c. Sed quod debet eligere magis idoneos, & sic ad id tenetur. Rursus dicit quod Abbas ex electis potest cui maluerit curam conferre: ergo si examinatores renuntient plures ex oppositoribus esse æquè dignos, ipsosque constituant in æquali littera, tenetur Episcopus & debet eos Collatori proponere vt eligat ipse quem maluerit. Et ratio videtur perspicua, quia Collator solum tenetur conferre Beneficium digniori, & aptiori ex Trident. *vbi sup.* ergo si plures sunt æquè digni iudicati ab examinatoribus

1299. nequit Episcopus vnum ex illis eligere. Neque in hoc locum habet Episcopi gratificatio, sed solum ipsius Collatoris, cui liberum est conferre cui maluerit, non Episcopo eligere quam gratiorem sibi iudicauerit.

Secundo probatur, quia quando ius Patronatus est Ecclesiasticus, & institutio facienda ab Episcopo non ad Episcopum, sed ad Patronum pertinet electio dignioris ex his qui approbati sunt ab examinatoribus, quem Episcopus tenetur instituere, vt dicit Trident. *vbi sup. cap. 18. verf. si vero.* & declararunt Sixtus V. *in quodam Breui apud Emman. Rodrig. in Collectan. Bullar. Bull. 22.* huius Pontificis, & Sacra Concilij Con-

1300. gregatio *in vna Atrebatens.* dicit, *examinatores plures approbare debere vt Patronus Ecclesiasticus vnum eligere possit Episcopo præsentandum pro institutione, & repugnat hoc Decretum examinatoribus qui vnum tantum probant, vt electio Patrono tollatur.* Hæc ibi: ergo similiter quando sunt plures æquè digni reperti in examine non ad Episcopum, sed ad Collatorem pertinet electio vnius potius quam alterius; aliàs collatori auferetur electio, sicut, ait Congregatio, auferretur Patrono si vnum tantum approbarent examinatores.

1301. Dices: Tridentinum dicit vbi supra, quod si institutio pertinet ad alium quam ad Episcopum tunc Episcopus solus eligat ex dignis digniorem quem Patronus præsentet ei, ad quem institutio spectat: ergo etiam ipse solus eliget digniorem, cui Collator conferet Beneficium. Respondetur, vtrumque esse verum si loquamur de digniori positiuè, huius enim electio ad Episcopum pertinet cui competit eligere cui conferatur Beneficium, quando inter plures dignos est aliquis dignior meritis, & morum probitate; at vero quando duo sunt æquè digni, cum vterque sit incapax Beneficij æquè primo, vt supponimus, quia sunt in

1302. æquali littera positi ab examinatoribus, ad Collatorem non ad Episcopum pertinet eligere quem maluerit, & ita vtraque debet proponi illi. Quod si duo sint æquè digni vterque etiam debet æquè dignus declarari vt Patronus præsentet quem voluerit ei, ad quem pertinet institutio, vt egregiè adnotauit Azor *q. 15. citata*, vbi dicit *quod ex his qui examinatorum iudicio sint approbati, & nondum à Patrono nominati, & Episcopo oblati ex his quem Patronus non quem Episcopus voluerit eligi potest.* Et loquitur de æquè dignis, & siue iuris patronatus fuerit laicus, siue Ecclesiasticus. Et sic Concilium loquitur quando inter dignos est aliquis dignior; istum enim solus Episcopus debet eligere, ac Patrono præsentare, si ab alio quam ab Episcopo facienda est institutio, & sic manet solutum fundamentum oppositum. Re- 1303.
spondetur enim quod non semper pertinet ad Episcopum eligere digniorem, cum aliquando Patronus Ecclesiasticus eligat. Deinde non semper pertinet ad Episcopum eligere cui Beneficium conferatur, sed aliquando ad Collatorem, vt vidimus ex Sacra Congregatione.

Igitur punctus nostræ Resolutionis est an examinatoribus ex officio competat proponere Episcopo quis inter examinatos sit dignior, an vero solus Episcopus id faciat auditis votis examinatorum, qui renuntient qui sint reperti digni. Du- 1304.
plex est sententia. Prima negat id competere ex Officio examinatoribus, sed ad summum id poterunt præstare si ab Episcopo sint interrogati quis ex approbatis sit dignior. Secunda affirmat, itaut mortaliter peccent examinatores si non renuntient Episcopo quis ex oppositoribus dignior, & aptior sit. Sed ego vtramque sententiam veram existimo rectè enucleatam. Quare

Dico primò, non ad examinatores Synodales, sed ad Episcopum solum pertinet iudicare decisiuè quis ex approbatis sit dignior, sicut ad ipsum solum pertinet eligere digniorem. De hac 1305.
conclusione, me quidem iudice, non potest esse controuersia stante determinatione Concilij *c 18. citato, verf. peracto examine.* ibi, *Ex his* (scilicet approbatis) *Episcopus eum eligat quem cæteris magis idoneum iudicauerit.* Sic etiam intellexit Concilij Congregatio multis declarationibus, quas referunt Barbosa *ibi num. 28.* Bellarminus etiam ibi, & Nicolaus Garcia *part. 9. cap. 2. à num. 108.* Sic enim fuit declaratum *anno 1598. & anno 1599. Vnde in quadam Barchinonen.* dicit Sacra Congregatio quod aliqui examinatores prætendebant ad eos spectare idoneiorem eligere, & ita de facto plures fuerunt prouisi quibus ex gratia Sanctissimus mandauit vt expedirent nouas prouisiones. *Et in alia Paduana* sic dicitur: *Per* 1306.
hoc decretum nulla vnquam facultas data est examinatoribus in electione idoneioris ad ei Beneficium conferendum, sed ad solum Episcopum spectat. Vnde alias censuit eadem Sacra Congregatio, vt refert Garcia *num. 109.* quod si sunt idonei approbati, & in vnum concurrunt omnium examinatorum vota, & in alium solum maior pars, potest Episcopus eligere istum, & non illum, si iudicat ipse digniorem esse. Quare hanc conclusionem tenent Garcia, Bellarminus, Barbosa citati, Franciscus Leo *in Thesauro part. 2. cap. 3. num. 34.* Barbosa *de officio Paroch. cap. 2. num. 90. & 91.* Marius Antoni. *variar. lib. 1. resolut. 63. num. 8.* Massobrius *in praxi requisit. 4. dub. 1. & 4.* Palao *vbi sup. §. 4. num. 9.* Genuensis *in praxi cap. 66. numero 108.* Zerola *in praxi part. 1. verb. Parochia §. 2.* Armendar. *in addition. ad recopil. l. Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. n. 58.* Cardinalis Lugo *de iustitia, & iure disput. 35. sect. 5. num. 65.*

1307. Dico ſecundò, examinatores Synodales tenentur ſub mortali peracto examine qui ſit ex approbatis doctior, & in aliis qualitatibus, quas nouerunt, aptior, Epiſcopo renuntiare. Ita tenent Azor *p.2. lib.6. cap. 15. quæſt.11. verſ. ex quibus verbis* Ledeſma *in ſumm. tract.7. cap.1. conc.7. diff.13. pag. mihi* 161. Nauarra *de reſtitut. lib. 2. cap.2.num.*174. Ludouicus Lopez *tom.1.cap.*127. Diana *part.3. tract.5. Miſcellan.reſolut.*111. Medina *in ſumm. lib.1.cap.*14. §.32. Villalob. *tom.1. tract.8. diff.6. n.7.* ibi. *A mi me parece eſta ſentencia mas verdadera, y que la deuen ſeguir los Obiſpos que quiſieren deſcargar ſu conſciencia.* Quę ſunt verba Magiſtri Ledeſma. Sed audiamus grauiſſima verba Magiſtri Medin. *vbiſup.* ſic fantis:

1308. *Eſtan obligados a firmar qual es el digno, y qual es el mas digno, porque haziendo lo contrario pecan mortalmente. Porque en dezir el Obiſpo que no le digan qual es el mas digno, ſino que digan ſi ſon dignos es en buen romançe dezir que lo quiere el proueer a quien quiſiere, y no como manda la ley. Y en eſto han de tener animo para reſponder al Obiſpo los Examinadores, porque es gran laſtima lo que oy paſſa, y mas ſe ha de mirar lo que manda Dios que lo que manda el Obiſpo.* Sequitur Zerola *vbi ſuprà verſ.ad ſecundum in fine.* Hæc concluſio eſt contra Lugo *vbi ſup. num.*66. Venerum *in exam. Epiſcopali lib.4. cap.25. num.21.* Maſſobrium *in prax. requiſit.4. dub.3. num.2.*

1309. Probatur primò, ex declaratione Cardinalium quam refert Garcia *num.*109. ibi, *Singuli examinatores poſſunt, & debent dare vota ſuper qualitate cuiuſlibet examinati ex forma verſiculi, tranſacto, & Epiſcopus non ex collectione horum votorum debet eligere, ſed ex verſiculo peracto examinatores debent ſolum renuntiare duos, vel tres v.g. examinatos idoneos. Deinde Epiſcopus abſque votorum calculo, ſed ſuo iudicio eligere debet digniorem.* Quibus verbis Sacra Congregatio totum intentum Concilij declarauit.

1310. Quod duo reſpiciebat. Primò, quod examinatores debent dare vota ſua ſuper qualitate cuiuſlibet examinati quanta ſit in ſe, & comparatione ad alios coexaminatos, an ſcilicet ſit dignior, dignus, aut æquè dignus, vt infra in ratio.3. magis enucleo, illa enim verba *ſuper qualitate* totum hoc ſignificat maiorem, vel æqualem idoneitatem. Quod etiam ſignificat Concilium dum dicit quod *peracto examine examinatores renuntient Epiſcopo quotquot idonei iudicati fuerint*; non enim ſolum renuntiare debent idoneos eſſe abſolutè, ſed in quo gradu idoneitatis exiſtant.

1311. Secundum eſt, quod Epiſcopus non debet votorum calculo, ſed ſolum ſuo iudicio eligere digniorem, cui debetur Beneficium; cum enim ſolus Epiſcopus, & non examinatores, conferat Beneficium, iudicium Epiſcopi, & non examinatorum vult Concilium, quod ſit regula, & menſura maioris idoneitatis, quod Epiſcopi iudicium prius informari debet ab examinatoribus, qui ſe habent veluti aduocati reſpectu iudicis; hic enim eſt qui ſententiam fert proprio iudicio ſecundum allegata ab Aduocatis qui renuntiant iuſtitiam ſui clientis. Quare ſicut Aduocatus tenetur renuntiare iudici id quod iudicat conuenire liti, ita examinatores dati ſunt Epiſcopo à Tridentino tanquam aduocati vt illi informent de maiori, vel minori, vel æquali idoneitate oppoſitorum.

1312. Quare examinatores ſunt veluti inſtrumenta rationalia per quæ Epiſcopus tenetur ſub mortali iudicium ferre de digniori. Et ſic quando Concilium dicit *Ex his Epiſcopus cum eligat quem cæteris magis idoneum iudicauerit*, non excluſit quod examinatores teneantur renuntiare de digniori; imo potius tenentur. Sed ſolum voluit Concilium quod vltimum iudicium, vltimaque reſolutio de digniore, non ad examinatores qui ſunt ſolum inſtrumenta Epiſcopi, ſed ad ipſum Epiſcopum referenda eſt, qui tanquam Gubernator, & Paſtor ſuarum ouium ex vi ſui Officij tenetur attendere ad maiorem illarum vtilitatem, & poteſt contingere quod ipſe alias ſciat aliqua impedimenta, propter quæ non ſit conueniens quod ille qui iudicatus eſt ab examinatoribus dignior Beneficium accipiat, ſed ob hoc non excuſantur examinatores renuntiare de digniori.

1313. Secundo probatur manifeſtè hanc fuiſſe Concilij mentem ex Bulla Pij Quinti quæ incipit: *In conferendis.* edita *Kalendis Aprilis* 1567. vbi ſic fatur: *Si Epiſcopus minus habilem poſthabitis magis idoneis poſt examen per concurſum habitum elegerit, poſſunt ij qui fuerunt reiecti à mala electione huiuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens ſit Metropolitanus, aut exemptus, ad viciniorem Ordinarium vti Sedis Apoſtolicæ Delegatum, aut alias ad dictam Sedem Apoſtolicam appellare, & præfectum ad nouum examen coram ipſo appellationis iudice, & eius examinatoribus procurare*, &c. Quæ determinatio prorſus inutilis eſſet niſi examinatores tenerentur iuridicè declarare Epiſcopo quis ſit dignior, & maiori ſapientia præditus; nam ſi id iuridicè non conſtat, quomodo conteſtari poſſet lis, & fieri appellatio iuridica à mala electione minus habilis relictis magis idoneis; poſſet enim dicere Epiſcopus ſe elegiſſe quem ſuo iudicio iudicauit digniorem, & quod ad nihil amplius tenetur ex Concilio: atqui Pontifex dicit quod poteſt appellare à mala electione ex omiſſione magis idonei: ergo iudicium de digniore ad examinatores tanquam inſtrumenta Epiſcopi pertinet. 1314.

1315. Reſpondet Garcia *n.*113. Palao *verſ. tenendum.* quod non poteſt conſtare malam fuiſſe Epiſcopi electionem, & appellationem eſſe legitimam præſciſſe ex actis primæ inſtantiæ, atque ita appellationem non eſſe ſuſpenſiuam, ſed neceſſario conſtare debere ex actis ſecundæ inſtantiæ, examine facto coram iudice ad quem appellatur. Verum ſolutio iſta nulla eſt, quia niſi iuridicè poſſit conſtare poſt primum examen per concurſum habitum Epiſcopum elegiſſe minus dignum omiſſo digniore non poteſt appellatio conſiſtere, nec prouocatio ad ſecundum examen; ſi enim Epiſcopus ſine examinatoribus, & inſtrumentis ſuæ electionis eligit, dicet ſe iudicaſſe eſſe electum digniorem. Quare niſi examinatores deponant ſe iudicaſſe illum non eſſe aptiorem, nunquam dabitur locus appellationi, & prouocationi ad ſecundum examen, cuius iuſtificationis ratio deſumenda eſt ex actis primæ inſtantiæ, vt procedatur ad ſecundam; aliàs quomodo iudex, ad quem poteſt procedere ad ſecundam inſtantiam ex vi appellationis ad ipſum, vt dicit Pontifex quod reiectus poteſt appellare poſt primum examen de grauamine ſibi facto, ſententiam ferret? 1316.

1317. Tertio probatur, quia vt dicit Garcia *n.*110. & tenẽtur omnes fateri, ſi Epiſcopus nolit ſcire quis ſit dignior, ſed ſolum qui ſint digni, peccat mortaliter quia tenetur dare Benefic. digniori vt aſſerit Trid. *vbi ſup. verſ. ex his quæ.* ergo cum examinatores

ſint

sint instrumenta rationalia assignata Episcopo à Concilio, vt cognoscat cui conferendum est Beneficium in maiorem Ecclesiæ vtilitatem, & animarum profectum, dubio procul isti ex vi officij tenentur sub mortali Episcopo, non solum qualitatem renuntiare examinati in scientia, sed quãtitatem,& extensionem illius,comparatione facta ad alios examinatos,etiam idoneos.

1318. Dixi in scientia,quia hodie in Hispania,vt notat Villalobos *vbi supr.* Examinatores Synodales eo munere præcipuè funguntur, vt renuntient quis oppositorum doctior sit, quamuis si de aliis requisitis aliquid sciant tenentur Episcopo renuntiare,vt facta inquisitione certioretur de idoneitate prouidendi. Quare mihi indubitatum videtur officium proprium Examinatorum esse Episcopo renuntiare quis oppositorum sit doctior; ad hoc enim tale officium est institutum, cui non satisfaciunt si aliter fit, quamuis solius Episcopi iudicio mensurandum est quis absolutè sit dignior,& aptior ad animarum regimen; maior enim dignitas non solum venatur ex scientia, & doctrina,sed ex multis aliis circunstantiis,

1319. & qualitatibus quæ possunt esse notæ Episcopo, & non examinatoribus, vtpote cum sit suarum ouium Pastor,& Rector,ex quibus cum sufficienti scientia euadit quis aptior Minister in Ecclesiæ vtilitatem, & animarum profectum,& sic votum decisiuum, quantum ad excessum dignitatis soli Episcopo reseruatur.

Sed obiicit Cardinalis Lugo.Quia examinato-

1320. res non habent votum decisiuum, nisi quantum ad idoneitatem, non vero quantum ad excessum, in ordine ad quem solum sunt consultiui. Quare neque Episcopus tenetur ex vi Tridentini inquirere ab examinatoribus excessum dignitatis, neque examinatores tenentur illum dicere, Episcopo refragrante, cum enim Episcopus non teneatur eos consulere, sed liberè consuluntur,Consultores autem huiusmodi non tenentur obtrudere suum consilium inuitis, & non petentibus. Respondetur negando quod examinatores sint omnino consultores liberi; imo sunt necessarij, & instrumenta Episcopi ad dignoscendum digniorem. Quare ex vi muneris & officij sui tenentur

1321. excessum idoneitatis exponere Episcopo, etiam si iste aliàs habeat notitiam illius excessus,& multo magis si alia via non habeat; si habeat non tenetur interrogare, si tamen non habet tenetur,vt in re tanti momenti non erret, quia hæc interrogatio est medium necessarium ad eligendum digniorem ad quod tenetur. Quare si examinatores dicant tres oppositores esse idoneos, videntur implicitè iudicare quod ex illis Episcopus potest eligere quem maluerit, in quo videntur mala fide procedere,& decipere velle Episcopum, vt eligat quem voluerit,cum ipsi nullum prætuletint.Cum

1322. enim Episcopi mens directa ratione & iure sit eligere digniorem, ipsi examinatores tenentur hanc mentem iuuare,declarando absque æquiuocatione quis sit aptior. Verum est quod examinatores Episcopo renuntiare non tenentur quod sit alius dignior extra oppositores, vt ait Cardinalis Paleotus *de Sacro Consistorio p.4.q.1.* quia examinatores solum sunt iudices in concursu, & de oppositoribus in illo concurrentibus,non verò de aliis,vt constat ex Tridentino *sess. 24. cap. 18. vers. Peracto examine.*

Resolvtio XXII.

Quando, & quomodo sit iudicandus quis dignior.

SVMMARIVM.

1323 *Episcopus tenetur sub mortali eligere digniorem ad beneficium curatum.*
1326 *Ex quibus capitibus desumenda sit hæc maior dignitas, aptitudo, & idoneitas, in prouisione Beneficij curati facta per concursum,& n.seqq.*
1347 *Inferuntur quædam corollaria,& n.1348.*

1323. SVppono ex infra dicendis quod Episcopus tenetur sub mortali eligere digniorem ad Beneficium Curatum. Quod adeo certum est vt Sacra Congregatio, vt referunt Bellarminus, & Barbosa *ad cap.18.citatum*,determinauerit quod Patronus Ecclesiastici Patronatus teneatur præsentare digniorem ad Beneficium curatum. Vnde sit generalis Regula, semper quod Beneficium curatum conferendum est præuio concursu & examine inter plures debet conferri digniori. Vnde cum patronus laici patronatus non teneatur præsentare nisi vnum,cui sine concursu conferendum est Beneficium, sufficit quod iste idoneus sit vt ei conferatur. Ita Trident.*vbi supr. vers. Quod si iuris.* Si tamen plures præsentet conferendum est 1324. Beneficium per concursum,& digniori. Ita Garcia *part.9.cap.2. num.256.* & tenuit Rota *in vna Pampilonen. Parochial.27. Ianuar. 1624. coram Reuerend.Coccino.Et in alia Illerden.Portionis 11. Decembr.1516. coram Burato inter eius impressas 25.*quas citat,& sequitur Barbosa *in Collectan.ad cap.18.Trident.citatum num.158.* Quod si Patronus indignum scienter præsentet non est admittendus, sed hac vice priuabitur iure præsentandi, vt docent Lambertinus *lib.2. de iure Patronat. q.18.art.4.* Sarna *lib.2. de visitatio cap.5.num.7. & cap.10.num.10.*& Rota *apud Farinacium tom. 2. decis. 216. coram Lancelloto num.6.* Vnde ad Episcopum deuoluitur pro illa vice Parochialis prouisio, quæ debet fieri in concursu, conuocatis per Edictum oppositoribus. Ita Barbosa *de Potest.Episcop.alleg.60. num.18.* Salgado *de Protectio. Regia tom.1.p.3.cap.9.num.90.* Tamen con- 1325. trarium non improbabiliter dicit Massobrius in Praxi habendi concursum *Requisit.1.dub.22.* quia Episcopus succedit Patrono, cuius ius ad Episcopum deuoluitur: ergo si præsentante Patrono idoneum sine concursu, debet conferri Beneficium, idem etiam est dicendum quando Episcopus per hoc ius deuolutum confert Beneficium; est enim affectum hac qualitate cum qua deuoluitur necessario, nam deuolutio fit cum qualitatibus primæ prouisionis,vt tenent Azor *p.2.lib.6. cap.27.qu.8.* Perez de lara. *tract. de Anniuersar. lib.2.cap.10.num.27.* Gutierrez *tom.4. consilio 1. num.31.* & plures alij quos sequitur Garcia *p.10. cap.3.n.42.*

Hoc supposito manet difficultas ex quibus ca- 1326. pitibus desumenda sit hæc maior dignitas, aptitudo, & idoneitas in prouisione Beneficij curati facta per concursum,& quidem D.Thom.2.2.*qu. 63.art.21.* hanc regulam generaliter constituit quod maior idoneitas,aptitudo,& dignitas desumenda est in ordine ad vtilitatem Ecclesiæ,& ma-

iorem animarum profectum iuxta illud Paul. 1. *ad Cor. cap. 12. num. 16. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. vnde contingit quod ille qui est minus sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune, vel propter potentiam, vel industriam secularem, vel propter aliquod huiusmodi, atque ita aliquando qui sunt simpliciter minus boni melioribus præferuntur.* Quare *in*

1327. *solutione ad 3. concludit, Quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter*, vel, *in comparatione ad bonum commune, quia si potest haberi aliquis magis idoneus, erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertinet ad negotium quantum ad hoc erit qui eligitur magis idoneus; si vero non pertineat ad negotium, id quod consideratur vt causa erit manifeste acceptio personæ.* Et *in solut. ad 4.* resoluit, *Quod ille qui de gremio Ecclesiæ* (adde, si vis, Regni, ciuitatis, aut Oppidi) *assumitur, vt in pluribus consueuit esse vtilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam in qua est nutritus, & propter hoc etiam mandatur Deuter. 17. Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus.*

1328. Vnde fit quod ille absolute est iudicandus dignior, & aptior in quo plura concurrunt propter quæ vtilior erit, tum seruitio, & Ecclesiæ augmento, & defensioni; tum profectui, & instructioni fidelium, vt tenuit Rota *tom. 1. apud Farinac. decis. 537. num. 14.* Et sic variæ sunt circunstantiæ quæ hanc maiorem vtilitatem inducunt, vt ratio loci, temporis, multitudinis, capacitatis subditorum, necessitatis, ministrorum, negotiorum, defensionis ab inimicis, linguæ patriæ, & idiomatis cognitionis, litium quibus est grauata Ecclesia, intelligentiæ acquirendi tempora-

1329. lia, quorum est indigentia, horum enim, & similium consideratio faciunt dictamen in Episcopo ad electionem dignioris. Quia tamen plura alia recte congessit ex Doctoribus Augustinus Barbosa *in Collectan. ad cap. 18. Tridentini à num.* 140. placuit hic eius verba transcribere; similia enim habet *de Potestate Episcopi, allegat. 60. à num. 101.*

1330. Sic enim ait. *Episcopus* (adde tu & examinatores) *semper attente debet rimari qualitates oppositorum, vt dignioribus Beneficia possit conferre Quod vt percipiat sciendum est quod ille præferendus qui muneri cui præficitur est aptior.* Couarruu. *in Reg. peccatum. part. 2. §. 7. num. 4. vers. dignior vero.* Rota *decis. 537. num. 14. part. 1. recentio. Item & ille qui altero cum quo concurrit est senior.* Ita Barbatius *cons. 23. num. 13. volum. 1.* Tiraquellus *de iur. primogen. in præfatio. num. 182.* Rolandus *cons. 47. num. 70. lib. 1.* Marius Anton. *variar. Resolut. lib. 1. cap. 4. num. 2.* Acuña *ad cap. Consuluit. 9. n. 2. distinct. 74.* & satis erudite P. de Peyrinis *in Prælato Reg. quæst. 2. cap. 1. à num. 13.*

1331. *Originarius idoneior est iudicandus, & præferendus, si alter sit extraneus.* Couarruu. *Practic. cap 35. num. 5. vers. Secundo notandum.* Fuscus *de visit. lib. 2. cap. 15. num. 13. & 14.* Puteus *decis. 247. lib. 1. in Correctio.* Vgolinus *de offic. Episcop. cap. 50. §. 3. num. 4.* Rota *decis. 299. part. 1. diuers. & ita potest eligi dignus de ciuitate, vel gremio Ecclesiæ posthabito digniore extraneo.* Lælius Zechius *de Benef. cap. 12. num. 36.* Piasec. *in Praxi Episcop. part. 2. cap. 5. num. 19.* Vgolinus *dicto. cap. 50. §. 8. num. 4.*

Doctor præfertur non Doctori. Aloysius Ric- 1332.
cius *in decis. Curiæ Neapol. Archiepis. part. 4. decis. 135. num. 1.* Rota *decis. 36. num. 2. part. 2. recentio. Attamen minus doctus modo idoneus, cuius mores sunt noti, & approbati, præfertur doctori cuius vita ignoratur.* Piasec. *vbi sup. num. 20.* Gonzalez *ad Reg. 8. Glossa 4. num. 112.* Garzia *part. 9. cap. 2. numer. 11.* Massobrius *in Praxi requisitio. 5. dub. 2. numer. 19.* Rota *in vna Barchinon. Parochia. 29. Nouembr. 1613. coram Burato, inter eius impressas. decis. 22.*

Sacerdos præfertur alteri aliquo inferiori ordine 1333.
insignito. Rolandus *cons. 47. num. 75.* Decius *consil. 542. num. 13. & in pari attenditur quis prior assecutus fuerit sacros Ordines, & gradus.* Ioannes de Platea *in l. 2. num. 1. C. de Primice. lib. 12.* Natta *consil. 638. num. 18. & sic dispensatione non indigens præfertur indigenti.* Seraphinus *decis. 767. n. 2. p. 1.*

Beneficium nullum habens præfertur habenti. 1334.
Lambertus *part. 3. lib 2. quæst. 5. art. 3.* Carolus de Grassis *decis. 1. numer. 10.* Rota *decis. 16. numer. 7. part. 2. recentio. & in Calaguritan. Beneficij de Teiora. 9. Iunij 1621. coram Vbaldo. & in Vrbinaten. Parochiæ 12. Februarij 1629 coram Verospio.*

Si potentia diuitiarum, vel nobilitas conferat 1335.
ad comprimendos Christi aduersarios, præferendi sunt ditiores, & nobiliores tenuibus, & ignobilibus. Fernandez *in examine part. 4. n. 5. c. 4. Sed de hoc puncto iterum modo.*

Magis litteratus, & maiori habilitate præditus veluti prudentia, integritate, & maturitate. Ita Rota *apud Farinac. decis. 677. in nouiss. & decis. 628. Rursus si aliquis est valde pius, & misericors, præferendus est.* Ita Reginald. *in prax. lib. 30.* 1336.
tract. 3. num. 200. Vnde in *vna Venauentan. Paroch 13. Iun 1590. coram Orano, dictum fuit quod duobus approbatis ab examinatoribus pro æque idoneis electio vnius facta per Episcopum fuit iudicata legitima, quamuis non esset Doctor*, vel Sacerdos, nec pauper sicut alter, quia huiusmodi qualitates, *etsi sint considerabiles, tamen non faciunt digniorem pro gubernanda Parochia, cum vltra doctrinam sint maioris considerationis mores, & aptitudo ad munus iniunctum.*

Ex qua doctrina Rotæ, quæ dubio procul ve- 1337.
rissima est, constat quod vt ratione harum circunstantiarum præferatur aliquis debet esse æqualitas in aptitudine ad munus & ministerium iniunctum. Hæc aptitudo est prima radix maioris, vel minoris dignitatis. Quod si sit æqualis aptitudo cum bonis, & notis moribus, cæteræ qualitates attendendæ sunt, & ratione illarum præferendus tanquam dignior. Quod considerauit, & expressit Rota *apud. Farin. tom. 1. decis. 40. num. 2.* ibi. *Neque obstant qualitates considerata in Benedicto, quia illæ solæ non faciunt illum digniorem pro obtinenda Parochiali, quia intelliguntur cæteris paribus, & potuerunt præponderari qualitates quæ concurrebant in persona Iacobi, quod esset Philosophus, Pœnitentiarius, examinator Synodalis, & Doctor, quæ qualitas Doctoratus magna est. l. Magistros. C. de Professor. cap. Quanto. de Magistris, & cuius ratione esset præferendus vt fuit dictum in vna Ciuitatis Castelli Parochial. coram bonæ memoriæ Orano. 16. Iunij 1589.*

Sed nunquid si sit æqualis aptitudo ad mini- 1338.
sterium, ratione Nobilitatis sit quis alteri non nobili præferendus? negant Sigismundus à Bononia *de electio. dub. 32. num. 4.* Barbosa *de Potest. Episcop.*

*Episcop.p.*1. *Glossa* 17.*à num.*15.*cum sequentibus*, vbi latè probat ex Patribus quod vera nobilitas ex virtute originatur. Quare sola virtus debet esse regula maioris dignitatis. Vnde Baronius *tom.*8. *circa annum* 600. refert dictum cuiusdam iuuenis Alexandrini: *Vera*, aiebat, *nobilitas non ex sanguine, & carne, sed ex virtute animi accipit formam, & claritatem.* Et Seneca *lib.*3. *de Benefic.*
1329. *cap.*18. *Eadem* (ait) *omnibus principia, eadem origo. Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & bonis artibus aptior.*

Sed falluntur omnino isti, tum quia nobilitas sanguinis multum conducit ad rectè obeundum ministerium, & vt à subditis Parochus reuereatur. Et quidem nobilitatem maximè ad hoc conducere per se manifestum est, & latè probat Tira-
1330. quellus *de Nobilit.cap.*19.& 20. Tum etiam conducit ad fidei firmitatem, quam prædicare, & explicare tenetur fidelibus; qui enim à Iudæis, vel Sarracenis originem agnitam non trahit firmius credit, fidelius docet, & securius instruit in fide, ebullit enim semper sanguis infidelis contra fidem, vt Historiæ tam sæculares, quam Ecclesiasticæ passim referunt. Quare grauissimis rationibus moti Clemens VIII. *anno* 1600. *die* 8. *Octobr.* Et Paulus V. *anno* 1612. *die* 17. *Ianuar.* constitu-
1331. tiones edidere quibus prohibent ne in Regno Portugalliæ descendentibus ab Hebræis per lineam paternam, aut maternam vsque ad septimam generationem fiat prouisio de Canonicatibus, Præbendis, aut Dignitatibus Cathedralium, & de principalibus Dignitatibus Collegiatarum Ecclesiarum, & de Parochiis, ac earum perpetuis vicariis, cæterisque Ecclesiasticis Beneficiis curam animarum habentibus, etiam si sint Vicariæ amobiles siue seculares, siue Regulares attineant. Quod vtinam fieret in omnibus Regnis Hispaniæ.

1332. Quare sanctissima sunt statuta, vt dicuntur, plurium Ecclesiarum, vt Toletanæ, Cordubensis, Legionensis, & aliorum: similiter & Collegiorum Maiorum Complutensis, Salmanticensium, Vallisoletani, & huius Collegij Maioris Iesu & Mariæ nuncupati Hispalensis, quibus arcentur descendentes à sanguine non puro, & non admittuntur nisi descendentes à puris, & antiquis Christianis. Quod examinant valdè sancto rigore, & expedit ad conseruationem suarum communitatum; in quo rigore si informantes amore, beneuo-
1333. lentia, aut muneribus deficiant grauissimè peccant, & tanquam infideles, & parum obseruatores paternarum legum grauissima efficiuntur digni pœna, vtpote adulterantes, & cauponantes sanguinis puritatem, quæ pura conseruari debet in suo Conuentu.

Quæ doctrina valde conformis est iuri canonico, & ciuili, & Sanctis Patribus. *Cap. considerandа dist.*86. quod est Ambrosij *lib.*1. *de offic cap.*30. iuncta glossa *verbo Ingenuos cap. Statuimus*, quod est Honorij III. iuncta Glossa *verb. Potiorem. vers. sed dico. de maiorit. & obed. l. Honor. D. de muner. & honor.* vbi id expresè dicitur. Tenent D. Thom. *lect.*2. *cap.*2. *Epist. ad Hebr.* D. Bernard.
1334. *epist.*113. Stephanus Episcop. Tornacen. *epist.*150. Quare id sequuntur Cassaneus, *in Cathal. part.*8. *consider.*36. Felinus *in cap. Cum adeo num.*6. *de rescriptis.* Baldus *in cap. Statuimus num.*2. *citato.* Peña *l. Mulieres column.*4. *C. de dignit. lib.*12. vnde Tiraquell. *vbi supr. cap.*20. *num.*10. dicit quod nobilitas supplet aliqualem defectum scientiæ. Quod ego verum puto si sit eximia, & notoria.

Vnde sanctè Patronus primus alicuius Eccle- 1335.
siæ fundator instituit quod Beneficia talis Ecclesiæ solum dentur Nobilibus, aut primis, & puris Christianis, in quibus nobilitas est conditio requisita quæ facit oppositorem in Concursu digniorem, quamuis in aliis qualitatibus sit aliis non nobilibus minus dignus, & sic illi conferendum est Beneficium. Et quidem hoc esse licitum ex duplici capite potest venari. Primo. Quod isti descendentes à radice infecta excludantur præscisse ex hac causa, & ratione solius generis maculati, & sanguinis impuri, & ex hoc motiuo illos excludere, si aliàs sint boni fideles & habeant alias qualitates requisitas, nullo modo licet. Ita determinauit Synodus Toletana sub Illustrissimo DD. Ildephonso Carrillo, cuius Acta sunt in Archiuio S. Mariæ Complutensis, vbi sic habetur: *Sancta Synodo approbante omnia, & singula statuta huiusmodi, consuetudine, iuramento, & aliis pœnis roborata, irritamus, & nullius roboris, vel valoris esse decernimus, & contraria iuri, & charitati declaramus, & relaxamus quæcumque iuramenta hac occasione edita, & reprobamus, & anathematizamus omnes confraternitates, Collegia, Capitula, & cœtus in quibus in posterum tales diuisiones nationum, & generum fieri contigerit publicè, vel occultè sub quocumque colore.* 1336.

Vnde Nicolaus V. *anno* 1409. *Pontificatus sui anno* 3. edidit Constitutionem quam sub plumbo se vidisse testatur Corduba *lib.*1. *q.*53. dicens: 1337.
Omnibus, & singulis cuiuscumque status, gradus, aut conditionis fuerint Ecclesiasticis, vel sæcularibus sub excommunicationis pœna mandamus, vt omnes, & singulos ad Christianam fidem conuersos, & in posterum conuertendos seu ex Gentilitate, seu ex Iudaismo, seu ex quauis secta venerint, aut venire contigerit, & eorum posteros tam Ecclesiasticos, quam sæculares, catholicè, & secundum quod decet Christianum viuentes, ad omnes dignitates, & officia, Tabellionatus, testium depositiones, & omnia alia ad quæ alij Christiani quantumcumque antiqui admitti solent, admittant, nec propter fidei nouam receptionem inter eos, & alios Christianos discretiones faciant &c. Et ad idem probandum plura satis erudite congerit Corduba *vbi supr. concl.* 1. illam probans satis neruosè decem fundamentis.

Secundò: Huiusmodi Statuta sunt licita ex ra- 1338.
tionabili causa, & hoc negare existimo temerarium, ne dicam errori proximum, cum ita statuerint plures Summi Pontifices, confirmantes Religiones Militares, & statuta plurium Ecclesiarum, Collegiorum, Confraternitatum, & aliorum cœtuum, & Communitatum. Sic etiam pro toto Regno Portugalliæ determinarunt duo Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. Quare licitum est huiusmodi homines impuri sanguinis excludere, propter rationabilem præsumptionem de eorum reditu ad vomitum contra fidem. Et quia propter distortos ingenitos mores eorum victus, & conuersatio ingrata est, & propter maculam ciuilem communiter ex tali genere in tali Regno, aut Patria consequentem inepti ad tale munus, vel officium, aut communitatis conuictũ; sunt enim veluti infames reputati. Tum etiam, 1339.
quia probabiliter timetur ne alios subuertant in sua Communitate conuiuentes, tum propter insitum odium quod sanguine, & generatione videtur transfundi contra fidem Christianam Catholicam

licam Romanam. Quæ motiua, & innumera alia inducere poſſunt Summos Pontifices & Fundatores Eccleſiarum, Beneficiorum, Collegiorum, & aliarum Communitatum vt originarios à Secta infideli, quæcumque illa ſit, excludantur, quamuis alias Catholice viuant, & doctrina, vita, & moribus ſint condecorati.

1340. Probatur primò, quia teſte D. Thom. 1. 2. *q.* 105. *art.* 1. *ad* 4. *&* *art.* 3 *ad* 2. Sacra Scriptura Deut. 23. excluſit ſpurios ab Eccleſia, & Collegio Hebræorum vſque ad decimam generationem propter generis vilitatem, propter quam tanquam infames habebantur, & ius canonicum, tam in Decretalibus quam in ſexto illegitimos excludit ab omni Beneficio Eccleſiaſtico, & à receptione Ordinum, ergo iuſtiſſimum eſt ſtatutum quo excludantur à Collegiis, Eccleſiis, & beneficiis Eccleſiaſticis homines impuri ſanguinis, vel ex conceſſione Summi Pontificis, vel ex conſuetudine quæ deroget iuri communi admittente huiuſmodi gentes conuerſas ad Beneficia Eccleſiaſtica. Vnde *Cap. Admittuntur* 54. *diſt.* quod eſt deſumptum ex S. Leone Papa *Epiſt. ad diuerſos Epiſcopos* dicitur quod ſerui non ordinentur. Cuius rationem

1341. ſubdit ibi Pontifex, *Quia Sacrum Miniſterium talis conſortij vtilitate polluitur.* Atqui dubio procul maior vilitas eſt in ſanguine impuro, vel Iudaiſmo, aut alia ſecta infideli, & ſic arceri poſſunt ſtatuto rationabiliſſimo à conſortio & cœtu alicuius Eccleſiæ, aut Collegij ne communitas inpolluta polluatur, ne vilibus, & infamibus portæ pateant dignitatum.

Secundò probatur. Quia lex, & ſtatutum hoc fundatur in rationabiliſſima præſumptione, ne huiuſmodi homines ad vomitum redeant contra fidem, & ſic communitas, & Eccleſia infametur & inhonoretur, & ne alios ſubuertant. Quæ lex

1342. ſemper obligat, quamuis in aliquo caſu ceſſet præſumptionis fundamentum, vt tenet communis ſententia, de qua alias. Cum enim lex lata ſit in bonum commune, & vniuerſaliter, quamuis in aliquo caſu deficiat lex, non amittit ſuam efficaciam. Videantur Vaſquez 1. 2. *diſput.* 163. *num.* 19. Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 7. Salas *diſt.* 10. *ſect.* 4. *num.* 19. *&* 20. Anguianus *lib.* 1. *cont.* 3. Malderus *quæſt.* 96. *art.* 5. *&* 6. Bonacina *diſp.* 10. *q.* 2. *punct.* 8. *num.* 13. Baſilius de Leon. *tract. de impedimentis. cauſa* 31. *quæſt.* 2. §. 5. & *lib.* 5. *de*

1343. *Matrimon. cap.* 5. *num.* 7. *&* 8. & alij innumeri aſſerentes quod vt obligatio legis ceſſet non ſufficit quod ceſſet finis illius in particulari, ſed debet ceſſare in communi, & vniuerſaliter. Quod optime enucleat Pater Amicus de Amicis *tom.* 5. *de iuſt. diſp.* 7 *ſect.* 4. *num.* 3. Molinam ſecutus *tract.* 2. *diſput.* 81. & Reginaldum *in Prax. lib.* 13. *cap.* 18. *num.* 180. Thomam Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſput.* 2. *num.* 7. *&* 9. *&* *lib.* 4. *ſumm. cap.* 15. *num.* 37. ſemper enim quod non ceſſat totalis, & adæquatus finis legis, & vniuerſalis materia præſumptionis expedit bono communi quod lex ſeruetur, & ſic ſemper obligat; cum enim legiſlator poſſit obligare quod obſeruetur lex, etiamſi in aliquo particulari deficiat materia præſumptionis, cum hoc expediat bono communi, id iudicandum eſt intendiſſe, eo ipſo quod bonum commune intendit; aliàs enim campus ampliſſimus daretur non obſeruandi leges.

1344. Verum eſt quod huiuſmodi ſtatuta quatenus excludunt deſcendentes ab infidelibus Mahometanis, Iudæis, Idololatris, &c. à Dignitatibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis, non ſunt efficacia, niſi vel fiant à Papa, vel ab ipſo confirmentur. Ita Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſput.* 37. *num.* 30. & *lib.* 2. *in Decal. cap.* 28. *num.* 14. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. Sigiſmund. à Bononia. *vbi ſupr. dub.* 85. *num.* 4. Nauarra *lib.* 2. *de Reſtitut. cap.* 4. *à num.* 450. Auila *de cenſur. part.* 7. *diſput.* 4. *dub.* 4. *conc.* 5. *verſ. Sed nota.* Sayrus *lib.* 6. *de Cenſur. cap.* 13. *num.* 12. Nauarrus *lib.* 3. *conſil. de Regular. conſil* 26. Rodrig. *tom.* 1. *qq Regular. q.* 14. *art.* 1. *&* *quæſt.* 10 *art.* 3. Hieron. Rodrig. *Reſol.* 101. *num.* 17. Portel. *in dub. Regul. verbo Nouitius. numer.* 30. *verſ. Circa hos autem.* Ratio eſt, quia nemo inferior Papa poteſt aliquid ſtatuere contra ius commune. *cap. Quod ſuper his. de Maiorit. &* *obed.* atqui hoc ſtatutum contra ius commune eſt *Cap. eam te. de reſcriptis:* ergo non valet. 1345.

Vnde notat & bene Rodriguez iunior *vbi ſup. num.* 17. quod hoc ſtatutum valeat in Religione non ſufficit fieri à Capitulo habente authoritatem à Papa condendi ſtatuta, ſed neceſſario ad id requiritur ſpeciale reſcriptum, quia confirmatio ſtatutorum facta à Papa intelligitur, quatenus ipſa non ſunt contraria iuri communi, & Sacris Canonibus, cuiuſmodi eſt iſtud. Quæ doctrina val- 1346.
de notanda eſt ab Eminentiſſimis Cardinalibus Ordinum Protectoribus, ab Illuſtriſſimis Nuntiis Apoſtolicis, & à Reuerendiſſimis Patribus Vocalibus Capitulorum Generalium pro cõdendis nouis ſtatutis, quæ etſi vergãt in vtilitatem Religionis attentis circunſtantiis occurrentibus, tamen ſi ſint contra ius commune, & Sacros Canones, ſine ſpeciali Papæ reſcripto, ſaltem ore tenus dato, non valent, & peccant mortaliter illorum conditores. Et ex illorum ſtatutorum nullitate maxima oriri poſſunt inconuenientia & forſan inquietudines, & ſcandala.

Ex quibus infertur primò. Quod licet hoc 1347.
ſtatutum fiat in odium generis huiuſmodi hominum, non quidem quatenus Chriſtiani ſunt, & conuerſi, ſed quatenus facile redeunt ad vomitum & ſunt inclinati ad ſubuerſionem aliorum, cum ſit odium rationabile, adhuc ſtatutum licitum eſt; nec in hoc ſenſu loquuntur Concilij Toletani Patres, nec Summus Pontifex Nicolaus V.

Infertur ſecundò, quod etiam ſecluſo ſtatuto, 1348.
aut lege, *Nobilitas* eſt circunſtantia valde conſiderabilis, ratione cuius cæteris paribus, iuxta prudentiæ regulas eſt quis præferendus in prouiſione Beneficij curati. Probatur, quia hæc maxime ſolet conducere, vt quis decenter viuat, & vt alios conſtanter inſtruat in fide, & defendat Eccleſiam ab inimicis, vt veritatem prædicet, & ſimilia, quæ maxime conducunt ad vtilitatem Eccleſiæ, & ſubditorum profectum. Vnde Rota *in vna Hiſpalen. de Alcala. die* 28. *Ianuar.* 1608. *coram Gregorio XV. n.* 9. dicit quod teſtimonium mulierum nobilium præferatur teſtimonio virorum non nobilium, ex Tiraquello. *de nobilit. c.* 2. *num.* 33. vbi nobilitas plurimum ponderat, vt conſiderauit Crotus *conſ.* 332. *num.* 11. *lib.* 3. ergo etiam in prouiſione Beneficij.

Nec fundamentum oppoſitum aliquid probat. 1349.
Reſpondetur enim quod Patres loquuntur de Nobilitate in ordine ad finem ſupernaturalem, in ordine ad quem vera nobilitas eſt virtus, vel in ordine ad finem politicum, & ad conuerſationem, & conuictum humanum, & ſic Romani ab omnibus honoribus publicis exteros, & aliarum Religionum homines excludebant.

Resolvtio XXIII.

Vtrum in concursu semper sit præferendus dignior ab Examinatoribus, & Episcopo, ita vt electio de digno omisso digniori, sit ipso iure nulla.

Svmmarivm.

1350 *Aliud est aliquem esse ineptum, & non idoneum, aliud esse indignum.*

1352 *Ineptus ad beneficium est qui non potest satisfacere obligationi muneris ad quod eligitur.*

GRauissima est huius Resolutionis difficultas, & ad praxim tam Episcopi, quam Examinatorum valde necessaria, & continet multa valde vtilia, & scitu dignissima quæ segregatim sunt discutienda.

1350. Noto primò, Quod aliud est aliquem esse ineptum, & non idoneum, aliud esse indignum; sicut aliud est aliquem esse idoneum, & aptum, aliud esse dignum. Aptus enim, & idoneus ille est qui habet scientiam, doctrinam, & industriam ad munus ad quod eligitur; dignus vero qui morum habet probitatem, & illis dignus efficitur, vt munus illi, & Beneficium conferatur. Ita Malder. 2.2. *tract. 9. cap. 2. dub. 6.* Quę distinctio fundamentum habet in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 18. vers. Peracto.* dicens quod Episcopus eligat quem cæteris magis idoneum iudicauerit. Verum est quod maior idoneitas morum probitatem includit, aut connotat, sicut maior dignitas, tamen dignitas non includit nisi morum probitatem, connotat

1351. tamen futuram spem in Electore futuræ idoneitatis; qui enim idoneus non est ad ministerium, nec idoneus speratur futurus iure naturæ est ineligibilis; nec Pontifex potest illi conferre Beneficium, aut munus ad quod ineptus est sine spe acquirendi aptitudinem, & idoneitatem.

Vnde ineptus ad Beneficium est qui non potest

1352. satisfacere obligationi muneris ad quod eligitur & vt talis agnoscitur ab Electoribus. Ita Turrian. 2.2. *tom. 2. disp. 22. dub. 2. num. 4.* malè tamen confundit ineptum, cum indigno, & contra D. Thom. *quodlib. 8. art. 6.* vbi S. Doctor disputans hoc dubium dicit quod propter quodlibet peccatum mortale redditur quis indignus ad quodlibet spirituale exercendum. Vnde B. Clemens *epist. 2. ad Iacobum Fratrem Domini*, dicit, *Tales ad Domini Ministerium eligantur Clerici, qui dignè possint dominica Sacramenta tractare; melius est enim Domini Sacerdotis paucos habere ministros qui possint dignè opus Dei exercere quam multos inutiles* &c. Et tamen quamuis sit indignus vt eligatur propter mortale, potest esse aptus ad ministerium, & vtilis Ecclesiasticæ gubernationi. Sed de hoc iterum infra *dub. 6.* Verum est quod ipse S.

1353. Doctor explicans illud Paul. *ad Tit. cap. 2. Oportet Episcopum sine crimine esse lect. 2.* ait: *Non vult dicere Apostolus quod qui mortaliter peccat post Baptismum non possit eligi, sed quod non sit infamis. Quasi dicat quod ille qui est in peccato notorio, & famoso, estque infamis de facto, propter enormitatem, & grauitatem criminis, iste talis est prorsus indignus vt eligatur*, aut quia diu perseueraturus est in peccato. Legantur Bañez 2.2. *q.* 61. *art.* 3. *dub.* 1. Cornelius à Lapide *ad locum citatum Paul. vers. 6.* Sic etiam intelligitur Caietanus 2.2. *q.* 185. *art.* 3. *vers. in eodem artic.*

§. I.

Dubium I. An liceat aliquando eligere in Parochum, vel Episcopum hominem notoriè improbum.

Svmmarivm.

1354 *Eritne licitum aliquando eligere in Parochum, vel Episcopum hominem improbum, & prauis moribus notoriè indignum, & diffamatum concubinarium, si aliàs non reperiatur alius idoneus ad ministranda Sacramenta?*

1356 *Id iure naturæ est omnino illicitum.*

1357 *Deus nunquam ita deserit Ecclesiam suam quin inueniantur idonei ministri sufficienter ad necessitatem plebis.*

1361 *Respondetur ad fundamenta opposita, & num seqq.*

INquires: Erit ne licitum aliquando eligere in 1354.
Parochum, vel Episcopum hominem improbum, & prauis moribus notoriè indignum, & diffamatum concubinarium, si aliàs non reperiatur alius idoneus ad ministranda Sacramenta? Affirmat Peyrinis *tom. 1. de Subdito q. 1. cap. 31. §. 3. conc. 3.* pro qua citat Aragon, sed malè vt videbimus. Probat quia hoc casu non esset eligere indignum, sed prouidere bono communi, ad quod Electores tenentur, cui nec aliter, nec alio modo consulere possunt. Etenim quamuis electus administraturus sit Sacramenta indignè, tamen electores ad hoc non concurrunt, sed solum permittunt, sicut permittuntur meretrices ad euitandum maius malum, & sicut qui petit mutuum ab vsurario qui non dabit nisi cum vsuris, & petit Sacramenta à Parocho, quem scit ministraturum in mortali. Et ratio à priori est, quia electus potest 1355.
in gratia, si conuertatur ad Dominum, ministrare. Quod si non conuertatur, & in peccato ministret culpa sua est, non electorum, qui solum attendunt in illa necessitate prouidere bono animarum, quæ indigent administratione Sacramentorum ad salutem.

Sed ego existimo id iure naturæ esse omnino illicitum, & mortaliter peccare Episcopum, si 1356.
istum diffamatum, & notorium peccatorem eligat. Ita Malderus, *vbi suprà §. quares secundo*, & est expressa sententia D. Thom. *in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4.* vbi id multis, & vrgentissimis rationibus confirmat, primò. Quia electo ad Beneficium curatum est dispensator fidelis quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis tritici mensuram, & ideo infidelitatis reus est qui aliter supra mensuram eius diuina tradit: hoc autem facit quicumque indignum promouet, & ideo mortale crimen committit, quasi summo Domino infidelis & præcipuè cum hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat, & honoris diuini, qui per bonos ministros promouetur.

Secundò, Quia Deus nunquam ita deserit Ec- 1357.
clesiam suam qnin inueniantur idonei Ministri sufficienter ad necessitatem plebis si digni promoueantur, & indigni repellantur, & si non possint tot Ministri inueniri quot modo sunt melius

esset

esset habere paucos Ministros bonos, quam multos malos vt dicit Clemens *cap. Tales 23. distinct.* Quare casus ille quem aduersarij ponunt ex vi præsentis prouidentiæ admittendus non est, in rebus enim moralibus non est discurrendum, nisi humano modo, & ex vi præsentis prouidentiæ, & non recurrendum ad casus metaphysicos.

1358. Tertiò, quia huiusmodi hominem publice peccatorem, & notorium criminosum de quo non habetur spes emendæ eligere in Parochum & Episcopum est illum applicare ex vi electionis ad exercendos actus in peccato mortali ad populum scandalizandum mala vita, & pessimo exemplo, ergo ista electio ita est intrinsece mala quod in nullo casu licita sit. Consequentia est clara, & antecedens est edoctum à Paulo 1. *ad Timoth.* 5. *n.* 22. *Nemini manus cito imponas, nec communicaueris peccatis alienis.* Quasi dicat Paulus, vt explicant omnes Patres & videre est in Cornelio *ibi num.* 76. *Particeps eris omnium peccatorum, & scandalorum, quæ talis electus committet.*

1359. Quam explicationem approbauit Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 1. his grauissimis verbis: *Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, &c.* ergo multo magis communicabit peccatis alienis si indignum, & scandalosum ministrum elegerit in Parochum. Vnde Sanctissimus Gregorius magnus *in Pastor. lib.* 1. *cap.* 1. dixit: *Nemo amplius in Ecclesia nocet quam qui peruerse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer ex-*
1360. *tenditur, quando pro reuerentia Ordinis peccator honoratur.* & *Homil.* 11. *in Euang. Cuius vita despicitur necesse est vt & prædicatio eius contemnatur, & eadem ratione omnia spiritualia ab eis exhibita.* Addit S. Thom. est ergo intrinsece malum, non secus ac periurium, huiusmodi indignum in Parochum eligere, cui committatur ouium cura, nisi sit proxima spes emendæ post collatum Beneficium.

1361. Nec fundamenta opposita aliquid probant, respondetur enim quod si sciatur indignitas præfata, etiam si nullus alius sit de præsenti idoneus, est proprie eligere indignum, & sic Electores ex natura, & vi electionis participes fiunt omnium peccatorum, & scandalorum electi indigni. Et sic nullo modo neque in aliquo casu licet eligere illum qui est in publico peccato, & notorio scandalo nisi concipiatur spes emendæ, *vt infr. dub.* 6. *iterum dicam*, quod si non concipiatur, relinquendū est diuinæ Prouidentiæ quæ non deficit in necessariis ad salutem animarum vt aiebat D. Thom. Quare Elector tenetur cauere ne electus scandalizet, etiam si sit inter Hæreticos, & in locis montuosis, in quibus non est constituendus Pastor qui publico, & scandaloso veneno sit infe-
1362. ctus, & in eo perseuerat; amplius enim nocebit peruerse viuens, quam proficiet Sacramentorum administratione, in qua venenum scandali insitum ministrabit.

Neque est simile de meretricibus quæ iam sunt constitutæ in sua mala vita, quas permittit Respublica ad euitandum maius malum, nec eas in occasione se prostituendi constituit, sicut constituerent electores eligendo publicum peccatorem ad munus Pastoris animarum. Similiter dicendum est de illo qui à publico vsurario mutuum, & à Parocho Sacramenta petit, etiam si sciat cum 1363.
peccato administraturum; petens enim vtitur iure suo ad succurrendum necessitati; aut spirituali, aut corporali. Quamuis enim publicus, & scandalosus peccator possit conuerti ad Dominum, & auertere scandalum digne administrando Sacramenta; tamen si de hoc spes certa non concipiatur nullo modo licita est electio, sed valde scandalosa, & pernicioſa Ecclesiæ. Et quis dicat quod etiam in extrema necessitate liceat eligere in Parochum publicum venditorem Sacramentorum, aut publicum solicitatorem in Confessione, etiam si non essent Diplomata Apostolica, quibus hoc delictum subditur Inquisitoribus? apage! & tamen hunc posse eligi in casu illo necessitatis probant argumenta opposita.

Quare hoc est discrimen notandum ab Elec- 1364.
toribus, siue in electionibus Regularium, aut in aliis concursibus Ecclesiæ Parochialis, quando sunt alij probatæ vitæ nullo modo licet, etiam si concipiatur spes certa emendæ eligere publicum peccatorem vitæ scandalosæ; at quando solus est publicus hic peccator, si de illo concipiatur spes certæ emendationis vitæ, potest eligi, sicut potest absolui; at quando spes ista non concipitur, sicut non potest absolui non potest eligi. Et sicut si non adsit spes quod emendabitur, in nullo casu licita est absolutio, ita in nullo casu licita est electio; maius enim damnum afferret ouibus veneno malæ vitæ, quam vtilitatem administratione Sacramentorum. Legantur Azor *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *q.* 9. & 10. Bañez, & Aragon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Ledesma 1365.
p. 2. *summ. tract.* 7. *cap.* 2. *concl.* 2. *dub.* 4. Verum est est quod si Electores adhibitis diligentiis prudentibus ignorent inuincibiliter malum statum electi, & eius indignitatem nullo modo peccabunt: secus si eligant non adhibitis diligentiis. Ita Panormitan. *cap. Bonæ memoriæ el.* 2. *num.* 15. *de Potest. Prælator.*

§. II.

Dubium II. An si quis sciat sub sigillo aliquem indignum, possit, & teneatur negare suffragium?

SVMMARIVM.

1366 *Elector si sciat sub sigillo esse indignum eligendum; an possit, & teneatur suffragium illi denegare & n seqq.*
Sigillum duplex, naturale nimirum, & Confessionis ibid.
1370 *Affertur prima sententia & n. seqq.*
1379 *Secunda sententia traditur & n. seqq.*
1388 *Iudicium Auctoris, & n.* 1389. & 1391.
1397 *Respondetur ad fundamenta primæ sententiæ, & n seqq.*
1401 *Respondetur ad argumenta secundæ, & n. seqq.*

SI tamen aliquis Elector sub sigillo sciat esse indignum eligendum, dubium non paruum est, an possit, & teneatur elector suffragium illi denegare, ne Beneficium, aut officium Regulare 1366.
habeat. Et quidem sigillum duplex est, aut naturale sub quo quis celare tenetur ea quæ sub secreto illi committuntur, vel ex natura rei, quia res digna est vt celetur quia eius manifestatio cedit in graue proximi damnum, vel quia committens

tens ſecretum facit ſub ſigillo; aut ſigillum eſt confeſſionis, & hoc dupliciter, aut quia aliquis eſt confeſſor cui confeſſa ſunt peccata, aut quia eſt interpres per quem quis Sacerdoti confitetur.

1367. Et quidem ſi quis ſub naturali ſigillo ſcit aliquem eſſe indignum, vel hæc indignitas oritur ex morum prauitate, quorum emenda non ſperatur, & exiſtimo quod quamuis indignitas ſit occulta, poteſt negare ſuffragium, non tamen tenetur, niſi timeatur aliquod graue ſcandalum, aut damnum tertij, aut communis boni; ſi enim hoc non timetur, poteſt, vt dixi, ſuffragium pro illo ferre; non enim tenetur vti ſcientia quam ſecreto acquiſiuit. Aut indignitas oritur ex aliquo impedimento canonico irritam reddente electionem, vt quia illegitimus, irregularis, &c. & tunc exiſtimo quod tenetur denegare ſuffragium, quia

1368. ſciens *vt homo* inualidè eligit incapacem; quamuis ſciat mane futurum capacem per diſpenſationem, aut per hoc quod accipiat tonſuram ſine diſpenſatione eſt incapax Beneficij: aut profeſſionem validam faciat, ſine qua eſt incapax officij Regularis cum iuriſdictione. Ita Siluius 2.2.*q.*63. *art.*2.*quæſt.*1.*verſ. petes primo.* Azor *part.*2. *lib.*6. *cap.*2. *quæſt.*4. Quod enim ab initio fuit nullum de iure, nullo temporis tractu conualeſcit, vt dicitur *reg.* 35. *de reg. iur. in* 6. & ſic ſemper manebit nulla electio, & electus abſque titulo exercendi officium, & percipiendi fructus, & ſic dubio procul graue crimen eſt electoris hunc incapacem eligere ſciendo eius incapacitatem.

1369. Si vero quis ſciat aliquem eſſe indignum per confeſſionem ſiue indignitas oriatur ex impedimento irritante, ſiue ex morum prauitate, in foro tamen externo dignus, & forſan dignior aliis reputatur, grauis difficultas eſt. In qua plures exiſtimant quod poteſt quis negare ſuffragium, non tamen tenetur. Et quidem quod poſſit negare tenent D. Bonauentura *in* 4. *diſt.*21. *p.*2.*art.*2. *q.*1. *num.*62. Paludan. *quæſt.* 3. *art.*3. Capreolus *q.* 2. *art.*3. *ad* 8. Deza *quæſt.*2. *art.*2. *ad* 8. D. Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 12. §.2. Medina *tract. de confeſſ. q. de his quæ à confeſſore*, &c. §. *corollarie* Sotus *in* 4. *diſt.*18. *quæſt.*4. *art.*5. *ad finem.* Ledeſma 2. *p.*4. *quæſt.*10. *art.*5. *dub.*4. Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. diſput.*67. *ſect* 3. *& tom.*4. *diſp.*35. *ſect.*7. Sylueſt. *verb. confeſſio* 3. *q.* 14. Tabiena *verb. confeſſionis celatio num.* 5. & alij plures quos citat, & dicit eſſe probabiliſſimum Sanchez *lib.*3. *de Matrim. diſp.*16. quos non potui videre. Quibus addo Peyrinis *de ſubdito quæſt.*1. *cap.* 31. §.2. Tannerum *tom.*4. *diſp.*6. *quæſt.*9. *dub.*6. *n.*140. Ochagauia *de Sacramentis tract.*3. *de ſigill. q.*7. *num.*2. Vaſquez 3. *p. q.*93. *art.* 4. *dub.*7. *&* 8. D. Thom. *quodlib.*5. *q.*6. *art.* 13. vbi id expreſsè videtur tenere, imo addit quod eſt obligatus Superior ad deponendum priorem, ſi eſt conſuetudo quod poſſit abſque culpa deponi ex notitia indignitatis habita in confeſſione.

1370. Sed quod non tenetur vti tali notitia ad negandum ſuffragium tenent Peyrinis *vbi ſuprà conc.*2. Sanchez *num.*7. Rodriguez *tom.*2. *qq. regular. q.*53. *art.*4. Sylueſter *verbo confeſſio* 3. *n.*9. *quæſt.*14. *verſ. Sed ego credo.* & quod magis eſt id videtur tenere D. Thom. *in* 4. *diſt.*21. *q.*3. *art.*1. *quæſtiunc.*1. *ad* 3. quem ſequuntur Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 8. *art.*1. *num.*20. Ludouicus Lopez 2. *part. inſtructorij cap.*96. *quæſt.*1.

1371. Prima huius ſententiæ pars probatur. Primò, quia confeſſor antequam audiret pœnitentem habebat ius liberum eligendi, aut non eligendi: ergo etiam ſi in confeſſione ſciat indignum, ſemper perſeuerat illud ius, & ſic poteſt non eligere, aut amouere ab officio, aut Euchariſtiam denegare; ſicut enim ante confeſſionem ſi confeſſor negaret ſuffragium irrationabiliter conquereretur pœnitens, ita etiam erit irrationabilis querela ſi neget poſt confeſſionem; aliàs enim indignus poſſet vti hac cautela, ſcilicet confiteri cum illo qui 1372.
aliàs ex aliis motiuis erat pronus ad negandum ſuffragium, vt audita confeſſione non neget, ſi vti non poteſt notitia habita in confeſſione.

Secundò, quia ex vi ſigilli confeſſionis ſolum tenetur quis ad non manifeſtandum quod quis commiſit aliquod peccatum in ſpeciali, etiam veniale, ſiue manifeſtatio ſit directa, ſiue indirecta, ſiue proxima, ſiue remota, vt omnes fatentur: ergo ſi quis ex notitia habita in confeſſione abſque aliqua manifeſtatione ex dictis poteſt euitare malum ſiue pœnitentis, ſiue alterius proximi, ſiue communitatis nullo modo impe- 1373.
ditur vti tali notitia; aliàs ſi quis putatus Sacerdos cum quo ſolitus ſum confiteri mihi confiteatur non eſſe verum Sacerdotem non poſſem vti tali notitia vt amplius cum illo non confitear. Similiter ſi ego ſcirem ex confeſſione Petrum me occiſurum ſi vt ſoleo noctu ad ianuas domus aſſiſterem, non poſſem non aſſiſtere vtendo notitia confeſſionis, quod dicere abſonum eſt: ergo ſi ſciam Petrum eſſe indignum Parochiali damnumque maximum allaturum ouibus, & Eccleſiæ non poſſem illi negare ſuffragium.

Tertiò, quia licet confeſſor ea quæ ſcit in 1374.
confeſſione noſcat vt Deus cuius Vicarius exiſtit *cap. ſi Sacerdos de offic. indi. ordin.* tamen cum ſcientia iſta in homine ſit, negari nequit quod ſit ſcientia humana, atque ita deſeruire poteſt homini ad ſuos actus dirigendos, quando hæc externa directio, & gubernatio non generat ſcandalum, aut vergit in damnum pœnitentis. Tum quia ſiue electio fiat ſecretis ſuffragiis, ſiue Beneficium detur in voce non declarat elector negare ſuffragium ob indignitatem agnitam in confeſſione, cum id poſſit ex aliis motiuis. Tum 1375.
etiam quia quamuis aliquis rubor, & confuſio accreſcat pœnitenti, non eſt magnum detrimentum, aut exprobratio virtualis ſui peccati, cum id in nullo medio gubernationis externæ ex vi ſua declaretur quod negatio ſuffragij ſit ob crimen agnitum in confeſſione. Quare rubor ille ex diſcurſu pœnitentis oritur, & non ex actione confeſſoris; rubor autem, & confuſio iniquitati dumtaxat pœnitentis tribuenda ſunt.

Quartò: quia de fide eſt licitam eſſe caſuum 1376.
reſeruationem, vt ſancitur in Trid. *ſeſſ.*14. *cap.*4. atqui finis principaliter intentus in hac reſeruatione eo tendit vt Superiores prudentiores, & vigilantiores euadant in ſua gubernatione ex notitia habita in confeſſione: ergo illa vti licitum eſt.

Secunda pars huius ſententiæ quod ſcilicet non tenetur elector vti tali notitia probatur Primò, ratione D. Thom. *in* 4. *diſt. & loc. cit.* vbi ſic loquitur: *Abſque læſione conſcientiæ poteſt Prælatus impunitum relinquere peccatum quod ſcit vt Deus vel ſine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remediũ niſi eo modo quo ad ipſum defertur. Vnde in his quæ deferũtur ei in foro pœnitẽtiæ in eodẽ foro debet quãtũ poteſt adhibere remediũ, vt Abbas in caſu prædicto admoneat eũ* (ſcilicet priorem) 1377.

vt Prioratum reſignet, vel ſi noluerit, poteſt ex aliqua alia occaſione abſoluere à cura Prioratus; ita tamen quod omnis ſuſpicio vitetur de confeſſionis reuelatione. Hæc ibi.

1378. Secundò, quia non tenetur quis ad eligendum medium valde difficile, & arduum, & ex natura ſua grauiſſimo periculo expoſitum. Tale eſt medium vtendi notitia habita in confeſſione, cuius vſus etſi ſpeculatiuè licitus ſit, tamen in praxi magna cautela eſt opus, requiruntur que tot circunſtantiæ vt vix fas ſit ea ſcientia vti, vt ait Sanchez *n.* 7. ergo quamuis quis poſſit, non tamen tenetur ea ſcientia vti, ſicut qui cum voto caſtitatis contraxit Matrimonium, etſi poſſit illud implere per ingreſſum Religionis intra bimeſtre, tamen non tenetur.

1379. Oppoſita ſententia eſt aſſerentium non eſſe licitum vſum ſcientiæ habitæ in confeſſione (non ſolum quando eſt periculum proditionis ſigilli ſiue directè, ſiue indirectè; ſed etiam quando cederet rationabiliter in pudorem, & confuſionem pœnitentis) ad denegandum ſuffragium illi qui in illo foro faſſus eſt ſuam indignitatem; ſi vero licitus eſt huius ſcientiæ vſus tenetur elector ſub mortali ſuffragium denegare. Ita Sanch. *vbi ſup. n.* 4. Fagund. *præcep.* 2. *Eccl. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 1. dicens hanc ſententiam eſſe vtraque manu apprehendendam. Bañez 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. §. *ad confirmationem.* Suarez 4. *tom. in* 3. *p. diſp.* 33 *ſect.* 3. *n.* 4. dicens eſſe longè ſecuriorem, & rationi valde conſonam. Cardinal. Lugo *diſp.* 23 *de pœnit. n.* 93. dicens *poſt Decretum Clement. VIII. quod anno* 1594. *die* 26. *Maij edidit neſcio quo pacto prior ſententia ſuſtineri poſſit.* Diana *p.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 3. dicens hanc ſententiam

1380. prorſus tenendam. Granado *tom.* 2. *in* 3. *p. contr.* 7. *tract.* 11. *diſp.* 7. vbi explicat Decretum Reuerendiſſimi pariter & prudentiſſimi Patris Generalis Aquæuiuæ quod edidit *anno* 1590. quod non ſolum prohibet vti ſcientia habita in confeſſione, ſed etiam ſtrictiſſime præcipit, *Vt omnes Superiores diligenter caueant ne vel ipſi vel noſtrorum aliquis ſupradictam doctrinam vſquam introducant, nec illam publicè, aut priuatim doceãt, nec ea vtantur vllo modo, niſi fortè de pœnitentis licentia.* Bonacina *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 6. *ſect.* 5. *punct.* 4. *n.* 8. Barboſa *ad cap. ſi Sacerd. de poteſt. iud. ordin. n.* 4. Toletus *in ſumm. lib.* 3 *c.* 16. *n.* 5. & Andreas Victorellus *ibi in adnotat. verb. confeſſario.* Hieron. Onuphrius *de ſigillo ſect.* 4. *q.* 7. *dub.* 3 *pag. mihi* 309. Valentia 3. *part. diſp.* 7. *quæſt.* 13. *punct.* 3. Villalobos *p.* 2. *tract.* 9. *difficult.* 75. *num.* 1. & multi alij.

1381. Huius ſententiæ fundamenta plura adducit Sanchez, & ex ipſo qui poſt ſcripſere. Præcipua ſunt primum. Quia ideo tam ſtrictum eſt inſtitutum à Chriſto Domino Sacramenti huius ſigillum, adeo quod nec pro ſalute, & remedio totius mundi, & cum periculo vitæ licitum ſit reuelare peccatum mortale, nedum veniale auditum in confeſſione, ne Sacramentum tam ſalutare odioſum, & formidabile fiat; retardarentur namque homines ſua peccata propalare confeſſoribus; atqui ſi pœnitẽtes iudicarent antecedenter poſſe Superiores vti notitia habita in confeſſione ob quam notitiam poſſent priuari officio poſſeſſo, acquiſitione ordinum, & ſibi negari ſuffragia vel ad profeſſionem, vel ad communes honores, & commoda quibus in foro externo

1382. omnino eſt dignus, & forſan dignior aliis, dubio procul formidabile, & odioſum redditur Sacramentum. Quare (ait Diana vbi ſupr.) *opus eſt vt nec doceatur, nec in practicam adducatur doctrina primæ opinionis, vtpote periculoſa, & nocina honori ac Religioni Sacramenti.*

Secundum, quia vt optimè Armilla *verb. confeſſio n.* 7. eſtque ab omnibus admiſſum, & traditur *cap. ſi Sacerdos cit.* nihil poteſt agere confeſſor propter quod poſſit pœnitens retrahi, & taliter ſe debet habere ac ſi de eo vnquam aliquid in confeſſione audiſſet. Vnde eſt indubitatum pra- 1383.
cticè Sacerdotem ex vi ſigilli non ſolum non poſſe aliis reuelare peccatum confeſſum, ſed tenetur nullo modo de ipſo loqui cum pœnitente extra confeſſionem, quia quamuis hoc non ſit propriè fractio ſigilli, eſt tamen quoddam genus reuelationis, vt docent omnes citati pro vtraque ſententia: ergo etiam non eſt licitum vti notitia habita in confeſſione ad gubernationem actus externi; hoc enim eſſet quædam virtualis criminis exprobratio cognita ab ipſo pœnitente qua retrahitur à ſuauitate qua inſtitutum eſt hoc Sacramentum, quod aliàs eſt valde durum hominum naturæ, & conditioni, cum enim Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. dicat pœnitentes debere recurrere pro ab- 1384.
ſolutione caſus reſeruati ad ſuperiorem, *Quid granius, & intolerabilius, attenta humana fragilitate imponi poſſit?* (ait Thom. Sanch. *ſi ſuperioribus fas eſſet ſcientia confeſſionis vti ad externam gubernationem, & ad priuandum ſubditos honoribus, officiis, & aſcenſu ad ea cum non tanto impetu lapis feratur ad centrum quanto humana fragilitas hæc appetit.*

Tertium, quia vt idem doctor dicit *n.* 4. magis vti- 1385.
le eſt, & fauorabilius Sacramentum pœnitentiæ, quam Matrimonij, cum hoc ſit voluntarium, conuertiturque ſolum primario in bonum temporale prolis; illud tamen eſt neceſſarium, & in eo agitur de æterna animæ ſalute, & ne ab hoc vnico remedio ſalutis pœnitentes retrahantur ſi in peccatum lethale prolabantur: atqui ſi agatur de opinione quæ eſt in fauorem matrimonij ſequenda eſt, etiam ſi illam ſuſtineat vnus Doctor, dummodo non ſit textus in contrarium expreſſus, & nitatur probabili ratione vt eſt certa Canoniſtarum ſententia, quos refert, & ſequitur Tho. Sanch. *li.* 1. *de Matr. diſp.* 18. *n.* 7. & ſequitur Barboſ. *ad c. fin. de ſent. & re iud. n.* 3. ergo cum tot ſint Authores, & adſit Decret. Pontific. quod nullo modo vtatur notitia habita in confeſſione, cũ hoc ſit valde fauorabile ſalutifero Sacramento Pœnit. hæc opinio ſequẽda eſt in praxi. & oppoſita omnino reiiciẽda.

Quod vero ſi huius ſcientiæ vſus licitus ſit, te- 1386.
neatur Superior ſub mortali illa vti, & negare ſuffragium, amouere ab officio manuali, vt Ianitoris, Prioratus amobilis, &c. probatur quia ita expreſsè tenet D. Thom. *quodlib. cit.* Vnde *in* 4. *diſt.* 9. *q. vnic. art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* dicit quod ſi Sacerdos ſciat in confeſſione aliquem indigne accedere ad Euchariſtiam, & occultè accedat, debet ei denegare Euchariſtiam. In quo conueniunt fere omnes antiqui Scholaſtici, Palud. *q.* 3. *art.* 3. Durandus *q.* 5. Adrianus *q.* 5. *poſt dubium* 9. D. Bonauent. *diſt.* 21. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *n.* 60. Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 21. *art.* 6. *dub.* 3. Sylueſt. *verb. Euchariſt.* 3. §. 5. Tabiena *verb. communicare n.* 59. Victoria *verb. Euchariſtia n.* 80. Antoninus 3. *p. tit.* 17. *c.* 22. §. 1. Alenſis 4. *p. q.* 49. *memb.* 1. quamuis recentiores quos citat, & ſequitur Bonacina *de Sacrament. in gener. diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 4. *num.* 4. contrarium ſentiant.

Secundò probatur eadem ſecunda pars quia 1387.
quando

quando quis potest euitare damnum communitatis tenetur illud euitare sub mortali, quia omnes tenentur bonum commune conseruare, atqui quod indignus eligatur, aut retineat Beneficium cedit in maximum damnũ boni communis: ergo si quis sine offensione sigilli Sacramẽti potest vti scientia confessionis tenetur ea vti, & non eligere.

1388. De materia huius resolutionis supra tract. 6. resol. 32. latè tractaui, grauitas tamen illius me coëgit, vt iterum de illa sermonem instituam. Et quidem mihi indubitatum est quod quantum est ex natura rei, & ex vi institutionis sigilli Sacramentalis, si nec directè, nec indirectè, mediatè, vel immediatè non reueletur peccator, potest confessor vti notitia habita in confessione. Ita Doctores pro prima sentent. & qui adducti sunt pro secunda parte secundæ. Estque expressa sententia D. Tho. *in loc. omnibus citat.* Quare quando 3. *p. q.* 80. *art.* 6. *& q.* 81. *art.* 2. dicit, quod peccatoribus occultis non est deneganda Eucharistia loquitur de peccatoribus occultis publicè petentibus, non si occultè petant. Et hoc, me quidem iudice, manifestè probant argumenta appositа pro prima sententia, præcipuè tria priora. Quare iure optimo P. Tho. Sanch. dixit hanc sententiam esse probabilissimã.

1389. Secundò existimo quod Capitulum Generale alicuius Religionis, vel Generalis, si iste solus potest ferre leges, potest statuere quod Superiores nullo modo vtantur notitia habita in confessione in ordine ad gubernationem externam. Sicut Sanctiss. Clem. Papa VIII. id suo diplomate sanciuit pro vniuersis Regularibus; qua lege supposita peccãt mortaliter electores qui vtuntur notitia habita, denegantes suffragium ad honores, quibus pœnitens est dignus in foro externo. Ita Suarez *vbi sup.* Vasq. & Villalob. *vbi sup.* & multi alij, & sequuntur Authores secundæ sententiæ. Ratio est, quia Religiosi valde inhiant ad officia, & dignitates, & sic si scirent quod in practica possunt Superiores, & electores vti notitia habita in confessione, dubio procul retraherentur à Sacramento pœnitentiæ, quod illis valde odiosum redderetur, dareturque ansa dimidiandi confessiones cum

1390. magno sacrilegio. Quare sanctissimè Reuerendiss. Pater Aquauiua pro sua Religione, & Clem. VIII. pro vniuersis Regularibus sanxerunt quod nullo modo doceretur posse vti in externa gubernatione notitia habita in confessione ex cuius vsu valde ingentia incommoda oriuntur, propter quæ in Religionibus ex vi Decreti Clem. VIII. oppositа est practicè improbabilis, quia est cõtra legẽ iustã.

1391. Tertio existimo quod electores sæculares, si electio fiat secretis suffragiis, si possunt vti notitia habita in confessione tenentur negare suffragium illi cuius indignitatem nouerunt in confessione. Ita tenuerunt fere omnes antiqui loquentes de peccatore occulto occultè petente Eucharistiam cuius receptionis incapacitatem nouerunt in confessione, & non est moralis certitudo quod ablata sit. Ratio est. Primò, quia electores sæculares vel respectu sæcularium non obligantur lege Clem. VIII. quæ lata est solum pro Regularibus. Quare cum possint vti scientia indignitatis subiecti habita in confessione tenentur sub mortali ea vti ad euitandum ne Ecclesiæ, aut communitati Minister malus, & indignus detur; elector enim ex obligatione iustitiæ tam distributiuæ, quam commutatiuæ tenetur non eligere illum quem scit indignum: neque enim si Confessor potest vti scientia habita in confessione eo modo quo potest, est medium arduum, imo facillimum, si adsit prudentia, & cautela vt suppono, qua suppositа nullo periculo reuelandi confessionem est expositum.

Dixi si electio fiat secretis suffragiis; si enim 1392. publicè fiat, & per vota publica, vt solent fieri multæ nominationes aliquorum officiorum, & Beneficiorum existimo quod licet aliquando esset licitum vti tali scientia, in hoc casu nullomodo est licitum; est enim manifesta exprobratio virtualis criminis quæ fit ipsi pœnitenti, quæ nullo modo celari potest, esseque sufficiens motiuum ad ipsum retrahendum à confessione, & ad ipsam odiosam reddendum. 1393. Vnde si examinatores Synodales approbent idoneum per publica suffragia non possunt vti scientia habita in confessione: secus vero si per fabas nigras, & albas. De quo infra.

Sed notandum quod non tenetur quis vti notitia habita in confessione indignitatis subiecti, etiam si possit. Primò, quando scit emendatum 1394. siue in scientia, siue in moribus. Secundò, quando habet probabilem spem emendaturum in breui, & aliàs est bene litteratus, & expeditus in negotiis pro vtilitate Ecclesiæ, & fidelium. Tertio, quando est probabile orituras inimicitias graues. Quartò, quando est probabile electori aliquod damnum notabile, siue in honore, siue in vita, siue in re familiari.

Si tamen indignitas subiecti proueniat ex ali- 1395. quo impedimento canonico quod quis agnouit in eligendo, vt est irregularitas, excommunicatio, illegitimitas, & similia, de quibus in Superioribus si fiat electio secreta, suppositо quod quis possit vti tali scientia tenetur negare suffragium, sicut Parochus sciens impedimentum dirimens, si secreto petant contrahentes coniungi, non tenetur eos coniungere: secus vero si publicè id petant, vt tenet Thom. Sanch. *vbi sup. n.* 9. *&* 13. Sed hæc distinctio in Parocho hodie mihi non placet, quia post Trid. semper publicè, & coram testibus petitur coniunctio contrahentium. Quia 1396. tamen dixi licitum esse ex natura rei vti sæculares electores scientia habita in confessione, sentio quod si eligendus sit incapax ob censuram, & illegitimationem potest elector, imo tenetur, negare suffragium secretum, secus publicum. Vnde cum Episcopus semper eligat publicè, quia ipse solus eligit digniorem, non potest ob notitiam habitam in confessione non eligere, si aliàs eligendus in foro externo est dignior, nisi Episcopus aliàs habeat occasionem aliam externam non eligendi.

Quia tamen fundamenta vtriusque sententiæ nostræ determinationi contrariari videntur, soluenda sunt quatenus contraria. Ad primum primæ 1397. respondetur probare primam nostram conclusionem; non enim conqueri potest pœnitens quod quis actionem exteriorem quam aliàs libere potest facere confessor imperet scientia quam habet ex confessione, cum hoc imperium sit pure internum. Vnde ex illo non manifestatur pœnitens. Ex quo patet.

Ad secundum, & exempla ibi adducta quæ indubitata sunt apud omnes, clare confirmatur nostra conclusio; si enim non esset licitum ex natura rei vti scientia præfata, quia opponitur sigillo confessionis, & honori Sacramenti, in nul- 1398. lo casu id liceret, etiam cum periculo vitæ.

Ad tertium respondetur, quod si nominatio, aut electio fiat publice est quædam notoria virtualis expro-

exprobratio criminis, & ratione illius fit odiosa confessio, sicut occultum peccatorem publicè petentem Eucharistiam non possum illi eam negare vt est omnino certum, & docet expressè
1399. D. Thom. 3. *part. q.*80. *art.*6. *& q.*82. *art.*2. quod Christus confirmauit exemplo suo dum Iudam peccatorem occultum in publico non negauit corpus suum. Quare rubor ille, & confusio pœnitentis non oritur præscisse ex suo discursu, sed ex actione publica, & externa confessoris, quæ est virtualis exprobratio publica criminis.

Ad quartum respondetur quod casuum reseruatio non est introducta in Ecclesia ob illum finem vt scilicet Superiores vtantur notitia confessionis in externa gubernatione; contrarium
1400. enim declarauit Summus Pontifex Clem. VIII. sed vt obligatione adeundi Superiorem pro Beneficio absolutionis retraherentur subditi à peccatis.

1401. Ad primum pro secunda parte respondetur D. Thomam loqui quando adhibendum est remedium publicum, quale est amotio à Prioratu etiam amobili; hæc enim si non præcedat aliqua rationabilis occasio, est quædam criminis exprobratio, quæ rationabiliter in foro externo facit odiosam confessionem, vt vidimus. Quare si non subsit alia causa non potest Abbas Priorem amouere ex notitia habita in confessione, si tamen subsit, tenetur illum amouere.

1402. Ad secundum respondetur quod iam constat ex dictis, qualiter illud medium non est arduum nec expositum periculo reuelandi confessionem, si adsit prudentia. Neque exemplum ibi adductum est ad rem, quia ille qui cum voto castitatis contraxit non tenetur priuare alterum coniugem iure suo: at Elector tenetur euitare damnum Ecclesiæ; & Communitatis.

1403. Ad primum secundæ sententiæ respondetur probare nostram secundam conclusionem, quod scilicet ex lege positiua humana non possint Regulares vti scientia habita in confessione. An vero lex ista obliget in casu in quo aliquod magnum scandalum, aut communitatis notabile damnum siue in fama, siue in re familiari timeatur, existimo non obligare; si vero timor rationabilis sit, & non ortus ex passione, aut zelo indiscreto.

1404. Ad secundum respondetur concedo antecedens, quia locutio est actio externa, & si sit de peccato cognito in confessione, extra illam est virtualis illius manifestatio, qua pœnitens confunditur, & rubore afficitur; at quando actio externa ex natura sua non est manifestatiua peccati, sed solum imperatur à scientia omnino interna, quod imperium etiam est omnino occultum, nullatenus est virtualis criminis exprobratio.

1405. Ad tertium respondetur probare optimè valde rationabile esse Decretum Clementinum pro Regularibus, & esset etiam valde conueniens quod simile fieret pro omnibus, etiam sæcularibus, propter periculum vtendi male illa scientia, tamen non probat quod ex natura rei id sit illicitum, cum ex natura rei, & in foro conscientiæ possit esse vsus ille absque periculo practico faciendi odiosam confessionem, & quod rationabiliter retrahantur à confessione. Ea autem quæ adducuntur in confirmationem secundæ partis huius sententiæ probant nostrum tertium dictum.

1406. Si vero quis sciat indignitatem subiecti, non tanquam confessor, sed tanquam interpres confessionis, dubium est an iste teneatur sub sigillo Sacramenti celare peccata pœnitentis, affirmat Diana *part.*5. *tract.*11. *resolut.* 48. multis citatis Quare si Regularis est non poterit vti notitia habita ad denegandum suffragium cognitum ex vi illius indigno. Sed quod non teneatur sub sigillo Sacramenti propriè loquendo, est expressa sententia D. Thom. *in addition. q.*11. *art.*3. quem sequuntur eius discipuli Sotus *in* 4. *dist.*18. *quæst.*4. *art.*5. §. *per hoc respondetur.* Caietanus *in summ. verb. confessio Sacramentalis conditio.*11. *vers. verum aduerte.* dicens teneri solum secreto fidelitatis. Idem docet Adam Tanner. *tom.*4. *disp.*6. *q.*7. *dub.*6. *num.*134. Tabiena *verbo confessio* 3. *n.* 15.
non secus ac ille cui de licentia pœnitentis reue- 1407.
latum est peccatum à confessore non tenetur sub sigillo vt tenent Vasquez 3. *part. tom.*4. *quæst.*93. *art.*4. *dub.*2. Frelisonius 3. *part. quæst.*11. *art.* 3. *dub. vnico.* Meratius 3. *part. disp.*32. *sect.*2. Hurtado Complutens. *disp.*12. *de pœnit. diffic.*3. Diana *tom.*1. *tract.*1. *miscell. resol.*14. & omnium optimè Coninch *de pœnit. disp.* 9. *de sigillo dub.* 3. *à num.*41. non enim interpres scit vt Deus, sed solum confessor; etenim cum pœnitens non teneatur confiteri per interpretem isteque se teneat ex parte ipsius, eo ipso quod confiteatur per interpretem videtur renuntiare iuri secreti Sacramenti, quantum ad ipsum interpretem, quamuis iste
strictissimè teneatur celare peccata quæ audiuit; 1408.
non tamen si Regularis est tenetur præcepto Clementis Octaui de non vtendo scientia habita in confessione. An vero interpres ad euitandum malum alicuius communitatis quod proximè imminet, possit reuelare pœnitentem, non est huius loci. *Dicam in Commentario Summulæ Caietani ad locum citatum.*

§. III.

Dubium III. Vtrùm si examinatores Synodales omnes, præter vnum, approbent indignum, possit iste illum etiam approbare vt idoneum.

SVMMARIVM.

1409 *Quando examinatoribus nota est subiecti indignitas, an isti possint etiam approbare indignum, maximè si ex non approbatione aliquod notabile damnum timetur? & num. seqq.*

1416 *An licitum sit aliquando ferre suffragium, quando iam est concluſum negotium iniustum, siue in sententiando, siue in eligendo indignum siue in approbando, &c.*

1418 *Alicui videri posset non improbabile quod si omnes examinatores, seu maior pars sufficiens ad electionem canonicam faciendam sunt determinati ad eligendum indignum, possum ad euitandum notabile damnum concurrere meo suffragio, non consentiendo interius in eius electionem, & n. seqq.*

1421 *Respondetur ad fundamenta opposita.*

SVppono eligendum esse notoriè indignum, vel si non notoriè, tamen omnibus examinatoribus constare eius indignitatem; si enim omnibus non constat, sed est in ancipite, aut opinione, dubio procul potest vltimus examinator suum dictamen deponere, & se per media extrinseca conformare opinioni, & dictamini aliorum coëxaminatorum. Quare solum procedit dubium, quando examinatoribus nota est subiecti 1409.

subiecti indignitas, an isti possint etiam approbare indignum, maximè si ex non approbatione aliquod notabile damnum timetur rationabiliter, vel in honore, vita, aut re familiari, aut graues inimicitias oriri.

1410. Et quidem certum debet esse electionem indigni ita esse intrinsecè malam, vt nullo euentu licitum sit illum primo eligere, itaut suffragium ponatur in illius electionem concurrat; opponitur enim bono communi aut Ecclesiæ, aut Reipublicæ, aut Communitatis. Quod bonum præponderat cuicumque damno particulari.

1411. Deinde certum est quod si non timeatur damnum aliquod notabile, aut quod orituræ sint capitales inimicitiæ, aut magna in communitate persecutio, non licet suffragium dare indigno, etiã si per alia aliorum suffragia sit concluſa electio, & meum in illam faciendam non influat, quia saltem est illius malæ electionis approbatio: siue electio fiat per vota secreta, siue fiat nominatio per publica suffragia; semper enim suffragium meum ex vi sua approbat indignum, & ex natura rei est illius electiuum; quod nullo modo licet. Sicut si fiat concilium impiorum an quis sit occidendus, vel domus comburenda, & pro maiori parte sit concluſa occisio, aut combustio, qui subsequuntur, etsi non concludant quia iam concluſum est, dubio procul peccant mortaliter, quia suo suffragio approbant concluſionem illicitam.

1412. Secundò, quia si quãdo in Comitiis Regni concluſum est donatiuum iniustum pro maiori parte Procuratorum Ciuitatum, si alij qui ad suffragandum sequuntur votum suum dent pro iniusto illo donatiuo peccant mortaliter, vt tenet communis sententia, quam sequuntur Turrian. *tom.* 2. *in* 2.2. *disp.* 12. *dub.* 2. *n.* 2. Tanner. *disp.* 4. *q.* 6. *n.* 393. Sylu. *q.* 62. *art.* 7. §. *de consensu* Azor *p.* 3. *lib.* 4. *c.* 10. Malderus *tr.* 4. *c.* 2. *dub.* 3. *de consentiente* Sayr. *in Clani Reg. lib.* 10 *c.* 9. Valent. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 3. Molin. *disp.* 731. *n.* 2. Bonacina *de restit. q.* 1. *punct.* 2. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 32. *c.* 3. *n.* 63. Nauarr. *de restit. lib.* 4. *c.* 3. *n.* 33. & 34. Less. *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 23. Vasq. *de restit. c.* 9. §. 1. *dub.* 1. *à n.* 16. Diana *p.* 1. *tract.* 3. *resol.* 16. Lugo *de iust. & iur. disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 17. & omnium optimè Caietanus *in summ. verb. restitutio cap.* 1. vbi postquam distinxit inter consensum qui est causa, & inter consensum qui solummodo est consensus, & non causa, subdit hæc aurea verba:

Hinc haberi potest quod si in communitate aliqua plura vota veniunt, & dum dantur vota aperta aliquis ex vltimis videns vota vnita præcedentium iam vicisse, & videns quod suum votum in contrarium prodesset ob aliquem humanum respectum iniusto facinore, peccat quidem mortaliter (quia consentit iniquitati) non tenetur tamen ad restitutionem, quia consensus eius non est causa, neque est concausa. Secus tamen est de præcedentibus, quia licet præuideant sequentes consensum daturos, non propterea consensus eorum à causarum numero excluditur. Tum quia omnes antecedentes sunt & tendunt vere ad integrandam causam. Tum quia homo in instanti mutatur, & propterea possent subsequentes dissentire. Et hinc fit vt si indigno secundum Deum, canonicè tamen electo, alij consentiant, peccãt quidem mortaliter, non tamen tenẽtur in conscientia de damnis spiritualibus, & temporalibus subsequeneibus, quia consensus eorum non est causa vt eligatur, sed consensus concurrit vt consensus tantum; nisi consensus esse concausa, vt confirmaretur, quod tunc non habet locum quando scitur quod electio omnino erat confirmanda. Ita ibi. Idem sentit Medina Compluten. *C. de restitut. q.* 7. *ad* 5.

1413. 1444.

Qui omnes dicunt quod ferentes suffragia post concluſionem siue donatiui, siue sententiæ iniustæ, peccant quidem mortaliter, non tamen tenentur ad restitutionem, nisi qui vltimo loco suffragium fert tantæ sit in communitate, vel in Comitiis authoritatis, & efficaciæ in proponendo quod sit probabilis spes cæteros reuocaturos sententiam, aut nisi suffragia secreto dentur, tunc enim certus existere non potest quod omnes qui in publico erant pro digno eligendo non mutarint propositum in secreto. Quare vltimus se exponit manifesto periculo (nisi moraliter sit certus de contario) quod eius consensus sit concausa iniustæ electionis indigni; & sic dubio procul mortaliter peccat. Quæ doctrina verum tenet in approbatione quam faciũt examinatores Synod. in concursu. 1415.

Supereſt ergo difficultas an licitum sit aliquando ferre suffragium quando iam est concluſum negotium iniustum, siue in sententiando, siue in eligendo indignum, siue in inferendo bello iniusto, siue in approbando indignum, quando probabiliter timetur vel grauis aliqua persecutio, graue damnum, aut oriri inimicitias capitales. Negat Peyrinis *tom.* 1. *de subd. quæst.* 1. *cap.* 31. §. 2. citat Sotum: *lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *in fine* §. *alterum dubium.* Sed male, quia loquitur de resignante Beneficium in fauorem indigni, est enim causa quod Prælatus conferat indigno. Bañez etiam 2.2. *q.* 63. *art.* 2. *dub.* 3. §. *sed contra.* Vega 1. *p. summ. cap.* 97. *casu* 10. loquuntur quando non timetur damnum. Vasq. *opusc. de Benef. cap.* 2. §. 3. *dub.* 3. *n.* 1. loquitur etiam sicut & cæteri non explicans, an sequatur damnum, &c. 1416.

Sed probat Peyrinis suam sententiam. Primò, quia indignus est ad Beneficium, aut officium, aut dignitatem: ergo nullo colore fauendum est tantæ iniquitati. Secundò, quia eligere indignum est intrinsecè malum, quod nulla ratione fieri potest licitum, cum sit contra bonum commune. Tertiò, quia in electionibus Regularium non potest subsistere rationabilis causa timoris alicuius damni, aut persecutionis iniustæ, tum propter secretum quod indixit Concilium ad pusillanimes fouendos; tum etiam quia in Religione sunt multi superiores ad quos patet recursus pro subleuando grauamine. Quartò, quia si aliquis alium occidat quod ego non possum diuertere ne illud exequatur, non possum iuuare ad occisionem: ergo si ego scio quod indignus qui elegitur euersurus sit Ecclesiam, aut Monasterium non possum ad eius electionem concurrere. 1417.

Sed alicni posset videri non improbabile quod si quis scit quod omnes Electores alicuius gremij, seu partialitatis, quorum est maior pars sufficiens ad electionem canonicam faciendam, sunt determinati ad eligendum indignum, possum ad euitandum notabile damnum, aut persecutionem iniustam concurrere meo suffragio externo, non consentiendo interius in eius electionem, & hoc siue primus dem suffragium, siue medius, siue vltimus. Quia quantum ad hoc nihil interest. Probatur primò, quia in hoc casu quis non est causa, aut concausa electionis indigni, sed electores qui sunt illius partialitatis, & est maior pars, & tam constans in sua determinatione, vt moraliter sit certum executuros quod semel determinarunt. Rursus non consentit interius imo potius dicenti electioni indigni, solumque exterius 1418.

exterius præbet ſuffragium ad euitandum damnum imminens quod rationabiliter timetur. Quare materialiter dumtaxat ſuffragatur electioni indigni. Vnde ſuffragatio in iſto caſu fit illi inuoluntaria moraliter.

1419. Secundò, quia plurimæ ſunt actiones prohibitæ præcepto negatiuo naturali, quæ tamen in aliquibus circunſtantiis non intelliguntur prohibitæ. Primò, occidere abſolutè loquendo eſt intrinſecè malum prohibitum per præceptum negatiuum, & tamen licet occidere inuaſorem ſi aliter non poſſum me defendere, aut ſi non poſſum aliter recuperare rem pretioſam quam mihi actualiter ſuffuratus eſt. Rurſus nõ furari eſt præceptum negatiuum, & tamen licitum eſt ad euitandum magnum damnum accipere rem alienam. Secundo prohibitum eſt præcepto negatiuo non exiſtere in occaſione, & periculo proximo pec-

1420. candi, *nam qui amat periculum peribit in illo*, & tamen ad euitandum notabile damnum poteſt quis exiſtere in occaſione proxima quæ illi fit inuoluntaria, vt multis probaui tract. 1. p. 1. ergo licet approbatio voluntaria electionis indigni, ſemper ſit intrinſecè mala, ſicut & electio ipſa, tamen approbatio inuoluntaria, & materialis per materialem exhibitionem ſuffragij, quando ego non poſſum alios diuertere ab electione indigni, licita erit ad euitandum damnum notabile.

Nec fundamina oppoſita aliquid probant. Ad primum reſpondetur negando, quod qui dat ſuffragium materialiter abſque conſenſu in electio-

1421. nem indigni faueat iniquitati, & intruſioni. Ad ſecundum reſpondetur quod eligere indignum, vel conſentire in eius electionem eſt intrinſecè malum quia eſt cauſa malæ actionis, vel illius approbatio, quod non contingit in præſenti. Ad tertium reſpondetur quod ſi nullum eſt periculum quod publicetur meum ſuffragium, nullus eſt rationabilis timor mali futuri, quare tenetur quis negare ſuffragium indigno, ſi tamen eſt probabile periculum, eſt probabilis timor, & ſic poteſt quis illud materialiter mittere in buxullam votorum; longa enim res eſt recurſus ad Superiores maiores, interim enim patitur miſer. Ad quartum reſpondetur quod in illo caſu ego ſum concauſa phyſica occiſionis, & ad illam reipſa concurro cum alio concurrens formaliter antecedenter, quod non contingit in præſenti.

1422. Dixi hoc non videri alicui improbabile ſiue ſuffragium immittam primus, medius, aut vltimus, ſi moraliter ſim certus quod maior pars votorum erit pro indigno. Hoc eſt contra Malderum, Siluium, & alios ex citatis; quamuis enim primus dem ſuffragium eſt materialiter vt me defendam, & conſeruem ius quod habeo ad me conſeruandum indemnem, non quia conſentiam electioni quæ certo moraliter ab aliis eſt concludenda. Sicut D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 5. dicit licitum eſſe illi qui habet ius ad Beneficium, pecuniis redimere vexationem, & auferre impedimenta: ſecus ſi non habuerit ius ad Beneficium. Quare in hoc caſu non tenetur qui pri-

1423. mus dat ſuffragium ad reſtitutionem. Vnde in ordine ad electionem indigni non ſum moralis cauſa efficax damni poſitiuè moraliter ad illud conferens, cum antecedenter ſciam alios ſine meo ſuffragio electionem perfecturos. Quare antecedenter non influo in electionem, ſed ſolum materialiter confero ſuffragium ſine conſenſu in electionem.

Niſi in caſu in quo Conſiliarij Regij ſententiam iniuſtam ferunt, & poſtquam pro maiori parte concluſa eſt, vltimus qui aduenit confirmat, & approbat ſententiam iam concluſam; fuit tamen mandata executioni de omnium conſenſu: quamuis vltimus non fuerit cauſa ſententiæ iniu-

1424. ſtæ, fuit tamen cauſa partialis eius executionis, quæ immediatè affert damnum parti læſæ, & ſic concurrit ad illud inferendum. Ita ſatis docte Medina Complut. *vbi ſup.* quidquid dicat Diana. Medinæ conſentit Nauarra *de reſt. vbi ſup. n.* 35. ſi vltimum ſuffragium influit vt citius ſententia iniuſta executioni mandetur. Et quidem ita eſt

1426. quando nomine omnium ſubſcribentium ſententia exequitur; niſi qui non concurrit ad ſententiam proteſtetur ſe ſubſcribere vt mori ſatisfaciat, non vero quia ita ſentiat. Quod ſimiliter dicendum eſt in examinatoribus Synodalibus; quando enim omnes concurrunt ad approbationem, dubio procul citius monetur Epiſcopus ad conferendum Beneficium, quam ſi non omnes concurrant.

§. IV.

Dubium IV. An quando examinator cognouit antecedenter aliquem indignum approbandum iri ab aliis poſſit vocatus non accedere ad examen?

SVMMARIVM.

1426 *Quando quis teneatur ferre ſuffragium in comitiis, & communitatibus in quibus habet votum deciſiuum, aut conſultiuum, itaut teneatur ſub mortali non abeſſe cum poſſit adeſſe?*

1427 *Supponuntur quædam: & n.* 1431. 1433.

1435 *Prima ſententia aſſerit teneri Cardinales, ſi non legitimè impediti, vel ratione infirmitatis, vel exercitij alterius publici, vel ratione longi itineris venire ad conclaue electionis Summi Pontificis; & ſi ſint Romæ venire ad conſiſtorium vocati, & n. ſeqq.*

1439 *Quid dicendum de his qui vocati ſunt ad Concilium aliquod Generale, vel Prouinciale, & de variis communitatibus, ad quas accedunt homines ſuffragium laturi, vſque ad n.* 1456.

1457 *Sententia Auctoris, & n. ſeqq.*

1469 *Reſolutio dubij propoſiti.*

GRauiſſimum ſane dubium, quod dependet 1426. ex principiis Moralis Theologiæ valde neceſſariis, quæ more noſtro examinanda ſunt, vt ex illis varia deducamus corollaria. Quando ſcilicet quis teneatur ferre ſuffragium in Comitiis, & Communitatibus in quibus habet votum aut deciſiuum, aut conſultiuum, hoc eſt, vocem actiuam, itaut teneatur ſub mortali non abeſſe, cum poſſit adeſſe. De quo principio latè, & eruditè ſapientiſſimus vir Nicolaus Garcia *tom.* 1. *de Beneficiis part.* 3. *cap.* 2. *à num.* 524. *vſque ad n.* 540. Valetus *verbo ſuffragium à differen.* 1. *vſque ad* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 6. Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de iuſt. & iur. diſput.* 19. *ſect.* 2. §. 3. Paleotus *de Sacro Conſiſtorio part.* 2. *quæſt.* 6. *&* 7. *& part.* 5. *quæſt.* 8. *&* 13.

Suppono primò, varias eſſe cõmunitates ad quas accedunt

accedunt homines ſuffragium laturi. Prima eſt Collegium Eminentiſſimorum Cardinalium, vel quando eligendus eſt Summus Pontifex cuius electio eſt grauiſſimum negotium, vel cum vocantur ad Sacrum Conſiſtorium pro negotiis Eccleſiæ tractandis ibi. Secunda communitas eſt Concilium Generale ad quod conuocantur omnes Eccleſiæ proceres pro rebus fidei definiendis contra Hæreticos; cuius Concilij vltima Reſolutio fit ad Summum Eccleſiæ caput. Tertiò, eſt Concilium nationale, vel Prouinciale, aut Synodus Diœceſana. Quartò, eſt communitas libera ſæcularis quæ regitur aut ariſtocraticè, aut democraticè, aut mixtè ex vtroque. Quinta eſt Comitium quod fit in aliquo Regno, aut Monarchia ad aliqua negotia grauiſſima decernenda. Sexta eſt communitas Regularium quæ aut eſt Congregata in Capitulo Generali pro tota Religione, aut Prouinciali pro tota Prouincià, aut Locali pro negotiis Domus. Septima eſt Eccleſiaſtica, vt alicuius Eccleſiæ Capitulum Canonicorum in Sacris. Octaua alicuius Ciuitatis in qua Senatores illius vulgo *Iurados, y Regidores* conueniunt. Nona, alicuius Confraternitatis pro pauperibus inſtitutæ. Decima eſt Congregatio inſtituta pro examinandis Miniſtris Eccleſiæ, & de eorum idoneitate iudicio. Vndecima eſt communitas alicuius vniuerſitatis, & Academiæ pro eligendis Magiſtris idoneis. Duodecima eſt Concilium cõſtitutũ à Principe ad iudicia facienda tam in criminalibus, quam in Ciuilibus. Sunt etiam multæ aliæ quæ ad hæs reduci poſſunt. In multis tamen harum communitatum aut res tractantur per vota, & ſuffragia ſecreta; aut per publica. Si ſecreta aut per fabas nigras, & albas, aut per Schedulas.

1428. 1429. 1430.

1431. Suppono ſecundò. Quod abſolute, & in genere loquendo licitum eſt cuique in foro externo renuntiare voci actiuæ quam habet in Capitulo, aut Congregatione, Conclaui, &c. vel non veniendo ad illud, aut clara voce renunciando, aut mittendo ſchedulam albam. Ita Rodrig. *tom. 2. qq. Regul. quæſt. 53. art. 13. & in ſumm. verb. electio. cap. 102. num. 7.* Valerus *verb. ſuffragium differ. 1. num. 1.* & conſtat *ex Cap. Cum nobis 19. & Cap. Quod ſicut. 28. de Elect.* & tenet Panormit. *cap. Quia propter num. 4. de Election.* vbi Barboſa *num. 17.* Miranda *in Manual. tom. 2. quæſt. 23. art. 6. conc. 3.* eſtque ibi textus expreſſus; dicit enim Pontifex vocandos eſſe *qui debent, qui volunt, & qui poſſunt commode intereſſe.* Ratio eſt clara, quia iuri ſuo poteſt quis libere renunciare. *l. ſi quis in conſcribendo. Cod. de pactis.* & ſi enim aliqui non veniant, tota poteſtas perficiendi negotium manet apud alios de communitate collegialiter conuentos. Igitur ſupereſt difficultas, an in foro poli, & conſcientiæ teneatur quis ſub mortali, ſi impeditus rationabiliter non ſit venire ad ferendum ſuffragium, poſſetque Superior cogere vt veniat.

1432.

Suppono tertiò, validam eſſe Congregationem, & legitimam ſi poſt conuocationem Vocalium aliqui non adſint ſua culpa, quia nolunt intereſſe. Vnde acta in illa facta legitima, & rata erunt. Ita ſtatuitur *in cap. Quia propter citatum de elect.* & de hoc nullus Catholicus dubitare poteſt; alias multa Generalia Concilia nulla redderentur ſi aliquis legitime vocatus ſua culpa non veniret. Quod ſalua fide dici non poteſt, vt optime demonſtrat Cardinalis Bellarm. *lib. 1. de Concil. c. 17.*

1433.

Si autem non fiat legitima conuocatio, ex hac parte irritum reddi poteſt. Sicut ſexta Synodus General. *act. 6.* declarauit Concilium Conſtantinopolitanum ab Iconomicis contra imagines congregatum non fuiſſe Generale, & fuiſſe nullum, quia non ſufficienter publicatum in Prouinciis Eccleſiæ principalibus. Legatur Ludouicus Turrian. *2. 2. diſp. 18. de fide. dub. 2.*

1434.

His ſuppoſitis primò, ſententia aſſerit teneri Cardinales, ſi non legitime impediti, vel ratione infirmitatis, vel exercitij alterius publici, vel ratione longi itineris venire ad Conclaue Electionis Summi Pontificis, & ſi ſint Romæ venire ad Conſiſtorium vocati. Ita Garzia *tom. 1. part. 3. c. 2. num. 531.* Villadiego *tract. de Cardinal. q. 5.* Albanus *quæſt. 20.* Platus *cap. 28.* in ſimilibus tractatibus. Quos ſecutus eſt Cardinal. *Paleotus. de Sacram. Conſiſt. part. 5. quæſt. 8.* Probatur, quia ibi agitur de re grauiſſima, & concernente totam Eccleſiam: ergo cum Cardinales ſint Eccleſiæ Cardines non poſſunt ſe abſentare cum poſſint commode adeſſe. Secundò, quia Cardinalis tenetur non tacere, ſed palam loqui quando aliquid determinatur contra veritatem, vt tenet Albanus *q. 10.* ex doctrina Abbatis, Innocentij, & aliorum *cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte*, docentium quemlibet de Collegio teneri ad libere loquendum, & totis viribus reſiſtendum ſi quid aduerſus honorem, vel capituli vtilitatem tractaretur. Quæ doctrina multo potiori iure currit in Sacro Collegio Cardinalium. Vnde dicit Cardinal. Paleotus *vbi ſuprà. Cardinalem redditurum Deo rationem de vno die in quo, cum poſſit non adeſt Conſiſtorio vocatus.*

1435. 1436.

Et ratio eſt, quia quamuis alij Eminentiſſimi forſan non aſſentient veritati, tamen vt probat ipſe Paleotus *p. 2. q. 6.* quem ſequitur Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tract. 6. cap. 7. n. 39.* quilibet de Collegio tenetur veritatem aperire ratione ſui officij, & procurare quod ab aliis percipiatur, etiam ſi ſua contradictio nihil profutura eſſet, & damnum quod quis timet poteſt non euenire. Quod ſi eueniat pati debet pro veritate. Et ſic Paleotus *p. 5. q. 13.* ait ſatis prudenter: *Vnuſquiſque qui munus ſuſcipit debet cogitare an illi ſatisfaciat; non autem de aliis quid ſint acturi.* Quid enim ſi reliqui idem facerent, & commune bonum ab omnibus deſtitutum inueniretur. Non ergo eſt excuſandus Conſiliarius qui conſilium non præbet: atque ita non licet Cardinalibus abeſſe à conclaui, & conſiſtorio.

1437.

Idem, & propter eamdem rationem dicendum de Conſiliariis Regiis, de Senatoribus vel alicuius Republicæ liberæ, vel alicuius Ciuitatis, quia licet ſufficiat maior pars illorum qui conuenerunt ad concluſionem negotij, *l. Quod maior. D. ad municip. & toto tit. De his quæ fiunt à maiori parte cap. in Decretal.* Sed quod non omnes conueniant, vel conuenire debeant lex aut ſtatutum non dicit, niſi id exprimat liberans eos ab obligatione. Ita Maradiaga *tract. de Senatu cap. 28.* Azeuedus *in Addition. ad Curiam Piſanam lib. 2. cap. 8.* Petrus de Ala *de Deciſion. q. 43.* quos citat, & ſequitur Diana *vbi ſupr.* hi enim omnes ratione ſui officij, & muneris publici quod in hoc conſiſtit vt pro bono publico ſuis Congregationibus aſſiſtãt, tenentur ab illis non abeſſe; aliàs quamplurima ſequerentur inconuenientia contra rectam adminiſtrationem, ſi qui pro ſuo arbitratu poſſet non adeſſe.

1438.

1439. Idem dicendum est de his qui vocati sunt ad Concilium aliquod vel Generale, vel Prouinciale, aut ad Synodum; si enim habent in illis votum decisiuum, si non subest iusta causa non adeundi, tenentur sub mortali adire; in illis enim tractantur res grauissimæ, & ad totam Ecclesiam, Prouinciam, aut Diœcesim attinentes; imo etiam si non habeant votum decisiuum, sed solum consultiuum, si vocentur, tenentur adire si vtiles esse possunt vel ad disputandum vel ad consulendum: vtilitas enim boni communis vnumquemque obligat, vt potest contingere quod vnius hominis litterati argumentum, & vnius prudentis consilium ita efficax sit vt moueat Patres habentes votum decisiuum, & Hæreticum concludat.

1440. De Quarta, Cardinalis Lugo *num.64.* dicit quod siue sit aristocratica in qua suprema rerum administratio est penes Nobiles, siue sit democratica in qua est penes omnes, & singulos Ciues, posse quemlibet illorum si ex officio non incumbit ibi adesse, abesse à publico conuentu, vel suffragium non ferre in aliquibus rebus absque iniustitia, & obligatione restitutionis, quia illud ius datum videtur in fauorem, & gratiam singularem cui singuli possunt renuntiare; non tamen possunt abesse in his quæ pertinent ad gubernationem subditorum. Quia sicut Rex tenetur administrare iustitiam subditis ex officio suo, ita communitas illa in qua residet suprema Potestas. Quare si quis se absentet, & non ferat suffragium peccaret contra iustitiam, & debitum ex officio.

1441. De Quinta Communitate Diana *p.1. tract.3. Resolut.18.* cum Ledesma *in Summ. tom.2. tract.7. cap.2. conc.24.* dicit quod Domini, & Procuratores possunt se absentare à Comitiis, & Parlamento, quando sciunt aliquid iniustum determinandum. Citat Valerum *vbi supr. differ.2. in fine*, sed malè, quia loquitur de subscriptione Decreti ad quod ipse non dedit suffragium. Citat Garciam *vbi suprà num.542.* sed non ad rem, quia loquitur quando adest causa iusta *vt infrà.* Probatur hæc sententia, quia si iam à maiori parte, vt suppono, concludendum est contra meum dictamen, ad quid adeundum?

1442. De sexta Communitate Regularium in suis Capitulis tenet Diana *Resol.6. citata*, esse peccatum mortale ex genere suo si quis Capitularis absit à Capitulo, siue ad eligendum, siue ad approbandum Nouitium, siue ad negotium Religionis, Prouinciæ, aut Domus concludendum. Id quod etiam docet Cardinalis Lugo *infrà citandus.* Primò, Quia dum quis constituitur vocalis non solum datur illi Dignitas, & præeminentia, sed imponitur illi munus, & onus officij vt cum Præposito decisiuè tractet de spiritualibus, & temporalibus. Et sic gubernatio cæterarum Religionum à Societate Iesu non est monarchica, sed aristocratica. Et sic vocales ex officio tenentur ad assistendum Capitulis: ergo non satisfaciunt suo muneri, si absint, & si non adsint peccant mortaliter ex genere suo.

1443. Secundò, Quia licet quis possit renuntiare iuri suo, vt vidimus suppositione. secunda, Et constat *ex cap. ex conscientia de sortileg.* Non tamen tenet verum quando illud ius, & fauor conceditur in ordine ad alios, vt tenent Sanchez *lib.4 summ. cap.39.* Suarez *lib.8. de legib cap.33. num 2.* Nouarius *in quæst. forens. p.1. q.66. à n.2.* Tamburinus, *de iure Abbatum tom.1. disp.15. q.12. num.3.* quia eo ipso quod in fauorem aliorum sit concessus, si quis illi renuntiat præiudicat iuri alterius, ex traditis à Doctoribus *ad cap. si diligenti de for. compet.* Atqui Vocalatus officium, & munus conceditur personis insignibus, non tantum ob ipsarum dignitatem, & merita remuneranda, sed etiã in vtilitatem aliorum, & maximè communitatis, cuius vtilitati ex officio attendere debent: ergo. Sed quot absentiæ sufficiant ad mortale Peregrinus *in comment. suarum constitut. p.3. cap.9. §.23. num.7.* dicit quod tres. Diana verò id reliquit arbitrio boni viri, & pro negotij grauitate viam grauis potest esse vna absentia quod sit mortalis. 1444.

Cardinalis Lugo *vbi suprà num.61. & 62.* dicit quod si ius suffragij ferendi in capitulis concedatur in merum fauorem, & gratiam eius qui illud habet, vt in multis Religionibus conceditur illis qui tot annos legerint Theologiam, aut cum applausu Populi prædicauerint, & tunc, ait, non tenetur ex iustitia ferre suffragium, potestque se absentare, & non interesse Congregationi, quia potest renuntiare fauori sibi facto. Tamen aliquando poterit obligari ex charitate quando absque graui damno suo potest impedire vel damnum communitatis, vel proximi. Si verò ius suffragij competat ratione officij, vt quia Præpositus, Assistens, Prior, vel Diffinitor, isti tenentur ex officio consulere bono communi, & suffragium ferre. 1445.

De septima communitate, Garzia *vbi suprà num.529.* tenet non licere Canonicis ordinariè abesse à Capitulis, & Congregationibus Capitularibus. Et sic dicit subscripsisse Ioannem Cutierez, & M. Petrum de Ledesma ab ipso Garzia consultos. Sicque etiam declarasse Sacram Congregationem Concil. *ann.1602.* ipso etiam expostulante. Quam declarationem dicit apud se habere authenticam. Et ratio est, quia munus, & officium Canonicorum respicit per se administrationem, & gubernationem rerum Ecclesiæ, & capituli tam in temporalibus, quam in spiritualibus, in hoc enim ius publicum versatur *l.1. §. huius studij D. de iustitia, & iur:* ergo Canonicis est obligatio assistendi Capitulis vt satisfaciant officio suo. Quare licet ferre suffragium in Capitulis sit præeminentia, & fructus Beneficij, est tamen onus in ordine ad Bonum commune Ecclesiæ. Quare licet non sit mortale vno vel altero actu electionis abesse, tamen absentia ordinaria mortalis erit; nisi electio illa magni momenti sit, & adsit timor quod non est dignior eligendus. Non tamen tenetur Canonicus assistere in diebus sibi concessis ad recreandum se, nisi sciret quod in illis faciendum sit aliquid quod esset in præiudicium Ecclesiæ. Quare Canonicus poterit dies recreationis assumere in diebus Capituli, nisi id de industria faciat. 1446. 1447.

De octaua, quod est Capitulum sæculare & communitas Senatorum vulgo *Iurados, y Regidores, o Veintiquatros.* Cardinalis Lugo *num.68.* dicit quod si quis præuidet quod ipso suffragrante, & præsente, adhuc certissimè rem contra iustitiam, & bonum publicum concludendam, & suffragium suum, aut præsentiam ad nihil deseruire nisi ad conciliandum sibi odium, & quod rixæ, & dissensiones excitentur, nulliusque vtilitatis futuræ sit spes, sibique timeat notabile damnum, non teneri ex iustitia ad suffragandum, & interessendum in congregatione; quia iustitia solum obligat ad impediendum cum effectu damnum 1448.

alterius

alterius, & illius bonum debitum ponendum; si autem vtrumque est impossibile non currit obligatio; non enim tenetur Gubernator Ciuitatis periculo se exponere vt defendat ciuem ab aggressoribus, quando eius diligentia inutilis futura est.

1449. Addit tamen, & benè ad hanc excusationem admittendam oportere quod clarissimum, & euidentissimum sit præsentiam, & assistentiam tuam ad nihil profuturam. Cum sæpe nobis fingamus inutilem nostram diligentiam vel propter humanum timorem, vel vt alicui satisfaciamus, cum non raro contingat quod ex vnius sententia ingenue, & efficaciter prolata in publico multi moueantur, & sententiam etiam iam dictam mutent; multi enim pusillanimes, qui propter timorem, & abiectionem animi aliis consentiunt, etsi aliquem videant pro veritate efficaciter, & modeste pugnare, timore deposito ipsum sequuntur, deposito priori dictamine.

1450. De Nona, quæ est Confraternitas ad alendos pauperes, & maritandas puellas dicendum quod omnes tenentur adesse Congregationibus quando agitur de bono publico illius Communitatis, vt de augenda re familiari, de danda aliqua domo pro vita, vel summa magna pecuniæ ad sensum, vel quid simile, vel de admittendo ministro pro infirmis, vel aliquo officiali publico, in cuius electione magnus error esse potest in damnum communitatis. Ad congregationes tamen alias honorificas, vel in quibus aliquid confratribus distribuitur vel sorte, vel donatione non est obligatio ad interessendum.

1451. De Decima quæ est congregatio ad iudicandum de idoneitate ministrorum Ecclesiæ, maximè ad Beneficia curam animarum habentia, quam congregationem instituit Trident. *sess. 24. cap. 18.* Ex Episcopo, vel eius Vicario, & tribus ad minus examinatoribus Synodalibus, existimo quod cum isti sint iudices ordinarij constituti, quorum industria electa est ad iudicium ferendum tenentur sub mortali, si vocati sint adesse, tum examini, tum ad ferendam sententiam de idoneitate oppositorum; est enim res ita grauis vt non videatur grauior alia, cum ex recta electione pendeat vtilitas Ecclesiæ, & animarum tam regimen, quam profectus spiritualis. Quare sine iustissima causa abesse non potest; imò Episcopus, vel eius Vicarius potest sub censura cogere nolentem vt interfit. Quod si vocatus venire nolit absque rationabili, & iustissima causa non solum peccabit mortaliter, sed tenebitur ad restitutionem damni secuti ex eius absentia. Quod maximè tenet verum quando non supersunt nisi tres examinatores Synodales. Et resolutio hæc mihi omnino certa est.

1452. De vndecima quæ est Communitas Scholasticorum qui constituti sunt iudices ad eligendos sibi Magistros, si iuxta statuta Vniuersalitatum in quibus studiis vacent habeant requisita substantialia ad ius suffragij semel ferendum, de quibus Thom. Sanchez *lib. 2. consilior. cap. 1. dub. 52. & 53.* Et quidem scholasticos esse iudices constitutos, & electores docent omnes, vt videre est apud Sanchez *dub. 52. num. 11.* Igitur de hac Scholasticorum communitate Cardinalis Lugo *num. 63.* dicit quod nisi præcepto Superioris obligentur, non teneutur ferre suffragium in electione Magistrorum, & Cathedræ prouisione, quia, inquit, 1453. *ius suffragij ferendi non competit illis ex officio, sed in gratiam ipsorum Scholasticorum totaliter est concessum*, vt scilicet ipsi sibi eligant Magistros. Cui iuri possunt renuntiare, & accipere Magistros ab aliis electos. Quare Scholastici non sunt verè, & propriè Electores, sed Rector, & Consiliarij Academiæ sunt qui verè Magistrum eligunt; sed ne errent, tenentur iuxta Academiæ statuta exquirere prius iudicia discipulorum per suffragia secreta, & maiorem partem eorum sequi. Discipuli tamen non tenentur ferre hoc iudicium, cum nullum munus habeant, cui hæc obligatio sit annexa. Quod, inquit, ex eo patet quia aliqui Religiosi qui Discipuli sunt, & possunt suffragium ferre, ab illo ferendo se abstinent ne se iis electionibus immisceant. 1454.

De duodecima communitate quæ est Concilium Principis Supremi apud quod residet potestas absoluta iudicandi causas subditorum, vel conferendi Episcopatus, & Dignitates, aut tractandi res ad fidem pertinentes vt est apud regem nostrum Hispaniæ Consilium quod dicitur *de Camara*, & Consilium Sanctæ, & Generalis Inquisitionis, existimo quod sine causa vrgentissima vel propter impedimentum legitimum vel propter obligationem alterius negotij à potente impositam, quod Consiliarij obligantur ex officio, & iustitia ad præsentiam in Consilio maxime quando agendum est de re grauissima, vt de ferenda sententia in criminalibus, aut ciuilibus magni momenti; aut quando nominandus est aliquis in Episcopum, aut aliam Dignitatem aut Beneficium curam animarum habens, aut agendum de re ad fidem pertinente, aut de damnando aliquo ad infamiam. Cum enim ad hæc omnia ex iustitia teneantur, & ex vi officij sui, dubio procul mortaliter peccant si non intersint. Quæ omnia omnino vera sunt si timetur aliquod inconueniens secuturum ex eorum absentia vel in bonum commune, vel in proximum. Si tamen tale inconueniens non sequatur, nec timeatur non erit mortale peccatum abesse & se excusare vna vel altera vice absque aliquo omnino impedimento, sed quia non vult adesse. Ita Lugo *vbi supr. num. 66.* ex Garzia *cit. num. 534. & 535.* & sic religiosus qui habet vocem in capitulo ratione officij, Senator, Consiliarius, Cardinalis possunt abesse semel, & iterum, etiamsi vocentur, iudicando quod adsunt alij, per quos res æque bene, & prudenter examinabitur, & decernetur, vt tenent Armilla *verb. Consensus num. 3.* Vega *in summ. 1. part. cap. 98. casu 3.* Sylvester *verbo Consensus num. 4. in fine.* Angelus *num. 2.* 1455. 1456.

Hæc dicta sunt valde probabiliter iuxta aliorum sententias. Quid vero ego sentiam, breuiter submitto. Ea quæ dixi de prima, secunda, & tertia communitate vera sunt, & communi sententia confirmata. Vt tamen de dictis circa alias communitates meum sensum aperiam, suppono quod si adest iusta, & rationabilis causa licita est absentia, & non ferre suffragium: vt enim ait Garzia *vbi sup. num. 537. Tanta enim causa potest concurrere ad non assistendum capitulis, vt ab illis quis iustissime excusetur etiam ordinarie, vt si esset tanta peruersio, & procederetur ita male, & ex abrupto, sine lege, ordine, & modo, ac cum tyrannide, violentia, & insolentia Præsidentium, & potentiorum non habentium aliam legem, aut rationem nisi suam voluntatem, & gustum, vt qui vellet suæ satisfacere conscientiæ, & illam exonerare non posset id facere sine magnis molestiis, inquietudini* 1457. 1458.

tudinibus, & occasionibus ordinariis, ac etiam periculo aliquando cadendi, aut sine magna nota singularitatis, proteruiæ ignorantiaue; maxime vbi vota feruntur publicè. Quod est perniciosissimum, & peruersio maxima, & regulariter votum illius prodesse non speratur, quia per fas, vel nefas omnia fiunt prout volunt Præsidentes, & potentiores, &c. Et infra: *Durum esset, & valde graue obligare aliquem ad assistendum Capitulis cum tanto incommodo, & periculo, & ad opponendum se, & & faciendam resistentiam torrenti Capituli, & Communitatis.* Hactenus Garzia, cuius sententiam approbat Diana *Resolutio 6. citata. vers. Quæres.*

1459. Sed ego existimo hanc doctrinam veram quando non interuenit timor prudens damni communis, aut quando non speratur ex mea contradictione aliqua vtilitas communitatis, vt quod possit reclamari contra factum, vel iterum circa idem cogitandum, vel quod suspendatur electio, & quod in futurum simile quid non proponetur timore meæ efficacis contradictionis, vt optime notauit Lugo *num.* 68. & ego dixi *supr.* ex Paleoto. Addo tamen quod semper quod adest iustum impedimentum, aut rationabilis causa potest ille qui ex officio tenetur assistere & ferre suffra-
1460. gium, non ferre, & non adesse. Iustitia autem impedimenti, & causæ rationabilitas prudentis arbitrio relinquenda, qui aduertet grauitatem personæ, scientiam, prudentiam, experientiam in negotiis illius communitatis expediendis, pondus negotij, efficaciam in proponendo, & similia. Nam quod in vno potest esse rationabilis causa, in alio non erit sufficiens.

1461. Igitur hoc notato iudicium meum esto de quarta communitate siue aristocratica, siue democratica, quod quilibet teneatur residere in suis Congregationibus, præterquam in illis, in quibus illis aliquod donatiuum elargitur, quia huic fauori potest renuntiare, cum sit solum in illius commodum; in omnibus aliis tenetur, quia ius suffragandi suffragium habet tanquam membrum illius Reipublicæ in bonum totius, cui non potest renuntiare, vt supra dicebam. Et quidem ex vi institutionis Reipublicæ vel optimates, vel omnes ciues habent officium publicum intrandi, & suffragium ferendi pro bono communi, non secus ac alij officiales aliarum communitatum.

1462. De quinta communitate sentio quod si quis sua præsentia prudenter iudicat nihil profuturum ad impediendam conclusionem iniquam, nec allaturum aliquam vtilitatem ex supradictis non teneri assistere, & in hoc bene Diana. Qui bene etiam discurrit de sexta communitate Regularium Cæterum Cardinalis Lugo male distinguit inter vota Regularium altera ratione Magisterij, altera ratione alicuius officij regularis. Quia licet alicui detur magisterium tanquam gratia, & fauor, tamen ex vi Magisterij habet ius suffragij,
1463. non secus ac prior ex vi Prioratus. Quare Magisterium est dignitas cui annexa est potestas suffragandi in capitulis, & ordinatur hoc ad bonum commune Religionis: ergo sicut Prior tenetur ex iustitia, si non sit impeditus, vel subsit causa rationabilis, ita & Magister. Sicut si Rex faciat aliquem suum Consiliarium supernumerarium, vt ipsum fauore afficiat, tenetur ferre suffragium in sententiis; nec potest renuntiare huic fauori, quia supposito quod sit Consiliarius habet ius ferendi suffragium in ordine ad bonum commune, ita Magister in aliqua Religione.

De septima, octaua, nona, decima, & duo- 1464.
decima communitate optime discurrunt Authores ibi citati; nec aliquid modò occurrit addendum. De vndecima Scholasticorum non ita bene discurrit Cardinal. Lugo; quamuis enim propter ea quæ adducit Nauarrus *in Comment. ad Cap. inter verba* 11. *quæst.* 3. *corollar.* 12. satis iustum, & rationabile sit quod Scholastici non sint iudices, aut electores Magistrorum per suffragia, vt in vniuersitatibus Portugalliæ fecit Rex Ioannes secundus ad instantiam ipsius Nauarri, qui ait quod neque in Italia, neque in Gallia est modus eligendi Magistros qui obseruabatur Salmanticæ.

Quare concludit optimus, & prudentissimus 1465.
Senex: omnium modorum optimus esset vt illustrissimus Præses Supremi Concilij, cum perillustribus Proceribus eiusdem nominarent eum qui sibi videretur ad Cathedram vacantem aptissimus, iuxta informationem pro sua maxima prudentia, & in suam Rempublicam egregia charitate, &c. Satis egregie. Qui modus in vniuersitatibus Salmanticensi, & Complutensi hodie seruatur ex Decreto Philippi Regis IV. Quamuis enim hoc prudentissime sit ordinatum ad euitanda plura peccata, & inconuenientia: cæterum quia sunt aliæ vniuersitates in quibus Scholastici eligunt sibi Magistros per secreta suffragia

Mihi omnino displicet opinio Cardinalis. Pri- 1466.
mò, in eo quod dicit Scholasticos non habere ius suffragij, nec esse iudices, & veros Electores Magistrorum, in quo opponitur communi sententiæ, vt videre est in Sanchez *vbi supr.* Rebellio 1. *part. de obligation. iust. lib.* 3. *quæst.* 7. Soto *lib.* 4 *de iust. quæst.* 6. *art.* 3. *vers. Postremum.* vbi optime probat Scholasticos non testes esse, sed vere Electores. Quod dicit ita certum vt in dubium non possit reuocari; *si enim essent testes*, ait, *non opus esset omnes auditores accersere, sed satis esset iustum numerum sciscitari; neque per secretos calculos sententias rogare: in summa non solum suffragandi forma, sed ratio ipsa ostendit esse Electores, quandoquidem Rector omnino stare tenetur eorum suffragiis.* Quæ verba transcripsit Soto ex Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 18. *art.* 2. *pag.* 256. *colum.* 3. §. *Postremo.* Villalobos *in indice* 2. *part. verbo Cathedra.* ibi, *los Estudiantes son verdaderos Electores.* Quare si solum Rector, & Consiliarij es- 1467.
sent vere electores, & Scholares solum vel testes, vel quorum iudicium solum esset requisitum, si quis haberet cathedram per excessum vnius vel duorum qui non erant illius facultatis non tenerentur isti restituere cathedram, si alias haberent optimum iudicium de facultate illius cathedræ. Quod esse contra omnes Doctores sentit & optimè Ledesma 2. *part. Summ. tract.* 8. *cap.* 8. *conc.* 9. Probatur quia si Scholasticus non est elector, sed solum expectatur eius iudicium, & istud optimum est, non videtur vnde oriatur obligatio iustitiæ ad restituendum. Quare dubio procul sententia Cardinalis Lugo opposita est omnibus scribentibus.

Vnde existimo Scholasticos qui ius habent suf- 1468.
fragium ferendi teneri illud ferre, si non adsit rationabilis causa non ferendi, vt est in aliquibus Religionibus in quibus ob regularem obseruantiam, & vt vacent quieti non se immiscent huiusmodi suffragationibus: sæcularis vero qui ex ratione sui status non vacat secessus à sæcularibus

tibus negotiis dubio procul teneatur suffragium ferre non solum ex charitate, sed ex iustitia quando dignior periclitatur ne cathedram habeat, nisi habeat iustum, impedimentum, aut rationabilem causam, vt de teste qui se sine rationabili causa non fert testimonium, & se absentat, vt optime Rebellus *vbi sup. num.*10.

1469. Ex dictis colligitur Resolutio dubij propositi, dico enim quod si non sit probabilis spes, quod examinator possit conuertere alios ad electionem digni, nullaque expectatur vtilitas in eius assistentia, & contradictione, vt non eligatur indignus, non tenetur assistere etiam vocatus. Sed dubito quod non spectetur vtilitas, cum ad minus eius contradictio iuridica deseruiet aliis oppositoribus, vt intentent annullari electionem, iuxta Bullam Pij V.

§. V.

Dubium V. Vtrum aliquando licita sit electio indigni non idonei, & approbatio eiusdem examinatorum Synodalium.

SVMMARIVM.

1470 *Cardinalis Lugo affirmatiuè respondet: Sed eius sententia non arridet Auctori. numer.*1472.

Iudicium auctoris; Nunquam licitum esse eligere indignum, seu omnino ineptum, cognitum vt talem ab Electoribus. ibid. & n.seqq.

1470. CArdinalis Lugo *tom.*1. *de iust. disp.*35.*sect.*3. *num.* 29. affirmatiuè respondet, Quia, inquit, potest contingere quod electio minus digni necessaria sit ad vitandam electionē magis indigni Pone esse tres oppositores quorum solus vnus sit digus, qui tamen reiicitur iuste vel iniuste ab aliis electoribus, vel reprobatur ab examinatoribus: secundus est indignus, sed tertius indignissimus & qui suis sceleribus, conditione terribili, prauis inclinationibus turbabit Ecclesiam, & fortasse hæresim introducet in prouinciam. In quo casu vtiliter gero negotium Ecclesiæ si eligam minus indignum vt auertam electionem indignissimi; quamuis enim indignus eligi nequeat; hoc tamen est verum quando sunt digni qui hic & nunc eligi possunt. Qualis non est in præsenti, quia alij Coelectores illum nolunt; atque ita respectu mei perinde est ac si non esset talis dignus; & ita possum eligere minus indignum. Hanc sententiam etiam sequitur Lessius *lib.*2.*de iust.cap.*34.*dub.*12. *num.*55.

1471. Probatur, quia licitum est consulere minus malum ad euitandum maius; imo aliquando licet ad illud cooperari, non quatenus malum, sed quatenus minus malum, cum vt sic aliquam habeat rationem boni, vt si quis habeat propositum à quo non possum eum auertere furandi mille, possum consulere vt furetur quingentos, & si non vult nisi ego cooperer possum cooperari, quia Dominus præsumitur rationabiliter velle meam cooperationem, cum illius negotium geram. Ita Basilius Pontius *lib.*5. *de Matrimon.cap.*18.*num.*28. & alij quos citat, & sequitur Diana *p.*5.*tract.*7.*resol.*19.*vers.imo quando.* Addit Lessius quod indignus tenetur se præbere dignum administrando Beneficium vel per se, vel per alios.

Verum enimuero mihi sententia ista nullo modo arridet. Quare assero, nunquam, & in nullo casu licitum esse eligere indignum positiuè, id est, omnino ineptum, cognitum vt talem ab Electoribus. Ita Soto *lib.*3. *de iust.q.*6. *art.*2.*concl.*7. Ludouicus Turrian. *disp.*22.*dub.*2.*num.*3. Sanchez *lib.*2.*consilior.cap.*1.*dub.*2.*num.*12. vbi dicit hoc esse certissimum. Ledesma *in summ.tract.*7.*cap.*2. *in difficultate post* 5. *conclusion.vers. digo lo tercero pag.*153.*column.*1. Nauarra *de Restit.lib.*2.*cap.* 2.*num.*132.*num.*150.*& num.*154.& *DD. ad cap. Graue nimis de Præbendis* quod est Alexandri III. Malderus *tract.*9.*cap.*2.*dub.*4. quamuis asserat licere eligere non idoneum qui speratur futurus idoneus. De quo egi supra *in hac Resolutione dubio primo.* 1472.

Ratio est. Quia licet licitum sit consulere minus peccatum vt euitetur maius, vt est communis, & certa sententia, tamen nunquam licet efficere minus peccatum vt euitetur maius, quia non sunt facienda mala vt eueniant bona, & multo minus vt non eueniat maius malum; atqui electio indigni cogniti vt talis de quo non concipitur spes quod futurus sit dignus, & idoneus, sed quod semper manebit in sua indignitate est intrinsecè mala, & iure naturæ prohibita: ergo nunquam licet, etiam ad euitandam electionem indignissimi. Neque in hoc gero negotium Ecclesiæ, imo illam euerto, licet non ita malè. Quare licèt ego Electoribus possim consulere vt eligant indignum, potius quam indignissimum, tamen nullus elector potest eligere indignum, nec examinator illum approbare. Sicut possum consulere vt quis abscindat membrum, potius quam occidat, tamen non possum concurrere ad abscissionem; non enim Pontifex est Dominus, sed dispensator Beneficiorum habentium animarum curam. Quare indigno cognito vt tali nequit conferre, & sic elector inferior nequit licitè concurrere ad electionem indigni, vt euitet electionem indignissimi, sicut potest quis concurrere ad furandum 500. vt euitet furtum maius, quia Dominus pecuniæ rationabiliter consentit, quia est illius Dominus, & potest si vult, cui placuerit, donare. Cum ergo Pontifex in quo residet tota plenitudo, & dominium Ecclesiæ non possit conferre Beneficium curatum indigno cognito vt tali, & de quo non sit spes quod per se, vel per alium rectè administrabit, & in vtilitatem Ecclesiæ, nullus inferior poterit eligere, & nullus examinator ipsum approbare. Sed relinquendum est Diuinæ Prouidentiæ vt moueat cæteros vt approbent, vel eligant dignum, *vt dub.*1.*dicebam* ex D.Thoma. Dixi *positiuè indignum, & omnino ineptum*, quia si sit non dignus, vel non aptus, existimo quod quando non est alius dignus, vel aptus potest eligi, & approbari, vt dicam dubio sequenti. 1473. 1474. 1475.

§. VI.

Dubium VI. Vtrum electio, vel approbatio indigni sit ipso iure nulla?

SVMMARIVM.

1476 *Verba Nauarræ adducuntur.*

1479 *Triplex indignitas distinguitur: Prima continet impedimenta canonica. Secunda*

da oritur ex illiteratura. Tertia,ex moribus deprauatis.

1486 *Duo valde aduertenda ab Examinatoribus Synodalibus,& ab Electoribus tam Beneficiorum curam animarum habentium secularium,quàm Regularium.*

1505 *Electio illius qui est in consuetudine peccandi mortaliter, non est irrita ipso iure.*

1506 *De iure communi in foro externo ille qui est diffamatus de aliquo crimine graui quod est notorium notorietate facti, validè approbatur ab Examinatoribus Synodalibus, & validè eligitur ad Beneficium curam animarum habens.*

1476. AD hoc dubium sic respondet Nauarra *de Restitut.lib.2.cap.2.num.154.*Tertio *infero quod si de facto eligatur indignus non solum peccat mortaliter multis de causis, sed collatio est nulla in vtroque foro. Et sanè in conscientia planum est, cum Papa non sit Dominus Beneficiorum, nec alij Prælati, sicut sunt Domini sui patrimonij, sed tantum sunt dispensatores. Et sane constat eligere indignos non esse dispensare, sed dissipare, atque ita si Domini non sunt, neque aliàs ex iure facultatem haberent sibi concessam, imo contra sublatam, non*

1477. *possunt transferre dominium in alterum, imo ex parte recipientis videtur esse incapacitas, vt iura videntur decernere cum sit ineptus ad officium, & beneficium. Denique vbi furtum committitur, dominium non acquiritur: constat autem tam conferentem, quam indignum accipientem Beneficium recipere inuitis fidelibus qui ea conditione Decimas soluunt,vt sibi idonei Ministri præficiantur: ergo collatio est nulla. Neque fructus facit suos, imo & damna alia ex tali electione secuta tenetur resarcire, & ita in foro exteriori per appellationem priuetur Beneficio qui probatur indignus. Et ita si in conscientia acquisisset dominium, non priuaretur.*

1478. *Et vt aduertit Mercado lib.6.cap.17. etiam in officio publico iustitiæ, vt Auditoribus Regiis, Perquisitoribus Iudicibus, Rectoribus &c. si indignus eligitur & peccatum est mortale, & damna secuta tenetur eligens restituere.*Hactenus ille.

1479. Cæterum Cardinalis Lugo *vbi sup. sect.2. n.9.* Thom.Sanch.*lib.2. Consil. cap.2.*per varia dubia, triplicem distingunt indignitatem. Prima continet impedimenta canonica de quibus *cap. Cum iuncti. de election.* & explicant late ipse Sanchez *loc.citat.*& Barbosa *in Collectan ad illud cap.* & nos in Superioribus diximus plura. Ad hanc indignitatem pertinet impedimentum ortum ex censura, de quo etiam in Superioribus dixi. Secunda indignitas oritur ex illiteratura quæ exigitur ad exequendum munus iunctum ratione Beneficij. Et tertia desumitur ex moribus deprauatis.

Dicunt igitur huiusmodi Doctores quod collatio facta indigno ex aliquo impedimento Canonico ipsum reddente incapacem est ipso iure nulla, vt nos etiam late docuimus, estque certissimum eo modo quo explicuimus.

1480. Dicunt secundò, quod si non habeat eligendus eam litteraturam quæ exigitur ad exequendum officium propter quod datur Beneficium, etiam est inualida electio, aut collatio *ex Cap. cum iuncti§.finali.de election.*textus, & Glossa *cap.1. distinct.36. & cap. Præcipimus distinct.34.* tenent Flaminius *de Resignatio.lib.4. cap.11.n.19.* Graffis *de effect. Cleri.in Prælud. num.72.* Lessius *lib.2.de iust.cap.34. num.129.* Garzia *de Benef. part.7.c.7. num.12.* Barbosa *ad cap. cum iuncti num.37.* & plures alij quos citant, & sequuntur Sanchez *dub.20.n.1.* Lugo *num.9.* qui asserunt quod si electus sit omnino illiteratus itaut nesciat legere, & scribere, est ipso iure irrita electio, & collatio beneficij. Si vero non sit omnino illiteratus non est ipso iure irrita, sed venit irritanda ex Trident. *sessio.7.cap.3.de Reformatione.*

Addunt Valerius Reginaldus *in Prax.lib.30.* 1481.
tract.3.n.172. Gonzalez *ad reg.8.Cancell Glossa 5.* §.*9. num.19.* Campanili *in Diuers. iuris Rubr.5. cap.5.num.3.* & alij quos citat,& sequitur Barbosa *de potest. Episcop. alleg.63. num.5.* quod illiterati qui aliàs honestæ vitæ sunt ob causam quoad obtenta beneficia tolerari possunt, si ex longo vsu, & longa experientia sciunt recte exercere omnia ad suum officium spectantia, vel si charitatis perfectio defectum scientiæ suppleat. Cui doctrinæ consensio & quod si necessarius fuerit,Episcopus tanquam Sedi Apostolicæ delegatus poterit adhibere Coadiutorem. Ego etiam addo, 1482.
quod examinatores Synodales, si iste illiteratus sit vir bonus & longæ experientiæ in administratione pacifica beneficij curati ,sitque boni exempli, & assuetus petere Concilium in arduis ne erret, possunt illum vt idoneum approbare, etiam in concursu aliorum,qui etiamsi polleant aliquanto maiori scientia,non tamen in aliis attributis.

Dicunt tertiò. Primò, quod defectus honestatis morum reddit electionem, & collationem Beneficij nullam. *Cap. Cum iuncti. de Election.* Trident.*sess.22.cap.4.* vbi dicit: *quod si quis prouideatur in beneficio non habens integre qualitates requisitas, electio nulla sit, & irrita.* Atqui inter habilitates à iure requisitas est morum honestas, imo primo nominatur *Cap.iuncti.citato:* ergo. Ita Sanchez *dub.18.* 1483.

Secundò, quod morum inhonestas quæ facit 1484.
electionem,& collationem nullam, non est quod electus sit in mortali, quamuis grauissimo, & ita collatio facta homini multis criminibus irretito (modo non sit crimen hæresis externum) valida est. *c.Sicut nostris. de iureiur.* Ita Sanchez *n.4.* secutus Couarruuias *cap. Alma Mater.p.1.§.8.n.4.*

Tertiò,*n.5.*quod tribus casibus collatio,& electio,& approbatio erit nulla ex defectu honestatis morum.Primò,quãdo quis contraxit crimen pro- 1485.
pter quod est irregularitas, aut suspensio censura à iure imposita, vt est homicidum, aut rebaptizatio. Secundò, quando quis commisit crimen graue notorium notorietate iuris propter quod iudicis arbitrio veniret deponendus à Beneficio, quia iste talis propter infamiam iuris est irregularis. Tertiò, quando quis commisit crimen graue notorium notorietate facti, estque diffamatus de diuturna perseuerantia in illo, itaut iudicis arbitrio esset deponendus ab officio, & beneficio: vel esset infamatus de tali crimine, & accusatus, & lis super crimine pẽderet,quia in his casibus est irregularis propter infamiã facti.Hæc fere Sãchez.

Hæc etsi vera sint,tamen digestione indigent. 1486.
Pro qua noto duo quæ valde sũt aduertẽda ab examinatoribus Synodalibus, & ab Electoribus tam Beneficiorum curam animarum habentium sæcularium,quam Regularium.Primum est.quod licet peccatum mortale ex fragilitate commissum, aut per modum transeuntis, vt sic loquar, non faciat aliquem indignum vt eligatur, prouideatur,

nomine

nominetur, aut approbetur ad Beneficium, siue Prælaturam, dignitatemve vt cum Aragon, & Ledesma tenet Thom. Sanch. *lib.1. consilior. c.1. dub.2. num.8.* tamen est peccatum mortale eligere ad huiusmodi Beneficia, siue sæcularia Ecclesiastica sint, siue Regularia illum qui ex habitu, & mala cõsuetudine solet mortaliter peccare. Quod
1487. ita certum existimo quod contrarium sitim probabile, & maiori nota dignum; est enim opinio cõtraria bonis moribus, & bono regimini Ecclesiæ, est etiam opposita omnibus fere Authoribus, tum antiquis, tum modernis rectè sentientibus.

Ex antiquis ita D.Tho *quodlib.8. art.6.* vbi sic loquitur: *Oportet eligere ad Prælationem, vel Ecclesiasticum officium aliquem qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum. Vnde dicit Dionysius Epist. ad Demophilum loquens de Sacerdote qui non est gratia illuminatus? Non est iste Sacerdos, sed inimicus do-*
1489. *losus, delusor sui ipsius, & lupus supra dominicum populum pelle armatus ouina*, &c. D.Antoninus *2.p. tit.1. cap.20. §.1.* ibi, *Notandum est quod quamuis minus bonus simpliciter possit præferri magis bono in regimine Ecclesiæ quia vtilior, non tamen si sciatur malus esse, etiam quamuis possit iuuare Ecclesiam per scientiam. & potentiam; quia in huiusmodi permaximè requiritur bonitas vitæ. Vnde & Albertus Magnus dicit expressè quod promouens ad curam Pastoralem scienter indignum absque dubio peccat mortaliter.* Hæc ferè ibi. Ga-
1490. briel *in 4. dist.15. q.7. art.3. dub.1. conc.1.* Caietanus *2. 2. q 63. art. 2.* ibi: *Qui manifestè tenet concubinam, vel in alio peccato mortali creditur versari extra latitudinem eligibilium, vel promouendorum est; propterea dicitur in littera quod minus boni, non quod mali præferantur melioribus. & q.185. art.2. vers. in eodem articulo.* dicit, *Primum impedimentum ponit peccatum mortale respectu Episcopatus suscipiendi. Vnde habes quod existens in peccato mortali diuino iure est inhabilis ad Episcopatum.* Hæc ibi. Quod etiam docet Palacios ad illud Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis. Qui est in mortali est iure diuino inhabilis ad Prælaturam.* Timeant examinatores Episcoporum, & Synodales. Alensis *2. part.q.136. memb.2. §.1.* Dionysius Carthusian. *opusc. de vita Canonicor.*
1491. *art.22.* referens Guillielmum Parisiensem, & Authorem summæ virtutum dicentes *quod qui est in peccato mortali est indignus.* Turrecremata *ad cap. finale distinct. 25.* quod est Hieronym. *ad cap.1. Epist. ad Titum*, vbi grauissimè loquitur Sanctus Doctor, & inter cætera sic fatur: *Quomodo potest Præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius qui in delicto simili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem potest, cum tacitè sibi ipsi respondeat eadem admissa quæ corripit?*

Summistæ etiam in idem conspirarunt. Sylvester *verbo Electio 1. quæst.14. num.16.* Armilla *num.21.* Tabiena *quæst. 26.* Rosella *num.36.* Angelus *verb. Acceptio personarum.num.6.* Caietan. *verb. Electio in principio.* Lumblinus *num.9.* Toletus *lib.5. cap.78.* Serra *2.2. quæst.63. art.2 dub.1.* Bañez *ibi.dub.1.* Siluius *quæsito 1. vers.Octauum.* Nauarrus *cap. Si quando. de Rescriptis.excepti.17. num.8.& tract. de oratio. miscellan.34. à num.4.& miscellan.40.à num.8.* Azor *2.part.lib.6.cap.7.q.6. & 7.* Garcia *part.7.de Beneficiis.cap.8.num.12.* Palao *tract.13. disput.4. punct.5.* Candidus *disq.18. art.9. dub.3.* Abulensis *quæst.116. vers. Contingit tamen. ad Cap.22. Matthæi.*

Vnde prudentissimè Siluius *vbi supr.* horum 1492.
omnium, imo omnium sententiam sic concluſit: *Concilium Tridentinum istam morum probitatem, stricte requirit sess.14.de reformat.cap.1.& sess.21. cap.6.& sess.22.cap.1.& sess.23. cap.12. & sess.24. cap.12. Neque id mirum quia exempla Clericorum maximi sunt momenti ad sæcularium vitam, vel bonam, vel malam. Quare is qui criminosum id est, eum qui ex habitu, seu praua consuetudine solet mortaliter peccare; cuiusque vita criminosa est, promouet ad statum cui annexa est cura animarum, vel Sacramentoram administratio, non dubium est quin peccet mortaliter; magnam enim ir-*
1493. *reuerentiam in Deum, eiusque Sacramenta committit, & saluti proximorum magnum ponit impedimentum, sitque particeps peccatorum ipsius.* Hæc ille. Quæ magis enucleat D.Thom. *1.ad Timoth.3. lect.3. Non est dicendum*, inquit, *sicut aliqui dixerunt quod quicumque peccauit mortaliter post Baptismum non est idoneus, quia pauci essent tales, sed irreprehensibilis, id est, non subiectus alicui peccato vnde ab aliis reprehendi possit. & lect.2.cap.1.ad Titum* explicans illud, *sine crimine esse*, dicit *quod crimen non significat peccatum occultum, sed infame, & notorium, ob quod reprehendi possit.*

Ex qua doctrina colligitur quod non solum est indignus, & est peccatum acceptionis personarum si eligatur ille qui est in concubinatu, & deditus mulieribus, sed etiam quilibet alius qui est in consuetudine peccandi mortaliter quæ nota sit, & scandalum generet. Quod declarauit Pau- 1494.
lus *in Epist. ad Titum. cap.1. n.7. Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem non turpis lucri cupidum.* Per quæ Apostolus ab Episcopo (& idem iudicium est de Parocho, & curam animarum habente) omne genus vitij quod scandalizet, & perturbet oues expilat. vt S. Thom. *lect.2. ly non percusorem* explicat, id est, *non percutientem conscientiam aliorum prauis moribus.* Quare non minus est indignus vt eligatur qui deditus est ludis taxillorum, & chartarum immoderatis, quam qui luxui inhoneſto: & sic de reliquis.

Imo addo id quod maximè notare cupio, omnes electores, & præcipuè Regulares, quod non 1495.
solum sit quis indignus vt eligatur, nominetur, approbetur idoneus qui habet consuetudinem peccandi mortaliter, sed etiam ille qui natura sua est iracundus, facileque irascitur ouibus quas vt Pastor debet gubernare pacificè. Vt enim ait S. Gregorius *lib.5. moral. cap.12. Per iram iustitia relinquitur, quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur. Per iram mansuetudo amittitur. Per iram concordia rumpitur. Per iram lux veritatis amittitur*, &c. Vnde Spiritus Sanctus *Prouerb.27. num. 17. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati Spiritus quis sustinere poterit?*

Incorrigibilis etiam in suis dictaminibus dubio 1496.
procul est indignus vt eligatur; de hoc enim dicitur *Prouerb.27.n.12.* expedit magis vrsæ occurrere *raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.* Vnde egregiè S. Gregorius Nazianzen. *ora-*

tion. de moderatione in disput. Præstat cum doctrina instructus sis propter animi æquitatem, facilitatem consulto cedere, quam cum eruditione careas, per insolentiam, ac temeritatem altius efferri. Et S. Basilius Magnus *orat. 21. quæ est de fœlicitate. Qui habens consilium bonum suam potius sequitur sententiam similis est profecto Regi Ieroboam qui spreto salutari consilio senum, adolescentum qui secum educati erant secutus, decem Tribus Israël ab Imperio suo abscidit. & in Epistol. ad Chilonem: Maxime omnium caue ne tuo vnius consilio innixus tibi vni permittas plus æquo fiduciæ ne quando per rudem rerum in experientiam è sublimi fastigio Religionis quam ex professo accepisti deturbere.* Et Cassianus *collat. 2. c. 11. Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique confidere.* Nihil enim existimo pernicioſius regimini Regulari quam quod Rectores nimium suo iudicio confidant; si enim Superiores Prælati illud deponere iubent, vel non faciunt contra regularem disciplinam, & pacem, vel si faciunt ita insipide, & acerbe quod omnes perturbat, & inquietat.

1497.

1498. Rigidus enim in exequendis mandatis, & puniendis defectibus indignus est vt eligatur, vt pulchrè, & satis ad rem probat S. Ambros. *lib. 2. de offic. c. 7.* confirmans exemplo Moysis qui præpositus fuit populo Dei, & Dauidis electi in Regem, & concludit: *Legimus non solum in priuatis, sed etiam in ipsis Regibus quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit; aut superbia, verborumque obfuerit tumor, vt Regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret.* Fateor nihil magis turbare amicam societatem quam nimius rigor, aspera, & rugata facies, verborum asperitas, actionum incomitas, quibus subditi in desperationem vergunt, & spreta vita Regulari vel malè viuunt, vel torquentur intolerabiliter, vel tandem obliti suæ professionis apostatantur. Et quidem plures vidi in Religione perdere rigorem, quam suauitatem. Hæc dixerim ex occasione, plura alia omittens.

1499. Secundò noto: quod non est ita facile inuenire personas aptas, & dignas ad munus Pastoris, siue sit Episcopus, siue Parochus; facilius enim peccatur in electione, seu approbatione indigni quam quod non eligantur digniores; etenim dignitas, & aptitudo horum ministrorum sumitur in ordine ad finem intentum ab Ecclesia edocta, & directa ab Spiritu Sancto, iuxta illud Paul. *Actor. 20. n. 22. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* Finis autem intentus ad quem assumuntur Parochi, Episcopi, & Prælati Regulares est vt Congregationem, & fidelium cœtum contineant in obseruantia Christianæ legis, & reducant quantum fieri possit, & patitur humana fragilitas fideles vt paulatim acquirant feruorem charitatis,

1500. & vnitatem fidei in vinculo pacis, itaut non sint schismata, & scandala administrando Sacramenta, & iudicando iustitiam. Et si Regularis sit Prælatus curet communitatem relaxatam cum modo ad disciplinam regularem reducere; si enim permittit, & non cohibet relaxationem, sed habenas laxat omnino, iste talis ineptus est, & indignus positiuè, & nunquam eligendus. Si tamen per pusillanimitatem non audet omnia corrigere, non est ineptus positiuè, sed non aptus, vel non dignus, & iste in casu extremæ necessitatis potest eligi si aliàs attendit ad temporalitates, & suo scandalo non solicitet ad relaxationem, conscientias subditorum suis prauis moribus vulnerando. Et sic intelligo ego Lessium *citatum dubio antecedenti.* Filliucium *tom. 3. tract. 41. cap. 4. n. 173.* asserentes quod ad vitandum maius malum in regionibus Septentrionalibus hæresi infectis quando non adsunt digni, & apti ad curam animarum, sat est eligere non dignum, vel non aptum, quia iste administrabit Sacramenta fidelibus digne, quamuis non sit doctus, & sic non aptus; non tamen est positiuè ineptus, & indignus, istum enim nunquam licet eligere in Parochum vel ad curam animarum approbare. 1501. 1502.

Pro huius doctrinæ valde necessaria intelligentia operæpretium est aduertere quod cum Officium Parochi sit administrare Sacramenta, & præcipuè Sacramentum Pœnitentiæ, vt illud valide, & sine periculo errandi administret requiritur necessariò, vt sciat fidei mysteria, quorum intelligentia est necessaria necessitate medij ad salutem: sciat quod est peccatum mortale, & veniale, & quid vtrumque, & ad minus mortale causet in anima, quæ etiam dispositio requiratur in Pœnitente ad consequendum effectum Sacramenti. Si ista omnia nesciat est positiuè indignus, & ineptus, & ineligibilis, & improbabilis ab examinatoribus; qui enim ista ignorat quomodo potest succurrere fidelibus in necessitate positis inter Hæreticos? si enim cæcus cæcum duxerit ambo cadent in foueam. Quare nec pro regionibus Septentrionalibus eligi, aut approbari nequit sine grauissimo mortali, & fidelium ruina, & scandalo. Si tamen ea quæ dixi necessaria sciat, ast non dignus, & non aptus, & potest eligi, & approbari in casu extremæ, & vrgentissimæ necessitatis, qualem habent fideles inter Hæreticos, & in captiuitate detenti, vt notat Suarez *de pœnit. disp. 28. sect. 2. num. 6.* & ex ipso Cardinali Lugo *disp. 21. sect. 4. num. 73.* 1583.

Qui *n. 74.* addit, & bene: *Sic enim aliquando consului ex hoc capite excusari sæpè Prælatos qui in aliquibus oppidis exiguis, & remotis præficiunt Parochos indoctos, & rudes; hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum stipendium, & penuriam rerum, ac pauperiem incolarum non inuenitur homo doctus qui velit curam illarum suscipere. Vnde cum aliter non possit illis oubus subuenire, vt suppono, melius est quod habeant confessarium indoctum in tali necessitate, quam quod omni remedio prorsus destituantur.* Hæc Cardinalis. Tenetur tamen Parochus iste nauare litteris, si possit, vt acquirat scientiam necessariam ad suum ministerium, & Episcopus etiam est obligatus declarare illi suam obligationem. 1504.

His notatis, dico primò, electio illius qui est in consuetudine peccandi mortaliter non est irrita ipso iure. Ita Sanchez cum communi *vbi suprà*, cuius dictis acquiesco, excepto vltimo. 1505.

Quare dico secundò, de iure communi in foro externo ille qui est diffamatus de aliquo crimine graui quod est notorium notorietate facti, validè approbatur ab examinatoribus Synodalibus, & validè eligitur ad Beneficium curam animarum habens. Hæc est contra Sanchez *vbi suprà.* Palao *tom. 2. tract. 13. disp. 4. punct. 5. n. 4.* Suar. *tom. 2.* 1506.

de

de religion. tract. 5. cap. vltim. num.4. 5. & 17. Bonacinam *tom.2. disp.7.quæst.3. punct 1. num.5.* Barbosam *allegat.43. de potest. Episcop. num. 19.* & etiam *Collectan. ad regul. infamibus 87. de reg. iur. in 6.* Sed cõclusionem tenent Filliuc. *tr.19. num.207.& tract.20. num.198.* Coninch *disp.18. de irregul.num.57.* Lessius *lib.2. de iustitia n.126.* Lopez *in instruct. tom.1. cap.243.* Rota *decis.32. de rescriptis in nouis.* Nauarrus *in manual.cap.27. num. apud me 249.* & multi alij quos refert, & sequitur Garzia *part.7. cap.8. à num.47.*

1507. Probatur primò, quia nullus est textus in quo expressè caueatur quod istius electio sit irrita ipso facto. Quare æquius,& benignius dicitur quod non sit irrita; nam Regula *infamibus 87. & cap. infamis 6. quæst.11.* loquuntur de collatione licita quod licitè illis non conferantur. Et eodem modo intelligitur *cap. cum iniunctis.* quod non habet vires ipso facto, vt explicat Garcia *n.63.*

1508. Secundò, quia irregularitas canonica, & iuridica est quæ solum facit ineptum ipso facto Beneficio curam animarum habente: ista autem non incurritur nisi exprimatur in iure *cap. is qui de sentent. excomm. in 6.* atqui quod infamis infamia facti incurrat irregularitatem iuridicam nullus est textus: ergo non est incapax vt eligatur, aut approbetur, sed solum est indignus, vt eligatur. Quod secus est de ætate; ista enim si non est ea quæ à iure requiritur facit hominem incapacem ipso facto, vt sunt texrus expressi tam in Trident. quam in Decretal. quæ adducit Garcia *vbi sup. p.7. cap.4. à num.8.*

1509. Tertiò, quia infamia facti est quando opinio mea de moribus est grauata apud graues, & probos viros, qui sic aliquando possunt iudicare, etsi prudenter, falso tamen, quia nituntur probabilibus indiciis. Quare durum valde est quod quis sit incapax Beneficij, quia male audit apud viros probos ductos probabilibus coniecturis dumtaxat, non facti euidentia quæ nulla tergiuersatione celari possit; hæc enim requiritur vt quis ob morum improbitatem sit ipso iure incapax Beneficij, vt docet Azor *part.1. lib.5.cap.7.q.1.* ex Archidiacono, & Ancharrano *in cap. fœlicis de pœnis in 6. & p.2. lib.6. cap.7. q.5.* & sic intelligo singulariter *cap. cum iniunctis* de electio, quod quando defectus probitatis morum est constans facti euidentia, itaut nullo modo celari possit, electio, & prouisio sit ipso iure nulla.

1510. Duas apposui limitationes in conclusione. Primò, *quod est vera de iure communi.* Nam post motum, & Bullam Pij Quinti *quæ incipit in conferendis edita anno 1567. Kalend. April.* si electio de digno, omisso digniore, est irrita, multo magis erit electio irrita de isto indigno. Sed prius examinabimus *infra §.11.*

1511. Dixi *in foro externo*, nam in foro animæ, & interno hic diffamatus, si mala fama veritati nititur, & ipse non emendatur à crimine de quo diffamatus est, tenetur in conscientia dimittere Beneficium curatum, quia in foro conscientiæ nulla fuit electio, & contra voluntatem fidelium qui decimas offerunt vt probos habeant Parochos. Et in hoc sensu verissima est sententia Petri Nauarræ adducta initio dubij.

§. VII.

Regula I. De eligendo digniore ab Episcopo, & approbando ab examinatoribus.

SVMMARIVM.

1512 *Peccatum mortale grauissimum est ex genere suo non eligere, aut approbare digniorem, & aptiorem ad Beneficium.*

1520 *Fundamentum prafatæ Regulæ ex D.Thom.*

1523 *Obiectiones duæ ex Cardinal. de Lugo afferuntur, & num. seqq.*

SIt vniuersalis, & certa regula. Peccatum mortale grauissimum est ex genere suo non eligere, aut approbare digniorem, & aptiorem ad Beneficium. 1412.

Ita tenent omnes antiqui, & moderni quos non solito labore vidi (ex quinquaginta DD. quos adducit, & sequitur Barbosa *in Collectan. ad cap. cum nobis 19. de election. n.4.* quos ad sexaginta quatuor traxit Dominus Michael Salinas Viñuela, *in tract. illo satis erudito, cuius titulus est statera meritorum, & hominum à num.140. vsque ad n.146.*) sunt sequentes. Ex Theol. D.Tho. *2.2. q.63. art.2.* Vbi Caiet. *§. nota 4.* Bañez *dub.3.& 4.* Salon. *controu.3. colum.994.& contr.4. colum.1022.* Valent. *disp.5. punct.2.* Aragon. *art.2. conc.1. pag.311.* Syluius *q.4. concl.1.* Serra *dub.2. conc.3.* Adam Tanner. *disp.6. q.5. dub.3.* Torres *disp.22. dub.1.* vbi dicit *quod est certa sententia.* Malderus *tract.9. c.2. dub.7. concl.8.* Soto *de iust. lib.3. q.6. art.2.& lib.10. q.2. art.3.* Cardin. Lugo *tom.1. disp.35. sect.2. n.11.* Castro Palao *tom.2. tract.13. disp.2. punct.11. n.8.* Lessius *lib.2. cap.34. dub.14.* Filliuc *tom.3. tract.41. cap.4. num.177.* Candidus *disquis. 17. art.9. dub.1. conc.3.* Vasq. *de Benefic. p.2. §.3. dub.1.* dicens *esse omnium, exceptis paucis Canonistis,* qui forsan loquuntur in foro externo, & quantum ad validitatem electionis, aut collationis. Reginald. *in praxi lib.32. tract.3. à n.193.* Tamburin. *de iur. Abb. to.1. disp.15. q.3. à n.4.* Petr. Nauarra *lib.2. c.2. à n.120.* Miranda *in Manual. tom.2. q.23. art.13.* Rebellus *de oblig. iust. p.1. lib.3. q.4.* Rodrig. *in summ. c.106. & 108.* Vega *p.1. c.97. & c.109. casu 1.* Azor *p.2. lib.6. c.15. q.1.8.& 9.& c.21. q.5.* Nauarr. *in Man. cap.17. n.73.* & alibi passim Villalob. *p.1. tract.8. diff.3. n.11.* Ledesma *tract.7. c.2. conc.7.* Pater Valerus Carthusianus *in differ. verbo electio differ.1. num.2.* Diana *part.1. tract.15. qui est 1. Miscellan. resol.38. & 40. & 41.*

Ex Iuristis id tenent Couarruuias *reg. peccatum 2. part. §.7. à num.4.* Ceuallos *commun. q.659.* Nicolaus Garcia *part.7. cap.16.* Marcus Antonius Genuensis *in prax. cap.65. n.8.* Rodericus Acuña *ad cap. si forte dist.63.* Barbosa *ad cap. licet 8. q.1. de iur. Eccles. lib.1. cap.19. num.139. & in Collectan. ad Concil. sess.24. cap.18. num.66.* Guttier. *lib.2. canon. qq. cap.21. à num.47.* Valenzuela *consilio 76. num.39. & 73. & consil 93. num.1. & consil.166. num.52. volum.2. omnino* videndus. & Solorzano *tom.2. de Indiar. gubern. lib.3. cap.15. num.70.* Hi omnes Canonistas antiquos referunt, quos non vidi.

In idem conspirarunt Summistæ contra Gloss. *in c. licet ergo 8. q.1.& c. Monaster.16. q.7.& c.2. de offic. Custodis* & Pedrazam *in summ. præcep.7. §.36.* Ita D.Anton. *2. p. tit.1. c.20. §.1.* Armilla *verb. acce-*

ptio perſonarum n.2.& 3. ibi Angelus *n. 6. & 10.* Sylueſt.*q.2.& 4.& verb.electio 1.q.16.*Tolet.*lib.5. c.78.*Peyrinis *tom.1.de ſubdito q.1.cap.31.§.4.*Antonius de Eſcobar *tract.6.exam.1.de Benef.1.c.5.* Tabiena *verbo electio 1. num.13.*

1513. Et hanc ſententiam ſecuta eſt Rota Romana *in cauſa Toletani Canonicatus* 18. *Maij* 1584. *coram Sanctiſſimo Clemente VIII.& in Valliſoletan. præeminentiar.24. Nouembr.*1603. *coram Illuſtriſſimo Pamphilio*, qui modo eſt Sanctiſſimus Innocentius X. *n.*8. Quare Regulam iſtam ita abſolutè,& in genere prolatam ita certam exiſtimo, vt ſine errore negari non poſſit, cum de electione Epiſcopatus Sacrum Concilium Trident. modo afferendum determinauerit eſſe mortale peccatum digniorem non eligere.

Et quidem Cardin. Lugo *vbi ſup. n.*11. textus iuris Canonici quibus antiqui DD. & Moderni hanc Regulam comprobarunt conatur infringere, cum debuiſſet illos vrgere pro veritate tam neceſſaria in Eccleſia. Nam Leo I. *Epiſt.*82.*aliàs* 86.*c.6.*relatus *in cap. Metropolit.* etſi præceptum ſit de eo quod congregentur Prouinciales Epiſcopi, tamen hoc præceptum humanum eo dirigitur vt ciuium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ, vel Diaconis optimus eligatur. Quod multis confirmat Hieronym.vel Origenes. *hom.6.in c.*8.*Leuitici*,refertur *in cap.Licet ergo* 8. *q.*1. quod caput etſi non eſſet lex obligans,tamen eius Author declarat legem naturalem,& diuinam

1514. poſitiuam *quod qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad Sacerdotium. Et hoc eſt quod & Apoſtolus præcipit in ordinatione Sacerdotis,*dicens: *Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum*, &c. Similiter *cap. vt noſtrum*, vt Eccleſiaſtica Beneficia, &c. manifeſtè idem confirmat,ſiquidem ratio propter quam Innocent.III. reprehendit Archiepiſcopum Mediolanenſem, quia ipſum inuenit culpabilem, eſt, *Quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum officium, & Beneficium in perſona magis idonea diſpenſare.*

1515. Idem habetur *cap.cuſtos ſolicitus de officio cuſtodis* & ibi Gloſſa *verbo ſanctiores. melior, iuſtior.& ſanctior debet eligi*, tamen ſi alius eligatur, licet non ſit melior, ſufficit quod ſit ſufficiens, id eſt quòd electio erit valida. Et ſic intelligitur Gloſſa *in cap. licet ergo citatum* vbi videtur dicere quod licet eligere dignum, omiſſo digniore. Non quidem licet, erit tamen valida electio de iure communi. Hoc idem præceptum adſtruunt PP. Aug. *Epiſt.*29. *ad Hieron.* Bernard. *lib.4. de conſiderat. ad Eugenium.* Et quidem Innocent. III.& Leo I. locis citatis non inducunt nouũ præceptũ,ſed præſupponũt iure naturæ,& diuino poſitiuo inductũ.

1516. Quod ſatis declarat Sancta Trident. Synodus *ſeſſ.24.c.1.*in fine loquens de Summo Ponfice: *Eadem Sancta Synodus tot grauiſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium quam vt Beatiſſimus Romanus Pontifex quam ſolicitudinem vniuerſalis Eccleſiæ ex munere ſui officij debet,eam hic potiſſimum impendat vt lectiſſimos tantum ſibi Cardinales aſciſcat, & bonos maximè, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat*, &c.

Circa quod egregium teſtimonium ſunt duo notanda. Primò, quod Eccleſiæ Dei nihil eſt magis neceſſarium quam quod eligantur digniores Paſtores & bonos maximè, & idoneos maximè. Quare electo hoc valde debet attendere ne deficiat in neceſſariis, & peccatum grauiſſimum contra ius naturæ, quæ non deficit in neceſſariis, committat. Vnde eadem Sancta Synodus in principio eiuſdem capitis agens de electione Epiſcoporum (& idem eſt proportione ſeruata de aliis curam, & exercitium actuale Parochiæ habentibus) ſic fatur: *Nihil ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi indicauerint.* Non ergo lex humana,ſed diuina, & naturalis præcipit digniorem præferendum dignis, vt egregiè adnotauit Sanchez *vbi ſuprà num.29.* 1517.

Ex quo principio manifeſtè colligitur legatum 1218.
à latere, imo & Summum Pontificem mortaliter peccare ſi omiſſo digniore,Beneficium curam habens animarum conferat digno. Id quod expreſsè aduertit Aragon. *vbi ſup.fol.*208. & Leſſius *n.*64. Soto *de iuſt. lib. 3. q.6. art. 3. ad 5.* non enim eſt dominus ſed diſpenſator fidelis omnium Beneficiorum *cap.2. de præbend. in 6.* imo cum Sanctiſſimus cæteris & honore, & dignitate longiſſimè præſtet, fortiori nexu tenetur digniores ſemper optare.

Secundum quod eſt notandum in præfato teſtimonio eſt, quod ex muneris ſui officio debet eligere digniores (& idem potiori iure tenet in omnibus aliis) quia diſpenſator publicus, cum 1519.
ad ipſum ſpectet bono communi conſulere, non ſe gereret prudenter, nec ſatisfaceret obligationi ſui officij, ſi minus dignos eligeret, cum poſſet digniores. Et quis dicat Patrem non obligari ex vi patriæ poteſtatis ad dandam filio meliorem vxorem, ſi poteſt commodè? & quod non ſatisfactum ſi det bonam?

Sed probatur regula fundamento D. Tho. 2.2. *q.63. art.2.* quod enucleat ibidem Caiet.cui videtur etiam niti Sacrum Concil. Trid. loco citato. 1520.
Quia beneficia Eccleſiaſtica, etſi ſint inſtituta primario in vtilitatem Eccleſiæ, & fidelium; tamen cum hæc vtilitas non poſſit in exercitio conſequi, niſi per miniſtros idoneos, conſequenter etiam inſtituta ſunt in bonum, & vtilitatem Miniſtrorum, ſecundum proportionem quam habent in ordine ad maiorem Eccleſiæ vtilitatem. Quare ex vi inſtitutionis Beneficiorum attendi debet proportio perſonarum, earumque dignitas in ipſorum diſtributione, quæ diſtributio, vt ſecundum virtutem fiat, à iuſtitia diſtributiua promanat, cuius iuſtitiæ æqualitas in hoc conſiſtit quod diuerſis diuerſa dentur ſecundum proportionem ad dignitates ipſorum. Quare ſi non dignitatis proportio reſpiciatur, ſed id quod datur excedit dignitatem, reſpicitur perſona,& ſic eſt perſonarum acceptio, & peccatum contra iuſtitiam. Atqui dum confertur Beneficium digno, omiſſo 1521.
digniori,non attenditur proportio dignitatis quæ attendi debet ex vi inſtitutionis Beneficiorum, quæ ſecundum ſe debita ſunt illis quos eligens rationabiliter iudicat digniores.

Quod expreſſit, (me quidem iudice) Trident. *cap. citato*, dicens: *digniores eſſe eligendos, non precibus, aut humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis*: ergo iuxta eorum exigentiam diſtribuenda ſunt Beneficia,quamuis inſtituta eſſent in gratiam ſolius Eccleſiæ; hæc enim cum ſit corpus myſticum

Beneficia

1522. Beneficia conferre debet eo meliori modo quo magis verterentur in eius gratiam, & commodum; hoc enim modo rectius, & facilius regetur, & conseruabitur. Quare semper sunt bona communia, quæ secundum debitum iustitiæ distributiuæ conferri debent: & pinguius deberet conferri digniori, & minus pingue minus digno, iuxta ea quæ dicam in limitationibus huius Regulæ. Quare etiam si Beneficia instituta essent in gratiam totius Ecclesiæ solum (quod nullatenus est admittendum, cum Concilia, Patres, & Canones clament etiam esse instituta in præmium meritorum, ne doctrina, & veritas neglecta iaceat) adhuc publicus dispensator teneretur illa distribuere secundum debitum iustitiæ distributiuæ, aliàs in præferendo dignum digniori non esset personarum acceptio, quod dici nequit (de quo dico infra, ampliatione tertia, & hæc est moralis demonstratio D. Thom.

1523. Sed obiicit Cardin. Lugo *n.*16. quia si obligatio eligendi digniorem oritur ex eo quod instituta Beneficia in gratiam eligendorum, quibus debita sunt, tanquam bona communia, quæ distribuuntur à iustitia distributiua secundum proportionem meritorum ad præmia, sequitur quod si sint duo Beneficia æqualia quoad reditus, sed vnũ exigeret quod Beneficiatus haberet maiorem doctrinam, quod elector posset Beneficium istud dare minus digno, hoc est, minorem habenti scientiam, cùm alias esset vterque dignus quolibet. Quod videtur durum, nam non bene attenderetur bono Ecclesiæ exigenti maiorem scientiam.

1524. Respondetur argumentum nullius esse ponderis, quia Beneficia primario sunt instituta in bonum Ecclesiæ. Quare bona communia sic sunt distribuenda iuxta exigentiam meritorum, quod prius attendatur bono Ecclesiæ. Quare male dabitur Beneficium habenti minorem doctrinam. Tum etiam, quia supponitur impossibile quod habens minorem doctrinam sit æquè dignus cum alio habente maiorem, qualem exigit Beneficium.

1525. Obiicit secundò, quod si obligatio eligendi digniorem oritur quia Beneficium est debitum tanquam bonum commune, & institutum etsi secundario, in gratiam, & præmium digniorum: ergo si si est aliquis omnibus dignior qui nihil curet de Beneficio, nec illud petit, nec inuitus amittitur, posset elector eligere minus dignum. Quod videtur contra Patres, maximè Bernardum *lib.* 4. *ad Eugenium*; nam quo magis quis refugit officium, eò maior insurgit obligatio ipsum eligendi, quia dignior constituitur. Rursus, in Religionibus non esset obligatio eligendi digniores; sciunt enim electores quod isti Prælaturam non ambiunt, sed timent, & abhorrent, & sic nulla illis irrogatur iniuria, atque ita obligatio eligendi digniores nõ ex iure eligendorũ, sed ex bono cõmunitatis oriri.

1526. Respondetur argumentum non esse maioris efficaciæ quam præcedens, nam qui reipsa est dignior non curat de Beneficio, aut Prælatura, non tamen positiuè repugnat, nec renuntiat iuri quod habet ab bona communia. Et iste eligendus est omnino, quia non curare de Beneficio facit ex humilitate, vel ne ambitiosus appareat. Quare non deobligatur eligens ipsum eligere vt satisfaciat iustitiæ distributiuæ. Quod si non eligat fit iniuria digniori, quamuis de illa ipse non conqueratur; aut iste dignior positiuè repugnat sui electioni, & sic renuntiat virtualiter iuri suo. Quod an possit facere ipse viderit. Superior tamen attendens ad bonum communitatis potest præcipere ne repugnet, aut renuntiet, nisi habeat aliquod impedimentum, vt egregiè contemplatus est S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. cui præcepto tenebitur obedire. Quod si non obediat absque ratione, iam eo ipso redditur indignus: si autem cum ratione non est obligatio ipsum eligendi, quia iam renuntiat iuri quod habet, & bono communitatis per aliud medium succurrendum est. Quare bonum communitatis solum exigit quod Superior faciat quantum in se est ne dignior repugnet, & ne renuntiet iuri suo. Quod dixi de electione, dicendum est de approbatione facta in concursu ab examinatoribus Synodalibus. 1527.

§. VIII.

Ampliationes huius Regulæ.

Regula quæ verissima est in sua generalitate, in qua negari non potest, amplianda & restringenda est more nostro, vt breui stylo omnia comprehendamus. Igitur.

AMPLIATIO I.

De Episcopatibus, & Beneficiis curatis.

SVMMARIVM.

1528 *Præcedens Regula tenet non solùm in Episcopatibus, & in Beneficiis curam animarum habentibus, quæ conferuntur per concursum; sed etiamsi hæc conferantur per prouisionem liberam, &c.*

1534 *Adduntur quædam ad prædicta, & n.* 1535. *& 1536.*

Ampliatur primò, quod non solum teneat verum in Episcopatibus de quibus expresè Trid *sess.* 24. *cap.* 1. & in Beneficiis curam animarum habentibus quæ conferuntur per concursum, vt idem Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. *vers. peracto.* & Bulla Pij Quinti *in conferendis.* Sed etiam si Episcopatus, & Beneficia curam animarum habentia conferantur per prouisionem liberam, vt Reges prouident Episcopatus. Hæc ampliatio est contra Dianam *p.* 1. *tract.* 15. *qui est* 1. *Miscellan. resol.* 4. eam tamen tenent fere omnes citati. Legantur Lessius *n.* 64. Sanchez *dub.* 5. Aragon. *fol.* 312. *p.* 2. *& fol.* 313. *p.* 1. Salon. *fol.* 1010. *&* 1011. Lugo *n.* 8. *&* 18. loquens de Episcopis, & Cardinalibus, quia Episcopi eliguntur ad hoc vt grauioribus ouium necessitatibus opitulentur, peccata impediant, & fideles contineant in obseruantia legis quantum fieri potest; ad quæ magnum zelum, prudentiam, & studium requirunt. Et sic dignior, & aptior semper eligendus est; aliàs peccabunt Reges grauissimè contra iustitiam distributiuam. Quod mihi apertissimè videtur determinasse Trid. *sess.* 24. *c.* 1. dum dicit *peccare mortaliter* (si non eligant digniorem ad Episcopatum) *omnes, & singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant*, &c. Quibus verbis Sancta Synod. cõprehendit Reges, & Princip. & Officiales eorum quibus cura & diligentia inquirendi digniores commissa est, vt sunt Secretarius, & Consiliarij de Camera, & 1528. 1529.

1530. & præcipuè Reuerend. Pater Confeſſor; horum enim conſcientia grauiſſimè oneratur, ſi Regi non proponant meritis exigentibus digniores.

Ex quo fit quod quamuis Rex, aut Princeps ſupremus per ſe immediatè non teneatur facere inquiſitionem digniorum vt eos præſentet, vt Prælatus, aut Pontifex conferat Epiſcopatum, aut Beneficium, hanc inquiſitionem, & diligentiam moralem tenentur facere Miniſtri præfati; ſi enim non faciant ipſi onerati manebunt, & Princeps exoneratus. Et quidem quod hæc diligentia fieri debeat vt inquiratur dignior omnino certum eſt, quia qui obligatur ex vi officij ad finem, obligatus eſt ad eligenda media humana ad conſe-

1531. quendum finem neceſſaria. Vnde Dominus Caiet. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *verſ. nota* 4. dicit *quod quis tenetur eligere meliorem ex poſſibilibus moraliter.* Idem habetur *in ſumm. verb. electio* §. *ſcito.* ſequuntur Aragon *vbi ſupr.* & Salon. *pag.* 1003. dicens quod non requiritur quod exquirantur digniores per orbem. Et Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 174. quod non requiritur quod hæc diligentia fiat in Regno, ſed ſat eſt digniori cognito humana diligentia dare Epiſcopatum. Vnde ſat eſt Regi ex ſibi oblatis à Secretario, vel ab eo qui hoc munus habet eligere digniorem. Et ſic ego intelligo Reginaldum *in prax. lib.* 30. *cap.* 14. *n.* 197. dum

1532. dicit quod *Princeps non tenetur eligere digniores niſi in promptu ſint, ſed ſufficere eligere dignos; alioquin ſemper tenerentur digniorem quærere, quod à Papa, & Regibus exquirere durum eſt.* Quæ vtique doctrina vera eſt, ſi aliqua moralis. & humana diligentia, non ſuperficialis, ſed qualis decet Pontificem, & Reges fiat, ſi enim nulla talis diligentia præceſſit, dubio procul grauiter peccatur. Legantur Soto *lib.* 3. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 2. *conc.* 9. *ratio.* 1. Mercado *lib.* 6. *c.* 17. *fol.* 209. Couarruuias *regul. peccatum* 2. *p.* §. 7. *n.* 5. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 60. *num.* 99.

Vnde notat optimè Paleotus de Sacro Conſi-

1533. ſtor. *part.* 4. *quæſt.* 1. *verſ. quo loco. Cardinales in Sacro Conſiſtorio non teneri dicere eſſe alium digniorem, quam nominatum, quia ad ipſos non pertinet collatio, ſed ad ſolum Summum Pontificem, & ſolum ſunt adhibiti tanquam Conſiliarij, & tantum tenentur reſpondere ad interrogata, ſuamque conſcientiam tutam reddunt ex teſtimoniis quatuor Cardinalium in formam publicam redactis, & ab eiſdem ſubſcriptis, quibus committitur inquiſitio de qualitatibus promouendi.* Quare & noſter Rex ſecurus manebit in conſcientia ex teſtimoniis Miniſtrorum quibus id commiſit, niſi probabilem habeat ſuſpicionem quod male adminiſtrarent.

1534. Addo primò, cum Sanchez *vbi ſup. n.* 4. quod ſi electo, aut miniſter Regius habeat amicum, vel familiarem quem certiſſimo ſcit eſſe dignum. & ſatisfacturum officio ſuo, poteſt illum eligere, vel proponere, omiſſo digniore, quando non videtur certiſſimè, & euidenter eſſe digniorem, ſed id tantum ſcit probabiliter, & ex coniecturis. Quia certitudo de dignitate, & ſufficientia ſui familiaris magis præponderat, & certiorem reddit, minuſque expoſitum errori, quam cognitio probabilis.

1535. Addo ſecundò, cum eodem *num.* 5. bene me dixiſſe vbi ſupr. reſolut····· examinatores Synodales teneri ſub mortali renuntiare Epiſcopo quis ſit dignior inter oppoſitores in concurſu. Citat Medinæ verba quæ ego retuli, & quemdam doctiſſimum iuniorem à ſe conſultum. Et ratio eſt perſpicua ex dictis. Quia electo tenetur facere moralem diligentiam ad inueniendum digniorem, ad quod conſtituti ſunt examinatores Synodales: ergo & Epiſcopus tenetur eos interrogare, & ipſi renuntiare tenentur ex vi officij ſui.

Addo tertiò, id quod maximè notare velim Re- 1536.
ges, & eorum Miniſtros, non poſſe proponere Summo Pontifici vt eligat in Epiſcopum illum Religioſum qui adſtrictus eſt voto ſolemni non procurandi Epiſcopatum neque illud acceptare niſi coactus obedientia Summi Pontificis, vt ſumus adſtricti omnes Choriſtæ noſtræ Religionis. Cum enim, vt ait D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. *ad* 3. *Qui votum emiſit de non admittendo Epiſcopatum, ſi per hoc intendat ſe obligare ad hoc quod nec per obedientiam ſuperioris Prælati accipiat, illicitè vouet. Si autem intendit ad hoc ſe obligare vt quantum eſt de ſe Epiſcopatum non quærat, nec ſuſcipiat, niſi imminente neceſſitate, licitum eſt votum, quia vouet ſe facturum id quod hominem facere decet.* Cum enim hæc doctrina veriſſima ſit, & appro- 1537.
bata à Sede Apoſtolica in Bulla confirmationis noſtræ Religionis, Rex aut Miniſter eius qui vnum ex noſtris proponunt Papæ ipſum nominando ad Epiſcopatum, illicitè faciunt cum proponant hominem, ratione voti, incapacem. Niſi prius petant quod Pontifex præcipiat Religioſo Epiſcopatum accipere (hoc enim præcepto fit habilis) ſicut ſi nominaret illegitimum non petendo in ſupplica diſpenſationem, qua habilis redditur. Imo exiſtimo quod Pontifex non poteſt præcipere vni ex noſtris, quod Epiſcopatum accipiat niſi vrgente aliqua magna neceſſitate vel totius Eccleſiæ, vel pro pace Religionis. Quare ſi vnus ex noſtris digniſſimus ſit ſcientia, experientia, & moribus non tenetur Rex petere à Papa vt ipſum eligat in Epiſcopum, ſed poteſt nomi-
nare dignum qui non ſit tali voto adſtrictus. Vn- 1538.
de quilibet ex noſtris qui conſentit nominationi Regis de ſe factæ ante conſenſum, & præceptum Summi Pontificis peccat mortaliter. Sic enim declaratum fuit in quadam Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium pro hoc negotio facta Romæ *anno* 1645.

AMPLIATIO II.

De Beneficiis ſimplicibus.

SVMMARIVM.

1539 *Beneficia ſimplicia danda ſunt dignioribus, itaut ſit mortale ex genere dare dignis illis omiſſis.*
1542 *Vrgentia ſex fundamenta huius ſententiæ ponuntur, & num. ſeqq.*
1554 *Limitationes eiuſdem ſententiæ, & n. ſeqq.*
1566 *Inferuntur corollaria, & n.* 1567. & 1569.

AMpliatur ſecundò, Regula præfata quod Be- 1539.
neficia ſimplicia danda ſint dignioribus; ita vt ſit mortale ex genere dare dignis illis omiſſis. Per Beneficia ſimplicia intelliguntur Canonicatus, Dignitates, Portiones, & dimidiæ Portiones, Cardinalatus, Præſtimonia, & omnia illa quæ non habent curam animarum. Ita tenent plures ex citatis in Regula *Inter quos* Caſtro Palao *vbi ſuprà numero* 8. ſecutus Bañez 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *dub.* 5. contrarium (dicit) abuſum

quia

quia quamuis digni æquè possint satisfacere officio diuino, ac digniores, sed isti maiorem decorem,& authoritatem præstant Ecclesiæ. Sequitur Turrianus *disp.22.dub.5.num.7.*& multi alij.

Fateor hanc sententiam valdè probabilem esse,& securiorem. At contraria mihi probabilissima est, & tuta in praxi, appositis limitationibus infra adducendis. Ita Soto *lib.3.q.6.art.3.§.igitur. conclus.9.* Malderus *dub.7. citat. conc.7.* Aragon *pag.111.conc.1.* Siluius *q.4.conc.5.* qui addit optimam doctrinam infra adducendam. Rebellus *p.1.*
1540. *lib.3.q.4 conc.6.* Nauarra *de Restitut. lib.2.cap.2. num.148.*& ex parte tenet Cardinalis Lugo. *vbi suprà num.20.* Gutierrez *lib.2. canonic. cap. 11. num.12.* dicens *quod si contraria est vera omnes ferè Prælati essent in statu damnationis, prouidentes præfata Beneficia dignis, prætermissis dignioribus, quæ acerbissima esset profecto sententia.* Ex Guterrio transcripsit Diana *p.1.tract.15. qui est. 2.Miscellan.Resolut.38.* sequuntur Salon. *tom.1. column.1005.* Ledesma *in summ. tom.2. tract. 7. cap.2.conc.7.diff.15.fol.mihi 163.* vbi dicit: *Me parece muy probable, y casi cierto que no es necessario eligir al mas digno, sino que basta eligir al digno. Y prueuase lo primero del vso comun de la Yglesia que todos los Prelados, y Obispos se contentan condar los Beneficios simples que no se proueen por oposicion à los dignos.* Villalob. *2.p. summ. tract 8.diffic 4.num.3. El que siguiere la primera opinion no le auemos de condenar, pues que sigue opinion de hombres doctos, y se vsa tanto en practica.* Sequitur Vega *2.p summ.cap.17.casu 1.* Garzia *de Benefic. p.7. cap.16. num.16. & 17.* Candidus
1541. etiam *disquis.17. art.10.dub.2. conc. 4.* Sequitur Lugo asserens quod semel, aut bis conferre Beneficia simplicia dignis, omissis dignioribus, non est peccatum mortale, semper tamen est veniale.

1542. Huius sententiæ aliqua sunt vrgentia fundamenta. Primum. Quia licet *in cap.vnico, ne Ecclesiastica Beneficia.* Innocentius III. dicat, quod Beneficium simplex de quo ibi erat sermo debeat conferri digniori; tamen vt notant Garzia,& Gutierez, consuetudine contraria eneruata est constitutio illa; etsi enim constitutio præfata fundetur in iure naturali, secundum quod dignioribus distribuenda sunt bona communia maiora, vt exigit iustitia distributiua, vt ait D.Thom.2.2. *q.61.art.2.* tamen potest consuetudine introduci quod in Beneficiis simplicibus non habeatur ratio maioris principalitatis, & dignitatis maioris, sed sat est quod quis sit dignus vt licitè possit conferri Beneficium simplex. De hoc etiam videtur loqui *cap. Monasterium 16.q.7.* vt attente considerati constabit.

Secundum fundamentum sit ex doctrina Soti, Quia licet Beneficia curam animarum habentia
1543. sint præmia meritorum, & iuxta illorum exigentiam distribuenda, illorumque prouentus non præcisè pura operariorum stipendia, vt supra dicebamus ex Tridentino; tamen prouentus aliorum Beneficiorum simplicium sunt stipendia operarum,& seruitiorum, atqui stipendia non distribuuntur iuxta exigentiam meritorum, sed iuxta exigentiam operarum,& laborum, quos æquè bene quoad substantiam præstat dignus, ac dignior: ergo nulla fit iniuria quæ sit peccatum mortale, si in huiusmodi Beneficiis eligatur dignus, omisso digniore. Et quidem quod prouentus horum Beneficiorum sint stipendia laborum, & non præmia satis neruosè probant Soto *lib.3. de iust. quæst.6. art.3. vers. Conclusio hæc.* Aragon *vbi supr. pag.310. vers. Sed pro explicatione.* Et clare colligitur *ex Cap. Cum secundum Apostolum de Prabendis. Et cap.finale de rescriptis*; dantur enim huiusmodi beneficia, non in instructionem fidelium, sed sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, qui diuino cultui assistunt, & Altari inseruiunt. Et sic optime Garzia *vbi supr.num.16.* quod de iure diuino & naturali ista Beneficia non videntur esse bona communia, & præmia meritorum: nec est hodie præceptum quod dentur dignioribus. 1544.

Tertium fundamentum sit valde efficax, quia 1545.
huiusmodi Beneficia, & si sint bona communia, tamen cum dentur propter officia, & Ministeria quæ beneficiati exercent in Ecclesia, vt egregie aduertit Soto, in illorum Beneficiorum distributione non debemus considerare eligendorum qualitatem, meritorumque momenta absolute,& secundum se, sed in ordine ad prouinciam, fundationem, & ministerium sunt pensanda. Quod expressit Paulus *ad Ephes.4. num.7. Quosdam dedit Pastores, & Doctores in opus ministerij.* In Beneficiis autem simplicibus functio, & ministerium est valde limitatum ad quod non influit excessus dignitatis, & meritorum, vt est recitatio diuini officij, sacrificium offerre, Epistolam, aut Euangelium Canere, in ordine ad quæ omnes sunt æque digni: & ita bene potest illa exercere insignis Theologus, ac mediocris. Et sic ex- 1546.
cessus in ordine ad hæc ministeria leuis est, & paruus reputatur. Et sic defectus in distribuendo bona hæc communia mortalis non est. Vnde Tridentin. *sess.24. cap. 12.* loquens de Dignitatibus, vel personatibus, quibus animarum cura nulla subest dicit: *Clerici alioquin idonei 22. annorum, & non minores asciscantur.* & infra solum hortatur vt in prouinciis *vbi id cómode fieri possit dignitates omnes, vel saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis & in Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia, vel iure canonico.* & sic non necessario conferri debent aptioribus, & dignioribus, cum his verbis solum Consilium, non præceptum contineatur vt declarauit Sacra Congregatio apud Barbosam *sess.22.cap.1.*

Quartum fundamentum sit, quia licet confer- 1547.
re beneficium digniori oriatur ex præcepto naturali quo tenetur dispensator publicus prospicere bonum communitatis, vt vult Cardinalis Lugo: cæterum iste non obligatur sub mortali conferre Beneficia simplicia, quæ nullam habent curam animarum, aut iurisdictionem digniori, sed sat est quod dignis conferat; fideliter enim administrat bonum commune, si sine notabili damno illius dispensat beneficia; atqui non est notabile damnum illatum communitati si beneficia isthæc, dignis omissis, dignioribus dentur; nam iuxta hoc principium dignior non habet aliquod speciale ius ad beneficium, sed communitas exigit quod dispensator prouideat de Ministris idoneis. Vn- 1548.
de sapienter, & summa aduertentia Summus Pontifex *in cap. Grauissimis. de Prabendis.* ad euitandam indignorum electionem quæ morbus pestilens est in Ecclesia dicit: *Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, vt prætermissis indignis, idoneos assumant.* Non dicit *magis idoneos*, sed idoneos ad minus præcipit eligere ex quorum

electione damna Ecclesiæ vitantur. Quod præceptum ad minus in beneficiis simplicibus locum tenet, & idonei electione illi iussioni fit satis; iste enim muneri suo satisfaciet sufficienter, & obuiabit periculis, & inconuenientibus communiter occurrentibus, quamuis non inconuenientibus extraordinariis, quibus occurret cum Consilio aliorum à quibus in illis euentibus tenetnr dignus Consilium petere; etsi enim ista beneficia sint bona communia tamen ante legem Ecclesiasticam non sunt positiue distribuenda iuxta leges distributiuæ iustitiæ quæ partitur bona secundum exigentiam meritorum, sed dicuntur communiter distribui, quatenus Ecclesiasticis debent distribui, & non sæcularibus. 1449.

Quintum fundamentum sit, quia vt vult Lessius *vbi supra numer.* 16. Collator beneficiorum tanquam œconomus, aut Villicus cui commissa est cura vineæ tenetur ex fidelitate ex vi sui officij domino debita conducere operarios non solum dignos, sed digniores. Vnde si eligat illos & non istos ex amicitia, aut affectu carnali peccat contra fidelitatem non euitando damna quæ sequi possunt,& non promouẽdo ad bonum, ad vtrumque enim obligatur ex vi villicationis suæ, & sic Collator beneficiorum simplicium semper tenetur ex fidelitate eligere digniores. Cæterum hoc fundamentum nullum est, & nostram Resolutionem confirmat, quia œconomus, aut Villicus non tenetur ad amplius quam dominus eius prudenter administrando faceret, si per se ipsum administraret: atqui dominus vineæ non semper quæreret meliores operarios, sed istis omissis eligit bonos, vel ex amicitia, vel ex amore sanguinis, vel ex aliis motiuis: ergo œconomus,aut villicus non tenetur ex vi sui officij ad exactissimam diligentiam in procurando meliores operarios, sed satisfacit sufficienter fidelitati si bonos eligat: ergo similiter satisfaciet collator Beneficiorum simplicium, si bonis, relictis melioribus,conferat. 1550. 1551.

Sextum, & vltimum fundamenteum sit, quia vt multis citatis tenet Thomas Sanchez *vbi sup. dub. 2. numer.* 17. Cardinalis Lugo *num.* 21. Siluius, Candidus, Salon. Villalobos, & fere omnes citati supra pro regula principali contra Turrianum *disp.* 22. *dub.* 1 *num.* 6. dicunt quod quando excessus dignitatis in eo qui omittitur paruus est supra eum qui eligitur,tunc non est peccatum mortale eligere dignum, omisso digniore, quia damnum quod infertur Ecclesiæ paruum est; atqui in Beneficiis simplicibus respectu suæ administrationis in ordine ad quam sunt instituta, si dantur dignis paruus est excessus: ergo non est peccatum mortale. Quod adeo verum est quod iuxta horum Doctorum sensum eriamsi Electores iurauerint eligere meliorem, aut conferatur Beneficium per concursum, & oppositionem, si excessus vnius oppositoris paruus est, & leuis, non sit peccatum mortale eligere minus dignum, quia cum excessus leuis sit fundat ius leue,& non magis ponderis, vt inducat obligationem iustitiæ, aut Religionis sub mortali. Ita Sanchez *n.* 19. Et Lugo *num.* 23. sed hoc magno grano salis est intelligendum, quia multoties amor, amicitiæ, & amicorum supplicatio faciet apparere leuem excessum, qui alias magnus est. 1552. 1553.

Hanc resolutionem tot fundamentis firmaui in gratiam tam Regum,& Principum habentium ius Patronatus,quam Dominorum Episcoporum, 1554.
vt illi securi possint ad huiusmodi simplicia præsentare, & isti conferre ea possint dignis, omissis dignioribus secundum se. Verum enim vero limitanda est hæc sententia, & aliquæ illationes deducendæ ad maiorem claritatem.

Prima limitatio. Quod non debet intelligi de Beneficiis duplicibus primæ classis, qualia sunt Dignitates omnes maiores, vt Decanatus, Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Cantor Maior, Præpositus, Magister Scholæ; istæ enim si habent iurisdictionem, aut animarum curam, dubio procul debent dari dignioribus. Si tamen non habeant curam animarum, etiam debent dignioribus conferri, quia ex istis magnus splendor, & decor Ecclesiæ accrescit, & vt ait Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *Cum dignitates, in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus ad conseruandam,augendamque Ecclesiasticam Disciplinam fuerint institutæ, vt qui eas obtinerent pietate, præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera, & officio iuuarent, &c.* Et idem dicerem de Cardinalatu qui est supremum Beneficium post Papatum; sunt enim Eminentissimi Cardinales Consultores,Fratres, & coadiutores summi Pontificis, *cap. Fundamenta de Elect. in* 6. eique assistũt in Conciliis, & à Consiliis,fiuntque Legati à latere ad res grauissimas totius Ecclesiæ *cap. Per venerabilem qui filij sint.* suntque de corpore Pontificis. Vnde Eugenius III. ad Henricum Archiepiscopum Cantuarien. scribens dicit: *Quod Cardinalatus dignitas est Episcopatu,& omnibus aliis excellentior, & ita hactenus in Ecclesia reputata.* Et sic Sancta Tridentina Synodus *sess.* 24. *cap.* 1. *in fine* declarat grauissimis verbis obligationem grauissimam quam habet Summus Pontifex ex muneris sui officio, vt lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat. Sicut enim se habent Cardinales respectu Summi Pontificis, sic proportionali modo se habent Dignitates Ecclesiæ Cathedralis respectu Episcopi. Quare iste ex muneris sui officio ad illas tenetur sibi asciscere lectissimos homines qui commode haberi possunt; & Patronus tenetur similes præsentare, Ecclesiæque iniuriam magnam inferent si aliter fecerint. Verum est quod ad huiusmodi dignitates si curam animarum non habeant, non tam requiritur tanta litteratura quanta morum honestas rerum agendarum, experientia, & eximia Nobilitas, aut magnum commodum,quod Ecclesiæ accrescat,si aliàs subiectum eligendum dignum sit. 1555. 1556. 1557. 1558.

In aliis autem dignitatibus quæ primæ classis non sunt, vel Canonicatibus, etiam si sint Beneficia duplicia, dummodo non habeant annexam curam animarum, possunt dari digno,omisso digniore. Dixi dummodo curam animarum annexam non habeant, vt sunt multi Priores, & Abbates sæculares, qui præsunt toti Collegio Canonicorum in Collegiatis; isti enim habent iurisdictionem in Canonicos, illis præcipiunt, & gubernant. Quare Dignitas quælibet aut Canonicatus, quibus vnita est Parrochialis, etsi non conferantur per concursum, vt tenuit Rota *apud Farinacium p.* 2. *num.* 23. & Margarita Confessor *verbo Beneficium* & *verbo Canonicus* refert decisum à Sacra Congregatione. Similiter si ille qui approbatus per concursum non vult admittere pensionem, possit Papa sine concursu, & per simplex examen conferre Beneficium curatum, vt tenuit Rota *decis.* 48. *p.* 1. *Diuersor.* vt refert Aloysius Becius *in Praxi Resolution.* 359. 1559.

Tamen

1560. Tamen hæc omnia debent conferri dignioribus qui commode haberi possint, propter annexam animarum curam quæ illis incumbit, nisi non solum exercitium curæ, sed etiam ipsa animarum cura translata sit in Vicarium perpetuum; nam tunc debet conferri Vicariatus per concursum, vt tenuit Rotta *apud Farinacium p.2. decis. 579.& decis. 710.num. 5.* quod si Vicarius nominandus est à Dignitate, vel Canonico cui annexa est animarum cura, debet dignior nominari
1561. iuxta principia tradita. Et idem iudicium esto de Commendis perpetuis, quæ etiam habent animarum curam, quamuis huius exercitium aliis commissum sit. De quibus Gonzalez *ad Regul.8. Gloss.5.§.8 à num.2.* Garcia *p.5.cap.14 à num.48.* Barbosa de *potest. Episcop.alleg.59. à num.2.* Imo etiam si commenda sit temporalis, quia quamuis hæc non sit proprie Beneficium, sed seruitium, tamen habet animarum curam. Legantur Gonzalez *à num.35. Glossa in cap. Nemo deinceps.15.de electio. verbo commendare.*

1562. Neque obstant huic Doctrinæ ea quæ Siluius *vbi sup. conc.5.* quod licet nostra sententia possit admitti in Capellaniis, & Canonicatibus qui exigui sunt momenti, & paruorum fructuum; at vero in Canonicatibus, & Beneficiis maioris momenti, vt quæ habent suffragium in Electionibus ad Dignitates, aut ad Beneficia curam animarum habentia, & in regimine bonorum Ecclesiasticorum vtpote habentes vocem actiuam in Capitulo, si sint in Sacris, multum autem Ecclesiæ interest optimos habere Canonicos, ne bona Ecclesiastica male dissipentur. Vnde ex omissione dignorum magnum sequitur Ecclesiæ detrimentum, & etiam dignioribus se offerentibus ad Beneficia vacantia; tum etiam in prouisionibus Canonicatuum qui dantur propter oppositionem.

1563. Respondetur enim quod quamuis officium Canonicorum in duobus præcipue consistat in stallo in choro cum participatione diuinorum, & in loco in Capitulo cum voce actiua, vt ex multis iuribus colligit Sebastianus Cosser. *in relectio. de Eccles. ast. Hierar. disput.12.§.6.num.47.* tamen id ad quod principaliter est institutus stallus in choro, & seruitium diuini cultus, in ordine ad quod omnes digni æquales fere sunt; locus autem in Capitulo est accessorium, quod potest dignus exercere cum consilio dignioris, & sapientioris, siue in Capitulo, siue extra capitulum existentis.

1564. Vnde Capellania, Præstimonia, & alia beneficia simplicia quamuis magnorum prouentuum, & fructuum possunt licite conferri dignis, omissis dignioribus. Pro quo adduco insignem doctrinam Caietani *in summ.verb.Beneficium cap.2.* vbi postquam dixit quod beneficia debent conferri dignioribus, subdit hæc aurea verba: *Hæc omnia intellige de Beneficio simpliciter, hoc est, quatenus est beneficium honoris, & prouentus bonorum temporalium, nam sic ad regulas distributionis communium bonorum reducitur. Dico autem hoc quia si ad principale secundum veritatem in Beneficio inuentum, hoc est officium pascendi, mini-*
1565. *strandi diuina, persoluendi, &c. spectetur, non esset distributio bonorum, sed malorum, hoc est, onerum, & sufficeret eligere dignum, quoniam cessat ibi ratio acceptionis personarum, quamquam in bonis dignior postponitur.* Hæc sapienter Caietanus. Et idem repetit *ientaculo 14.* dicens *quod tempore Apostolorum Episcopatus* (& idem est de Parochiatu, & aliis beneficiis curatis) *non erat honoris, sed oneris.* Non quia non erat suprema Dignitas in Monarchia Ecclesiastica (hoc enim negari nequit) sed quia dignitas hæc erat instituta ad onus.

Ex quo principio profundissimo clare colligi- 1566.
tur primò, quod si non adesset lex Ecclesiastica quæ beneficia etiam curata constituit bona communia distribuenda iuxta exigentiam meritorum, & tanquam illorum præmia, non esset peccatum acceptionis personarum illa tribuere digno omisso digniore. Et si hoc vult Castro Palao *vbi suprà. numero 8.& 9.* bene dicit; tamen supposito quod ab Ecclesia sunt constituta bona communia, iure naturæ tenetur dispensator dare digniori, & non digno, quia ius naturæ præcipit quod totum respiciat partes, secundum ipsarum Dignitatem maiorem, vel minorem.

Colligitur secundò, quod licet Summus Ponti- 1567.
fex Beneficiorum omnium sit supremus dispensator, peccat grauiter, vt supra vidimus, si Episcopatum, & alia beneficia curam animarum habentia det digno, omisso digniore. Tamen non peccabit mortaliter peccato acceptionis personarum contra iustitiam distributiuam. Ratio est, quia ista Beneficia ex sua institutione primaria quam habuerunt à tempore Christi, & Apostolorum, imo ab ipso Christo, & Apostolis non sunt bona communia distribuenda secundum proportionem meritorum, sed potius sunt onera grauissima, & humeris humanis formidabilia, cum ipsi sint reddituri rationem, non solum de propriis factis, sed de alienis ouium suarum; est enim proprium munus Episcoporum pro subditorum salute diligenter inuigilare, ne subditorum sanguis de manibus Pastorum requiratur, vt dicitur *in cap. Irrefragabili. iuncto cap. Inter cætera. de offic. Ordinarij.* Vnde eius arma sunt lachrymæ, & 1568.
orationes, *cap.1.& 2.23.quæst.8.* Alia munia enumerat Barbosa *de potest. Episcop.tit.1.cap.6.n.14.* quæ onera sunt grauissima. Quare quod ista beneficia sint facta bona communia distribuenda iuxta meritorum exigentiam ex lege humana Ecclesiastica ortum ducit. Qua lege non obligatur sub mortali Supremus legislator Pontifex Summus, vt est communis sententia. Quare ex lege distributiuæ iustitiæ non tenetur ea distribuere dignioribus, quamuis ad id astringatur alio præcepto naturali, quo tenetur respicere bonum communitatis, cuius est Gubernator, & supremus Rector. Et si hoc vult Eminentissimus Card. Lugo. recte dicit.

Colligitur tertiò, quod resignans Beneficia sim- 1569.
plicia, & Patronus præsentans ad illa, etiam si sit Ecclesiasticus, non tenetur præsentare digniores, sed sat est si dignos, quia si Principalis collator, aut elector tenetur eligere digniorem, ita nec resignans, aut permutans, aut Patronus, sed sufficit quod ponatur dignus. Imo addo quod mihi videtur, quod huiusmodi nec venialiter peccabunt, si omittant digniorem, non ex odio, aut malitia, sed quia indicant dignos æque bene satisfacturos muneri, & officio horum Beneficiorum simplicium. Sed de hoc iudicent alij, mihi tamen sufficit ex fundamentis positis quod non peccabunt mortaliter.

***

AMPLIA

AMPLIATIO III.

De resignatione, permutatione, & coadiutoria, siue regressu.

SVMMARIVM.

1570 *An resignans, permutans, & dans in coadiutoriam debeant etiam facere respectu digniorum, an sufficiant digni? & numer. seqq.*

1570. LOquimur de Beneficiis curatis, & aliis duplicibus primæ Classis, quæ vt supra vidimus debent dari dignioribus, an scilicet resignans, permutans, & dans in coadiutoriam debeant etiam facere respectu digniorum, an sufficiant digni.

Multi ex Authoribus quos adduxi in regula tenent quod resignans tenetur resignare in digniorem. Ita tenent Nauar. Miscellan. *de orat.* 38. *n.* 7. Vasquez *de Benefic. cap.* 2. §. 4. *num.* 100. Palatius *in summ. verb. Beneficium num.* 4. Nauarra *de restit. cap.* 2. *num.* 173. *fol.* 106. Cardinal. etiam Lugo *sect.* 4. plura dicit considerationè digna. Primò, quod regula adæquata, & vnica an licita sit hæc renuntiatio in dignum omisso digniore est damnum quod Ecclesiæ infertur ex tali renuntiatione; si enim magnum, & notabile sit, fieri non
1571. potest, si tamen leue, fieri potest. Secundò, quod renuntiatio Episcopatus nunquam admitti potest, sicut non admittitur in Hispania, quia non sine magno damno Ecclesiæ fit. Tertiò, resignatio Beneficij Curati pro simplici, & è contra, non nisi re bene examinata est admittenda. Quartò, quod renuntiatio simplex in gratiam alicuius digni fieri potest concurrentibus circunstantiis quæ tollant periculum grauioris damni in Ecclesiam.

1572. Sed nihilominus quod in resignatione, siue fiat simpliciter in fauorem, siue permutando cum Beneficio simplici, siue Curato, valide & licitè fiat in dignum, omisso digniore, tenet communis sententia, quæ mihi omnino certa est. Ita Sanchez *vbi sup. dub.* 7. Salon. *controuers.* 4. Turrianus in hoc deferens Magistrum suum Vasquez *dub.* 5. *num.* 11. Malderus *dub.* 7. *conc.* 12. Castro Palao *punct.* 11. §. 2. *num.* 11. Lessius *dub.* 13. *in fine.* Azor 2. *part. lib.* 6. *cap.* 15. *quæst.* 10. Et Eminentissimus Caietan. *in summ. verb. Beneficium cap.* 2. vbi sic loquitur: *Cum renuntiatur Beneficium in fauorem alicuius sufficit Collatori quod ille sit dignus, quoniam æquitas præfert aliis illum tunc pro sic vacante Beneficio in cuius signum nullus conqueritur, quando per viam renuntiationis digno confertur Beneficium, quantumcumque digniori esset conferendum, si alia via vacasset.* Hæc ibi. Quibus fundamentum nostræ sententiæ tribuit
1573. contra Cardinalem Lugo qui rem magis scrupulosam constituit, quam decidit, quia supposito quod resignatarius dignus sit, sufficit resignanti, cum non sit distributor boni communis, nec dispensator publicus, siquidem Beneficium vt sibi applicatum, iam non est bonum commune, sed proprium illius, & sic non respicit totum parres, sed pars parti ius suum tribuit, quæ non offendit Ecclesiam, cum illi de ministro idoneo prouideat. Vnde iura decernentia quod dignioribus dentur, loquuntur de prouidente, & conferente Beneficia vacantia, non de resignante, permutante, aut regressante; de his enim omnibus par est ratio, & sententia, vt notat Sanchez *numero* 6. & 7.

Secundò, quia quando Beneficium curam ani- 1574.
marum habens resignatur, permutatur, aut regressatur nullo modo confertur resignatario per concursum oppositorum, etsi resignatarius debeat examinari, & approbari idoneus ab examinatoribus Synodalibus, vt Sacra Congregatio Concilij declarauit in tribus casibus, vt referunt Parisius *de resignat. part.* 1. *quæst.* 7. *num.* 7. & 8. Guttierez *lib.* 2. *qq. Canon. cap.* 11. *n.* 12. Massobr. *in prax. habendi concursum disq.* 13. *dub.* 17. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 6. *à num.* 121. Lessius *vbi sup. num.* 84. & alij quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 58. *à num.* 21. & idem dicit multis citatis *num.* 22. de permutatione Parochialium, nisi alias fuerint examinati 1575.
quando Parochiales sunt adepti, vel si est magna inæqualitas Parochianorum, tunc examen, sed sine concursu exigitur. Legantur Garcia *part.* 9. *cap.* 2. *à num.* 165. Filliucius *tractat.* 41. *cap.* 4. *à num.* 137. Et sic manifestum quod resignans non tenetur eligere digniorem, sed sufficit quod in examine approbetur dignus, & qui possit obuiare sufficienter damnis quæ communiter possunt occurrere. Suppositio enim quod examinatores resignatarium dignum approbent, cum nomine Ecclesiæ illum approbent, & Canones non exigant nisi dignum, videtur Ecclesia renuntiare, si aliquod damnum extraordinarium sequatur ex 1576.
collatione facta resignatario dumtaxat digno. Quare ea inconuenientia quæ Cardinalis enumerat maiori ex parte euitantur præmisso examine. Et sic Collator secura conscientia potest conferre Beneficium digno in cuius fauorem fit resignatio.

Quæ doctrina etiam tenet verum in Episcopa- 1577.
tibus, quamuis in his raro fiant resignationes, non quia non sufficienter fieret in dignum approbatum talem, quo inconuenientia euitarentur, quæ communiter accidere solent, sed in Hispania non permittit Rex qui est Patronus, nam si fiat resignatio aufertur ab eo ius præsentandi in talem Episcopatum qui resignatur, aut permutatur. Pontifex autem etsi possit licitè concedere licentiam permutandi, tamen eam non concedit, quia non est in vsu Ecclesiæ, & videtur aliqualis indecentia.

AMPLIATIO IV.

De Canonicatibus Magistralibus, & Doctoralibus, & aliis quæ dantur per oppositionem.

SVMMARIVM.

1578 *Doctores de materia huius ampliationis latè tractantes.*

1579 *In Ecclesia Dei semper fuit maxima cura vt in Cathedralibus essent Doctores, & Magistri, &c.*

1583 *Canonicatus Magistralis Sacræ Scripturæ, & Pœnitentiarius dupliciter possunt prouideri.*

1586 *Canonicus Theologalis, aut Lector Sacræ Scripturæ, aut Pœnitentiarius non potest optare aliam præbendam, nisi prius resignet illam.*

1590 *Cano*

1590 *Canonici tenentur accedere ad Lectionem Theologiæ Moralis, & Sacræ Scripturæ.*

1602 *Aliqua adnotanda circa prouidendi modum Magistralis, & Doctoralis. Proponitur dubium, & resoluitur. ibidem n. seqq.*

1612 *An Graduatus in aliqua vniuersitate, v.g. Parisiensi, vbi examinantur Doctores præuio rigoroso examine, vt requirunt Summi Pontifices, si postea incorporetur in aliqua vniuersitate Castellæ, sit habilis ad concursum horum Canonicatuum ex vi huius incorporationis, & n. seqq.*

1617 *Euertuntur fundamenta opposita. & n. seqq.*

1620 *Nunquid si aliquis sit Doctor graduatus per Vniuersitatem Hispalensem, &c. sufficiat, vt sit habilis ad concursum horum canonicatuum?*

1632 *An si quis ex malitia, errore, &c. ostendat schedulam sui suffragij alicui ex Electoribus, electio sit nulla ob defectum secreti, si electus vnico tantùm voto tuo alios oppositores vincat? Resoluitur, ibid. & n. seqq.*

1641 *Inferuntur quædam corollaria. & n. 1655. 1657. & seqq.*

DE materia huius Ampliationis late tractant Garzia *de Benefic. part. 3. cap. 4. à num. 108.* 1578. *vsque ad numerum 233.* Castro Palao *tom. 2. tract. 13. disput. 3. punct. 5.* Nicolaus de Rebbe *tract. de Canonicatu, & Præbenda Theologali.* Barbosa *in Collectan. ad Trident. sess. 5. cap. 1. & sess. 24. cap. 8. à n. 4.* sunt enim plura scitu digna, tum ad praxim, tum ad theoricam quæ breui calamo sunt percurrenda.

Semper fuit in Ecclesia Dei maxima cura vt in Ecclesiis maxime Cathedralibus, essent Doctores, & Magistri qui studia litterarum, liberalium- 1579. que artium dogmata assidue docenat, quia in his maxime diuina manifestantur, atque declarantur mandata. Sic Synodi Romanæ sub Eugenio II. & sub Leone IV. & sub Gregorio VII. Concilium etiam Lateranense sub Leone X. & Trident. *sess. 5. cap. 1. & sess. 24. cap. 8.* Sixtus IV. *Bulla edita anno 1474. Kalend. Decembr. Pontificatus sui ann. 4.* Leo X. *Motu proptio edito in confirmationem Bullæ Sixti sub die 10. Aprilis Pontificatus sui anno 4.* & in alia *Bulla eiusdem 10. Kalend. Septembr. anno 1521.* Similiter vt refert Guttierez *lib. 2. canonicar. cap. 11. num. 32. ad petitionem, & supplicam Philippi secundi Regis* (forsan fallitur quia ad instantiam Caroli Imperatoris Patris Philippi) 1580. & Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium horum regnorum indultum est à Summo Pontifice vt in vnaquaque Cathedrali prima vacatura Præbenda Canonicatus prouideretur Magistro in Sacra Theologia, & altera Licentiato, vel Doctori in vtroque, vel in altero iurium ad defendenda iura, & causas Ecclesiæ. Id quod in tota Hispania executioni traditum est ab hinc plus centum annis. Quod indultum vt sanctum & iustum præcipitur obseruari. *lib. 25. tit. 3. lib. 1. nouæ Recopil.*

Idem Philippus III. præcipit obseruari in Ecclesiis Cathedralibus Indiarum per schedulam 1581. datam 14. *Maij* 1604. & alia missa *anno* 1609. quamuis in aliquibus Ecclesiis non sit mandata executioni, tum propter paucitatem Canonicorum, tum propter tenuitatem Ecclesiarum. Tamen Regius zelus semper viget vt instituantur; imo in multis Ecclesiarum Hispaniæ non solum sunt Canonicatus Magistralis, & Doctoralis, & Sacræ Pœnitentiariæ, sed etiam est alius Deputatus ad interpretandam sacram Scripturam vt in hac insigni Hispalensi, & Doctoralis est duplicatus vt in primate Hispaniarum Toletana. In Hispalensi tamen præter assignatos Canonicatus quatuor est Cathedra moralis Theologiæ, cum insigni fructuum prouentu, quæ non datur per concursum, sed ad libitum Archiepiscopi, iuxta Decretum Trident. & declaratio- 1582. nem Eminentiss. Cardinalium, & quamuis Capitulum habeat simultaneam in prouisione præbendarum Ecclesiæ, eam non habet in prouisione huius Cathedræ.

Verum aduertendum maximè est quod Canonicatus Magistralis Sacræ Scripturæ, & Pœnitentiarius dupliciter possunt prouideri, aut secundum ius commune, aut per speciale indultum 1583. quo habetur vt dentur per concursum oppositorum quorum merita pensitabunt Episcopus, & Canonici in Sacris per secreta suffragia eligentes digniorem. Qui modus prouisionis est in tota Hispania conuocatis per edictum publicum oppositoribus; prior tamen modus in aliis Ecclesiis exteris in vsu est.

Iuxta quem aliqua dubiola decidenda erant. Sed videatur Nicolaus de Rubbe qui plura inculcat, & determinat. Sed quia liber rarus est, breuiter transcurram quæ dicit.

Primum ex Rebuffo quod Canonicus Theologus etiam distributiones recipit cum absens fuerit à diuinis causa lecturæ, vel studij, non obstante statuto Canonicorum in contrarium, quod non valet in præiudicium istius Theologi, cum infe- 1584. rior legem Superioris tollere non possit *Clementina. Ne Romani. de electio.* statuitur enim in Lateranen. sub Leone X. *quod etiam si absens fuerit à diuinis, nihil perdat.* Ex quibus verbis infert Rebuffus quod nec anniuersaria, neq; aliud aduentitium amittere debet: & si daretur aliquid pro ingressu alicuius contractus singulis Canonicis, hic Theologus suam partem habebit, vel si reciperetur Canonicus qui solueret ex consuetudine prandium Canonicis præsentibus, isti Theologo deberetur etiam prandium, vel si præsentes tantum haberent optionem, iuxta *cap. Finale. de consuetudine in 6.* iste Theologus eam haberet vt 1585. alij, quia nihil perdere debet, *nec aliquid mea causa perdet.* Vnde addo ego, quamuis de iure communi non debeantur distributiones quotidianæ pro illis horis quibus legit, per Gloss. *vltim. c. Quia nonnulli. de Magist.* tamen Gregorius XIII. illas ei deberi voluit, non modo pro illis horis, vt si mane legat pro horis matutinis, & Missa solemni, sed etiam pro tota die. Ita Moneta *de distrib. quotidian. p. 2. quæst. 10. num. 27.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 56. n. 8.* & in Collectan. *ad Concil. sess. 5. cap. 1. n. 34.* Quod an teneat in examinatoribus Synodalibus dicam infra Resolut.....

Addo secundò, quod Canonicus Theologalis aut Lector Sacræ Scripturæ, aut Pœnitentiarius, non potest optare aliam Præbendam, nisi prius resignet illam. Quare cum Præbenda Theologa- 1586. lis detur per electionem præuio examine, Theologus non est admittendus ad ius optandi præbendas. Ita Garzia *vbi infra. n. 134.* Gonzalez *n. 78. & 80.* Sella dicens sic declaratum 7. *die Iunij* 1601.

prout

prout refert Barboſa *in Collect.ad cap.1. deciſ.5.à n.*20. Dixi *Præbendas*, quia alia Beneficia poteſt optare vt ſeruatur in Eccleſia Cordubenſi. An vero Theologus Canonicus lucretur Anniuerſaria dicendum eſt obſeruandas Eccleſiarum conſuetudines.

Dicit ſecundum *pag.*14.quod ſi deeſſent Theologi poteſt Epiſcopus eligere Decretorum Doctorem,vel Licentiatum; ius enim canonicum proxime accedit ad Theologiam, in ſymbolizantibus autem, vt aiunt Iuriſconſulti,facilior eſt tranſitio. *l.vnus.§.pactus.D.de pactis.* eſt enim ſcientia Canonica practica Theologiæ, & propterea etiam Theologo neceſſaria iuxta Anton.*3.p.ſum.tit.5.c.* 2.§.2.*text.in c.qui Eccleſiaſt.diſt.*36. vnde ait Rebuffus, ſi fuerit vnus Theologus Concionator,& mixtus in iure canonico, ſeu optime verſatus in Theologia morali, is erit præferendus alteri qui tantum eſt ſubtilis in diſputationibus metaphyſicalibus de Trinitate, de natura Angelorum,*per c. Cum ſit ars artium.de ætat.& quali.c.Quia nonnulli de Magiſt.*& ſic fuit deciſũ Romæ;omnis enim huius ſcientiæ, vt & aliarum, laus & vtilitas in actione conſiſtit,nec pro executione huius officij quod huic præbendæ Theologali adiunctum eſt tam requiritur theoricæ ſubtilitas, quam ſolers induſtria.

Addo ego quod Motus proprij Pij V.& Gregorij XIII.qui vt refert Barboſa *c.1.ſeſſ.5.n.*8. dicunt quod ſi ſæcularis idoneus non reperiatur pro dicta præbenda,ſuſpẽdatur eius collatio,ſed omnes fructus tradendos Superiori alicuius Religionis, qui curet vt aliquis Theologus Regularis publice legat in Cathedrali. Si præbenda eſt Theologalis poteſt conferri illi qui bene doctus eſt in Theologia morali, etiam ſi ſit Canonum Doctor aut Licentiatus, & non debet dari Regulari.

Addo ſecundò, quod Canonici tenentur accedere ad lectionem Theologiæ Moralis, & S. Scripturæ.Sic deciſum eſt à Sacra Congregatione 11. *Aug.*1618. hoc enim videtur intentum huius Lectionis inſtitutionis.Quare vbi non eſt cõſuetudo in contrarium (quæ vtinam non ſit)poteſt Epiſcopus cogere Canonicos,vt ſatisfaciant ſuæ obligationi.

Dicit tertium,quod quando Trid.*ſeſſ.5.c.*1.dicit ad huiuſmodi Lectoris officium tam publice quã priuatim non eſſe admittendum qui prius ab Epicopo loci,de vita,moribus,& ſcientia examinatus & approbatus non fuerit, quod tamen de lectoribus in clauſtris Monachorum non intelligatur. Dicit inquam iſte Doctor quod cum Graduatus habeat publicum ſuæ doctrinæ teſtimonium, ordinarie non eſt examinandus de ſcientia,ideo enim quando Papa confert Beneficium Graduato non mandat inquiri de ſcientia impetrantis, nec iubet eum examinare cum iam ſit approbatus, ſaltem quoad ſcientiam.Ita Staphileus *tr.de litteris gratiæ form.*10.Et hæc eſt praxis Curiæ Romanæ; fieret enim iniuria Vniuerſitatibus reprobando ſemel ab eis admiſſum,& approbatum. Dixi *ordinarie*,quia reperiuntur etiam officia ad quæ nec Doctores poſſunt promoueri, niſi denuo per examen reperiantur idonei, vt eſt officium Auditoris Rotæ, &c.

Sed ego huic ſententiæ non aſſentior;exiſtimo enim quod quamuis ſit Doctor inſignis debet examinari de ſcientia, vt fiat ſatis præcepto Tridentini alias nec pro audiendis confeſſionibus, nec prohabendo Beneficio curato examinari non deberet, quod nullus probabiliterdicit hodie, vt tenent Henriquez *lib.3. de penitent. cap.6.* §.2. Suarez *diſput.*28. *ſect.*4. Coninch *diſput.*8. *num.*49. & latè Fagundez *2.præcep. Eccleſ. lib.7. cap.2.num.*68. Barboſa *allegat.*25. *num.*14. & nos infra latè monſtrabimus Reſolut.

Quartum, quod quamuis collatio, aut inſtitutio Præbendæ pertineat ad alium quam ad Epiſcopum, tamen electio perſonæ, & Theologi qui prælegat ad ſolum Epiſcopum pertinet, & nullo modo ad Capitulum. Ita tenent Garcia *p.5. c.4.n.*162.Gonzalez *Reg.*8. *Cancellar. Gloſſ.*9.§.2. *num.*83. Barboſa *allegat. citat. num.*4. Zerola *in prax.p.1.verb. Præbenda Theologalis* §.4. Sella *in Select.cap.2.n.*13. dicens ſic fuiſſe deciſum *in vna Aretina* 31.*Iul.*1621. & antea fuerat declaratum reſpondẽs Epiſcopo Segouienſi *die.*21.*Maij* 1575. tenuit etiam Rota *in vna Oſcenſi indult.*10. *Decembr.*1599.& in alia 5.*Decemb.*1601.*coram Mellino.* Si tamen Præbenda iſta Theologalis vacet in menſibus Papæ,ad Papam pertinet tum Collatio, tum etiam diſignatio perſonæ. Ita Rota *in vna Toletana. Canonicatus* 22. *Iunij.* 1583. *coram Sanctiſſ. Clemente VIII.* dum eſſet Rotæ Auditor, & *in alia coram eodem* 22. *Februar.* 1584.

In Hiſpania tamen exiſtimo quod Canonicatus pro lectione Sacræ Scripturæ, & Pœnitentiariæ,etiam ſi vacent in menſibus Papæ,cum prouideantur per concurſum, edicto conuocatis oppoſitoribus non conferuntur à Sede Apoſtolica, ſed ab Epiſcopo ſimul cum Capitulo, ſicut Doctoralis, & Magiſtralis. Quamuis enim de iure communi maneant reſeruatæ ſi vacant in menſe Papæ, & ſic de iure communi ad ipſum pertinet earum collatio, & perſonarum deſignatio, vt declarauit Sacra Congregatio in contradictorio iudicio reſpondens Epiſcopo Salmantino, & Tiraſonenſ. tamen in Hiſpania prouidentur ſicut Magiſtralis conſuetudine præſcripta legitime, cum ſcientia, & tolerantia Papæ, quæ inducit etiam diſpenſationem, & actus validitatem *Cap. quia circa.* & ibi Gloſſa finalis *in fin. de conſanguinit. & affinit.* ibi Butrius *numer.*7. & Abbas *num.*8. Gonzalez *vbi ſup.num.*87. Raudenſ. *de Analog. cap.*39 *à num.*147. Franciſcus Molin. *de ritu Nuptiar. lib.1. compar.*19. *num.* 64. etenim per tolerantiam Superiorum inducitur eorum conſenſus Vt Hippolitus *conſil.*46. *num.*31. & eſt communis ſententia, dum tractant Doctores de conſuetudine, quod ſufficit etiam ſi non eſſet Papæ in dultum.Ita Palao *tract.* 13. *diſputat.*3. *punc.*3.*n.*1.

Quintum, quod lecturæ iſtæ Sacræ ſcripturæ, Theologiæ, & Pœnitentiariæ quas Concilium ordinat inſtitui in Cathedralibus debent dari digniori moribus, prudentia, & ſcientia quibus redditur aptior, & vtilior Eccleſiæ quia quamuis non dentur per concurſum conuocatis per edictum opoſitoribus vt fit in Hiſpania (quia ſic nulla eſt difficultas quod digniori debeat conferri) tamen debet conferri præuio examine de ſcientia, & moribus. Quod examen eo tendit vt maior dignitas eligendi appareat; hoc autem examen fieri debet ab Epiſcopo, & aliis examinatoribus ſcientia, & prudentia præditis argum. *ex cap.*13.*ſeſſ.*27. *Trident.* Quod examen eſſe de ſubſtantia tenuit Rota *in multis Deciſionibus quas affert Barboſa ibi. num.*3. quamuis non arctetur Epiſcopus vt aſſumat examinatores Synodales qui

consuetudinem vt sic appareat dignior eligendus ab Episcopo. Quod claret ex eo quod Tridentin. *sess.* 3. *cap.* 1. loquens de lectore Sanctæ
1599. Scripturæ in Conuentibus Regularium instituendo dicit, *Quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus Magistris.* ergo etiam in Cathedralibus potiore iure.

1600. Si tamen Magistralis, & Doctoralis per concursum detur, vocatis per edictum oppositoribus, de modo quo debeant conferri latè disposuit Leo X. *in Motu proprio quem* ad litteram refert Garcia *vbi sup. à num.* 169. vbi dicit quod electio personæ idoneæ debet fieri publico examine præuio. Et quod in huiusmodi electionibus electores iuramentum de eligendo magis idoneum habito respectu ad vtilitatem Ecclesiæ, & mores personæ eligendæ præstare teneantur. Quod publicum examen iuxta morem Hispanum non fit ab Examinatoribus, sed assumpto per sortes
1601. loco Magistri Sententiarum, vel 2.2. Diui Thomæ, aut Sacræ scripturæ, aut Iuris Canonici, infra spatium vigintiquatuor horarum lectionem faciunt publicam coram Episcopo, & Canonicis. Etsi Theologus sit oppositor assumpto themate Euangelij infra spatium quadraginta octo horarum sermonem ad populum habet. Qui modus examinis à Leone X. non præscribitur, est tamen omnium optimus; sic enim facilius dignitas maior vel minor oppositorum in propatulo proponitur, & conspicitur, Electoresque facilius faciunt de illorum aptitudine iudicium; tenentur tamen aliam diligentiam facere, vt certiorentur de moribus eligendi. Nec sat est ipsos modestos, & humiles, dum sunt in prætensione, aspicere; sunt enim plerumque sub pelle ouina lupi rapaces, vt aliquando mihi seducto contigit.

1602. Verum circa hunc prouidendi modum Magistralis, & Doctoralis aliqua sunt adnotanda. Primum sit quoddam Dubium quod sæpissimè contingit. An si aliquis oppositor ex aliquo accidenti, vel quia memoria defecit, vel quia superuenit infirmitas non potest spatium horæ vel lectionis, vel sermonis perficere, possit eligi ab Episcopo, & Capitulo, maximè quando sunt alij oppositores qui exercitia sua rectè compleuere. Dubium hoc multipliciter potest exagitari. Si postquam quis per sortem accepit textum explicandum superuenit infirmitas, itaut non possit publicè lectionem, & sermonem facere, & hoc dupliciter, vel quia facta lectione superuenit infirmitas impediens sermocinare, vel quia in ipso actu legendi, vel sermocinandi defecit.

1603. Et quidem loquendo de iure communi existimo quod ex vi constitutionum Apostolicarum quibus institutæ sunt Magistralis, & Doctoralis, quamuis quis sit doctissimus, & hoc constet publica voce, & fama, si superueniente infirmitate non possit legere, & prædicare si sit Magistralis, aut legere si sit Doctoralis, etiam si per sortem textum explicandum acceperit, quod iste talis nullo modo est eligibilis, & electio facta est nulla. Ratio est perspicua. Sixtus IV. & Leo X. in suis diplomatibus dicunt quod electio personæ
1604. fiat publico examine præuio: atqui secundum consuetudinem Hispanam examen fit per huiusmodi lectionem, & sermonem publicum: ergo nisi ista præcedant non est examen; requisitum est enim hoc examen de forma huius electionis, non secus ac est de forma prouidendi Beneficia curata per concursum, atque ita sicut nullus, quãuis insignis Doctor, qui est oppositor ad Beneficium curatum, si non examinatur ab examinatoribus Synodalibus non potest prouideri, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, vt referunt Gonzalez *ad Regul. 8. Gloss.* 4. *num.* 90. Garcia *p.* 9. *cap.* 2. *num.* 103. Zerola *in Praxi p.* 2. 1605. *verb. Doctor.* §. 1 Barbosa *de potestat. Episcopor. allegat.* 61. *numero.* 86. & allegat. 72. *numero* 120. plures citans, dicens hoc esse verum, etiam si sit Doctor famosissimus, imo & Vicarius Episcopi, ita nec eligi in Magistralem, vel Doctoralem.

Dico secundò, si sit Magistralis instituta ad sermocinandum, etiam si legerit, si tamen non est oppositor sermocinatus ex infirmitate superueniente, est etiam ineligibilis. Ratio est, quia 1606.
hæc est præcipua pars examinis ad huiusmodi præbendam Magistralem, cuius præcipuum munus est prædicare Euangelium. Quare nisi publicè legat non est publicè examinatus vti requirunt Pontifices, sicut si quis esset optimus prædicator, & tamen deficeret in lectione pro Sacra pœnitentiaria non examinatus esset pro illa obtinenda, quia bene sermocinari per accidens, se habet ad Sacras Confessiones audiendas ad quam instituta est. Quare nisi legat, aut prædicet non possunt electores iudicium facere de aptitudine oppositoris, & sic iste ineligibilis est. Si vero lectio sit Sacræ Scripturæ, si bene legerit, quamuis non prædicauerit, eligibilis est, quia per lectionem satisfecit examini principaliter intento.

Dico tertiò, si quis in medio lectionis aut ser- 1607.
monis, infirmitate superueniente, vel memoriæ defectu, defecit, ex vi Bullarum Apostolicarum eligibilis est. Ita Docti recentiores interrogati in casu occurrenti anno præterito in hac alma Ecclesia Hispalensi, & practicatur in multis Hispaniæ Ecclesiis, & in Cordubensi ita iudicatum est cum quodam oppositore qui defecit in sermonis medio, & nihilominus obtinuit præbendam. Consuetudo autem quæ in Vniuersitatibus viget quod si oppositor aliàs est nominatissimus, si deficiat in lectione, admittitur nihilominus, & multi obtinent non obstante defectu non venit in casu nostro, quia in Cathedris non est de for- 1608.
ma lectio, sed solum est statutum Vniuersitatis, à quo potest recedi propter eminentem scientiam alicuius viri nominatissimi, vt tenet Baldus *l. sed & reprobari §. amplius D. de excusatio. tuto.* & ita quandoque fit Romæ, teste Decio *in cap. constitutis notatio* 4. *de appellation.* quamuis cum ipso non fuerit dispensatum, quia Bastardus, vt refert Gomez *ad reg. de triennali q.* 2. *§. & quod regula.*

Ratio igitur conclusionis est. Quia iste qui in 1609.
medio lectionis, aut sermonis defecit, publico examini se subiecit, & quamuis non perfecerit horam, tamen non est de iure, & substantia electionis quod integra hora sit, id enim non exprimunt Pontifices, sed solum oritur ex statuto, & consuetudine Ecclesiarum quæ hoc tempus determinarunt, sub quo statuto, & consuetudine non veniunt casus fortuiti, & ex nulla culpa, sed ex accidenti pro-

uenientes, quia quod culpa caret in damnum vocari non debet *l. Gracchus ad l. Iuliam de adulteriis.* & vbi non eſt culpa, nec pœna eſſe poteſt *l. ſi putator D. ad l. Aquiliam & cap. ſine culpa de regul. iur. in 6.* & latè probat Aldrete *de Religioſ. diſcipl. lib. 2. cap. 10 num. 8.* Tum etiam quia
1610. vt dici ſolet *ab vngue leonem*, & iudices prudenter poſſunt iudicium ferre de dignitate oppoſitoris ex paruo tempore in quo, aut legit, aut prædicauit. Quod maximè tenet verum ſi alias oppoſitor eſt habitus inſignis Prædicator, aut Lector; hæc enim publica vox, & fama maximè conducere debet ad rectum iudicium ferendum; ſine illa enim magnis erroribus eſt expoſitum iudicium, quia ex vna lectione, aut ſermone difficulter fertur iudicium vt oportet; ſolent enim oppoſitores lectiones, & ſermones ab aliis factos memoriter habere, &, etſi violenter textui qui ſorte corrigit applicare, & legere, & prædicare cum admiratione, & poſtea in aliis actionibus nihil faciunt. Quod vtinam non contigiſſet ſæpius.

1611. Secundum eſt, quod ille eſt habilis ad concurſum oppoſitionis horum Canonicatuum, qui habet gradum Doctoris in aliqua Vniuerſitate Regni Caſtellæ, & Legionis. (Et dubio procul ſub Regno Caſtellæ intelligitur Andaluzia. Quare Graduatus in Vniuerſitate Hiſpalenſi, & Oſſunenſi habilis eſt, niſi ſit ſpeciale ſtatutum illud requirens) Ita Sixtus IV. & Leo X. in ſuis conſtitutionibus.

1612. Sed dubium eſt, an Graduatus in aliqua Vniuerſitate v. g. Pariſienſi, aut Regni Aragoniæ, Cathaloniæ, aut Valentiæ, vbi examinantur Doctores præuio rigoroſo examine, vt requirunt Summi Pontifices, ſi poſtea incorporetur in aliqua Vniuerſitate Caſtellæ, aut Legionis ſit habilis ad concurſum horum Canonicatuum ex vi huius incorporationis.

1613. Negat Caſtro Palao *punct. 3. citato numero 2.* Tum, quia Pontifices requirunt ad habilitatem huius concurſus quod Doctor ſit graduatus præuio rigoroſo examine, ſine quo datur gradus incorporationis. Secundò, quia incorporatus, eſt graduatus per priuilegium, & Pontifices requirunt veros graduatos. Tertiò, quia vbi requiritur vera qualitas pro forma non ſufficit ſi per æquipollens ampliatur *l. forma C. de his qui veniam l. ſi forte D. de Caſtrenſi peculio.* Quartò, quia licet Vniuerſitas concedat incorporatis omnia priuilegia quæ habent cæteri Doctores, tamen hoc ſolum tenet verum de priuilegiis ipſius Viuerſitatis, non de priuilegiis quæ aliunde proueniunt; aliàs Doctores incorporati poſſent fieri legato relicto graduatis dumtaxat, præuio rigoroſo examine. Quod non eſt dicendum, cum ſit contra voluntatem expreſſam Teſtatoris.

1614. Sed hæc ſententia abſolutè prolata mihi non placet. Exiſtimo enim quod ſi incorporatio fiat præuio rigoroſo examine, vt fit in multis Vniuerſitatibus Caſtellæ, vt Hiſpalenſi, Toletana, Salmantina, aut Complutenſi, quod Doctor incorporatus habilis eſt ad concurſum horum Canonicatuum, ſicut eſt habilis ad oppoſitionem, & Regentiam Cathedrarum, harum Vniuerſitatum. Ratio eſt perſpicua, quia iſte incorporatus eſt verus Doctor huius Vniuerſitatis cuius omnibus priuilegiis fruitur, & alias habet præfatam incorporationem præuio rigoroſo examine, quod requirunt Pontifices tanquam formam habilitatis: ergo quamuis non habeant ita rigidum examen, ſicut alij, dubio procul quantum eſt ex vi Bullarum Apoſtolicarum habilis eſt ad concurſum horum Canonicatuum. Et quidem Pontificum mens, & intentio ea ſolum fuit, vt non admitterentur Doctores qui ſine præuio rigido examine lauream Doctoratus accipiunt. Quare ſi præuio exa- 1615.
mine quis Doctor efficitur, quamuis per incorporationem ſatisfactum eſt menti, & intentioni Pontificum hanc formam habilitatis inducentium. Iuxta doctrinam Cardinal. Tuſchi *tom. 3. practicar. littera F. concluſ. 419. num. 21. & 22.* Maſcardus *de generali ſtatuto concl. 9. numero 74.* tunc enim forma tacitè ſubintelligitur adimpleta. 1616.

Secundò, quia forma quam inducunt Pontifices eſt Doctoratus præuio examine rigoroſo: ergo vbicumque fuerit hæc forma conſequitur effectus formalis habilitatis ad concurſum: atqui incorporatus præuio examine rigoroſo habet formam requiſitam, vt ſatisfaciat cauſæ finali adæquatę qua moti ſunt Pontifices ad hanc formam inducendam: ergo eſt habilis. Conſequentia eſt clara, quia quando per æquiualens ſatisfacit cauſæ finali quam habuit inducens formam, forma ipſa ſuppletur, vt tenuit Rota *in vna Treuir. loci Capitularis coram Manzanedo anno 1606. apud Farinacium tom. 2. deciſ. 167. num. 12.* multis citatis. Et *deciſ. 33. num. 4. & 5. part. 2. diuerſor. coram Cantuccio.* 1617.

Ex dictis facilè corruunt fundamenta oppoſita. Primum, quia nos loquimur de incorporato præuio rigoroſo examine; ſi enim ſine iſto incorporatus eſt, quamuis aliàs ſit inſignis, & nominatiſſimus Doctor, imo etiam ſi in aliqua Vniuerſitate Caſtellæ fuiſſet Cathedraticus publicus, per ea quæ tradidit Rota *deciſ. 167. citata num. 11. & 12.* ex Luca de la Peña *ad l. Magiſtros C. de profeſſorib. & med. verſ. quid autem ſi aliquis & l. certa C. de iure fiſci lib. 10.*

Ad ſecundum reſpondetur quod incorporati 1718.
præuio examine non ſunt Doctores ex mero priuilegio, ſed ſunt vere, & rigoroſè graduati. Ad tertium reſpondetur quod quando æquipollens ſatisfit cauſæ finali inducenti formam, forma ſuppletur per æquipollens. Ad quartum reſpondetur quod incorporati præuio rigoroſo examine habent non ſolum priuilegia Vniuerſitatis, ſed etiam alia quæ aliunde proueniunt Doctoribus, niſi Teſtator expreſsè excluſerit incorporatos, etiam præuio rigoroſo examine.

Ex quo fit quod examinatores Synodales poſ- 1619.
ſunt approbare tanquam idoneum Doctorem incorporatum ad Parochiale Beneficium, etiam ſi Fundator requirat qualitatem Doctoribus alicuius Vniuerſitatis.

Sed nunquid ſi aliquis ſit Doctor graduatus per 1620.
Vniuerſitatem Cæſaream Sancti Thomæ Hiſpalenſem quæ habet priuilegia aliarum Vniuerſitatum Hiſpaniæ conceſſa per Summos Pontifices, vel aliam ſimilem ſufficiat, vt quis ſit habilis ad concurſum horum Canonicatuum. Et mihi videtur quod quantum eſt ex vi Bullarum Apoſtolicarũ quibus introducta fuit qualitas huius examinis ſufficit quod quis habeat lauream

Doctoratus,

Doctoratus, aut Magisterij Theologalis in hac Vniuersitate cuius cursus admittuntur in Vniuersitate Salmantina, & Complutensi, vt est certum, & mihi constat ex fide authentica Secretariorum harum Vniuersitatum. Ratio est, quia Sixtus IV. in sua Bulla solum exigit quod quis sit Doctor, & rigorem examinis solum exigit in licentiato in altero iurium. Quam Bullam confirmauit Leo X. in suo motu proprio priori; & in posteriori quem refert Garcia *vbi suprà*, solum addit quod huiusmodi Canonicatus Magistralis,
1621. & Doctoralis *illis dumtaxat graduatis conferri possint qui in aliqua Vniuersitate studij generalis Regnorum Hispaniæ, seruatis seruandis, iuxta earum Vniuersitatum statuta promoti pro tempore forent, & aliis quantumcumque graduatis extra Vniuersitates prædictas, & etiam in illis aliasque seruatis seruandis, iuxta earumdem Vniuersitatum statuta, ritus, & mores pro tempore facta collationes de huiusmodi Canonicatibus, & Præbendis nullius essent roboris, vel momenti, & haberentur prorsus pro infectis*, &c.

1622. Ex quibus clare constat gradum Doctoris in Vniuersitate Cæsarea sufficere vt quis sit habilis ad huiusmodi concursum Canonicatuum, taliter quod electio facta sit omnino valida. Quod si in aliqua Ecclesia Cathedrali sit statutum, aut consuetudo vt huiusmodi Doctores non admittantur, dubito an valeat quantum ad inualidandam electionem, nisi sit à Summo Pontifice confirmata. Quare multo fortius, & absque dubio ille qui est Doctor per hanc insignem Vniuersitatem sitam in Collegio Patrum Prædicatorum erit habilis ad habendas eas dignitates ad quas Con-
1623. ciliũ Tridentinum *sess. 24. c. 1.* requirit qualitatem Doctoratus. Quia sufficit si quis illum habeat, etiam sine sufficienti scientia, vt tenent Garcia *part. 7. de Benefic. cap. 7. numero 50. & 51.* Azor *2. part. lib. 6. cap. 6. quæst. 1.* Mandosius *regul. 19. Cancellar. quæst. 13. numer. 4.* Barbosa *de potestat. Episcopor. allegat. 55. num. 5.* quia iste quamuis indignus, est vere Doctor graduatus: ergo cum in hac Vniuersitate laurea Doctoris detur præuio rigoroso examine sufficit ad concursum Canonicatuum Magistralium, & ad concursum Parochialium hanc qualitatem exigentium.

1624. Tertium, quod si quis dum subscripsit oppositioni ad hos Canonicatus intra terminum edicti non habet qualitatem Doctoratus, si ante examen, & prouisionem est factus Doctor, est habilis vt prouideatur. Hoc est contra Castro Palao *vbi suprà num. 3.* qui sequitur Guttierez *consil. 44. num. 3.* vbi id manifestè docet. Sed nostra Resolutio manifestè colligitur ex doctrina eiusdem Guttierez *ibd. & consil. 1. numero 15.* quando requiritur aliqua qualitas ad admittendum, vel excludendum aliquem in Beneficio, Officio, vel dignitate, illa qualitas debet adesse empore prouisionis, aut electionis, nec sufficit si ex post facto interueniat. Ita Textus *in cap. si eo tempore de rescriptis in 6. l. 2. D. de excusatio. tut.* vbi Bartholus expresè id docet. Quem sequuntur Rodericus Suarez *allegat. 12. pag. 2. in medio.* Auendaño *lib. 1. cap. 12. num. 13.* Abbas *cap. post cessionem numero 10. de Præbend.* vbi Decius *numero 5. & 19.*

1625. Secundò, quia ex Bullis Sixti IV. & Leonis X. solum requiritur gradus tempore prouisionis, & electionis: ergo etiamsi tempore oppositionis, & subscriptionis ad huiusmodi Canonicatus non sit quis graduatus, si tamen sit tempore electionis, & prouisionis dubio procul habilis erit, & prouisio valida. Antecedens constat ex Bulla Sixti IV. ibi, *Vni qui in Theologia Magister, seu Licentiatus, & alteri qui in altero iurium Doctor,* 1626. *seu Licentiatus existat possit, & debeat vna cum Capitulo prouideri.* Similiter Leo X. determinat quod huiusmodi Præbendæ dari non possint aliis quam Doctoribus, & Licentiatis prædictis: ergo solum tempore collationis, prouisionis, aut electionis oppositor debet habere gradum, non tempore quo subscripsit oppositioni. Sic consultus respondi *anno* 1644. occasionem mihi dedit Pater de Peyrinis *tom. 1. de subdito quæst. 1. c. 31. §. 6. conc. 9.* pro qua citat Graffis *lib. 1. consil. de election. consil. 1. difficultat. 3.* Glossam *Clementin. 2. verbo constituimus de ætat. & qualitat.* Rodriguez *tom. 2. quæstionum Regularum q. 51. articul. 5.*

Et ratio est perspicua. Quia qualitas Doctoratus requiritur propter officium, & Beneficium recipiendum: ergo si tempore receptionis habet præfatam qualitatem oppositor habilis est. Vnde quando in edictis exprimitur quod oppositor debet esse graduatus intelligitur non tempore quo subscribit, sed tempore prouisionis; tunc enim verificandi sunt tituli oppositorum. Legantur Philibertus Marchinus *tractat. de Sacrament. Ordin. tractat. 1. part. 5. cap. 4. num. 29.* & Castellinus *tract. de election. cap. 5. num. 37. verf. aduertendo.* dicentes quod ætas requisita in electionibus respectu electi attendi debet non tempore quo eligitur, sed tempore quo electus debet suffragium ferre in Capitulo ad quod eligitur; hic enim est finis legis, vt electus tempore ferendi suffragium consilio, & prudentia vigeat. 1627.

Neque obstat quod dicunt Palao, & Gutierez *n. 9.* quod ex vi propositionis edicti oritur contractus vlrto citroque obligatorius inter oppositores, & electores, quem tenentur electores præcisè obseruare quod digniori conferretur præbenda vacans. Vnde ex oppositione oritur ius oppositoribus, vt ex ipsis habilibus tantum eligatur vnus; atque ita si tempore edicti quando quis subscripsit oppositioni inhabilis est, nullum ius acquirit vt eligatur. Et sic habilitas succedens non potest habilem reddere, & habilibus personis præiudicare. 1628.

Respondetur enim quod ius quod acquirunt oppositores ex contractu edicti est in ordine ad prouisionem Præbendæ. Quare habilitas requisita solum debet esse tempore prouisionis in ordine ad quam oritur contractus obligans electores de dando digniori; tunc etiam ex vi Bullarum faciunt electores iuramentum non tempore edicti, & oppositionis. Quare si quis tempore prouisionis Doctor fiat nullo modo præiudicat aliis oppositoribus: quod secus esset si post prouisionem gradum acciperet, quamuis esset valde paruo tempore, quia non est habilis, & in damnum tertij habilitas subsecuta non facit capacem Præbendæ. Legatur Rota *apud Farinac. tom. 1. decis. 158. à numero 2. in vna Papien. Prioratus die 6. Iunij 1608. coram Cardinal. Lancelloto & tom. 2. decis. 275. coram Eminentiss. Cardin. Bononiensi.* 1629.

Tota hæc doctrina colligitur ex eodem Gutierez *numero 9. citato verf. His namque.* addens quod nec Capitulum, & Ordinarius possunt 1630.

diſpenſare quod Præbenda detur graduando poſt electionem; tum quia eſt qualitas actu requiſita ex lege Pontificia in qua non poteſt inferior diſpenſare; tum etiam quia ex vi contractus tenetur Capitulum dare non niſi graduato actualiter. Quod ſi in aliqua Eccleſia ſit ſtatutum quod tempore ſubſcriptionis ad oppoſitionem debeat quis actu habere gradum, ſi non habet, inhabilis eſt, quia hoc ſtatutum inducit formam habilitatis, vt egregiè probat apud Farinac. *tom. 2. deciſ. 15. num. 3. in vna Burgen. coram Litta.*

1631. Quartum, & valde notandum, quod electio perſonæ in qua eſt prouidenda huiuſmodi Præbenda debet eſſe per ſecreta ſuffragia. Ita Sixtus IV. & Leo X. quod ſecretum ita eſt de ſubſtantia electionis vt ſine illo nulla ſit, vt in electionibus Regularium ſtatuit Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 6. de regular.* quod ſanctiſſimè ſtatutum eſt ad euitandas diſſenſiones, & lites inter electores, tum etiam vt liberius quis ſuffragium ferat. Ita Garcia *cap. 4. citat. numero* 189. Caſtellinus *de election. pag. mihi* 545. Frangipanis *tractat. de directio. Eccleſ. diſcip. titul. de Decanis num.* 32. Bobadilla *lib. 3. cap 7. num.* 38.

1632. Sed modo eſt grauiſſimum dubium. An ſi quis ſiue ex malitia, ſiue ex errore, aut ignorantia vincibili, aut inuincibili oſtendat ſchedulam ſui ſuffragij alicui, vel aliquibus ex electoribus electio ſit nulla ob defectum ſecreti, ſi electus vnico tantum voto tuo alios oppoſitores vincat? Affirmat Palao *vbi ſuprà num.* 7. quia votum hoc, & ſuffragium, vtpote publicatum, & alteri electori notum nullum fuit: ergo ſi vno voto tantum parta eſt victoria, nulla fuit, & ſic electus tenetur renuntiare, quia habet Beneficium ex electione nulla. Secundò, quia Rota *in vna Treuirenſ. Abbatiæ* 20. *Nouembr.* 1624. 1633. *coram Coccino Decano* determinauit electionem eſſe nullam, etiam ſi vnicum tantum ſuffragium publicetur, vt referunt Maſſobr. *in praxi pralud. 8. num. 53. & 57.* Sigiſmundus à Bononia *de electione dub. 31. num. 4.*

Sed ego ſub diſtinctione loquar. Aut ille qui ſuum votum, & ſuffragium manifeſtauit id fecit conſentiente Capitulo, & ſic ſiue electus vincat vno vel pluribus votis electio eſt nulla, 1634. & ſic procedit doctrina Rotæ citata, vt tenent omnes infra citandi. Et ratio eſt, quia ſecretum electionis eſt de forma eius; forma autem eſt indiuidua. Quare ſi conſentiente Capitulo aliquis ſuum votum publicaret, amittitur tota forma. Vnde notat Garcia *vbi ſuprà num.* 195. quod ſi quis de facto attentaret dare ſuffragium publicè ſeu palam non debet permitti à Capitulo, ſed quod ſecreto det ſuum votum; alias electio eſſet nulla, imo tanquam indignus debet excludi à voto, maximè authoritate Ordinarij pro illa vice.

1635. Dico ſecundò, oſtenſio ſchedulæ ſecreto facta vni electori, vel multis diuiſiuè, itaut vnus de alio neſciat non reddit irritam electionem, nec ſuffragium oſtendentis eſt nullum. Quare etiam ſi electus vnico voto vincat, electio eſt valida. Ita tenent Emman. Rodriguez *in ſumm. cap. 102. num. 2. & tom. 2. qq. regul. quæſt. 51. art. 9.* Hieronym. Rodrig. *reſol. 57. num. 8.* Miranda *tom. 2. quæſt. 23. art. 19.* Nauarrus *in Conſiliis titul. de electio conſil. 9.* Peyrinis *vbi ſupr. §. 8. conc. 3.* Caſtellinus *tract. de electio cap. 4. num. 3.* Molfeſius *tom. 1. tract. 6. cap. 16. num. 153.* Barboſa *in Collectan. ad Concil. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 6. numero 4. & 5.* Cardinalis Bellarmin. *ibi in additio. num. 3.*

Quod vero ſchedulæ ſecreto factæ oſtenſiones 1636. non irritent eſt manifeſtum, quia vt notant Authores citati ex Nauarro defectus, vel malitia vnius de Capitulo non poteſt nocere vniuerſo Capitulo legitimè congregato; alias enim quilibet de Capitulo poſſet ob finem particularem, vel proprium commodum electionem legitimam aliàs, illegitimam reddere. Quod eſt maximum inconueniens, & expoſitum innumeris ſcrupulis. Secundò, quia intentum Concilij Tridentini ſolum fuit ne quilibet publicè ſuum votum, & ſuffragium daret, itaut nomen ſuum publicaretur in Capitulo. Quod non fit dum quis ſuam ſche- 1637. dulam ſecreto oſtendit.

Quod vero huiuſmodi ſuffragium non ſit nullum ex eodem principio colligitur, quia Concilium ſolum euitat ea ſuffragia quæ publicè dantur publicando nomen ſuffragantis: non publicatur autem ſi ſecreto aliquibus diuiſiuè dicatur; publicum enim in præſenti illud dicitur quod coram fit, & conſentiente Capitulo. Vnde ſi oppoſitor vincat per vnicum ſuffragium quod alicui ſecreto manifeſtauit elector, tuto poſſidet Beneficium, quia electio valida eſt.

Sed addunt Barboſa, Miranda, & Molfeſius 1638. quod ſi oſtenſio huius ſchedulæ eſt cauſa realis, vel præſumptiua rationabiliter quod electio ſequatur in hanc vel illam perſonam particularem ex vi talis oſtenſionis, tunc electio eſt nulla, & irrita. Sed quamuis hoc ſit probabile, & ſecurum, tamen non video quo fundamento hi Authores nitantur; nam ſi oſtenſio fiat ſecreto, & non palam, & coram maiori parte Capituli in oſtenſionem conſentientis, non eſt contra Decretum Concilij quod ſolum dicit *quod electio fiat per vota ſecreta, itaut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Quamuis autem oſtenſio meæ ſchedulæ cauſa ſit quod electio fiat in aliquam perſonam particularem, tamen cum ſecreto fiat, & meum nomen non publicetur in Capitulo, non video cur electio ſit irrita, cum habeat ea quæ requiruntur iure naturæ ad eius validitatem, ſcilicet conſenſum eligentium, iuxta doctrinam Innocentij *cap. quod ſicut num. 8. de* 1639. *electio* quam approbant Nauarr. *vbi ſup.* Syluester *verb. electio 1. quæſt. 10. & electio 2. q. 10.* Miranda *q. cit. art. 30. conc. 3.* dicens quod Innocentium ſequuntur omnes Doctores, ibi, *Vnde ſi confirmetur electus in cuius electione defecerunt aliqua ſubſtantialia de iure poſitiuo, eſt verus Prælatus, & non tenetur in foro conſcientiæ renuntiare. Hæc Regula eſt multum notanda, & valde memoriæ commedanda.* Ita Miranda.

Quamuis ſi probaretur quod oſtenſio alicui- 1640. ius ſuffragij fuit cauſa realis electionis eſſet talis electio caſſanda. Quæ doctrina eo mihi magis arridet ſi ille qui oſtendit ſchedulam non ſit Præſes Capituli, aut caput alicuius factionis, nam iſte ſi malitiosè id faciat vt cæteri ſui gremij ſequantur, mihi videtur quod electio ſit irrita, vt tenet Naldus, *verb. eligere numero 5.* quia oſtenſio iſtius facta videtur in fraudem legis. Dixi *ſi malitiosè*, quia ſi ſine dolo, & malitia id faciat, ſed ſolum vt oſtendat ſe ſtare dictis, & concordatis, non puto eſſe irritam electionem.

Ex dictis infertur primò. Quam malefaciant 1641. Quidam

quidam qui potentes sunt in Capitulis, & Capita factionum, & gremiorum nuncupantur, qui ante electiones, & ingressum Capituli faciunt tractatus non solum consultorios, sed pactionales, vt hi, vel illi eligantur, & non alij diuersæ factionis; quamuis enim liciti sint tractatus (etiam viuente Prælato, vt constat *ex cap. si transitus 29. dist.*) per modum consultationis, vt agnoscatur dignus qui eligendus sit, vt tenet Molfesius *vbi sup. c. 16. n. 47.* tamen tractatus pactionales vt de meo grege tot eligantur, & de tuo tot, prorsus illiciti sunt, & ex illis omnis pestis regiminis Regularis oritur, & fouetur ambitio, quæ venenum est in Religione. Vbi enim huiusmodi partialitates existunt, nec præmiatur virtus, nec punitur vitium, sed virtutes gremij oppositi vitia iudicantur, & vitia gremialium suorum virtutes
1642. reputantur. Vt autem hoc clarius agnoscatur placuit adducere grauissima verba sapientissimi, & prudentissimi Patris Laurentij de Peyrinis *tom. 2. de Prælato q. 2. cap. 3. §. 3. num. 19.* quæ lubentissimè transcribo, & vellem quod omnes scribentes transcriberent dum hanc materiam tractant, vt factionarij isti statum damnationis in quo stant agnoscant, & quam grande malum Matri suæ Religioni Sanctæ inducant; sic enim loquitur.

Quare deploranda est miseria illorum Conuentuum, Prouinciarum, seu Religionum, si quæ reperiantur, in quibus inuenta illa Dæmonum, factiones, scilicet, reperiuntur, & vigent, in quibus nullum bonum potest reperiri, vt ait Gregorius 3. p. Pastor. admon. 23. Pensemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditus fue-
1643. *rint, bonum subsequi non permittunt. Et vere ita est; odio enim se inuicem habent factionarij, de se inuicem continuè murmurant; alter alterius notat actiones, inuestigat, socios interrogat, speculatur, in Kalendario scribit, ne obliuiscatur, & sociis nuntiet, vt suo tempore Superioribus propalet; interim diuulgat, curat adhibere testes, si non fuerint, nec desunt, qui se offerant, etiam si nihil viderint: semper alter in alterum machinatur, irridet, subsannat actiones, & quidquid à quocumque factionis contrariæ factum fuerit culpat, maculat, & profitetur se aduersariis non credere, nisi cum dicunt, Domine non sum dignus. Suos vnumquodque factionis caput defendit, eorum occultat vitia, protegit, ne puniantur, imo fouet secundum*
1644. *inclinationes, quas nouerit, ne ab eo resiliant, & ad aduersarium transeant; vnde ambitiosos spe dignitatum nutrit, superbos blandiendo inflat, incontinentes excusat, culpam in humanam fragilitatem proiiciendo, exemplo aliorum cooperiendo; auaros præsenti, & futura pecunia, expungenda ex officiis quæ promittit, subleuat, iracundis obsecundat, phlegmaticos vrget, & tolerat, melancholicos irritat, scurras gratiosos vocat, obscœna loquentes ciuiles, iracundos strenuos, auaros cupidos, prodigos liberales: iis autem qui non sunt*
1645. *in aperto mali, vtitur tanquam scuto inexpugnabili ad factionis sanctitatem defendendam, probando quod ea sit aggregata ex melioribus, & dignioribus, & quod solum sit Congregata in bonum commune, ad resistendum aduersario, illud destruere conanti.*

Hinc Regularis disciplina eneruatur, funditus destruitur, imo ne non inatur quidem: nouitios
1646. *enim nondum habitum Religionis indutos conatur vnusquisque in suam factionem trahere, extraordinariis diligentiis tractos fouet, nutrit, nec sinit in eos inuehi Magistrum; vnde ipsi facti insolentes, ruptis vinculis timoris Dei, & Superioris, omnia attentant, omnia audent, omnia præsumunt; istisque discordiis nutriti, cum professi fuerint, sunt intolerabiles. vitiosi, & scandalosi, itaut nec Superiores, nec Deum, nec honorem proprium, nec Religionis timeant. Hinc etiam fit, vt minus, his immersi discordiis, studiis, quæ quietem requi-* 1647.
runt, incumbant, &, si quid incumbant, solum id sit vt aduersariis resistant, hoc enim non desinunt inculcare factionum capita. Hinc Superiores, si quandoque occurrat, quod ex aliqua factione non sint, non timentur, non æstimantur, suum exercere non possunt Officium, nec malos castigare, 1648.
nec bonos subleuare queunt. Si enim errantem subditum secundum Deum, & Regulam punire voluerint, illico accurrit caput, & vel errorem excusat si potest, vel, si non, excusat fragilitate iuuentæ, gratiam petit, fideiubet de futura emendatione. Quod si Superiores resistant, profundius se humiliat, si casus ferat, si non, acrius alloquitur, minatur, quandoque tuba canit ad bellum, itaut Superioribus, his importunitatibus victi, ne quod peius succedat, obsecundare conentur: sic errans in errore permanet, & ad peiora patrenda ani- 1649.
matur, iuxta illud Pub. apud Macrob. 2. Satur. cap. 7.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Si vero subleuare voluerint alterum factionis accurrit caput, & loquitur subleuandi plagas, mortuas exsuscitat, ignotas aperit, falsas fingit, testes ad omnia adhibet: si Superiores resistant, proponit articulos, iustitiam petit.

Infinita prætereo, quæ præ cordis angustia enar- 1650.
rare non valeo, lugenda relinquo cogitationi, quæ nequeo exprimere calamo. Laxet se solum vox in ea Bernardi verba Epist. 116. O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam. O factionum Capita! O incarnati Dæmones! O Antichristi! Væ vobis qui peccare facitis populum Dei. Væ vobis qui iustificatis impium, & iustitiam auferris à iusto. Væ vobis senes, scandala inuenum: ô pueri centum annorum, ô senes fatui Væ vobis quia, vt vosmetipsos pascatis, fame perire facitis oues pretioso Christi sanguine redemptas. Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi, quia retributio vestra dabitur vobis. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, ambitionis, superbiæ, & inuidiæ, quibus, quasi loris adstricti, plaustrum peccati trahitis. Væ qui dicitis malo, bonus es, & bono, ma- 1651.
lus es, vocantes tenebras lucem. & lucem tenebras, & ponentes amarum in dulci, & dulce in amaro. Væ vobis qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Væ vobis etiam filiis sceleratis, genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam. Væ qui peccatum vestrum, talis esse capitis profitentes, quasi Sodoma prædicatis. Væ animabus vestris, quoniam reddita sunt eis mala. Caue frugi iuuentus, nam qui te beatam dicunt, ipsi te decipiunt, & viam bene cœptam gressuum tuorum dissipant. duces tui infideles, & socij furum. Nonne venisti, plangenda iuuentus, vt Iesu Christi esses, non Cephæ, neque Apollo? Quare respicis retro misella? Quare non 1652.
consummas cœptũ cursum? fidem promissam seruas?

bonum certamen certa, vt corona iustitiæ capiti tuo reponatur. Væ vobis omnibus, quia terra vestra desertabitur, Conuentus, & Prouincias vestras ignis odiorum, & discordiarum succendet; desolabitur, quantum est ex vobis, Regula, & Religio vesta, & extranei dominabuntur vobis. Heu miseri non videtis quia sacrificia vestra non aspicit Deus, & holocausta vestra nauseat, Kalendas, & solemnitates vestras odit; nec vos respiciet cum in extremis manus vestras extenderitis, & cum oratio-

1553. *nem multiplicaueritis, non exaudiet. Lauamini, quæso, lauamini, cum tempus habetis, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite iam agere peruersè, discite aliquando benefacere, vt conuertat Deus manum suam, & restituat vobis pristinam charitatem suam. Mementote quod non percussistis fœdus cum morte, & quod cum inferno non feciſtis pactum, vt cum flagellum inundans transierit, super vos venire non debeat.*

1554. *Alioquin obtestor vos, Religionum capita per sanguinem Iesu Christi Saluatoris nostri, vt capita talium factionum euellere non tardetis, eaque in malam crucem amandetis.* Hæc sapientissimus vir.

1555. Infertur secundò, quam grauiter peccent factionarij illi qui omnibus sui gremij, & factionis schedulam dant in qua descripti sunt omnes eligendi vt electores eos eligant, qui grauissimè etiam peccant, si absque delectu, solum quia scripti sunt in schedula, eligunt, vt sic perpetuo se conseruent in regimine; hoc enim est contra mentem Concilij quod electionem secretam instituit *vt electio rectè, & sine fraude fiat.* Et quæ maior fraus quam ista? quam factionarij faciunt vt sic certiorentur de electione facienda in illos quos ipsi volunt, allegantes voluntates electorum suorum, seu vt non faciant nisi quod ipsi volunt, eos habentes tanquam misera mancipia non habentia proprium velle, aut nolle. Qua despotica subiectione totam Religionem inquietant, cum fere semper non eligant personas di-

1556. gnas, & ad regimen monasticum aptas. Legantur Petrus Gregorius *tractat. de election. cap. 9. numero 6.* Glossa *ad cap. per Inquisitionem verbo colloquium de electio.* Diana *part. 2. tractat. 16. resolut. 35.*

Infertur tertiò, contra Palao *vbi supr. num. 8.* & Garziam *num. 198.* quod si elector, quia impeditus, aut absens vices tuas committas alteri de Capitulo, vt per te suffragium ferat potes illi mandatum dare, vt ferat suffragium pro determinata persona. Ita Naldus *verbo eligere num. 2.*

1557. ex Glossa *in cap. si quis §. absens verb. exprimendum.* quæ Glossa est Ioannis Andreæ; quamuis enim ibi Bonifacius VIII. dicat quod absens non possit per litteras exprimere votum suum, tamen *in §. Porrò.* dicit quod potest dare speciale mandatum Procuratori suo de certa eligenda persona. Cuius discriminis rationem dat Glossa, quia per votum dico consentio in talem, & hoc debet fieri in scrutinio secreto, & sigillatim. Aliud vero est dicere, Do mandatum Titio de rali eligendo, quia istud non est votum. Sicut aliud est promittere renuntiare, aliud renuntiare, & aliud est vendere, aliud promittere venditurum, vt multis citatis docet Barbosa ibi *num. 20. & 21.*

1558. Cæterum ipse Barbosa *num. 15.* secutus Garciam *num. 200.* Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 1. disput. 15. quæst. 4. num. 6.* Lauorinum *tom. 1. variar. tit. 4. cap. 17. num. 57.* dicit quod hæc dispositio abrogata est per Tridentinum *cap. 6. citato,* vt declarauit Sacra Congregatio cuius verba refert; dicit enim quod votum non potest esse secretum, si Procurator habeat speciale mandatum de eligenda certa persona.

Sed ego existimo quod si in potestate quam 1559.
Procurator habet ab absente, & in scriptis tenetur præsentare Capitulo vt loco absentis suffragium ferat, ponatur speciale mandatum de eligenda certa persona, dubio procul suffragium non est secretum, sed publicum, quia notum publicè toti Capitulo, cui instrumentum publicum notificatur, & ita electio est nulla, vt determinauit Rota *coram Coccino suprà citata.* Et sic intelligitur declaratio Cardinalium. Si tamen in instrumento publico quod præsentatur Capitulo, non detur speciale hoc mandatum de eligenda certa persona, sed ore ad os, vel in scripto sua manu quod non præsentetur Capitulo 1560.
hoc mandatum det, nullo modo votum est publicum, sed secretum, cum non constet Capitulo de hoc mandato, & suffragium secreto, & sigillatim detur, vt expressè tenet Garzia *num. 202.* addens quod si mandatarius excederet mandatum, si alias est de persona digna eligenda, peccaret grauiter, & faceret notabilem iniuriam mandanti. Nec hoc mandatum secretum violat leges suffragij secreti, vt perperam existimauit Palao, quia quod mandanti sit notum non inde sequitur quod sit publicum. Sicut si dicas alicui sub iuramento pro quo es suffragium laturus. Sicut etiam non frangit secretum suffragij quod quis secum ferat schedulas eorum quos non elegit, vt ostendat quem elegit, quia huiusmodi ostensio non impedit quominus votum sit secreto datum. Tum præcipuè, quia secretum debet attendi respectu Capitularium existentium in Capitulo, non vero respectu absentium.

Plura alia dubia tractant Palao, & Garcia quæ apud ipsos videri possunt quæ omitto, quia modo nihil speciale occurrit dicendum, & alia multa me vocant.

AMPLIATIO V.

De Regularibus eligendis.

SVMMARIVM.

1561 *Præfata Regula tenet verum in electionibus factis ab electoribus de Officiis Regularibus.*

1563 *Limitatur sententia vt non sit vera in Abbatiis perpetuis, aut generalibus etiam perpetuis.*

177 *Inferuntur corollaria, & num. 1581.*

AMpliatur regula præfata quod etiam teneat verum in electionibus factis ab Electoribus 1561.
de Officiis Regularibus, siue electio fiat à solo Generali, vt in societate Iesu, siue à Capitulo Generali, siue Prouinciali, siue à definitorio quod constat ex Prouinciali, & assistentibus, & definitoribus habentibus vocem decisiuam. Ita tenent Vasq. *de Benef. c. 2. §. 3. dub. 2.* Sanch. *lib. 2. consil. cap. 1. dub. 2. num. 28.* Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 2. n. 159.* Rebellus *1. p. de oblig. iust. lib. 3. q. 4. con. 5.* Torres *tom. 2. de iust. disp. 22. dub. 4. n. 1.* Diana *p. 2. tract. 15. resol. 61.* Peyrinis *tom. 1. de subdito. q. 1. cap. 31. §. 4.* Villalobos *tom. 2. tract. 8. diffic. 3. n. 6.*

Soto

Soto *lib.3. de iust.q.6.art.2.vers. sequitur post hæc.* Cardinalis Lugo *tom.2. disp.25. sect.5. num. 55.* Portel. *in dub. Regul. verbo electio num.6.* Fundamentum est, quia obligatio eligendi digniorem oritur quia electores iure naturæ tenentur, prospicere bonum Communitatis, & auertere illius nociuum, quod ius non minus obligat in Communitate Religiosa.

1562. Contrariam tamen sententiam tenent Valerus *verb. electio. differ.1.num.1. vers. octauo.* dicit tamen quod suis Constitutionibus *p.2. cap.2.§.28.* obligantur electores sub mortali eligere magis aptum, & idoneum. Sequitur Castro Palao *tom.2. tract. 13.dip.2.pun.11. num.14.* Hieron. Rodrig. *Resolut.57. num.30.* & omnium elegantissime *D. Caietan. in Summ. verb. electio officialis, Si in electionibus spectetur ad spirituale tantum Officium ad quod eligitur, cum eligatur ad onus, cessat ratio iniuriæ respectu dignioris: & sufficeret eligere dignum, sicut in cæteris onerosis officiis credimus sufficienter prouidisse si eligimus dignum.* Idem in substantia tenet Cardinalis Lugo *num. 56. & seqq.* tot limitationes ponens primæ sententiæ vt declinet in secundam.

1563. Hæc Sententia Caietani mihi videtur probabilior, & in praxi secura, limitata eo modo quo infra, & seclusis particularibus Religionum constitutionibus, vt scitè aduertunt Valerus, & Castro Palao. Limitatur igitur sententia vt non sit vera in Abbatiis perpetuis, aut Generalibus etiam perpetuis. Et quidem de Abbatiis est expressus textus *iuris ciuilis. Authentic. de Monachis. c.9. §.ordinationes* qui cum conformis sit iuri canonico magnæ authoritatis est. Tum etiam, quia nihil maioris momenti sit in Religione vniuersa, & in Monasterio, quam eligere Pastorem perpetuum animarum. 1564. Quare dubio procul peccatum erit grauissimum mortale contra bonum communitatis non eligere aptiorem ad regimen perpetuum, & illum de quo speratur maior vtilitas in obseruantia regulari. Quare nihil potest occurrere in quo is qui dignior est occupetur in ordine ad maiorem vtilitatem Religionis, vel domus, quam Caput perpetuum eligere cæteris omnibus dignius. Quod si omittatur, & eligatur dignus grauissima sit bono communitatis iniuria.

Hac limitatione posita sententia Caietani de 1565. aliis Officiis Regularibus ad tempus determinatum durantibus, quod non sit mortale eligere dignum, omisso digniori, ex multis principiis iuxta varias sententias probatur Primò, quia hic non est personarum acceptio, quia officia ista non dantur Religioso electo tanquam parti communitatis; iustitia enim distributiua cui opponitur acceptio personarum est quando communitas respicit membra tanquam partes, quibus distribuit bona communia secundum proportionem cuiuscumque; hæc enim officia Regularia non sunt nec secundario instituta tanquam præmia meritorum, cum potius sint onera grauissima instituta ad regimen Regulare, & vt Religio habeat bonos prælatos qui subditos contineant in obseruantia, & charitate. Vnde Caietanus *vbi sup.* dicit egregie *quod Prælatus minus idoneus,* 1566. *gratus tamen omnibus melior est illis Prælato magis idoneo, & minus illis accepto*, quoniam *ibi charitas coalescit, hic periculum operandi ex metu.* Et sic ista non debentur Beneficia tanquam præmia dignioribus, vt fatetur & ipse Vazquez, & mihi certissimum est; si enim essent præmia instituta allicerent ad sui desiderium, quod in Religiosis qui perfectionem profitentur est ambitionis fomentum. Et sic ab institutore Religionum nec secundario intentum, atque ita non est personarum acceptio dare ea dignis, omissis dignioribus.

Secundò, quia in Officiis Regularibus cum 1567. non sint præmia instituta pro meritis duo sunt considerandа. Primum, onus spirituale regendi subditos iuxta Regulam in spiritu, & promouendi ad perfectionem quam tenentur intendere. Secundum est, dispensatio temporalium ad quod recte præstandum habent iurisdictionem ordinariam in subditos: atqui ex nullo ex his capitibus, si dimittatur dignior, & eligatur dignus committitur acceptio personarum. Non ex primo, quia istud onus est, & labor, in cuius distributione non est iustitia. Nec etiam ex secundo, quia temporalium in subditos distributio est etiam onerosum Officium, vt optimè Caietanus *vbi suprà.* quare huiusmodi Prælaturæ, & Beneficia Regularia, non beneficia, sed officia sunt oneribus, & laboribus plena, onusta vigiliis, 1568. ærumnis, & quotidianis angoribus, quibus exemplo in pœnalibus, & laboriosis, potius quàm imperio satisfit: non ergo in illorum distributione committitur acceptio personarum, si omittitur dignior, & aptior, sed sufficit si idoneus eligatur. Quare solum sunt instituta ad bonum communitatis.

Tertiò, quia electores in huiusmodi officiis solum bonum Communitatis attendere debent, in ordine ad quod multoties potest contingere quod ille qui est aptior ad Prælaturam Prouinciæ sit necessarius ad aliud officium, aut alicuius domus, aut ministerium in quo magis promouetur bonum commune, vt in Lectura, in Responsione casuum conscientiæ, in Librorum impressione: ergo isto omisso etsi digniore, potest eligi ille qui dignus est in illius comparatione. Quare optime Card. Lugo *n. 60.* 1569. *in fine.* iuxta hoc principium discurrendi quod est valde probabile, hanc regulam ponit: *Tunc solum grauiter peccat Elector quando in ordine ad bonum commune ex omissione dignioris prudenter timeri potest graue aliquod detrimentum positiuum vel negatiuum. Et hoc solum præ oculis debet habere vt suo muneri satisfaciat.*

Quartò, quia cum Prælaturæ istæ temporales sint, si dignus qui eligitur officio suo non satisfaciat facile amoueri potest ne damnum quod ex ip- 1570. sius regimine oritur, in communitatem serpat. Quare cum aliàs dignior ius aliquod non habeat ad huiusmodi Prælaturas non fit notabilis iniuria communitati, aut particulari; præcipue cum in Religionibus multoties expediat experimentum facere de multis qui modo digni sunt dumtaxat an talentum habeant regiminis; nec enim semper digniores gubernare debent, cum bono communi multoties expediat, & subditorum consolationi aptiorem omittere, & aptum eligere, maxime quando domus, aut Prouincia relaxata non est, sed in obseruantia continetur, ad huius enim regimen quilibet dignus sufficiet; aliàs enim, vt optime Card. Lugo, Prælaturæ hypothecatæ essent ad 1571. paucos seniores qui dignissimi sunt in aliqua Prouincia. Quod nullo modo expedit, imo contrarium valde interest, ne aliquis semper cum sit Prælatus nesciat obedire, sciat pati subiectionem, vt sciat melius imperare.

Quintò, quia electio officialium sæcularium potest esse de digno, omisso digniori, absque pec-
1572. cato mortali, vt tenent Vasquez *opusc. de Benef. cap.2.§.5.dub.13.num.97.* Molfesius *tom.1.tract.6. cap.6. num.83.* Homobonus *in exam. part.2.tractat.9. cap.4. quæst.7.* quos citat & sequitur Card. Lugo *disput.34 sect.2.num.19.* qui non admodum consequenter loquitur iuxta sua principia dum id asserit per se loquendo in officiis sæcularibus non esse peccatum mortale eligere dignum omisso digniore; esse tamen per se loquendo in officiis Regularibus, cum respectus ad bonum communitatis idem prorsus sit in vtraque. Sequitur D. Caiet. *in Summ verb. Electio officialis. vers. ad eligendum.* cuius sententiam secuti sunt Sanchez *tom.1.consil. lib.2. cap.1. dub.36. num.15.* Bañez *2.2. quæst.63. art.2.dub.6.* Salon *art.5 controuers.9.* Aragon *art.2.* male citatur à Lugo cum expresse loquatur de Rege, & Principe absoluto; dicit tamen Sanchez hanc esse communem Thomistarum neotericorum sententiam. Et tenet Armilla *verb.electio.n.5.* probabilem dicit Turrian. *in select.cent.2.dub.87.*
1573. & addit esse in praxi receptam, quem citat & sequitur Diana *part.4.tract.4. Miscellan.resol.172.*

Rationem manifestam dat Caietan. Quia officium istud non datur ciui, vt parti Reipublicæ, non enim est bonum commune institutum vt præmium laborum, & sic digniori non fit iniuria; nec Reipublicæ, cum illi detur Minister idoneus, qui pericula, incommoda, & inconuenientia ordinaria vitare possit, & pacem inter ciues conseruare.

Sed de his officiis sæcularibus latius in Commentar. illius *cap. summ. Caietan.* vide D. Michaëlem de Salinas Viñuela *in Statera sua à num.134.* Non assentior tamen Sanchez asserenti quod si officium illud non possit dari nisi ciuibus, aut regnicolis debet semper dari digniori. Quod mihi non placet, quia aliud est quod officium non pos-
1574. sit dari nisi ciuibus, aliud quod detur tanquam parti Reipublicæ; primum enim verum esse potest at secundum non est necessarium, quia vt detur tanquam parti cui debentur bona communia secundum meritorum proportionē requiritur quod sint ista officia instituta vt præmia: quod non est ita, vt vidimus, & mihi certum; si enim vendi possunt, vt expresse docuit D. Thom. *in opusc. 38.ad Ducissam Brabantiæ*, quem sequitur communis sententia, non video quomodo sint danda digniori. Nec obstat *Bulla Pij V. edita ann.1571.* prohibentis ne huiusmodi officia vendantur, quia vel solum lata est pro terris Romani Pontificis, vel non est in aliis Regionibus vsu recepta. Vnde infero quod etiam officia Regularia possunt dari digniori, absque mortali peccato, cum quantum
1575. ad hoc eadem sit ratio de omnibus his officiis.

Sextò: quia licet hæc Officia Regularia habeant animarum curam, sintque Prælati subditorum suorum quasi Episcopi, aut Parrochi, & sic videatur eodem omnino ratio ac de Episcopis,
1576. & Parochis qui eligi debent digniores vt statuit Trident *sess.24. cap.1.& 18.* tamen in multis non est eadem ratio, quod valde considerandum est. Primò, quia Parrochiatus, & Episcopatus sunt perpetui, & huiusmodi Officia temporalia, & amobilia. Secundò, quia Prælatus regularis habet regulas, & statuta, & ordinationes quibus attendens, etiam in minimis gubernare debet, ad quorum executionem sufficit quod quis sit idoneus, & aptus, quamuis non sit aptissimus. Tertiò, Regularis quotannis visitatur, & de paruis eius excessibus rigide disquiritur, & an bene prouideat de ouibus. Quartò, quia Parrochiatus datur per concursum, conuocatis per Edictum oppositoribus, & sic officium illud proponitur vt præmium, quod dari debet iuxta meritorum exigentiam: cum ergo non sit eadem ratio in his Prælaturis Regularibus non debet extendi lex Trident. de dando digniori. Imo addit Palao quod *esto eadem ratio procederet in Prælatura Religionis, ac in Beneficiis curatis, seu Prælatura Ecclesiæ sæcularis, non inde infertur nasci eamdem obligationem si præceptum ad electiones regulares extensum non est, quia lex ob similitudinem rationis extendi non debet ad casum sub lege non comprehensum.* 1577.

Ex dictis colligitur quod si Officium Lectoris inter Regulares, vt fit in multis Religionibus, conferatur per concursum, debet dari digniori, sicut Cathedra quæ confertur in Vniuersitatibus, hæc enim non digno, sed digniori ex iustitia debetur, & pro isto sub mortali tenentur studentes, & electores ferre suffragium. Et idem iudicium 1678.
esto de illis qui opponuntur ad Collegia conuocati ad concursum per edictum; tenentur enim electores eligere digniorem qui habeat eas qualitates quas requirunt statuta Collegiorum; iste enim Collegiaturæ institutæ sunt à Fundatore in præmium studentium, & sic habet locum obligatio iustitiæ distributiuæ quæ grauis est, & in re grauissima. Ita Scobar del Corro *de Purit. sangui. p.1.q.7.num.7.* Amaya *in Apolog. pro Collegio Conchensi num.70.* Dixi *si habeat qualitates requisitas*, vt quod sit puri sanguinis, si enim eas non habeat, quamuis aliàs doctissimus, & dignissimus sit, eligi nequit, & grauissimè peccant electores, si eum eligant, cum eo ipso non sit 1576.
idoneus.

An vero iustum sit statutum insignis Collegij Conchensis quod si quis, & si falso rumore, dicatur infectus, sit ineptus ad Collegiaturam, latè defendit Amaya *vbi sup.* contra D. Ioan. del Corro *1.p.de Purit sangui.q.3.§.3.n.4.& p.2.q.7.n.6.* totis viribus defendentem iniquum esse huiusmodi statutum. Sed ipse D. Ioannes de Escobar Antipologiam edidit satis doctam respondens ad obiecta à D. Francisco de Amaya, libētius tamen assentior D. Ioanni Scobar quod falsus rumor non sufficiat absolutè ad reddendum aliquem indignum Collegio; non tamen condemno statutum Conchensis Collegij tanquam iniquum, motus ex *l. finali. de hæredibus instituendis ibi, Falsus rumor non solet obesse:* ergo potest obesse: Quare sicut 1580.
Fundator etiam vt falsū rumorem excludat, aut id consuetudine sit introductum in aliqua communitate, non video cur sit iniqua, cum liberum sit fundatori Conditiones apponere, etiam si sint cōtra ius commune. Et quidem si rumor publicus sit, quamuis falsus, nescio quid nigredinis inducit, & vt dici solet *Syno mancha tizna.* Et non valet hoc insigne Collegiū admittere, nonsolum maculatos, sed nec denigratos qui à possessione famæ puritatis deiecti sunt violenter per falsum rumorem quem inducunt testes iurati, & si periurati. Legatur Amaya *à n 16.* 1581.

Colligitur secundò. Posse examinatores Synodales approbare, & Episcopum eligere oppositores sui Collegij potius quam alios ad Canonicatum Magistralem, aut Doctoralem, siue ad beneficium Parochiale, siue consulere ad Episcopa-

tum,

tum, etiam si non æquentur aliis in scientia, vel sint alterius Collegij insignis. Sicque iuramentum quod faciunt Collegæ de se iuuando possunt obseruare si paruus sit excessus dignitatis; sic enim dicunt communiter Doctores quod si paruus sit excessus, potest omitti dignior, vt infra referam in
1582. limitationibus. Quare cum Collegæ possint licite omittere digniorem in paruo excedentem tenebuntur iuramento de ipso approbando, & eligendo, aut nominando, cum iuramentum de re licita obliget ratione materiæ venialiter, aut mortaliter, vt late Thom. Sanchez *lib. 3. summ. cap. 14.* Diana *part. 3. tractat. 6. resolut. 39. ex cap. Querelam. de iureiurando.* Tum etiam quia vt ait idem Sanchez *lib. 2. consil. cap. 1. dub. 12. num. 4.* cum Salonio *2. 2. quæst. 63. art. 2. controu. 3. fol. 1003.* si quis habet amicum, & familiarem quem certissimo scit esse dignum potest eligere illum quando non videt certissimo, & euidenter alium esse digniorem
1583. sed probabiliter tantum. Ratio est quia certitudo habita longa experientia præferenda est opinioni de maiori alterius dignitate; tunc enim elector securior est quando nouit hunc certe dignum, digniorem vero probabiliter. Quæ doctrina prudentissima est.

§. IX.

Limitationes eiusdem Regulæ.

De digniore eligendo.

QVamuis, vt dixi, iuxta variarum sententiarum diuersa principia de iure naturæ sit eligere digniorem ad beneficia curam animarum habentia; tamen sunt aliquæ Limitationes secundum quas hoc præceptum non obligat sub mortali.

Limitatio I. Ex paruitate materiæ.

SVMMARIVM.

1584 *Hoc præceptum sicut & plura alia tam diuina, quam humana non obligat sub mortali ratione paruitatis materiæ.*

1588 *Argumentum Turriani in contrarium affertur, & refellitur tanquam nullius ponderis.*

PRima limitatio sit, quod hoc præceptum, sicut
1584. & plura alia tam diuina, quam humana, non obliget sub mortali ratione paruitatis materiæ. Quæ ex duplici capite attendi potest; vel quia Beneficium non est magni valoris, vel quia excessus dignitatis paruus est. Rursus etsi Beneficium paruos habeat fructus, est tamen magni honoris, & præeminentiæ, vel ille qui dignior est habet aliquod Beneficium quo sustentari valeat, vel non habet. Et denique Beneficium quod datur digno in paruo excedit Beneficio quod datur digniori. Et quidem in hoc casu conueniunt omnes quod non sit mortale eligere dignum, omisso digniore, quia excessus paruus in Beneficio, si non adsint aliæ circunstantiæ excusat à mortali, vt si vnum habeat 500. aliud 450.
1585. pro fructibus. Quia etsi in materia furti sit mortalis iste excessus, quia dominus priuatur re sua, tamen cum dignior non habeat ius in re ad Beneficium, maior quantitas requiritur, vt ille omisso sit peccatum mortale. Si vero nullus oppositor haber aliud Beneficium quo sustentari valeat, dubio procul debet dari digniori, quia eo ipso quod opponitur habet ius ad illud, & illo contentus est, sitque illi iniuria manifesta in re grauissima, & qua ipse sustentari intendit, aut alias in illo Beneficio commoditates habet. Quod secus est quando habet aliunde aliud Beneficium vnde sustentetur; tunc enim non læditur vt diximus.

Siue excessus iste paruus sit in dignitate qua 1586.
alium dignum excedit, communis sententia docet quod non est mortale eligere dignum, omisso digniore, etiam si sit Iuramentum de eligendo digniore, de quo supr. ampliat.*** dixi. Ita Lugo *disp. 35. num. 22.* Sanchez *dub. 2. citato. num. 16. 17. 18. & 19.* Siluius *art. 2. q. 4. conc. 3.* & tenent fere omnes quia disparitas ista exigua parua materia est, & parum, aut nullum damnum infertur Ecclesiæ, cum illi detur minister æque fere dignus. Et sic damnum Ecclesiæ non potest esse maius quam sit excessus, nec oppositori exigue digniori, cui solum fit iniuria ratione iuris ad tale Beneficium. Hoc autem ius fundatur in maiori dignitate; hæc autem maioritas exigua est, & ita ius in illa fundatum exiguum erit non inducens obligationem sub mortali eligendi digniorem. Cumque, vt notat Sanchez, materia exi- 1587.
gua, etiam si sit materia totalis non obligat sub mortali, vt tenet communis sententia, etiam si quis iuret eligere digniorem, istum omittere, eligendo dignum, non erit mortale; sicut non est mortale omittere *Pater noster* quem iurauit dicere quotidie. Verum vt supra dicebam valde notandum est ne passio obcæcet ad iudicandum paruam dignitatem, quæ aliàs magna, & considerabilis est. Quare arbitrio prudentissimi, & timoratissimæ conscientiæ hoc relinquo iudicandum.

Contrarium absque fundamento vrgente sensit 1588.
Turrianus *tom. 2. in 2. 2. disp. 22. dub. 2. num. 6.* dicens peccare mortaliter Electores si dignum eligant, omittendo digniorem, etiam si disparitas parua sit. Quia, inquit, materia huius præcepti non est excessus, sed eligere digniorem, & sic huius omissio semper est grauis, quamuis disparitas excessus sit exigua. Sicut sumere Eucharistiam post modicissimum cibi aut potus est peccatum mortale, quia materia huius præcepti non est cibus, aut potus, sed sumptio Eucharistiæ post cibum.

Sed hoc argumentum nullius est ponderis. 1589.
Respondetur enim quod excessus dignitatis debet intrare materiam præcepti eligendi digniorem, quo præcepto prohibetur violatio iuris quod dignior habet vt eligatur; & vt dixi quando disparitas excessus exigua est, ius etiam exiguum erit. Quod secus est in præcepto de sumenda Eucharistia à ieiunio, nam hoc præceptum est quod Corpus Christi sit primus cibus, quia Christus est principalis cibus noster. Quæ significatio euertitur si quilibet cibus, etiam paruus intret primo in os Christiani quam Corpus Christi. Sicut si quis omittat ponere in Calice consecrando modicissimam aquam, mortaliter peccat, quia gutta illa vino immixta habet grauem significationem ex Ecclesiæ statuto, & beneplacito impositam. Ita respondet & bene Cardin. Lugo.

Si verò Beneficium etsi habeat exiguos prouentus, & fructus est tamen maximi honoris,

Sanchez

1590. Sanchez *num.*18. & Card. Lugo *num.*21. dicit dandum esse digniori, & non digno; magnus enim honor valde considerabilis est & maximè æstimatur, etiam inter timoratos. Quare in re graui infertur iniuria digniori in re maioris æstimationis quam sint fructus pecuniarij.

LIMITATIO II.

Non est dimouendus dignior ab alia Ecclesia, vt pinguius Beneficium illi conferatur.

SVMMARIVM.

1591 *Hæc limitatio est omnino Certa in beneficiis quæ dantur per concursum conuocatis per edictum oppositoribus.*

1593 *An translatio Episcoporum sit prohibita iure diuino naturali, an tantum Ecclesiastico?*

1606 *Ex parte Episcopi est iure naturæ indissolubile vinculum inter ipsum, & Ecclesiam ratione voti solemnis, quod emisit.*

1616 *Hoc votum solemne ad quæ se extendat?*

1623 *Inferuntur quædam corollaria, & numer. seqq.*

1591. ET quidem si loquamur de his Beneficiis quæ dantur per concursum conuocatis per Edictum oppositoribus, limitatio est omnino certa, & indubitata, quia huiusmodi Beneficia solum sunt distribuenda inter oppositores qui habent ius vt digniori inter ipsos conferantur, quamuis non habeat etiam dignissimus qui non se ad illam oppositit, cum quo non est initus contractus ex vi edicti publici. Quare solum est intelligenda difficultas limitationis de illis Beneficiis habentibus animarum curam, & non dantur per
1592. concursum necessario, vt sunt Episcopatus, & similia officia inter Regulares. Et quidem si de istis sit sermo existimo non esse dimouendum digniorem à suo Officio, vt aliud maioris honoris. & iurisdictionis eiusdem lineæ, & ordinis illi conferatur, vt amoueatur ab vna Præpositura, vt alia maior illi detur; nisi id exigat maximum Communitatis bonum, tum quia vt supra dixi officia Regularia satis est quod dentur dignis; tum etiam quia huiusmodi translationes solent
1593. esse expositæ magnis inconuenientibus.

Igitur difficultas est de Episcopatibus, & aliis similibus Beneficiis sæcularibus. Vt tamen à fundamentis eruatur examinanda est illa celebris. Quæstio an translatio Episcoporum sit prohibita iure diuino naturali, an tantum Ecclesiastico. Vasquez satis erudite, vt assolet. *tom.*3. *in* 3. *part. disputat.* 241. probat translationem Episcoporum ex vna in aliam Ecclesiam vetitam esse non solum iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali diuino. Quod confirmat ex aliquibus Conciliis Prouincialibus. Sed clarius id docuit Innocentius tertius *in cap. inter corporalia de translatione Episcopor.* dicens *quod inter Episcopum, & Ecclesiam est spirituale vinculum matrimonij, quod*
1594. *est fortius quam vinculum matrimonij naturalis.* Et esse hoc vinculum inter Episcopum & Ecclesiam, ait, *constat non tam constitutione Canonica, quam autoritate diuina.* Quod clare videtur docuisse Euaristus Papa. *epist.*2. *quæ est de Episcopis eiectis*, dicens *quod Christus est Sponsus, & Ecclesia eius sponsa, cuius nos filij sumus; Sacerdotes vero, id est, Episcopi vice-Christi legatione funguntur in Ecclesia, & sicut ei sua coniuncta est Sponsa, id est, Ecclesia, sic Episcopi iunguntur Ecclesiæ vnicuique proportione sua.* Idem docet Calixtus Papa *Epist.* 2. *ad omnes Galliarum Episcopos. cap.* 3. & sic *Cap. Licet de Translatio.* dicit idem Innocentius III. *quod hoc Matrimonium Episcopi cum sua Ecclesia in electione initum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum.* Cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, sicut istud iure diuino naturali, & non solum Ecclesiastico est insolubile, ita potiori ratione vinculum spirituale. 1595.

Ex qua doctrina colligit *cap.* 7. translationem factam sine causa iusta, etiam à Pontifice non solum esse illicitam, sed irritam, & inanem. Quam sententiam videtur sequi Sanchez *lib.* 2. *cap.* 1. *consilior. dub.* 3. Sed addit Vasquez *numero* 50. quod non est iusta causa translationis Episcopi ex vna Ecclesia in aliam, quod ea inquam translatio fit sit maioris authoritatis potestatis, & diuitiarum maiorum, vt scilicet præmietur ille qui in priori Ecclesia bene & laudabiliter se gessit, dicens quod etiam si hæc translatio fiat ob hanc causam de consensu Pontificis irrita est, & inanis, quia vt Osius Cordubensis dixit in Concilio Sardicensi, *causa ista, est ambitionis incentiuum.* 1596.

Quare iuxta principia huius sententiæ, quæ (licet ex Antiquis, & grauioribus Modernis à nullo sequatur) valde probabilis est speculatiue, dicendum est non posse dimoueri Episcopum ab vna Ecclesia in aliam pinguorem, quamuis alias dignissimus sit, quia nisi sit magna Ecclesiæ vtilitas, & necessitas nulli licet separare Sponsum ab Sponsa sua, quia vt ait Innocentius III. *cap. inter corporalia.* illud Christi Domini dictum *Quod Deus coniunxit homo non separet*, fortiori iure intelligitur de vinculo matrimonij Episcopi cum sua Ecclesia, non solum quando consummatum est consecratione, quando ratum intelligitur confirmatione.

Sapientissimus Pater Suarez *tom* 3. *de Religion. lib.*1. *cap.*16. *à num.*6. contrariam sententiam tuetur asserens vinculum Episcopi cum Ecclesia esse solum iure Ecclesiastico indissolubile. Probatur 1597.
primò. Quia Episcopus consentiente Papa renuntiare. *cap. cum pridem. de renuntiatio.* & impetrata licentia vel in commodum Ecclesiæ, vel ob propriam salutem cogitur renuntiare. *cap. quidem eodem.* vbi dicitur quod in pœnam delicti potest deponi, itaut non liceat ad Episcopatum reuerti *cap. nequaquam* 7. *quæst.* 1. quæ omnia signa sunt euidentia non esse vinculum istud indissolubile iure diuino; alias si solum quia vult Papa ex
speciali fauore, & beneuolentia, aut ex remune- 1598.
ratione vel admittit renuntiationem, vel transfert de vna in aliam Ecclesiam, ista dispensatio non solum esset illicita, sed nulla, quia dispensatio in iure diuino sine causa nulla est. Quod licet concedat Vasquez, est tamen absurdissimum cum esset intolerabilis error in moribus in Ecclesia, iuxta cuius praxim facilitate magna Summi Pontifices has translationes faciunt, & remunerationes admittunt ex leuibus causis, & ordinarie ad Regum instantiam vt quotidianus vsus monstrat, vel propter maiorem congruentiam in ordine ad politicam Regnorum gubernationem, vel

propter

propter remunerationem perſonarum, vel ſimiles. Et ſic etiam Summus Pontifex poterit renuntiare Epiſcopatum Romanum, etiam ſi non intendat commodum vniuerſalis Eccleſiæ, ſed proprium ſolum.

1599. Secundò, quia ſicut Chriſtus commiſit ſuo Vicario Diœceſum diuiſionem, & terminum, modum regiminis, & iuriſdictionis, & alias conditiones Politiæ Eccleſiaſticæ; ita etiam commiſit vinculi huius inſolubilitatem, quamuis Epiſcopatus officium ab ipſo Chriſto ſit immediate inſtitutum, & quod Epiſcopi ſint Principes Eccleſiæ, Paſtores ordinarij, & Doctores illius & hoc voluit Innocentius III. *cap. inter corporalia. citato.* quod huius vinculi ſolutio reſeruata eſt Summo Pontifici, non tam conſtitutione Apoſtolica, quam authoritate diuina, quia authoritas qua id facit Pontifex eſt ſibi diuinitus conceſſa.

1600. Tertiò, quia Summi Pontifices, & Concilia antiqua tranſlationem Epiſcopi non prohibuerunt fundati in vinculi huius inſolubilitate, ſed in incommodis quæ Eccleſiæ obueniunt ex huiuſmodi tranſlatione, & quia eam ambiunt Epiſcopi moti ex auaritia, & ambitione maioris Dominationis, vt dicebat Oſius Cordubenſis Patribus Concilij Sardicenſis qui eius ſententiæ conſenſerunt. Et ſic Pontifices hanc tranſlationem prohibuerunt fieri propria authoritate, & voluntate, ſed neceſſitate & authoritate maiorum, vt

1601. dicit Pelagius 2. *epiſt.* 2. vel non ſine cauſa, vt Antherus Epiſt. ad Epiſcopos Toletanæ Prouinciæ vel multorum Epiſcoporum iudicio, & maxima ſupplicatione, vt habetur *canon.* 14. *Apoſtolor.* Et ſic in Concilio Carthagin. 4. *cap.* 27. relato *cap. Epiſcopus* 7. *quæſt.* 1. eodem modo prohibetur tranſlatio Epiſcoporum, ac aliorum inferiorum Clericorum; atqui iſti non habent vinculum indiſſolubile cum ſua Eccleſia, ſed ſolum habent pactum illi inſeruiendi, ſemper quod illi aſſiſtant: ergo ſimiliter Epiſcopi, atque ita horum vinculum cum ſua Eccleſia ſolum eſt indiſſolubile iure poſitiuo humano.

1902. Hæc ſententia, quam etiam ſequitur Sebaſtianus Cæſar *in Relectio. de Eccleſ. Hierarch. part.* 1. *diſputat.* 6. §. 2. *à num.* 17. Barboſa *de Poteſtate Epiſcop. allegat.* 119. & videtur ſatis inſinuaſſe Rota *in vna Placen. Canonicat. die* 26. *Martij anno* 1613. *apud Farinacium. tom.* 1. *deciſ.* 475. maxime *num.* 6. Hæc inquam, ſententia abſque dubio probabilis eſt, non ſolum ſpeculatiue, ſed etiam practice, cum praxi Eccleſiæ valde ſit conformis, quam damnare temeritas eſt. Cui ſe poſſunt conformare Domini Epiſcopi ſi ab ipſis tranſlatio ambitione, aut auaritia non eſt prætenſa, ſed ipſos Motu proprio Reges Summo Pontifici præſentet, & Pontifex morem gerat Principibus, & id concedat; imo aliquando Epiſcopus tenetur conſentire in tranſlationem, quando ob reformationem Eccleſiæ ad quam transfertur, tranſlatio fit, & ob alias politicas rationes magni ponderis quas Reges habent ad pacificum ſui Regni regimen, ſicut his diebus contigit in tranſlatione Eminentiſſimi

1603. Domini Cardinalis Giennenſis ad Toletanam Eccleſiam, quam ſpero reformaturum, ſicut Giennenſem reformauit.

Sed quamuis hæc ſententia, vt dixi, probabiliſſima ſit, tamen omnium probabilior, ſecurior, & verior eſt ſententia D. Thomæ, & Dom. Caietan. & diſcipulorum omnium huius Scholæ, quæ vtrumque placitum Suarezium, & Vazquezium amplectitur. Dicit itaque D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. 4. & 5. & 6. *vbi* Caietan. §. *ad obiecta contra. & opuſc. c.* 18. *de Perfect. vitæ ſpirit. cap.* 16. 17. & 18. quod cum Epiſcopi ex vi ſui officij, & muneris ſint in ſtatu perfectionis, vt conſtans eſt Patrum ſententia deſumpta ex Dionyſio *cap.* 6. *Eccleſ. Hierarch.* de ratione autem ſtatus eſt in- 1604.
mutabilitas; alias ſi firmus non eſt ex natura ſua, ex natura ſua non ſtat. Vnde ſtatus firmitatem perpetuam exigit; hæc autem firmitas perpetua oritur ex aliqua obligatione quam ſibi imponit, vel alij imponunt ei qui in ſtatu conſtituitur. Et ſic Epiſcopi faciunt votum implicitum non caſtitatis, quia hoc fecerunt in Sacerdotio, ſed obedientiæ Summo Pontifici exercendi curam Epiſcopalem in hoc Epiſcopatu, quouſque viſum fuerit illi ex rationabili cauſa, vel abſoluere admittendo renuntiationem, aut transferendo ipſum ad aliam Eccleſiam. Quod votum ſolemne eſt, non ſecus ac votum Caſtitatis quod emit- 1605.
tunt in ordine Subdiaconatus.

Quod egregiè confirmat S. Doctor. *q.* 185. *art.* 4. *ex cap. niſi cumpridem, de tranſlatio.* Vbi Innocentius III. dicit, *Si pennas habeas quibus ſatagas in ſolitudinem auolare, ita tamen ſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum.* Ex quibus verbis colligit D. Thom. quod ſoli Papæ licet diſpenſare in voto perpetuo quo quis ſe ad curam ſubditorum ad ſtrinxit Epiſcopatum ſuſcipiens. Sententiam D. Thom. tenent Soto *lib.* 10. *de iuſt. q.* 2. *art.* 4. *conc.* 1. & 2. Valdenſis *tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 2. *c.* 17. Carthuſianus *opuſc. de Regim. Epiſcopor. art.* 3.

1606. Et quidem ex parte Epiſcopi eſſe iure naturæ indiſſolubile vinculum inter ipſum & Eccleſiam ratione voti ſolemnis quod emiſit, mihi eſt indubitatum. Primò, ex verbis Euariſti Papæ *Epiſt.* 2. *citata* dicentis quod *ſicut Chriſto ſponſa eſt coniuncta Eccleſia vt ſponſa, ſic vnicuique Epiſcopo iuncta eſt ſua Eccleſia:* atqui vinculum inter Chriſtum, & Eccleſiam ex natura rei eſt indiſſolubile: ergo inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam. Quæ ratio vrgentiſſimè confirmatur, quia vt optimè Thom. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 13. *num.* 10. matrimonium ratum ex natura ſua eſt vinculum perpetuum, niſi à Superiore potente dirimatur. Quæ firmitas prouenit ex natura huius contractus, iuncta inſtitutione diuina. Quare quod poſſit diſſolui à Papa non ar- 1607.
guit eſſe ſolum iure humano indiſſolubile: ergo quod poſſit Epiſcopis abſolui à iuribus huius Eccleſiæ, & transferatur ad aliã cum qua contrahit, non arguit quod ex inſtitutione, & authoritate diuina ex natura ſua non ſit indiſſolubile vinculum matrimonij ſpiritualis Epiſcopi cum Eccleſia, cum qua eſt coniunctus tanquam Sponſus.

Deinde quia vt ait idem Author, omnimoda indiſſolubilitas matrimonij deſumitur ex ſignificatione vinculi indiſſolubilis inter Chriſtum & Eccleſiam. Quam rationem indiſſolubilitatis ex natura rei, & non ex iure humano ſemper adducit S. Auguſt. *lib. de Bono coniugal. cap.* 7. 15. 1608.
& 18. atqui matrimonium ſpirituale Epiſcopi cum Eccleſia multo fortius, & proprius ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia: ergo ex natura rei, & diuina inſtitutione eſt indiſſolubile hoc vinculum, & non ſolum ex iure humano. Et in hac doctrina ſe fundauit Innocentius III. *cap. inter corporalia* dicens, *quod eſt fortius vinculum ſpiritualis Matrimonij quam*

carnalis

carnalis. quia proprius significat vinculum inseparabile Christi sponsi cum sua Ecclesia, ratione humanitatis assumptæ.

Secundò, probatur ex verbis Innocentij III. *Cap. inter corporalia* dicens duo. Primò, huius vinculi inter Episcopum, & Ecclesiam dissolutionem Deum sibi reseruasse. Secundò, quod est
1609. reseruatum Romano Pontifici non tam constitutione canonica, quam authoritate diuina. Quæ duo mihi videntur manifesta; nam si solum iure humano est hoc vinculum indissolubile, vt vult Suarezius: ergo solum constitutione Canonica sicut cætera alia quæ iure Ecclesiastico sunt prohibita, & constituta: hæc enim non tam authoritate diuina, quam constitutione canonica sancta sunt. At Pontifex contrarium dicit de huius vinculi indissolubilitate. Deinde si solum est indissolubile ex iure Pontificio non Deus sibi soli reseruauit eius solutionem. Dicere autem quod ideo dicitur reseruatum *authoritate diuina* quia authoritas Pontificia est diuinitus collata Vicario Christi, etiam reseruationes omnes quas faciunt Summi Pontifices, & absolutiones à censuris, & aliis peccatis non tam essent factæ *constitutione canonica*, quam *authoritate diuina*, quod nullus dicet.

1610. Tertiò, quia est votum solemne implicitum quod facit Episcopus exercendi curam Pastoralem erga suam Ecclesiam, atqui votum hoc implicitum inducit obligationem iure naturæ, & non solum iure Ecclesiastico, ergo. Maiorem ostendo contra Suarez (quia minor certissima est in materia de Voto) quia eo ipso quo quis admittat Officium à Deo institutũ immediate, promittit Deo adimplere ea omnia quæ officium habet ex institutione diuina: sicut qui accipit officium institutum à Principe ex vi acceptationis promittit Principi, aut Reipublicæ adimplere omnia quæ Officium illud habet ex institutione humana: atqui promissio facta Deo siue implicita, siue explicita est votum siue implicitum, siue explicitum; cum ergo Episcopatus sit institutus à Christo vt Episcopatus habeat curam animarum ex vi acceptationis Episcopatus, & conse-
1611. crationis, Episcopus emittit votum implicitum, & non solum pactum inter ipsum, & Ecclesiam; imo hoc pactum fundatur in priori obligatione voti naturali.

Huc spectat ratio Caietani non bene intellecta à Suarez, & reducitur ad hanc formam. Quia Episcopi in ordine Hierarchico sunt vt agentia principalia in ordine ad actus illius ordinis, teste
1612. D. Dionysio. *cap. 5. de Eccleſiaſt. Hierarch.* quem sequitur D. Thom. *art. 5. quia Episcopus*, ait *in ordinatione habet eloquiorum super caput Sanctissimam superpositionem, vt significetur quod ipse est participatiuus integre totius hierarchicæ virtutis &c.* ergo Episcopus naturali vinculo indissolubili ex diuino iure tenetur ligatus ad animarum curam non deserendam nisi authoritate Summi Pontificis, ad quem solum pertinet in huiusmodi obligatione dispensare, quam D. Thomas dicit esse obligationem voti solemnis impliciti, Quod explicat Dominus Caietanus *art. 5. verſ.*
1613. *cum ergo inuenitur.* de Voto quoad essentiam, hoc est, quod habet obligationem ac si vouisset non tamen formaliter habet votum, Et sic transgrediendo non fit reus voti, sed præcepti susceptí ab ipso Deo. Consequentia probatur, quia omne agens principale tenetur iure natura ad perfectionem suorum effectuũ ex propria virtute, quæ si sit integra, & adæquata in illo ordine ab illa necessariò pendent omnes effectus, *quia primum in vnoquoque genere est cæterorum causa iure naturali.* Quamuis autem Episcopus comparatione facta ad Christum sit illius instrumentum, & vice Christi legatione fungatur, tamen in hac legatione participat totam Hierarchicam virtutem in ordine ad curam Ecclesiæ suæ: ergo cum legatione fungatur vice Christi authoritate diuina ipsius Christi ex vi ipsius legationis obligatus manet iure diuino ad non relinquendam curam Episcopalem. 1614.

Hæc autem obligatio melius explicatur per votum implicitum solemne, vt explicat D. Thom. quia vt dixi, eo ipso quo quis acceptat Episcopatum promittit Deo, & eius Vicario in terris Summo Pontifici exequi ea omnia quæ officium hoc habet ex diuina institutione, nisi aliter ex rationabili causa visum fuerit Summo Ecclesiæ Pastori. Hæc autem causa rationabilis non debet esse ita stricta vt vult Vasquez, sat est si sit rationabilis vt explicuimus in sententia Suarez, alias multi Episcopi qui translati sunt de vna in aliam Ecclesiam essent in statu damnationis, quod nullo modo dicendum est, eo ipso quod facta sit de licentia Summi Pontificis. 1615.

Verum enim vero hoc votum implicitum solemne quod D. Thomas ponit, ad duo se potest extendere; vel ad exercenda ea quæ ex institutione diuina habet Episcopatus quæ in eo principaliter consistunt quod sit obligatus insistere saluti suarum ouium, itaut si necesse fuerit pro illis moriatur: nam vt dixit Christus Ioan. 10. *num.* 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Et sic de reliquis actionibus ad animarum curam, & salutem necessaris, & istæ non sunt materia huius voti, alias peccaret contra Religionem Episcopus omittens, esset que talis omissio sacrilega, sicut quælibet omissio contra votum. Quare omissio ista solum est contra præceptum Christi instituentis Episcopatum cum onere exercendi ea quæ sunt necessaria ad animarum salutem. 1616.

Vel ad inseruiendum huic Ecclesiæ particulari, v. g. Toletanæ, vel ad inseruiendum illi Ecclesiæ quæ sibi assignata fuerit à Summo Pontifice. Et vtroque modo intelligitur votum istud implicitum solemne ex quo oritur insolubilitas vinculi inter Episcopum, & suam Ecclesiam. Sicut ex voto explicito quod emittunt Religiosi in Professione solemni oritur vinculum indissolubile inter ipsum, & Religionem vel absolute, cum Religione absolutè, nam Religiosus per Professionem solemnem non potest mutari ad statum sæcularem nec fieri non Religiosum, vt est certum in Schola D. Thomæ. *ex c. ad Monaſterium. de ſtatu Monachor.* quidquid in contrarium di-
1618. cant alterius Scholæ alumni. Vel cum hac Religione in speciali in qua profitetur, à qua hodie transferri in aliam nequit sine Summi Pontificis licentia, & antiquitus de licentia sui Prælati. Cum ergo Episcopus ex vi & ratione Episcopatus habeat immutabile vinculum cum Ecclesia sibi determinanda à Summo Pontifice, si illius vinculi insolubilitas non esset talis iure naturali diuino, sed solum ex iure humano, posset Summus Pontifex vinculum hoc soluere, non solum quantum ad exercitium, & vsum curæ animarum, & potestatem iurisdictionis, de quo nulla est difficultas quod possit, vt ait D. Thom. *q. 185. art. 5.* 1617.

sed

sed etiam quoad ipsum vinculum substantiale cum aliqua Ecclesia vage sumpta, itaut non possit esse Episcopus qui substantialiter non sit sponsus, quod non minus implicat quam quod sit Episcopus, & non sit consecratus; nam ipsa consecratio est ipsius vinculi consummatio, vt ait Pontifex *cap. inter corporalia de translation. Episcopor.*

1619. Quare ab hoc vinculo nequit Pontifex Episcopum absoluere, quamuis ab exercitio huius vinculi cum hac Ecclesia possit, sicut potest absoluere Religiosum solemniter professum à vinculi indissolubilis Religionis exercitio cum hac Religione in particulari, quia quamuis specialiter illi ex vi voti se obligauerit, tamen potest subesse causa rationabilis vt ad aliam transferatur, non tamen vt absolutè absoluatur à vinculo Religiosi status. Ita philosophandum est proportionali modo respectu status Episcopi, vel respectu Ecclesiæ absolutè, vel respectu huius à vinculo indissolubili cum hac potest absolui à Papa, non tamen à vinculo indissolubili respectu Ecclesiæ absolutè, quamuis in vtroque sensu indissolubilitas oriatur ex voto solemni.

Neque D. Thomas aliquando dixit quod votum solemne quod faciunt Episcopi possit in totum dispensari: secus vero votum Religiosorum, vt minus bene meditatus est Pater Suarez *vbi sup. num.* 24. vtrumque enim æquè indispensabile est,

1620. cum vtrumque sit æquè solemne, cum vtrumque æquè constituat statum qui de sui ratione immutabilis est, vt fatetur S. Doctor *art.* 4. *citato* dicit enim ratio status perpetuitatem, sine qua nullus est in statu libertatis, aut seruitutis. Solum enim dicit *art.* 4. *quod Episcopus potest ex dispensatione Episcopalem curam deserere ex authoritate Summi Pontificis ad quem solum pertinet in votis perpetuis dispensare.* Quod amplius declarat *artic.* 4. *quæst.* 185. dicens: *quod Pontifex tunc solum potest dispensare cum Episcopo ne insistat subditorum saluti quando habet impedimentum legitimum illam procurandi.* Quod interuenit multi-

1621. pliciter, vt si sit homicida, Simoniacus, vel sit senex, vel infirmus, vel non habeat scientiam quæ sufficiat ad curam regiminis, vel si sit irregularis, vel bigamus, vel quia non potest in subditis proficere, vel cum de eius prælatione graue scandalum suscitatur. Propter hæc enim impedimenta declarat Pontifex votum hoc non obligare Episcopum, quare obligatio voti consopita manet, & impedita ex declaratione Papæ, non ablata.

1622. Et *in solut. ad* 2. quod ablato impedimento potest iterato assumi ad alium Episcopatum, non tamen si propter culpam sit ab Episcopatu depositus *cap. hoc nequaquam* 7. *q.* 1. sic etiam potest Pontifex ex causa rationabili Religiosum solemniter professum absoluere ab omni ritu regulari, & consopire vota solemnia, non tamen in illis dispensare itaut transeat ad statum oppositum. Quare non potest illum absoluere ab obedientia respectu Summi Ponrificis, sicut nec potest etiam Episcopum, quia tam iste quam Religiosus ex vi voti solemnis tenetur obedire, itaut peccet vterque contra votum si præcipiente Summo Pontifice vel non redeat ad Religionem, vel ad Episcopatum, & animarum curam.

1632. Ex quibus infertur quod multo magis vrgens causa requiritur vt Episcopus absoluatur ab obligatione voti, itaut non habeat actu curam alicuius Ecclesiæ, vel ne insistat saluti aliorum quam vt absoluatur ab obligatione voti, & dissoluatur vinculum cum hac Ecclesia determinata, & transferatur ad aliam; nam ad prius solum illæ causæ quas enumerauit comprehensiuè D. Thom. sunt sufficientes, & sine aliqua illarum nec Summus Pontifex potest dispensare, esseretque dispensatio non solum illicita, sed etiam nulla. Quod satis insinuat S. Doctor dicens *art.* 4. *q.* 185. *cit.* quod oportet quod sicut curam regiminis assumit aliquis per prouidentiam Superioris Prælati, ita etiam per eius authoritatem ex causis prædictis deserat susceptam. Vt vero quis absoluatur ab indissolubili vinculo quod habet respectu huius Ecclesiæ determinatè, cuius est sponsus ex vi consecrationis multæ aliæ causæ minus vrgentes sufficiunt, vt supra dixi aliquas enumerans.

Colligitur secundò, quod Summus Pontifex 1624.
Episcopatum Romanum, vel quilibet alius suum, non potest renuntiare, itaut nullum alium obtineant, quia ex vi voti solemnis tenetur saluti aliorum insistere: nisi adsit aliquod impedimentum ex annumeratis à D. Thoma, quo existente Pontifex Summ. potest secum dispensare, sicut cũ aliis.

Colligitur tertiò, fundamenta Vasquez pro- 1625.
bare quidem vinculum inter Episcopum, & Ecclesiam esse indissolubile iure diuino naturali; non tamen rectè infert Vasquez translationem Episcopi ex vna in aliam Ecclesiam requirere eas causas quas ipse ex D. Thoma enumerat ad absolutam renuntiationem; leuiores enim sufficiunt, vt praxis totius Ecclesiæ docet, cui sine aliquo scrupulo potest se quis conformare.

Fundamenta Snarez quatenus probant vinculum istud solum esse indissolubile iure humano efficacia non sunt. Ad quæ respondetur quod Pontifex ex minus vrgenti causa potest concedere translationem, quam absoluere ab omni exercitio curæ Pastoralis. Ad secundum respondetur, 1626.
quod quamuis vinculum sit indissolubile iure diuino, tamen ad translationem sufficiunt causæ ibi relatæ, & aliæ similes. Ad *cap. Episcopus* Respondetur ex D. Thom. *q.* 184. *art.* 6. quod inferiores Clerici non sunt in statu perfectionis, quia non obligantur ex vinculo perpetui voti ad hoc quod curam animarum retineant, sicut obligantur Episcopi. Vnde sine huius licentia possunt ad Religionem auolare, quare etsi vtriusque translatio prohibeatur in illo *cap.* tamen ex diuerso fonte oritur illa prohibitio respectu inferiorum propter solum incommoda quæ oriri possunt, respectu Episcopi propter ista, & propter votum solemne. Etsi enim Parochus dum acceptat Parochiam etiam faciat votum implicitum insistendi saluti ouium, tamen hoc votum solemne non est, sed simplex, quia non habet statum ex vi illius, quare potest transire vel ad aliam Parochiam, vel ad statum Religiosum, vel illam renuntiare abs- 1627.
que licentia Papæ.

Colligitur quartò, resolutio ampliationis quod nullus Episcopus quamuis dignissimus dimoueri potest à suo Episcopatu præcisè vt ei pinguius Beneficium conferatur, nisi alia subsit causa rationabilis. Quod si Episcopus nolit transferri nequit Pontifex ipsum cogere, nisi subsit magna Ecclesiæ 1628.
vtilitas, vel nisi transferatur aliquod magnũ damnum timeatur vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ; sufficit tamen vt Pontif. possit id præcipere quod speretur aliqua vtilitas vel in tẽporalibus, vel in morũ reformatione illius Ecclesiæ ad quã fit translatio. Propter quã rationẽ existimo posse Episcopũ cogere Parochũ dignissimũ vt se opponat cõcursui alicuius Benef. curati, aut Canonicatus Magistral.

LIMITATIO III.

De Patrono præsentante.

SVMMARIVM.

1629 *Patronus duplex, Ecclesiasticus vnus, & laicus alter.*

1630 *Beneficia curam animarum non habentia non tenetur Patronus laicus sub mortali conferre dignioribus.*

1641 *Episcopus est principalis causa in regimine Ecclesiæ, ad cuius imperium mouentur cæteri inferiores.*

1642 *Patronus laicus non tenetur obseruare leges iustitiæ distributiuæ.*

1629. DVplex est Patronus, Ecclesiasticus vnus, & Laicus alter, de quorum iuribus, & priuilegiis latè Doctores *ad titul. de iure patronatus in Decretal & in 6.* Rursus Patronus laicus ius habet præsentandi à Summo Pontifice, quia ex bonis propriis Patronatum fundauit, aut quia ob benemerita in Ecclesiam ius Patronatus concessit, vt habent Reges Hispaniarum, & Galliæ.

Et quidem iuxta dicta in superioribus hæc quæ sequuntur mihi videntur probabiliora iuxta quæ tuto potest Theologus informare conscientiam Principis, & Patroni laici. Si loquamur de Be-

1630. neficiis curam animarum non habentibus, siue sint simplicia pure vt Capellania, Præstimonium, &c. siue sint duplicia, vt Canonicatus Cathedralium, cum electo non teneatur sub mortali ea conferre dignioribus, neque etiam tenebitur Patronus laicus. Si tamen loquamur de Beneficiis Parochialibus, Patronus Ecclesiasticus tenetur præsentare digniorem, vt expressè statuit Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform. vers. si vero iuris Patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter approbatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur: cum vero institutio ab alio quam ab Epi- Episcopo est facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem quem Patronus ei præsentet ad quem institutio spectat.* Hæc ibi, quare de hoc dubitare non licet.

1631. Sed prosequitur Trident. & addit verba quæ diuiserunt Authoresin varias sententias. *Quod si iuris Patronatus laicorum fuerit debeat qui à Patrono præsentatus fuerit ab eisdem deputatis, vt supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti.* Quibus verbis Sacrosancta Synodus manifestum discrimen posuit inter Patronum laicum, & Ecclesiasticum quod iste debet aut eligere digniorem, aut præsentare ex approbatis ab examinatoribus Synodalibus. Et iste & non alius debet institui in Beneficio; ast Patronus laicus satisfacit si ille quem præsentat idoneus reperiatur in examine.

1632. Nec satisfacit solutio quam adhibent Sanch. Garcia, Card. Lugo, & alij citandi, Concilium hoc discrimen inter vtrumque Patronum constituisse quantum ad validitatem collationis Beneficij; non vero quantum ad obligationem naturalem de distribuendis Beneficiis dignioribus; laicus enim Patronus ad hoc iure naturæ tenetur, licet si præsentet idoneum iste admitti debet, & collatio facta sit valida. Si tamen Patronus Ecclesiasticus non præsentet, aut eligat digniorem potest non admitti, & collatio irritari iuxta *Bullam Pij Quinti quæ incipit in conferendis.*

Non, inquam satisfacit hæc solutio, quia Concilium constituit formam conferendi huiusmodi Beneficia iuris patronatus laici volens patronum laicum speciali fauore prosequi vt laici animentur ad fundandas Ecclesias. Et quidem quomodo animarentur si non satisfacerent conscientiæ suæ præsentando idoneum, & tenerentur præsentare digniorem sub peccato mortali. Quare Concilium voluit determinare quod hæc Beneficia iuris patronatus laici non darentur iuxta leges distributiuæ iustitiæ, sicut *in cap. Monasterium 16. quæst. 7.* in quo Synodus Romana sub duobus Pontificibus Eugenio II. & Leone IV. *c. 21.* dicit *quod liceat* (constructori) *alicuius Ecclesiæ Presbytero cui voluerit pro sacro officio illius Diœcesis cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.* Et sic primus Fundator potest idoneum, relicto digniore, præsentare, vt est communis ferè omnium sententia, quidquid dicat Card. Lugo *infra citandus n. 44.* non aduertens Concilium Romanum dicere *liceat constructori*, id est, primo Fundatori laico, concedit Synodus Trid. omnibus Patronis laicis; etenim eadem est ratio vnius, ac reliquorum si istis primus fundator absque limitatione ius suum reliquit quod Ecclesia illis concessit. Quod maximè verum tenet in iuris patronatu quem laicus fundauit ex propriis facultatibus, vt tenet Gutierez *Canonic. lib. 2. c. 11. n. 27.* 1633. 1643.

Quare hanc sententiam secuti sunt multi, & graues Doctores quos citat, & sequitur Diana *p. 2. tract. 1. Miscel. resol. 37.* citat Ioannem Valerum *verb. electio differ. 2.* sed expressè contrarium dicit affirmans quod Concilium loquitur in foro externo, eiusque verba esse intelligenda permissiuè, non approbatiuè; & sic in conscientia patronus laicus tenetur præsentare, aut eligere digniorem. Sed eam tenent Garcia *de Benef. p. 7. c. 16. n. 19.* Rodrig. *in summ. c. 187. n. 8.* Bañez *2. 2. q. 65. art. 2. dub 4. conc. 5.* Ledesma *2. p. summ. tract. 7. c. 2. conc. 7. diff. 9.* Palao *disp. 2 punct. 11. n. 10.* quæ sententia mihi maximè placet tanquam probabilior, & in praxi secura, maximè si fermo sit, vt dixi, de iuris patronatu quem laicus fundauit ex propriis facultatibus, & eius successoribus eamdem facultatem quam ipse habuit reliquit, vt visus est relinquere, nisi expressè eam limitet. Ita Lugo *disput. 34. sect. 4. num. 39.* 1635.

Dixerat tamen *n. 38.* quod si Ecclesia iuris patronatum dedit ob benemeritorum remunerationem quod iste tenetur eligere digniorem, quia Ecclesia transtulit ius suum eligendi in Patronum; atqui Prælati Ecclesiastici tenetur eligere digniorem: ergo & Patronus succedit Ecclesiæ Sed hoc licet sit probabile, tamen mihi non probatur, quia Ecclesiæ caput Summus Pontifex constituit, ius patronatus laicorum dum Principi dat facultatem, ob remunerationem, præsentandi: ergo hoc ius patronatus habet priuilegia laicorum: atqui ex Trid. *vbi sup.* hoc est manifestum discrimen positum inter Patronum laicum, & Ecclesiasticum, quod iste tenetur præsentare digniorem, ille vero non, sed sufficit præsentare dignum: ergo etiam si detur ob remunerationem. Consequentia est clara, quia Concilium non distinguit ex qua origine proueniat fundatio iuris patronatus laici, quare nec nos distinguere debemus. 1636.

Secundò, quia benemerita illa quæ remunerãtur multoties sũt maiori pretio æstimabilia, quã propriæ facultates. 3. quia ius patronatus laicorũ datus ob remuneratione in omnibus aliis habet priuile- 1637.

gia

quæ non habet ius patronatus Ecclesiasticorum: ergo etiam habebit hoc de non præsentando digniore. Quare ius quod habebat Prælatus eligendi ad Beneficium curatum digniorem receptum in laico Patrono limitatur, aut extenditur iuxta conditiones, & priuilegia subiecti.

1638. Sententia tamen nostra intelligitur de iuris patronatus laici respectu Beneficiorum Parochialium, non vero respectu Episcopatuum curã actualem habentium, ad hos enim tenentur Patroni laici præsentare digniorem sub obligatione peccati mortalis. Hoc mihi videtur indubitatum contra Castro Palao *vbi sup. n.* 10. ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. statim à principio sic dicente, *Omnes vero, & singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in his pro præsenti temporum ratione nihil innouando hortatur, & monet, vt in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vti-*

1639. *les præfici diligenter curauerit.* Nil illustrius dici potest. Reges ergo, & Principes Supremi qui habent ius patronatus laicorum ad præsentandos Episcopos, & Abbates iurisdictionem Episcopalem habentes sub peccato mortali tenentur præsentare digniores. Sic determinante Sacro Concilio, quod manifestè loqui non solum de electoribus, sed de Patronis constat ex illis verbis *quodcumque ius quacumque ratione habentes.* Hoc autem ius habent Patroni præsentantes, aut nominantes siue ius patronatus sit fundatum ob remunerationem, siue ex propriis facultatibus, vbicũ-

1640. que enim ius præsentãdi à Sede Apostolica habetur, sine cuius concessione sola fundatio tale ius non daret. Quare etsi Concilium agat de electione in Episcopum, tamen incidenter etiam tractat de præsẽtatione, & nominatione facta à Patrono.

1641. Et ratio cur in præsentatione ad Episcopatum ita strictè loquatur Concilium, non vero de aliis inferioribus curatis est, quia Episcopus est principalis causa in regimine Ecclesiæ ad cuius imperium mouentur cæteri inferiores quorum *est illuminatiuus, & perfectiuus*, vt ait Dionysius *c.* 6. *de Eccles. Hierarch.* Quare valde necessarium est Ecclesiæ quod semper eligatur qui magis vtilis iudicetur, & ad hoc tenentur iure naturæ omnes quotquot ius habent ad Episcoporum promotionem. Quare minus bene P. Henriq. *in manuscriptis de hac materia* excusat Reges qui præsentant dignum ad Episcopatum, omisso digniore, si commodè haberi potest. Quare quamuis Pontifex confirmet dignum quem præsentat Rex omisso digniore non ob hoc Rex excusatur à mortali. Si tamen Pontifici constaret omissum digniorem, qui consultatus fuit Regi, poterat dignum non confirmare, quia Rex non est vsus iure patronatus vt statuit Concilium quod dignior præsentetur. Quod secus est in aliis curatis inferioribus ad quæ ex eodem Concilio sufficit præsentari idoneum à Patrono laico, vt vidimus.

1642. Neque argumenta quæ adducit Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 1. *dub.* 5. *à n.* 3. aliquid operantur contra nostram sententiam; neque enim Patronus laicus tenetur obseruare leges iustitiæ distributiuæ, à quibus ipsum absoluit Trid. sicut absoluit Synodus Romana primum fundatorem à quibus non absoluit electores; neque inconuenientia in ordine ad bonum regimen quæ sequuntur si electores eligant dignum omisso digniore sequuntur ex præsentatione digni à Patrono laico omisso digniore, quia electores ad plus tenentur euitare inconuenientia ex vi sui officij, quam patronus laicus. Quare nisi iste videat scrutura ingentia damna in omissione digni ex vi suis iuris, non tenetur illa euitare, sicut tenetur elector, quia iste tenetur dare vnicuique ius suum quod habet ra- 1643.
tione maioris dignitatis, à qua obligatione est absolutus patronus laicus per Concilia citata. Sicut confirmator potest, & tenetur confirmare electionem digni, omisso digniore, vt modo dicam cum communi, & certa sententia. Nec inconuenientia quæ sequuntur respectu electoris sequuntur respectu confirmatoris, quia ad magis tenetur eligens quam confirmans: ergo pari modo ad magis potest obligari elector, quam Patronus laicus præsentans.

LIMITATIO IV.

De confirmatore.

SVMMARIVM.

1644 *Confirmator potest confirmare electionem digni omisso digniore, imò ad hoc tenetur, & si nolit potest cogi à Superiore.*

1448 *An si Patronus Ecclesiasticus non præsentet digniorem teneatur Episcopus dignum præsentatum instituere.*

1661 *An confirmator electionis Regularium (qui non sit Summus Pontifex) possit inconsulto Papa non confirmare electum dignum omisso digniore, cassando eius electionem? & num. seqq.*

LImitatur quartò, præfata regula in confirma- 1644.
tione; potest enim confirmator confirmare electionem digni omisso digniore, imo ad hoc tenetur, & si nolit potest cogi à Superiore. Ita Sanchez *multis citatis, vbi sup. n.* 8. D. Caiet. *verbo Beneficium §. Beneficium demum.* vbi sic loquitur: *Vbi sola confirmatio electi, aut præsentati à patrono spectat ad eum sufficit quod detur digno, quoniam ex hoc ipso quod electus præsentatus est tanquam dignior habetur.* Portel *tom.* 1. *respons. p.* 2. *casu* 4. *dub.* 2. Aragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *fol.* 207. Salon. *q.* 65. *art* 2. *controu.* 3. *fol.* 999. Ratio est, Primò, quia electio, & præsentatio digni omisso digniore est valida, vt modo suppono, & constat ex dictis: ergo tenetur confirmator eam confirmare. Secundò, 1645.
quia electus, & præsentatus per electionem, & præsentationem iuridicè factam acquirit ius ad rem ad impetrandam Beneficij collationem, & institutionem, extrauaganti *Sedes Apostolica inter commun.* & optimè probat Azor *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *q.* 3. ergo confirmator tenetur ipsum confirmare, nisi probet esse indignum facto examine *cap. Artaldis* 8. *q.* 3. *& cap. nunc vero* 9. *q.* 3. & hoc est Caietani solidum fundamentum, quia cum electus, & præsentatus iuridicè habeat ius ad rem respectu Beneficij, aut officij, censetur dignior quo- 1646.
cumque alio non electo, aut præsentato, & ita confirmator tenetur ipsum confirmare, etiam si sit Summus Pontifex, vt notat Sanchez *numero* 9.

Regula contenta in hac limitatione absolutè loquendo verissima est quam fere omnes scribentes admittunt. Sunt tamen circa illam aliquæ

non contemnendæ difficultates, quas enucleare eſt neceſſe. Prima ſumitur ex verbis Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18. verſ. ſi vero*, ait, *iuris pa-*
1447. *tronatus Eccleſiaſtici erit* (Beneficium Parochiale) *ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non ad alium, pertineat, is quem patronus inter approbatos ab examinatoribus digniorem iudicabit Epiſcopo præſentare teneatur vt ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio quam ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet ad quem inſtitutio ſpe-*
1448. *ctat.*

Quæ verba duo continent difficilia. Primum. an ſi Patronus Eccleſiaſticus non præſentet digniorem teneatur Epiſcopus dignum præſentatum inſtituere? affirmant Sanchez *dub. 6. citato num.* 8. Nauarrus *lib. 3. conſilior. tit. de iur. Patronatus conſil. 5.* Eſpino. *ſpeculat. teſtament. gloſſ. 4. Aldana in Compendio lib. 3. tit. 9. num.* 43. quem citat, & ſequitur Barboſa *in Collectan. prædicti cap. 18. num* 148. Probatur. Quia verba Concilij irritantes inſtitutiones factas contra formam prædictam, ſicut & Bullæ Pij Quinti verba non intelliguntur niſi de Beneficiis quorum libera electio pertinet ad Epiſcopum præcedente examine per concurſum, non vero quando requiritur Patroni præſentatio; de Beneficiis enim etiam curatis iuris patronatus Eccleſiaſtici non intelligitur, vt determinauit Sacra Congregatio apud Bellarmin. *in Declaration. Cardinal.* Secundò,
1449. quia iure antiquo recedendum non eſt niſi iure nouo expreſſis verbis recedatur *lege vltima Cod. de appellationibus.* at neque in Tridentino, neque in Bulla Pij Quinti irritatur electio facta de digno à Patrono, omiſſo digniore: ergo.

Sed oppoſitum mihi magis arridet; exiſtimo enim quod ſi Patronus Eccleſiaſticus præſentet dignũ ad Beneficium curatũ, omiſſo digniore, quod præſentatio eſt nulla, & ſic non tenetur Epiſcopus ipſam confirmare, & præſentatum inſtituere; ita Aragon *vbi ſup. & fol. 314. pag. 2. verſ. quod eſt intelligendum.* Quod mihi videtur hoc diſcurſu manifeſtè conuinci, quia Beneficium curatum quod datur per concurſum præuio examine examinatorum Synodalium debet dari digniori, & aliàs collatio eſt nulla vt ſtatuit Tridentin. & de-
1450. clarauit Pius Quintus *in ſua Bulla*, & infra magis patebit. Sed Beneficium curatum iuris patronatus Eccleſiaſtici debet dari per concurſum præuio examine Synodalium, vt expreſsè declarauit Sacra Congregatio *die 22. April.* 1599. vt referunt Bellarminus *ibi in reſolution.* Sacræ Congregationis, Barboſa *in Declarationibus num.* 30. & *in remiſſion.* addit aliam declarationem, quod id teneat verum etiam ſi iuris patronatus ſit partim Eccleſiæ, & partim laici; imo etiam ſi pro vna tantum parte ſit Eccleſiaſticus, vt referunt Gonzalez *ad regular.* 8. Gloſſa 6. *numero* 135. Garcia *part. 9. de Benefic. cap. 2. num.* 278. ergo præſentatio digni omiſſo digniore facta à Patrono Eccleſiaſtico nulla eſt.

1451. Vnde ſapienter Farinacius *in Declaration. & deciſion. ad præfat. cap. 18. Trident.* dicit, *Epiſcopus inſtituere debet in Beneficio præſentatum ab Eccleſia patrono, ſi digniorem elegerit ex approbatis ab examinatoribus.* Quæ ſunt formalia verba declarationis Cardinalium quam refert Garcia *vbi ſup. num.* 262. & quod magis eſt ſic declarauit Sixtus Quintus, *in Bulla quæ incipit Sixtus V. edita anno* 1588. *die* 27. *Februar.* declarans Sacri Concilij diſpoſitionem, & mentem ſic fatur: *nequeant per Epiſcopos, ſi ad eos inſtitutio, & non ad alium pertineat, inſtitui niſi illi tantum qui inter approbatos, & ab examinatoribus idoneos reperios à Patronis digniores, & magis idonei fuerint iudicati, & pro inſtitutione recipienda eiſdem* 1452. *Epiſcopis fuerint præſentati.* Et infrà: *irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuperbis à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari*, &c.

Fundamenta oppoſita facilè ex dictis corruunt. Ad primum reſpondetur negando quod Bulla Pij V. & Trid. non intelligatur de Beneficiis iuris patronatus Eccleſiaſtici vt vidimus. Et declaratio ibi 1453. adducta loquitur de patrono laico cuius Beneficium curatum non datur per concurſum. Ad ſecundum reſpondetur, negando quod expreſsè non irritetur inſtitutio facta de digno, omiſſo digniore ex præſentatione Patroni Eccleſiaſtici. Dicit enim Concilium *quod collationes, & inſtitutiones præter ſupradictam formam factæ ſubreptitiæ eſſe cenſentur.* & Pius V. *in ſua Bulla* dicit, *quod omnes prouiſiones, collationes, inſtitutiones Parochialium Eccleſiarum præter, & contra formam ab eodem Concilio Trid. præſertim in examine per concurſum faciendo, præſcriptam, factas, aut in futurum faciendas nullas, irritas, ac nullius momenti fore, nullumque prouiſis inde, aut titulum etiam coloratum poſſidendi præbere, &c.* Cum ergo Parochiales iuris patronatus Eccleſiaſtici debeant prouideri per concurſum, manifeſtum eſt quod ſi detur digno, omiſſo digniore, electio, aut præſentatio nulla, & irrita eſt, & per conſequens non poteſt Epiſcopus præſentatum inſtituere, aut confirmare. Quod etiam tenet verum quamuis electio, & præſentatio digni, omiſſo digniore, non ſit ipſo facto irrita, ſed irritanda, inuento digniore, per iudicem competentem, quia ſi de iure venit irritanda non cogitur confirmator illam confirmare, & inſtituere electum, & præſentatum. 1454.

Secundum quod verba Concilij dicunt eſt *quod ſi inſtitutio eſt facienda ab alio quam ab Epiſcopo iſte ſolus eligat ex approbatis digniorem quem patronus præſentet ei ad quem inſtitutio ſpectat.* Circa quæ verba Sanch. *vbi ſuprà dicit n.* 6. quod ſi Epiſcopus non eligat digniorem, ſed dignum præſentatum valet inſtitutio, & collatio. Sed fallitur omnino ſapientiſſimus vir, quia contrarium eſt declaratum à Sacra Congregatione cuius verba referunt Garcia *vbi ſup. n.* 262. Barboſa *num.* 33. Bellarm. *in reſol.* quæ declaratio facta fuit *die* 11. *Ianuar.* 1594. quod ſi ſecus factum fuerit, collatio, & inſtitutio eſt nulla, & ſic inſtitutor non tene- 1456. tur inſtituere ſi dignior non fuerit electus, & præſentatus, eo enim ipſo quod præcedat concurſus, & examen Synodalium non poteſt non dari digniori iuxta hoc nouum ius Trid. Et Bull. Pij V. & Sixti V. Sic tenet doctus Eſpino *vbi ſup. n.* 86. Garcia *vbi ſup.* & Barboſ. *in Collect. n.* 149. loquitur enim Concilium in omnibus Parochialibus quæ prouidentur per concurſum, & examen oppoſitorum, derogauitque manifeſtè Patronis Eccleſiaſticis qui iuxta ius antiquum ſatisfaciebant præſentando dignum, *cap. conſtit. el 2. de appellat. cap. niſi cum pridem §. nec pro defectu de renuntiatio.* 1455.

Secunda difficultas eſt. An hæc limitatio facta 1457. teneat verum apud Regulates, itaut Superior teneatur confirmare dignum electũ, omiſſo digniore. Et quidem quod omnis electus poſt præſtitum conſenſum ſuæ electionis debeat intra ſpatium

trium

trium menſium petere à Superiore confirmationem, ius commune ſtatuit, & aliter electio eſt nulla, *cap. quam ſit & cap. cupientes de elect. in 6.* quod fallit in electione Papæ qui non habet ſuperiorem *cap. in nomine 24. diſt.* Quod ſi ante
1658. confirmationem electus ſe ingerit aliquomodo in parte, vel in toto in regimine Eccleſiæ, aut Religionis in ſpiritualibus, vel temporalibus ipſo facto priuatur omni iure quod per electionē habebat. Ita habetur *cap. auaritiæ de elect. in 6.* Quod fallit. Primò, quando petitur electo adminiſtranti *cap. noſti de electio.* Et quando confirmatio eſt à Papa, vel à Superiore qui eſt Romæ, vel Hiſpaniæ, & electus vel eſt in Hiſpania, vel in Italia proportione ſeruata; tunc enim ratione diſtantiæ poteſt adminiſtrare, ſed non poteſt alienationem facere. Ita *cap. nihil de electione.* Vbi Ioannes Andreas. Ita ferè Sylueſter *verb. confirmatio humana quæſt. 1. num. 2.* & ex ipſo Miranda *in Manual. tom. 2. quæſt. 23. diſt. 32.*

1659. Fallit ſecundò, in electione omnium Religionum Patrum Generalium, qui eo ipſo quod ſint electi ſunt à Summo Pontifice confirmati. Ita conceſſit *Clemens IV. Fratribus Minoribus*, vt refert Miranda *conc. 3.* & Eugenius IV. *Ciſtercienſibus* vt refert Compend. illorum *verb. electio §. 1.*

Fallit tertiò, in Superioribus localibus multa-
1660. rum Religionum qui eo ipſo quod ſint electi ante confirmationem petendam ab abſente Superiore poſſunt adminiſtrare in ſpiritualibus, & temporalibus. Sic conceſſit Benedictus XIII. *Patribus S. Hieron. verb. Prior electus §. 1.* & tenent Rodrig. *tom. 1. qq. Regular. quæſt. 53. art. 6.* Portel *verbo Guardianus, & in additionib. n. 5.* Hieron. Rodrig. *reſol. 58. n. 30. & 31.* Miranda *vbi ſup.* Quod Superiores electi eo ipſo quod publicentur ritè electi, cenſentur confirmati. Dixi *in aliquibus Religionibus*, quia in ordine Prædicatorum Prouincialis electus non adminiſtrat ante confirmationem habitam à Generali, niſi tanquam Vicarius Generalis. Similiter Priores locales nullo modo adminiſtrant ante Prouincialis confirmationem vt conſtat ex eorum conſtitutionibus. Inter nos tamen Pater Prouincialis adminiſtrat ante confirmationem Patris Generalis, & Præpoſiti locales eo ipſo quod publicentur electi in Capitulo cenſentur confirmati.

His prælibatis difficultas eſt. An confirmator
1661. electionis Regularium (qui non ſit Summus Pontifex) poſſit inconſulto Papa non confirmare electum dignum omiſſo digniore, caſſando eius electionem. Et quidem aliqua Religio vt eſt Sacer ordo Prædicatorum id habet ex ſpeciali eius conſtitutione vt poſſit Prouincialis caſſare electionem digni ſi viderit omitti digniorem. Ita Sanch. *vbi ſup. num. 4.* Salon. *vbi ſup. controu. 3. fol. 998.* & idem poterit Generalis reſpectu electionis Prouincialis. Quare ſolum procedit difficultas de iure communi.

Negant Portel *tom. 1. reſponſ. part. 2. caſu 4. quæſito 2. à n. 3.* Peyrinis *de ſubdito quæſt. 1. c. 31. §. 7.* idque probant multis rationibus. Primò, quia electio digni eſt valida, vt tenet D. Thom. *2. 2. quæſt. 62. art. 2.* quem ſequuntur innumeri
1662. quos citat Sanchez *vbi ſup. num. 2.* Quare ex vi illius electus acquiſiuit ius à quo non poteſt excludi niſi iuridicè probetur indignus *cap. Artaldus 8. quæſt. 3.* ergo confirmator tenetur confirmare Regularem electum, etiam ſi non ſit dignior, ſi tamen dignus ſit, vt expreſsè tenent Couarruuias *ad regul. peccatum* quem citat, & ſequitur Azor *part. 2. lib. 6. cap. 15. quæſt. 2.*

Secundò, quia non confirmare electum eſt ex- 1663.
cludere illum ab Officio ad quod electus eſt; quod fieri non poteſt niſi prius audiatur; iure enim diuino nemo poteſt condemnari inauditus.

Tertiò, quia ſi dignus electus poſſet non con- 1664.
firmari quia dignor, omiſſus eſt pateret porta infinitis litibus, & diſcordiis in probationibus quis eſſet magis dignus, vel minus dignus. Quas probationes, & lites praxis electionum non admittit, præcipuè cum ſup. ampliatione vltima dixerimus quod in electionibus Regularium non eſt neceſſarium eligere digniorem.

Ego quidem exiſtimo quod Pontifex, vel quicumque cui ille delegauerit poteſt non confirmare electionem de digno, omiſſo digniore: neque ad hoc requirit Pontifex aliam probationem iuri- 1665.
dicam quam quod ex relatione ſibi conſtet digniorem omiſſum, & quod ita expediat ad bonum communitatis, quod attendi principaliter debet inter Regulares, non ius quod electus acquirit per electionem.

Quare non aſſentior Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 52. art. 2.* aſſerenti quod ſi Papa alicui committeret quod priuaret Religioſos Capitulares voce actiua, aut paſſiua prout ſibi in Domino viſum fuerit in ordine ad bonum communitatis, debet hoc fieri ſeruato iuris ordine, cita- 1666.
ta, & audita parte. Hoc, inquam, mihi non probatur, quia quamuis id ſit verum quando quis criminaliter priuatur propter delictum, non tamen quando ciuiliter propter bonum communitatis, in ordine ad quod poteſt Pontifex habens plenitudinem poteſtatis ſic diſponere, vt quemlibet priuet iure ſuo, quia bonum communitatis principalius intenditur, in ordine ad quod Religioſi nullum ius proprium habent, à quo non poſſint ſpoliari ſine citatione, & forma iuridica. Quod Religioſus patienter, & humiliter ſuſtine- 1667.
re debet ſine recurſu ad brachium ſæculare, ſine appellatione, aut alio remedio ſæcularibus conceſſo. De quo videndus eſt Aldrete *de Religioſa diſciplina lib. 2. cap. 28. à num. 14. vſque ad finem Paragraphi.*

Quod ſecus eſt quando criminaliter procedi-
tur; tunc enim ſeruari debet ordo iuridicus in quo nec Pontifex poteſt diſpenſare cum ſit de iure naturali. Ratio horum eſt quia cum Religioſus non habeat proprium velle, aut nolle, nullum ius habet quod ſit irreuocabile in ordine ad bonum commune, ſed quodlibet reuocari poteſt à Summo Pontifice quando id cedit in bonum communitatis. Quæ reuocatio fieri poteſt à ſolo Papa, vel ab eo qui ad id habet ſpecialem delegationem, vel à Capitulo Generali in quo eſt 1668.
plenitudo poteſtatis reſpiciendi bonum commune ſuæ Religionis; non tamen fieri poteſt etiam à Patre Generali qui ſolum reſpicit bonum commune ſecundum regulas ſibi præſtitutas. Legantur Emmanuel Rodriguez *tom. 2. qq. regular. quæſt. 25. art. 10.* & Doctores *ad cap. ad Monaſterium §. tales de ſtatu Monachorum.* Paſſarellus *in Schol. ad Capitulum Generale Barchinon. fol. 147.*

Quam doctrinam eo libentius admitto quo vi- 1669.
deo eam practicari Romæ ab Eminentiſſ. Cardin. Protectoribus ex ſpeciali conſultatione habita cū Sanctiſſimo. Et quidem aliquando id maximè

conducere ad bonum commune Religionis non dubito& experientia conſtat,quamuis aliquando, cum incertæ ſint prouidentiæ noſtræ aliquæ inquietudines oriantur, & effectus deſideratus non aſſequatur, quod eſt per accidens.

1670. Imo addo quod Papa poteſt à tota vna Prouincia ius eligendi in Capitulo auferre ſi id videatur expediens bono totius communitatis,præcipuè ſi ſit ad extirpandam aliquam partialitatem quæ nociua eſt toti Prouinciæ; imo & Capitulum Generale, cum poſſit leges ferre quæ totam Religionem concernant poteſt ſtatuere quod electiones omnes fiant in Capitulo Generali,maximè pro vna, vel altera vice quando id videbitur expedire. De quo, Deo dante, alibi tractabo, & ſatisfaciam iis quæ in contrarium obiici poſſunt. Legatur interim Cardinalis Lugo 2. 2. *tom.1.diſp.35.ſect.5.n.61 & 62.*

1671. Exiſtimo ſecundò, poſſe confirmatorem [Regularem non confirmare, ſed caſſare electionem digni, omiſſo digniore, non præmiſſa informatione iuridica, nec citata, nec audita parte, ſed habita relatione per litteras, aut ex notitia particulari extraiudicialiter quando id iudicat conuenire bono communi Religionis. Ita Barboſa *lib.1. iur. Eccl. cap.19. num.251.* Lauorinus *variar. lucubratio tit. 4. cap. 25. num. 55.* Salgado *de protectio.reg. part.2. cap.13.à num.9.* vbi plures citat. Rota *in vna Vlixibonen. quaterna 15. Ianuar. 1624.* Bañez *de iuſt. & iur. quæſt.67. articul.2. ad 2. pag.420.* ibi, *Confirmatur quomodolibet caſſauerit electionem caſſa eſt. Quod ſi quis obiiciat, Confirmator iniuriam facit electo, ergo tenetur eum confirmare ex iuſtitia. Probatur antecedens, quia ſtatim iudicabitur electus de aliquo crimine propter quod non confirmatur à Prælato. Reſpondetur, nego antecedens quia eſſet temerarium iudicium, quia multis viis poteſt caſſari electio, etiam digni.* Quæ omnia, & plura alia adducit Auguſt. Barboſa *in votis deciſiuis lib.1. voto 4.* in caſſatione electionis cuiuſdam Prouincialis facta per ſuum Generalem. Quæ caſſatio etiam ſi extraiudicialiter facta, approbata fuit ab Illuſtriſſimo Nuntio, & deducta per viam violentiæ ad Conſilium Regium *anno 1635.* quod determinauit nullam fieri violentiam.

1672.

1673. Ratio horum eſt quam tradit Lauorinus *vbi ſup. num.66.* quia ius quod acquiritur per electionem, reuocabile eſt, & fit irreuocabile per confirmationem, quæ commiſſa eſt conſcientiæ confirmatoris potentis procedere ex ſpeciali ſcientia, & ita ſi ſecundum Deum viſum eſt ſibi expedire caſſare electionem, dubio procul caſſata manet, argument. *ex Clementin. exiui §. demum de verborum ſignificatio.* vbi id ſtatuitur pro Fratribus Minoribus. Et quidem quod ius acquiſitum per electionem ſit reuocabile eſt ita verum quod teneat in Beneficiis ſæcularibus, vt ex multis citatis tenet idem Barboſa *in Collectan. ad cap. ſi electio 16.num.3. de electio in 6.* ita vt ſi electus moriatur ante confirmationem, non dicatur Beneficium vacare per mortem electi, ſed per mortem primi.

1674. Ex quo patet ad fundamentum primum. Reſpondetur negando quod non poſſit caſſari electio digni niſi iuridicè probetur indignus; non enim id requiritur, ſed quod ex particulari ſcientia iudicetur ita expedire bono communi. Quod tenet verum etiam ſi dignior ſit electus, quia eo ipſo quod non confirmatur, dignior non eſt, vt ſuprà dicebam ex Caiet. Ad ſecundum reſpondetur quod ius electi eſt reuocabile ante confirmationem, & ita non eſt neceſſarium quod audiatur. Ad tertium reſpondetur. Quod non patet oſtium litibus ſi Religioſus non confirmatus humilis, & obediens ſit, obediens, & prudens, & quietus, vt contigit Reuerendiſſimo Patri mihi 1675. multis titulis venerando Fr. Antonio de Saauedra qui electus Prouincialis huius Bæticæ Prouinciæ pro tribus partibus vocalium Ordinis Sacri Prædicatorum,quem noluit confirmare P.Generalis, ſed electionem caſſauit. Quod ita conſtanter, & fortiter ſuſtinuit quod nec verbum ex ore eius dilapſum ſit. Qua conſtanti obedientia poſteris omnibus reliquit exemplum. Vtinam omnes imitentur.

LIMITATIO V.

De eligendo digno, quando dignior eligi non valet.

SVMMARIVM.

1676 *Electiones via ſcrutinij dupliciter fieri poſſunt.*
1677 *Poſſum non dare ſuffragium digniori cui nihil eſt profuturum, & eligere dignum ad euitandam electionem indigni, & n. ſeqq.*
1690 *Inferuntur corollaria, & num. ſeqq.*

DOctrina huius limitationis valde practicabilis eſt in electionibus quæ fiunt per vota ſecreta, & varia ſcrutinia. Hæ autem electiones dupliciter fieri poſſunt. Primo conuocando oppoſitores per edictum publicum vt digniori detur Officium,& Beneficium vt fit in concurſu ad Parochialia, ad Cathedras, & ad Canonicatus Magiſtrales, & Doctorales in Hiſpania. Secundò, ſine conuocatione per edictum, vt fit hodie in electione Summi Pontificis, & in multis Eccleſiæ Alemaniæ electio Epiſcopi, & inter Regulares electiones Superiorum omnium. 1676.

Igitur communis, & certa ſententia eſt, quod ego poſſum non dare ſuffragium digniori, cui nihil eſt profuturum, vt eligere dignum ad euitandam electionem indigni, aut minus digni quando electio non fit præſuppoſito edicto conuocatorio ad oppoſitionem. Ita Tho. Sanch. *vbi ſup. dub.4. num.2.* vbi citat plures ex Modernis. Leſſ. *lib.2. cap.34. dub.12. n.60.* Caſtro Palao *diſput.2. cit. punct.11. §.2. num.12. & 13.* Vaſquez *de Benefic. vbi ſup. §.3.dub.3.* Turrianus *diſp.22.dub.2.* Cardin. Lugo *num.30. & 31.* Dominus Caietan. *2.2. q.63. art.2. & in ſumm. verb. electio* in fine, vbi poſuit huius veritatis fundamentum his verbis: *Et ſi [non vult errare qui neſcit huiuſmodi regulas,det votum ſuum qui magis idoneus eſt ad hoc inter eos qui digni ſunt, & poſſunt præponi. Quod ideo dico quia ſi is qui vere eſt dignior non poteſt præponi quia aliis non placet, eligendus eſt dignior inter illos dignos qui poſſunt haberi.* Hæc ibi. Quod aliis verbis dixit *art. 2. citat. §. not 4.* explicans profunda illa verba D. Thom. ad 3. quod 1678. quantum *ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. Quod intelligitur*, ait Caietan. *de poſſibilibus haberi,hi enim de quibus conſtat quod haberi non poſſunt,extra latitudinem eligibilium computandi ſunt.* Cum ergo in caſu poſito 1577.

sito mihi constet quod non possum eligere dignissimum, aut digniorem, quia aliis vel ex malitia, vel ignorantia non placet, possum, ne eligatur indignus aut minus dignus, eligere dignum.

1679. Imo addo ex eodem Caietano, & D. Thomæ fundamento, non solum me posse eligere dignum vt non eligatur indignus, aut minus dignus, sed quod ad id teneor sub peccato mortali. Ita Thomistæ omnes 2.2.*quæst.*63.*art.*2. vbi Bañez *dub.*3. Salon.*controuers.*4. Aragon *fol.*312.*pag.*2. Lessius *n.*60. Lugo *n.*33.*&* 34. Siluius 2.2.*quæst.*63.*art.*2. *quæst.*4.*conc.*3.*vers.quinto.* Et mihi id probat manifeste ratio adducta. Quia electo

1680. tenetur eligere digniorem ex possibilibus haberi, & ex his qui præponi possunt: atqui iste dignissimus non est possibilis haberi, vt suppono, ergo est extra latitudinem eligibilium: ergo teneor eligere digniorem inter eos qui eligibiles sunt: ergo teneor eligere dignum qui comparatione minus digni dignior est. Imo & absolute dignior eligibilis reputandus est, quia dignissimus etsi ius habeat vt eligatur, contra quod peccant qui ex malitia ipsum non eligunt, nec enim malitia eligentium auferre potest ius hoc à dignissimo, contra quod etiam absolute loquendo non habeat ius dignus, vt illi præferatur in supposito quod malitia exclusit ab ordine practico eligibilium dignissimum dignus habet ius vt eligatur, minus digno excluso.

1681. Vnde si ego meo suffragio possum vitare ne eligatur minus dignus, & iuuare vt eligatur dignus non tamen vt eligatur dignissimus, quem cæteri excludunt, & si non teneat aliquid restituere dignissimo, tamen teneor (quidquid dicat Cardinal. Lugo *n.*34.) digno. Ratio est perspicua quia non eligentes dignissimum cum possent tenentur illi restituere, & non solum communitati, vt est indubitatum, vt videbimus *infra reg.*2. quia facit contra ius dignissimi: atqui quando quis dig-

1682. nissimus est extra latitudinem eligibilium, quia eligi non valet siue ex malitia siue ex ignorantia eligentium dignus habet ius comparatione minus digni, quia respectu illius est dignior: ergo qui potest vitare electionem minus digni, & facere vt eligatur dignus, & non facit, operatur contra ius digni. Et sic iste tenetur restituere damna na secuta, & peccat contra vtramque iustitiam distributiuam, & commutatiuam.

1683. Dices, mihi constare non posse quod dignissimus sit ab aliis excluſus, & extra ordinem eligibilium, & quod infimus sit eligendus; vtriusque enim requiritur moralis certitudo, vt non dem suffragium dignissimo. Quod in electione Magistri ad Cathedram quæ fit per suffragia discipulorum manifeste constat.

Respondet optimè Card. Lugo *num.*32. quod hæc doctrina non est speculatiua, & metaphysica tantum, sed ad praxim quotidie reducitur in electionibus quæ fiunt per plura scrutinia, & ad conclusionem requiritur vel maior pars votorum, vel duæ tertiæ partes vt in electione Summi Pontificis; Tunc ex scrutiniis antecedentibus ad vltimum potest haberi moralis certitudo an dignissimus excludatur, & an minus dignus inclu-

1684. datur. Sic excusantur electores ab eligendo dignissimo si videant quod iste firmiter, & constanter excluditur. Quare ne eligatur minus dignus possunt procrare vt eligatur dignus. Quod teneti verum etiam si iurassent de eligendo dignissimo, quia iuramentum intelligitur quando iste dignissimus potest haberi, & est intra ordinem eligibilium; hæc autem moralis certitudo non solum haberi potest ex scrutiniis antecedentibus, sed ante primum scrutinium, vel ex inclinatione, obligatione ad eligendum, & ex aliis rationibus, signis, circunstantiis, ex quibus manifeste constare potest quod dignissimus exclu- 1685.
datur, & quod minus dignus includatur. Quod maximè elucet tum in electione Pontificis in qua Reges habent suos Cardinales Nationales, qui in exclusiua semper sequuntur Regium dictamen, & in Religone in qua sunt partialitates.

Dixi quando electio non fit inter oppositores conuocatos per concursum, vt fit in Cathedris, & Canonicatibus Magistralibus; in his enim quamuis certo sciam eligendum esse dignum omisso digniore, ait Card. Lugo *num.*36. non possum negare suffragium digniori, & illud dare digno, tum quia hoc non conducit vt impediatur electio minus digni, neque in bonum Ecclesiæ, & aliàs dignior ex concursu ius acquisiuit vt omnibus aliis præferatur: ergo quamuis meum suffragium illi non prosit vt cum effectu obtineat, prodest tamen ad honorem, & vt concurrente alia occasione possit ostendere nouum titulum suæ prætensionis quod plura habuerit suffragia, quod in Cathedris magni momenti est. Ita Sanchez *vbi sup.num.*5. 1686.

Sed contrarium sentiunt Caietanus *vbi suprà* 1687.
Siluester *verb. electio.*3.*num.*3.*q.*2. qui citat Augustin. de Ancona. ibi, *Si is quem credit minus idoneum habet plures voces, sic posset suam conscientiam quis aliis conformare, æstimando illum magis idoneum ex quo pluribus videtur, vel etiam quia sine sua voce peruenitur ad numerum sufficientem.* Quibus verbis optinam rationem dedit nostræ Resolutionis, quia quis per media extrinseca, quamuis medium intrinsecum sibi sit certum potest deponere suam opinionem, & secundum opinionem aliorum operari, vt est communis sententia. Quare cum vocibus pluribus eligentibus dignum potest suam conformare illum eligendo, sic enim seruatur pax, & concordia inter eligentes, & vitantur rixæ, & discordiæ, & alia inconuenientia, quæ oriri solent.

Vnde Eminentissimi Domini Cardinales, & 1688.
Capitulares, si non possunt commodè eligere digniorem possunt eligere dignum in Summum Pontificem, & Prælatum, nam dilatio electionis maximum nocumentum solet afferre tum Ecclesiæ, tum Religioni. Quæ rationes cum manifestæ sint quando non fit electio supposito examine, & concursu eamdem vim habent quando istud præsupponitur. Quia oppositor nullum ius habet ad meum suffragium, quando possum sequi opinionem probabilem (cui me conformare possum per media saltem extrinseca) quod ipse non sit 1689.
dignior. Tum etiam quia solum habet ius ad meum suffragium quando ipse præponi potest, & practice est eligibilis. Quod non contingit quando maior pars ipsum exclusit; nec enim teneor ex iustitia ad dandum illi honorem ex meo suffragio ad quod non habet ius eo ipso quod præponi non potest. Bene tamen facerem si illi, maximè in Cathedris, suffragium illi dem, quia re ipsa illud meretur, & non oriuntur tot inconuenientia sicut in aliis electionibus.

Ex dictis colligitur primò, Quod Consiliarij Regij qui hodie sunt electores Magistrorum ad 1690.

Cathedras in vniuerſitatibus Salmantina, & Complutenſi tenentur eligere digniorem, & nunquam poſſunt iſto dimiſſo eligere dignum, quamuis ille nullam regentet Cathedram, iſte vero ſic; quia quamuis Cathedram tam obtinere, quam dimittere poſſit, ſit aliqualis dignitas in oppoſitore, tamen principalior eſt maior litteratura, ingenij claritas, magiſterium in docendo, morum probitas, facilitas in explicandis difficultatibus, eruditio ſingularis, aſſiſtentia in legendo, & his ſimilia quæ ſi quis obtineat in gradu ſuperiori is eligendus eſt, quamuis nunquam
1691. Cathedram obtinuerit; neque enim Cathedrarum electio facienda eſt more optionis Beneficiorum, quia ille qui eſt aptus ad vnam Cathedram inferiorem non illico aptus eſt ad ſuperiorem vacantem. Videatur Ledeſma 2.4.*q.*18.*art.*2. *folio.*256. *column.*3 *in principio.*

Colligitur ſecundò, quod quando duo ſimul
1692. ſunt eligendi ad duas Præbendas, aut Cathedras, & vnus ſit digniſſimus, & alius dignus, dignior tamen cæteris oppoſitoribus, ſi certus moraliter ſim quod digniſſimus habet ſufficientia ſuffragia ad obtinendum, poſſum ſuffragium ferre pro alio qui dignior eſt cæteris, etiam ſi ſit iuramentum de eligendo digniſſimo. Ratio eſt quia digniſſimo non fit iniuria quia iſte certo obtinebit præbendam, et ſic poſſum iuuare alterum cæteris digniorem, vel quia amicus, vel conſanguineus, aut aliis vinculis mihi iunctus. Iuramentum etiam non obligat, quia iſtud fundatur ſupra obligationem iuſtitiæ diſtributiuæ; iſta autem ablata non ſubſiſtit obligatio Religionis, illa autem auferetur ſuppoſita certitudine morali quod digniſſimus habet ſufficientem numerum ſuffragiorum ad obtinendum.

1693. Colligitur Tertiò, quod tam examinatores Synodales, quam quorumcumque graduum diſtributores in Vniuerſitatibus non ſolum obligantur ex iuſtitia ad aſſignandum digniorem ad Beneficium, & prioritatem gradus, ſed etiam tenentur ad ipſum conſtituendum in litteræ eleuatione, & caracteris primitate, quo electo agnoſcat eſſe digniorem, & cui debetur Beneficium, aut primus gradus; etenim ſine hac litteræ eleuatione, aut caracteris primitate electo iuridice non agnoſcit quis ſit dignior.

1694. Colligitur quartò Reſolutio cuiuſdam dubij de quo interrogatus fui in hac Ciuitate Hiſpalenſi, & ipſum poſtea inueni in Turriano *vbi ſup. dub.*3. *num.*11. de quo dicit non ſemel fuiſſe interrogatum. An examinator Synodalis poſſit opinionem alterius ſequi circa idoneitatem examinandi ipſum approbando, vel reprobando? Cui dubio reſpondeo, quod vel ille cuius opinionem amplector eſt ſimul examinator qui interfuit examini, & ſic dubio procul poſſum illius opinionem amplecti, maximè ſi ſit vir doctus, & timoratus. Ratio eſt, quia licet examinator ſit iudex conſtitutus, vt notat Vazquez 1.2.*diſp.*64. *cap.*2.*num.*4. tamen iudex non tenetur ſemper iudicare ſecundum opinionem quam habet per
1695. principia extrinſeca. Quæ opinio etiam propria eſt, ſi quidem vere iudicat quod opinio aliorum Doctorum etiam eſt probabilis, cui licitè ſe poteſt conformare, ſiue ipſe iudex ſibi videatur habere exactam examinandi cognitionem; ſiue non; ſic enim multi prudentes viri, & timoratæ conſcientiæ in Capitulis, & elcctionibus, quamuis ſuum propalarint iudicium, & ſententiam, nihilominus doctoris iudicio ſe ſubmittunt, & remittunt.

Si vero ille cuius opnionem amplectitur non eſt examinator, ipſe vero examini interfuit, & examinandi habuit experimentum, exiſtimo quod ſi opinio alterius ſit oppoſita experimento non poteſt illam ſequi. Ratio eſt, quia iudex debet ſententiam ferre ſecundum allegata, & probata. 1696.
Quare ſi aliquis oppoſitor in concurſu exercitia examinis male perfecit, quamuis aliàs ſit bene opinatus examinator ferre debet iudicium ſecundum merita examinis, niſi alias ſit homo famoſiſſimus litteris, & virtute, qui ex accidenti non potuit perficere exercitia.

Colligitur quintò, non teneri Eminentiſſimos Cardinales eligere digniſſimum totius Eccleſiæ in Summum Pontificem, ſed poſſe eligere quem digniorem iudicant ex Collegio. Ratio eſt, quia licet non ſit aliquod ius ſcriptum in corpore iuris quo adſtringantur ad eligendum ex Collegio aptiorem tanto muneri, vt optime Soto *lib.*3.*de iuſt.quæſt.*6.*art.*2.§. *quo circa ex cap. in nomine Domini* 23. *diſtinct.* vbi Nicolaus II. in 1697.
Concil. Lateran. agens de electione Summi Pontificis dicit quod *eligatur de gremio Eccleſiæ Romanæ* (Romæ ſitæ quæ conſtat ex Cardinalibus) *ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipſa non inuenitur, ex alta aſſumatur.* Vnde *in cap. licet. de electio.* Alexander III. determinat vt nulla exceptio opponi poſſit contra eum qui fuerit à duabus partibus Cardinalium electus, præter hæreſim, aut aliam exceptionem quæ in iure diuino conſiſtat, & ita ex iure colligitur.

Quod ſi quis eligatur extra Collegium electio valida eſt, ſi non ſit aptus in Collegio, vel ſi eligatur de Collegio timetur ſchiſma in Eccleſia, vt 1698.
notat Turrianus *dub.* 4. *num.* 4. imo aliquando non ſemel electus fuit Summus Pontifex extra Collegium, vt Gregorius X. ex Archidiacono Eugenius III. ex Abbate ſimplici, Cœleſtinus V. cum neque in Sacris eſſet, vt referunt Pontificum Hiſtoriæ. Et ſic Soto conſentiunt Azor *part.*2. *lib.*4 *cap.*5. *quæſt.*6. Suarez *de fide. diſp.*10.*ſect.*4. *num.*19. Lauorinus *tom.*1. *variar.tit.*4. *cap.*11.*n.*7. Illeſcas *part.*1. *Pontif. lib.*5. *cap.*11. & plures alij quos refert, & ſequitur Cenedo ad Decretum *collectan.*18.*num.*1. Quare *cap. oportebat,* & *cap. nullus* 29. *diſtinct.* vel non continent præceptum, vt vult Turrianus *vbi ſupr.* vel nouiori iure Decretalium *in Cap. licet. citato.* abrogata ſunt, vt vult Barboſa *de iure Eccleſiaſtico vniuerſo. lib.*1. *cap.*1. *n.*77. & *n.*78.

Addit cum multis quod etiam ſi electus fuerit 1699.
laicus tenet Electio Cœleſtini quinti. Quod tunc maxime teneret verum, ſi id expediens fuerit ad pacem vniuerſalem Eccleſiæ, & extirpationem ſchiſmatis, in quo caſu non obligaret lex quod Beneficium Eccleſiaſticum non detur laico intra congruum tempus ordinando, & ſic ante ordinationem haberet quæ ſunt iuriſdictionis tantum. Tum etiam, quia vt optime Barboſa *vbi ſup. lib.*3. *cap.*4. *num.*84. Papatus non eſt proprie Beneficium; imo etiam ſi eſſet laicus vxoratus valida eſſet electio, vt reſoluunt Azor *part.*1. *lib.*13. *cap. vlt. q.*13. *verſ. ſi quid* Sanchez *lib.*7. *de matrim. diſp.*38.*num.*20.

Sed quamuis hoc de iure communi ita ſit, pu- 1700.
to tamen eſſe iam conſuetudinem rationabilem introductam, vt nullus niſi de Collegio eligatur in Summum Pontificem, cui ſub graui obligatione

ne tenentur se electores conformare, nisi inter ipsos sit Schisma, quod se dari non potest nisi eligatur aliquis extra Collegium in quem fere omnes conueniant. Ratio est quam adducit Turrianus ex Valentia, quia cum Cardinales sint periti, & magnam rerum Ecclesiæ notitiam, & experientiam habeant valde conducentem ad gubernationem fidelium vix poterit extra Collegium inueniri aliquis qui omnibus pensatis circunstantiis dignior sit; dignitas enim ad culmen huius Sanctæ Sedis non tam ex scientia, quam ex morum probitate, rerum magna notitia, & experientia constat.

1791. Colligitur. Sextò, quod si quis eligat dignum omisso digniore, eo quod breui tempore expectatur locupletior Præbenda digniori danda, tunc non esse peccatum, quia consulit maiori ipsius dignioris vtilitati. Sed hæc expectatio non debet esse diuturna, nam si multum differretur damno afficitur dignior, cum maiorem Præbendam posset expectare possidens minorem. Ita Soto *vbi sup. argument.1. post conclus.9.* & ex ipso Sanchez *dub.3. cit. num.23.*

1702. Qui addit cum Aragon, Nauarra Salonio, quos sequitur Siluius *vbi sup. conc.3. vers. quarto*, quod si vacent duo Beneficia quorum vnum sit pinguius, habens tamen paucos Parrochianos, vel minus indigentes quam aliud, potest pinguius dari digno, & aliud digniori, quia Beneficia primario instituta sunt in vtilitatem Ecclesiæ, quæ præferri debet bono cuiuscumque priuati. Quamuis quod etiam in isto casu pinguius debeat dari digniori valde sit probabile, vt tenet Ledesma 2.4.*q.16.art.2.fol.256.column.2.* quia si dignus est vere talis quod illi detur Beneficium animarum indigentium, & alteri detur pinguius, non est tantum damnum quod infertur Ecclesiæ, quam est damnum quod infertur digniori, si illi
1703. non detur pinguius; nec enim ex sua maiori dignitate incommodum proprium reportare debet, nam qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt, quando non cedit in notabile Ecclesiæ detrimentum. Tunc maximè hoc verum hodie tenet quod Beneficia curata debent dari per concursum, & dignius digniori. Quod non aduertit Sanchez. Quare tunc solum existimo veram sententiam illius quando quis tenetur sub mortali acceptare Beneficium ouium indigentium; si enim non tenetur, iustitia distributiua exigit & obligat quod digniori detur pinguius Beneficium. Et quidem rarissima est hæc obligatio ex charitate, ad quam requiritur quod sint fidelos in vrgentissima necessitate dignioris.

§. X.

Non peccat minus dignus se opponens ad Beneficium in concursu, cum digniore, & illud acceptando.

SVMMARIVM.

1704 *Franciscus Syluius quid sentiat circa propositum.*
1712 *Communis sententia traditur.*
1716 *Inferuntur corollaria, & n.1717.1718.1724. 1728.1743. & seqq.*

174. SApientissimus Vir Franciscus Syluius *vbi sup. conc.4.* existimat mortaliter peccare opositorem dignum concurrentem ad Beneficium curatum (& idem est in Cathedris, Canonicatibus Magistralibus, & Doctoralibus) cum eo qui certo, & manifeste est notabiliter dignior. Tum quia quantum est in se impedit digniorem, & dat causam Examinatoribus, & Electoribus, Patronisve peccandi mortaliter in eius promotione, & concurrit ad electionem, aut præsentationem iniustam. Quod secus esset si maior idoneitas dubia esset. Addit etiam peccare notabiliter 1705.
minus dignum si cum digniore se offeret, non vt præferatur, sed vt in aliis oppositionibus possit allegare se tot vicibus, & cum talibus personis concurrisse, quod sibi, & honori, & commodo interest. Vtrumque docet Nauarrus *in Miscellan.* 40. Excusaretur tamen à peccato si protestaretur se nolle Beneficium cum præiudicio dignioris. Ex qua doctrina consequens est quod dignus acceptans huiusmodi Beneficicia mortaliter peccat. Quod sequitur Nauarra *lib.2. de Restitut. cap.2. n.163. & 164.* & istos Adam Tannerus *2.2. disp.4.* 1706.
q.8. num.13.

Pater Thomas Sachez *lib.2. consil. cap.1. dub.* 13. dicit Primò, quod dignus non peccat acceptando Beneficium, etiam in occurrentia dignioris. Tenent Caietan. *22. q.105. art.3. §. in eodem artic.* & expressius *q.62. art.2. §. ad confirmationem vltimam.* Couarruuias *ad Regul. peccatum.2. p.§.7. num.4. vers. ex his autem* Salon *2.2. q.63. art.2. contr.3.* Sotus *de iust. q.6. art.2. post.9. conclusionem. vers. contra hæc.* Turrianus *disp.22. dub.3. num.8.* Lugo *vbi sup. sect.6.§.1. num.94*, & plures quos adducit, & sequitur Diana *p.3. tract.5. Miscell. resolut.110. vers. nota secundo* & est communis sententia iudicata vera à Doctibus Complutensibus. 1707.

Et ratio est quam posuit D. Caietan. *art.2. citat.* & ex ipso Cardinalis Lugo aliquantulum explicatius. Sic enim argumentatur Cardinalis S. Sixti: *Quia iste minus dignus ratione actionis suæ* (hoc est ratione iniustæ acceptionis) *in nullo tenetur digniori, quia non impediuit eum, vt supponitur, nec Beneficium vnquam fuit illius dignioris, nec ipse fuit vnquam debitor illi vt faceret illud esse suum, sicut debitor erat distributor: ergo nullo iure tenetur ad restitutionem. Neque est verum quod iste occupet iura dignioris, quoniam ius dignioris erat respectu illius quandiu erat inter bona communia, modo autem factum est bonum proprium per applicationem ad istum, & ius dignioris remansit ad communia, & ad distributorem qui ei tenetur duplici iure & distributionis, & re-stitutionis.* Hæc ille. Vnde dignus nec ratione iniustæ acceptionis nis, nec ratione rei acceptæ peccat acceptando Beneficium. 1708.

Rem explicat Cardinalis Lugo exemplo apto de emptore qui rem emit, sed antequam ei tradatur, venditor illam alteri vendidit, & tradidit, & transfert illius dominium emptori secundo qui habet ius ad illam rem, sed imperfectum. 1709.
Vnde secundus emptor licite tenet rem venditam, nec tenetur primo emptori restituere, nec secundus emptor aliquomodo cooperatur iniustitiæ venditoris.

Dicit secundò, P. Thomas Sacchez *dub.48.* quod communiter excusantur illi qui reipsa sunt minus digni se opponentes cum dignioribus, quia 1710.
nullus se reputat alio minus dignum, cum rationabiliter possit iudicare quod alter si excedat in vno, ipse illum excedat in alio. Si tamen quis

adue-

aduertat certo alium esse digniorem, & istum impediendum propter oppositionem suam, aut dubitet impediendum, peccat, quia est causa iniquæ distributionis. Quod si nec rationabiliter dubitet se impediturum digniores, nullo modo peccat maxime cum sæpius contingat quod Superior sancte det Beneficium minus digno propter aliquas circunstantias sufficientes quæ tunc occurrunt. Idem sentiunt Vasquez *de Benefic. cap.2. num.24.* Turrianus *disp. 12. dub.3. num.7.* Castro Palao *tract.13.disput.2.punc.11.§.5.num.1.*

1711. Et tandem his consentit Card. Lugo *num. 91.* & probat, quia dum dignus petit quod electores eligant scienter ipsum, omisso illo quem certo cognoscunt esse digniorem, hoc est petere rem intrinsece malam, quod nullo modo licet, aut quod eligant illi quem ignorant esse digniorem, & hoc etiam non licet, quia tibi constat esse digniorem, & illius omissio est mortaliter mala, quam non potest quis petere ab eo qui non peccat solum propter ignorantiam. Sicut non licet petere ab aliquo quod comedat carnes in die prohibito, etiam si ipse ignoret diem prohibitum, si ego scio prohibum esse. Tum etiam, quia peto aliquid contra ius tertij, scilicet dignioris.

1712. Sed communis sententia tenet quod petens, aut opponens se ad Beneficium, Collegium, Cathedram, Canonicatum Magistralem &c. similia cum dignioribus quos certo scit digniores esse nun peccant mortaliter. Ita Couarruu. *ad Regul. Peccatum.2.p.§.2.n.4.* Lessius *lib.2.c.34.n.70.* Azor *2.p.lib.6.c.15.q.13.* & *14.* in qua id docte contra Nauarrum resoluit. Fundamentum est, quia digno non competit sua, & aliorum merita perpendere, cum non sit Elector, nec iudex, sed se Electoribus, & iudicibus examinandum proponere. Vnde si electores eum eligunt istorum culpæ duntaxat tribuendum est, cum dignus adminus possessionem habeat iustam, à qua nisi iuridice deturbari nequit, cognito vitio electionis, & quod electores iniustitiam commiserunt contra digniorem.

1713. Cæterum mirandum semper Caietani ingenium loquens de petente, & oppositore (nam de acceptante dicam infra) recitatis his duabus opinionibus, prima quod dignus licite pro se petit, etiam in oppositione dignioris, pro qua citat Scotum, & Richardum *in 4. dist.15.* Secunda quod non licitè hoc facit, pro qua citat Paludanum *in 4. dist. eadem*; ipse tamen vtramque opinionem in concordiam mirabiliter reducit *2.2. q.62.art.2.§. mihi vero.* dixerat enim quod si quis voluntarie impedit ne dignior consequatur Præbendam & peccat, & tenetur restituere, quia procuratio est iniusta, & contra iustitiam distributiuam: *Si vero* (addit) *impedimentum non est voluntarium, quod*

1714. *tunc accidit quando aliquis petit pro se, vel alio sine cuiuscumquam iniuria. Et si hoc quidem exprimit clarum est quod inmiuste non petit, & si sibi dari contingit à distributore posthabito digniore, ipse qui petit in causa non fuit, vnde non tenetur ad restitutionem. Si autem hoc non explicat quia non est de stylo petentium, petitio sua intelligenda est sine iniuria alterius, quia nemo præsumitur malus absque sufficienti iudicio; & propterea etiam absolute procurans non volens impedire propter se digniorem, & si in veritate aduerteret se impedire digniorem desisteret, aut exprimeret suam intentionem si de hoc rationabiliter dubitaret, non teneretur ad restitutionem in aliquo, si sibi minus digno datum est, quia non iniuste procurat.* Hæc 1715.
ibi, & similia habet *q.185. art.3.§. in eodem art. vers. is autem.* Ex quibus colligit quod Scotus verum dicit de illo qui iuste procurat; Paludanus vero de illo qui iniuste. 1716.

Ex qua Caietani sanissima doctrina infertur. Primò, quod dignus procurans Beneficium &c. non peccat alio peccato nisi iniustitiæ cõtra iustitiam commutatiuam ortam ex iustitia distributiuo. Quam si quis impediat voluntarie, tenetur restituere illi qui habebat aliquod ius vt sibi distribueretur bonum commune, tanquam parti digniori. Sicut si quis voluntarie impediat ne venditor tradat rem quam vendidit Petro, vt eam vendat, & tradat Paulo, tenetur restituere Petro damnum, quod ratione iuris quod acquisiuit in venditione habuit. 1717.

Infertur secundò quod si quis se opponat in concursu cum digniore, etiam vt tali manifeste cognito, non vt illum impediat, sed vt honorem, & nouos titulos iterum se opponendi ad similia acquirat, nullo modo peccat, imo bene facit. Ita Lugo, Sanchez, Turrianus, & alij. Ratio est perspicua, quia in hoc non facit contra ius tertij, sed vtitur iure suo acquirendi honorem. Neque tenetur, vt aiebat Caietanus, exprimere se hoc fine oppositionem facere. Quare minus bene Siluius, & Nauarrus, & alij contrarium senserunt. 1718.

Infertur tertiò. Quod dignus etiam si procuret sibi dari Beneficium, & in ordine ad eius consecutionem ponat omnia media licita (quæ non sint impedimenta iniusta) vt exercitia litteraria, & notitiam suarum qualitatum, non peccat, etiam si ipse sciat alium esse manifeste digniorem. Sic tenet communis sententia, & fundamentum pro ila adductum id conuincit, cum oppositor non sit iudex, aut Elector; iste vero potest ex multis circunstantiis illum qui se solum cognoscit dignũ, & in dignitate altero inferiorem iudicare hic, & nũc esse digniorem: ergo dignus potest absolute intendere dari sibi præbendam omisso digniore, cuiusuis ante sententiam iudicum non est ita clarum 1719.
quod aliquando turbari licite non possit ex multis circunstantiis. Tum etiam potest dignus intendere consequi Beneficium, aut Cathedram ex aliis circunstantiis, vt si dignus moriatur, si desistat, si suam maiorem dignitatem in exercitiis non ostendat. Ita Palao aliis citatis *vbi supra. num.1. vers. Dices.*

Imo addo contra Cardinalem Lugo quod licet dignus non possit procurare quod electores scienter ipsum eligant, omisso illo quem digniorem iudicant, quia hoc intrinsece malum, tamen si dignus sciat electores ignorare illum esse digniorem non tenetur illis hoc aperire, sed supposita ignorantia in Electoribus potest procurare quod 1720.
ipsum eligant, & Præbendam tribuant. Ratio est clara. Quia iudices solum tenentur dare illi quem sciunt esse digniorem: cum ergo hoc ignorent, si dant digno non peccant, atque ita cum dignus non teneatur aperire sui cooppositoris maiorem dignitatem (non enim apparet ex quo capite obligatur sub mortali cum non interrogetur iuridice) non peccat si procuret sibi dari Præbendam.

Tum etiam quia quando quis inculpabiliter 1721.
ignorat aliquid esse prohibitum lege humana, vel diuina possum Consilium dare quod illud exequatur nisi fit contra ius in re tertij, maxime quando ex apertione ignorantiæ sequitur contra ius alicuius, etsi fundatum sit in illa ignorantia. Sicut

quando

quando Confessor aduertit aliquem inuincibiliter ignorare Matrimonium suum esse nullum non tenetur illi aperire nullitatem si inde timetur aliquod inconueniens. Vnde potest procurare quod debitum petat, & reddat, quod ius petendi fundatur in ignorantia, & idem dico de exemplo
1722. quod adducit Cardinalis; cum ergo ius dignioris sit occultum ignorantia electorum, hac suppositа, potest dignus procurare sibi dari præbendam, nam suppositа ignorantia habet ius ad illam, cum sit æque dignus ac alter, cuius maior dignitas ignoratur.

Addo secundò, Quod etiam si electores sciant esse aliquem digniorem, & nolunt illum eligere, si tamen sint duo oppositores æque digni quilibt
1722. potest procurare quod sibi detur Præbenda. Ratio est, quia hic non solicitantur electores ad actionem intrinsece malam quæ est exclusio dignioris, sed hac suppositа procurant sibi bonum quod licitum est, nec potest aliquid contra ius dignioris, quia hoc iam exclusum est ex malitia electorum; non enim teneor illud ius defendere, cum mihi hoc non incumbat ex aliqua obligatione iustitiæ; sicut si quis sit expositus ad mutuandum sub vsuris possum ab illo petere, quia vtor
1724. iure meo.

Infertur Quartò, quod etiam si collatio Beneficij curati facta digno, omisso digniore, sit ipso iure nulla, de quo infra, nihilominus facta digno iste illam potest acceptare si non impediuit quod daretur digniori, quia licet electio digni omisso digniore in prouisione Beneficij Curati facta per concursum, nulla sit, irrita, ac nullius momenti, nullumque prouisis ius, aut titulum, etiam coloratum possidendi præbeat, vt ait Pius Quintus *in Bulla edita anno 1566. de hac materia*, tamen dignus prouisus ab ordinario causa appellationis pendente non spoliatur Ecclesia sibi data vt idemmet Pontifex subiungit ibidem, quare ante sententiam latam contra ipsum dignus iuste possidet.

1725. Probatur primò, quia pœna non incurritur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, vt est communis, & certa sententia; atqui quod prouisio digni omisso digniore sit nulla, est pœna criminis, scilicet omissionis dignioris: ergo quousque declaratur digniorem fuisse omissum, dignus iuste acceptat, & iuste retinet Beneficium curatum.

Secundò, quia licet prouisio digni omisso di-
1726. gniore sit nulla, & irrita, tamen hoc solum probat quod post sententiam nullitas electionis retrotrahatur ad diem in quo facta est prouisio, itaut possit prouisus cogi restituere fructus Beneficij digniori, non tamen quod dignus quandiu retinet Beneficium iuste non retineat, aut iuste non acceptauerit ante sententiam in fauorem dignioris. Sicut multi dicunt quod contractus factus ab Hæretico ante sententiam declaratoriam criminis nullus est, & irritus *l. ex iudiciorum §. adeo: D. de accusationibus l. Donationes §. final. D. de donatio.* & *l.4 titu.2.p.7.* quod egregie explicat Thomas Sanchez *in Summ. lib. 2. cap.22.*
1727. *num.50.* quod *dicantur non valere, ac nullius esse momenti &c. non quia mero iure non valeant, sed quia si in fisci præiudicium fierent potest illas ita retractare ac si factæ non essent.* Sic Philosophandum est de electione digni omisso digniore quæ isto expostulante ius suum ita annullatur si facta non fuisset, retrotrahitur ad diem, vt latius dico §. vltimo.

Infertur quintò, quod quando Beneficium potest dari digno, omisso digniore, licitum est mi- 1728.
hi precibus, muneribus, diligentia, & aliorum interceſſione impedire ne detur digniori, sed mihi, filio, aut consanguineo, aut amico. Ratio est quia Beneficium non est aliquo modo debitum digniori, cum ex iustitia distributiua non teneatur elector, & ita dignior non potest iuste conqueri. Sicut si testator habeat animum relinquendi legatum digniſſimo, possum precibus, & muneribus facere quod mihi, & non illi relinquat, quia licitum est alterius vtilitatem im- 1729.
pedire vt meæ consulam. Ita Rebellus *de obligat. iust. part.1. lib.3. quæst.1. num.5.* aduertens quod si quis id faciat malo animo peccabit contra charitatem, non erit tamen obligatio restituendi quæ oritur ex facto ipso inæqualitatem rerum causante, non ex intentione, vt notant Vasquez *de Beneficiis. §. cit. dub.19. num.127.* Guttierez *lib 2. canonicarum. cap.11. num.71.*

Sed ego existimo sententiam Scoti *in 4. distin. 15. quæst.2.* & Ricardi *art.5. quæst.4.* quam sequitur Ludouicus Carbo *de Restit. quæst. 29.* valde probabilem esse, quam sequitur etiam D. Caiet. 1730.
2.2. quæst.62. art.2 vbi sup. eius Discipulus Ioannes Tabiena *verbo Restitutio quæst.10. num.11.* Rosella *verb. Restitutio 10. num.3.* Angelus *verb Restitutio. 1. vers impediens.* Sylvester *Restitutio.3. q. 12.* Corduba *memb.4. de detractio. quæst.3. concluſ. 5.* qui asserunt quod si quis ex odio, & vindicta in aliquem tanquam ex motiuo impediat à beneficio, & præbenda consequenda tenetur restituere pro ratione spei quam habet consequendi. Ita 1731.
habetur expresse *in l.2.§.9. idem Iatro. D. de aqua pluuia arcenda.* vbi dicitur. *non teneri ad restitutionem si aquæductum qui venit per tuum fundum ad vicini possessionem, dummodo* (ait Paulus Iurisconsultus) *hoc non faciat animo vt tibi noceat.* Idem expresse determinat Iurisconsultus Vlpianus *leg. 1. §. 12. denique. D. eodem.* Quæ leges cum rationis naturalis ductu sint factæ non solum habent vim in foro externo, sed in interno sunt enim expressiuæ obligationis naturalis, & ego non solum habeo actionem ne me ex odio, & vindicta impediat à consecutione Beneficij, aut legati, quia nec charitas, aut iustitia legalis permittunt tuum malitiosum impedimentum, sed etiam ex iustitia commutatiua. 1732.

Et ratio est, quia quilibet habet ius strictum ne alius illi iniuriam faciat, at qui ex odio, & vindicta impedit ne aliquis consequatur beneficium, aut legatum iniuriam facit, & ita non solum peccat contra iustitiam legalem, & charitatem, sed contra iustitiam commutatiuam. Vnde D. Thom. *2.2. quæst.62 art.2. ad 4.* dicit *quod dupliciter potest quis alium impedire ne consequatur Beneficium, aut legatum vno modo iuste, & sic non peccat, alio modo iniuste, putam si intendat eius nocumentum, eum impedit propter odium, aut vindictam, aut aliquid huiusmodi, & tunc peccat mortaliter, & tenetur restituere pro ratione damni.* 1733.

Ex qua doctrina sumitur validum argumentum pro hac sententia quia idem impedimentum exterius potest poni & mala, & bona intentione, si bona illud ponere non est malum, nec impedimentum habet malitiam exteriorem. Si tamen ponatur mala intentione nocendi proximo, & sic positum exterius nocet contra iustitiam. Vnde falsum omnino est quod dicit Lessius *lib.2. cap. 12. dub.*

12. *dub.*18. *num.*128. *verſ. nec obſtat.* ſecutus communem ſententiam Societatis. Quod ſi opus externum ſecundum ſe non eſt exterius iniuſtum nulla committitur iniuſtitia,ac proinde damnum quod infertur opere externo non eſt illatum contra iuſtitiam. Hæc inquam , doctrina mihi nullatenus arridet,quia opus externum poteſt eſſe ſecundum ſe indifferens ad bonum, & ad malum, & tamen ſi fiat ex intentione primò , & per ſe iniuſta iniuſtum eſt , & damnum ex illo ſecutum eſt contra iuſtitiam. Et hoc fuit præfatarum legum intentum , cum ex facto ex intentione nocendi detur actio iniuriarum non in pœnam vt perperam exiſtimauit Leſſius , ſed ratione iniuriæ illatæ.

1735. Rem declaro duobus manifeſtis exemplis. Primum , ſi quis aggreſſus ab inimico ſuo , itaut redactus ſit ad eas anguſtias vt debeat interficere illum ob defenſionem propriæ vitæ, aut inimicus ipſum interficiet, In iſto caſu occiſio inimici indifferens eſt vt fiat iuſte vel iniuſte , iuſte ob defenſionem propriam. Quo caſu non tenetur aliquid reſtituere ; ſi tamen fiat ex odio , & vindicta quis dubitare poteſt quod occiſio ſit contra iuſtitiam , quia omnis ex iuſtitia tenetur non inferre damnum proximo ex animo nocendi ex quo imperatur nocumentum exterius primò & per ſe, eſtque propriè volitum contra ius proximi.

1736. Secundum , ſi quis debeat Petro centum & illi centum det , hæc datio centum indifferens eſt vt fiat ex animo ſoluendi debitum , vel ex animo gratuito donandi. Si primo modo fiat extinguitur debitum : ſecus vero ſi ſecundo modo. Quare ſi det gratuita intentione manet obligatus ſoluendi: ergo opus externum eſſe ex iuſtitia, vel contra iuſtitiam dependet multoties ex primaria intentione qua fit & à qua imperatur.Sicut ſi Petrus mihi debeat centum , & ego occulte illa accipiam, ſi fiat titulo iuſtæ recompenſationis non pecco ; ſi fiat titulo iniuſtæ aceptionis , & animo furandi pecco contra iuſtitiam.

1737. Poſtquam hæc ſcripſi inueni doctrinam hanc ſatis docte enucleatam apud Doctiſſimum , & Eminētiſſimum Cardinalem Lugo *tom.*1. *de iuſt. & iur. diſput.*8. *ſect.*6. *& diſput.*18. *ſect.*5. *à num.*98. ex qua doctrina colligo contra Sanchez *lib.*2. *concil. cap.*1. *dub.*99. *num.*28. quod ſi quis Religioſus ex odio , & vindicta in Eccleſiam Matricem facit vt quis non leget illi , ſed ſuo Monaſterio aliquid, non ſolum peccat mortaliter vt determinatur *in Clementina Religioſi. verſ. quibus etiam de Priuileg* ſed etiam reſtituere tenetur legatum , quia iniuriam fecit Eccleſiæ Matrici ex hoc motiuo illam priuando,non ſecus ac ſi vi,& fraude,vt vidimus.

1738. Vnde fit quod ſi miles in bello iuſto occidat hoſtem Reipublicæ quem poſſet non occidere,ex malo animo , & vindicta, quia inimicus eſt ſuus, tenetur reſtituere , quia licet impune poſſit occidere tanquam hoſtem Reipublicæ , tamen cum poſſit non occidere, ſi occidit ex vindicta dubioprocul tenetur reſtituere , quia occiſio vt ſimperata à voluntate iniuſta etiam eſt iniuſta. Sed lictor, aut Carnifex qui ſuſpendit inimicum ſuum, ipſumque ſuffocat ex vindicta , & tanqam inimicum non tenetur reſtituere aliquid , quia non eſt ſibi liberum non ſuſpendere. Quare ſuſpenſionem non exequitur ex intentione iniuſta , ſed ex miniſterio ſuo publico. Quod mitor non aduertiſſe ſummum illium Thomiſtam Petrum de Aragon *pagina* 210.*columna* 2.

1739. Verum eſt quod iſte nec eſt homicida , aut fur in foro externo , quia actio externa non eſt talis determinate , niſi imperetur ab intentione furandi aut occidendi , & forum exterius non iudicat de actibus internis niſi externi probentur. Sicut non eſt Hæreticus , neque excommunicatus qui facit actum indifferentem ſecundum ſe , determinatum tamen ad malitiam ex intentione. Quod ſecus eſt in foro animæ; ſicut enim intentio eſt contra iuſtitiam , ita & exterior actio ab illa primo,& per ſe impetrata. Vne ſi ex actione exteriori prout imperata ſequitur damnum,dubio procul damnum eſt iniuſte illatum , & pecco non ſolum contra charitatem , ſed etiam contra ius proximi , quia reuera actio exterior virtute intentionis damnum refert.

1741. Verum eſt quod legatarius non habet ius ad legatum ante mortem teſtatoris. Vnde licite poteſt quis muneribus , & ſuaſionibus inclinare voluntatem teſtatoris , vt ſibi relinquat legatum. Cum tamen legatarius habeat ius ne fraude , aut vi moueatur voluntas teſtatoris, vt eſt communis & certa ſententia , ita habet ius ne ex odio , aut vindicta faciat quod teſtator mutet voluntatem, & auferat ſibi legatum , quia habet ius ne cum iniuria ſibi auferatur commodum futurum. Quare impediens tenetur ad reſtitutionem pro ratione ſpei proximæ quam habebat.

1742. Vnde amplius confirmatur Caietani , & Scoti ſententia , quia ſi quis fraude & dolo diuertat collatorem , aut teſtatorem ne conferat Beneficium, aut relinquat legatum non ſolum peccat contra iuſtitiam in collatorem,& teſtatorem,ſed etiam in eligendum beneficiandum , & legatarium,vt omnes docent,quia beneficiandus,& legatarius habēt ius ne quis fraude , & dolo auferat commodum, quamuis fraus,& dolus opponantur veracitati, & prudentiæ : ergo quamuis odium & vindicta opponantur charitati , & virtuti vindicationis , de qua S.Tho.2.2.*q.*108. tamen beneficiandus, & legatarius habent ius iuſtitiæ ne quis ex odio aut vindicta auferat commodum ſibi futuru proxime.

1743. Infertur ſexò , quod ſi quis ad manum habeat litteras miſſas ad collatorem , aut electorem ab aliquo qui notitiam dat de beneficio vacante , & eas aperiat , & præueniens impetrat ſibi beneficium , ſi iſte talis ſolum det notitiam vacantis , non petens ſibi , aut alicui ſibi coniuncto Beneficium , certum mihi videtur quod iſte non peccat mortaliter , nec ad reſtitutionem tenetur, & ad ſummum erit peccatum veniale curioſitatis aperiendi litteras quas nihil graue continere iudicat contra ius tertij. Si tamen reſcribens petat ſibi , aut ſibi coniuncto beneficium vacans quidam dicunt quod ſi aperiat litteras iterumque eas ſigillatas tradat collatori quem præueniſti ex notitia habita vt tibi det Beneficium peccat mortaliter , quia ſcribens litteras ſigillatas vult continere ſub ſecreto ea quæ continent. Quare contra fidem ſecreti agis in re graui , ex qua ſequitur damnum notabile proximo. Si tamen litteras apud te retineas & ob hanc detentionem Beneficium quis non conſequitur peccat retinens mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur pro quantitate ſpei Beneficij obtinendi.

1744. Sed vtrumque mihi videtur difficile. Primò, quia vt optime D. Caietanus *in Summ. verb.*

Aperiens

Aperiens litteras cap. 2. Si quis litteras aperiat ex curiosa leuitate putans pro certo quod non sint ibi
1745. *res importantiæ paratas tamen ad secretum, si casu ibi inueniretur aliquid secreto tenendum, peccat quidem, sed venialiter tantum.* Hæc ibi, & sequitur communis sententia. Dixerat autem *c. 1.* idem Caietanus quod *apertio litterarum non est peccatum mortale, nisi actus redeat in naturam suæ forma*, puta ex *nocumento subsecuto in fama, honore, rebus*, &c. vel fortè *ex excellentia personæ offensæ, puta Principis.*

1746. Ex qua doctrina sic formo argumentum contra primum dictum, quia potest quis ex leuitate litteras aperire in quo solum peccat venialiter: ergo si ibi inueniat notitiam Beneficij vacantis potest præuenire collatorem, vt det sibi, & non scribenti. Consequentia est euidens, quia licet notitia sit parta veniali peccato, tamen semel parta potest illa vti in suum commodum. Tum etiam quia quilibet potest vti iure suo, atqui mittens Epistolam non habet maius ius ad Beneficium quam illam aperiens, & ita potest ille istum præuenire sine mortali; nisi mittens Epistolam dicat tibi in ea contineri res valde secretas, & importantiæ, quas vult contineri sub secreto.

1747. Secundum etiam mihi videtur difficile, quia nisi quis ex odio, vel vindicta litteras istas retineat, sed ob suam commoditatem consequendi Beneficium non video cur mortaliter peccet, & restituere teneatur *arg. ex l. 1. §. denique 12. & ex l. 2. §. idem latro. 9. D. de aqua pluuia arcenda.* Secundò, quia si solum peccasti venialiter non potest esse obligatio mortalis ad restituendum, vt tenet Molina *tom. 5. disp. 36. num. 3.* quem se-
1748. quitur Lugo *tom. 1. disp. 14. n. 149.* Tertiò, quia mittens litteras nullum habet ius ad Beneficium neque in re, neque ad rem, etiam si epistola ad manus collatoris peruenerit: ergo non peccat contra iustitiam detinens epistolam vt sibi detur Beneficium. Etsi enim ex fidelitate portans epistolam teneatur dare cui mittitur, tamen si non sequatur damnum in fama, honore, & rebus propriis non est contra iustitiam; hæc enim solũ violatur quando fit contra ius in re, vel ad rem, & neutrum habet mittens; si enim epistola casu perderetur, & quis eam inuenerit, & aperta cognosceret Beneficium vacare, poterat illam non dare, & sibi procurare Beneficium, aut commodum, vt tenent Diana *part. 3. tract. 4. Miscellan.*
1749. *resol. 55.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 4. num. 4.* Syluester *verbo emptio quæst. 17. num. 18.* vbi ex Archidiacono dicit, *Quod si quis legit litteras illas vt sciret secreta, curiositas est. Si vero vt sibi prouideret prudentia humana est, & non peccatum, quia licitum est cuilibet accipere quod pro derelicto habetur vt dicta littera.* Ita ibi sequitur Tabiena *eodem §. 13.* Armilla *numero 23.* Lugo *vbi suprà num. 150.* Quod verum est, quidquid dicat Rebellus *part. 2. lib. 9. quæst. 7. numero 8. §. Resolutio probabilis.* Quare cum spes illa quam habet mittens litteras non fundetur in aliquo iure stricto iustitiæ, sed ad summum fidelitatis, non video cur sit restarcienda.

1750. Rem declaro ex doctrina Lessij *lib. 2. cap. 8. dub. vltim. num. 18. & 19.* quia licet sit aliqualis iniuria omissio dationis litterarum quæ fit ipsi mittenti, tamen si hæc omissio fiat non ex malo animo, vi, aut fraude, sed solum vt Beneficium tibi conferatur, damnum secutum mittenti non est contra iustitiam, cum non sequatur immediatè ex ipsa omissione; posset enim dari epistola Collatori, & nihilominus non dari mittenti Beneficium. Neque spes quod habet mittens, vt dicebam, recompensari debet; sicut si quis sine vi, aut fraude, sed precibus, & muneribus seducat nouitium vt à Religione exeat, non tenetur restarcire spem lucrorum quæ consecuturum erat Monasterium; solum enim Monasterium habet ius ne aliquis vi, fraude, aut mendacio aliquis Benefactor retrahatur à Benefaciendo. 1751.

Hæc tenent nisi Collator Beneficij promiserit alicui se daturum primum Beneficium vacans, si de illo per litteras certiorem faceret; si enim de hac prouisione in litteris fiat mentio, existimo quod portans litteras si illas non det peccat mortaliter contra iustitiam. 1752.

§. XI.

Regula secunda.

De Restitutione facienda pro mala electione, aut approbatione examinatorum.

SVMMARIVM.

1753 *Elector seu Beneficij Collator, &c. qui peccat mortaliter contra iustitiam distributiuam tenetur restituere ei cui damnum intulit, cuius recompensatio pertinet ad iustitiam commutatiuam.*

1764 *Laudatur doctrina Lessij circa propositum.*

1768 *Ex præcedenti doctrina, plura inferuntur corollaria, & num. seqq.*

ELector, aut Beneficij Collator, vel quicumque alius qui peccat mortaliter contra iustitiam distributiuam tenetur restituere ei cui damnum intulit, cuius recompensatio pertinet ad iustitiam commutatiuam. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. art. 1. ad 3.* vbi omnes eius discipuli, Bañez, Aragon, Serra, & omnium elegantissimè, & profundissimè Dominus Caietanus *ibi articulo 2. §. ad 3. dubium & §. ad cuius euidentiam.* 1753.

Vt tamen Regula hæc à fundamentis eruatur. Noto primò, quod licet obiectum iustitiæ distributiuæ omnino diuersum sit specificè ab obiecto commutatiuæ, sicut & ipsæ virtutes specie differunt, tamen vtraque genericè conueniunt in hoc actu quod est reddere vnicuique quod suum est; vbi enim non est proprium debitum, nullo modo est propria iustitia, & vbi est propria ratio iustitiæ, ibi necesse est quod sit proprium debitum, siue partis ad partem quod respicit commutatiua, siue totius ad partem quod respicit distributiua. Quomodo distinguunt has duas virtutes iustitiæ propriæ Aristot. 5. *Ethicor. cap. 2.* & D. Thomas *vbi suprà quæst. 61. articulo 1. ad 3.* Vnde Diuus Ambrosius *lib. 1. officior. capite 24. Quod iustitia est quæ vnicuique quod suum est tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitate-* 1754. 1755.

cuſtodiat. Quod omnino verum eſt niſi omnes Regulæ Philoſophiæ Moralis euertantur. Quibus ſtabilitum eſt quod iuſtitia prout comprehendit tam commutatiuam, quam diſtributiuam, & diſtinguitur ab aliis virtutibus moralibus reſpicit medium rei, quod vel attenditur ſecundum æqualitatem geometricam, hoc eſt ſecundum proportionem meritorum, &c. Et ſic reſpicitur à diſtributiua: vel ſecundum æqualitatem arithmeticam hoc eſt ſecundum parem quantitatis exceſſum, vt egregiè explicat D. Thom. *art.* 2. *&* 3. quod reſpicit commutatiua.

1756. Ex quo fit quod ratio debiti quod ponit iuſtitia diſtributiua propria in eo formaliſſimè ſita eſt quod bonum diſtributum ſit deſtinatum, & inſtitutum in vtilitatem, & commodum illorum quibus diſtribuitur, ſiue hæc deſtinatio, & inſtitutio facta ſit à Republica, vel habente eius vices reſpectu totius communitatis, ſiue ab aliquo particulari, vel reſpectu totius Reipublicæ, vel reſpectu alicuius familiæ, vel determinatarum perſonarum, ex vi cuius inſtitutionis, & deſtinationis imponitur obligatio diſtributori, tum ne det bona extra communitatem, aut familiam, aut aliis perſonis, quam vocatis, quod ſi det tenetur reſtituere; tum etiam vt bona illa
1757. diſtribuat partibus illius communitatis, &c. ſecundum proportionem meritorum, & dignitatis requiſitæ, ratione cuius parres commnnitatis habent actionem, & aliquale ius vt bonum illud commune ſibi detur, & dum datur, vere & propriè dicitur quod datur illis quod ſuum eſt non arithmeticè, ſed geometricè, quia eo ipſo quod diſtributor eſt obligatus diſtribuere illis ſecundum proportionem meritorum, & dignitatis, iuſtitia diſtributiua dirigit diſtributiones ſecundum rationem debiti vnicuique proprium, & hanc diſtributionem tenetur perficere diſtributor ex vi iuſtitiæ commutatiuæ. Itaque pars alicuius communitatis eo ipſo quod aliquid ſit inſtitutum bonum commune in vtilitatem ſubditorum, ſiue hæc vtilitas reſpiciatur primario, ſiue ſecundario, cum iam ſit debitum hoc bonum (vt explico infra) non debito orto ex reſpectu partis ad totum, ſed ex debito orto totius ad partes, & ſic parti eſt debitum ſecundum quod eſt huius totius pars.

1758. Ex qua doctrina quæ dubio procul veriſſima eſt colligitur contra Cardinalem Lugo *de iuſt. & iur. diſput.* 35. *ſect.* 6. *num.* 81. & 82. non poſſe legiſlatorem, aut teſtatorem conſtituere aliquid materiam iuſtitiæ diſtributiuæ quin in illa imbibatur ratio debiti proprij. Ratio eſt quia aut lex conſtituit illud bonum commune, & ſic neceſſario diſtribuendum eſt iuxta conditiones boni communis, quibus Reſpublica reſpicit ciues tanquam partes etherogeneas, ſecundum diuerſam meritorum, & dignitatis proportionem, & ſic diſtributor tenetur diſtribuere non præcisè ex mera obedientia, ſed ſecundum diuerſum reſpectum debiti quod habet Reſpublica ad diuerſos ciues. Quod debitum ſi non obſeruet diſtributor manet inæqualitas rei inter Rempublicam,
1759. & ciues quam ipſe tenetur auferre, & damnum recompenſare per iuſtitiam commutatiuam, quia dedit minus quam debuit, & ita tanto plus ei debet dare, non quidem ex bonis communibus, ſed ex bonis propriis ipſius diſtributoris, & ſic inæqualitas ad æqualitatem reducatur per comparationem rei ad rem quam reſpicit commutatiua. Quod ſi ex ſolo debito obedientiæ diſtributor diſtribuit, implicat omnino quod iuſtitia ptoprie diſtributiua exerceatur quia deficit ratio iuſti quod eſt obiectum propriæ iuſtitiæ, quæ eſt genus ad commutatiuam, & diſtributiuam vt egregiè enodat D. Thomas *quæſt.* 61. *citat. artic.* 2.

Si vero legiſlator bonum diſtribuendum non 1760.
faciat bonum commune ipſius Reipublicæ, ſed ſicut ipſe legiſlator poteſt illud diſtribuere iuxta ſuum beneplacitum non attendendo ad proportionem meritorum, & dignitatis: ſicut fecit Pater ille familias Euangelicus qui tantum diſtribuit vltimis operariis ac primis, ita etiam reliquit alicui diſtributori quod iuxta ſuam voluntatem diſtribuat, & ſic cum Reſpublica non reſpiciat ciues tanquam partes quibus debitum eſt bonum diſtribuendum ſecundum proportionem, dubio procul non eſt virtus iuſtitiæ propriæ di- 1761.
ſtributiuæ, ſed habet modum iuſtitiæ diſtributiuæ: ſicut dum quis dolet de peccatis alienis propter Deum ſummè dilectum non habet propriam, & ſpecificam contritionem, aut pœnitentiam virtutem quæ eſſentialiter reſpicit peccatum proprium, habet tamen modum pœnitentiæ; quando enim lex non poteſt conſtituere ſuam materiam, itaut acquirat honeſtatem propriam quam reſpicit aliqua virtus, ſicut lex ieiunij conſtituit honeſtatem temperantiæ, implicat omnino quod virtus exerceatur in materia illa præcepta; cumque lex præcipiens quod aliquid 1762.
diſtribuatur itaut nulla ſit ratio debiti iuſti implicat quod materia illa habeat honeſtatem iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ non eſt ſolum honeſtas proportionis geometricæ in diſtributione quam poteſt quis particularis intendere, dum ex charitate, & miſericordia aliquam ſummam pecuniæ propriam diſtribuit inter pauperes, quæ habet modum diſtributiuæ iuſtitiæ, non tamen propriæ, quia bonum commune non diſtribuit, ſed proprium. Vnde de ratione iuſtitiæ diſtributiuæ humanæ eſt quod bonum diſtribuendum ſit debitum ciuibus vt partibus.

Vnde eo ipſo quod aliquid eſt diſtribuendum, 1763.
tamquam bonum commune ratione cuius Reſpublica reſpicit vt totum ciues tanquam partes, iſtæ neceſſario habent ius proprium ad rem illam ſecundum proportionem, & dignitatem ſuam ſecundum quam reſpicitur à Republica, ex cuius reſpectu promanat ius illud, & iuſtum debitum partibus. Quare licet Fratres Minores nullum requirant ius ad eleemoſynam ſibi legatam, tamen hæres manet obligatus ad illam dandam quotannis; quod ſi non det tenetur reſtituere, non ratione iuris ſtricti etiam ad rem quam habeant Fratres, ſed ratione obligationis relictæ à teſtatore, quia Fratres ſunt incapaces dominij, aut iuris proprij ad illam eleemoſynam. Quod ſecus contingit quando aliquod bonum commune diſtribuitur ciuibus vt partibus, quibus debitum eſt bonum illud, eo ipſo quod diſtribuendum eſt tanquam commune.

Ex quibus infertur optimè dixiſſe Leonar- 1764.
dum Leſſium *lib.* 2. *de iuſt. & iur. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 23. cuius doctrina fundatur in ea quæ hucvſque diximus D. Thomæ, & Caietani, quod iuſtitia diſtributiua in ſua functione includit commutatiuam, vt quando fit diſtributio rerum quæ ſtricto iure debentur iuxta perſonarum conditionem, aut paupertatis, aut doctrinæ,

ctrinæ, aut nobilitatis, aut orphanismi, & similium; vel quando distribuitur ærarium commune alicuius Vniuersitatis, aut Collegij pro cuiuscumque dignitate, ordine, antiquitate, meritis. In huiusmodi autem distributionibus & concurrit distributiua propria quatenus cuique datur secundum proportionem suæ dignitatis, & commutatiua quatenus cuique datur æquale iuri quod habet ex dispositione instituentis bonum illud commune, supposita certa proportione dignitatis ipsius ad dignitatem aliorum. 1765.

Ratio est, quia distributor lege iustitiæ commutatiuæ obligatur erga singulos iuxta proportionem suæ dignitatis, non minus quam si bonum illud relictum esset vni dumtaxat quando statuitur quod pluribus detur iuxta proportionem dictam vltra obligationem commutatiuæ exercetur distributiua. Quare si illi cui ratione suæ dignitatis debebantur centum, dentur autem quinquaginta, tenetur distributor ex propriis damnum resarcire; quia eo ipso quod institutor voluit stricte seruari proportionem præfatam, implicitè assignat summam singulis habentibus illam proportionem. Vnde manifestè fit quod eo ipso quod Respublica statuit aliquid distribuendum tanquam bonum commune assignat implicitè ciuibus tanquam partibus suam summam, & sic illi habent ius verum ad illam (non secus ac partes alicuius Collegij, vel pauperes, aut nobiles, quibus aliquis relinquit summam pecuniæ distribuendam) secundum proportionem dignitatis suæ. Quod ius vt sæpius dixi, non oritur à partibus, sed potius diffunditur à toto in partes. Et omnino mihi est indubitatum secundum veram doctrinam quod semper quod est peccatum mortale acceptionis personarum in bonis distribuendis, vel officio exercendo secum hoc peccatum adiunctum habet peccatum iniustitiæ cum obligatione restituendi. Quæ doctrina valde notanda est, & ex illa plura inferri possunt corollaria. 1766. 1767.

1768. Primum, quod iudex qui peccat peccato acceptionis personarum non distribuens ius quod dicit iuxta causarum merita, & exigentiam, sed vt alicui gratificetur dat longiorem terminū vni, & breuiorem alteri parti quę sibi grata non est, tenetur restituere parti læsæ totum damnum quod ex mala illa distributione ortum duxit, vel differendo iudicium pauperis, & breuius expediendo iudicium diuitis. Ratio est, quia partes litigantes habent ius, vt eius negotium expediatur secundum allegata, & probata, & iuxta causæ merita; nec enim est in voluntate iudicis vt pro suo libito differat, aut contrahat terminos ad probandum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4.

1769. Secundum, si alicui commissum est vt onus publicum, vel donatiuum distribuat iuxta cuiuscumque ciuis possibilitatem, & vires, si pauperes, & plebeios plus distribuat soluendum quam ciuibus nobilibus, & equitibus, peccat peccato acceptionis personarum, & insuper tenetur restituere id in quo magis pauperes onerauit. Quod maximè notandum velim pro commissionariis.

Tertium, si quis in actibus publicis ex dolo malo & vindicta non det honorem qui debetur alicui ratione suæ dignitatis, & gradus publici peccat, & tenetur restituere honorem ablatum, 1770. etiam si honorandus sit malus. Ita D. Thomas *quæst.* 63. *art.* 3.

Horum omnium ratio est. Quia iustitia distributiua, vt supra dicebam, est vere, & propriè iustitia particularis, & iustitiæ propriæ pars subiectiua, vt omnes cum D. Thom. *quæst.* 61. & *Aristotele* 5. *ethicor.* fatentur: ergo qui violat iustitiam hanc facit veram inæqualitatem contra veram iustitiam: ergo quousque inæqualitatem ad æqualitatem reducat semper manet iniustus, & inæqualis. Et ita semper quod peccatur contra iustitiam distributiuam non dando iuxta vniuscuiusque dignitatem est obligatio restituendi; hæc enim non solum oritur ex eo quod auferatur ab aliquo id quod suum est, sed etiam quod quis impediatur habere id ad quod habet ius iustitiæ, & quod ex propria virtute ei est debitum. Sicut dum distribuitur triticum alicuius communitatis inter illius partes, si alicui non detur sua portio est obligatio restituendi, quamuis ante distributionem non fuerit sua ea portio, erat tamen illi debita ex iustitia propria distributiua. Ita sentiunt Nauarra *de restitut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 144. Syluester *verb. restitutio* 3. *quæst.* 12. *vers. nonum* Molina *tract.* 1. *disputat.* 12. Salonius 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *controuers.* 3. Aragon *ibi art.* 1. *pag.* 169. *vers. sed contra hoc est & pag.* 201. *column.* 1. *vers. secundo etiam & pag.* 205. §. *tertia conclusio.* Vasquez 1. *p. disp.* 86. *c.* 4. Turrianus 2. 2. *disp.* 21. *dub.* 2. Malderus *tr.* 1. *de iust. c.* 1. *dub.* 4. *vers. notandum* 3. Rebellus *lib.* 1. *de prælud. iust. q.* 3. *sect.* 3. *n.* 18. & 19. 1771. 1772.

Quartum corollarium, quod si distributor boni communis in ciues, & partes alicuius communitatis per quatuor annos non distribuisset, & anno quinto vult pœnitentia ductus restituere omnes prouentus quos iniustè retinet non debet eos restituere ciuibus qui sunt conscripti anno illo quinto, sed illis qui erant annis præteritis, vel ipsorum hæredibus, quia illis pro tunc erat debitum. Si vero quis prouentus illos surripuisset satisfaceret si Reipublicæ restituisset, quia fur non tenetur illa bona ciuibus appropriare, sicut tenetur distributor. Quare fur satisfacit restituendo Reipublicæ cuius sunt. Ita Aragon. *vbi sup. vers. ex solutione.* Ego tamen addo quod si fur sciret quanta pars illorum prouentuum esset debita cuilibet ciuium satisfaceret in conscientia, si cuilibet restitueret, faceret enim id quod debebat facere distributor. 1773.

Quintum corollarium sit, quod aduertunt Vasquez, Turrianus, & alij. Nihil referre quantum ad obligationem restituendi quod bonum commune quod distribuitur sit primario constitutum in vtilitatem Reipublicæ, vel ciuium, vel in istorum solum secundario; dato enim eo quod certissimum est quod huiusmodi boni distributionem moderatur iustitia distributiua tenetur distributor ex iustitia dare vnicuique quod sibi debitum est, & quousque satisfaciat semper manet inæqualis, & iniustus siue primario, siue secundario sit bonum institutum in vtilitatem ciuium, cum ex sua institutione sit illis per se debitum. 1774.

Noto secundò, ex Caietano §. *ad euidentiam citato*, & §. *existentibus.* vbi mirabili claritate ingenij obligationem hanc restituendi ad principia moralia certa reducit. Quod ego ad breuitatem & summam sic reduco. Igitur distributiua iustitia facit quod id quod est bonum commune, & vt sic debitum parti secundum proportionem, & dignitatem suam sit debitum vt proprium, & tanquam suum iure stricto, vnde distributionis 1775.

actus est inter duos terminos, terminum à quo qui est res debita parti, vt communis, & terminum ad quem qui est res illa communis facta propria eidem parti. Quare id quod restituendum est oportet esse debitum non prout est in termino à quo tanquam quid commune, sed prout est in termino ad quem tanquam proprium; quod enim non est alicui proprium nullo modo est
1776. distribuendum. Iustitia ergo distributiua ex sua specifica differentia secundum quam distinguitur à commutatiua (quæ non facit proprium, sed supponit) est facere proprium id quod est commune, si malitia, vel consilio non facit proprium tenetur restituere, non secus ac si auferret id quod iam est proprium.

1777. Cuius ratio est manifesta. Quia quicumque perfectè tenetur ad faciendum propria mihi centum, si absque rationabili causa non facit, si aliquid minus faciat mihi proprium non satisfacit, sed tantum damnum infert quantum minus appropriat. Ad quam appropriationem tenetur distributor ex vi iustitiæ distributiuæ, ex vi cuius tenetur ad consummandam distributionem secundum dignitatem, & proportionem; paria enim sunt quantum ad obligationem restituendi auferre alicui id quod suum est, & non facere alicui suum quod debet facere suum. Cum ergo distributor debeat ex vi officij distributoris facere suum parti quod erat commune, si non faciat tenetur restituere ex propriis æquale ei quod non fecit suum parti Reipublicæ.

§. XII.

Inferuntur varia Corollaria ad praxim vtilia.

SVMMARIVM.

1778 *Varia corollaria ad praxim vtilia inferuntur, & num. seqq.*

1778. EX qua doctrina colligitur primò. Quod quando bona communia principaliter, & primario sunt instituta in vtilitatem Reipublicæ, siue Ecclesiasticæ, siue sæcularis, & secundario in vtilitatem ciuium vt partium illius Reipublicæ, & tanquam præmia meritorum, si distributor ea tribuat indignis qui non habent ea quæ requisita sunt ad munus exercendum in concursu alterius digni, tenetur restituere tum Reipublicæ, tum ipsi digno. De Republica est manifestum, quia distributor tenetur ex iustitia ex vi muneris quod accipit à Republica prouidere Ministrum aptum, & idoneum ad exercendum mu-
1779. nus ad quod eligitur. Quod si eligat indignum tenetur tantum restituere quantum opus fuerit ad constituendam Rempublicam indemnem. Vnde tenebitur ad quodcumque damnum quod tam Reipublicæ quam particularibus sequatur ex tali ministro indigno, & non solum distributor ad id tenebitur, sed etiam ipse indignus electus, quia cum sit incapax officij etiam erit & stipendij, nec illud potest facere suum. Tum insuper est causa damni vt si perdatur lis propter eius incapacitatem. Quare iste compellendus est resignare officium, aut sibi Coadiutorem assumere, & alias absoluendus non est. Quod si incapax non est, sed si propter vitia, aut negligentiam debito modo non administrant, absolui possunt, etiam si non renuntient, si proponant se paratos deinde fore ad rectam sui officij administrationem.

Quod vero teneatur restituere ipsi digno est 1780.
manifestum ex doctrina Caietani, quia dignus in comparatione indigni est dignissimus: ergo cum distributor peccet contra iustitiam distributiuam, cuius actus est facere proprium quod est commune debitum, tenetur ex iustitia commutatiua reddere æquale digno à quo abstulit bonum commune quod futurum erat sibi proprium ad quod tenebatur ipse distributor, qui cum peccet contra iustitiam distributiuam facit inæquale quod ex iustitia commutatiua tenetur reddere ad æqualitatem. Quare teneri restituere (eligendo indignum) Reipublicæ, sed etiam digno omisso tenent fere omnes quos supra adduxi. Quibus adiungo Palacios *in summ. verbo restitutio cap. 9. §. 3.* Sylvestrum *restitutio 3. quæst. 22.* Lopez *1. part. instructorij cap. 127.* Salonium *2. 2. quæst. 62. art. 2. controu. 15.* Aragon. *art. 2. citato pagina 206. column. 2. versu ex hac conclusione.*

Neque obstat quod dicit Thom. Sanchez *lib. 2.* 1781.
consil. cap. 1. dub. 45. num. 15. cum multis quos citat, quod huiusmodi bona communia de quibus loquimur sunt instituta in vtilitatem communitatis primario, & secundario in vtilitatem Ministrorum, quibus assignantur prouentus per modum stipendij, quare solum debet attendi ne communitas afficiatur iniuria. Tum insuper quia dignior nullum habet debitum legale ad bonum illud commune, cum non habeat ius in re, vt patet, neque ad rem, cum non possit petere coram iudice. Vnde eligens indignum tantum violat iustitiam commutatiuam in ordine ad Rempublicam, non tamen in ordine ad dignũ omissum.

Hæc, inquam, nullius sunt ponderis vt nos à 1782.
communi sententia moueant, quia vt supra dicebamus hæc bona licet sint secundario instituta in vtilitatem ciuium, tamen vere distribuuntur iuxta ipsorum merita, & dignitatem; & ita distributor tenetur facere propria secundum hanc dignitatem. Quod si non faciat peccat contra distributiuam, & consequenter contra commutatiuam, contra quam peccat qui tenetur facere aliquid meum, & iniustè non facit.

Ad secundum respondetur quod licet dignus 1783.
comparatione indigni non habeat debitum legale ex parte sua, distributor tamen habet illud ad faciendum bonum commune proprium parti Reipublicæ, secundum proportionem, & dignitatem suam.

Colligitur secundò, quod distributor qui omisso digniore dat bonum commune digno non tenetur aliquid restituere Reipublicæ, bene tamen digniori. In prima parte huius corollarij conueniunt fere omnes, & quod mortaliter peccet 1784.
contra fidelitatem debitam Reipublicæ, qui semper intendit habere meliores ministros. Tum etiã est manifestum peccatum acceptionis personarum quod est mortale ex genere suo. Quod non tenetur restituere Reipublicæ, etiam est certum, contra Salon. *q. 63. art. 4. controu. 3. sed certissimum* dicit Sanch. quia prouidet Reipublicæ de Ministro qui digne administrabit munus suũ, & adæquatur stipendium cum ministerio. Neque distributor tenetur ex officio eligere digniorem, si respiciatur obligatio quam habet ad Rempublicam, quæ solũ obligat prouidere bono publico præficiendo ministros dignos qui suo muneri rectè satisfaciãt. Nisi 1785.
sit casus in quo Ecclesia, vel Respublica indigeat

ministro

miniſtro digniore, in quo ex vi officij ſui quo tenetur prouidere bono publico tenetur eligere digniorem, quod ſi ſecus faciat peccat contra iuſtitiam commutatiuam in Rempublicam, & ſic illi tenetur reſtituere damna inde ſecuta.

1786. Quod vero teneatur reſtituere digniori eſt communis, & mihi certa ſententia quam tenent ſupracitati. Quibus addo Medinam *lib.* 1. *ſumm. cap.*14. §. 32. Paludanum *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *conc.*4. D. Antoninum 2 *part. tit.*1.*cap.*12. §.20. Aragon. *pag.*205. §. *tertia conſiluſio.* Salon. *q.*64. *art.*4. *controu.*3. *conc.*4. Bañez *ibi dub.*1. Vaſquez *de Benefic. cap.*2.§3. *dub.*17. Rodriguez *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 108. *numero* 6. Ledeſma *in ſumm. tract.*8. *cap.* 4. *conc.* 1. Turrianus *diſp.*21. *dub.*2. & dubio procul ſententia D.Thom. 2.2.*quæſt.*64. *art.*2. *ad* 4. & alibi ſæpè.

1787. Et præter fundamentum Caierani quod rectè inſpectum iuxta Philoſophorum Moralium principia, & antiquorum expoſitionem hoc euincit, duobus aliis argumentis oſtenditur veritas iſta. Primum vrget ſatis bene Aragon, quia diſtributor Beneficiorum non eſt œconomus qui conducit operarios in vineam Domini; iſte enim ſi non conducat meliores, ſed bonos non peccat contra iuſtitiam, ſed contra fidelitatem debitam Domino, quia ſtipendium diſtributum operariis nullo modo eſt præmium: quare ſolum attenditur æqualitas iuſtitiæ commutatiuæ inter laborem illius qui conducitur, & ipſum ſtipendium, ad quam æqualitatem nihil conducit maior dignitas; 1788. at in diſtributione officiorum tam Eccleſiæ quam ſæcularium diſtributor tenetur ex vi ſui officij attendere dignitatem, & meritorum proportionem, cum iſta ſint vere, & propriè præmia, & tanquam talia propoſita à Republica, vt tenet communis ſententia quam hîc ſuppono.

Quod enim ſint primario inſtituta in vtilitatem communitatis, & ſecundario in vtilitatem ciuium quid in rei veritate obeſt quominus ſi ſolum ſecundario ſint debita ciuibus, non ſit reſtituendum damnum digniori? cum huius maiorem dignitatem teneatur diſtributor attendere ex officio ſuo, tamen eo ipſo quod iſta bona ſint 1787. præmia meritorum tenetur ex vi ſui officij, & iuſtitiæ diſtributiuæ quam adminiſtrat dare digniori, cui debitum eſt vt id quod eſt commune fiat proprium; imo ex primo reſpectu oritur ſecundus, ſiquidem vtilitas communitatis rectius proſpicitur ſi diſtributor ex vi ſui officij teneatur diſtribuere præmia ſecundum dignitatem. Sicut ſi quis videns deficere præceptores, & Magiſtros in hac Ciuitate, propter ipſius communitatis bonum magnam ſummam pecuniæ diſtribuendam relinqueret, quæ eſſet præmium Magiſtrorum vt ſic eos alliceret ad ſtudium in bonum Ciuitatis; ſi diſtributor non attenderet 1790. maiorem dignitatem Magiſtrorum in ſumma illa diſtribuenda dubio procul teneretur reſtituere. Atque ita quod aliquid ſit diſtribuendum tanquam primario inſtitutum in bonum communitatis non impedit quin ſi dignior omittatur quod iſti ſit damnum reſtituendum non quidem ex bonis communibus, ſed ex bonis propriis ipſius diſtributoris qui ex officio ſuo tenetur facere proprium digniori, quod eſt ante diſtributionem bonum commune, & ſic violatio iuſtitiæ diſtributiuæ compenſari debet ex commutatiua, vere enim violatum eſt ius iuſtitiæ diſtributiuæ quod habet dignior. Dicere autem quod iuſtitia diſtributiua non eſt ſtrictè iuſtitia, vt dicit Cardinalis Lugo *tom.*1. *diſp.*1. *ſect.*3. *num.*50. eſt euertere vnum fundamentum Theologiæ Moralis in quo fundatur vniuerſa antiquitas.

Secundum, quia ſi diſtributor horum Beneficiorum, & officiorum non tenetur ad reſtitutionem digniori ſi illum omittat ex vi ſui officij publici ſequitur quod non teneatur ad reſtitutionem, etiam ſi interueniat concurſus per edictum conuocatis oppoſitoribus. Conſequens autem etſi vt probabile admittatur à Sanch. *vbi ſup. dub.* 46. & admittunt Soto, Ledeſm. Nauar. & Henriq. citati ab ipſo Sanchez, tamen reuera practicè non eſt probabile, & tanquam certiſſimum, & neceſſarium docent contrarium Aragon. *vbi ſuprà pag.* 206. Salon. *pag.* 1125. Nauarra *de reſtitut. lib.*2. *c.*2.*à n.*160.*vſque ad n.*179. Cardin. Lugo *diſp.*35. *num.* 86. vbi dicit *eſſe veriſſimum.* Caſtro Palao *tom.*2. *diſp.*2. *punct.*11.§.4. *num.*6. Molina *de primogeniis lib.*2. *cap.*5. *num.* 57. Leſſius *lib.*2. *c.*34. *dub.*5. Rebellus 1. *part. lib.* 3. *quæſt.* 5. Gutierez *lib.*2. *Canonicar. cap.* 11. *num.* 47. Syluius *q.*63. *art.*2. *quæſt.* 5. *in fine.* Maldetus *tractat.* 9. *cap.*2. *dub.*8. *conc.*6. 1791.

1792. Ratio eſt, quia ex vi concurſus, & edicti fit quoddam placitum ſaltem implicitum eligendi digniorem eorum qui ſe examini ſubiiciunt; vnde in edicto dicitur quod cuique ſeruabitur ius ſuum: ergo ex vi edicti eſt promiſſio electoris faciendi rectum iudicium, & ferendi ſententiam pro digniore, ex vi cuius promiſſionis omnes oppoſitores ius acquirunt vt inter ipſos dignior eligatur, & non ſolum quod non eligatur alius extra oppoſitores; eſt enim concurſus iſte concertatio quædam propoſito præmio, in qua neceſſario inbibitur. pactum de dando digniori quod includitur in ipſo edicto, niſi aliud exprimatur.

1793. Et ſic lex, & ſtatutum ordinans quod Beneficium conferatur in concurſu, ſicut ſtatuit Tridentin. *ſeſſ.*24. *cap.*18. de Beneficiis Parochialibus habet implicitam promiſſionem de dando digniori, imo illam expreſſit Trident. quæ promiſſio cum oneroſa ſit habet pactum vltro, citroque obligatorium, ſine quo Eccleſia non transfert vices ſuas collatoribus, & diſtributoribus, niſi digniori conferant, & ſic diſtributor ſi ſic non conferat merito cenſetur eſſe in fraude, & dolo, teneturque fraudato digniori reſtituere, iſte enim fraudulentus impeditur vt pote non ſtans promiſſioni, & digniori ius ſuum euertens; de quo euerſo datur digniori ius appellandi, vt determinat Pius V. *in ſua Bulla de Conferen. Benef. Curat.* Et idem ius videtur habere quicumque dignior omiſſus in concurſu cuiuſcumque alterius Beneficij, vel Cathedræ, ad quod conuocantur oppoſitores per concurſum.

1794. Hoc igitur cum omnino certum ſit in praxi, ſequela argumenti probatur, me quidem iudice manifeſte. Quia ſi quando præcedit Edictum ad concurſum oppoſitorum conuocandum ex vi legis, & ſtatuti cenſetur pactum implicitum de dando digniori, & iſto omiſſo, tenentur Electores reſtituere illi, atqui diſtributor Beneficiorum, & ſimilium, etiam ſine concurſu, & edicto, etiam habet pactum implicitum, & promiſſionem ex vi officij ſui facendi bonum commune proprium ſecundum dignitatem partium, & proportionem meritorum ad ipſam Rempublicam, cum bonum iſtud commune ſit etiam præmium meritorum,

ſitque lex Chriſti qui Dominus eſt Beneficiorum quod dentur dignioribus ſecundum diſtributiuam iuſtitiam : ergo ex vi officij diſtributoris eſt imbibita promiſſio de dando digniori, non minus ac ſi eſſet lex quod ſumma pecuniæ diſtribueretur pauperioribus, qui daret diuitibus, omiſſis illis, teneretur reſtituere, quia ex vi huius legis diſtributor implicitè promittit illis, & non aliis diſtribuere.

1794. Secundò, quia præcedente edicto non habet dignior aliud ius niſi iuſtitiæ diſtributiuæ, ſecundum quod diſtributor tenetur facere illi propriũ quod eſt commune; at ſimile eſt ius in digniore ſecluſo edicto ex vi officij diſtributoris : ergo par eſt obligatio reſtituendi. Antecedens probatur, quia Edictum ad nil deſeruit niſi vt oppoſitores in examine manifeſtent dignitatem ſuam, qua manifeſtata, ſi iudicata fuerit maior ab examinatoribus, electoribus, & Epiſcopo, iſti tenentur ex vi ſui officij dare Beneficium illi, & hoc illi promittunt implicitè facere ſibi propriam, quod aliàs eſt commune bonum propoſitum tanquam præmium; neque enim aliud promittunt quam ſatisfacere officio ſuo de eligendo digniore : ergo ſi ſine edicto cognoſcatur maior dignitas dubio procul ex vi officij ſui tenetur dare illi digniori, & aliàs tenetur reſtituere.

1795. Tertiò, quia ſi edictum daret ius iuſtitiæ commutatiuæ digniori, & ſic deſeruiret ad aliud quam ad manifeſtandam maiorem dignitatem, ſequeretur quod ſi Cathedra, aut Beneficium daretur digno, omiſſo digniore, teneretur dignus cognoſcens digniorem eſſe omiſſum, Beneficium illi reſignare. Conſequens autem eſt omnino falſum quia de iure communi collatio facta digno valida eſt in vtroque foro, vt dicam §. *vlt.* quia Beneficium datur propter officium, quod bene exercet dignus ſatisfaciens muneri ſuo. Sequela autem manifeſta eſt. Quia dignior (vt dicis) habet ex vi edicti ius iuſtitiæ commutatiuæ ad Beneficium ante electionem quod ius auferri non poteſt ſine reſtitutione, multo magis quam ſi pecu-
1796. nia eſſet diſtribuenda pauperibus diſtribueretur diuitibus; iſti enim tenerentur reſtituere pauperibus. Quæ rationes ita me mouent vt exiſtimem quod ſi diſtributor non tenetur reſtituere digniori omiſſo, non præſuppoſito edicto, non tenetur reſtituere ſuppoſito edicto, vt probabile iudicabat Sanchez, & cum mihi hoc practicè non ſit probabile, primo aſſentiri non poſſum.

Colligitur tertiò, quam profundè Dom. Caietanus propoſuerit diſcrimen inter impedientem, & non diſtribuentem vt debet, bona communia per iuſtitiam diſtributiuam, quod
1797. diſtributor tenetur ad æquale, at impediens tenetur ad arbitrium boni viri, vt ait D. Thom. *quæſt. 62. art. 2. ad 4.* dicens *quod ſi quis impedit intendens damnum ex odio, & vindicta, antequam ſit firmatum quod ei detur præbenda tenetur reſtituere arbitrio ſapientis. Si verò impediat poſt quam eſt firmatum tenetur ad æquale, quia idem eſt ac ſi iam habitam ei auferret.*

1798. Igitur ratio diſcriminis inter impedientem (antequam ſit firmatum, quod alicui detur præbenda) & inter diſtributorem manifeſta eſt iuxta dicta, quia impediens tenetur ex hoc ſolo quia impediuit digniorem à conſecutione eius quod erat ſuum vt commune, debitum tamen vt fieret ſibi proprium per actum iuſtitiæ diſtributiuæ, & quanto magis diſtributio erat diſpoſita vt Beneficium daretur digniori, tanto magis erat ſuum vt proprium, & ſic tanto plus tenetur ad reſtituendum, quia quanto appropriatio Beneficij magis appropinquat huic, tanto damnum proprium iſtius eſt maius, iuxta quod menſuranda 1799.
eſt reſtitutio, vt optimè enucleat Sanch. *vbi ſup. dub. 51. num. 2.* non tamen tenetur impediens reſtituere æquiualens Beneficio, quia non tenetur ad conſũmandam diſtributionem, ſecundum quam id quod eſt commune debet conſummatè fieri proprium huic. Ad quod tenetur diſtributor qui ex vi officij ſui tenetur ad inchoandam, & conſumandam diſtributionem huius Beneficij pro digniore, & ſic tantum quantum tenetur diſtribuere, tantum tenetur reſtituere.

Contra id tamen quod dicit S. D. quod poſt- 1800.
quam firmatum eſt apud Collatorem dare alicui Beneficium tenetur ad æquale ſi quis impediat collationem, inſurgunt Sanchez, *vbi ſup. dub. 50.* Nauarr. *in ſumm. c. 17. n. 71.* quia impeditus à Beneficio magnum commodum conſequeretur ſi eſſet ei reſtituendum æquiualens Beneficio, ſiquidem ante illius conſecutionem poteſt Epiſcopus iuſtè mutare voluntatem, & propoſitum, & ſic Beneficium non eſt huius proprium, atque ita ex impedimento commodum conſequeretur, ſi ei eſſet reſtituendum æquale. Aſt certiſſima eſt re- 1801.
gula D. Thomæ quam ſequuntur omnes eius diſcipuli, Aragon *fol. 211.* Salon. *tom. 1. fol. 724.* Soto 4. *de iuſtitia, & iure quæſt. 6. art. 3. ad 6.* Bañez *art. 2. quæſt. 62. dub. 4.* Lopez 1. *part. inſtructor. cap. 127.* Medina *lib. 1. ſuum. cap. 14. §. 31.* Ledeſma 2. *part. 4. quæſt. 18. art. 2. fol. 254. pag. 3.* Syluius *quæſt. 25. ad 1. & 2.* Caietanus *art. 2. citato §. vnde ad motum Dubium & §. aduertendum.*

Ratio eſt, quia licet Collator poſſit iuſtè mu- 1802.
tare voluntatem, qua firmauerat apud ſe dare huic Beneficium, tamen non mutata voluntate iuſtè à Collatore, quicumque iniuſtè ex odio, & vindicta iuxta ſupradicta facit mutare voluntatem Collatoris iam firmatam, & manifeſtatam tenetur ad æquale reſtituendum, quia iuſtitia diſtributiua exigente Decretum eſt quod Beneficium ſit iſtius dignioris qui modo eſt. Quod autem ſic Decretum eſt tanquam proprium iam eſt quaſi proprium, & in ordine ad reſtitutionem idem ſunt proprium, & quaſi proprium, cum idem 1803.
damnum ſequatur ex ablatione proprij, & quaſi proprij, & reſtitutio menſuranda eſt non tam ab iniuria illata, quam à damno illato, vt optimè aduertit ipſe Sanchez *dub. 51. num. 2.* videndus eſt Aragon. *vbi ſuprà conc. 6.*

Nec fundamentum oppoſitum valet; ſi enim collator mutat voluntatem, quia alius dignior aduenit, cum res ſit in diuerſo ſtatu, non debe- 1604.
tur Beneficium primo digniori iuſtitia diſtributiua exigente; imo iſta exigit quod detur præbenda ſecundo, & ſic non manet voluntas Collatoris firmata reſpectu primi. Si vero non aduenisset alius dignior iam eſt Decreta Præbenda primo digniori, neque iuſtitia exigente poteſt mutari voluntas Collatoris, ſi vero mutetur non exigente iuſtitia diſtributiua, & detur præbenda alteri non digniori ipſe Collator tenetur ad reſtitutionem, & ſic dignior ex impedimento non portat commodum.

Ex quo infertur cum eodem Caietano ibidem §. *notanter*, quod Conſiliarij quorum conſilio regitur diſtributor in diſtribuendo, tenentur ad æquale, ſicut ipſe diſtributor quia illi ſicut iſte

tenentur

tenentur suo consilio ad inchoandam, & perfi-
1805 ciendam distributionem pro digniore, quia eo-
rum consilio distributio perfecta est contra di-
gniorem. Caueant ergo consiliarij, quia non di-
mittitur peccatum nisi restituatur ablatum, col-
1806. latores enim Beneficiorum domini non sunt, sed
distributores, & dispensatores, sic enim eos ap-
pellat Paulus dicens, *Sic nos existimet homo vt dispensatores Mysteriorum Dei.*

Infertur secundò, examinatores Synodales cum sint Consiliarij Episcopi in prouisione Parrochialium, si approbent indignum non solum
1807. peccare mortaliter, sed si illi conferatur Beneficium tenentur ad æquale in defectu Episcopi restituendum digniori. Tenentur etiam restituere damna inde secuta, quod si dignum approbent tanquam digniorem, omisso eo qui reipsa est dignior, si Episcopus eorum approbationem sequatur, & conferat Beneficium si Episcopus aliàs non sciebat omissum esse digniorem, non tenetur ad aliquid, nec peccat; peccant tamen, & tenentur adæquale examinatores Synodales. Agnoscant ergo obligationem Officij sui.

1808. Infertur tertiò, quanto periculo sint exposiți qui diuertunt principes, aut testatores à voluntate firmata quam habent dandi Beneficia dignioribus, aut faciendi legata pia, quæ iam in testamento vel erant scripta vel proximè scribenda, iuxta dicta. Legatur Aragon. *pagin.* 212. §. *ex dictis infero.*

Plura alia corollaria, & illationes omitto, quæ iuxta mea, & Caietani principia facile quis deducet, ne Tractatus iste examinatorum Synodalium longior fiat materiis extraneis, & me expectant aliæ magis propriæ.

§. Vltimvs.

An Prouisio facta de digno, omisso digniore in concursu ad Parochialia sit ipso iure nulla?

Svmmarivm.

1809 *Prouisio facta de digno, omisso digniore in concursu ad Parochialem an sit ipso iure nulla?*

1819 *Dignus electus omisso digniore non facit fructus suos, sed digniori sunt restituendi.*

1809. Hic est finis, & scopus fere omnium quæ huc usque dicta sunt in antecedentibus, in quibus non iniucunde nec inutiliter digressi sumus. Breuiter tamen vt ad alia gradum faciam ab hac difficultate me expediam. Notanter tamen dixi *in concursu ad Beneficia curata*, quia de aliis concursibus ad Canonicatus Magistrales, & Doctorales, & ad Cathedras, & si forsan fiunt ad Beneficia simplicia (& satis conueniens esset vt fierent) certum mihi est quod electio digni, omisso digniore valida est, titulumque verum
1810. confert electo qui iuste ingreditur possessionem. Ratio est, quia Bulla Pij Quinti, de qua infra, solum loquitur de Beneficiis curatis de quibus instituit Tridentinum quod darentur præuio examinè oppositori digniori. Quæ Bulla, & constitutio, cum sit exorbitans à iure communi secundum quod electio digni valida est, vt tenet omnis Chorus iurisprudentium, & Theologorum cum D. Thoma 2.2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. Legatur Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.* 60. *num.* 97. vbi triginta quatuor Doctores pro hac sententia affert, quibus alios plures adiungere possem, sed in re tam certa superfluum iudicaui, solum addam sic sensisse Rotam Romanam *apud Farinac. decis.* 36. *num.* 3. *tom.* 2. *anno.* 1600. *coram Gregorio XV. tunc Auditore. Quia aliàs (inquit) omnes electiones essent litibus. & controuersiis suppositæ.* Quæ fuit ratio D. Thom. quam secuta est alia decisio *in Eugub. Parrochial. S. Vincentij* 13. *Ianuarij* 1623. *in nouissimis.* 1811.

Quare solum super est difficultas an suppositа Bulla Pij V. *quæ incipit in conferendis edita anno* 1566. *& est* 32. *in Bullario* Cherubini, vbi statuit quod omnis prouisio facta in concursu ad Parrochiale contra formam inductam à Concil. Trident. *loc. cit.* sit ipso iure nulla, itaut dignior omissus possit appellare de mala electione. Cardinal. Lugo *de iust. disp.* 35. *num.* 70. dicit validam 1812. esse etiam post Bullam præfatam. Probatur, quia in Bulla ista duo decernit Pontifex. Primò, quod electio facta contra formam inductam à Concilio, præcipue circa examen sit ipso iure irrita, &c. Secundò, Quod si Episcopus elegerit minus dignum, omisso digniore, dignus reiectus possit appellare ad Archiepiscopum, qui si alter dignior inuentus fuerit, reuocet acta & conferat digniori: ergo prior electio non fuit nulla ipso facto, cum reuocanda sit vt fiat noua prouisio.

Secundò, Quia Pontifex in eadem Bulla dicit 1813. quod dignus electus, causa appellationis pendente ab Ecclesia in qua prouisus est, non amoueatur, & ita est verus proprius Parochus, quousque electio legitime reuocetur.

Tertiò, quia forma inducta à Concilio, & quam confirmat Pontifex solum versatur circa modum, & ritum externum, vt est Edictum, concursus, examen, approbatio externa examinatorum, non vero circa iudicium Episcopi quod est 1814. actus interior quo iudicat aliquem digniorem; non enim Concilium dicit quod eligatur ille qui reipsa est dignior. Sed quem iudicauerit digniorem; actus autem interior non cadit sub lege humana; si enim Episcopus contra conscientiam elegerit eum qui reipsa est dignior, sed ipse iudicauit esse solum dignum, talis electio esset ipso iure nulla, quia non facta secundum iudicium rectum Episcopi.

Quartò, quia si ita esset semper maneret ele- 1815. ctio, & prouisio digni omisso digniore irrita, & nulla, adhuc etiam digniore non appellante. Quare valor collationis maneret semper dependens ab Episcopi iudicio, quod valde pernicioſum esset Ecclesiæ. Ad quid ergo electio irrita est, & nulla ipso facto, nisi ad illaqueandas conscientias, & replendam Ecclesiam Parochis inualide electis, & iurisdictione carentibus? idem sentiunt Garzia *part.* 9. *cap.* 2. *à numer.* 235. Vgolinus *de officio Episcop. cap.* 50. §. 23. *n.* 4. Filliucius *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 4. *n.* 154.

Sed has electiones ipso facto nullas esse irritas 1816. ac nullius momenti tenent Thomas Sanch. *lib.* 2. *Consilior. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 6. *vers. secundo.* Espino *de testament. Glossa* 4. *num.* 86. Azeuedo *consil.* 9. *à num.* 27. Gonzalez *Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *n.* 136. & 137. Castro Palao *vbi sup.* §. 3. *num.* 2. & præter decisiones Rotæ quas ibi affert, eam tenuit Rota *in vna Ciuitatis Castelli Parochialis die* 2. *Iu-*

nij 1614. *coram Dunozetto. num.* 6. ibi, *Collatio eſt facienda electo magis idoneo in concurſu ab Epiſcopo iuxta formam traditam à Sacro Concilio Tridentino ſeſſ.*24.*cap.*18. *quæ forma cum non fuerit ſeruata, collatio fuit ipſo iure nulla. cap. Cum dilectus. de reſcripiis, ſtante præſertim conſtitutione Sanctæ memoriæ Pij Papæ V. qua collationes omnes contra dictam formam factæ declarantur nullæ, irritæ, & nullius roboris, & momenti.* Hæc ibi. Vnde optime Aragon 2.2. *pag.* 314. *pag.*2. dixit quod ius commune correctum eſt per Trident. & Bullam Pij V.

1817. Et quidem ita dicendum videtur clare colligi ex Tridentino loco citato, in quo poſtquam determinauit modum examinis determinat etiam modum conferendi Beneficia Parochialia quæ dẽtur digniori, & dicit; *alias omnino prouiſiones ſeu inſtitutiones contra prædictam formam factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeãtur.* Quibus verbis per formã non ſolum intelligit modum examinis, ſed modum prouiſionis quem inſtituerat, quod in aliquibus caſibus detur digniori ab Epiſcopo iudicato ſecundum merita examinis de ſcientia, moribus,& vita; non enim eſt apparens ratio cur forma iſta comprehendat modum examinis, & non modum prouiſionis, vt detur digniori, cum forma ita rigidi examinis eo tendat vt modus prouiſionis fiat recte, & detur beneficium digniori, & aptiori ſeruitio,& vtilitati Eccleſiæ. Et quidem nil deſeruiret quod omiſſa forma examinis per edictum electio eſſet nulla, & non eſſet nulla omiſſa forma prouiſionis quod detur digniori, cum hæc ſit illius finis.

1818. Secundò, idem conſtat ex Bulla Pij V. citata, vbi confirmat decretum Tridentini irritas declarans prouiſiones factas præter, aut contra formam ibi traditam. In cuius confirmationem tradit modum quo dignior reiectus ab Epiſcopo habeat Beneficium, à quo reiectus eſt, quod ſcilicet fiat per appellationem ad Atchiepiſcopum &c. *Qui à ſuis examinatoribus examinet præelectum, & ſi aliter dignior inueniatur reuocet acta, & conferat Parochialem digniori &c.* vbi non determinat duo Pontifex, vt minus bene Card. Lugo, ſed vnum, quod electio facta contra formam Tridentini nulla ſit, & vt conſtet eius nullitas dat remedium appellationis, qua interpoſita, ſi alter non inueniatur dignior iudex ad quem declarat nullam fuiſſe electionem, reuocans quæcumque acta fuerint, & confert Beneficium digniori; etenim ſecluſa appellatione dignus electus à poſſeſſione repelli non poteſt quin prius per ſententiam conſtet digniorem eſſe reiectum. Quod conſtare nequit, niſi lis à digniore moueatur. Hæc dubio procul eſt mens, vt videtur Concilij,& Papæ.

1819. Ex quo colligit & bene Caſtro Palao *vbi ſup. num.*3. *in fine* quod dignus electus omiſſo digniore non facit fructus ſuos, ſed digniori eſſe reſtituendos cum vicerit per tres ſententias conformes, aut vnam, vel duas quæ tranſeant in rem iudicatam; hoc enim requiritur vt dignus electus amoueatur, & dignior introducatur, vt eſt communis ſententia, vt tenent Garcia *vbi ſuprà num.* 247. Cauallos *comm. contra. quæſt.* 897. Gonzalez *de menſibus*; *& alternat. Gloſſa.*6. *à num.* 163. quos citat, & ſequitur Pulao *num.*5. fructus tamen debent reſtitui deductis expenſis obſequio beneficij dignis.

1820. Sed quamuis hæc ſententia mihi valde probabilis ſit, & fere certa, tamen Ego illam explico ſic, non quod electio ſit nulla, ita quod abſque noua collatione valida non ſit, ſi enim dignus non amoueatur per ſententiam interpoſita appellatione dignioris, vere Beneficium ſuum eſt, & illud commutare, & reſignare poteſt, & diſponere de fructibus Beneficij, etiam ſi ipſe ſciat digniorem eſſe omiſſum. Si autem eſſet inualida, ſicut eſt electio excommunicati non poſſet id facere, & ita non eſt ipſo iure nulla, hoc eſt, inualida, nam dignus electus omiſſo digniore per electionem, & collationem accipit dominium Beneficij fructus, & tanquam de ſuo diſponit, quamuis conditionatè, quouſque proferatur ſententia in fauorem dignioris. Quare apud dignum manet plena adminiſtratio Beneficij, & fructuum ipſius,& ſic à die qua facta eſt electio & dicitur ipſo iure nulla, & irrita, quia data ſententia in fauorem dignioris retrotrahitur ſententia vſque ad illum diem, & dignior poteſt vindicare ſibi fructus Beneficij. Quod ſi non vendicet non eſt obligatus dignus reſtituere, argumento ex his quæ communiter tradunt DD. Hiſpani *ad l.*4.*tit.*2.*pag.*7. Iuriſtæ *ad l. finalem D. ad l. Iuliam maieſtatis.* Canoniſtæ *ad cap. cum ſecundum leges de Hæreticis in* 6. & videri poſſunt Sanchez *in Summ. lib.*2. *cap.*22. Caſtro Palao *tom.*1. *tract.*4. *diſput.*5 *pun.*19. 1821.

1822. Igitur ſic enucleanda eſt hæc ſecunda ſententia. Cum enim electio digni omiſſo digniore iure naturæ ſit valida, & etiam de iure communi Eccleſiaſtico, vt eſt omnino certum, ius nouum Concilij Trident. & Pij Papæ V. illam dicit irritam, & nullius momenti &c. cum enim Concilium, & Pontifex non dicant quod dignus electus omiſſo digniore ante ſentẽtiam teneatur renuntiare Beneficium digniori, ſed ad hoc expectetur ſententia iudicis ad quem appellationis, ſed ſolum quod electio ſit ipſo iure nulla, & irrita, & nullius momenti &c. Cum hæc verba poſſint habere ſenſus bonos, & iuridicos abſque eo quod electio digni ſit in conſcientia inualida, & nullam conferat iuriſdictionem, ita ſunt interpretanda; nam illa verba ſignificant Primò, quod ſententia nullitatis data retrotrahitur vſque ad diem electionis, & reuocatur quæcumque reſignatio, permutatio, regreſſus &c. Secundò, quod ſententia iſta non requiritur ad expoliandum dignum, ſed ad declarandum digniorem eſſe reiectum, & omiſſum, qua declaratoria poſita abſque alio dignus amittit Beneficium, quia illud acquiſiuit cum hoc onere, & ſub hac conditione niſi declaretur dignus reiectus. 1823.

1824. Probatur hæc ſententiæ communis enucleatio, quia pacta, contractus, alienationes bonorum &c. factæ ab hæretico à die commiſſi criminis dicuntur eſſe ipſo iure nullæ, & irritæ, & nullius momenti in iuribus citatis, & *in l. ex iudiciorum §. finali. D. de accuſatio. & l. Donationes in concubinam §. finali* & tamen hoc intelligitur quatenus in fiſci præiudicium vergunt, & ſic fiſcus eas ſic retractare poteſt ac ſi factæ non eſſent, vt explicant, & tenent Sanchez *vbi ſuprà. num.*50. Vaſquez 1.2. *diſput.* 171. *num.*9. & 10. Turrianus 2.2.*diſput.*40. *num.*4. Molina *tract.*2. *diſp.*95. *verſ. licet hæreticus* Azor *tom.*1.*lib.*5. *cap.*7. *quæſt.* 7.*in fine.* Caſtro Palao *tract.*4.*vbi ſuprà punct.*19. *num.*2. & 3. Suarez *de fide. diſput.*22. *ſect.*4. Farinacius *de Hæreſi. quæſt.* 190 *num.*72. & eſt hodie communis ſententia: ergo quando electio 1825.

digni

digni omisso digniore dicitur ipso iure nulla, &
1825. nullius momenti eodem modo debet intelligi, quia per iudicem appellationis declarantur nulla, quasi facta non esset quatenus est in præiudicium dignioris. Vnde si dignus resignet Beneficium curatum, aut de fructibus faciat quoscumque contractus, nec resignatarius tenetur in conscientia dimittere Beneficium, nec contra hens restituere ante sententiam in fauorem dignioris, cum nec ipse resignans ad id teneatur, est enim ad minus perfectus administrator, vt dicitur in Bulla Pij V. donec condemnetur. Et hoc modo intelligenda sunt fundamenta secundæ sententiæ.

1826. Ad fundamenta Cardinalis quatenus videntur opponi nostræ sententiæ Respondetur. Ad primum quod Pontifex vtrumque decidit tanquam connexum; examen enim concursus, edictum &c. ordinantur ad electionem dignioris, *vbi est vnum propter aliud ibi est vnum tantum.* Verum est quod omissio Edicti, examinatorum Synodalium concursus, & examinis cum sit per se manifesta, & facile probari possit, ad illam non ponit Pontifex remedium appellationis, sicut ponit in omissione dignioris. Ad secundum respondetur probare nostram sententiam, quia dignus electus omisso digniore ante sententiam declaratoriam verus est Parochus, & habet iurisdictionem eandem ac si esset dignior.

1827. Ad tertium, respondetur eodem modo; nec enim iudicium quod facit Episcopus de digniore est purum internum, sed dependet à multis circunstantiis externis cognitis per examen iuxta formam Tridentini, quam si non obseruet non est rectum iudicium, & sic non debet esse regula electionis. Ad id autem quod dicitur quod iudex appellationis inuento digniore debet reuocare acta circa dignum electum, Respondetur primò, quod ibi reuocatio non sumitur propriè: sed large, sicut aliquando sumitur vindicatio, vt notat
1828. Sanchez *vbi suprà. num.* 1. Respondetur secundò, quod dicitur reuocari quantum ad administrationem, & possessionem, quam habet, non vero quantum ad electionem quæ solum est valida sub conditione nisi declaretur alius oppositor dignior, qua declaratione facta statim euanescat absque aliâ reuocatione.

Verum notandum maximè, quod vt aduertit
1829. Rota *in vna Barchinon. Paroch. coram Burato. 29. Nouembr. 1613. num. 14. apud Farinac. decis. 537. tom. 1* quod adeo vehemens est præsumptio pro electione facta ab ordinario vt debeat clare edoceri de dolo, & de irrationabilitate ipsius, vt tenuit Rota *in vna Camerinen. concursus 19. Decembris. anno 1603. coram Reuerendiss. Atreuaten. & in Sabinen. Concursus 6. Aprilis. 1609. coram Damasceno*, quia ordinarius præsumitur instructus de vita, & moribus concurrentium, & aliis vltra doctrinam requisitis tanquam eius Diœcesanorum. Metropolitanus vero per nouum concursum non potest certior fieri nisi de doctrina, & sic cessat in ea præsumptio, vel saltem non æque vrget.

* * *

Resolvtio XXIV.

An si examinator Synodalis sit Canonicus in Ecclesia vbi sunt adiuncti, possit Episcopus sine illis cognoscere, si officio suo deliquerit.

SVMMARIVM.

1530 *Adducuntur verba constitutionis Pauli tertij.*

SAcrosanctum Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 6. de Reform.* grauibus & vrgentibus causis motum, & ab Spiritu Sancto directum statuit vt in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegialibus exemptis, iuxta Constitutionem Pauli tertij quæ incipit: *Capitula Cathedralium. Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex capitulo duos de quorum Consilio, & assensu Episcopus, vel eius Vicarius tam in formando processu, quam in cæteris omnibus actibus vsque ad finem causæ inclusiue coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in cuius Domo, aut Tribunali consueto, procedere teneatur. Vnum autem sit vtriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes, in aliquo actu, seu interlocutoria, aut definitiua sententia fuerint intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant; & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio deuoluatur, & iuxta eam partem cum qua tertius conueniet adiunctus in quo erat discordia, terminetur aliàs processus, & inde secuta nulla sint, nulloque producant iuris effectus, &c.* 1630.
In cuius Decreti enucleationem, & germanam intelligentiam proposui præfatam Resolutionem quam resolutam inuenies Paragrapho 7.

§. I.

Quæ sint motiua, & rationes huius Decreti.

SVMMARIVM.

1631 *Sex motiua & rationes præcedentis decreti. & n. seqq.*

1638 *An expediat quod Religio habeat exemptiones aliquas quibus à gruaaminibus aliquæ personæ eximantur?*

IMperator Iustinus *l. hac consultissima 8. Cod. de his qui testam. facere poss.* loquens de cæcorum testamentis multa satis prudenter disponit vt omnis fraudis suspicio auferatur, & concludit: *Sic namque fieri confidimus vt non recipiat se tantum in cæcis testandi licentia, sed ne locumquidem vllum relinquat insidiis, tot oculis spectata, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus.* 1631.
Sic ergo quando Episcopus contra Canonicos procedit de adiunctorum consilio, & assensu omnis suspicio odij, vindictæ in ferenda sententia, & examinanda causa abiicietur, habet enim Episcopus nescio quam occasionem suspicionis dum contra Canonicos procedit in criminali- 1632.
bus, & sic ad excludendam omnis suspicionis speciem Adiuncti constituuntur *arg. l. Apertissimi 14. Cod. de iudiciis.* vbi Episcopi adiungebantur iudicibus suspectis *l. etiam si tutor. D. de suspect. tutor.*

tutor. determinatur quod ſi tutor affinis ſuſpectus eſt non remoueatur, quia eſſet indignum, ſed curator qui ſolum tempore tutelæ duret adiungitur.

Secundò, ne Prælati, & Epiſcopi criminentur iniuſte; multi enim volunt potius dominari, quam paſcere gregem, & pro libito abſoluere vel condemnare ſubditos aſſiſtentes, vel obſequentes, inſequentes, vel reſiſtentes. Videndus Nauarrus *conſil.3.num.5. de officio ordinandor.* Vnde remedium hoc Adiunctorum, remedium etiam eſt Prælatis exercendæ charitatis erga corrigendos quæ plus operatur, quàm rigida poteſtas, & imperium, magis enim corrigit, & dirigit beneuolentia amabilis, quam ſeuera authoritas, plus dulcis exhortatio, quam auſtera comminatio, vt egregie ait Leo Papa *epiſt.82.cap.1.ad Anaſtaſium Epiſcopum.*

1633. Tertiò, quia iudicium Epiſcopi cum adiunctis integrum ſemper præſumitur, vt pote plurimorum Conſiliis, & ſententia confirmatum, *cap. Prudentiam de officio delegati*; ſic enim dulcius, & ſuauius, & paci publicæ conuenientius terminantur lites; imo extinguntur inter Epiſcopum, & Canonicos, vt tradunt Seraphinus *deciſ.* 475. Berallus *deciſ.* 62. *num.4. part.* 2. continuo enim accenduntur inter Epiſcopum, & Capitulares iurgia, & diſcordiæ. Quare conueniens fuit vt Canonicos ſolus Epiſcopus non diiudicet.

1634. Quartò, quia cum remedio Adiunctorum eſt expedita libertas conſiliandi in Canonicis quando in cauſis arduis Epiſcopus conſilium ab eis expoſcit; ſi enim ſolus Epiſcopus contra illos poſſet in criminalibus procedere, non maneret in capitularibus libera, & expedita conſulendi facultas, vel fauore allectis, vel timore perterritis contra præceptum politicum Iſocratis *in Rapſodia. cap.* 18. & Tridentinum *ſeſſio.* 13. *cap.* 6. *de reformat.* determinat *ne Epiſcopus citetur, vel moneatur vt perſonaliter compareat, ne vexationis timor ſegniorem reddat ad inquirenda, & punienda delicta.* Quare hoc limitatum exceptionis genus quod in adiunctis cernitur valde conueniens eſt. Plures alias rationes, & motiua adducunt Sarauia, *de adiunctis.q.1.per totam,* maxime *à num.*38.

1635. Sed Richardus de Hallo *tract. de quinque partita conſcientia in præfatione ad Epiſcop. Camerac enſem* aſſerit quod quando iuuenis nouitio ſpiritu omnes exemptiones in vniuerſum tollendas eſſe cenſebat. Sed re melius, & accuratiùs perpenſa exemptiones ſuo ordine, atque loco eſſe vult. *Mouet me,* inquit, *duorum Capitulorum Illuſtrium Colonienſis in Germania, & Bellouacenſis in Francia (contra ſuos Epiſcopos Hermannum Colonienſem, & Cardinalem Caſtellionem Bellonac. Hæreticos ambos) conſtantia, & fides, quibus in ſuas Eccleſias nouam doctrinam introducere molientibus tam egregie reſtiterunt in faciem, vt niſi illa, cum eſſent magna ex parte libera à iuriſdictione Epiſcopi, fortiter ſe eis oppoſuiſſent Catholica fides in his locis iam nulla eſſet.* Ita Hallo ſatis prudenter.

1636. Quæ omnia eo fine adduxi vt expediam difficultatem illam Politico-Religioſam, An expediens ſit in communitatibus Regularium eſſe aliquos viros doctos, prudentes, & religioſos, qui habeant aliquas exemptiones (quas non poſſit alterare Superior ſiue Prouincialis ſit ſiue Generalis) ſi tot annos prælegerint Sacram Scripturam, aut Theologiam, aut cum populi applauſu prædicauerint.

Et quidem hoc non eſſe abſolute, & ſecundum ſe malum, & oppoſitum regimini regulari & obſeruantiæ conſtitutionum, & regulæ milti ita certum eſt, vt oppoſitum ſit improbabile, & temerarium, cum multæ ſint Religiones obſeruantiſſimæ in quibus ſunt exemptiones pro Religioſis qui ſtudiis vacant, quibus aſſignantur. 1637.
Magiſteria, & ſimilia priuilegia, quibus eximuntur ab oneribus. Quæ religiones id habent ex priuilegio Summorum Pontificum, qui ea nullo modo concederent ſi oppoſita eſſent regimini, & obſeruantiæ regulari. Similiter improbabile eſſet & temerarium ſi quis aſſereret non poſſe conſtare bonum regimen regulare, niſi eſſent huiuſmodi exemptiones, ſine quibus ſunt plures Religiones ſanctiſſimæ à Summis Pontificibus approbatæ.

Quare ſolum eſt difficultas, An expediat quod 1638.
Religio habeat exemptiones aliquas quibus à grauaminibus aliquæ perſonæ eximantur. Et quidem mihi (ſaluo meliori iudicio) ſemper viſum eſt id valde expedire quod videtur euincere quarta ratio allata pro Adiunctis quæ inter Regulares vrgentius probat; ſi enim non ſint aliqui viri graues in Religioſis Domibus exempti à pœnalitatibus, & incurſibus Superiorum non eſt facultas libera conſiliandi id quod vnicuique magis expediens videtur bono communi, ſed vel fauore allectus, vel timore perterritus conſentiet per fas, aut nefas Superiorum dictamini, vt experientia quotidiana demonſtrat, cum maximo diſpẽdio regularis obſeruantiæ tam in ſpiritualibus quam in temporalibus; ſubditi enim Superioribus placere (ne illos moleſtent) curant, illorũ fiunt ſerui, amittentes enim libertatem ad loquendum timidi efficiuntur, dum magnanimes deberent eſſe. Quod inconueniens clarius cernitur in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, in quibus ne homines prouecti ætate, & ſcientia maneant ſubiecti Superioribus Domorum curant Superiores euadere, aſſentando, & conſentiendo rebus, & electionibus indignis, quibus non aſſentirent ſi ipſi aliàs exempti eſſent; ſic enim clarius, & liberius loquerentur, & detinerent Superiores in multis quæ non conueniunt ſic enim fit in Sacra Prædicatorum, & in Seraphica Minorum Familia. 1639.

Huius reſolutionis varia, & vrgentia ſunt 1640.
motiua, quorum plura mihi obtulit D. Thom. *opuſc.19. contra impugnantes Religion. pagina* 2. *c.* 2. Sit primum, quia hoc videtur exigere natura ordinis, qui vt ait Auguſtinus. *lib.*18. *de ciuit. cap.6. eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique tribuens diſpoſitio.* Si enim omnes in aliqua Politia ſunt pares, & æquales, natura ordinis videtur euerti. Vnde Iethro ſpiritu Dei actus vt optimam politiam introduceret ait *Exod.*18. ad Moyſem: *Prouide de plebe viros potentes, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos. Si hoc feceris implebis imperium Domini, & præcepta eius poteris ſuſtinere.* Si enim in aliqua Republica nulla eſt inæqualitas perſonarum ſed omnes ſunt pares in honore, & reuerentia debita oritur confuſio.

Vnde egregie Auguſtin. *lib.*3. *de Ciuit. cap.*8. 1641.
dixit, quod Reſpublica, ſiue Ciuitas bene diſpoſita melodiæ comparatur: in qua diuerſis ſonis proportionatis ad inuicem fit cantus ſuauis, &

dele

delectabilis auribus, si enim omnes voces æquales essent nullus concentus resultaret, nulla melodiæ suauitas, sed insuauis cacophonia. Et sic Aristot. *lib. Politicor.* Ciuitatem, & politicam Communitatem comparat organico corpori; Cui etiam Apostolus 1. *ad Corinth.* 3. comparat Ecclesiam. Et sicut in corpore organico sunt diuersæ partes etherogeneæ diuersi muneris, & exemptionis, sic debent esse in qualibet communitate bene ordinata.

1642. Sic etiam Deus optimus Maximusque Gubernator instituit Rempublicam Cælestem Angelorum, in qua diuersas Hierarchias constituit, & in qualibet Hierarchia diuersos ordines in quibus inferior illuminatur à Superiore, ab illoque dependet; non enim esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diuersi ordines non essent ait D. Thomas 1. *parte quæst.* 108. *art.* 2. & concludit quod in qualibet Republica est triplex hominum ordo. Quidam sunt supremi vt optimates: quidam sunt infimi vt vilis populus; quidam medij vt populus honorabilis: ergo maximè conueniens est quod in qualibet religiosa Communitate hi tres gradus distinguantur vt sic ex dependentia inferiorum à superioribus resultet qaædam æqualitas inæqualis, & inæqualitas æqualis, & quilibet sistat in gradu suo, à quo repelli per violentiam non possit, sitque quilibet liber ad loquendum secundum suum gradum ea quæ expediunt bono communi.

1643. Secundum sit, quia nisi in Religiosa Republica specialibus priuilegiis, & exemptionibus homines graues, & qui litteratum studio inuigilarunt; sed quantum ad onera, & vitæ societatem æquales sunt illis iuuenes, indocti, & alij huiusmodi, iuuenes insolescunt, & superbiunt dum se vident illis æquales, & independentes, maiores inhonorant, doctos Magistros suos vilipendunt, quos summo honore, & reuerentia dignos natura ipsa rationis ductu ostendit, vtpote vt ait Maphæus Vegius Laudensis. *lib. 4. de educatio. liberor. cap.* 8. & 9. *qui suo consilio, & authoritate Rempublicam exornant, fouent, moderantur, ab iniuriaque defendunt, qui priuatis quibusque opitulantur, succurrunt, patrocinantur, variisque modis prosunt, sine quibus neque exculte, neque*
1644. *commode, neque secure vita agi potest. Vnde Aristot. dicebat doctos ab indoctis differre quod viuentes à mortuis.* Et quis non videat omnia hæc paulatim defutura in Religiosa Republica, si litterati sine præmio existant communes facti in honore, & oneribus, & vigiliis cum illiteratis? & quis erit qui sine præmio laboret in libris euoluēdis? quis labores studiorum adiūget à pœnalitatibus Religionis non exemptus, & si non in totum saltem in parte? quod solatium positum in præmium natura defessa subleuatur, augentur vires, euigilant potentiæ, & sine præmio deprimitur natura, minuuntur vires, dormiunt potentiæ, si doctus pariter & indoctus premuntur oneribus, & ornantur honoribus. Certe quidem hoc vel natura ipsa abhorret.

1645 Tertiò, quia si limitatæ exemptiones pro litteris ponuntur necesse est quod isti mulitplicentur, in Republica Religiosa; quanto enim docti multiplicantur, tanto vtilitas communis quæ ex doctrina prouenit magis arescit, quia vni manifestatur quod alteri nondum notum est. Propter quod dicitur *Sap. 6. Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* quo zelo motus Moyses dixit Numer. *cap.* 11. *num.* 7. *quis tribuat vt omnis populus prophetizet?* quis enim sine præmio mouetur ad labores, & erigit animum ad insudandum sine mercede? vt enim ait D. Thom. *vbi suprà*
1646 *contra impugnantes Religionem si exemptionis priuilegium, & magisterium à Religiosis auferatur, profectus studij in Religiosis impeditur. Sicut enim pugnanti esset impedimentum ad pugnam si præmium pugnæ ei subtraheretur, quia vt Philosophus ait tertio Ethicorum. Fortissimi pugnatores esse videntur apud quos sunt timidi inbonorati, ita studenti esset impedimentum ad studium si ei magisterium subtraheretur quod studentis est præmium.* Ita S. Doctor. Vnde Imperator Constantinus *in l. Medicus* & Imperatores Honorius, & Theodosius *l. Grammaticos C. de Professoribus, & Medicis & lib.* 10. Doctores, & Magistros ab oneribus publicis releuant, & plu-
1647. ra Præmia concedunt, vt suis artibus multos instituant.

Quartò, quod Magistros esse in Religione non opponitur perfectioni vitæ quam profitentur; & ita non inconuenit illos esse in Religione. Ita D. Thom. *vbi suprà. Ridiculum enim est* (ait) *dicere quod nomen sit prohibitum, cum res non sit interdicta* (scilicet docere) perfectio enim vitæ maximè ad Apostolos pertinuit, sicut & consiliorum obseruatio, quibus mediantibus ad alios peruenit. Et tamen ipsi Apostoli se ipsos Magistros, & Doctores nominarunt, vt Paul. 1. *ad Timoth. 2. n.* 8. dicit quod est *Doctor Gentium.* Quare Christus Dominus dum dixit *Nolite vocari Rabbi*, solum prohibet ambitionem Magisterij. Quæ prohibitio tam sæculares, quam Religiosos comprehendit. Addit D. Thomas quod etiam si esset hoc consilium, non tamen tenentur Religiosi ad omnia consilia, nisi ad ea ad quæ ex voto se obligant.

1648. Dices, quod multi Religiosi se obligant voto non admittendi dignitates, sed Magisterium est dignitas vt tenet Sylvester *verbo Doctor num.* 2. *quæst.* 1. *quia*, inquit, *habet iurisdictionem ordinariam super Scholares. Auth. habita C. ne filij pro Patr. & l. vna C. de Athlet. lib.* 10. Bart. *l. fin. C. de Iudaisdicit quod Iudæus non potest esse Doctor, quia Doctoratus est dignitas.* Respondetur primò, ex D. Thom. *vbi supr.* negando quod Monasterium sit proprie dignitas, aut honor, sed est officium cui debetur honor; Religiosi autem non abrenuntiarunt iis quibus debetur honor, alias renuntiassent operibus virtutum, honor enim præmium virtutis est. Respondetur secundò, quod vt de-
1649. clarauit Sixtus V. Magisterium *non est honor, sed onus.* Vnde filij spurij possunt illud habere. Respondetur tertiò, quod nos non vouemus nisi non procurare extra Religionem aliquam dignitatem. Quare satis conueniens esset intra Religionem vt animarentur ad studia, & quieti manerent Religiosi aliquo præmio excitarentur, vt illo proposito erigeretur animus ad sustinendos labores. Respondetur quartò, quod Magisterium non est dignitas quam per votum renuntiamus. Ita Panorm. *cap. Quanto de Magistris.* & Barthol. *l. ex eo D. de milit. testam.* & egregie explicat D. Thom. *quodli. 3. art. 9.* quamuis autem non sit dignitas, & honor, Iudæus tamen illud non potest suscipere quia Magisterio debetur honor, Iudæo autem solum ignominia, non honor.

Quintò, quia esse aliquos Magistros quibus
1650. in Religione debeatur specialis honor, & qui ha-

beant

beant aliquas exceptiones, ſi nouitio ſpiritu non conſideretur, nullo modo eſt contra humilitatem quam profitentur Religioſi, vt profunde contemplatur Angelicus Doctor *vbi ſup.* quia dato quod perfectam humilitatem profiteantur, tamen potiri honoribus non opponitur humilitati, ſed in honoribus ſe inordinate extollere. Et quis dicat quod S. Gregorius, & alij Sancti Pōtifices aliquid de perfectione humilitatis deperderint, quod ad ſummū Apicē Eccleſiaſtici honoris promoti ſint?

Sextò, quod ſenes iam ætate debiles à grauio-
1651. ribus Religionis oneribus, vt ſunt ieiunia, & vigiliæ ſint exempti, valde expediens eſt. Si enim Pia Mater Eccleſia ſexagenarios à præcepto Ieiunij ſub mortali obligante liberet, quia ſenectus ipſa morbus eſt, cur & religio non deobligat nec ad veniale. Durum enim eſt obligare quod quis iuri tuendi vitam iam defeſſam laboribus renuntiet facto ipſo, niſi id ſit iam conſuetudine introductum, vt eſt in multis Religionibus, vel niſi voto, aut præcepto ſpeciali ad id adſtringantur.

Hæc dixerim occaſione Adiunctorum de Regularium exemptione à laboribus ratione ſtudij,
1652. & ſenectutis, vt in vita Regulari quæ martyrium dilatatum eſt aliquod ſit fragilitati noſtræ ſubſidium, & ſolatium; natura enim corrupta facile in deſperationem vergit, & triſtitiam ſi non ſperat aliquando à laboribus quietem. Non tamen per hoc intendo damnare communitates illas in quibus huiuſmodi exemptiones non dantur; ſunt tamen me quidem iudice valde vrgentia motiua inducta, & forſan Religio quæ ſtudiis publicis vacat ad iuuandum proximos experietur aliquando inconuenientia quæ ex denegatione exemptionum quotidie oriuntur; creſcit enim otioſorum numerus, & idiotarum caterua: iſti enim gubernabunt, & litterati deperibunt, perſequentur, & exterminabuntur.

§. II.

An in adiunctis ſit propria iuriſdictio.

SVMMARIVM.

1653 *Adiuncti aliquam habent iuriſdictionem, quatenus concurrunt cum Epiſcopo ad ferendam ſententiam.*

1654 *Adducitur ſententia affirmans Adiunctos habere propriam iuriſdictionem.*

1660 *Secunda ſententia verior comprobatur, vſque ad n.* 1669.

1670 *Præcipuum fundamentum huius ſententiæ.*

1673 *Fundamenta oppoſitæ ſententiæ diruuntur. & n. ſeqq.*

1653. CVm vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. neque Epiſcopus ſine Adiunctis, nec iſti ſine Epiſcopo poſſint valide ſententiam formare, concedendum eſt tanquam certum Adiunctos aliquam habere iuriſdictionem, quatenus concurrunt cum Epiſcopo (cui de iure communi antiquo competit iuriſdictio quæ in iure radicata, & fundata eſt, iure inquam non ſolum humano, ſed poſitiuo diuino) ad ferendam ſententiam, & ſic eſt impropria iuriſdictio, quæ dici poteſt *Simultanea*, vel *Aggregatiua*, vt vult Scaccia *de ſtudiis. cap.* 66. *num.* 4. quem ſequitur Sarauia *de Adiunctis. quæſt.* 4. *num.* 8. Quare difficultas ſolum procedit de vera, & propria iuriſdictione quæ ſit *Cumulatiua*, vel *Priuatiua*, *delegata*, *vel ordinaria*, *vel mixta*, in quæ membra iuxta communem omnium fere Iuriſperitorum diuiditur propria iuriſdictio.

Prima Sententia affirmat Adiunctos habere 1654.
propriam iuriſdictionem. Ita Sarauia *vbi ſupr. quæſt.* 3. etſi *quæſt.* 4. *num.* 11. non ſe determinet qualis eſt, tamen quidam docti recentiores ſentiunt eſſe iuriſdictionem ordinariam. Ita Gregorius Portillo *in allegat. pro adiunctis Eccleſiæ Hiſpalenſis anno* 1645. *num.* 10. *& ſeqq.* probat ſecutus Ludouicum Sarauia *vbi ſupr. quæſt.* 32. quia certa regula eſt quod adiunctus participet naturam eius cui adiungitur *ex leg. ſed & adiiciatur. D. pro ſocio.* & ſatis in terminis *l. vltima. §. vlt. D. de tritico, vino, & oleo legato*, vbi Iuriſconſultus Proclus determinat quod illi cui legatum eſt *vinum amphorarium*, *& dulcia omnia* ſolum debentur dulcia in potu, quia illa pars legati *dulcia omnia* adiuncta eſt legato vini amphorarij, cuius naturam inducunt: ergo cum Adiuncti ſint Epiſcopo qui habet iuriſdictionem ordinariam, & ipſi eamdem habebunt. Secundò, ex *leg.* 1. *C. quando tutores.* vbi Imperatores decernunt quod ſi tutori impuberis datus fuerit Adiunctus Curator, pubertate ceſſante deſinit eſſe Curator; quamuis iſte duret vſque ad 25. annum, quia curator adiunctus tutori eiuſdem naturam habet, vt finiatur pubertate ceſſante. 1655.

Tertiò, ſatis efficaciter, quia Trident. *cap.* 6. 1656.
citato determinat quod ſi fuerit diſcordia Adiunctorum cum Epiſcopo in aliquo articulo, eligatur tertius & iuxta eam partem cum qua tertius conueniet articulus in quo erat diſcordia terminetur: ergo in Adiunctis vera, & propria iuriſdictio eſt; aliàs non poſſent cum tertio articulum terminare, & circa illum ſententiam ferre, cum iuriſdictio propria ſit *poteſtas de publico introducta cum neceſſitate iuris dicendi, æquitatis ſtatuendæ*, vt tenent Doctores, & Gloſſa *l.* 1. *D. de iuriſdictio omn. iudi. & l.* 2. *§. damus. D. de ſuſpec. tutor.* & declarat egregie Martha *de iuriſdictio. p.* 1. *cap.* 8.

Quartò, quia adiuncti ſubſtituuntur loco ca- 1657.
pituli ex Trident. *vbi ſuprà* arqui Capitulum habet iuriſdictionem contra Capitulares, & talis eſt vt non poſſit tanquam ſuſpectum reuocari.

Quintò, quia Rota Romana *in vna Illerden. Viſitat.* 13 *Nouembr.* 1602. *coram Iuſto. num.* 3. *& in eadem* 12. *Decemb.* 1608. *coram eodem n.* 1. *quæ ſunt apud Farinac. tom.* 1. *deciſ.* 57. *&* 178. expreſſe dicitur quod Canonici adiuncti ſunt *coniudices* Epiſcopo quorum in iudicando non 1658.
ſit vnus altero maior: ergo illis ineſt vera iuriſdictio *l. Pomponius l. duo ex tribus D. de re iudicata.* Sic etiam coniudices apppellant Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 73. *num.* 10. Maſſobrius *in praxi habendi concurſum, Prælud.* 21. *num.* 13.

Sextò, quia adiunctorum conſenſus ita eſt requiſitus vt non ſolum ſufficiat implicitus, ſed requiratur expreſſus, ſine quo nulla eſt ſententia, cum enim conſenſus Adiunctorum ſit requiſitus tanquam forma iudicij, expreſſus eſt neceſſarius ad ferendam ſententiam, & ſic adiunctus æque principalis eſt in illa ferenda ac Epiſcopus; & ita ſicut iſte habet iuriſdictionem propriam, & ordinariam, ita & illi. 1659.

Sed

Sed adiunctos non ſolum non habere iuriſdictionem, ſed neque vllam propriam iuriſdictionem, tenent docti Recentiores de hac re conſulti. Tenuit Illuſtriſſimus D.D. Petrus de Caceres Epiſcopus Aſturicenſis *in Relatione contra Capitulum fol.17. §. eſto ſe ve* quem ſequitur D. Laurentius del Caſtillo *in Relatione ſatis docta facta anno 1645.* pro Eminentiſſimo D. meo Cardinali Spinola Archiepiſcopo Hiſpalenſi *à num.20.* & valde inclinat Rota apud Seraphinum *in vna Carthag. Iuriſdictio. anno 1596 die 11. decemb. quæ eſt deciſ. 1223. num.3.* & tenent etiam Stephanus Gratian. *tom.1. diſceptatio. 100. num.63.64. & diſcepta. 892. num.21. tom.5.* 1660.

Probatur primò, quia Trident. *cap.6. citato.* ſtatuit ius nouum determinans quod Capitulum initio cuiuſlibet anni eligat duos de Capitulo de quorum conſilio, & aſſenſu procedere teneatur, vbi nec verbum eſt quo inſinuetur Adiunctis ineſſe veram iuriſdictionem, quia iudex tenetur procedere de conſilio Aſſeſſoris, tamen dicere quod iſte habeat iuriſdictionem eſt erroneum vt dicit Seraphinus; cum enim ante Concilium plures Eccleſiæ decernerent ſe exemptas eſſe à iuriſdictione Epiſcopi, vt omnium litium auferretur occaſio Concilium ſtatuit vt Capitulum Eccleſiæ exemptæ duos Adiunctos eligeret &c. de quorum conſenſu Epiſcopus procederet in criminalibus. In hoc enim decreto ſolum inuenitur hoc Adiunctorum remedium cum nullibi reperiatur in iure; imo potius de iure communi Epiſcopus iuriſdictionem ordinariam habeat in Canonicos *cap. Perſonæ 11. quæſt.1. cap. Irrefragabilis §. exceſſus* vbi Gloſſa *verb. per Capitulum de Officio ordinarij.* Quare dubio procul Epiſcopus de iure communi iuriſdictionem ordinariam habet in Canonicos, quamuis in iure aliquando requiratur conſilium, aliquando conſenſus aliquando vtrumque ſimul, & aliquando ſumitur Conſilium pro conſenſu, aliquando è contra, vt latè oſtendit Rota *deciſ.19. apud, Farinac. tom.1. coram Lancelloto. anno 1579.* quamuis enim Doctores ibi adducti varij exiſtant in hoc, tamen nullus dubitat de iuriſdictione ordinaria Epiſcopi, vt videre eſt in ipſis. 1661. 1662.

Ex quo manifeſte fit quod Concilium Tridentinum in nihilo inminuit iuriſdictionem ordinariam Epiſcoporum, imo illam auxit, & reſtrinxit illam quam habebant Capitula exempta à quibus libertatem exemptionis abſtulit, & Epiſcopo conceſſit vt cum Adiunctis procederet contra Capitulares, & ſic exceptionem quam totum Capitulum habebat, & libertatem reduxit ad duos Capitulares ſine quorum conſilio, & conſenſu procedere non valet. Quibus verbis nec abſtulit aliquid ab Epiſcopo, nec aliquid iuriſdictionis dedit Adiunctis. 1663.

Secundò probatur, vrgentiſſimè. Quia Concilium Tridentinum inducens Adiunctorum remedium verba ſonantia iuriſdictionem ad ſolum Epiſcopum dirigit dicens: *Procedat & procedere teneatur.* vbi nulla merito de Adiunctis, ſed ſolum imponit grauamen, vt de eorum conſilio, & conſenſu procedat. Vnde in ſolo Epiſcopo reſidet plenitudo iuriſdictionis. Ita Farinacius in hac ſpecie *conſil.85. num.153.* Marius Burgius *de modo procedendi ex abrupto centur.1. q.71. n.17.* dicens quod *adiunctus nullam cenſetur habere in partes iuriſdictionem.* Et Rota *vbi ſup. n.5.* expreſsè dicit quod Capitulum non eſt coniudex cum Epiſcopo, quamuis in his in quibus requiritur eius conſenſus ſit conſors; cuius rationem dat *num.4. in fine,* quia Epiſcopus eſt caput, & ſponſus Eccleſiæ, & penes ipſum reſidet poteſtas corrigendi, & caſtigandi etiam conſortes ipſos vt per Corneum *Conſil.193. volum.2.* in quo fundatur id quod dicit Concilium Tridentinum, & etiam declarauit Sacra Congregatio apud Bellarm. Barboſam, & Farinacium *ſeſſ.25. c.6.* quod ad Epiſcopum ſolum pertinet eligere Promotorem Fiſcalem, & Secretarium cauſæ, & locum ad Tribunal iudicij. Quod euidens eſt indicium Adiunctos non eſſe vere, & propriè coniudices, aut habere aliquam propriam iuriſdictionem, etſi ſint conſortes in iuriſdictione Epiſcopi, quatenus ſine illorum conſenſu Epiſcopi iuriſdictio non poteſt validè exerceri. 1664. 1665.

Ex quo fit Concilium in hoc Decreto ſolum introduxiſſe formam iudicij quam tenetur ſeruare Epiſcopus vt validè procedat in criminalibus contra Capitularem iuxta Doctrinam *Baldi l. neceſſitate n. 16. C. de hu qui lib.* Menochius *lib. 6. præſumpt.34. n.12. & 13.* Vancius *de nullit. ex defectu iuriſd. n.152.* Maurus Burgius *vbi ſup. n.14.* Farinac. *concil. cit. n.153.* Quare ſi Epiſcopus aliquid faciat ſine Adiunctis erit nullum non ex defectu iuriſdictionis, ſed quia non obſeruauit formam Concilij, & ſi Adiuncti aliquid faciant ſine Epiſcopo nullum eſt etiam ex defectu iuriſdictionis. Rem explico exemplo Matrimonij clandeſtini quod validum erat ante Trident. tamen poſtquam hoc induxit formam vt fiat coram Parocho, & teſtibus, iſtis non ſtantibus nullus eſt contractus, non ex defectu poteſtatis contrahentium, quia hæc ſemper eadem perſeuerat immutata, ſicut & eorum voluntas libera, ſed eſt nullus, quia non obſeruata eſt forma ſubſtantialis quam induxit Concilium. 1666.

Tertiò probatur etiam valde efficaciter ex doctrina Doctorum *ad cap. vnicum §. 2. ne ſede vacante lib.6.* tam antiqui, quam moderni, vt videre eſt in Barboſa *ibi num.7.* dicunt quod ſi Collatio pertinet ad Capitulum de conſilio, & conſenſu Epiſcopi, iſto exiſtente inhabili non confert Capitulum. Vnde Rebuffus *in tract. nominatio. q.8. n.35.* dicit quod in hac ſpecie nominatio debet referri ad ſolum Epiſcopum, quia in iſto eſt poteſtas conferendi, etſi requirat conſenſum Capituli quod non confert, ſed conſentit Collationi, & ſic iſtud non habet poteſtatem conferendi. Id quod dicit egregiè Federicus de Senis *conſil.1.* qui diſtinguit quod aut Collatio pertinet ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, & ſic mortuo Epiſcopo accreſcit poteſtas Capitulo; aut pertinet ad Epiſcopum de conſenſu Capituli, & ſic mortuo Epiſcopo non accreſcit Capitulo. Id quod antea docuerat Felinus *cap. non poteſt 3. n. finali de re iudicata* pari modo quando committitur iuriſdictio alicui vt procedat cum conſenſu alterius, iuriſdictio ad ſolum primum pertinet, licet ſit de forma quod alter conſentiat, vt ſingulariter reſoluit Abbas *conſil. 37. p.2. n.2.* cum ergo Trid. dicat quod Epiſcopus procedere teneatur de conſenſu Adiunctorum ad ipſumque dirigatur iuriſdictio manifeſtum eſt quod in iſtis non eſt aliqua iuriſdictio, etſi ſit aliquod conſortium, & illa ſolum ſit in Epiſcopo. Id quod egregiè conſiderauit Rota *apud Seraphin. deciſ. 1223. citata.* 1667. 1668.

Hæc ſecunda ſententia dubio procul verior eſt, vtpote conformior iuri cõmuni, & nouo Trid. ſed dato quod Adiuncti habeant aliquam iuriſdictionem propriam, hæc tamen longè inferior eſt, & 1669.

emendicata à iurisdictione Episcopi in quo est plenitudo iurisdictionis. Vt enim ait Rota, *apud Seraphinum num.* 3. & 4. etiam si dicamus Adiunctos esse vere coniudices, *tamen semper erit verum maiorem, & præcipuam iurisdictionem, & authoritatem esse penes Episcopum, & ideo sententia, & decreta sunt concipienda sub eius persona, &c,*

1670. Quod manifestè probatur ex præcipuo fundamento quod adducit D. Portillo, quia adiunctus participat naturam eius cui adiungitur, vt clarè dicitur in legibus ibi citatis, & sic cum Episcopus habeat iurisdictionem ordinariam eam participabunt Adiuncti. Ex quo clarè deducitur quod Adiuncti non habent perfectam iurisdictionem, sed imperfectam, quia participans aliquam naturam non habet illam perfectè, sed participatiuè, & emendicatam ab alio. Quod in naturalibus est manifestum; participans enim lumen à sole non habet ita perfectum lumen ac Sol, & sine istius influxu, saltem conseruatiuo illud non potest illuminare. Vnde iurisdictio Adiunctorum absolutè iurisdictio dicenda non est, nisi ex coniunctione, connexione, & dependentia ad iurisdictionem Episcopi.

1671. Id constat manifestè ex *l. vltima §. vltimo D. de vino, & oleo*, vbi Iurisconsultus determinat quod nomine dulcium non intelliguntur dulcia omnia, sed dulcia potabilia ex adiunctione ad vinum amphorarium, quia in specie huius legati dulcia accipiunt naturam vini amphorarij cui adiunguntur, quia si non essent iuncta vino quod est potabile, nomine dulcium intelliguntur tam potabilia quam comestibilia, ergo sine illo cui aliquid adiungitur adiunctum non exerit vires illius quod participat, & ita iurisdictio Adiunctorum consopita manet nisi Episcopus suam iurisdictionem exerceat.

1672. Secundò, quia adiuncti non possunt exercere suam iurisdictionem, vtpote emendicatam à iurisdictione Episcopi, nisi cum Notario Episcopi, & Fiscali ab ipso signato, & Tribunali ab ipso designato, vt determinat Trident. *cap. 6. citato*: ergo eorum iurisdictio est longè inferior, & vires suas exercere nullatenus valet sine Episcopo, vt latius dicam §. 3.

1673. Nec fundamenta opposita alicuius sunt ponderis. Ad primum respondetur. Primò, negando quod Adiuncti habeant aliquam iurisdictionem. Vnde ista non potest induere naturam iurisdictionis ordinariæ Episcopi; Concilium enim ampliauit iurisdictionem Episcopi, & iurisdictio Capituli exempti mansit vnita iurisdictioni Episcopi, & sic nomen iurisdictionis amisit. Glossa *l. 1. verbo ex bonis D. de vsufructu legat.* & tenuit Rota *in antiquis decis. 11.*

1674. Respondetur secundò, quod licet Adiuncti habeant iurisdictionem, tamen participatam, & subordinatam iurisdictioni Episcopi, Quate sine ista illa non potest exercere vires suas, nec validè prodire in actum, vt clarè statuit Tridentin. *sess. 25. cap. 6.* declarans irritum quidquid faciant. Nec habent Adiuncti potestatem procedendi ciuiliter contra Vicarium, cum illorum iurisdictio solum sit in criminalibus. Quod secus est de iurisdictione Episcopi; ista enim etsi validè non possit procedere contra Canonicos, tamen potest validè procedere contra Adiunctos, vtpote inquietantes iurisdictionem Ordinariam Episcopi, si sine illo volunt procedere ad aliquem actum iuridicum. Quare Episcopus contra illos procedit non criminaliter, sed ciuiliter, iuxta dispositionem textus *cap. 1. de Officio, & potest. at. iudic. Ordin. & cap. Dilecto de sententia excommunicat. in 6.*

Eodem modo respondetur ad secundum. 1675.

Ad tertium respondetur, negando quod in illo casu Adiuncti habeant iurisdictionem absoluram, & independentem ab illo tertio qui eligitur, qui habet iurisdictionem ordinariam ex dispositione Concilij cui accedit consensus Adiunctorum.

Ad quartum respondetur quod Adiuncti ponuntur loco Capituli quantum ad consensum, & consilium, sine quo non potest procedere Episcopus, non tamen quantum ad iurisdictionem, quia istam in criminalibus consopiuit Trid. illam vniens iurisdictioni Episcopi cui tribuit formam procedendi. 1676.

Ad quintum respondetur quod Adiuncti sunt coniudices impropriè. Respondetur secundò, quod sunt coniudices ratione iurisdictionis subordinatæ, ratione cuius in exercitio sunt æquales quatenus vnus sine alio non potest sententiam ferre, vt ait Trident. 1677.

Ad sextum respondetur, quod requiritur consensus expressus Adiunctorum tanquam forma inducta à Tridentino. Respondetur secundò, quod requiritur consensus expressus, quia est iudex subordinatus Episcopo, non quia sit æquè principalis cum illo.

Sed obiicit Sarauia *q. 32. n. 5.* quia Capitulum succedit Episcopo sede vacante in hac præeminentia procedendi cum adiunctis: ergo isti habent iurisdictionem ordinariam, quia si esset delegata, non succederet, vt pluribus citatis docet Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disp. 2. n. 10.* antecedens declarauit Sacra Congregatio *anno* 1588. *die vltima Martij, apud Farinacium sess. 24. cap. 16. §. dubitatum est.* Respondetur hoc argumento probari quod Episcopus habeat potestatem, & iurisdictionem ordinariam, cui succedit Capitulum, non tamen quod Adiuncti. Nec video quomodo ex præfata declaratione hoc inferatur. Plura alia obiicit Sarauia *à n. 7.* quæ vel supponunt Adiunctos habere iurisdictionem quod negamus, vel solum probant habere iurisdictionem ordinariam participatam, & subordinatam iurisdictioni Episcopi, sine qua non potest exire in exercitium. 1678. 1679.

§. III.

Quis debeat determinare an causa pertineat ad Adiunctos.

SVMMARIVM.

1680 *An si dubium sit exortum, an causa aliqua sit de iurisdictione Adiunctorum, an, inquam, Episcopus solus, an Episcopus cum Adiunctis determinare debeant an sit sua iurisdictio? Prima sententia ponitur, num.* 1682.

1684 *Secunda sententia verior approbatur, & suis rationibus munitur, & n. seqq.*

1690 *Respondetur ad fundamenta opposita, & seqq.*

IVs ciuile *l. si quis ex aliena 2. 2. D. de iudiciis & leg. 2.* iuncta Glossa *Si quis in ius vocatus.* determinat *quod Prætor æstimet an sit sua iurisdictio.* In quo conueniunt vtriusque iuris interpretes. Addunt tamen plures, & valdè vti- 1680.

les

les limitationes ſecundum quas Regula præfata intelligitur. Dubitamus igitur an ſi dubium ſit exortum an cauſa aliqua ſit de iuriſdictione Adiunctorum, an, inquam, Epiſcopus ſolus, an Epiſcopus cum Adiunctis determinare debeant *an ſit ſua iuriſdictio.* Qui difficultatis punctus valde neceſſarius eſt ad terminandas diſcordias. Et quidem quando certum eſt iudicium ad Adiunctos pertinere, & inter ipſos, & Epiſcopum oriatur aliqua diſcordia *in aliquo actu, interlocutoria, ſiue definitiua ſententia, tunc intra ſex dierum ſpatium* (determinat Trid. *cap.6. citato*) *cum Epiſcopo* tertium eligant. *Et ſi in electione tertij etiam diſcordent, ad viciniorem Epiſcopum electio deuoluatur. Ex iuxta eam partem cum qua tertius conueniet, articulus in quo erat diſcordia terminetur. Alias proceſſus, & inde ſecuta nulla ſint, nulloſque producant iuris effectus.* 1681.

Igitur Doctor D. Gregorius Portillo in præfata informatione quam fecit dum eſſet Canonicus Adiunctus pro hac Eccleſia Hiſpalenſi, ſentit quod pertinet ad Epiſcopum, & Adiunctos determinare an ſit ſua iuriſdictio, iuxta Decretum Trident. non vero ad ſolum Epiſcopum, alias ſi ad ſolum Ordinarium pertineret æſtimare an ſit caſus iuriſdictionis Adiunctorum hos paruipenderet, & nunquam declararet ad Adiunctos pertinere. Secundò, quia *cap. Paſtoralis* 13. *de reſcriptis* determinatur quod ſi ſint plures iudices conſtituti, & inter ipſos ſit diſcordia, inter ipſos debet tertius nominari arbiter per quem diſcordia, & concertatio ſopiatur. Et hoc eſt quod determinat Trident. in Decreto de Adiunctis ergo non pertinet ad ſolum Ordinarium. Et quidem *cap. Paſtoralis* procedit non ſolum in iudicibus delegatis, ſed etiam in Ordinariis, vt tradunt Guido Papa *deciſ.* 138. Iulius Clarus *quæſt.* 36. §. *finali verſ. regulariter.* Remigius *tract de immunita. Eccleſiar. quæſt.* 2. Farinacius *in praxi q.* 18. *num.* 79. Martha *de iuriſdictio. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 13. 1682. 1683.

Secunda ſententia quæ mihi omnino eſt indubitata aſſerit quod in hoc caſu ad ſolum Epiſcopum vel eius Vicarium pertinet (quando eſt dubium) iudicare an cauſa pertineat ad Adiunctos. Ita fere in terminis Salgado *de retention. Bullar.* 2. *p. cap.* 4. *à num.* 29. *& cap.* 16. *à n.* 7. & ſequuntur plures recentiores de hac re conſulti. Et probatur primò, quia quando eſt dubium an aliquis ex conſuetudine immemoriali habeat iuriſdictionem ordinariam in cauſis criminalibus, aut beneficialibus, huius dubij prima inſtantia pertinet ad Ordinarium, vt expreſsè Trident. *ſeſſ* 24. *cap.* 20. & declarauit ſæpius Sacra Congregatio. Vnde Archidiaconus. Qui prætendit ſe iudicem eſſe non poteſt æſtimare an ſit ſua iuriſdictio, ſed debent præcedere tres ſententiæ conformes, & prima inſtantia debet eſſe coram Epiſcopo, & ſolus Epiſcopus eſt iudex exercens iuriſdictionem ante tres illas ſententias. Ita determinauit Congregatio *die* 11. *Martij* 1597. *&* 22. *Ianuarij* 1598. *&* 18. *Martij* 1598. & alibi ſæpè vt videre eſt apud Garciam *p.* 3. *cap.* 2. *n.* 194. *&* 195. qui affert deciſionem Rotalem in confirmationem harum Declarationum quibus ipſa nititur: ergo ſi Adiuncti volunt procedere in aliquo caſu de quo eſt dubium an ad ipſos pertineat, in prima inſtantia id debet determinare Epiſcopus an ſit ſua iuriſdictio. Id quod decidit Rota *apud Coccinum Decanum deciſ.* 346. 1684. 1685.

Secundò, quia licet Epiſcopus in ſuo proprio, & perſonali intereſſe non poſſit eſſe iudex, tamen in cauſa tangente ſuam dignitatem, Eccleſiam, aut iuriſdictionem licitè iudex eſſe poteſt, & à iure permittitur, vt latè, & eruditè probat Salgado *de retent. Bullar.* 2. *p. c.* 5. §. 1. *à n.* 11. ſecutus deciſionem curiæ Archiepiſcop. Neapol. quam refert Riccius *p.* 1 *deciſ.* 144. ex Zerol. *in praxi verb. Epiſcopus p.* 2. & aliis ibi adductis: ergo cum dubium an cauſa pertineat ad Adiunctis nec ne? non pertineat ad intereſſe perſonale Epiſcopi in quo non poteſt eſſe iudex *l.* 1. *C. ne quis in ſua cauſa.* ſed ad dignitatem, & iuriſdictionem ſuam quæ dubitabilis non eſt, neceſſario fatendum eſt ad ipſum pertinere iudicium, & nullo modo ad Adiunctos, & ſic ad ipſum remitti debet à Senatu. 1686.

Tertiò, quia quando iuriſdictio eſt qualificata, qua qualitate non exiſtente iuriſdictio euaneſcit, & iudex qui habet hanc iuriſdictionem cum limitatione præfata non poteſt cognoſcere an ſibi inſit illa qualitas, ſi negetur ineſſe. Ita Gloſſ. *cap. accuſatus verb. manifeſtè de hæreſi in* 6. ibi Barboſa *n.* 24. Moure *opuſc.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 6 *n.* 10. Peña *in Direct.* 2. *p. q.* 42. §. *vlt.* dicens eſſe veram, & communem ſententiam. Felin. *cap. ſuper litteris n.* 32. *de reſcrip.* dat doctrinam indiuiduam ad præfatam Reſolutionem. Gloſſa *cap.* 1. *de inueſtitura in maritum facta, de feudis.* Quem ſequuntur Iulius Clarus *q* 90. § *feudum n.* 7. Tuſchus *conc.* 19. *n.* 11. *littera Q.* & decidit Rota 2. *p. diuerſ. deciſ.* 210. ergo cum Adiuncti ſolum habeant iuriſdictionem (ſi habent) qualificatam, ſcilicet in criminalibus, quando ſcilicet ordinarius non procedit criminaliter contra Canonicos, vel quando eſt aliquod dubium de mero exercitio iuriſdictionis, ſed de iure ipſo omnimodo ius dicendi, Ordinarius ſolus de cuius iuriſdictione ordinaria non dubitatur determinare debet an ſit ſua iuriſdictio ſolum, an etiam Adiunctorum. Vt enim ait Rota *vbi ſupr.* qnando duo ſe fundant in vno principio iuris, vnus ſimpliciter, & alius cum qualitate, & limitatione, prior habet ſuum fundamentum immobile, ſecundus vero non habet fundamentum immobile, niſi prius probet qualitatem, in cuius probatione procedit vt pars, non vt iudex. Id quod eleganter probat Moneta *de conſeruator. c.* 6. *n.* 57. afferens quod ſecundum ius, & ſecluſo priuilegio conditiones, & qualitates iudicis conſeruatoris debent probari coram Ordinario, non coram conſernatore, quia Epiſcopus habet fundatam ſuam intentionem iuriſdictionis in iure communi, 1687. 1688. 1689.

Ad fundamenta oppoſita reſpondetur. Ad primum, quod cum Adiuncti ſint partes, ſi Epiſcopus non declaret ſecundum ius poſſunt appellare ad ſuperiorem, vt ibi reuideatur punctus, vel ſi ipſum ſuſpectum agnoſcant poſſunt recuſare, vt multis probat Salgado §. 1. *citato à num.* 22. quare cum illis ſuperſint hæc duo iuris remedia nullum eſt periculum peruerſionis. 1690.

Ad ſecundum reſpondetur. Primò, quod ibi eſt ſermo quando vnus iudex delegatus negat alterius iuriſdictionem vt notant Cancerius *tom.* 3. *variar. tit.* 10. *n.* 72. Martha *de iuriſdictio.* 2. *part. cap.* 4. *n.* 13. non autem poteſt eſſe dubium de iuriſdictione Epiſcopi quæ eſt in iure fundata, & radicata. Reſpondetur ſecundò, quod caſus Adiunctorum diuerſus eſt ab ſpecie caſus *cap. Paſtoralis*, quia quando eſt dubium an caſus ſit Adiunctorum nõdum eſt inceptum iudiciũ criminale circa 1691.

quod ſolum debent concurrere cum Ordinario, vt ait Trident. & ita ante determinationem dubij nullam prorſus habent iuriſdictionem atque illius exercitium principale eſt illis denegatum quod præſupponit poteſtatem, cum nullius poteſtatis nullum ſit exercitium, iuxta notata à Doctoribus *l. decem* 116. *de verbor. oblig.*

§. IV.

Vtrùm adiuncti poſſint per cenſuras inhibere Ordinarium vt ſine ipſis non procedat.

SVMMARIVM.

1692 *Adiuncti poſſunt inhibere Ordinarium per proteſtationem factam in tribunali Epiſcopi, & coram eius Notario.*

1694 *Prima ſententia affirmans adducitur, & comprobatur, & num. ſeqq.*

1700 *Oppoſita ſententia omnino tenenda.*

1705 *Ex fundamentorum oppoſita ſententia ſolutione validior oſtenditur noſtra Reſolutio, & num. ſeqq.*

1692. QVod adiuncti poſſint inhibere Ordinarium per proteſtationem factam in Tribunali Epiſcopi, & coram eius Notario, certum eſt omnino, vt tenet Sarauia, cum quo *q.* 5. ſuppono quod Epiſcopo nolente contra Capitulares in criminalibus procedere illius iuriſdictio non deuoluitur ad Adiunctos; tum quia ſi Adiuncti nolint procedere, non ad Epiſcopum, ſed ad Superiorem deuoluitur cauſæ cognitio, vt determinauit Congregatio *apud Farinacium cap.* 6. *citato §. contra aliquem.* Tum Secundò, quia Epiſcopus in huiuſmodi cauſis procedit tanquam Delegatus Papæ, & non ſolum tanquam Ordinarius, vt determinauit Rota *part.* 1. *diuerſ. deciſ.* 745. & ſic ſi
1693. nolit procedere poteſt ab eo appellari ad Sedem Apoſtolicam ex traditis à Cenedo *q.* 34. Tum tertiò, quia acceſſorium ſequitur principale, & ita ſi Epiſcopus qui eſt principale non vult procedere, quomodo Adiuncti qui ſunt acceſſorium procedant? *l. finali §. cum mihi de verbor. obligatio. & l. nam cum* 12. *D. de ſtipulat. ſeruor.* Ita Barboſa *allegat.* 73. *num.* 9.

1694. Hoc ſuppoſito prima ſententia affirmat. *vbi ſup.* Dominus Gregorius Portillo *art.* 3. *à num.* 43. vbi plura coarceruat minus congruentia intento. Probatur primò, quia vt notant DD. *c. quia quæſ. de poteſtat. iud. delegati.* vbi Barboſa *à n.* 7. quando aliqui ſunt conſtituti coniudices cum clauſula *quod ſi nõ omnes*, poteſt vnus alterum coërcere ne impediat *diſtrictione Eccleſiaſtica*, vt ait Pontifex Alexander III. *ibi*, cui enim conceditur iuriſdictio conceditur poteſtas coërcendi impedientes, & ſi fuerit iudex Eccleſiaſticus id poterit per excommunicationem maiorem, & cæteras cenſu-
1695. ras Eccleſiaſticas *cap. ex litteris cap. ſanè el ſegundo cap. ſignificaſti.* Gloſſa *cap. Paſtoralis §. vltim. verb. puniat, de poteſtat. indic. delegati*, & eſt ita certum, vt de hoc non liceat diſputare vt tenet Couarruu. *cap. alma part.* 1. §. 11. *num.* 1. & *p.* 2. §. 2. *num* 7. atqui Adiuncti ſunt coniudices Epiſcopo cum clauſula *quod ſi non omnes*, vt conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. ergo per cenſuras poſſunt inhibere Ordinarium vt non ſine ipſis procedat.

Secundò probatur ex Sarauia *quæſt.* 32. *num.* 16. & 17. Quia licet quando duo æquè conſtituti iudices non poſſit vnus alium inhibere, & coërcere vt ſe non inhibeat, quia par in parem non habet imperium *cap. innotuit de electio. l. ille à quo §. tempeſtiuum D. ad Trebellia. l.* 4. *D. de Arbitris*; tamen quando iudici conſtituto datur adiunctus, iſte poteſt procedere ſine eo. Vnde poteſt illum inhibere, vt eſt ſtylus inter Cardinales receptus. Qui ſtylus, etſi non obſeruetur inter Epiſcopum, & Adiunctos (qui dantur Epiſcopo iudici conſtituto) tamen de iure poſſunt id facere, vt tenent Staphileus *de ſignatura iuſtitiæ cap.* 23. *pag.* 332. *in paruis.* Mandoſius *de inhibitione q.* 6. *n.* 2. Theſaurus *deciſ.* 255. *num.* 7. 1696.

Tertiò, ex Bartholo *l.* 2. *n.* 2. quod quando alicui datur iuriſdictio cenſentur illi conceſſa omnia remedia neceſſaria ad exercitium, effectum, & expeditionem iuriſdictionis, quantumuis maiora, etiam ſi coërcitionem perſonæ habeant: ergo cum Adiuncti habeant iuriſdictionem ordinariam poſſunt per cenſuras, & alias pœnas inhibere Ordinarium vt non ſine ipſis in criminalibus contra Capitulares procedat, aliàs illuſorium eſſet eorum iudicium, & nihil illis conceſſiſſet Concilium. Et cui conceditur principale, conceditur acceſſorium, ſine quo non poteſt ſtare principale vt ex multis probat Barboſ. *axio.* 4. *n.* 9. 1697. 1698.

Quartò, quod licet inhibitio per cenſuras, & alias mulctas ſit actus Superioris reſpectu inferioris, vt eſt omnino indubitatum, *ex l. nam Magiſtratus de iuriſdict.* & Cochier *in vindicia libertatis Eccleſ. cap.* 27. *num.* 13. tamen regula iſta intelligitur quando inhibitio fit vt iudex inferior non procedat, ſed prorſus remittat ad Superiorem. Cæterum Adiuncti non inhibent Ordinarium vt non procedat, & remittat, ſed ne ſine ipſis procedat. Quod poſſunt facere, etiam ſi non ſint Superiores. Tradunt Lancellotus *de attentatis cap.* 20. *num.* 96. Cochier *num.* 15. anima enim inhibitionis eſt iuriſdictio ſine qua inhibitio iuſta eſſe non poteſt, vt probant Lancellotus *num.* 22. Salgado *de protectio. reg. part.* 2. *cap.* 20. *num.* 90.

Quintò, quia licet excommunicatio maior iuxta doctrinam Innocentij *in cap. tranſmiſſam in fine de electio.* recept. communiter ab omnibus ſecundum Menochium. *de arbitr. caſu* 438. *num.* 32. Dueñas *reg.* 272. ſit meri imperij cum inducat mortem animæ, & æquiparetur relegationi, ſiue deportationi, atque ita mandata ſimpliciter iuriſdictione non veniunt ea quæ ſunt meri Imperij, *vt ex l. vltima D. de Officio* eius notant Zeuallos *quæſt.* 632. *num.* 6. Felinus *cap.* 1. *de officio iud. delegat. num.* 16. *verſ. quinto.* Menoch. *vbi ſuprà num.* 16. Vnde Adiuncti non poſſunt excommunicare Ordinarium, quia hoc illis conceſſum non eſt in ſua iuriſdictione; hæc inquam doctrina non obſtat iuriſdictioni Adiunctorum, quia vt ex multis aduertit Barboſa *vbi ſup. n.* 15. excommunicatio maior non pertinet ad merum Imperium, ſed ad mixtum. Ita Velaſcus *ad l. Imperium D. de iuriſdic. omn. iudic.* 1699.

Sed nihilominus oppoſita ſententia omnino tenenda eſt, quam ſecutus eſt Senatus Hiſpalenſ. Et mihi ita certa eſt, vt prima ſententia omnino ſit hucuſque inaudita à tempore Concil. Trident. neque aliquando fuit dubitatũ, quia omnes quotquot ſcripſerunt, & iudicarunt vt certum ſupponunt eſſe contra omne ius quod Adiuncti dati Epiſcopo poſſint ipſum excõmunicare nominatim ponẽdo in tabella Eccleſię vt inde excõmunicatus publicetur. 1700.

publicetur. Et cuius capitis, etsi magni capilli non horrescunt quod Episcopus, vel eius Vicarius publicè à Canonicis suæ Ecclesiæ excommunicetur? vnde Sarauia *q.* 32. dicit quod quãuis Adiunctus possit inhibere Coadiuncto, hic tamẽ stylus nõ obseruatur inter Episcopum, & Adiunctos.

1701. Probatur primò, ex doctrina indubitata quam supra ex Sarauia posuimus, & tenet Armendar *ad l. Nauarra l. 7. de Episcopis n. 89.* & decisum à Cardinalibus refert Barbosa *ad cap. 6. n. 16.* Quod nolente Episcopo cognoscere in criminalibus, eius iurisdictio non deuoluitur ad adiunctos, sed ad superiorem: ergo cum iurisdictio Adiunctorum, qualis qualis fuerit, sit omnino fundata, & subordinata iurisdictioni Episcopi, ipsum illi non possunt inhibere, & censuras fulminare, vt non sine ipsis procedat, sed ad Superiorem debent recurrere.

Secundò, quia Capitulum, & Episcopus vnum corpus constituunt, cuius caput est Episcopus, vt

1702. notat Petrus Gregorius *in cap. conquirente de officio ordin. cap. 11. n. 16. ex cap. nouit. 4. de his quæ fiunt à Prælatis*, vbi id expressit Alexander III. & Glossa ibi notat quod non decet membrum à capite recedere, neque è conuerso, tamen à capite fit influxus in membra, & ista sine illo emortua manent; atque ita cum adiuncti sint loco Capituli cuius est caput Episcopus, prorsus est contra omne ius, & rationem quod possint excommunicare Episcopum, sicut quod membra insurgant in caput suum.

1703. Tertiò, quia nullus Author vsque hodie dixit quod in specie Adiunctorum qui dantur Episcopo ex Trident. adiuncti isti habent iurisdictionem, & merum imperium contra suum Superiorem. Vnde inhibitio per censuras prorsus est exorbitans, rationi, & iuri dissonans, argum. *ex cap. cum inferior de maiorit. & obedient. cap. esto subditus 95. dist.* Et quidem in nullo casu Concilium agnouit adiunctos esse Superiores ad Episcopum suum; inhibitio aurem per censuras siue sit quod iudex non procedat, sed remittat; siue sit vt non procedat solus sed cum Adiunctis manifestè est actus Superioris, nam non est actus æqualis vt de se constat; inferior autem vt inferior excommunicare non potest: hoc enim solus Superior potest, sicut solus Superior potest præcipere, & in contumacem, & inobedientem fulminat censuram.

1704. Tum insuper id constat manifestè ad hominem contra Portillo, quia anima inhibitionis est iurisdictio respectu illius qui inhibetur, sine qua omnis inhibitio nulla est, mortua, & inanis; atqui iurisdictio est semper in Superiore qui talis est respectu illorum in quos habet iurisdictionem. Quare siue inhibitio sit ne iudex procedat, & remittat, siue vt non procedat solus, semper debet manare à Superiore. Tum etiam quia excommunicatio siue sit actus meri imperij, siue mixti semper est actus Superioritatis *l. vlt. D. de officio eius*; Imperium enim siue merum, siue mixtum superioritatem imbibit necessario, aliàs imperium non erit.

1705. Ex fundamentorum oppositæ sententiæ solutione validior euadet nostra Resolutio. Ad primum respondetur continere veram doctrinam in Adiunctos habentibus iurisdictionem ex delegatione, & commissione, in qua datur illis potestas inhibendi, &c. iste enim adiunctus est æqualis cum altero, & ex præsentata commissione habet vt recipiat iurisdictionem æqualem *c. 2. de appellat.* vt notant Staphileus *de litteris inst. fol. 129. n. 1. & fol. 131. n. 11.* Lancellotus *cap. 20. cit. n. 52.* Mandosus, & Thesaurus citati. Moneta *de conseruator. cap. 6. n. 46.* Gratianus *disceptat. cap. 100. n. 39.* at Adiuncti dati Episcopo à Concilio non 1706.
sunt ex commissione, nec habent propriam iurisdictionem, sed solum impropriam, & subordinatam Episcopo, & solum deputantur à Capitulo, vt assistant, & interueniant consilio, & consensu suo; hos enim actus solum possunt exercere ex potestate sibi tradita à Concilio: si enim Adiuncti isti potestatem, & æqualem iurisdictionem haberent cum Episcopo, dubio procul isto nolente eius iurisdictio accresceret illis *cap. Religiosus §. sane de testam. in 6.* & latè probat Carpio *de executor. testam. lib. 3. num. 5. & 9.* quod est contra omne ius Trident.

Ad secundum respondetur eodem modo, quia 1707.
illa doctrina tenet verum quando est Adiunctus ex commissione cum potestate inhibendi. Quod non tenet in Adiunctis Trident. datis Episcopo.

Ad tertium respondetur. Primò, negando quod Adiunctis detur vera, & propria iurisdictio vt latè probaui §. 3. Respondetur secundò, quod est iurisdictio subordinata iurisdictioni Episcopi. Quare sine huius exercitio illa exerceri non valet; si enim Episcopus qui habet iurisdictionem 1708.
ordinariam se non exerceat iudicando, nullam iurisdictionem habet Adiunctus. Quare hũius exercitium excitari debet ab Episcopo, & isto nolente non possunt in illum insurgere Adiuncti per censuras, sed solum protestando.

Ad quartum iam patet manifestè quam friuola sit illa distinctio duplicis inhibitionis; vtraque enim necessario prouenit à Superiore iurisdictionem habente, si enim Superior non est non habet iurisdictionem, & si istam habet necessario superior est. Et sic respondetur ad quintum, quia 1709.
quamuis gratis concedamus excommunicationem maiorem esse mixti imperij, semper tamen est actus Superioris. Dicere autem quod Adiuncti sine Episcopo, eius Notario, & Promotore Fiscali ab eo designato possunt constituere Tribunal superius ad ipsum Episcopum omnino absurdum est, & contra mentem Concilij.

§. V.

Qui secundum ius Tridentini gaudeant remedio Adiunctorum.

SVMMARIVM.

1710 *Adiunctorum remedio quinam gaudeant secundum ius Trident. Sex dictis declaratur. n. 1712. 1715. 1721. 1727. 1731. 1736.*

LOquitur secundum ius scriptum Trid. quod 1710.
primo instituit hoc remedium, non vero secundum consuetudines legitimas particularium Ecclesiarum quæ obseruari debent, nam consuetudo ista habet vim priuilegij *cap. nouit. de iudiciis cap. super quibusdam §. præterea* vbi Glossa *verbo non extat de verb. signif.* quam sequuntur Perez *l. 1. Glossa 1 tit. 6. lib. 3. ordinam. pag. mihi 137.* & alij quos citat Barbosa *ad cap. nouit. citatum n. 8.* Glos. celebris *verbo consuetudo cap. conqueſtus 9. q. 3.* Natta *consilio. 640. num. 34. lib. 3.* Molina *de primogeniis cap. 7. num. 3.* Couarruias *lib. 1. variar. cap. 17. num. 6.*

Igitur de pluribus est difficultas an gaudeant remedio

remedio Tridentino de Adiunctis. Primò, an dignitates non Capitulares. Secundò, de Canonicis qui habent animarum curam ſuis Canonicatibus annexam. Tertiò, de Portionariis integris, ſiue de mediis. Quartò, de Canonicis alterius Diœceſis delinquentibus in aliena. Quintò, de Coadiutoribus. Sextò, an ſi totum Capitulum delinquat poſſit ſine Adiunctis procedere Epiſcopus.

1712. Et dico primò, dignitates non Capitulares gaudent hoc Adiunctorum remedio. Ita Barboſa *in Collect. ad cap. 6. cit. n.51.* Sarauia *q.21.* conſtat ex Trid. ibi *verſ. qui vero.* vbi dicit, qui vero non obtinent dignitates, nec ſunt de Capitulo, hi omnes Epiſcopo ſubiiciantur: ergo dignitates gaudent priuilegio Adiunctorum. Probatur conſequentia, quia particula *ſi vero* ponit exceptionem regulæ, cum ſit aduerſatiua vt in ſpecie huius caſus latè probat Cardinalis Mantica *deciſ. 207. n.8.* loquens de dignitatibus non Capitularibus Eccleſiæ Conchenſis. Et quidem valde indecens eſſet quod Capitularis Canonicus prærogatiua Adiunctorum gauderet, & non dignitates

1713. eiuſdem Eccleſiæ quæ maioribus fulgent honoribus, & Eccleſiaſticam diſciplinam conſeruant, & augent ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12.* Quare Sacra Congregatio ita declarauit apud Bellarminum *in Declaration. cap.6. citat.* Sic enim loquitur: *Cenſuit Sacra Congregatio hoc Decretum præſeruare nedum dignitates quæ habent adminiſtrationem cum iuriſdictione, ſed etiam illas dignitates quæ pro talibus habentur in Eccleſia, quam ſententiam ad ſe relatam Sanctiſſimus approbauit die 22. Auguſt.* 1646. Hæc ibi quæ confirmat *in additio. n.13.*

1714. Neque obſtat quod Trident. *cap.6. ſeſſ. 25. de reformat ſe referat. ad cap.4. ſeſſ. 6.* & in hoc ſolum agat de modo procedendi contra Capitulares; nomine autem Capitularium ſolum veniunt Canonici, vt ex Panormitano *cap. cum olim n.7. & 8. de re iudicata.* Felino *in proœmio Decretal. num 16.* declarauit Rota *decis.411. num.6. part.1. diuerſ. & in alia apud Farinacium in Recollectis deciſ. 658.* Nam reſpondetur quod etſi ſtrictiori ſignificatione ita ſit, tamen Sacra Congregatio extendit ad dignitates, & Concilium Trid. explicuit, & ampliauit priuilegium ad dignitates, vt conſtat ex verbis citatis cap.6.

1715. Dico ſecundò, Canonici curati, ſeclusis priuilegiis, de iure Trident. ita ſunt ſubditi Epiſcopo vt non gaudeant prærogatiua Adiunctorum in his qui delinquunt in ſui Officij adminiſtratione quantum attinet ad animarum curam. Ita Gratianus *diſceptatio. 298. n.48.* Farinacius *tom.2. deciſ 276.* Antonius de Præt. *in clypeo paſtor. cap.3. n.41.* Sarauia *q.32. n.9.* qui probat *ex cap. cum capella 16. de priuil.* quod Trid. innouauit *ſeſſ. 24. cap. 11.* quia etſi exemptio ibi data fuit ratione Eccleſiæ quæ loco circunſcribitur, extra illum non diuagatur, at Canonicorum exemptio non circunſcribitur loco, & ita vbicumque delinquant exempti ſunt, quia non eximuntur ratione loci, vt conſiderauit Butrius *cap. tuarum n.19. verſ. in prædicta de priuileg.* Socinus *cap. recepimus num.4. eodem.* Rota *in vna Salmantina iuris viſitandi die 14. Ianuar. 1583. coram Cantucero,* tamen ibi §. *quocirca* expreſsè dicit Pontifex quod licet Canonici Capellæ Ducis Burguntiæ ſint exempti quatenus Canonici illius, tamen ſunt ſubditi Epiſcopi ratione Parochialium Eccleſiarum, vt dicit textus.

Secundo probatur manifeſtè ex doctrina Rotæ 1716.
apud Seraphinum in vna Burgenſi deciſ.1058.n.4. loquentis de Canonico exempto à iuriſdictione Archiepiſcopi, vbi ita eſt: *Quotieſcumque ſuperuenit aliqua qualitas non impedit quominus reſpectu alterius qualitatis non ſit ſeruandum ius de ea ſpecialiter diſponens. Quod apertè colligitur ex decreto Concil. ſeſſ. 25. c.11. de regular. vbi habetur quod ſi Regularis præeſt curæ animarum, ſubeſt iuriſdictioni Ordinarij. Quod in pluribus cauſis, non obſtantibus pluribus exemptionibus reſolutum fuit in vna Carthagin iuriſdic. 19. Octob. 1579. coram Lancelloto & in Salmant. exemptio 25. Iunij 1591. coram Peña* videndus Cardin. Bellarmin. *ad c.11. ſeſſ.24. in additio num.4.*

Et ratio eſt euidens, *quia eadem* perſona diuerſo iure cenſeri poteſt vbi duplicem gerit perſonam. *cap. cum olim de re iudic. cap. ex litteris de probatio l. ſi conſul. de adoption. Præualere itaque debet qualitas illa officij propter quam Canonicus efficitur ſubditus ſolius Epiſcopi, neque tunc vti Canonicus, ſed vti curam habens animarum, vel eius adminiſtrationem iudicari debet. Facultas itaque, & priuilegium exemptionis tributum Capitulo vna cum Epiſcopo de delictis Canonicorum cognoſcendi ſtrictè interpretari debet, vt non comprehendat caſus in quibus qualitas ſuperueniens facit ceſſare reſpectum qualitatis cuius intuitu conceſſum eſt priuilegium. Et hoc adeo verum eſt vt hac ratione Epiſcopi, & Prælati ſi ſint de aliquo Collegio ſortiantur locum, non ſecundum dignitatem Epiſcopatus, ſed ſecundum antiquitatẽ dignitatis Collegialis,* &c. Hæc fere ibi. Vnde fit quod ſi quis contra- 1717.
hat ſub vna qualitate expreſſa tanquã talis cenſetur contrahere, & non tanquam alterius qualitatis quam habet. Ita Abbas *conſil. 115. lib.2.* Romanus *conſ.88.* Alciatus *conſil.3. n.14. lib 2.* Ægidius *deciſ.423.* Tiraquell. *de retractu §.10. gloſſ.1. n.4.* 1718.

Ex quibus infertur quod Canonicus curam animarum exercens etiam in Parochialibus Religionis Hieroſolymitanæ poteſt cogi à ſolo Epiſcopo (etſi non veniat punire) vt accedat ad Congregationes quæ iuſſu Epiſcopi habentur ad caſus conſcientiæ diſſerendos. Ita Sell. *in ſelect. Canon. c.11. n.17.* poteſt etiam cogere ſolus Epiſcopus ſine Adiunctis quod Canonicus curatus quibuſdam anni temporibus per ſe, vel per alium, populum ſibi cõmiſſum paſcat ſalutaribus verbis Trid. *ſeſſ.25. cap.2. de reform. verſ. id vero* Poteſt autem cogere venire ad Concil. Synod. *ſeſſ.24. c.2. verſ. Synodi quoque.* Et declarauit Sacra Congregatio *ex cap. quod ſuper de maioritate, & obedientia.* Tertiò, ratione viſitationis Canonicus curatus ſubditur ſoli Epiſcopo, *eadem ſeſſ.c.9.* quia tunc procedit tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, quare poteſt illum punire ſine Adiunctis, ſi deliquerit in adminiſtratione Sacramentorum, &c. 1719. 1720.

Dico tertiò, portionarij ſiue dimidij ſint, ſiue integri de iure Trid. nullo modo gaudent priuilegio Adiunctorum. Hoc mihi indubitatum eſt, & ſequuntur Gonzalez *ad reg.8. gloſſa 45. n.45.* Gratianus *tom. 5. diſceptat. 892. num. 27. & 28.* Farinacius *tom.1. deciſ. 296. & tom. 2. deciſ.297.* Garcia *de Benef. p.11. c.5. n.208. & 209.* Sarauia *q.23.* Riccius *p.4 Collect deciſ.751.* Rota apud Cardin. Manticam *dec.180.* Graſſis *dec.411. p.1. diuerſo* etiamſi portionarij de conſuetudine, aut Priuilegio Apoſtolico, vel Eccleſiæ ſtatuto habeant vocem in Capitulo, vt teſte Armendariz *ad leg. Nauarræ l.7. de Epiſcop. n.91.* declarauit Sacra Con- 1721.

gregatio

gregatio *die 22. Iunij 1593.* sic loquens. *Non ex eo quod portionarij integri, & dimidij habeant vocem in capitulo illos esse Capitulares, sed tunc inter Capitulares censeri debere, cum ex Apostolico Priuilegio, vel ex consuetudine, aut Ecclesiæ statuto inter Capitulares connumerantur; ideo si ipsi talibus facultatibus non potiantur, Episcopus poterit contra illos non cum Adiunctis solus procedere.* Hæc Congreg.

1722. Quibus verbis Eminentissimi Patres varias Rotæ Decisiones, & D D. sententias quæ inter sese videntur oppositæ conciliarunt, nam Rota *decis.411. num.5. part. 1. diuerso.* quam sequitur Massobr. *in Prax.habend. concur. Prælud.21.n.13.* dicit quod Episcopus solus non potest procedere sine Adiunctis. Rota tamen *decis.9.part.1 diuers.* dicit posse procedere; nam prima decisio procedit quando ex eo quod habet vocem in capitulo admittitur vt capitularis. Vnde Portionarius Capitularis potest eligi adiunctus, vt determinauit Rota *decis.* 708. *coram D. Andrea. die 1. Iunij*

1723. *1615. num.2. part.2. apud Farinac.* Secunda vero procedit si Portionarius habeat vocem in Capitulo ad alienationes, & lites dumtaxat, non tamen est Capitularis simpliciter ad omnes actus Capitulares, & colligitur ex *decis.640.coram Manzanedo, apud Farinac.ibidem*, & determinauit expresse Rota *decis.*708 *citat.n.5.*

Probatur conclusio. Quia Trid.*c.6.citat. vers. Qui vero*: dicit: *Qui verò non obtinent Dignitates, nec sunt de capitulo ij omnes in causis Ecclesiasticis Episcopo subiiciantur.* Atqui de iure communi Portionarij etiam integri non sunt de Capitulo: ergo Episcopo subiiciuntur sine Adiunctis: Minor probatur à Rota *decis.*708.*cit.num.2.* ibi, *De*

1724. *iure communi soli Canonici, & non portionarij constituunt Capitulum iuxta doctrinam Compostellani in cap.1.num.4.vers.Nunquid Portionarij. de electio. vbi dicit Romanam Curiam ita seruare, quam opinionem Doctores communiter sequuntur, & Rota sæpius approbauit, vt in decis. Verall. 84. part.1.& in Hispalen.præeminent.4.Iunij 1612.coram R.D.meo Pamphilio*, (hodie Innocentio X.) *& in aliis plurimis. Illa tamen communiter limitatur, vbi statuto, vel consuetudine aliter decretum est, scilicet Portionarios esse de Capitulo, &c.*

1725. Quod in Ecclesia Hispalensi manifeste probat Rota *decis.cit.* quæ est 416. *per totam.apud Farin. tom.1.* dicens quod licet Portionarij etiam integri Ecclesiæ Hispalensis admittantur in Capitulo, & in eo habeant vocem, non tamen sunt de Capitulo, præsertim cum adsint plures actus in quibus non habent vocem, vt in electione Prælati,& Canonicatuum ex oppositione, in administratione Archiepiscopatus Sede vacante, nec subscribunt actus Capitulares. Vnde non possunt esse nominati Adiuncti Archiepiscopo.

1726. Ex quo manifeste fit qudd si aliqua Ecclesia prætendat Portionarios gaudere prærogatiua Adiunctorum ex concordia, consuetudine, aut statuto, si hoc non sit notorium, & obseruantia confirmatum quæ est dispositionis fidelis interpres *l.si interpretatione. D. de legib.c.Cum dilectus §.dictus de consuetudin. C.certificari.de Sepulturis.* sed de eo sit dubium, debet probari coram ordinario, ad quem omnes causæ pertinent strictissimo iure in prima instantia, vt constat ex Tridentinum *sess. 24. cap. 20.* & late probat Tractatus de primis instantiis Ioannis Baptistæ Pozæ, qui intitulatur *Votum Platonis.*

Dico quartò, probabilius mihi videtur quod 1727.
Canonicus crimen committens in aliena Diœcesi est subiectus ordinario sine Adiunctis. Hanc conclusionem latissime probat Sarauia *quæst.22.* cuius plura fundamenta solida non sunt apud me. Probatur tamen, quia de iure communi non habent Canonici prærogatiuam Adiunctorum cum Episcopo, sed solum ex decreto Tridentini, hoc autem solum illud concessit respectu proprij Episcopi, vt constat *ex cap.6.cit.* à quo illos exemit dumtaxat: ergo alienus Episcopus si in sua Diœcesi Canonicus alterius deliquerit illum potest punire sine Adiunctis; etsi enim hoc adiunctorum priuilegium sit respectu personæ Canonicorum, tamen non absolute consideratæ, sed prout in sua Ecclesia, argum. *ex cap. Cum Capella. de Priuileg.*

Dixi id dumtaxat esse probabilius, quia contra- 1728.
rium non est improbabile. Probatur, quia Concilium Trident. exemit Canonicos Ecclesiæ exemptæ à iurisdictione solius Episcopi: ergo vbique locorum Canonici sunt exempti à iurisdictione Episcopi. Consequentia probatur *ex cap. per exemptionem de priuileg. in 6.* vbi Bonifacius VIII. ponit discrimē inter exemptionem ratione Ecclesiæ, & inter exemptionem Canonicorum Ecclesiæ, quod prior loco circunscribitur *c.cum Capella de priuil.* Seraphinus *dec.*1058. *n.1.* posterior vero non circunscribitur loco, sed sequitur personam, vbicumque fuerit, vt constat in Religiosis qui vbique locorum exempti sunt à iurisdictione Ordinarij, quia eximuntur ratione Religionis.

Secundò, probatur ex Antonio de Butrio. 1729.
cap. Tuarum. num. 19. vers. in prædicta concluf. de Priuileg. dicente quod quando persona ratione loci vbicumque delinquat exemptas est, aliàs priuilegium redderetur inane. *l.3. C. vbi senatus* Zozinus *cop. cum Capella. num. 8. de Capellis Monachor.* vnde Zerola *in praxi verb. exempti part.2. §. Sextò*, dixit quod sub collector si delinquat in alia Diœcesi diuersa ab alia in qua est, Sub collector gaudet priuilegio suæ exemptionis, quia est priuilegium non loci sed officij. Et sic practicauit Illustrissimus Iacobus Aldobrandinus Nuntius Apostolicus in Regno Neapolitano *anno. 1596.* (quia quamuis Moysius Riccius *decis.* 178. *part.1.* dicat contrarium hodie practicari, non probat hoc non esse valde probabile) cum ergo priuilegium Adiunctorum sit con- 1730.
cessum ratione Canoniæ, vbicumque illo gaudent Canonici. Et quidem dubio procul hoc cedit in maximum honorem omnium Ecclesiarum vt in punitione suorum Capitularium decretum Tridentinum obseruetur, & priuilegium hoc Adiunctorum vbique locorum extendatur.

Dico quintò, probabilius est quod ex iure Concilij Tridentini coadiutores Canonicorum, & dignitatum non gaudeant prærogatiua Adiunctorum. Ita Sarauia. *quæst.29.* Garcia *4. part. cap.5. dub.12. à num. 91.* licet ibi adducat minus 1731.
conuenientem distinctionem. sequitur Barbosa *in Collectan. ad præfat. cap. 6 num.29. & de potestat. Episcop. allegat.73. num.11.* addens cum Garcia *num. 96.* id verum tenere secundum clausulam ordinariam quod coadiutor habeat omnes, & singulas prærogatiuas, præeminentias, & honores Coadiuti, quæ intelliguntur circa seruitium Ecclesiæ. Probatur conclusio. Primò, quia

intentum Trident. *seſſ.6. cap.4. & seſſ.25. cap.6.* fuit illæſam ſemper conſeruare iuriſdictionem Epiſcopi vt legenti conſtabit, & optimè probat Sarauia *quæſt.2. à num.7.* quod non compatitur ſi Decretum de Adiunctis ad coadiutores non Capitulares extenderetur.

1732. Secundò, quia coadiutoria noneſt Beneficium vt declarauit Paulus V. vt citat Suarez *de Hor. Canon. lib.4. cap.22. num.* 19. & ſequitur Palao *tract. 1. diſput.2. punct.1.§.2. num.7.* quare ex vi Coadiutoriæ non tenetur recitare officium diuinum vt ſequitur Diana *part.5. tract.* 13. *reſol.75.* Nauarrus *cap. ſi quando prælud. 5. num.*10. *de Reſcrip.* & plures quos citat, & ſequitur Sarauia *quæſt.* 29. *num.*4. vnde Coadiutores ſunt Canonici in herbis vtpote habentes ſolum ius ad rem, & ſic non ſunt veri Canonici, vt pluribus probat Maſtrillus *deciſ.* 130. *num.*29 Rota *part.*1.

1733. *apud Farinac. deciſ* 456. *in vna Hiſpalenſ. coram Damaſceno anno.* 1613. & *in alia Salmant. Coadiutor coram Peña anno* 1593. & declarauit Sacra Rituum Congregatio *in cauſa Conimbr. die* 16. *Septembr. anno* 1606. ergo non gaudent priuilegio Adiunctorum. In cuius confirmationem plura alia accumulat Sarauia quæ omitto quia non ſunt ita veritati conformia, & hodie non ſubſiſtunt.

Addit Barboſa quod ſi ex forma Coadiutoriæ conceduntur Coadiutori omnia priuilegia quæ habent Canonici non poteſt Epiſcopus procedere ſine Adiunctis contra Coadiutores & ſic refert deciſum Sell. *in ſelect.cap.*31. *num.*3. *in Bar-*

1734. *baſtren. die.* 9. *Nouembr.* 1630. hoc enim Adiunctorum decretum eſt priuilegium Canonicis à Tridentino conceſſum.

Dixi probabilius, quia mihi valde probabile eſt Coadiutores ex forma ordinaria gaudere præ-

1735. rogatiua Adiunctorum. Moueor primò, quia coadiutor quamuis nomine Coadiuti eſt capitularis habens vocem in capitulo in omnibus actibus Capitularibus, poteſtque eligi in Adiunctum, gauderque omnibus prærogatiuis quibus coadiutus gauderet ſi eſſet in Capitulo & habet ius ad Canonicatum: ergo vere gaudet prærogatiua Adiunctorum. Nec video cur Coadiutores pares ſint Coadiutis in oneribus, in omnibus honoribus, & oneribus, & non in prærogatiua Adiunctorum. Sicut enim Capitulum ante Trident. poterat in Coadiutores, Adiuncti qui ſunt loco Capituli concurrere debent cum Epiſcopo in criminalibus in illorum cauſis.

1736. Dico ſextò. Si totum Capitulum crimen committat, nullo Canonico excepto, ſolus Epiſcopus ſine Adiunctis procedit contra illud, ſiue totum Capitulum delinquat committendo, vel omittendo, ſiue ratum habendo, vt notat Tuſchus *littera V. concl.*349. Magonius *deciſ. Lucenſ.* 72. concluſionem defendunt Barboſa *de Canonicis, & dignit. cap.*28. *num.*23. Sarauia *quæſt.6.* & determinauit Rota *apud Seraphinum. deciſ.*1050. declarauit Sacra Concilij Congregatio apud Bellarm. *in Declaration.* & apud Barboſam *ibi in Col-*

1737. *lectan. num.*21. ſic enim dicit Sacra Congregatio *Facultas procedendi pertinet ad Epiſcopum etiam ſine Adiunctis, quando totum Capitulum deliquit modo delictum non ſit in perſonam Epiſcopi, vel in contemptum eius, vel vbi Epiſcopus habeat intereſſe; tunc enim ea facultas procedendi deuoluitur ad proximum Superiorem.* Hæc ibi, quæ eſt doctrina Gloſſæ *in cap. irrefragabili §. cæterum. verſ. ſuper hoc de officio ordinar.* quam amplectitur Bellarminus *in obſeruationibus doctrinæ.§. an ad Epiſcopum.*

Ratio eſt, quia Concilium non loquitur quando totum Capitulum deliquit, ſed quando aliqui ex Capitularibus. Quare caſus iſte manet ſub diſpoſitione iuris communis, vt determinauit Rota *part.*3 *diuerſo. deciſ.*618. quod ſi non omnes de Capitulo deliquerint, ſed vel vnus innocens perſeueret, iſte ipſo iure eſt adiunctus Epiſcopo ad procedendum. Ita Rota Seraphin. *citata. num.*4. & 5. quia ius Collegij coſeruatur in vno *l. ſicut municipij. D. quod quiſque iuris. cap. ſi forte.* 36. *diſt.* & eſt indubitatum. Quod ego intelligo ſi Capitulum initio anni nominauit Adiunctos, nam ſi ipſos non nominauit præmiſſa monitione Epiſcopi, ipſe ſolus procedet, quia iam Capitulum amiſit ius nominandi, & ſic totum Capitulum deliquit vno vel altero excepto iſte non poteſt eſſe Adiunctus, quia ius Capituli vtpote amiſſum non poteſt in illo conſeruari. Sic declarauit Sacra Concilij congregatio apud Piaſecium *in Praxi p.2.n.9.* 1738.

§. V.

An Canonicus per collationem ante poſſeſſionem gaudeat ex iure Tridentini prærogatiua Adiunctorum.

SVMMARIVM.

1739 *Affirmatiua ſententia ponitur, & quibus fundamentis nitatur, & n. ſeqq.*

1743 *Sententia Auctoris; Quod iure Tridentini Canonicus poſt collationem ante poſſeſſionem validam, nullo modo gaudet priuilegio Adiunctorum, ſed Ordinarius ſolus poteſt procedere contra illum, ac ſi non eſſet illi collatum beneficium. Probatur ibid. & n. ſeqq.*

1749 *Reſpondetur ad oppoſita fundamenta.*

AFfirmatiuam toto conatu defendit D. Gregorius Portillo Doctoralis Hiſpalenſis Eccleſiæ, vir quidem omni eruditione conſpicuus *in allegat. cit. ex num.* 22. Probatur primò. Quia per collationem acquiritur integrum ius in re beneficij, vt eſt in iure indubitatum *cap. Cum qui.7. & cap. ſi clericus* 11. *de Præbend. in* 6. & expreſſius *cap. ſi tibi abſenti eodem. & cap. vltimo de conceſſio Præbend in* 6. & tenent Rebuffus *in Praxi ſup. reg. de iure quæſito. Gloſſa* 6. *n.*38. Couarruu. *lib.3. var. cap.16. num.*3. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloſſ.*15. §. 1. *n.*15. & 33. Barboſa *ad cap. citatum ſi tibi abſenti. n.* 4. Petrus Barboſa *2.p. D. ſolut. matr. n.*83. qui cum multis quos afferunt docent quod in ſpiritualibus ex ſolo titulo abſque traditione, & poſſeſſione plenum, & perfectum ius transfertur. Quod non eſſet verum ſi Canonico ante poſſeſſionem deficeret priuilegium Adiunctorum. Cu- 1740.
ius ratio eſt, quia in beneficialibus poſſeſſio, & traditio non tribuit ius aliquod ad Beneficium, ſed totum adæquate, & perfecte habetur ex collatione; vnde ſi reſignans poſt reſignationem factam fiat Officialis Papæ, & moriatur, tale Beneficium non dicitur affectum, & vacans poſt mortem reſignantis, etiam ſi moriatur ante poſſeſſionem, vt tenent Gonzalez, Couarruuias

vbi

vbi suprà. & multis citatis tenet Nicolaus Garcia 4 *part. c. 2. à num.* 2 & est certum in iure.

1741. Secundò, quia clericus minorum ordinum si habeat Beneficium collatum ante possessionem gaudet priuilegio fori, & est exemptus à iurisdictione Laica, vt tenent Romanus *consil.* 350. *num.* 17. Zabarela *Clement. vt ij qui num.* 23. *de ætate, & qualitate.* Couarruu. *lib.* 3. *variar. cap.* 16. Cenedo *Canonic. quæst.* 4. *à num.* 22. affirmans esse ita in praxi seruandum. Et cum Parisio de Resign. *lib.* 7. *quæst.* 1. *num.* 47. refert ita declarasse Congreg. Trident. *die.* 16. *Iulij.* 1587. sequuntur Bonacina *disput.* 10. *de legib. quæst.* 2. *punct.* 1. § 4. *num.* 12. *& de censur. disp.* 1. *quæst.* 16. *sect.* 1. *punct.* 6. *num.* 14. Diana *part.* 1. *tract.* 3. *resolut.* 29. Franciscus Leo *in Thesauro part.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. Aloysius Riccius *decis.* 388. *& in* 2. *decis.* 327. ergo multo magis Canonicus post collationem ante possessionem erit exemptus à iurisdictione Episcopi sine Adiunctis.

1742. Tertiò, quia si Canonicus post collationem ante possessionem ideo non gaudet priuilegio Adiunctorum quia actu non est de Capitulo cum non sit admissus ad votum, sequeretur quod Canonicus qui non est ordinatus in Sacris etiam si ante multos annos sit in possessione pacifica non gaudeat Adiunctis, si quidem non est admissus ad votum ad quod requiritur Ordo Sacer vt determinat Sacrum Concilium Tridentinum.

1743. His tamen non obstantibus mihi indubitatum est quod iure Trident. Canonicus post collationem ante possessionem validam nullo modo gaudet priuilegio Adiunctorum, sed ordinarius solus potest procedere contra illum, ac si non esset illi collatum Beneficium. Quam sequuntur necessario quos infra refero. Illius tamen fundamentum, me quidem iudice, in concussum est. Quia ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. omnes qui non sunt Capitulares in omnibus causis Ecclesiasticis subduntur Episcopo, & non gaudent prinilegio Adiunctorum, sed qui habet Beneficium collatum ante pacificam possessionem non est Capitularis, aut de Capitulo: ergo non gaudet præfato priuilegio. Minorem Ancharranus probat *cap. in possessione. de Regul. iur. in* 6. *à num.* 12. vbi multis fundamentis eam consolidat secutus Archidiaconum, *cuius opinio* (dicit) *est ipsa veritas, & quod contraria non potest iure defendi* Barbosa *de Canonicis, & Dignita. cap.* 15. *num.* 22. Fernetus *de Consil.* 13. *tom.* 1 Ludouisius *decis.* 364. *per totam* probans requiri possessionem vtquis acquirat iura Ecclesiæ. Cassadorus *decis.* 8. *de causa possess. & proprieta.* Puteus *decis.* 20. *lib.* 2 Rota *apud Farinac. tom.* 2. *decis.* 701. *coram Verospio in vna Brixiens. Canoni.* 21. *Martij.* 1615. *num.* 5. Postius *decis.* 175. *num* 4. & 5. dicens quod possessio Capitularis est necessaria ad hoc vt Dignitates sint de Capitulo.

1744. Secundò, probatur eadem minor. Quia *l. eos qui C. de Apparitoribus Magist. milit. lib.* 12. *& l. qui sub prætextu C. de collegiat. lib.* 11. *& l. nec quidem. de testat. milit* & docet Farinacius multis citatis *concil.* 4. *num.* 9. dicitur, Non gaudent priuilegiis militaribus qui non sunt recepti in matriculam, & numerum militum, etiam si sint electi ad militarem exercitationen: ergo cum quis adscribatur irreuocabiliter in numerum Capitularium per possessionem factam capitulariter, ante illam legitimam, & valide factam Capitularis non est, & ita nec gaudet priuilegio Adiunctorum. Vnde si quis ex priuilegio Principis, aut Pontificis factus sit Religiosus, imo etiam si admissus sit capitulariter per vota secreta 1745
ad Religionem, aut Collegium, ante actualem possessionem, & vt sic loquar, inuestituram habitus, non gaudet priuilegio fori, aut Canonis aut priuilegiis Collegarum, ex his quæ docent Francus *decis.* 449. Giurba *consil.* 59. *num.* 73. Carleual *de iudiciis lib.* 1. *tit.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 6. *num.* 446.

Probatur tertiò, eadem minor. Quia quamuis 1746
ante possessionem quis lucretur fructus, & distributiones per solum titulum, & collationem Canonicatus? tamen hoc non facit Canonicum irreuocabiliter, quantum ad hoc quod est gaudere priuilegiis, sed tantum reuocabiliter, & conditionabiliter si sit habilis ad possessionem. Quod clarum est in Ecclesiis in quibus est statutum de puritate, qua non inuenta per informantes non admittitur in possessionem, & sic non gaudet priuilegiis Ecclesiæ, nec dantur illi fructus quos lucratus est sub conditione.

Probatur quartò, quia hodie ad administratio- 1747.
nem Præbendæ requiritur possessio valida facta in Ecclesia in qua sita est. Ita determinatur *in extrauag. Iniunctæ. de electio inter commun.* & declarauit, probauitque late Rota *in vna Burgen. Canon.* 3. *Iunij* 1583. *coram Bubalo* (quam ad verbum refert Garzia *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 252.) impugnans valide decisionem contrariam factam 28. *Ianuar.* 1583. *coram Lancelloto in eadem Burgen.* sequitur Felinus *consil.* 40. *num.* 6. & 7. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Glossa* 15. *num.* 80. dicens sic fuisse sæpius canonizatum in Rota. Et quamuis Extrauagans loquatur de Episcopis, & Prælatis electis in curia, tamen eadem est omnino ratio in aliis beneficiis. Quod quidem in Beneficiis Regularibus manifestum est; non enim ex eo quod quis sit electus in
Superiorem ante realem, & validam possessionem 1748.
habet administrationem. Vt enim aduertit Abbas *in Rubric. de constit. num.* 12. *vers. & adde.* prouisio debet probari per litteras, nec aliter recipi debet quod (dicit) est bene notandum quia multi in hoc errant. Quare Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 55. *num.* 18. *sect.* 3. Couarruu. *lib.* 3. *variar. cap.* 16. *n.* 6. & alij quos citat Garcia *vbi sup. n.* 244. loquuntur de iure communi Decretalium, non de iure Extrauagantium, vt explicat Rota *decis. citata coram Bubalo, & si aliter sentiunt dicunt contra dictam extrauag. cuius verba sunt clara.*

Neque opposita fundamenta solida sunt. Ad pri- 1749.
mum respondetur quod solum probat quod per titulum sit quis Beneficiatus, & Canonicus in re, sed non quod sit in re Capitularis, quod requiritur vt gauderet priuilegio Adiunctorum, nam ad hoc requiritur possessio, ex qua habet in actu vocem in Capitulo, & ex illa ab aliis Capitularibus admittitur in consortium, & communicationem suorum priuilegiorum. Quare ex eo quod sit Canonicus, & habeat ius in re solum probat quod faciat fructus suos, & habeat alios effectus de quibus in iuribus citatis.

Ad secundum Respondetur quod multi tenent 1750.
contrarium. Inter quos sunt Cardinalis Tuschus *tom.* 1. *littera B. concl.* 78. *num.* 8. Maschardus *de probation. conc.* 302. *num.* 16. & 17. Grassis *de effect. clericat. effect.* 1. *num.* 187. & multi alij dicentes quod vt aliquis fugiat forum sæculare debet probare non solum titulum, sed etiam possessionem. Respondetur secundò, esse disparem rationem,

quia

quia exemptio fori respicit ius spirituale,& Ecclesiasticum, quod acquirit quis ex collatione, & titulo beneficij;at exemptio à iurisdictione Episcopi respicit capitularitatem, quam quis non habet ante possessionem.

1751. Ad tertium respondetur non deficere recentiores doctos asserentes quod si in Bulla non dicatur quod Canonicus sine sacro ordine gaudeat priuilegio Adiunctorum, non gaudet,quia non est actu Capitularis. Respondetur secundò, quod Canonicus qui non est in Sacris, habens tamen possessionem, iam Capitulum quantum est in se admisit ad Capitularitatem, & in illum habet iurisdictionem quam in cæteros Capitulares, de qua Sarauia *quæst.* 33. quam non potest exercere in illum qui non habet possessionem. Vnde quod ille

1752. non sit actu Capitularis est ex culpa, aut negligentia sua, quia non ordinatur, cum requiratur Ordo Sacer ad ingrediendum in Capitulum: at qui non habet possessionem non est Capitularis, quia Capitulum illum non admisit in consortium, & Capitularitatem ad quam est admissus qui non est in Sacris; qui eo ipso absque aliquo alio quod accipiat ordinem Sacrum habet votum in omnibus, & exercitium suæ Capitularitatis.

§. VII.

An Episcopus procedere possit sine Adiunctis ad infligendam pœnam priuationis.

SVMMARIVM.

1753 *Episcopus potest in criminibus procedere contra Canonicos vel tanquam Iudex delegatus Papæ; vel tanquam Iudex Ordinarius.*

1754 *In quo distinguantur hi duo modi agendi contra aliquem. ibid. & n.*1754.

1755 *Episcopus potest procedere sine Adiunctis ad infligendam pœnam priuationis Canonicatus illis qui non suscipiunt Ordines suæ præbendæ annexos, si præmoniti eos non susceperint.*

1758 *Canonicus si sit Examinator Synodalis, & in suo officio delinquat potest solus Episcopus sine Adiunctis contra illum procedere.*

1753. DVpliciter potest Episcopus in criminibus procedere contra Canonicos, vel tanquam iudex delegatus Papæ, & tunc habet iurisdictionem delegatam à Papa, nec procedit cum Adiunctis, sicut nec ipse Papa procederet. Vnde Episcopus qui est inquisitor contra hæreticam prauitatem si Canonicus delinquat in fide non procedit contra illum cum Adiunctis.Vel tanquã iudex Ordinarius habens iurisdictionem ordinariam secundum quam potest dupliciter,procedere iuxta *cap. per tuas.* 32. *de Simonia* ibi, *cum ageretur non criminaliter, sed ciuiliter.* Sed in quo distinguantur hi duo modi agendi contra aliquem variant Doctores. Quidam dicunt quod tunc procedit iudex criminaliter quando procedit ad imponendam pœnam Ordinariam ipso facto incurrendam. Ita Iulius Clarus *lib.*5. *receptar.* §. *final. quæst.*5. *num.*3. Farinacius *volum.*3. *q.*100.

1754. *num.* 27. plures citans quos sequitur Sarauia *quæst.* 18. *num.*17. tunc vero ciuiliter quando ad pœnam debet præcedere monitio, & non incurritur ipso iure. Alij verius dicunt quod tunc proceditur criminaliter quando procedit accusatio siue à Fiscali,siue à particulari facta,tunc vero ciuiliter quando proceditur per inquisitionem.

Ex qua doctrina colligitur quod Episcopus potest procedere sine Adiunctis ad infligendam pœnam priuationis Canonicatus illis qui non suscipiunt Ordines suæ Præbendæ annexos, si præmoniti eos non susceperint. Ita Sarauia *q.*18. 1755.
Barbosa *alleg.*73. *num.*12. Garcia *de Beneficiis part.*3. *cap.*4. *num.*20. & 21. vbi refert nouissimam Cardinalium declarationem factam *die* 29. *Maij.* 1590. ad Archiepiscopum Burgensem *& part.*5. *cap.*4. *n.*119. & 120.loquendo de Canonico Pœnitentiario recusante audire confessionem, qui potest puniri ab Episcopo, & priuari etiam sine Adiunctis. Probatur ex Congregatione citata vbi supra, cuius sunt verba: *illud sine distinctione verum est eos qui non suscipiunt Ordines suis Canonicatibus, & Portionibus annexos, pœna etiam priuationis ab Amplitudine tua per se ipsam etiam solam sine Adiunctis ad id compelli merito posse.* Hæc ibi.

Quam declarationem nou viderunt Vela. *de* 1756.
*modo procedendi in causis criminal. cap.*1. *num.* 17. Portillo. *allegat. citat. num.* 24. nisi aliam declarationem antiquorum, quæ vel derogatur per adductam, vtpote nouiorem, vel declaratur per illam, argument. *l non est nouum.* vbi Gothophredus *D. legibus*, vt contingit in Decisionibus Rotæ, quarum posterior vel derogat priorem,vel attrahit ad se illam declarando. Tum etiam quia declaratio prior intelligitur quod non possit Episcopus priuare ob ordinem non susceptum, nisi prius admonuerit. Quod si admonitus non susceperit priuatus poterit denuntiari iuxta Decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.*12. vt refert decisum Farinacius *ad præfatum Caput.*12. *versu, Ordine Sacro.*

1757. Secundò probatur, Quia Clericus non potest ab ordine remoueri ab Episcopo solo *cap.* 1. 15. *quæst.*7. & tamen à beneficio à solo Episcopo remouetur, & priuatur *cap inuentum* 17.*quæst.*7. & ibi Glossa *verbo coram Episcopo.* & sequitur Federicus de Senis *consil.* 23. Garzia *de benefic. cap.* 4. *part.*3.*num.*20. Farinacius *volum.*3.*quæst.*100. *numer.* 27. & multi alij ex antiquis quos citant asserentes ex Glossa *cap.si quis Abbas* 18.*quæst.*2.quod causa priuationis non est criminalis,sed ciuilis,nisi fiat accusatione præmissa.

Ex quibus constat solutio difficultatis positæ in 1758.
titulo Resolutionis. Dico enim quod Canonicus si sit examinator Synodalis, & in suo officio delinquat potest solus Episcopus sine Adiunctis contra illum procedere, non secus ac contra Pœnitentiarium qui officio suo non satisfacit, & contra Canonicum curatum qui curæ animarum non attendit iuxta ea quæ diximus paragrapho 5. conclusio.2.

* * *

§. VIII.

§. VIII.

Vtrum si Episcopo remittantur Bullæ in forma *Dignum*, vt examinet an Prouisus sit dignus, aut commiserit Simoniam, si post datum decretum de possessione, ante istam inueniat Simoniam commisisse possit sine Adiunctis procedere.

SVMMARIVM.

1759 *Dubium in titulo propositum contigit in Metropolitana Hispalensi Ecclesia.*

1762 *Snppouuntur quædam ad prædicti dubij resolutionem.*

1764 *Etiam post mandatum de immittendo in possessionem potest Ordinarius suspendere decretum, & informare contra prouisum diffamatum de Simonia, vel alio crimine, & tanquam Papæ delegatus, & tanquam ordinarius sine Adiunctis vt informationem remittat ad Papam.*

1770 *Episcopus etiam vt Ordinarius potest procedere sine Adiunctis ad inquirendum an prouisus commiserit simoniam, & impedire ne immittatur in possessionem.*

1759. DVbium est singulare, & grauissimum, & in facto contigit in hac Metropolitana Ecclesia Hispalensi in qua post datum decretum ab Ordinario de immittendo in possessionem quemdam Portionarium, exiit fama virorum timoratorum quod iste talis commiserit simoniam in adeptione Præbendæ. Qua fama motus ordinarius prohibuit Capitulo ne vlterius procederetur ad dandam possessionem. Et dubitatum fuit an posset id facere sine Adiunctis. Pro quo variæ exortæ sunt informationes in iure pro vtraque parte. Dominus Doctor Portillo *in sua allegat. num.*41. negatiuam partem mordicus tutatus est cum esset vnus ex Adiunctis. Probatur primò, quia iudex delegatus etiam à Principe post datam sententiam definitiuam circa negotium commissum iam functus est officio suo, & expirauit eius iurisdictio, vt expresse habetur *l. si vt proponis. la primera. C. Quomodo, & quando iudex*, iuncta Glossa *finali l. Posteaquam D. de re iudicata*, vbi determinatur quod iudex delegatus ad differentiam iudicis Ordinarij non potest cognoscere de nullitate suæ sententiæ definitiuæ, quia post istam nullam habet iurisdi-
1760. ctionem. Ita Bartholus, & Baldus, Alexander *ibi*, Innocentius *cap. ex litteris. de officio, deleg.* vbi Felinus *num.* 1. Decius *num.* 5. Tiraquellus *l. Boues. num.*40. *D. de verbor. signific.* Rota *in nouis. decis.*341. *& in nouissimis apud Farin. tom.*2. *decis.* 631. *num.*8. *coram D. Dunozeto*, vbi dicitur id esse verum tam iure Pontificio, quam Cæsareo. Sequuntur Gutierrez *lib.*2. *canon. cap.*2. *à numer.*8. Thom. Sanchez *lib.*8. *de Matrim. disp.*27. *num.*39. dicens quod si ordinarius pronuntiauit legitimam
1761. esse dispensationem, etiam si inueniat se deceptum vel errasse non posset vlterius procedere tanquam Papæ delegatus, bene tamen tanquam ordinarius ergo idem dicendum in nostro casu. Quod si procedat tanquam ordinarius necessario debet procedere cum Adiunctis, cum circa crimen valde detestabile, scilicet Simoniæ procedat.

Suppono primò. Quod si Episcopus post mandatum de immittendo in possessionem habeat ex aliquo capite notitiam prouisum esse indignum, vel commisisse simoniam suspendat executionem mandati, quo possessio detur, non potest Capitulum illam dare, & si dederit nulla est. Ita Barbosa *de Canonicis. quæst.*14. *num.*12. Felinus *cap. ex parte num.*3. *de constit.* Innocentius *cap. Raynuntius. de testament.* & facit ad hoc *cap. si soli*, & *cap. finali. de conces. Prabend. in* 6. vbi collatio facta contra mandatum executoris Papæ non tenet. Ratio est perspicua, quia Capitulo, cum sit merus executor, non incumbit examinare an Delegatus iuste, vel iniuste suspenderit executionem, nam executori non tribuitur actus, sed Iudici imperanti. Ita tenent Abbas *cap. Quoniam n.*112. *de officio Delegati*, vbi id expresse dicit Cancerius *tom.*2. *cap.* 15. *num.* 32. fuse, & docte Salgado *de Protect.*4. *part. cap.*4. *num.*45. *& cap.*8. *num.*103. Posthimius *de manuten. obseruat.* 48. Nec requiritur quod mandatum habeat clausulam irritantem, quia isti æquiualet prohibitio *l. non dubium. C. de legib.* maxime respectu executoris mandati. Quod si suspendatur non habet virtutem executor ad exequendum, cum nullam habeat iurisdictionem, sicut habet ordinarius, *cap. dilectus* 27. *de Prabendis.* 1762.

Suppono secundò, quod in dubio pro actus validitate semper dicendum Episcopum processisse tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum, etiam si se exprimat Ordinarium. Ita Abbas *in cap. cum ex Officij num.*31. *& 32. de Præscriptio.* Felinus *ibi. num.* 31. *& 32.* quibus assentitur Rota *apud Seraphinum decis.* 549. 1763.

His suppositis dico primò, etiam post mandatum de immittendo in possessionem potest Ordinarius suspendere decretum, & informare contra prouisum diffamatum de simonia, vel alio crimine & tanquam Papæ delegatus, & tanquam Ordinarius sine Adiunctis vt informationem remittat ad Papam. Hæc conclusio tutata est à viris doctis huius ætatis, & mihi est manifesta, Probaturque doctrinis satis aptis ad illam inducendam. Primò, ex Notabili primo; quia Ordinarius potest suspendere executionem possessionis, quæ est inualida si conferatur; atqui ante possessionem si diffamatus est prouisus potest Ordinarius vt Delegatus inquirere, vt remittat iudici deleganti. Quod manifestè probatur, quia ita habetur *Cap. accedens. de accusation.* vbi Alexander III. Glossa *ibi in* 1. *notabili*, dicunt quod executio debet differri si electus, vel ille cui facta est collatio *sit super criminibus publice diffamatus* quod etiam docent Ancharranus *ad Regul. in possessi. num*13. Romanus *consil.*351. *vers. Tria.* vbi Apostilla. *verbo vehemens* explicans Ly *Publice* dicit sufficere quod diffamatus sit apud homines graues. Flores de Mena. *lib.*1. *varior. quæst.*4. *num.*36. eo enim ipso quod prouisus sit diffamatus, aut de illo fuerit scandalum, aut vehemens suspicio est necessaria purgatio Canonica, & sic semper Delegatus potest inquirere. 1764.

Id quod egregiè tradunt Salgado *de Protectio.* 2. *part cap.* 13. *num.* 54. & fere in propriis terminis Gacia *parte* 6. *caput.* 2. *numer.* 143. vbi post multa dicit: *Si compareat contradictor post datum decretum, seu mandatum possessionis, dum modo realiter non sit capta, nam dum non est capta res videtur integra, cum præcesserit sententia* 1765.

in

in contradictorio iudicio; ſed poſt captam realiter poſſeſſionem contraditor comparens debet recurrere ad Ordinarium, & coram eo contra poſſeſſionem agere. Ad audiendum tamen huiuſmodi contradictorem iam expirauit executoris poteſtas, cum ſit noua actio, & nouum iudicium. Quæ doctrina totaliter euertit fundamentum oppoſitum, quia per decretum de immittendo non eſt data ſententia definitiua, neque intelligitur res integra, quouſque reipſa ſit accepta poſſeſſio, & ſic non
1766. expirauit iuriſdictio delegati. Et ſic ſi ſuperueniat diffamatio, aut vehemens præſumptio, aut ſcandalum poteſt vlterius vt delegatus procedere, & actus ab illo procedentes validi ſunt, quia etiam ſi ſit dubium ſemper dicendum proceſſiſſe vt delegatum, vt dicebam Notabili ſecundò, quamuis in proſecutione diceret ſe Ordinarium, quia reipſa habet iuriſdictionem delegatam, cum res ſit adhuc integra.

1767. Secundò probatur, quia ordinarius in ſpecie huius caſus non intendit criminaliter procedere. ſed ciuiliter ad verificandam narratiuam, & remittere ad Superiorem, qui immediate debet cognoſcere merita cauſæ, & ſic poteſt mandare ſupercedere ab executione ſui mandati ex diffamatione prouiſi. Quem etiam ſi Fiſcalis ipſum accuſarit non eſt in ordine ad puniendum, ſed in ordine ad ſuperſedendum ab executione mandati de immittendo in poſſeſſionem, à qua debet excludi tanqam immeritus quouſque Pontifex ſententiam ferat.

1768. Tertiò, probatur quia Ordinarius in dando mandatum de immittendo non procedit iudicialiter, & in figura iudicij, ſed extraiudicialiter, & ita collatio eſt extraiudicialis, à qua vtpote facta à mero executore, non datur appellatio, vt determinauit Rota *die* 11. *Decembr.* 1587. *coram Bubalo apud Garciam num.* 135. & notant Doctores *Cap. Nouit. de Appellatio.* & ita non expirauit iuriſdictio delegata per mandatum de immittendo

1769. Quartò, probatur ex Doctrina Thomæ Sanchez *vbi ſuprà.* quia loquitur quando per ſententiam definitiuam declarauit, aut reſcriptum eſſe ſubreptitium, & ſic non poſſe diſpenſare, aut legitimam eſſe diſpenſationem, quia iam, inquit, functus eſt delegati officio. Et ita etiam ſi inueniat poſtea ſe deceptum, vel erraſſe, non poterit iterum cauſam aſſumere tanquam delegatus, bene tamen tanquam ordinarius. Quod ſi non definitiue, ſed extraiudicialiter id declarauerit, poterit abſque dubio iterum aſſumere & procedere ad nouam informationem vt verificetur narratiua, quia res eſt adhuc integra.

1770. Dico ſecnndò, Epiſcopus etiam vt Ordinarius poteſt procedere ſine Adiunctis ad inquirendum an prouiſus commiſerit ſimoniam, & impedire ne immittatur in poſſeſſionem. Ita Flores de Mena *vbi ſupr.* & colligitur ex Thoma Sanchez *verſ. at cum ſententia.* Quia cum poſſeſſio illa, & decretum de immittendo foueat peccatum non tranſiit in rem iudicatam. Et ita poteſt Epiſcopus vt ordinarius iterum reaſſumere, non iudicans de prioris decreti viribus quod vt Delegatus edidit, habens ſe ac ſi nullum eſſet decretum datum, ſicut poteſt cognoſcere de quolibet alio negotio. Hæc autem actio non eſt criminalis, ſed ciuilis, & licet habeat annexam cauſam criminalem poteſt procedere Epiſcopus ſine Adiunctis, ſicut ſi criminalis cauſa habet annexam ciuilem debet procedere Epiſcopus cum Adiunctis, vt expreſſe tradit Sarauia *quæſt.* 15. *num.* 15.

Ex his reſpondetur ad Fundamenta oppoſita. Ad primum reſpondetur, quod illi textus intelli- 1771.
guntur quando Delegatus pronuntiauit definitiuam ſententiam, ſecus quando interlocutoriam. Et de ſententia definitiua expreſſe loquitur Sanchez, ibi (*illa enim ſententia eſt definitiua cum totam cauſam ſibi commiſſam decidat*) at vſque ad realem poſſeſſionem non eſt tota cauſa commiſſa, propter quod exiſtimo contra Sanchez quod Ordinarius cui commiſſa eſt diſpenſationis verificanda narratiua, etiam ſi dicat eſſe legitimam, ſi ante initum matrimonium inueniat non ita eſſe, exiſtimo quod etiam vt Delegatus poteſt reaſſumere informationem, quia res eſt integra, & ſic nondum expirauit delegatio. Quod ſecus eſt ſi iam eſt initum matrimonium.

Alias quæſtiones quæ circa poteſtatem Adiun- 1772.
ctorum excitari poſſunt, omitto, tum quia non ingerunt ſpecialem difficultatem, tum quia ſi quæ ſunt aliæ videri poſſunt in Sarauia in ſpeciali Tractatu de Adiunctis Epiſcoporum.

Resolvtio XXV.

Vtrum Examinatores Synodales poſſint recuſari?

SVMMARIVM.

1773 *Recuſatio cur introducta?*

1775 *Regularibus, in illis caſibus in quibus denegatur appellatio, denegatur etiam & recuſatio.*

1776 *Princeps ſupremus abſque grauiſſima cauſa non poteſt tollere remedium recuſationis.*

1778 *Qui non poſſint recuſari? Traditur Regula. ibid.*

1779 *Circa hanc Regulam triplex difficultas. & n. ſeqq.*

Recuſatio iudicis ſicut & appellatio remedia ſunt ex iure naturali oriunda, & per ius tam canonicum, quam ciuile, approbata, & introducta, vt quis euadat grauamen quod timet à iudice ſibi faciendum iri, aut factum fuiſſe rationa- 1773.
biliter iudicat. Quare de vtroque agendum in iſta & ſequenti reſolutione. An, ſcilicet, locum teneat in examinatis reſpectu examinatorum? Et quidem recuſatio eſt: *Iudicis vel audientiæ, cauſa ſuſpicionis propoſita, declinatio. l. aperiſſimi. C. de Iudic. cap. Quia ſuſpecti. 3. quæſt. 5. cap. ſuſpicionis de officio delegati.* Quare poſita recuſatione non poteſt iudex ad aliquem actum procedere, & ſi procedit, proceſſus eſt nullus, cum ſuſpendatur eius iuriſdictio. Quamuis non priuatur radicali iuriſdictione, quia etiam poſita cauſa ſuſpicionis poteſt procedere in cauſa de conſenſu partis recuſantis. *cap. index de officio delegati in 6.* vbi Dominicus & Francus *num.* 2. & eſt communis apud Sanchez *lib. 6. conſil. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 3.

Qui notat diſcrimen quod eſt inter ius ciuile & Canonicum, quod iure canonico iudex ſiue ordinarius, ſiue delegatus per recuſationem omnino definit eſſe iudex in illa cauſa *Cap citat. & cap. de ſpeciali. de Appellat.* at iure ciuili Delegatus ad vnam cauſam in totum definit eſſe iudex, ſi tamen ſit ad vniuerſitatem cauſarum datur ſibi

ſocius

1774. socius,si sit delegatus à Principe qui æquiparatur iudici ordinario. Ita Miranda *de ordine iudiciario p.*4.apud Sanch. iudex autem ordinarius non potest in totum recusari, sed datur adiunctus, sicut datur etiam delegato ex iure nouo huius regi *l.*1. *tit.*16.*p.*4.*nouæ recopilat.* Quamuis *ex leg.*1. *&* 2. *tit.*10.*part.*2. disponatur quod tam præses, quam Consiliarij Regis possint in totum recusari aliud discrimen adducit Sanchez *n.*5. quod iure ciuili, nulla requiritur causa ad recusandum iudicem secularem *l.apertissimi cit.& l.*22.*tit.*4.*part.*3.debet tamen iurare recusans se non ex malitia recusare *l.tamen citata.* Hispaniæ requirit causam ad recusandos auditores Regios, & iudices Cancellariæ. Iure tamen Canonico semper requiritur causa probata ad recusandum. *cap. suspicionis de officio legati.* & alibi passim.

1775. Cæterum aduertendum; quod Regularibus in illis casibus in quibus denegatur appellatio,denegatur etiam & recusatio *cap. superio.*12.§. *in causis* vbi expresè id ait Alexander III.*cap.nouit.cap. de priori de approbationib.* Glossa *in cap.in singulis verbo in appellatione de statu Monachor.* Felin. *c.*1.*n.*6.*de iudiciis & c.cum inter n.*8. *de exceptionib.* Cærerum non illico quod aliquando alicui negetur remedium appellationis, negatur & remedium recusationis,cum sint diuersa, & in aliquo casu potest denegari appellatio,& non recusatio; respicit enim vtrumque remedium diuersum motiuum: Nam recusatio respicit suspicionem in iudice, appellatio vero, quod causa rectius videatur in tribunali superiori.

1776. Verum est quod princeps supremus absque grauissima causa non potest tollere remedium recusarionis.*cap.quia suspecti* 8.*q.*5. *& cap.*2.*requiris de appellat.cap.cum inter de exceptionib.*vbi dicitur: *Quod nihil est tã graue, & periculosum quam litigare sub iudice suspecto.*Si tamen adsit grauis causa,& ob vtilitatem publicam potest Princeps tollere recusationem,sicut potest tollere appellationem cum minus grauetur,si quidem sublata recusatione manet remedium appellationis.Ita Sanch. *vbi sup.n.*15.qui optimè addit. Quod quando in cõmissione dicitur,appellatione semota,nõ semouetur eo ipso recusatio. Ita Franc. *c.postremo n.*2. *de appellat.* atq; ita vt tollatur recusatio debet expresè tolli à Principe,qui si cõmittat causã iudici manifestè suspecto,non illico tollit recusationẽ.

1777. Imo etiam quando expresè dicit: omni recusatione semota intelligetur de friuola non vero quæ graui, & prudenti suspicione fundatur, sicut quando dicitur: omni appellatione semota. *cap. pastoralis de appellat.*cum enim vtrumque remedium sit naturalis defensio, quando illud excludit Princeps intelligi debet, quando friuolo fundamento nititur,& non legitima causa. Ita communis sententia quam sequuntur Franciscus Leo *in Thesauro p.*2.*c.*2. *n.*36. Gratian. *in disceptat.c.*41. *n.*18.Cenedo *l.*1.*Canonic.quæst.*45.*n.*43.cõtra Manuelem Rodrig.*tom.*1.*q.*8. *art.* 13. Hieronymum Rodrig *resol.*20.*n.*17. contra quos alibi latius.

1778. Sed qui non possint recusari dubium est.In quo hæc sit regula. Illi à quibus non potest appellari, non possunt recusari. Ex quo fit, quod nec Papa, nec Concilium Generale legitimum,nec Princeps supremus qui non cognoscit alium superiorem recusari non possunt,quia de istis nullo modo præsumitur quod faciat iniustitiam *cap. nouit de appellat.* Ita Thom.Sanch. *n.*9.*qui n.*10. asserit cum Nauarro,& Franco,quod Concilium Prouinciale & quæcumque Vniuersitas aut Collegium recusari possunt *cap.licet ex suscepto de foro competenti,& n.*12. quod iudex ab aliquo electus non potest ab eodem recusari. Ita Authentica offeratur. *C.de delictis contestatur Concilium Mileuitan. c.à iudicibus* 2.*q.*8. & D.Thom.2.2.*q.*69. *art.*3. *ad* 2. Leuis enim animi iste videtur,vt semper nõ permaneat in eo quod semel approbauit.nisi ex noua causa superueniente vel ex antiqua denuo perueniente ad notitiam. Vt notant Glossa *cap. statutum de rescriptis* & Glossa *cap. in singulis de statu Monachorum*, & alij quos citat Sanchez.

Sed circa hanc regulam triplex est difficultas. 1779.
Primò,de Cardinalibus. Secundò, de Inquisitore supremo. Tertiò, de Prælato Regulari. de Cardinalib.negat Sanchez *n.*9 *secutus* Francum *c. postremo de appellatio.& Immolam cap. nouit eodem propter eorum approbationem,fidem,iustitiam.* Sequitur Diana *tract.*2.*p.*5.*resol.*30.Eguassin.*in defens.*1. *c.*19.*n* 102. dicens, quod Cardinales non dantur suspecti,nisi essent iudices alterius Cardinalis.Verum opposita sententia mihi probatur,licet requiratur magna causa ad recusandum Cardinalem, & si sit Protector alicuius Religionis manifestissima causa requiritur vt recusetur à suis Regularibus. Ita tenent Manfredus *de Cardinalibus decis.*151.Albanus *q.*42.Zechius *de repub.tit.*3.*de Card.n.*9.*de priuileg.*4.Laudensis *q.*50.*de Cardin.* Moneta *de iudice consecrat.c.*9.*n.*21.Nullum enim est ius quo eximantur à recusatione,& sicut ab illis potest esse appellatio,potest esse de illis recusatio,& valde periculosum esset sub Cardinali suspecto litigare *cap.cum inter de exceptionib.& cap. sed petitionem* 22. *de accusatio.* expresè recusatur Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, & quidem quod Cardinalis simplex possit recusari tenet ibi Barbosa *n.*2.alios citans.Addo,nisi Cardinalis esset inquisitor Generalis,& ageretur de causa attinente ad fidem,in qua est cardo Ecclesiæ,propter quod excludit omnẽ suspicionẽ in iudicando,&in quo maximè est de corpore,& latere Papæ,qui est fidei caput,nullius suspicionis in iudicãdo capax.

Secunda difficultas est,de Inquisitore Generali, 1780.
in Hispania,an si agatur de re pertinente ad fidem, vel de propositionum censura,possit recusari?quidam neotericus mirabili audacia,id quod rarissimè visum est, recusauit Illustrissimum Inquisitorem Generalem *anno* 1644.cum enim ipse in tractat.de primis instantiis *pag.*88.docuisset,nõ posse etiam per Inquisitionẽ Generalem Romanam Eminentiss. Cardinalium auocari causas fidei in prima instãtia ab Inquisitoribus Hispanis,id quod videtur declarasse Paul. III. iurans in verbo Summi Sacerdotis se nihil voluisse præiudicare illis per Bullam editam *anno* 1542. per quam erexit Congregationem Inquisitionis Romanæ.Videns etiam idem Neotericus quod apud supremum fidei Consilium re valde bene perspecta malè audiebat eius doctrina, quodque in expurgatorio multæ Elucidarij propositiones notatæ sunt, & censuratæ vt expungerentur,vt quod semel concepit, vsque ad finem defenderet, supremum Inquisitionis Præsidem recusauit. O quanto sale de isto Martialis dixit:

Semper agis causas, & res agis Attale semper
est, non est quod agas, Attale semper agis.

Fateor recusationem iudicis suspecti remedium esse reis à natura concessum,cum graue sit valde coram iudice suspecto litigare,& iudicis supremi delegati Summi Pastoris recusatio sine manifesta causa, & luce solis clariore admittenda non est 1781.

maximè in rebus ad fidem attinentibus. Si enim in multis nationibus ſupremi Conſilij Præſes etiã in rebus tẽporalibus non poteſt recuſari, quia pro illo eſt præſumptio, quod nec odio, vel amore regatur in ferenda ſententia iuxta doctrinam Baldi *in cap. 3. de appellat.* Quanto magis id ſpectabit in ſupremi fidei, Conſilij Præſide à quo ſicut non admittitur appellatio, nec recuſatio admitti debet. Imo propter ſuſpectum ſupremum Inquiſitorem qui caput eſt, & præſes Conſilij, totum Conſiliũ poſſet recuſari vt multis citatis tenet Barboſa *in Collect. ad cap. ſingulis 8. de ſtatu Monachor. n.* 4. ex Menochio *conſil.* 94. *n.* 11. Iacobo Laurentio infra citando *c.* 3. *n.* 18. & 19. & Farinac. *n.* 714. quod maximum eſt abſurdũ vlterius, quia in cauſis Eccleſiaſticis vbi non admittitur appellatio, non admittitur recuſatio *cap. ſuper eo* 12. *de appellat.* atqui à Conſilio ſupremo fidei negatur appellatio, ergo & recuſatio neganda.

1782. Addo quod ſi ſupremus Hiſpaniæ inquiſitor recuſetur, ſolum coram Summo Pontifice cauſa recuſationis probanda eſt, vel coram alio quem ipſe Sum. Pontif. ſpecialiter delegauerit. Ratio ſumitur ex his quæ docent Francus *cap. cum ſpeciali de appellat.* Anchatranus *cap. ſi contra de offic. deleg. in* 6. Abbas *cap. ſi quis contra n.* 21. *de foro competenti.* Perez *leg.* 1. *p.* 12. *tit.* 5. *lib.* 3. *ordin.* Quaranta *in ſum. Bull. verb. Archiepiſc. authoritas.* Couarr. *practicar. c.* 9. *n.* 1. Gratian. *diſceptatio. tom.* 1. *c.* 92. *n.* 9 Molina *tract.* 2. *diſp.* 23. *n.* 15. Sanch. *vbi ſup. n.* 27. Quod ſi delegatus Epiſcopi etiam ad Vniuerſitatem cauſarum recuſetur, cauſa recuſationis debet probari coram Epiſcopo delegante, quia iſte ſemper poteſt à ſuo delegato cauſam reaſſumere, & commiſſionem reuocare vt ex lege iudicium ſoluitur. *D.*

1783. *de iudici.* docet Gloſſa *c. Romana verb. idem de appellat. in* 6. & ſic non ex eo quod delegatus ſit ſuſpectus colligitur delegans ſuſpectus, & ita coram illo debet probari cauſa recuſationis, & quamuis multi ex citatis dicant, quod quando delegans eſt extra Diœceſim, ſi delegatus ad particularem cauſam recuſetur cognoſcit Vicarius illius: ſi autem iſte recuſetur, ad arbitros eſt recurrendum. Quamuis enim doctrina iſta vera ſit in Epiſcopo abſente, & delegante, non tamen tenet verum reſpectu delegati à Papa, ſed vlterius procedendum eſt, quouſque Pontifex conſulatur iuxta doctrinam Innocentij, & Hoſtienſ *cap. cum ſpeciali in principio appellatio.* Quorum doctrina verum maximè tenet in criminalibus quam defendunt Card. Tuſch. *verbo ſuſpicio concl.* 907. *n.* 10. Iacob. Laurentius *de iudic. ſuſpect. cap.* 5. *num.* 12. Farinacius *in fragmen. criminal. part.* 2. *verbo iudex num.* 687.

Tertia difficultas eſt, an Prælatus Regularis poſſit recuſari? Dupliciter poteſt Prælatus Regularis procedere; vel tanquam iudex procedens modo

1784. iuridico ad punitionem delicti, vel tanquam Pater procedens ad correctionem, & emendam fratris. Priori modo ſi ſuſpectus eſt, dubio procul recuſari poteſt. Ita Thom. Sanch *vbi ſup. n.* 17. Thomas à Ieſu *de viſit. reg. tract.* 3. *c.* 17. *à n.* 12. Ioan. Andreas *cap. cum ſpeciali* 12. *de appellat. n.* 18. Hoſtienſis *n. vlt.* Abbas *n.* 3. Francus *n.* 4. Fr. Petrus ab Angelis *in Compendio Ordinis iudicialis p.* 1. *cap.* 21. *§.* 1. *n.* 7. ſicut enim poteſt reus ab eo appellare, ita poteſt ipſum recuſare.

Quando tamen ſuperior procedit vt Pater, & proceſſu regulari ad pœnitentiam iuxta canonem pœnitentialem regulæ: Sanch. *lib.* 6. *in decal. c.* 9. *n.* 111. *& c.* 11. *n.* 103. cum aliis cenſet, Quod ſi eſt manifeſtus exceſſus in correctione poteſt Prælatus recuſari, ſicut poteſt ab eo appellari pro quo plures citat, & ſequitur Barboſ. *in Collect. ad c. cum* 1785. *ſpeciali citatum.* Probatur primò, quia recuſationis remedium adeo eſt naturale, quod ſi Princeps expreſsè non excludat recuſationem, non intelligatur excluſa: atqui in priuilegiis regularium non exprimitur excluſa recuſatio, ergo ſemper licet, quia iuſta recuſatio nulli eſt deneganda. Vt ait Gloſſa *cap. in ſingulis de ſtatu Monachor. verſu appellatione.* Secũdò, quia Cardin. & legatus à latere, Concilium Prouinciale, imo notionale, & quælibet communitas particularis poteſt recuſari, ergo & Prælatus regularis. Tertiò, quia *cap. in ſingulis de ſtatu Monachor.* decernit Pontifex in Concilio Generali Lateranenſ. quod quilibet triennio celebrentur capitula in Religione ad morum reformationem, & ibi eligantur quatuor qui præſint, & ab illis definita ſeruentur omni recuſatione, & appellatione ſemotis. Vbi Gloſſa dicit, quod iſti nec recuſari poſſunt, niſi noua cauſa ſuperueniẽte.

Sed ego exiſtimo, quod ſi ſuperior Regularis 1786. procedat ad correctionem morum, & emendam fratris, & proceſſu regulari, & non tanquam iudex, nullo modo licet ipſum recuſare. Ita ſatisdoctè Ioſephus Aldrete de Religioſa diſciplina tuenda *li.* 2. *c.* 28. vbi probat, quod ſicut in morum correctione nullo modo valet appellatio, ita nec recuſatio admittẽda eſt. Quamuis enim vt ſupra vidimus. Negata appellatione, & ſemota, non intelligatur ſemota recuſatio in cauſis ſecularibus: tamen quando legiſlator vtrumque expreſsè ſemouet, neutrũ poteſt validè interponi. Atqui in morum correctione, & emendatione, & quando Prælatus procedit proceſſu Regulari vtrumque remedium excluditur à Religione, ergo neutrum eſt interponẽdum. Minor expreſſa eſt *cap. cum ſpeciali* 61. *de appellat.* vbi Pontifex in Concilio Lateranenſ. poſtquam egit de appellatione, & recuſatione duabus conſtitutionibus, concludit dicens: *Cæterum has duas conſtitutiones nolumus ad Regulares extendi contra ſuas ſpeciales obſeruantias.*

Secundò probatur, quia vt ait idem Alexand. III. 1787. *cap. ſuperior* 12. in cauſis Eccleſiaſticis vbi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi non eſt aliquatenus deferendum: atqui in correctione morum, & quando Superior procedit proceſſu regulari Religioſis eſt ſublatum remedium appellationis; ergo & remedium recuſationis. Minor eſt expreſſa *cap. reprehenſibilis* 26. *eodem.* vbi ſic dicit Alexand. III. in Religioſis hoc volumus obſeruari, ne Religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi contra regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter ac deuotè ſuſcipiant quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem iniunctum. Idem habetur *cap. ad noſtram* 3. *eodem.* vbi Gloſſa pluries repetit quod à correctione non datur appellatio quia fit (inquit) ad pœnitentiam, & extra formã iudicij.

Ex quo fit quod quamuis Prælatus excedat in 1788. correctione, nec recuſari valet, nec ab eo appellari, quamuis poſſit eſſe recurſus, & reclamatio ad ſuperiorem ab exceſſu manifeſto, petendo Ieuamen. Similiter ſi ſuperior ſit manifeſtè inimicus, & rationabiliter timetur, quod excedat in correctione poteſt recurri ad Prælatum altiorem, tamen hic recurſus non eſt appellatio, nec recuſatio.

Ad primũ oppoſitæ ſententiæ reſpondetur quod licet recuſatio ſit remediũ à natura oriundũ, tamẽ Princeps ob bonũ publicũ, & cõmune, ſicut remediũ appellationis, ita & remediũ recuſationis poteſt hic, & nunc denegare; ſicut denegauit Alexander III.

Religiosis in morum correctione. Euerteretur enim Regularis disciplina si in delictorum correctione appellatio,& recusatio permitteretur. Quare recusatio non est de iure naturæ, sed à iure positiuo humano introducta, fundata tamen in naturali defensione quod est de iure naturæ. Vt ex multis comprobat Couarruu. *practicar. c.23.n.3.* tum etiam quia vt ait Baldus *vbi suprà.* maximè expedit quod in Religionibus recusatio sicut, & appellatio recludatur,quia rectè semper præsumitur, superiores non excessuros in morum correctione. Nec ex hoc (si aliquando præsumptio fallat) tollitur naturalis defensio, quia non adimitur ad superiorē recursus, quo grauamen reparari queat,vbi enim appellatio,& recusatio interdicitur permissum est. Vt superiori per viā iustæ querelæ adeatur. Vt tenent Glossa *cap.ex litteris,verbo supplicauit.* de in integrum restitutio. Vbi Barbosa *n.4.* multis citatis ex Abbate *ibi n.3.& 9. & cap.pastoralis n.12. de appellatio decis. consil.533. n.2.* Menochio *remedio 4.adipiscendæ à n.895.& de arbitr.lib.1.q.70.n.24.* appellatio enim, & recusatio nec nominentur inter Religiosos viros etiam grauatos in correctione, quia plures non grauati recusabunt, vt superiores grauent, & disciplinam regularem euertant, & titulo naturalis defensionis arma iniquitati ministrent. Vsurpatori, etenim sunt non subuenientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati. Vt ait Bernardus *lib.3. de consideratione.*

1789.

1790.

Ad secundum respondetur quod tenet verum quādo proceditur more iuridico,secus vero quādo processu regulari ad morum correctionem, aliàs Capitulum Generale imò, & Cardinalis Protector dum mores corrigunt, recusari possent quo remedio iniquitatis munirentur peruersi Religiosi ad suspendendas pœnas regulares, & sic omnis disciplina Religiosa euerteretur.

1791.

Ad tertium respondetur, quod illa Glossa interpretanda est, quando proceditur more iuridico, & tanquam iudices illi assignati procedunt: secus tamen quando processu Regulari.

Ex dictis constat. Quid dicendum ad titulum Resolutionis positæ,quod scilicet examinator Synodalis potest in totum recusari,ab examinando. Si propter inimicitiā manifestam sic dicit sibi suspectum, & vsurum nimio & extraordinario rigore in examine. Ratio est, quia vbicumque est locus appellationi est locus etiam recusationi:atqui ab examine, & electione Episcopi est appellatio vt dicam resolutione sequenti: ergo potest etiam esse recusatio. Verum est, quod cum isti examinatores electi sint in Synodo quod repræsentat totam Diœcesim non est facilè admittenda recusatio, nisi grauis, grandisque causa superueniat. Argumenta ex his quæ docet Glossa *cap. in singulis verbo*, & appellatione de statu Monachorum,vbi iudices electi in Capitulo Prouinciali dicit non posse recusari,quia electi sunt à partibus, nisi noua superueniat causa. Quare examinator Synodalis recusari non potest, quia semper rigidus est in examine, & eo rigore cum omnibus vtitur.

1792.

Resolvtio XXVI.

Vtrùm ab electione Episcopi facta in concursu,præuio examine,detur appellatio.

SVMMARIVM.

1793 *Appellatio est à minori ad maiorem, seu superiorem prouocatio.*

1794 *Appellatio ligat statim iudice à quo, eiusque iurisdictionem suspendit sine alia inhibitione.*

APpellatio est, à minori ad maiorem, seu superiorem prouocatio *cap.omnis oppressus 2. q.6.* & docent omnes ad titulum de appellatio,& Summistæ *verbo appellat.* vbi Sylvest. Angel.Tabiena,& alij.De hac enim appellatione dixit Bernard.*lib.3. de consideratione ad Eugenium.* Fateor grande, & generale mundo bonum esse appellationem, idque tam necessarium quam solem ipsum mortalibus. Huius vniuersalis boni scilicet appellationis duplex effectus oppressis obuenire potest. Primus est deuolutiuus. Quo deuoluitur cognitio causæ ad iudicem ad quem appellatur *leg. eos.leg.à pro consulibus.C.de appellation.cap.dilect. cap vt deuotus.de appellatio.* & ratione huius effectus litigās eximitur à iurisdictione iudicis à quo, quoad illam causam, & transfert se ad iurisdictionem iudicis ad quem *c.ad audientiam de appellat.* Secundus effectus est suspensiuus. Suspendit enim sententiam,& eius executionem licet sententiam non extinguat *l.præcipimus.leg.eo casu C.de appellat. cap.venientes de iure iurando.cap. pastoralis §. propterea de officio delegati.cap. sæpe de appellatio.*

1793.

Ex quo fit, quod appellatio ligat statim iudicē à quo, eiusque iurisdictionem suspendit sine alia inhibitione,adeo quod nihil potest facere appellatione pendente, imo neque ante interpositam appellationem infra terminum à iure concessum ad appellandum,scilicet *dies leg.1.D nil.noue.appellatio.* vbi Bart. *& cæteri.c.non solum de appellat. in 6.* vbi Barbosa & omnes. Quas autem limitationes,& ampliationes habeat doctrina hæc,non est præsentis instituti. Legantur Maranta *in practica p.6.tit.quando appellatur.* Sanchez *lib.3.consilior. cap. vnico dub.32.*

1794.

Igitur contra debet esse quod ab electione Episcopi facta in concursu, præuio examine datur appellatio. Ita statuit Pius V. Bulla quæ incipit: *In conferendis* edita Kalend. *April.1567.* ibi: si Episcopus minus habilem posthabitis idoneis post examen in concursu habitum, elegerit, &c.

1795.

Vbi Summ.Pontif.concedit appellationem ab electione facta ab Episcopo post examen in concursu habitum,non quantum ad effectum suspensiuum cum præcipiat, quod electio ordinarij executioni mandetur, sed quantum ad effectum deuolutiuum cuius appellationis vim,& efficaciam optimè considerauit Augustt.Barbos.*in Collect. ad cap.18. sess 24. Trid.* cuius verba quia erudita videat Lector *à num.169. & 170.*

Quibus omnibus addo egregiam doctrinam Rotæ in vna Nullius Canonicatus *die 4. Decemb.* 1600. coram Greg.XV. tunc Rotæ auditore,apud Farinac.*tom.1.decis.40.* ibi: ex constitutione Pij V. nnn conceditur simpliciter appellatio,&c. Quod enim dicitur *n.4,* quod multi ex dominis auditoribus dixerunt sufficere,quod eligatur idoneus,& dignus omisso digniore, loquuntur de iure communi, non secundum ius Trident. & Pij V. iuxta dicta in superioribus.

1796.

Cæterum aduertendum est, quod si appellatione facta, iudex in Curia Romana sententiam ferat contra possessorem.Parochialis,sequestrabitur si possessor appellet ad Papā quia licet vti diximus. Appellatio ab ista sententia habeat effectū suspensiuum, quia non expoliatur possessor,tamē sequestrabitur Beneficiū. Ita Rota Romana in vna Parochia

Parochialis 18. *Martij* 1582. coram Pamph. vt constat ex Clement. vnica de sequestratio possessionum,& fructuum quod secus est si lis non pendeat in Curia vt ex Gonzalez *ad regul.*8.§.7.Phemia *num.*38. docet Barbosa *num.*13.

1797. Sed notandum est ex eodem Gonzal. *Glossa* 4. *n.* 114. quod ad rectè iudicandum an Episcopus bene elegerit, multum interest habere notitiam pristinam de vita, moribus, & aliis qualitatibus, & etiam de scientia, & litteratura oppositorum, quia potest quis in examine apparere magis doctus ex fortuna puncti assignati vel quæstionis propositæ aut sorte contingentis, & è conuerso vt aduertit Tiraquellus *de pœnis temporan. causa* 51. *n.*154. Vnde appellantes ab iniusta electione & iudicio Episcopi non facilè ostendent grauamen vt factam electionem euertant, & sic Concilium Trid. multum defert iudicio ordinarij qui ex multis circunstantiis hinc inde pensatis ad electionem faciendam, animum suum formauit. Vt fuit resolutum in Rota in vna Trident. Parochialis 28. *Aprilis* 1603. coram Eminentissimo Sacrato,& in alia supra citata coram Gregor.XV.

1798. Aduertit tamen Rota *in priori decis.*quod quamuis relinquatur iudicio Episcopi quis sit magis idoneus, hoc procedit, quatenus Episcopus rectè iudicauerit; secus quando constat de mala,& iniqua electione. Vnde Sacra Congregatio Trid. in vna Pistorien. sensit, quod appellans, & prouocans ad nouum examen, non prius debet ostendere fumum læsionis, & grauaminis. Hoc enim nil aliud esset quam ligare manus appellantis vt non possit ducere de grauamine, & sic fere frustratoria redderetur constitutio Pij V. vnde multum conducit ad iudicandum an electus sit magis idoneus, vel non,iudicium iudicis ad quem appellatur, qui considerabit omnes negotij circunstantias. Iuxta doctrinam Menochij *de arbtr.casu* 67. *num.*3.

1799. Circa quam doctrinam Gonzal. notat optimè Garcia *p.*9.*c.*2.*n.*252.quod vt locum habeat constitutio Pij V.necessarium non est quod appellans ex proposito in actu signato ostendat dolum, & irrationabile iudicium Episcopi,sed satis est quod in actu exercito per examen factum coram iudice appellationis,& eius examinatoribus Synodalib. constet reipsa de mala electione, & irrationabili iudicio Episcopi,quia appellatio introducta est ad tollendum grauamen non solum quod ex dolo,& animo illatum est, sed etiam quod reipsa. Vt notant Bart. *leg.* 1. *n.*5. *D. de appellat.* Abbas *cap. suggestum n.* 3. & Francus *notab.* 2. *eodem.* Vnde examinatores Synodales, ordinarij ad quem appellatur visis, & consideratis omnibus circunstantiis solum debent renuntiare,& declarare quis oppositorum sit magis idoneus, non autem an Episcopus dolosè egerit, hoc enim ad ipsos non pertinet,imò neque ad iudicem ad quem, qui hoc non debet declarare in sua sententia: sed solum magis idoneo iudicato ab examinatoribus suis debet Parochialem adiudicare,reuocata prioris Episcopi electione vt ait Pius V. in sua Bulla.

1800. Ex quo fit, quod quamuis examinatores Synodales non tenerentur renũtiare in prima instantia quis sit magis dignus: at examinatores iudicis ad quem appellatur, apud quem fit nouum examen tenentur id declarare, & aliàs vt existimo sententia erit nulla. Ratio est: quia nouum examen ad hoc fit, vt dignoscatur quis sit dignior, & magis idoneus ad quem finem Pius V. sua constitutione statuit quod iudex ad quem simul cum examinatoribus suis faciat nouum examen vnde tenetur sequi sententiam ipsorum pro maiori parte *argu. ex cap.*6. *sess.*25. Trident. vbi statuit quod adiuncti simul cum Episcopo procedant in criminalibus contra capitulares sine quorum consilio, & consensu nil validi agi potest,& sic examinatores in secunda instantia iudicis ad quem tenentur renuntiare de digniore, & Episcopus pro maiori parte sequi eorum votum. Quod si examinatorum vota æqualia sint, poterit Episcopus accedere ad partem cui maluerit vt notat Garcia *vbi suprà*, quem consule.

Resolvtio XXVII.

Vtrum à reprobatione examinatorum Synodalium detur appellatio.

SVMMARIVM.

1801 *Appellatio an detur à reprobatione examinatorum Synodalium?*

1802 *Circa præsentem resolutionem afferuntur oppositæ Sacræ Congregat. declarationes.*

SVppono cum Barbosa *in collect.ad c.*18.*sess.*24. Trid.*n.*171. recusatum in concursu Parochialis posse prouocare per electionem ad nouum examen coram iudice appellationis etiam antequam doceat de irrationabili iudicio Episcopi. Ita Garcia,& Gonzal. *citati resolut.præcedenti.* & ita fuit decisum in vna Vrbinatens.9. *Septemb.*1628.& in Reatina 16.*Martij* 1630.& in Roana 17 *Iunij* eiusdem anni in quibus fuit decretum, dandum esse nouum concursum in vrbe, & ad illum vocandum per electionem ab Episcopo. Ratio est: quia si appellans reiectus deberet prius docere de irrationabili iudicio Episcopi, cum hoc sit valde difficile, nunquam reduceretur ad executionem constitutio Pij Papæ V. & ita quasi frustratoria redderetur, vt dicebamus. Quare sufficit quod reipsa in examine ostendat irrationabiliter fuisse reiectum ab Episcopo, & examinatoribus. 1801.

Hoc supposito. Circa præsentem resolutionem oppositæ sunt Sacræ Congregationis declarationes. Nam apud Bellarm. sic habetur: *Non datur appellatio à reprobatione examinatorum,sed à mala electione Episcopi ex Bulla Pij V.* sed 7. *Augusti* 1600. sic decreuit apud Barbosam in declaratio. *Congregatio censuit à reprobatione examinatorum qui aliquem ex concurrentibus ad Parochialem Ecclesiam, vocatum minus idoneum, renuntiarunt, dari appellationem ad effectum deuolutiuum, non tamen suspensiuum.* Idem censuit 4. *Maij* 1592.in vna Vrbinatensi. Quæ declaratio explicat priorem, vt intelligatur de appellatione quo ad effectum suspensiuum, & sic non sunt oppositæ. 1802.

Quæ explicatio satis conformis est Sacro Concilio Trident. *cap.*18. *citato vbi versi. vlla deuolutio.* sic dicitur: *Nec prædictorum examinatorum relationem quominus executionem habeat, vlla deuolutio aut appellatio etiam ad Sedem Apostolicam siue eiusdem sedis legatos,* &c. *interposita impediat, aut suspendat.* Quare solum semouet appellationem quo ad effectum suspensiuum, ne quoad deuolutiuum. Ita Garcia *p.*9.*cap.*2. *n.*245. Salgado *de protectio.part.*2.*cap.* 13. *n.* 199. Massobr. *in praxi habendi concurs. requisit.* 5. *dub.*4. Barbosa *de officio Parochi cap.*2.*num.*138. 1603.

Resol.

Resolvtio XXVIII.

Vtrùm legatus à latere possit conferre Beneficium Parochiale sine concursu, & examine?

SVMMARIVM.

1804 *Legatus à latere an possit conferre Beneficium Parochiale sine concursu, & examine?*
Ratio dubitandi ibid.
1805 *Notanda pro resolutionis intelligentia.*
1809 *Solutio propositæ difficultatis.*

1804. NOtat Azor *part. 2. lib. 5. cap. 29. q. 1.* quod legatus qui dicitur natus in hoc distinguitur à legato qui dicitur à latere, quod ille ratione suæ legationis Beneficia conferre non potest nisi ius conferendi aliunde habeat; secus vero iste, qui Beneficia qnæcumque sita sunt in Prouincia legationis suæ valet libere conferre *cap. 1. de officio delegati in 6. cap. si à Sede de præbendis in 6. cap. cum dilectus de iure Patronatus.* Quare difficultas est; an legatus à latere possit Beneficium curatum sine concursu, & examine in illa Prouincia in qua receptum est Trident. inferre.

Ratio dubitandi est, quia legatus à latere potest conferre Beneficium Parochiale Clerico populi linguam, & sermonem ignoranti vt ex Gabar. docet Azor *vbi suprà quæst. 11.* etiam si sit regula Cancellariæ in oppositum, quia ista non extenditur ad Beneficia quę conferuntur à Legato ergo etiam dispositio Trident. ad idem non extenditur. Secundò, quia legatus à latere habet pro se præsumptionem quod Ecclesiam Parochialem dabit semper aptiori, ergo de illo non intelligitur dispositio Trident.

Sed pro resolutionis intelligentia noto quod aliud est Beneficium Parochiale, siue curatum, aliud Beneficium habens curam animarum vt notant Innocentius *cap. cum satis de officio Archidiac.* Azor *part. 2. lib. 3. c. 12. q. 5.* Nam Decanus Præpositus, & similes dignitates habentes iurisdictionem in Clericos, vel laicos habent quidem Beneficium habens curam animarum, at non habent Beneficium curatum cuius ius in eo consistit quod Parochus habeat populum cui Sacramenta, & sepulturam ministret, & cui verbum diuinum annuntiet. Vt optimè notat Antonius Gomez *in regula de idiomate q. 11. vers.* & ideo pro vero intellectu

1805.

Noto secundò, quod Cardinalis qui non est legatus à latere, in Romana Curia residens, extra suam Diœcesim, si vacat Beneficium curatum in illa, potest illud conferre dum modo ille cui confertur, sit examinatus ab examinatoribus deputatis à Papa vel eius Vicario in vrbe. Ita Diana *part. 5. tract. 2. resol. 42.* Massobri. *in praxi requisit. 7. dub. 42.* Qui verba Concilij exprimentis, & excludentis indultum S. R. E. Cardinalium, intelligunt de indultis extraordinariis, quæ competunt Cardinalibus respectu Beneficiorum quæ sunt extra suam Diœcesim, non vero de indultis ordinariis, & respectu Beneficiorum in propria Diœcesi.

1086.

Sed hæc Dianæ, & Massobri. resolutio magnam patitur difficultatem ex verbis Concilij *cap. 18. citato.* vbi pro forma ad electionem, & prouisionem validam faciendam statuit vt prouisio fiat in concursu præmisso edicto, & examine facto ab examinatoribus Synodalibus electis in Synodo cuiuscumque Diœcesis qui probè agnoscant qualitates examinandi vt de illis renuntient Episcopo, quis sit idoneus repertus? ergo quidquid fit contra huiusmodi formam non valet, sed irritum est, etiam si Episcopus sit aliàs S.R.E. Cardinalis vt tenent Riccius *in praxi resol. 351. vers. amplia.* Massobri *in praxi præludio 26. n. 23. & 24.* Rota *1. p. diuers. decis. 48.* etiam si examinatores sint assignati à Summo Pontifice, nisi ad hunc effectum assignet dispensando in dispositione Trid. vnde Sacra Congregatio apud Bellarminum declarauit. *Quod si Conuentus Parochiæ fit ab aliis examinatoribus quam à Synodalibus prouisio est nulla, & potest impetrari.* Quare sicut si Cardinalis sit in Hispania delegatus à latere, & in sua Diœcesi vacet Beneficium curatum non potest illud prouidere in examinatum ab examinatoribus Synodalibus alicuius Diœcesis Hispanæ; ita nec in examinatum ab examinatoribus Ordinariis Romanis. Quibus accedit quod in Beneficiis curatis reseruatis Sedi Apostolicæ, & quibusuis aliis etiam ex antiqua consuetudine, ordinarios proponere edictum concursus, & à Sede Apostolica prouisionem fieri approuato ab examinatoribus in Synodo Diœcesana deputatis, vt referunt decisum Germoni. de indultis Cardinal §. *quibusdam num. 17.* Salgado *tom. 1. p. 3. cap. 9. n. 98.* & alij quos refert, & sequitur Barbosa de officio Parochi *cap. 2. num. 14.*

1807.

1808.

Ex quibus infertur solutio propositæ difficultatis, quod legatus à latere non potest prouidere Beneficium curatum sine concursu, & examine: bene tamen Beneficium curam animarum habens. De hoc enim non intelligitur Decretum Tridentini vt supra latius ostendi resolut. Intelligitur tantum de Beneficio curato. Et legatus à latere non potest dispensare in Decreto Concilij Generalis introducentis formam substantialem.

1809.

Ad rationes dubitandi. Respondetur ad primum, transeat antecedens, & nego consequentiam quia Regula illa intelligitur de Beneficiis Collatis à Papa, at Decretum Trident. Cardinal. & omnes etiam legatos à latere comprehendit. Ad secundum respondetur quod illa præsumptio pro legato à latere non potest supplere formam substantialem introductam à Concilio, quia etiam per æquiualens suppleri non potest.

1810.

Resolvtio XXIX.

Vtrùm possit Episcopus admittere suos familiares consanguineos, & affines ad concursum Parochialium, quæ in suis manibus resignantur?

SVMMARIVM.

1811 *Episcopus an possit admittere suos familiares, consanguineos, affines, &c. ad concursum Parochialium, quæ in suis manibus resignantur.*
1812 *Quæ pœna sit imponenda Episcopis contrauenientibus constitutioni, &c. & ipsis Beneficia recipientibus.*

1811. SVmmus Pontifex Pius Quintus *anno 3.* sui Pontificatus Kalendis Aprilis, constitutio. quæ incipit: Quanta Ecclesiæ Dei. Statuit Episcopum non posse admittere ad concursum Parochialium in suis manibus resignatarum suos familiares consanguineos, & affi-

& affines & etiam reſignantium ; quam conſtitutionem amplexata eſt Sacra Congregatio Concilij,& declarauit Sammus Pontifex Gregor. XIII. & ſecuta eſt Rota in vna Parochi 28. *Iunij 1696.* & in altera Ciuitatis Caſtelli Parochial. 16. *Iunij* 1589. explicans quod non intelligatur de vocatione per obitum, ad hanc enim poſſunt admitti præfati. Hæc autem conſtitutio Pij V. non comprehendit Beneficia curata iuris Patronatus ſiue Eccleſiaſtici ſiue laici, vt declarauit Gregorius XIII.de qua declaratione fidem facit Cardinalis Matthæi, Congregationis decanus ad petitionem Archiepiſcopi Salernitani vt eam ex authentico refert proſper Auguſtinus ad Bullarium Quarantæ *verb. reſignatio part. 2. pag. apud me* 608. cum enim Beneficia debeant conferri præſentatis à Patronis, & non inter dicatur illis in præfata Bulla præſentatio conſanguineorum,affinium,&c.illis etiã poteſt conferre Epiſcopus ea Beneficia ſiue ſint conſanguinei etiam Epiſcopi, ſiue ipſius reſignantis, quia eo ipſo quod conſtitutio non intelligatur de Beneficiis iuris Patronatus, non comprehendit aliquos conſanguineos, quamuis Epiſcopus operam dederit,quod aliquis conſanguineus, &c. præſentetur.

1812. Quæ autem pœna ſit imponenda Epiſcopis cõtrauenientibus huiuſmodi conſtitutioni, & ipſis Beneficia recipientibus latè Azor *p. 2. lib. 7. c. 18. q. 5. §. Quæres.* qui ſibi contrarius ibi dicit :quod pœnam ſuſpenſionis contrahunt etiam ij qui Beneficia ſic dimiſſa recipiunt.Et §. *quæritur etiam.* Contrarium dicit, aſſerens quod hanc ſuſpenſionis pœnam ſolum contrahunt Epiſcopi, & ordinarij locorum conferentes Beneficia conſanguineis, & hoc eſt manifeſtum ex Bulla §. *quæ* quam pœnam in foro animæ non incurrunt,ſi per ignorantiam inculpabilem conferant.Quamuis in foro externo ignorantia iuris communis non admittatur. Verum eſt, quod etiam ſi ex ignorantia ſit facta collatio non impedit quominus ipſo facto nulla & irrita ſit, quia facta contra formam quam Pontifex inducit.

1813. Si vero loci Epiſcopus Cardinalis ſit, dubiæ quæſtionis eſt, an ſit ſuſpenſus, ſi Beneficium reſignatum conſanguineo ſuo aut familiari conferat. Verior eſt ſententia negatiua, & in praxi ſecura quam tenet ibi Azor *verſ. poſtrema dubitatio.* Et quidquid ſit de illa quæſtione: an Eminentiſſimi Cardinales ſubiiciantur pœnis ſtatutis in legibus generalibus Summi Pontificis quam ſatis confusè, & inſolutè tractat Diana *part. 5. tract. 2. reſol. 16.* tenendum eſt Dominos Cardinales Epiſcopos pœnam præfatæ ſuſpenſionis non incurrere,quia in dicta Bulla non ſunt expreſsè nominati *ex cap. periculum de ſententia excommun. in 6.* vbi Epiſcopis concedit Bonifacius VIII. ſpeciale priuilegium quod non incurrant ſuſpenſionem, aut interdictum niſi ſint expreſſi in lege. Quod priuilegium locum tenet in Cardinali. Qui etiam in lege lata contra Epiſcopos, & Patriarchas non comprehenduntur, quia ſupra iſtos aliquid amplius habent, niſi in lege addatur *Cuiuſcumque ſtatus, & conditionis ſint.* Vt notat Bandel. *tom. 1 diſp. 41. num. 7. verſ. tertio in lib. 5.* Legantur Panſi, *de reſignat. lib. 12. q. 4. n. 10.* Bonacina *de legibus diſp. 1. q. 1. punct. 6. num. 34.*

1814. Hæc dicta ſint pro illis locis in quibus vſu recepta eſt Bulla Pij V. præfata quod ſemper præſumitur vſu recepta niſi probetur contrarium. Vt tenet Rota in vna Hyporigienſ. Canon. coram Orano, *anno 1584. die 24. Maij,* quia ſemel Romæ publicata in foro externo vbique cenſetur publicata. Cæterum in Hiſpania admiſſa non fuit, imo de ea ſupplicatum eſt de ordine Philippi II. & ſic reſcriptum per Concilium Regium omnibus regni Epiſcopis vt refert Garcia *vbi ſuprà num. 270.* ſupplicatio autem facta Summo Pontifici à ſua lege ſuſpendit eius obligationem, & effectum quouſque non obſtante ſupplicatione adueniat ſecunda iuſſio. Vt in terminis tenent. Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 2. difficult. 16. num. 6.* Soſa *ad Bullam Clementis VIII. de largitione munerum num. 109.* Salas *de legibus tract. 14. ſect. 1. n. 2.* Anguianus *contro. 5. n. 8 & 9.* Suarez *lib. 4. c. 16. n. 8.* & alij plures quos citant, & ſequuntur Salgado *tom. 2. de ſupplicatione ad ſanctiſſ. p. 1. cap. 2. à num. 153. & n. 160.* ponit exemplum in Bulla iſta Pij V. Diana *tom. 1. tractat. 10. reſol. 6.* & ratio huius perſpicua eſt ; quia aut Pontifex videns cauſam iuſtam ſupplicationis, illam admittit, & ſic manifeſtum eſt quod ſuſpendit obligationem legis, quam petit ſupplicatio, aut non admittit expreſsè ſupplicam,quia iudicat cauſam iuſtam non eſſe, & eſt ſecunda iuſſio, & ſuæ legis confirmatio, & manet obligatio ipſius.

Aut non reſpondet, ſed tacet, & tunc quamuis Lorca 1. 2. *diſp. 20.* de legibus afferat legem obligare, quia non dum expreſſit legiſlator ſolutionem ab obligatione priori, & in dubio ſemper præſumendum eſt pro lege, & legiſlatore qui eſt in poſſeſſione imperandi, & maximè in Summo Pontifice ad cuius legis obligationem non requiritur populi conſenſus,quare ſi ſemel expreſſit voluntatem obligandi quouſque illam expreſsè retractat ſemper eſt in poſſeſſione : Quamuis (inquam) ita ſenſerit ſapientiſſimus Magiſter meus ſemper mihi ſumma veneratione colendus. Tamen contrarium tenendum, quia cum populus, & Rex ipſius nomine habeat actionem eſt iuſta cauſa ſupplicandi Pontificem de ſua lege vt minus congrua ſuis moribus, & conſuetudinibus politicis ſui Regni, quare ſi Pontifex taceat, & non confirmet legem, conſentire videtur in eius derogationem, niſi ex aliquibus circunſtantiis, & reſponſionibus inuolutis contrariũ deducatur. 1815.

Dubitabis an qui in concurſu, præuio examine, acquiſiuit non Sacerdos Beneficium curatum, cum intra annum teneatur Sacerdotium aſſumere ; ſi vel negligentia vel malitia ad eas temporis anguſtias ſit redactus vt non poſſit intra annum Sacerdos fieri ; valeat Beneficium iſtud in alium reſignare? & quidem ſi iſte alius ſit conſanguineus, &c. vbi Bulla Pij V. eſt vſu recepta non poteſt.Bene tamen poterit illud commutare,quia Pontifex vt notat Azor *vbi ſuprà* ſolum prohibet reſignationes, non permutationes. Si tamen reſignet in extraneum ; quidam apud Azor *vbi ſuprà cap. 19. quæſt. 4.* negant. At ipſe probabilius affirmat,quia vbi aliquid ſtatuitur vt fiat intra certum tempus, aliàs incurratur pœna aliqua ; vt iſta incurratur debet eſſe tempus tranſactum. Quamuis tempus quod deficit non ſit ſufficiens ad faciendum quod præcipitur. Vnde vt conſtat *ex cap. commiſſa de electio in 6.* Quis obtinet Beneficium curatum vſque ad vltimum diem anni in quo tenetur fieri Sacerdos. Ergo cum Beneficium ſit ſuum, poterit illud reſignare. 1816.

Resolvtio XXX.

Vtrùm si Examinatores Synodales vnum duntaxat approbauerint, vt idoneum cæteris oppositoribus exclusis teneatur Episcopus sub mortali illi conferre Beneficium curatum?

SVMMARIVM.

1817 *Examinatores Synodales si vnum dumtaxat approbauerint vt idoneum cæteris oppositoribus exclusis, an teneatur Episcopus sub mortali illi conferre beneficium curatum?*

1818 *Si examinatores approbent aliquem ad ordines, & per scrutinium constet esse bonæ vitæ, ac legitimi thori, &c. teneturne Episcopus illum ordinare?*

1823 *An conueniens sit, quod Episcopi sint difficiles in celebratione ordinum?*

1817. Respondeo affirmatiuè. Probatur, quia Episcopus tenetur conferre Beneficium curatum per concursum posito edicto, & præuio examine in quo cognoscatur idoneitas prouidendi, cuius iudicium pertinet ad examinatores Synodales: ergo si isti solum approbent vnum cæteris exclusis vt ineptis tenetur sub mortali Episcopus illum duntaxat eligere, nec potest facto iam examine Edictum prorogare. Secundò, quia eo ipso quod vocati sunt per edictum oppositores habent ius ad hoc quod Beneficium non detur aliis quam venientibus intra terminum edicti vt in superioribus latè probaui est communis & certa sententia ergo ille solus qui approbatur vt idoneus ab examinatoribus habet ius iustitiæ ex vi contractus per edictum initi ad Beneficium, atque ita contra iustitiam peccat Episcopus si illi non conferat, nisi aliàs Episcopus aliquid sciat certo, attinens ad mores, vel alias circunstantias quæ ignoratæ sũt ab examinatoribus, propter quas nõ expedire iudicauerit quod ille beneficium habeat. Quia si istæ circunstantiæ iuridicè constent Episcopo tenetur non prouidere; si autem iuridicè non constant, sed ipse certo illas agnouit poterit quidem non conferre Beneficium & vti notitia illa iuxta ea quæ in superioribus latè docui.

1818. Sed inquires si examinatores approbent aliquem ad ordines, & per scrutinia constet esse bonæ vitæ, ac legitimi thori &c. tenetur ne Episcopus illum ordinare? Ad titulum patrimonij non tenetur, nisi futurus iudicetur valde vtilis Ecclesiæ: si tamen habet Capellaniam collatam & Beneficium, vel sit Regularis, existimo teneri quia Beneficium datur propter officium, officium autem Ecclesiasticum est quod exercetur à ministro Ecclesiæ sacris ordinibus insignito, quare eo ipso quod beneficium habeat, si alias aptus est iudicatus tenetur Episcopus ipsum ordinare, & multo magis, si iam est Subdiaconus factus, quia ad alium statum retrogredi non valet.

Probatur satis efficaci argumento. Quia ille qui habet beneficium Ecclesiasticum, aut qui est iam subdiaconus potest compelli vt ordines sacros suscipiat. vt determinat Gelasius Papa *cap. consuluit dist.* 74. & Alexander III. *cap. Quæris de*
1819. *ætate & qualitate præficiendorum.* Ergo si ipsi petant (dummodo idonei sint) tenetur Episcopus ordinare. Quia semper resultat vtilitas Ecclesiæ quod in illa sint ministri idonei. Secundò, quia beneficia simplicia de quibus modo est difficultas (nam de curatis certum est, teneri Episcopum illos intra annum ordinare) aut habent ordinem sacrum sibi annexũ, & si beneficiatus petat ordinari ab Episcopo, si iste ordines facit, tenetur illum ordinare, aut dimissorias cõcedere, quia beneficiatus iste tenetur ordinem suscipere sacrum, quam obligationem non potest explere nisi per Episcopum.

Imo eo ipso quod beneficium acceperit, non 1820.
tenetur aliud examen subire, sed eo ipso quod iudicatus est aptus ad beneficium, censetur etiam aptus ad ordinem sacrum illi annexum ad quem suscipiendum ita est obligatus, quod si habeat animum, illum non suscipiendi, peccat mortaliter, & iuxta probabiliorem sententiam tenetur restituere vt optime Garzia *part. 3. cap. 4. num. 37.* multis citatis. contra Sanchez *lib. 7. de Matrimonio. disp. 45. num. 13.* cum enim *in cap. transmissa. verf. cæterum. de elect. in 6.* ponatur ratio, Quare Parochus non ordinatus intra annum teneatur fructus restituere. *Quia eos recipit fraudulenter, sine animo accipiendi sacerdotium*; & hæc ratio posita in lege currat in beneficio simplici cui annexus est sacer ordo, ad istum extenditur, quia quando ratio exprimitur in lege, extenditur ad omnes casus etiam in pœnalibus, in quibus vrget eadem ratio. *leg. cum mulier. 1. D. solut. Matrimon.* vbi Alexander & multis citatis tenet ipse Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 42. num. 4.* dicens: hanc esse communissimam & receptissimam sententiam.

Aut beneficium simplex non habet ordinem 1821.
sacrum annexum vt sunt præstimonia, Capellaniæ quæ possunt per substitutionem seruiri, & quamuis beneficiatus non peccat mortaliter, sed venialiter habens intentionem non suscipiendi sacros ordines vt probat Sanchez *disp. 45. citata num. 19.* & sic existimo. Quod si idoneus iudicatus est ab examinatoribus peccat venialiter Episcopus si ipsum non ordinet, imo mortaliter aliquando, cum ipsum exponat periculo dimittendi beneficium quo alebatur; & sine quo forsan vel mendicare cogeretur, vel aliis valde incidentibus negotiis se implicare. Tum etiam quia cum beneficia Ecclesiastica multa sint & instituta ad ministros Ecclesiæ alendos eisque minister Ecclesiæ quis constituatur non sitque minister perfectus, qui sacris ordinibus non est insignitus, si aptus iudicatur ad ministerium non video quomodo sine graui culpa possit Episcopus illum non ordinare, aut denegare dimissorias.

Quod si sine titulo quis sit ordinatus subdia- 1822.
conus, Episcopus ordinator, & eius successores tenetur ipsum alere, vel de beneficio prouidere & cæteros sacros ordines dare, quia iam retrogredi non valet. *Cap. accepimus 13. de ætate, & qualitate, &c.* & ibi Barbosa *num. 2. & 3.*

Inquires vlterius, an conueniens sit, quod 1823.
Episcopi sint difficiles in celebratione ordinum? Respondeo, quod in hoc attendendæ sunt multæ circunstantiæ, præcipuè vtilitas, & necessitas Ecclesiarum ministris idoneis indigentium. *cap. consuluit. 74. dist. cap. quæris de ætate, &c.* si enim istæ existant, tenentur saltim semel in anno celebrare, si aliàs impediti non sint. Hæc autem vtilitas & necessitas non solum attendi debent respectu Ecclesiarum secularium, sed etiam Regularium in quibus ferè semper est indigentia,

quod Religiosi fiant Sacerdotes ad inseruiendum ministeriis & officiis Regularibus quæ non conferantur nisi Sacerdotibus. Quod si necessitas non vrgeat, nec vtilitas speretur abundetque ministrorum copia sitque indigentia in Republica hominum ad bella & alia officia publica, satis conueniens videtur, quod domini Episcopi parci sint in ordinando, & rigidi valde in examine. Sic enim Noster Rex Philippus IV. *petiit anno* 1643. à Dominis Episcopis ne faciles se mõstrent ad ordines. Multiplicantur enim ministri Ecclesiastici non cum paruo detrimento Reipublicæ. Similiter deprecatus est Prouincialibus Regularium quod parci essent in nouitiorum receptione, & non nisi cum magno delectu & necessitate vrgente nouitios ad habitum admitterent.

Resolvtio XXXI.

De examine faciendo ad Beneficia simplicia, & quibus examinatoribus.

SVMMARIVM.

1814 *Verba Concilij Tridentini referuntur.*
1816 *Transcurruntur aliqua circa præfatum Concilij decretum & n.seqq*
1831 *An quando institutio, præsentatio, nominatio, & electio pertinet ad inferiores examen faciendum ab Episcopo sit de forma, itaut amitti non possit?*
1837 *An hoc examen debeat fieri ab Examinatoribus Synodalibus.*

1814. SAcrosanctum Tridentinum Concilium *sess.7. cap.13. de reformatione* sic decernit. *Præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis Personis etiam sedis Apostolicæ Nuntiis ad quæuis Ecclesiastica Beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiuscumque priuilegij, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ nisi fuerint prius à locorum ordinariis examinati & nullus appellationis remedio se tueri possit quominus examen subire teneatur. Præsentatis tantum electis, seu nominatis ab vniuersitatibus, seu collegiis Generalium studiorum exceptis. Ita ibi.*

Cardinalis Bellarminus *in obseruationibus doctrina huius Cap. littera A.* dicit in illa dictione *à quibusvis personis*, illa propositio *a*, delenda est, quia (inquit) non est in originali, & in antiquioribus exemplaribus non reperitur, & multi Patres qui Concilio interfuerunt, testantur ita scriptum Codicem. Quare illa verba. *Quibusvis Ecclesiasticis*, non in ablatiuo, sed in datiuo sunt constituta. Itaut examen ad simplicia iuris patronatus, etsi institutio pertineat ad inferiorem, tamen examen ad solum Episcopum pertinet, & ita (ait) declarauit Sacra Congregatio *die* 28. *Iunij anni*
1825. 1573. Sed in omnibus Conciliis correctissimè impressis impressione Vaticana & Plantiniana, est vt iacet in aliis illa propositio *a*. Deinde nullus alius adnotator Concilij & recollector declarationum id notauit, vt videre est in Farinacio, Matzilla, Barbosa in remissionibus & collectaneis. Deinde quia id clare constat ex hoc decreto in fine vbi fit exceptio à regula generali de examine faciendo præsentati, electi, seu nominati à quibusuis personis Ecclesiasticis, quod intelligatur in præsentatis, &c. vniuersitatibus, &c. & ita sicut in exceptione est propositio *ab*; ita in regula est propositio *a*. & vltimo. Quia Concilium quando *sess.25. cap.9. vers. Quod si.* se refert ad alias statuta à se Refert se ad hoc *c.* 13. in quo statuitur virtualiter quod præsentati, &c. à quibusuis personis Ecclesiasticis, si institutio ad inferiores pertineat, examinetur ab Episcopo. Quare sensus verborum optime cohæret, quod scilicet præsentati, aut electi, aut nominati à quibusvis personis Ecclesiasticis debeant ab ordinariis examinari, nisi collatio beneficiorum simplicium libere pertineat ad inferiorem tunc enim non requiritur hæc Episcopi approbatio per examen. vt notant Farinacius *versicul. instituantur.* Barbosa *in Collectaneis.n.16.* Aldana *in compendio lib.2.tit.5.n.13.* & declarauit Sacra Congregatio *die* 3. *Ianuarij* 1594. & refert Garcia *part.9 cap.3.num.19 declarat.3. & 4.*

Sed circa præfatum Tridentini decretum ali- 1826.
qua breui calamo transcurrere oportet. Primò, quod Concilium data opera loquitur de his qui præsentati, electi, aut nominati sunt ad Beneficia qui instituti non debent, nec confirmari, nec admitti sine præuio ordinarij examine etiam si institutio pertineat ad capitulum vt declarauit Sacra Congregatio apud Bellarmin. & Garciam; sicut & quod si agatur de Beneficio simplici iuris patronatus examen ad nullum etiam exemptum pertinet, nisi ad Episcopum, si tamen collatio Beneficij pertineat liberè ad Episcopum, nihil aliud requiritur nisi quod conferens cognoscat prouidendum habilem esse & idoneum Glossa *cap. ad monasterium 16.q.vlti. & cap. quoniam verbo. qui maioribus de iure Patronatus.* quare nec concursus neque examen à Synodalibus exigitur vt notat Palao ex Garcia *tract. 13. disput. 3. punct.4. num.1.* nisi adsit specialis constitutio Papalis vt in doctoralibus, & magistralibus, in quibus requiritur concursus & publicum examen, vel statutum à Papa confirmatum vt in multis Hispaniarum Ecclesiis prouidentur Beneficia patrimonialia ex Gonzalez *Regula 8. Gloss.6. à num.245.* ita obseruatur in Burgensi, Calagurritana, & Palentina.

Secundum, quod licet Concilium posuerit 1827.
exceptionem ab hoc decreto, in præsentatis, electis, seu nominatis ab vniuersitatibus, seu collegiis Generalium studiorum, in quibus non exigitur Episcopi examen, quia præsumuntur idonei tantum ad Beneficia simplicia, nam quantum ad Beneficia curata limitata est hæc exceptio *sess.24. cap.18.* ad hæc enim omnino requiritur examen factum per examinatores Synodales, & aliter prouisio facta, est nulla.

Tertium, quod vt constat *ex sess. 25. cap.9.* ita vult Concilium, quod præsentati, &c. examinentur ab Episcopo, quod iste *possit, si idonei non sint, repellere, & si ad inferiores, institutio pertineat, ab Episcopo tantum examinentur, alias institutio ab inferioribus facta, irrita sit & inanis.* circa quæ verba sunt sequentes Cardinalium de- 1828.
clarationes contra Lambertinum, quod inferior qui potest instituere, non potest examinare, & approbare præsentatum. Sic enim statuit Concilium contra ius commune vt notat Bellarminus ibi etiam si institutio pertineat ad Monachos, quamuis isti habeant iurisdictionem ordinariam in præsentatos quos instituunt. Ita Congregatio *apud Barbosam die* 18. *Iunij* 1573. & Garciam *vbi suprà declarat.2.* qui plures alios coaceruat ad intelligentiam decreti *cap.13.*

Vnde

Vnde fit, quod quando Concilium ibi dicit. Quod examen debet fieri à locorum ordinariis, per ordinarium intelligit Episcopum & non alios etiamiurisdictionem ordinariam habentes,quamuis sint legati à latere. Sic enim explicuit idem Concilium *sess. 25. cap.9. de reformat.* referens
1829. se ad prefatum *cap.*13. sic enim dicit: *quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tantum iuxta alias statuta ab hac Sancta Synodo examinentur.* nisi referat se *ad cap.*13. *sess.*14. vbi dicit: quod Patrono non licet præsentare ad Beneficia sui iuris Patronatus, nisi Episcopo loci ordinario. Quæ præsentatio ideo soli Episcopo facienda est ad effectum vt examinet, vt notat Bellarminus ibi: & declarauit Sacra congregatio apud Barbosam *num.*1.

1830. Vnde Episcopus potest cogere Beneficiatos vt ostendant Bullas suæ prouisionis, & si examinati non sunt, potest declarare nullas electiones, si sine examine factæ sunt, & compellere ad fructuum restitutionem, nisi velint se examini subiicere, tunc enim si idonei sint reperti potest eadem Beneficia conferre, si tamen bullas non ostendunt sufficit,vt possideant,si legitimè constat fuisse institutos præuio examine. Nisi obligati fuissent ad expediendas bullas, tunc enim obstat illis Bulla Iulij II. edita aduersus eos qui possessiones Beneficiorum adipiscuntur non expeditis omnibus. Vicarius tamen Episcopi habens generale mandatum ad omnes causas, potest hoc examen perficere & instituere præsentatos, imo & Vicarius Capitula sede vacante Gonzalez *vbi suprà* Glossa 9. *à num.* 78. Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.*44. *quæs.* 5. *& lib.* 6. *cap.*22. *quæs.* 3. Garcia *part.* 5. *cap.* 8. *à num.* 84. & declarauit Sacra Congregatio in vna Abulens. anno 1593.decano Cardinali Matheio.

1831. His igitur prænotatis, supereſt dubium circa præfatum decretum. An quando institutio, præsentatio, nominatio & electio pertinet ad inferiores, examen faciendum ab Episcopo sit de forma, ita vt omitti non possit? Castro Palao *vbi supr. à num* 4. dicit: Primum, quod si beneficium simplex sit de libera Episcopi collatione, non est necessarium examen tanquam forma, sed sufficit quod prouidendus sit notus tanquam habilis Episcopo conferenti tum quia Concilium loquitur de beneficiis iuris Patronatus per institutionem, præsentationem, &c. ab inferioribns, Episcopo præsentation,eelectione, nominatione habendis. Tum etiam quia sic declarauit Sacra Congregatio apud Garciam quando collatio pertinet ad inferiores libere facienda, ita Barbosa *in collectaneis num.*1. Masobr. *in praxi Regula.*10. *dubio* 1. *n.*2. *campanili in diuers. iuris rubrica.*5. *c.*3.*n.*6. Gonzalez *Glossa* 4.*n.*84.

1832. Ex quo fit quod eo ipso quod Episcopus aliquem approbauit idoneum ad Sacros ordines, ipsum examinare non debet ad conferendum simplex Beneficium. Ita habetur expresse *cap. accepimus* 13. *de ætatate & qualitate.* ita tenent ibi Hostiensis *num.*15. Ioannes Andreas.*num.*13. Abbas *num.*3. Campanili *vbi suprà num.*8. Gonzalez *num.*84. Rota *decis.* 16. *n.* 1. *part.*2. *diuers.* & multi alij quos citat & sequitur Barbosa *ibi num.*5. *qui num.*6. cum Glossa *verbo reputare* dicit, quod qui reputatur dignus in vna dignitate, si postea eligitur ad alteram, etiam tunc dignus debet reputari, nec indiget nouo examine & expresse in Canonicatu declarauit Sacra Congregario in vna Ianens. 6. *Iunij* 1592. & sic stilus curiæ obseruat, nisi vbi per concursum, examen fit. Ratio est,quia eædem qualitates requiruntur ad ordines, & ad Beneficium simplex, nisi per longum tempus ab studiis recessetint, ita vt rationabiliter præsumatur oblitus, vt quotidie contingit.

1833. Quam doctrinam dicti hius intellige, nisi beneficium simplex habeat annexam Sacramentorum administrationem, vt animarum curam,tunc enim etiam si prouidendus sit Sacerdos, examen subire debet, nisi aliunde ex examine ordinati Episcopo constaret eius habilitas.Ita Gonzalez *n.* 101.*qui n.*102. aduertit doctrinã præfatã non esse veram in beneficiis simplicibus qualificatis requirentibus specialem industriam & consilium,quod non requirunt sacri ordines. Quamuis iam insignitus ordine sacro quem petit dignitas, aut Canonicatus non debeat examinari quantum ad litteraturam. Sic habet sacra Congregatio *ad c.*12. *sess.*24.in his (inquit)qui Diaconi,vel Subdiaconi, aut Presbyteri sunt, petuntque admitti in Cathedralis Ecclesiæ Canonicatu, qui cum ordinem sacrum quem ipsi habent requirunt sibi in forma dignum collatos, opus non esse examine quod ad explorandam litteraturam. Pertinet eos vero qui sacros ordines non susceperunt examinandos esse an ea habeant adiumenta doctrinæ quæ ex præscripto Concilij Tridentini necessaria sunt illi sacro ordini, qui Canonicatui quem consequi volunt erit annexus. Hæc ibi *apud Garciam part.*6. *cap.*2. *num.*234. Quare Episcopus conferens huiusmodi simplicia etiam qualificata, si prouidendus, est ordinatus ordine Sacro illis annexo non est necessarium quod examinet de scientia, bene tamen potest de moribus, & vita, prudentia, &c.

1834. Sed nunquid examen ad ordines minores vel ad primam tonsuram sit sufficiens ad conficiendum beneficium simplex? ratio difficultatis est. Quia Doctores loquuntur de examine ad sacros ordines; at minores non sunt ordines sacri qui incipiunt à Subdiaconatu. Sed verius est sufficere. Quia & *ex cap. accepimus citatum.* absolute loquitur de ordinibus. Sic enim dicit Alexander tertius. Quos à te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constarer,eo præsertim quod ad obtinendum beneficium debes idoneos reputare,quos ad ordines suscepisti. Authores vero ordines minores sacros appellant, in quantum sunt sacræ cerremoniæ & Sacramenta. Quare beneficia simplicia non requirentia sacrum ordinem potest Episcopus conferre illi qui prima tonsura ordinauit, & habet alia requisita in ætate,&c.sine nouo examine.

1835. Dicit secundò Palao, quod quando institutio pertinet ad inferiores Episcopo præsentati, electi, nominati debent examinari, itaut examen sit de forma substantiali, quando qui præsentant, eligunt, aut nominant sunt personæ Ecclesiasticæ, Secus vero si sint laicæ. Quod si sint laicæ non requiratur examen pro forma,hoc vltimum probat. Quia Trident. *sess.*7.*cap.*13. solum loquitur de iure patronatu Ecclesiastico. citat pro se Garcia *de Beneficiis part.*9. *cap.*3. *num.* 9. sed non intellexit Garciam, qui loquitur de præsentatis à personis laicis, quorum institutio pertinet ad Episcopum, nam si pertineat ad inferiores Episcopo, necessario requiritur examen,vt determinat sacrum Concilium *sess.* 25. *cap.* 5. vbi dicit: *Ad hæc liceat*

Episco

Episcopo præsentatos à Patronis, si idonei non sint repellere, quod si ad inferiores institutio pertineat ab Episcopo iuxta alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur, alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit & inanis vbi Concilium loqui de Patronis etiam laïcis manifestissimum est ex antecedentibus & consequentibus. Ita vt mirer hominem aliàs valde doctum, contrarium sensisse. Ex antecedentibus, & capitis proœmio clare constat semonem esse de Patronatuum iuribus prout comprehendunt laïcos, Ecclesiasticos, & mixtos. ibi sicut *legitima Patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum fundatione violare æquum non est, sic etiam*, &c. quod decreti proœmium omnes quoscumque iuris patronatus comprehendit. Cumque *Proœmium det intellectum toti legi iuxta Curtium Iuniorem cons.* 185. *num.* 2. *& Iasonem leg. qui quadraginta col.* 2. *D. ad Trebell. qui dicit, quod sicut corpus ab anima, ita dispositio à proœmiali ratione regitur.* Decretum hoc *cap.* 9. intelligitur de patronatibus etiam laïcis, quod etiam constat ex consequentibus, etenim post *vers. Ad hæc.* subdit Concilium: *Patroni autem Beneficiorum cuiuscunque ordinis, etiam si communitates, vniuersitates, collegia quæcumque clericorum, vel laïcorum existant.* Dubitare ergo non licet. Quod si institutio ad inferiores Episcopo pertineat præsentatis siue à laïcis, siue Ecclesiasticis Patronis examinari debent, quantumuis notoriè idonei & apti sint.

1836. Quod verò examen hoc sit forma insupplebilis, & substantialis declarauit Sacra Congregatio apud Seraphinum in vna Calagurit. 28. *Iuij, anno.* 1599. quæ est *decisio* 1323. vbi citatur alia *decisio* Rotæ coram Pamphilio senio. in qua *ann.* 1589. idem fuit decisum, quod in quolibet ascensu requiritur nouum examen, quando institutio pertinet ad inferiores, secus vero, quando institutio pertinet ad Episcopum, tunc enim non requiritur examen, sed sat est, quod idoneitas nota sit Episcopo instituenti.

Sed an hoc examen debeat fieri ab examinatoribus Synodalibus; existimo quod de rigore iuris non. 1837. Quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 18. solum constituit examinatores Synodales in prouisione Parochialium, in aliis vero locis, dum examen requirit ad beneficia simplicia, non facit de illis mentionem. Quamuis satis probabile sit quod examen hoc debeat fieri à Synodalibus, quia Concilium *cap.* 9. *citato.* dicit: Quod præsentati à Patronis, ab Episcopo iuxta alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur. vbi in margine citatur *cap.* 18. *sess* 24. in quo pro forma examinis inducitur, quod fiat ab examinatoribus Synodalibus Quare de hoc satis congrua esset sacræ Congregationis declaratio.

Resolvtio XXXII.

De Examine Dominorum Episcoporum.

Episcopo an Theologia, an Canonum peritia.

CVm ex Episcoporum recta electione tota fere corporis Ecclesiæ reformatio dependeat, 1838. Summi Pontifices, & Concilia varia decreta edidere vt in re tanti momenti error vitetur. Et ouium Christi recta educatio, Pastorum scientia in dignoscendis pascuis quibus nutriantur in fide & charitate compareat. Quare Alexander III. in Concilio Lateranensi *relat. cap. Cum in cunctis. de electione.* dicit. Quod nullus in Episcopum eligatur, nisi qui vita & scientia commendabilis demonstretur. Et sacrum etiam Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *Scientia* (ait) *eiusmodi polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere, ideoque ante in vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor, aut licentiatus in sacra Theologia, aut iure Canonico merito sit promotus, aut publico Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, à superioribus suæ Religionis similem fidem habeat, &c.* Vnde Gregorius XIV. *in Bulla quæ incipit: onus Apostolicæ. edita* 1. *Maij* 1590. *Quæ in Bullario Cherubini est 6. huius Pontificis*, & ibi refertur ad verbum *pag.* 691. *tom.* 3. & in Compendio Flauij Cherubini filij *tom* 2. *fol.* 250. in qua Pontifex exoptat, vt decretum præfatum Tridentini (cui tanquam Episcopus Cremonensis interfuit.) exequatur, mandans, vt fiat peculiaris diligentia circa doctrinam assumendi in Episcopum, ita quod priuilegium doctoratus, Magisterij, aut licentiaturæ nemini suffragetur. Sed de eius doctrina fiat inquisitio, nisi ex aliqua publica functione, notoria sit, eius capacitas & aptitudo, vt si esset cathedraticus, aut multis annis aduocatus cum populi applausu, aut Vicarius alicuius insignis Episcopi. De cuius constitutionis Gregorianæ intelligentia late Parisi. *de resignation. tom.* 7. *lib.* 8. *q.* 5.

Vnde Pius V. in Bulla, quæ incipit, *quamuis à Sede Apostolica Doctor præsumatur doct.* edita *anno* 1568. *anno* 3. sui Pontificatus Nonis Iunij quam referunt Laertius in magno *fol.* 256. & Flauius in paruo *tom* 2. *fol.* 91. vt doctoratus gradus requisitus à Concilio, non sit res de solo titulo, aut titulus sine re, sed sit fundatus in vera sapientia, decernit, promotos ad gradus doctoratus, vel licenciaturæ (à comitibus Palatinis, & quibusuis Romanæ curiæ Collegiis, singulisque aliis personis quibus Sedes Apostolica hos gradus dandi priuilegium concessit) non gaudere graduum prærogatiua quantum ad effectum habendi Episcopatum & alias maiores dignitates, ad quas gradus isti exiguntur ex iuris dispositione. 1839.

Præter hæc, attendens negotij grauitatem 1840. Clemens V. statuit, quod ad Episcopatum assumendi in Italia, in Romana Curia coram summo Pontifice, & Sacra Congregatione Cardinalium, aliorumque grauium, & peritorum Prælatorum, viuorum: In Hispania vero & Gallia coram S.R.E. Legatis ibi existentibus, coram Sedis Apostolicæ Nuntiis, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis de speciali Papæ mandato, assistentibus aliis Prælatis, ac peritis viris, vt huiusmodi negotij grauitas requirit se examini subiiciant, qui approbati, & non aliàs ad Ecclesiarum regimina admittuntur. Ita Barbosa *ad cap. cum in cunctis* 7. *de electio. num.* 20. sed de modo examinis pro Hispania dubito,

SVMMARIVM.

1838 *Adducuntur verba Concil. Trid sess.* 22. *c.* 2.
1839 *Item Bulla Pij V. & statutum Clem. V. circa examen eorum qui ad Episcopatum sunt assumendi.*
1842 *Quæ scientia debet magis splendescere in*

dubito, an sit in vsu. In Vrbe vero pro Italia rigorosè practicatur, ad quod sunt assignati examinatores speciales, qui semper sunt viri docti & graues & aliquos grauissimos ego agnoui.

1841. Et tandem Vrbanus VIII. mandauit, processum confici inquisitionis super qualitates ordinandorum ad Cathedrales, quem latè adducit Barbosa *de Potestate Episcop. part. 1. titulo 1. cap. 5. post numerum quartum pagina apud me 20.* qui confectus est iuxta Bullam Gregorij XIV. & quidem iure optimo examinatur Episcopus de scientia, tum quia illius defectus sufficiens est vt deponatur *cap. finali de ætate, & qualitate.* in quo Honorius III. deposuit Episcopum Calinens. quia erat *illiteratus* toleratur tamen si ob longam experientiam scit recte munia Episcopalia obire, maxime si ministros habeat sapientes. Tum etiam quia scientia in Episcopo est loco caracteris vt *in cap. 1. Epist. ad Titum* ait Theopilactus. & Paulus dicit: Episcopum debere esse doctorem vt doceat non solum exemplo vitæ, sed sapientia & doctrina. Vt ait Chrysostomus in cuius conformitatem plura adducit Barbosa *vbi supra. tit. 2. Glossa. 10.*

1842. Sed quæ scientia debet magis splendescere in Episcopo, an Sacra Theologia, an Canonum peritia, dubium est. Quod hic superuacaneum est examinare. Legantur Barbosa *vbi supra allega. 1. num. 24.* Azor *part. 2. lib. 3. cap. 28. q. 10.* & alij quos refert Barbosa *ibi. & ad cap. cum in cunctis. citatum num. 21.* cum istæ duæ facultates se habent sicut excedens & excessum respectu exercitiorum Episcopalium Nam ad hæreses pellendas maioris efficaciæ est Theologia. At quantum ad forum iudiciale, quantum ad censuras, matrimonia, contractus, &c. maioris vtilitatis est Canonum peritia. Sed absolutè facta comparatione, Theologia præferenda est. Quod dico ratione ductus, non vt meam scientiam defendam. Munus enim Episcopi est docere, diuini verbi enunciatione, illustrare mysteria fidei populo, & oues pascere, vnde in eius consecratione non intetrogatur, an sciat vtrumque ius, sed an vtrumque testamentum? vnde in Trident. *sess. 22. cap. 3.* in assumendis ad Episcopatum proponitur loco priori Theologus, & postea Canonista. Quare ita tenent omnes communiter Caiet. *2. 2. quæst. 18. art. 3.* Salon. *quæst. 63. art. 2. controuer. 2* Aragon *ibi pagina 308. colum. 1. vers. de scientia* & alij innumeri.

Resolvtio XXXIII.

Examen Ordinandorum à quibus examinatoribus faciendum?

SVMMARIVM.

1843 *Ordinandorum examen à quibus Examinatoribus sit faciendum?*
Synodi Trid. verba sess. 23. cap. 7. de Reformat. ibid. Episcopus non tenetur sibi adsciscere examinatores Synodales ad examen Ordinandorum ibid.

1844 *Decretum Trid. comprehendit etiam regulares.*

1849 *Nunquid Episcopus Titularis, vel in aliena Diœcesi possit Regulares ordinare cum dimissoriis suorum Prælatorum?*

ORdinandos quantumuis regulares exempti sint, examini Episcoporum subiicendos esse statuit Sacrosancta Synodus Tridentina *sess. 23. cap. 7. de reformat.* vbi dicitur: quod *Episcopus Sacerdotibus & aliis prudẽtibus viris peritis diuinæ legis, atque in Ecclesiasticis Sanctionibus, exercitatis sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter inuestiget & examinet.* 1843.

Ex quo decreto constat, non teneri Episcopum ad examen ordinandorum sibi asciscere examinatores Synodales, qui solum ex dispositione Trident. requiruntur ad examen in concursu pro beneficiis faciendum. Ad ordines enim solum tenetur adducere examinatores, qui sint periti & prudentes, &c. quamuis non sint Synodales, nisi forsan alij qui habeant qualitates hic à Concilio requisitas commode haberi non possint.

Quod Tridentini decretum quantum ad examen de scientia etiam Regulares comprehendit, sic enim habetur *cap. 12. eiusdem sess. Regulares quoque nec* in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine *ordinentur, priuilegiis quibuscumque quo ad hoc penitus exclusis.* cum enim doctrina sit quid extrinsecum aduenies, & non nisi labore & sudore acquiratur, de nullo iuridicè præsumitur in esse, & sic non per testes, aut famam probari debet, sed actuali examine. Quare priuilegia quæ concesserunt Eugenius IV. Monachis Sancti Benedicti. & Greg. XIII. Patribus Societatis Iesv, vt habitis dimissoriis suorum Prælatorum, non possent ab Episcopis, quibus dictas dimissorias ostenderent, examinari; cum expresse sit contra Concilium Trident *cap. 12. sess. 23.* reuocatum est per Bullam Sixti V. quæ incipit: Sanctum & salutare. *editam anno 1588.* & est in Bullario 91. & postea idem declarauit sacra Congregatio. 1844.

De aliis vero qualitatibus in ordinandis, requisitis à Concilio *cap. 5.* satis erit Episcopo testimonium habere ab ordinandorum superioribus, nec amplius possunt exquirere, sed tenentur fidem tali testimonio dare. Sic declarauit Sacra Congregatio *sub die 12. Iunij 1587. apud Bellarminum. ibi in obseruationibus doctrinæ.* tenet Nauarrus. *consilio 3. num. 2. de filiis Presbyterorum.* Henriquez *lib. 10. summ. cap. 23. §. 4. in Glossa littera L.* Rodriguez *tom. 3. quæst. 24. art. 1.* Campanili *in diuerso. rubrica 12. cap. 13. num. 35.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 10. num. 22.* 1845.

Verum est quod Domini Episcopi possunt fidem dare superioribus regularibus testificantibus quod habeant subditi, quos ordinandos mittit, sufficientem doctrinam & sic non eos subiicere examini, quando enim testes sunt omni exceptione maiores fides illis adhibetur, etiam dum deponunt de scientia & doctrina; quare in Regularibus, inter examen doctrinæ & aliarum qualitatum, vt ætatis, morum &c. hoc est discrimen, quod Episcopus tenetur credere superioribus deponentibus de aliis qualitatibus, non tamen de doctrina, sed potest si vult, de illa examinare, at non tenetur. 1846.

Tum secundò, quia Episcopus securus in praxi se potest conformare opinioni multorum asserentium, quod vt Regularis ordinetur sufficit, quamuis probè non sciat grammaticam, quod sciat legere latinè & habeat vocem ad cantandum in Choro vt pluribus citatis docet Diana *part. 2. tract. 16. resolut. 29. & part. 3. tract. 2. resolut. 7. &* 1847.

part. 4

part.4 tract. 2. resolut. 74. vbi concludit: *(& ideo sine vllo metu & scrupulo possunt Domini Episcopi, hanc opinionem in praxim deducere* & dixerat prius. *Sufficit quod constet prædictis dominis Episcopis per litteras testimoniales suorum Prælatorum, religiosos ordinandos esse examinatos & sufficienter litteris instructos ad ordines suscipiendos, neque hoc est contradictor. & cur magis debet credere Episcopus sæculari examinatori, quam Prælato Regulari testificanti de scientia & sufficientia ordinandi?* Ita Peyrinis *de Religioso Prælato q.3. cap.7. num.20.* vbi alios citat.

1848. Verum hic obiter est aduertendum Dominos Episcopos posse ordinare regulares qui communicant priuilegiis eorum ordinum quos infra adducam, extra tempora Dominicis, aut aliis festiuis diebus. Ita concessit fratribus Minoribus Paulus V. *Bulla expedita Kalendis Decembris anni 1609.* & Gregor. XIII. *Patribus Societatis die 22. Septembris* 1582. & Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ Portugalliæ Clemens VIII. *die 23. Nouembris* 1596. quibus concessit posse ordinari extra tempora per quemcumque Episcopum tribus Dominicis vel diebus festiuis continuis, aut interpollatis non seruatis interstitiis. Cui magno priuilegio facile sine scrupulo se possunt conformare D D. Episcopi. De quo videndi Rodriguez *tom.3. quæst.23. art.5.* Portel *in dubiis verbo Ordines num.4.* Hieron.Rodriguez *resolut. 106.num.7.* Miranda *in Manuali tom. 1. quæst.38. art.3.& 4.* (qui negat hoc licitum Religiosis, sed sine fundamento.) & Philibertus Marchin. *de Sacram.Ordinis tract.1.part.8. cap.7.* qui optime aduertit *num.1.* Quod his priuilegiis derogatum est decretum Tridentini. *sess.23.cap.5.& num.4. & 5.* ex Diana *part.2.tract.2.resolut 112.* quod quamuis Suarez *lib.8.de legib. cap.17.num.8.* & Vasquez 3. *part.tom.3.disputat.246.num.50.* dicat quod priuilegium concessum de hac re à Gregor.XIII. Patribus Societatis non potest deseruire aliis Religionibus, etiam si in priuilegiis eiusdem Societatis participent. Ratio est clara. Quia alij Pontifices hoc priuilegium concesserunt aliis Religionibus absque aliqua limitatione vt Paulus V. Minoribus, & Clemens VIII. Patribus Euangelistis.

1849. Sed nunquid Episcopus titularis vel in aliena Diœcesi possit regulares ordinare cum dimissoriis suorum Prælatorum; & quidem nullum Episcopum etiam sibi facto priuilegio ordinandi,quemcumque posse ordines conferre, decretum est à Trident. *sess.6.cap 5.& sess 7.cap.11.& sess.14.c.2.* si tamen Episcopus aliquis habeat licentiam expressam à loci ordinario, nuntio Apostolico, aut Legato à latere exercendi pontificalia, potest etiam ordines conferre propriis subditis, non vero subditis ordinarij.Sic declarauit sacra Congregatio *die 6. Iunij* 1595. vt refert Aldana *in compendio resolutio.lib. 1.tit. 8.num 3.* vnde poterit etiam ordinare tribus diebus festiuis Regulares portantes suorum Prælatorum dimissorias iuxta tenorem suorum priuilegiorum, idem etiam poterit Episcopus titularis habens priuilegium sibi concessum ordinandi quoscumque ad se venientes ex Trident. *sess. 14. cap. 2. vers. Nemo Episcoporum.*

1850. Sed an si virtute horum Priuilegiorum quis Regularis ordinetur Sabbatho Quatuor temporum Subdiaconus, possit die Dominica sequenti, ordinari Diaconus & feria secunda si festiua sit,Sacerdos? Negat Marchin.*vbi supra cap.6. à num.3.* Probat. Quia in iure & iuxta Sanctorum Patrum sanctiones Vespera Sabbathi Quatuor temporum in quo de iure celebrantur ordines, & mane diei Dominici reputatur vnus dies Ecclesiasticus *cap. dilectus & cap.litteras de temp.ordin. & cap.Quod à Patribus 75.* & probat P.[illegible] *lib.2. cæremonialis. sect.15.cap.3. num.2.* at vno die non licet duos ordines sacros suscipere vt constat ex capitibus & iuribus citatis & tradit Trident. *sess.13. cap.13.* alias tam ordinans,quam ordinatus suspensionem incurrunt àqua solus Papa dispensat. Si incurritur ipso facto.

Sed ego existimo contrarium esse valde probabile, & in praxi securum. Quod collegio ex discursu Patris Suarez de censuris *disput.31.sect.1. num.42.* vbi dicit quod quis de iure communi 1851. non potest initiari duobus sacris ordinibus quibus designata sunt iure communi ieiuniorum tempora. Si enim quis vnũ recipiat Sabbato,& alterum, Dominica aut fit cõtinuato ieiunio & sic vno die ieiunij recepit duos ordines, quod non licet: aut fit non continuato ieiunio, & ordo qui recipitur die dominica, recipitur extra tempora. Ergo cum iam hodie non continuetur ieiunium Sabbati ad diem dominicam consuetudine abrogante vsum antiquum cum iam dominica quæ sequitur ad quatuor tempora proprium officium habeat distinctum à Sabbato, dies dominica est diuersa dies Ecclesiastica à Sabbato & extra tempora, quare habent priuilegium recipiendi ordines sacros extra tempora tribus diebus festiuis continuis dubio procul postquam recepit, Sabbato temporum subdiaconatum potest die dominica immediata, Diaconatu initiari. Hoc argumentum mihi euidens est hodie contra Marchin.

Qui tamen notat ex Fagundez de quinque præcepti. præcepto 1. *lib.1. cap.2. num.12.* & 1852. aliis quod per dies festiuos non solum intelliguntur illi in quibus ab operibus vacatur seruilibus, sed etiam illi in quibus absque præfata cessatione officium duplex recitatur. Sed ego id intelligerem de duplici maiore, etiam si non sit dies feriatus, non de duplici ordinario, non ita propriè festiuus dies dicitur. Et hodie post Bullam Vrbani VIII. in qua plures dies feriatos ab operum seruilium cessatione abstulit, dubio procul in illis possunt regulares vti hoc priuilegio. Non tamen per illud eximuntur Regulares ab Episcoporum examine si ipse vult examinare.

Sed anno præterito interrogatus fui de quodam dubio, de quo nihil apud Authores dictum inueni. Quidam iam Subdiaconus & Religionem ingressus dum Nouitius esset, voluit Prælatus 1853. ipsum aliis ordinibus sacris duobus diebus festiuis virtute huius priuilegij initiari. Dubitabatur an posset? & quidem nouitios qui non sunt ordine Sacro insigniti, non posse ordinari sacris ordinibus sub grauibus pœnis decreuit Pius V.Bulla quæ incipit: Romanus Pontifex sacros. edita *anno 1568* titulo quidem Paupertatis, vt ordinantur professi, nam titulo Beneficij, aut patrimonij non prohibuit Pontifex ordinari nouitios.

Et quidem ego valde probabile existimo nouitium posse de licentia Superiorum Regula- 1854. rium ordinari tribus diebus festiuis, sicut alius professus. Moueor sequentibus,

Primò, quia nomine subditorum in fauorabilibus veniunt Nouitij qui priuilegiis professorum gaudent

gaudent. Ita Sanchez *lib.6. ſummæ. cap.10.n.22.* Aſcanius Tamburin. *de iure Abbatum tom.2. diſput.2.quæſt.27.num.2.* Suarez *de Religio.tom.3. lib.5. cap.16. num.17.* & multi alij quos citat & ſequitur Diana *part.3. tract.2. Reſolut.7.* Henriquez *lib.7. cap.22. num.7.* Azor *part.1. lib.12. cap.2. quæſt.10.* Sayrus *de cenſuris lib.7. cap.13. num.6.* Vnde Dominicus *cap. Religioſo. §.quamuis numero 3. de ſententia excommunicat. in 6.* dicit: Quod ingrediens profeſſionem alicuius generis perſonarum gaudet priuilegiis conceſſis perſonis illius profeſſionis, licet non firmato proposito ſit effectus illius. Sequitur Barboſa *de iure Pontificio lib.1. cap.27. num.171.* ex quo principio quod mihi certum eſt, colligunt præfati. Quod Prælatus Regularis poteſt dare dimiſſorias Nouitiis ſicut profeſſis ad Ordines ſuſcipiendos, cum appellatione Religioſi veniat in fauorabilibus Nouitius, & ſic gaudet priuilegio Canonis, & quod dum excommunicantur ſeculares, hoc vel illud facientes non comprehenduntur Nouitij.

1855. Secundò, quia vt in ſuperioribus dixi. Ex declaratione Clemens VIII. facta Monachis Fulienſibus, Nouitij ligantur reſeruatione caſuum. Vt tenent præter ibi citatos Salas 1.2. *diſp.14. ſect.5. in fine.* Peregrinus *in additionibus ad conſtitut. Theatinorum part. 3. quæſt. 8.* & ſatis probabile dicit Marchinus *vbi ſuprà part. 6. cap. 4. num. 12.* ergo multo melius gaudebunt priuilegiis ordinandi ſe tribus diebus feſtiuis. Quare ſicut eſt tutum in praxi quod Nouitiis poteſt ſuperior concedere dimiſſorias, ita eſt tutum in praxi quod Nouitiis poteſt Superior cõcedere dimiſſorias, ita eſt tutum in praxi, quod tituli Beneficij, ſi quod habent, poſſit concedere quod ordinentur tribus diebus feſtiuis, ſic enim cogentur mendicare, quæ fuit ratio motiua Pij V. Vnde tutiſſimè, & ſapientiſſimè P. Suarez *tom. 4. de Relig. tractat.8. lib.2. cap.29. num.12.* de Abbatibus, qui poſſunt ſubditos profeſſos minoribus initiare, quod poſſint etiam Nouitios. Vt latè ibi probat, nec inconuenit, quod Nouitius ſi mutet voluntatem, ad ſeculum redeat cum caractere Ordinum minorum, quia ipſemet Nouitius voluit ordinari. Quare minus graui fundamento Marchinus *part. 2. cap. 20. numero 13.* dixit opinionem Suarez videri minus tutam, & rationabilem,

1856. Sed obiicies ex Marchino *vbi ſuprà partic. 6. cap. 4. numero 13.* Priuilegia à iure communi exorbitantia ſunt limitanda, & non extendenda. Regula 28. Quæ à iure communi *de regulis iuris in 6.* vbi omnes. At hoc priuilegium exorbitat à iure communi. Ergo non extendendum. Reſpondeo regulam eſſe intelligendam de priuilegio conceſſo alicui perſonæ in particulari; non de conceſſo Religioni communi vt tenent Portel *part.3. caſu 49. ad 2.* Barboſa *in Collectaneis ad illam regulam numero 4.* Sanchez *de Matrim. lib.8. diſputat.1. numero 13.*

***

Resolvtio XXXIV.

Examen ad confeſſiones audiendas à quibus examinatoribus perficiendum?

SAcrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.23. c.15.* ſtatuit, *nullum Sacerdotem etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.* Decretum hoc valde vtile fuit Eccleſiæ, & quo abuſus intolerabiles circa Sacramentum pœnitentiæ ablati ſunt, varia, eaque grauiſſima dubia continet, quæ à Doctoribus variè exagitantur. Ego vero ea ſub breuitate tranſcurram, ediſſerens ea dumtaxat quæ auditoribus meis, Romæ, & Compluti dictaui. Et quidem in Sacerdotibus ſecularibus, neceſſariam eſſe Epiſcopi approbationem, vt poſſint confeſſiones ſecularium audire, omnino certum eſt, vt conſtat ex loco citato Tridentin. Quod verum etiam tenet quantumuis Epiſcopus iniuſtè deneget approbationem, quia ante iſtam, nullam iuriſdictionem habent, nec illam intendit Pontifex concedere ſine approbatione Epiſcopi re ipſa habita. Etſi enim Epiſcopus iniuſtè deneget, cum Sacerdos nullum habeat ius ad confeſſionem audiendam, ante præfatam approbationem. De regularibus vero dicam infrà. *dubio 4.* 1857.

§. I.

Qui teneantur ſe examini ſubiicere ad audiendas confeſſiones.

SVMMARIVM.

1858 *Sacerdos quicumque ſiue ſæcularis, ſiue Regularis debet examini ſe ſubiicere, niſi Parochus ſit, aut Epiſcopus.*

CErtum eſt omnem quemcumque Sacerdotẽ (ſiue ſæcularis ſit, ſiue Regularis) examini ſe ſubiici debere niſi Parochus ſit, aut Epiſcopus qui quantum ad hoc cenſetur Parochus vniuerſalis totius Diœceſis. Eo enim ipſo quod quis electus eſt ad Parochiam, & committuntur oues, cenſetur idoneus aliàs, licet non per examen ad id ordinatum, habet enim Paſtor iuriſdictionem ordinariam in ſuas oues. Per Beneficium Parochiale etiam intelliguntur omnia illa quibus eſt cura animarum annexa, vt ſunt Abbates, Archipreſbyteri, Archidiaconi, & multa alia de quibus Barboſa *de poteſtate Epiſcopi allegat. 58. à numero 18. vſque ad 39.* Quamuis concurſu non conferantur. 1858.

Ex quo fit quod nullus quantumuis magna præfulgeat dignitate in Eccleſia, examen huius Decreti effugere poteſt, ex vi huius Decreti ſi Epiſcopus vult, quamuis ſit Cardinalis, niſi ſit Legatus vel à latere, qui habent iuriſdictionem in tota Prouincia ſuæ legationis, neq; enim quod, quis ſit Cardinalis factus iudicatur idoneus ad audiendas confeſſiones fideliũ. Quamuis quia ſunt Eccleſiæ 1859.

Cardines, & de corpore Pontificis quæ vniuersalem iurisdictionem habet in omnes fideles non videatur incongruum quod ex tacita Papæ licentia satis rationabili possint vbique confessiones audire. Similiter Archiepiscopi dum actu visitant suffraganeorum Diœceses posse illorum subditos absoluere, siue per se, siue per alios, tenent Suarez *disput. 15. de pœnit. sect. 1. num. 14.* Coninch *disputat. 8. num. 21.* Barbosa *de potestat. Episcopi alleg. 25. num. 7.* secus vero si actu non visitent, sed itineris causa per illas transeant.

DVBIVM I.

De Doctoribus, & Magistris.

SVMMARIVM.

1860 *Doctores, & Magistri in Sacra Theologia, vel in iure Canonico, an debeant subiici examini vel iudicio Episcopi illos approbantis, vt confessiones audire valeant?*

1860. DE Doctoribus, & Magistris in Sacra Theologia, vel in iure Canonico, maximè quorum notoria est scientia per Cathedrarum Theologalium, aut Canonum actualem Regentiam, vel per publicam famam, Dubium non paruum est, an debeant subiici examini vel iudicio Episcopi illos approbantis, vt confessiones audire valeant. Triplex opinio adducitur à Fagundez *de præceptis Ecclesiæ præcepto 2. lib. 7. cap. 2. à n. 67.* Prima est asserentium, huiusmodi homines famosos non indigere Episcopi approbatione, sed eo ipso quod his gradibus sint insigniti, & eorum scientia sit notoria, iure ipso reputantur idonei, & Academia Sum. Pontif. nomine eos examinauit, & idoneos iudicauit & laurea dignos. Vnde in Concilio dicitur: quod nullus confessiones audiat, *nisi ab Episcopis per examen, alias idoneus iudicetur.* Et sic manifestum est, quod Concilium non requirit examen tanquam simpliciter necessarium sed solum quod ab Episcopo aliàs quis iudicetur idoneus, ipso autem facto tenetur secundum regulas prudentiæ idoneum in scientia iudicare, eo ipso quod Academia insignis vt Complutensis, & Salmantina, & aliæ similes aliquem laurea Doctoris, & Magistri iudicauit dignum, & sic eo ipso quod iste titulos authenticos ostendit Episcopo, iste quantum ad scientiam tenetur approbare, nec enim iudicium Episcopi magis ponderat, quam iudicium Vniuersitatis. Pro hac sententia citat Henriq. *lib. 3. de Pœnitentia cap. ...num. 2. in glossa littera. O* grauissimos & sapientissimos Magistros Salmantinos, Manzium, Gallo, Medinam, Bañez, Sebastianum Perez Episcopum Oxomensem qui de Sacramentis egregiè scripsit.

1861. Quorum sententia vt probabilis sit (vt æquum est iudicare de tantis viris & Magistris) sic intelligenda est; quod prędicti viri famosi in scientia, & pro illius sufficientia rigoroso examine præmisso laureati, vel publica fama noti, non debent de illa ab Episcopo examinari, sed eo ipso quod per testimonium publicũ constet Episcopo de gradu & fama, *aliàs iudicantur idonei.* sed non eo ipso illis confert iurisdictionem delegatam vt suas oues possint à peccatis mortalibus absoluere, quia ad hoc requritur vt ab Episcopo conferatur licentia, & iurisdictio. Sic tenent Guttierez *lib. 1. Canonic. cap. 6. num. 9.* Corduba *in summa casu 16.* Rodriguez *in explicatione Bullæ §. 9. num. 4.* Menochius *de arbitrar. casu 465.* Palacios *in 4. distinct. 17. quæst. 7.* & sic aliud est idoneitas, aliud licentia. Nec eo ipso quod quis sic dicitur idoneus, censetur habere licentiam, & sic Concilium postquam dixit: debere esse idoneos vel per examen, vel aliàs, addit: & approbationem obtineant. Sine qua quamtumuis idonei ab Episcopo iudicentur, iurisdictionem non habent ab Episcopo delegatam. Vtrumque enim exigitur à Concilio, & quod sit idoneus iudicatus, siue per examen, siue aliàs: & quod approbationem obtineant, id est, licentiam.

Totum hoc confirmatur. Quia licet Pius V. *Bulla 133.* in Bullario reuocauerat, id quod concessit Regularibus, motu proprio *edito anno 1567. 17. Kalendas Iunij Pontificatus sui anno 1.* quod cum sola ministri Generalis, vel Prouincialis approbatione, possent secularium audire confessiones. Tamen Gregorius XIII. *Bulla 9. quæ incipit. In tanta rerum. edita anno 1572. Pontificatus sui anno 1.* reduxit ad terminos iuris communis, expressam mentionem faciens §. 4. de hoc examine. At qui iure communi, & eiusdem Concilij graduatus in aliqua Vniuersitate idoneus iudicatur, vt eligatur Episcopus, aut dignitas habens iurisdictionem. Vt constat *ex cap. 2. sess. 22.* ergo quamuis non possit eligi nisi approbatus ab Episcopo, tamen eo ipso quod Episcopo constet, talem esse laurea Doctoratus insignitum, iudicatur ab eo idoneus. Et si non (vt dixi) eo ipso conferatur iurisdictio. Et quidem quod si non approbetur nullam accipiat iurisdictionem, quamuis idoneus iudicetur, post Concilium Tridentinum non potest esse dubitatio, nec hoc senserunt præfati Magistri Salmantini, & Complutenses. 1862.

Sed quod habet difficultatem non paruam, est; an isti Doctores, & Magistri ab Episcopo vt idonei iudicati, quamuis non concedente iurisdictionem, possint eligi in confessarios virtute alicuius priuilegij v. g. Bullæ Cruciatæ, aut alterius Iubilæi quibus cõceditur fidelibus vt possint eligere confessarium ex approbatis ab Ordinario. Ego quidem existimo probabile etiam in praxi, posse. Ita Manuel Rodriguez in additionibus ad Bullæ explicationem §. 9. *numero 4. versicul. a la qual duda.* Guttierez *vbi suprà cap. 27. num. 22. vsque ad 27.* Henriquez *lib. 6. de Pœnitentia cap. 6. §. variis modis.* Ludouicus à Cruce *disputat. 1. cap. 2. dub. 6.* Trullench *in expositione Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 4. numero 5.* Valerus *verbo nullitas. differentia 5. numero 3. vers. sextò fallit: in fine.* & hanc opinionem necessario tenentur docere omnes illi qui dicunt, quod confessor approbatus ab vno Ordinario vbique locorum potest absolutè eligi virtute Bullæ, aut iubilei, quos sequitur, & larga manu refert Diana *part. 1. tractat. 11. resolut. 7.* etenim approbatus ab vno Episcopo non habet iurisdictionem delegatam nisi ab illo Episcopa in sua Diœcesi, & non habet in aliis Episcopatibus, & sic in illis potest eligi: ergo si in vno 1863.

approbetur

approbetur, & non conferatur ei iurisdictio poterit similiter eligi.

1864. Probatur, quia vt optimè probat Guttierez, duplex est approbatio: vna simplex quæ non est aliud, quam iudicium externum Episcopi, quo quis iudicatur idoneus vita, moribus, & scientia. Alia est approbatio efficax, vt sic loquar, quæ præter iudicium de idoneitate, dicit licentiam, & iurisdictionem delegatam, quam approbando confert Episcopus ad absoluendum oues suas, quæ duæ approbationes separabiles sunt, cum possit Episcopus iudicare, & approbare aliquem idoneum ministrum ad audiendas confessiones, & tamen illi non conferre iurisdictionem vt de suis ouibus cognoscat. Vel quia non vult, vel quia erga illum malè est affectus. Vel quia non habet necessitatem tot ministrorum, vel quia iudicat expediens suis subditis quod talem confessorem non habeant, id quod quotidie contigit in Religionibus in quibus multi iudicantur idonei ad confitendum Religiosos, & tamen Superior illis non confert iurisdictionem, vel quia non vult, vel quia non iudicat expedire. Quando autem Pontifex suo priuilegio concedit quod quis possit eligere confessorem ex approbatis ab Ordinario non intelligit de approbatis efficaciter cum licentia, & iurisdictione ab ipso delegata. Sed de approbatis approba-

1865. tione simplici, hæc enim vera approbatio est, cum sit Episcopi testimonium de idoneitate, & sic approbatis confert Pontifex iurisdictionem ad absoluendum eo ipso quod eligatur à pœnitente vt optimè Cardinalis de Lugo *de Pœnitentia disputat. 21. sect. 2. num. 53.* & Vasquez 2. *part. quæst. 93. art. 3. dub. 3.* Ludouicus à Cruce *n. 11. qui notat n. 10.* ideo hodie in Bulla Cruciatæ appositum esse. Ex approbatis ab Ordinario quia in prioribus Bullis absolutè dabatur licentia, & facultas eligendi quemcumque Sacerdotem, & sic multi eligebantur indocti in magnum animarum detrimentum. Quod euitatur, si nullus eligi possit nisi approbetur idoneus ab Episcopo. Ab ipsoque nulla conferatur iurisdictio, quia confertur à Pontifice. Supposita idoneitate subiecti externa Episcopi approbatione vt constat *extrauaganti super Cathedram de sepulturis, & Clementina dudum eodem.* Nec Concilium aliud requirit, nisi quod quis iudicetur idoneus, & approbationem, hoc est externum testimonium siue in scriptis, siue in voce quis obtineat.

1866. Hæc dixerim vt appareat probabilitas opinionis Magistrorum Salmanticensium, & aliorum, qui solum dicunt quod Episcopus tenetur approbare Doctores, & Magistros graduatos (nisi noua aliqua causa superueniat) non quod illis debeat dare iurisdictionem argumento manifesto *ex cap. accepimus 13. de ætate, & qualitate,* &c. vbi dicitur quod Episcopus tenetur approbare ad Beneficium, illum quem anteccessor approbauit ad Ordines. Quod supra multis probaui Resolut. ergo quem Vniuersitas approbauit præuio rigoroso examine, etsi teneatur se præsentare Episcopo, iste tamen tenetur ipsum idoneum iudicare & approbare, nisi aliqua causa de nouo aduenial eius notitiæ, tam circa mores, quam circa scientiam.

1867. Sed quamuis hæc sententia non improbabilis vt putauit Fagundez *num. 67.* sed valde probabilis sit: tamen contraria mihi probabilior videtur tum quia communior, & seccuriot, tum quia existimo quod licet approbatus idoneus in vna Diœcesi possit virtute Bullæ eligi à quocumque, tamen extra illam puto esse ineligibilem quia illa verba ab approbatis ab Episcopo intelligi debent de Episcopo ipsius pœnitentis vt dicam §. sequenti.

DVBIVM II.

De Prælatis Regularibus.

SVMMARIVM.

1868 *An Prælatus Regularis Canonicè electus, vt possit audire confessiones secularium indigeat Episcopi examine, & approbatione.*

1869 *Sententia valde probabilis circa præcedens dubium.*

SEcundum dubium est; An Prælatus Regularis Canonicè electus, vt possit audire confessiones secularium, indigeat Episcopi examine, & approbatione? Affirmat Cardinalis Lugo *vbi supra numero 9.* secutus Suarez *de Pœnitentia disput. 28. sect. 4. num. 21.* & Ludouicus à Cruce *vbi supra dub. 11. num. 8.* dicit: Contrarium neque esse verum, neque in conscientia tutum. Sequitur Diana *part. 2. tract. 2. miscellaneo resolut. 46.* Trullench *vbi supra dub. 1. num. 6. in fine.* Rodriguez *in explicatione Bullæ §. 9. num. 4.* tum quia Prælatura Religionis etsi habeat animarum curam annexam, tamen non est propriè Beneficium curatum, aut Parochiale quod requirit Trident. vt ab approbatione Episcopi aliquis eximatur. Tum etiam quia Prælatus Regularis, etsi quoad vitam & mores & regimen Regulare sua electione sit satis approbatus, & sic respectu suorum non indigeat alia approbatione superiorum ad absoluendum illos à peccatis, cum habeat iurisdictionem Ordinariam; tamen respectu secularium de quibus loquitur Concilium non habent ex vi suæ electionis sufficientem approbationē scientiæ. 1868.

Sed negatiua sententia valde probabilis est, 1869.
quam sequuntur Valerus *vbi supra versiculo quinto fallit.* vbi citat P. Salas in manuscriptis quantum ad eligibilitatem ab habentibus Cruciatam. Idem senserunt Doctores Salmanticenses citati *vbi supra* quos sequitur P. Henriquez *lib. 7. de indulgentiis cap. 12. num. 3. in Glossa littera K.* Ratio est, quia Concilium Tridentinum eos eximit ab examine, & Episcopi approbatione qui habent Beneficium Parochiale: at qui Superiores, & Prælati Regulares habent proprium Beneficiū Parochiale. Ergo liberi sunt ab examine Episcopi, & approbatione, sine qua possunt sæcularium confessiones audire. Minor ostenditur. Quia Beneficiū Parochiale vt optimè Azor *2. p. li. 3 c. 12. q. 5.* ex Gomezio in Regula de idiomate, in eo consistit, quod illud possidens habeat quibus Sacramenta, & sepulturam ministret, & det; & quibus diuinum verbum annuntiet, quod totum habent Prælati Regulares.

Vnde Abbates, Præpositi, Priores, Guardiani dicuntur Beneficiati, & habere iurisdictionem ordinariam in suos, quos excommunicare, absoluere, corrigere iure possunt. Ei

1770. ordinariè ſapientiores, & prudentiores ſunt, quam multi Parochi ſæculares. Quamuis iſti ſtrictiori vocabulo non ſint Beneficiati, tamen propriè beneficiati ſunt. Licet latiore voce, hoc eſt, ſecundum genus Beneficij, vt ſatis ad rem multis citatis probat eruditus Garcia *de Beneficiis part.*1. *cap.*6. *numero* 38. *&* 39. & ſic habent proprium Beneficium Parochiale, quod ſolum exigit Concilium vt quis Epiſcopi approbationem effugiat. Sic enim Concilium propriè intelligitur, ſicut dum nomine Diœceſis quando profertur in iure intelligitur propriè etiam ciuitas vt docent Gloſſa 2. *cap. vnico de rerum permutatione in* 6. vbi Gambarus *numero* 106. Felinus *cap. Rodulphus num.* 8. *de reſcriptis.* Gonzalez *Gloſſa* 43. *num.* 195. cum multis aliis quos refert, & ſequitur Garcia *vbi ſuprà num.*76. *&* 77.

1771. Hæc ſententia vt dixi valde probabilis eſt, ſi Prælatus Regularis notum faciat Epiſcopum de ſua electione, niſi alias valde notoria ſit. Sed prior ſententia iudicatur ſecurior, quamuis, quantum ad eligibilitatem per Bullam exiſtimem ſecuram in praxi iuxta ea quæ dixi de Magiſtris & Doctoribus, & iuxta ea quæ dicam dubio ſequenti.

DVBIVM III.

De Parochis.

SVMMARIVM.

1872 *Parochus an vt poſſit eligi virtute priuilegij ab aliis, quàm à ſuis ouibus, ſe debeat ſubiicere examini Epiſcopi, & eius approbationi: vel ſufficiat quod habeat Beneficium Parochiale?*

1873 *Concilium ſolum concedit facultatem abſoluendi ei qui habet Parochiale Beneficium reſpectu ſuarum ouium reſpectu quarum approbatus intelligitur.*

1874 *Virtute Bullæ Cruciatæ Summus Pontifex concedit vtriuſque ſexus fidelibus, vt poſſint eligere confeſſarium approbatum ab Ordinario, cui eo ipſo quod eligatur, tribuit iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis.*

1876 *Inter Parochum, & alium confeſſorem approbatum abſolutè quantum ad idoneitatem in ſcientia, & moribus, etſi habentem limitatam iuriſdictionem nullum diſcrimen conſtituunt Henriquez, Fagundez, &c.*

DVbium tertium eſt. An Parochus vt poſſit eligi virtute priuilegij ab aliis quam à ſuis ouibus, ſe debeat ſubiicere examini Epiſcopi, & eius approbationi: vel ſufficiat quod
1772. habeat Beneficium Parochiale? Cardinalis Lugo *vbi ſuprà numero* 12. *&* 13. diſtinguit de priuilegio. Aut enim per hoc conceditur, quod quis poſſit eligere confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, vt conceditur in Bulla Cruciatæ, & ſic eo ipſo quod quis habeat Beneficium Parochiale poteſt à quocumque eligi. Aut dicitur in priuilegio quod confeſſor eligibilis, ſit approbatus ab Ordinario loci, vt dicitur in iubileis, & ſic non poteſt eligi in alia Diœceſi. Probatur prior pars. De qua modo eſt difficultas, quia eo ipſo quod quis accipit Beneficium Parochiale approbatur ad audiendas confeſſiones, quia hoc, Beneficium habet ab eo qui eſt Ordinarius, ſiue accipiant à Papa, ſiue à Nuntio eius, vel Legato vt latè oſtendit Sanchez *lib.*3. *de Matrimon. diſputat.* 28. ergo eligi poteſt virtute Bullæ. Sic enim habet praxis communis fidelium. Quare ſicut eo ipſo quod quis ſit Parochus non ſolum poteſt audire confeſſiones ſuarum ouium, ſed etiam aliorum Paſtorum de eius licentia: ita eo ipſo quod ſit Parochus eligi poteſt virtute Bullæ, cum ſit approbatus ab Ordinario. Et ſic eo ipſo quod eligatur; Pontifex illi concedit facultatem abſoluendi. Quam ſententiam tenent Bonacina *diſputat.*5. *de Pœnitentia quæſt.*7. *punct.*4. §.1. *numer.* 23. Fagundez *vbi ſuprà num.*32. Diana *part.*1. *tract.*11. *reſol.*8. Filliucius *tom.*1. *tract.*7. *cap.*9. *num.*257. Valerus *verbo abſolutio differentia* 1. *num.*16. & multi alij quos iſti citant.

Sed non videò quomodo cohæreat hæc ſen- 1773.
tentia Cardinalis Lugo cum alia quam ipſe ſequitur, & latè defendit *à num.*17. quod ille qui ex defectu ætatis eſt approbatus ad audiendas ſolum confeſſiones virorum, & non mulierum, non poſſit eligi ad harum confeſſionem excipiendam. Tum quia Concilium ſolum concedit facultatem abſoluendi ei qui habet Parochiale Beneficium reſpectu ſuarum ouium, reſpectu quarum approbatus intelligitur. Etenim approbatio Parochi eſt dumtaxat reſpectiua, quia ſolum tribuit poteſtatem, non abſolutam, ſed reſpectiuam, ſicut approbatio ad abſoluendos viros, & non fœminas; ruſticos, & non negotiatores. Sicut enim ait Cardinalis approbatio reſpectu virorum ſolum tribuit iuriſdictionem reſpectu illorum, non reſpectu mulierum, ita Beneficium Parochiale habet ipſo iure dumtaxat iuriſdictionem reſpectu ſuarum ouium, & non aliorum. Quod ſi poteſt audire confeſſiones aliorum de licentia Parochi, hoc ideo eſt, quia Parochus poteſt delegare ſuam iuriſdictionem alteri Sacerdoti, maximè ſi approbatus ſit, etiam approbatione reſpectiua reſpectu ſuarum onium, vt multi volunt, & mihi eſt valde certum. Non tamen ex hoc ſequitur quod ſine licentia Parochi poſſit eligi ab alienis ouibus qui non eſt approbatus abſolutè, ſed ſolum quia habet Beneficium Parochiale ex vi cuius ſolum habet approbationem, & iuriſdictionem reſpectiuam. Non enim eſt verbum in Concilio quod vel leuiter inſinuet habentem Beneficium Parochiale eſſe vniuerſaliter, & abſolutè approbatum. Vel ſi poteſt, etiam poterit eligi à fœminis virtute Bullæ qui eſt approbatus ad audiendum dumtaxat viros.

Secundò, quia virtute Bullæ Cruciatæ Sum- 1774.
mus Pontifex concedit vtriuſque ſexus fidelibus, vt poſſint eligere confeſſarium approbatum ab Ordinario, cui eo ipſo quod eligatur, tribuit iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis; non enim Ordinarius loci eam tribuit, quando pœnitens non habet caſus reſeruatos, nullum priuilegium concederet illi Summus Pontifex. Hanc autem poteſtatem abſoluendi, ſicut tribuit Pontif. habenti Beneficium Parochiale iuriſdictionem reſpectiuam reſpectu ſuarum ouium ex vi Beneficij quod non exigit aliam: ita concedit approbato ab

Epiſcopo

Episcopo ad audiendas confessiones virorum, & non mulierum quas potest absoluere si ab illis eligatur.

Cuius ratio est perspicua. Quia Pontifex dum concedit priuilegium eligendi confessorem approbatum, cui tribuit iurisdictionem absoluendi; solum exigit eam approbationem quæ de iure communi exigitur, & conceditur. Atqui approbatio ista iuridica, quamuis limitetur ab
1875. Episcopo ad iurisdictionem ab ipso delegatam, quia hæc est voluntaria, & potest delegari in parte, & non in totum; tamen si quis approbetur in scientia, & moribus, & idoneus iudicetur ad audiendas simpliciter secularium confessiones, hæc, inquam, approbatio limitari non potest. Quantum ad iurisdictionem ab vniuersali Pastore concessam quia solum exigit approbationem idoneitatis subiecti, cui conceditur in scientia, & moribus. Si autem ob horum defectum non limitatur, sed solum ratione ætatis, eo ipso subiectum est capax recipiendi totam iurisdictionem à Papa vt possit absoluere quemcumque à quo eligatur, sicut potest qui habet Beneficium Parochiale. Quod si ex defectu scientiæ limitetur approbatio ad hos, & non ad illos, ad hunc locum, & non ad alium, non vtique poterit eligi absolutè à quocumque, quia non est plenè capax subiectum totius iurisdictionis Papalis. Quæ de iure solum requirit mores, & doctrinam, quare si ista limitata est, etiam est idoneitas, & capacitas subiecti, quod manifestum discrimen noluit aduertere Cardinalis. Pontifex enim dum hoc priuilegium in Bulla concedit, non attendit particulares Episcoporum constitutiones secundum quas exiguuntur aliquæ conditiones, vt quis etiam aptus iudicatus scientia, & moribus possit mulieres à peccatis absoluere.

1876. Quare inter Parochum, & alium confessorem approbatum absolutè quantum ad idoneitatem in scientia, & moribus, etsi habentem limitatam iurisdictionem nullum discrimen constituunt Henriq. Fagund. Fay, Nuño, Bonacina, quos citat Lugo. Quibus adiungo Ioannem Valerum *verbo absolutio differentia 1. num. 15.* Acostam *in expositione Bullæ q. 39.* Rodrig. *§. 6. dub. 5.* Trullench *lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 3. num. 6.* Diana *p. 1. tractat. 11. resolutio 9. & 10.* Ledesma *in summa tractat. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 13. dub. 8.* & satis indicat Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disputat. 34. numero 16.* tangens ibi fundamentum quod supra posuimus. Quia approbatio Ordinarij ad audiendas confessiones de iure communi non attendit tam ætatem quam scientiam, & mores, vnde quando Pontifex per speciale breue committit confessori approbato Doctori vel Magistro in Theologia, vt in confessione dispenset votum castitatis, siue hoc votum sit viri, siue sit fœminæ, confessor approbatus solum ad audiendas virorum confessiones, potest cum fœmina dispensare in tali voto, & ipsam à peccatis absoluere. Hoc enim fine exigitur, quod sit confessor approbatus ab Ordinario. Ita Sanchez *vbi suprà*, qui virtute huius breuis potest eligi à fœmina, ergo etiam virtute Bullæ Cruciatæ, sic Parochus potest eligi.

1877. Ex quo colligitur, quod Parochus qui reliquit Beneficium Parochiale resignatione, commutatione, aut per Religionis ingressum, & actu illud non habet, licet non possit etiam ouium præteritarum confessiones audire, potest tamen virtute Cruciatæ eligi ab illis, & aliis quibuscumque totius Diœcesis. Ita Ludouicus de la Cruz *vbi suprà dub. 7.* Ioannes de la Cruz *part. 2. de Sacramento Pœnitentiæ quæst. 9. dub. 8. conclus. 4.* dicentes id esse probabile, & absolutè tenent Villalobos *tom. 1. tractat. 27. clausula 9. §. 1. numero 4.* Rodriguez *§. 9. citato numero 4.* Acosta *in explicat. Bullæ quæst. 39.* Fay in additionibus *ad 3. part. quæst. 8. art. 5. disput. 3. conclus. 4. ad 3.* Ratio est: quia iste per derelictionem Beneficij, non amisit approbationem de idoneitate; sed solum iurisdictionem actualem: ergo potest eligi virtute Bullæ.

Tum etiam quia dum Concilium exigit quod 1878.
quis habeat Beneficium curatum vt possit secularium confessiones audire, hoc requiritur tantum, vt possit audire, etiam si non eligatur; sed ratione iurisdictionis Beneficio annexæ non tamen est necessarium quod habeat actu Beneficium curatum vt virtute priuilegij possit eligi, vt absoluat ratione iurisdictionis concessæ à Pontifice. Quæ sententia quidquid alij dicant, valde probabilis est, & tuta in praxi, (quod multo magis tenet verum in Episcopo, qui Episcopatum relinquit) nisi Beneficium curatum auferatur per sententiam iuridicam ob defectum scientiæ, aut ob delictum. Tunc enim aufertur idoneitas requisita à Sacro Concilio. Vnde Sacerdos priuatus absolutè à Sancto Inquisitionis Tribunali, audiendi confessiones, nullo modo potest eligi etiam virtute Bullæ Cruciatæ, quia est declaratus non idoneus. Si vero sit priuatus solum ad tempus, poterit eligi.

Quæ dixi in hoc dubio tertio, solum sunt 1879.
probabilia, & ea adduxi contra Cardinalem Lugo argumentando ad hominem. Quod neque Parochus potest eligi virtute Bullæ ab ouibus alterius Parochi sine eius licentia. Neque ille qui ad certum locum est determinatus vel solum ad audiendas virorum, vel puerorum confessiones non potest eligi virtute Bullæ à mulieribus. Ita tenent Cardinalis Lugo *vbi suprà* Suarez *3. part. disput. 28. de Pœnitentia section. 7. num. 3.* Ioannes de la Cruz *de Pœnitent. quæst. 5. dub. 8. conclus. 3.* Villalobos *in explication. Bullæ clausula 9. §. 1. num. 3.* Ludouicus à Cruce *disput. 1. cap. 2. dub. 9. num. 9.* & probabilem reputat Fagundez *vbi suprà num. 45.*

Et quidem quantum ad sæculares mihi videtur certa. Quia isti accipiunt iurisdictionem ab Episcopo iuxta ipsius approbationem; si autem non accipiunt iurisdictionem simpliciter, non sunt simpliciter approbati, & iudicati idonei, sed solum secundum quid & quoad partem; iudicat enim satis rationabiliter quod qui non habet ætatem maturam quadraginta annorum, & si sit idoneus in scientia, non sit idoneus moribus, ad mulierum confessiones excipiendas; vbi autem quis non est simpliciter approbatus non est eligibilis per Bullam quæ de simplicitet approbatis in vita, & moribus debet intelligi. Etenim in vtroque debet iudicari idoneus vt possit eligi in ordine ad rectum regimen eorum quorum confessiones excipit. Quare qui solum sunt approbati ad viros, isti illos possunt eligere, vt absoluant à reseruatis, &c. etiam à Summo Pontifice, non tamen possunt illos eligere mulieres.

Dixi quoad sæculares, nam quoad Regulares alia est ratio (quidquid dicat Fagundez *num. 17.*) isti

1880. enim non accipiunt iurisdictionem ab Episcopis locorum, sed immediatè à Summo Pontifice, præsuppositа approbatione Episcoporum vt dicam infra; quare eo ipso quod sint approbati ab Episcopo in scientia, Pontifex eo ipso confert iurisdictionem respectu omnium fidelium vtriusque sexus, quando enim hoc priuilegium concessit regularibus non distinxit ætatem, & ipsos in moribus approbauit, nec Episcopus cum non sit illorum Pastor potest præsumere in ordine ad iudicium de idoneitate quod ex defectu ætatis non sit moribus idoneus, sed potius debet præsumere contrarium, eo ipso quod superiores regulares ipsum ad examen præsentent, quod solum sit de scientia non de moribus. Quod secus contingit in secularibus, quare Regularis eo ipso quod sit approbatus ab Ordinario in scientia, accipit iurisdictionem à Pontifice quam Episcopus non potest limitare ad certum personarum genus. Nisi videat aliquos Regulares cum scandalo, aut inhonestè viuere, aut aliquod delictum commiserint, propter quod rationabiliter Episcopi iudicio videantur hanc limitationem ponere, sicut potest suspendere ne confessiones audiant. Ita declarauit Sacra Congregatio *die* 10. *Augusti* 1630. quam confirmauit Vrbanus VIII. *die* 31. *eiusdem mensis*. Ita multo magis potest limitationem ponere, quia præcipua ministri qualitas, & idoneitas est integritas vitæ, & morum honestas vt ait Congregatio. Quare si Episcopus sciat aliquem Regularem suspensum esse ad tempus à confessionibus propter solicitationem mulierum in confessione potest illum approbare solum ad confessiones virorum, & tunc mulieres etiam virtute Bullæ non possunt ipsum eligere.

1881. Si tamen Episcopus approbet Regulares ad certum tempus, quando isto transacto expirauit iurisdictio Papalis, quia vt intelligatur concessa requirit tanquam conditionem sine qua non Episcopi approbationem, transacto autem tempore iam iste Regularis non est approbatus. Ita *cap. gratiosè de rescriptis in* 6. sequuntur Fagundez *vbi suprà num.* 17. Cenedo *quæst.* 28. *num.* 20. & 21. Vega *in summa tom.* 1 *casu* 228. Ledesma *tom.* 1. *tract. de confess. cap.* 13. *dub.* 10. Rodriguez §. 9. *num.* 8. Guttierez *lib.* 1. *Canonicarum cap.* 27. *num.* 59. & 60. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitentia cap.* 6. *num.* 4. Qui licet loquatur de Sacerdote seculari, quantum ad eligibilitatem per Bullam, tamen idem est in Regulari, cum currat eadem ratio præcipuè quando Episcopus Regularem approbat ad determinatum tempus vt stimulet ad scientiæ studium, quia cum eo cum quo est, non iudicat absolutè idoneum in scientia. Legatur Cardinalis Lugo *vbi supr. à num.* 57. & tandem hoc declarauit ita esse dicendum, & docendum, Vrbanus VIII. sua constitutione edita *anno* 1629. *die* 30. *Ianuarij*. edita in causa Eminentissimi Cardinalis Sandoual Episcopi Giennensis cum Regularibus illius Diœcesis quam ad verbum refert Barbosa *lib.* 1. *de iure Ecclesiastico cap.* 43. *à numero* 211.

***

DVBIVM IV.

De examine Regularium qua ratione illi se subiicere teneantur.

SVMMARIVM.

1883 *An si Regularis præsentatus Episcopo, iniustè iste neget approbationem, negatio sit inualida, itaut habeatur pro approbato, & possit fidelium confessiones audire?*

1896 *Ex vi Decreti Tridentini non est derogata Clementina dudum, & extrauagans frequentes.*

1898 *Respondetur ad fundamenta aduersariorum & num. seqq.*

1881. REgulares debere subiici Episcoporum examini, sine quo confessiones secularium audire non possunt, constat ex Tridentino etiam si Episcopus iusta de causa deneget licentiam, de qua causa non tenetur certiorem facere Regularem reprobatum vt declarauit Vrbanus VIII. in constitutione citata, & secuta est Sacra Congregatio ab eodem confirmata quæ omnia ad verbum refert Barbosa citatus. Causa autem quæ exprimitur à Congregatione vna erat scilicet *quæ ad confessiones pertineret aut non obseruandum interdictum ab Ordinariis positum.* Sic habetur in vna declaratione Pauli V. *anno* 1615. *die* 20. *Nouemb.* & *tempore Vrbani VIII. die* 30. *Augusti* 1630. *Sacra Congregatio declarat ad confessiones pertinere, si Regulares cum scandalo viuant, aut aliàs inhonestè, vel aliquod delictum committant propter quod rationabiliter Episcopi iudicare videantur suspendendos esse à confessionibus audiendis.*

1883. Sed circa hoc dubium, supereſt grauis difficultas. An si Regularis præsentatus Episcopo, iniustè iste neget approbationem, negatio sit inualida (nam quod Episcopus mortaliter peccat omnino certum est, vt videre est in Vasquez, Suarez, Fagundez, & aliis infra citandis.) ita vt habeatur pro approbato, & possit fidelium confessiones audire. Et quidem ante Concilium Tridentinum affirmatiuam partem definierunt duo Summi Pontifices Bonifacius VIII. in extrauaganti. *Supra Cathedram*, & Clemens V. in Concilio Generali Viennensi relatus in Clementina dudum de sepulturis (quæ confirmata fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 11.) vbi conceditur Regularibus quod postquam Generalis vel Prouinciales peterent facultatem ab Episcopo ad eligendos confessarios, & electos Episcopo præsentarent, si tamen Episcopus eos nollet admittere, haberentur pro admissis, Pontifice ex tunc admittente, quibus constitutionibus in corpore iuris Canonici insertis. His enim attendendum (non ad extrauagantem *inter cunctas* de priuilegiis in qua Benedictus XI. ampliſſimam præbuit facultatem huiusmodi Religiosis confessiones audiendi nulla facta coram Episcopo, præsentatione, neque ab eo aliqua petita licentia. Hoc enim priuilegium, & lex Pontificia derogata est, facta de ea expressa mentione à Clemente V. in præfata Clement. *Dudum.*)

Post

1884. Post Tridentinum vero doctores Societatis existimãt has omnes constitutiones derogatas esse *per caput. 15. sessio.25.* ita Suarez *de pœnit. à disput. 28. sect.5. à num.5.* Valerius Reginaldus *in praxi.lib.1. à num.192.* Vasquez *3. p.quæst.93. art.3. dub.3.* Filliucius *tom.1. tract.7. cap 9 num. 257.* Coninch. *disput.8. de pœnit. dub.7. num.58.* Fernandez *in examine part.3. cap.9. §.8. num.2.* Cardinalis Lugo *vbi suprà. num.52.* dicens contrarium esse contra praxim Ecclesiæ & mentem Tridentini. (licet iste cum Vasquez dicat non esse derogatum eo modo quo infra referam) Barbosa *in collectaneis ad præfatam Clement. Dudum. num. 8.* dicens contrariam opinionem non esse tutam. Idem sequitur *in allegat. 25. num.47. de potestate Episcopi* Trullench. *vbi suprà. dub.8. num.3.* dicens ex Suarez quod opinio contraria non est practicè probabilis,citat Fagundez *n.12.* sed male,cum potius oppositum ex professo probet *num.15.* Pitigianus *num.4. dist.17. quæst.vnica art. 4. dub. 4.* Sanctius *in selectis. disput. 48. num.16.*

Probatur primò, hæc sententia. Quia Tridentinum statuit, quod nullus Regularis possit audire secularium confessiones,nisi obtenta approba-
1885. tione Episcopi, ergo prædicta Clementina reuocata est,aliàs nullius efficaciæ esset Trident. decretum, quod cum sit à Pontifice confirmatum & addat aliquid legi latæ in Clementina, illam corrigit & quantum ad hoc derogat quamuis in corpore iuris contineatur *Caput.1. & 2. de constit. in 6.*

Secundò, quia si non est derogata Clementina *Dudum.* Episcopi non haberent ius ad non admittendos Regulares ad confessiones secularium, nec ad illos examinandos, etiam si iuste denegarent licentiam. Quod est absurdum & origo discordiarum. Sequela probatur, quia in prædicta Clementin.examen & iudicium de idoneitate Regularium ad audiendas confessiones remittitur eorum Superioribus & solum requiritur præsentatio coram Episcopis, qui nullam poterant prætendere causã præsentatos nõ admittẽdi:ergo.

Tertiò, quia vel Concilium aliquid nouum statuit circa Regulares, vel non. Si non, cur eos nominat dicens. Nullus Regularis, si aliquid nouum statuit, hoc est quod requiratur approbatio,Episcopi sicut requiritur in Sacerdote seculari, cum de vtroque æque loquatur Concilium. Ergo quantum ad hoc derogata est lex prior lata in Clementina *Dudum.*

Quartò, quia quando in lege generali lo-
1886. quitur ita clare quod derogatur speciali, etiam si non fiat expressa mentio intelligitur derogata, vt tenent Spino de testamentis Glossa 30. *num.8.* Gonzalez *ad regulam 8. Glossa 9. §.1. numer. 51.* Et lex antiqua. Quod filij nobilium non portent arma derogatur si dicatur, Nullus ignobilis, aut nobilis arma portet. Ergo cum lex Tridentini dicat, Nullus Sacerdos sæcularis aut Regularis audiat secularium confessiones, &c. per istam derogatur Clement. *Dudum* quia vtraque propositio Vniuersalis negatiua & affirmatiua veræ esse non possũt. Aliàs esset duplex contradictoria simul vera. Quod implicat: si ergo hæc est vera nullus Regularis potest, &c. hæc debet esse falsa, aliquis regularis potest &c.

Altera opinio est asserentium Clementinam *Dudum* nonesse derogatam. Ita tenent grauissimi Recentiores inter quos neruosè probant Fagundez *vbi suprà. nnm. 15. & 16.* Ludouicus à Cruce *dub.19. à num. 13.* Layman *lib.4. tract.6. c.11.n.4.* Peyrinus *de subdito Religioso quæst.1.cap.* 1887.
21. §. 2. n. 2. vers. circa autem vbi sic ait tenere plures classicos Doctores Villalob.*in summ.tom.1. tractat.1. difficultas 53. à num.3.* Miranda *in manuali. tom.1. quæst.45. artic.5.* Ioannes à Cruce *lib.2. de statu Religioso cap. 6. dub. 1. conclus.2.* addens. Quod Clement. *Dudum.* Extensa est per Ioannem XXII. ad Augustinianos & Carmelitas in extrauag. frequentes de subditis. Rodriguez *tom.1. quæst. 59. artic.2. & in additionib. ad Bullam. §.9. num.30.* Henriquez *lib.3. de pœnitentia. cap.6. num.4.* Nauarrus *in manuali cap.27. num.262.* Vega *1. part. summæ cap. 64. casu. 4.* Cenedo *quæst.28.num.20. & 21.* Graffis *lib.1. decisionum cap.13.num.49.* Hieronymus Rodriguez *resolut.3. & resolut.32. num.3. & 34.* Cochier *de Iurisdictione in exemptos. part.4. quæst.77.* Finellus *de Casibus reseruatis c. 3. n.3.* Plures alios citant Diana *part.3. tractat.2. de regularibus resolut.24.* Fagundez *vbi suprà.* Sed eos omitto qui ante publicationem Tridentini scripsere.

Probatur primò, quia illa verba Tridentini, *non obstantibus quibuscumque priuilegiis*, non derogant præfatam Clementinam, quia cum sit inserta in corpore iuris est lex vniuersalis lata in communem Ecclesiæ vtilitatem & non venit no- 1888.
mine priuilegij, maximè cum derogetur iure communi, quare verba Concilij iuxta modum vsitatum loquendi Iurisperitorum intelligi debent *cap.ex litteris de sponsal. & leg. liberorum. §. quod tamen D.de legatis 3.* quamuis enim prædicta Clementina contineat fauorem & gratiam Regularibus factam, sed hoc non attenderunt Summi Pontifices, sed solum bonum Ecclesiæ,& ipsius vtilitatem communem, aliàs si quod lex contineat gratiam alicui factam constituit illam, priuilegium, & non ius commune, multæ leges quæ sunt insertæ corpori iuris amitterent rationem iuris communis vt constat *ex titulo, de rescriptis in 6. & in decretalibus* quod dici non debet.

Secundò, Ex qua doctrina quæ certa est sumitur aliud efficax argumentum, quia ius commune non intelligitur derogatum, nisi fiat de illo expressa mentio. Ita Archidiaconus *cap.1. de constit. in 6.* Felinus *cap. Nonnulli num. 12. de rescriptis* Bartholus *leg.1. vers. vel diuersitas in authent.* qua in Prouincia. *Castro leg.1. D. de* 1889.
legat.2.& Doctores *in lege Hæres abiens. D. de iudiciis.* Ergo cum in Tridentino, nulla ponatur derogatio legis Clementinæ derogata non est. Et quidem Clementinam hanc esse ius commune manifestum est, eam appellat Clemens V. decretalem & in Proœmio Clementinam dicit. Quod iuxta eas iudices ferant sententiam & tandem Sixtus Quartus, in extrauaganti quæ incipit: *Vices illius.* inter communes. appellat ius commune Clementinam *Dudum.* Atqui vt expresse notat Bart. *vbi suprà.* Quando legislator facta lege, dicit non obstantibus quibuscumque priuilegiis, non derogat ius commune nisi illud exprimat. Ergo, &c.

Tertiò, quia lex generica non derogat specificam, nisi de ea fiat specialis mentio quia generi per speciem detrahitur non è contra. Vt habetur *lege in toto iure 81. D. de Regulis iuris lege Sanctio 41. D. de pœnis cap. Pastoralis §. Quoniam de rescriptis. Regula. 35. de regulis iuris in 6.* vbi

latè Barbosa plures citans *& in axiomatibus iuris axiomate.* 109. atqui in Trident. lata est lex generica & Clementina *Dudum*, est lex specifica. Ergo illa istam non derogat. Quia optime concordantur & decretum Tridentinum, trahendum est ad sensum Clementinæ & non Clementina ad verba Concilij, cum illa sit antiquior isto. Lex enim noua trahenda est ad sensum antiquæ vt late probat Nauarrus *cap placuit de pœnit. dist.6. n.*147.

Quartò, quia Concilium illis verbis non obstantibus quibuscumque priuilegiis habet ¦effectum & si non deroget Clementinam *Dudum*, quia excluduntur alia priuilegia Regularibus concessa. Et extra corpus iuris vagantia vt regulares possint sine Episcopi licentia audire confessiones secularium vt optime Fagundez *vbi supra.*

1891. Quintò, quia imo Concilium videtur implicitè approbasse & confirmasse Clementinam *Dudum*, illis verbis. *aut alias idoneus iudicetur.* iudicari autem debet idoneus eo ipso quod secundo aliquis præsentetur à suo Prælato iuxta formam positam in præfatis constitutionibus vt declarat Summus Pontifex; cum autem hunc modum declarandi idoneitatem non excluserit Concilium, manifestum videtur quod non est derogata Clement. loquitur enim Concilium secundum id ad quod tenetur Episcopus secundum ius commune, quare si iniuste deneget approbationem, ius commune manet in sua vi, & aliàs idoneus iudicatur Regularis à Summo Pontifice, & manet ab ipso approbatus.

Cæterum authores huius sententiæ diuisi sunt. Nam maior illorum pars absolutè loquitur de omnibus regularibus qui habent priuilegium communicationis priuilegiorum cum quatuor ordinibus mendicantibus in quibus est eadem ratio omnino atque ita ad illos extenditur lex fauorabilis. 1892. at Emanuel Rodriguez §.9 *citato.* ait. Quod quantum ad alios omnes extenditur Trident. exceptis prædicatoribus minoribus Augustinianis & Carmelitis, de quibus loquitur ius commune; de aliis vero cum id habeant per priuilegium communicationis, quod non est insertum corpori iuris, intelligitur Tridentinum illis verbis: *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis.*

Sed pace huius viri aliàs doctissimi mihi non placet eius limitatio, quamuis enim tempore Concilij Tridentini quando factum est decretum hoc, derogata fuerint priuilegia extra corpus iuris vagantia, & sic etiam derogatum fuerit priuilegium quod habebant alij regulares ad participandum priuilegiis contentis in corpore iuris factis fratribus Prædicatoribus & minoribus & aliis. Quia hoc priuilegium communicationis non erat 1893. insertum corpori iuris; tamen postea alij Summi Pontifices qui Ecclesiam Dei gubernarunt post Tridentinum multis religionibus concesserũt priuilegium amplissimum communicationis priuilegiorum concessorum & concedendorum aliis Religionibus Ecclesiæ Dei, vt fecerunt nostræ Religioni Sixtus V. *anno* 1588. *Bulla* 81. & Gregor. XIV. *anno* 1590. *Bulla secunda.* & alij Pontifices multis Religiosorum familiis Hoc autem priuilegium non est derogatum per Concilium, cum solum derogarit priuilegia vsque tunc concessa ergo ratione illius possunt Regulares tale priuilegium habentes vti priuilegio Clementinæ *Dudum.* Quia quamuis datum sit per modum legis vniuersalis, tamen reipsa est priuilegium aliis communicabile, & cum aliàs priuilegium Clementinæ *Dudum.* non sit contra Concilium vt illo gaudeant alij regulares non est necessarium quod fiat expressa mentio derogando Tridentinum.

Tertia sententia affirmat Concilium Triden- 1894. tinum non derogasse Clementinam *Dudum & alia iura supra citata.* Quibus si Episcopus iniustè denegarit licentiam Regularibus seruata forma ibi præscripta, Pontifex de plenitudine Potestatis approbat illos eisque concedit iurisdictionem; tamen ad hoc quod Pontifex eam concedat, & largiatur ex nouo iure Tridentini est requisita approbatio Episcopi, quæ si non præcedat, Papa protestatur se ex indispositione subiecti non concedere ei iurisdictionem. Sicut statuit idem Concilium quod vt contrahentes sint habiles ad matrimonium & hoc sit validum requiritur tanquam conditio quod contractus fiat coram Parocho & testibus; quare vbi Concilium non est receptum neutra conditio requiritur. Ita Cardinalis Lugo *vbi supra numer.* 53. Vasquez *num.*2. qui optime addit: quod ex vi Clementinæ *Dudum.* Episcopus concedebat Regularibus sibi præsentatis iurisdictionem, quod si iniuste denegaret, Pontifex concedebat, & hodie etsi solus Summus Pontifex concedit Regularibus iurisdictionem, si præsupponatur Episcopi approbatio, tanquam necessaria conditio requisita ex parte subiecti, & quidem Regularibus aliquibus ex priuilegio concessisse iurisdictionem ad audiendas confessiones fidelium constat ex bulla 81. Sixti V. in qua id no- 1895. bis concessit; intelligitur tamen supposita Episcopi approbatione; ex quo manifeste sequitur Regulares habere ius ad audiendas fidelium confessiones; quare si iniuste negetur eis approbatio possunt appellare ad Metropolitanum; sunt enim Regulares ex vi suorum priuilegiorũ constituti Parochi delegati à Papa. Quare sicut Parochus electus potest appellare ab Episcopo ad Metropolit si ille nolit quod audiat cõfessiones: ita Regularis quia à iure¦ habet à Papa potestatem delegatam ad audiendas confessiones, quæ cum sit à iure & priuilegium sit perpetuum, ordinaria dici potest, à qua iniuste expoliari nequit per Episcopos; ipse tamen non potest iudicare an sit sua iurisdictio, sed id ad Metropolitanum pertinet, qui cognoscet an iuste vel iniuste denegarit Episcopus iurisdictionem & approbationem.

Ego vero quid sentiam in re grauissima, & tanta opinionum varietate, sequentibus enucleo. Dico primò, ex vi decreti Tridentini non est derogata Clementina *Dudum.* & extrauagans. *Frequentes.* hoc probant efficacissimè argumenta se- 1896. cundæ sententiæ iuxta cuius principia vera non est sententia tertia. Quia cum Tridentinum non reuocarit præfata iura, manent in sua vi, ac ante Concilium, atqui ante Concilium si Episcopus iniustè denegaret licentiam regularibus, isti erant approbati ipso iure & poterant audire fidelium confessiones, ergo etiam post Tridentinum.

Probatur secundò, quia Pius V. *in Bulla edita anno* 1568. *die* 16. *Maij*, quæ incipit *etsi Mendicantium*, concessit quod Regulares præcipue si essent Magistri in Theologia à Prouincialibus electi possent sine Ordinarij licentia audire sæcularium confessiones. Quam constitutionem derogauit alia Bulla qnæ incipit *Romani Pontificis. edita anno* 1571. *die* 22. *Julij*, imo & derogauit Clement. *extrauag.* præfatas vt constat ex eius tenore

re requirens pro forma ſubſtantiali licentiam & approbationẽ. Cæterũ Greg. XIII. hãc cõſtitutionẽ & cæteras circa hanc rem reduxit ad terminos iuris communis, tam veteris, quam noui, concilij Tridentini & ad eorundem diſpoſitionẽ, quæ per ſubiectam materiam legitima erat ante dictarum Bullarum editionem: atqui ante illarum editionem non erat derogata Clement. *Dudum*; ergo neque hodie derogata eſt, neque requiritur approbatio Epiſcopi tanquam forma ſubſtantialis, atque ita ſi iniuſtè denegetur, manet Regularis approbatus à Pontifice & poteſt Confeſſiones ſecularium audire.

Dico ſecundò, ſententia Cardinalis Lugo & P. Vaſquez longe probabilior eſt, quam prima
1897. ſententia. Probatur, quia ſi Clement. *Dudum* reuocata eſt, nullum ius haberent Regulares idonei ad audiendas confeſſiones, & ſic ab iniuſta illorum reprobatione non poſſent appellare ad Metropolitanum vel Concilium Prouinciale quod eſt maximum inconueniens.

Ad fundamenta primæ ſententiæ, ad primum Reſpondetur, quod Prælati Regulares dupliciter poſſunt procedere in expoſitione ſuorum ſubditorum ad audiendas confeſſiones, vel iuxta formam priuilegij Clement. *Dudum* & ſi hoc modo procedunt debet obſeruari ad vnguem forma illa de qua latè Miranda *vbi ſuprà. artic. 5.* vbi ponit modum illam practicandi, quod ſi formam illam non obſeruent, non habent ius ad hoc. Quod ſi Epiſcopus nolit concedere licen-
1898. tiam, Religioſi præſentati ſint approbati à Papa qui illis confert iuriſdictionem præſuppoſita obſeruationẽ formæ, ibi ab eodem præſcriptæ. Vel procedunt non vtendo priuilegio præfatæ Clementinæ & tunc manent ſubiecti diſpoſitioni Concilij Tridentini: quare hodie in Hiſpania Prælati Regulares non obſeruent formam Clementinæ, quod an benefaciunt, ipſi viderint. Ego exiſtimo non eſſe poſſunt inculpabiles in non vſu tanti Priuilegij.

Ad ſecundum Reſpondetur quod optimè notat Miranda *artic.* 6. quamuis Prælati Regulares ex vi præſentis Clement. deberent examinare prius quam præſentarent ſubditos à ſe ipſis electos, in hoc non tollit, quin ipſi poſſint, etiam ſi vellent eoſdem examinare ſicut hodie poſſunt per Tridentinum, cuius decretum in hoc ſolum differt à Clementina quod iſta concedit quod ſi Epiſcopus nolit approbare, cenſentur præſentati habere approbationem à Summo Pontifice.

Ad tertium, Reſpondetur quod Concilium aliquid determinat circa Regulares de nouo, quod iſti ex priuilegiis extra ius vagantibus non poſſunt audire ſæcularium Confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione obtenta, non enim determinat aliquid de nouo circa Regulares quorum pri-
1899. uilegium quo ad hoc eſt ius commune, & inſertum in Corpore iuris: vnde obſeruat à Cruce & Miranda, quod Horatius Leuius Latienſis inſignis Iuriſconſultus qui marginauit Concilium ponens iura antiqua illi conformia, in margine huius *cap.* 15. poſuit Clement. *Dudum*, vt conformem illi, ſicut poſuit Bullam Pij V. *editam anno* 1571. *ſuprà deductam*, hodie tamen cum (vt vt ſuprà dixi) Regulares habentes priuilegium Participationis omnium priuilegiorum aliorum ordinum, nihil addit Concilium ſi velint vti forma præſcripta in Clement. *Dudum*.

Ad quartum, Reſpondetur quod illa propoſitio vniuerſalis negariua & alia particularis affirmatiua non ſunt contradictoriæ, cum non ſint eiuſdem de eodem vt aiunt ſũmuliſtæ nam vniuerſalis negatiua excludit priuilegium extra ius vagantium, tunc temporis Concilij in vſu aliquarum Religionum: & particularis affirmatiua aut vniuerſalis loquitur de priuilegio iuris communis, aut de priuilegio conceſſo poſt Tridentinum ſed qua ratione doctrina huius dubij ad praxim ſit de ducenda & quam neceſſaria ſit eius deciſio dicam §. 3. *dub.* 1.

DVBIVM. V.

De approbatione Confeſſoris Monialium.

SVMMARIVM.

2000 *An hodie requiratur ſpecialis Epiſcopi licentia & approbatio expreſſa ad audiendas Monialium confeſſiones. & n. ſeqq.*

DVbium 5. eſt, an hodie requiratur ſpecialis Epiſcopi licentia & approbatio expreſſa ad 2000.
audiendas monialium confeſſiones; & quidem iure antiquo certum erat confeſſarios monialium ſubditarum Prælatis Regularibus, non eſſe examinandos ab Epiſcopis, ſed à ſuis Superioribus. Ita deciſum à Congregat. dicit Armendariz *in additionibus ad recopilationem lib.* 4. *titul.* 28. *leg.* 1. §. 1. *n.* 17. Azor *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *quæſt.* 2. Sorbo *in additione ad compendium verb. Moniales verſ. quod propter Campanili in diuerſo. iuris rubrica* 12. *cap.* 16. *num.* 53. poſſunt tamen Epiſcopi dare confeſſores monialibus etiam ſubiectas Regularibus quæ induci non poſſunt vt ſuis regularibus peccata confiteantur. Ita Barboſa *in Collectan. ad cap.* 10 *ſeſſ.* 25. *de Regularib. & de poteſtate Epiſcopi alleg.* 25. *n.* 48.

Sed quamuis hoc de iure antiquo verum ſit, tamen iure nouo Greg. XV. Bulla quæ incipit: 2001.
Inſcrutabili. edita anno 1622. *nonis Februarij decreuit*, quod confeſſores etiam Regulares tam ordinarij, quam extraordinarij ad Confeſſiones monialium etiam Regularibus ſubiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur & approbationem obtineant. Quæ verba, vt declarauit Sacra congregatio, intelliguntur etiam ſi Regulares ſint generaliter approbati ad confeſſiones ſæcularium audiendas. Et quod ab Epiſcopo approbatus ad audiendas confeſſiones Monialium vnius monaſterij, non poteſt audire confeſſiones monialium alterius Monaſterij, & quod ab Epiſcopis toties ſunt approbandi ad Confeſſiones monialium quoties contigerit caſus, quod deputentur illarum confeſſarij. Quod ita ſtrictè intellexit ſacra Congregatio, quod nec Priot Generalis Monialium non poſſit illarum confeſſiones audire, niſi ab Epiſcopo deputetur ad id munus. Ita declarauit Sacra Congreg. *die* 13. *Nouemb.* 1627. quæ etiam declarauit *Confeſſiones aliter factas nullas eſſe atque irritas.* Quæ declarationes adducuntur *tom.* 4. *Bullarij ab Angelo Maria Cherubino folio.* 10. addens hæc verba, quæ ſacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata felicis recordationis Greg. XV. & S. D. N. Vrbanus

banus VIII. in omnibus approbauit. Eadem refert Barbosa *in Collect. ad Concilium vbi suprà. num.* 8. *& alleg.* 25. *num.*68. & Aloysius Riccius *in decis.p.*4.*decis.*244.*post.n.*12.

2002. Circa has declarationes & Bullam Greg. XV. (quæ edita fuit dum ego esse Romæ, & non fuit parua de illarum intelligentia, difficultas) aduertendum, quod in Italia vbi receptæ sunt, & manent in suo vigore, nullo modo potest Prælatus Regularis suarum Monialium confessiones audire, nisi sit approbatus, idoneus ab Episcopo Diœcesano, nec ibi contrarium est probabile. Vt quidam existimauit, cum declaratio Cardinalium authentica & à Summo Pastore approbata vim habeat legis obligantis. Lex enim obligat in conscientia, si factum contra ipsam, irritum & nullum reddet, maximè in materia pœnitentiæ, vnde grauissime punitur regularis Prælatus, contraueniens; cum ergo declarationes istæ factæ fuerint circa Bullam Greg. XV. quæ est lex Pontificia & approbatæ sint ab ipso legislatore, dubio procul declaratio est Iuridica, quæ obligat non secus, ac ipsa lex. Quæ si est in viridi obseruantia erit etiam & declaratio ipsius, & sic non est probabile(vt existimauit ille recentior)contrarium.

Puto autem Bullam istam & declatationes
2003. Cardinalium non esse vsu receptas in Hispania, sicut & multæ aliæ Cardinalium declarationes circa Moniales, vt quod Regularis sub peccato mortali non possit Monialibus alloqui, quam declarationem refert Diana *part.* 1. *tractat.* 10. *resolutio.* 22. *& part.* 3. *tractat.* 2. *Resolutio.* 104. quare eo ipso quod Regularis sit approbatus ab Episcopo vt idoneus, ad audiendas confessiones secularium poterit Prælatus Regularis ipsum destinare ad audiendas confessiones monialium sibi subditarum in Hispania, non in Italia: sic enim Practicatur, nec Episcopi Hispani in hoc se intromittunt, vt mihi examinatori Synodali constat in hoc Archiepiscopatu Hispalensi: imò existimo quod Prouincialis Regularis possit declarare idoneum aliquem Regularem (etiam si non sit approbatus ab Episcopo) ad audiendas suarum monialium Hispanarum confessiones; sicut potest ad audiendas confessiones Religiosorum. Verum est quod nullus Regularis, aut Secularis Sacerdos in hoc Archiepiscopatu potest monialium Archiepiscopo subditarum confessiones audire sine speciali licentia & approbatione, quia quantum ad hoc recepta est Bulla Greg. XV. etsi non quantum ad aliàs, cum id exprimatur in approbatione quæ confessoribus datur in scriptis, in qua prohibetur monialium confessiones excipere, nisi ad id specialiter approbetur idoneus, sicut Confessores Regulares approbati pro fratribus non censentur approbati pro monialibus ordinis vt multis citatis tenet Hieronym. Rodriguez *Resolut.*32. *num.*12. sed an possit eligi virtute cruciatæ eo ipso quod sit approbatus idoneus iam dixi *suprà. in fine dubij tertij.*

***

DVBIVM. VI.

An Approbatus semel, sit vbique approbatus.

SVMMARIVM.

2004 *An semel approbatus in vna Diœcesi, sit vbique approbatus?*

2006 *An Regularis præsentatus & examinatus in vno Episcopatu teneatur præsentari, & examini se subiicere in altero vt possit in eo confessiones excipere ouium illius Episcopi?*

Ratio dubitandi. ibid.

DVbium 6. est, an semel approbatus in vna Diœcesi, sit vbique approbatus. Si sermo 2004.
sit de Sacerdote seculari, omnino certum est, quod in omnibus Episcopatibus in quibus fuerit, debet examini & approbationi Episcopi se subiicere, nec de hoc potest esse hodie difficultas, cum iste accipiat iurisdictionem ab Episcopo Diœcesano, non enim iudex delegatus ab Ordinario vnius territorij potest sententiam ferre in subditos alterius.

Sed aduertendum oportet Franciscum de Torreblanca *lib.* 4. *iuris specialis cap.* 2. *à num.* 10. citare plures aut hores antiquos & modernos quos inuenit apud Henriq.*l.*3.*de pœnit. c.*15.§.13.*in* 3.*Glossa Littera. S.*quibus addit Lopez *part.*1.*in-* 2005.
struct. cap 38. quos existimat sentire Sacerdotem semel approbatum vbique posse excipere confessiones quod (ait) expresse tenet Caietanus *in Summa. verb. Absolutio. cap.* 2. *vers. libertas* sed Torreblanca male intellexit hos authores, quos sine lectione citauit, cum non loquantur absolute; quod semel approbatus, vbique sit approbatus; sed loquuntur de pœnitentibus qui vel per ratihabitionem quæ adducit licentiam interpretatiuam vt peregrini, vel propter necessitatem articuli mortis; vel propter libertatem quam habent, quia non subiecti alicui determinato Episcopo, vt sunt vagabundi, possunt cuilibet approbato in illa Diœcesi qua sunt, confiteri: extra hos autem casus nihil dicunt præfati authores quos citat Torreblanca, quod adnotare opere pretium duxi, nequis decipiatur legendo hunc authorem & iudicet probabilem sententiam quæ hodie post Tridentinũ, imo nunquam probabilitatem habuit constat. *ex cap. omnis de pœnitentia & remissio.* Verum est quod in primitiua Ecclesia vsque ad tempora Calixti qui vixit *anno* 208.vel Dionysij I. qui vixit *anno* 250. vel vniuersali decreto totam Ecclesiam vsque ad Vrbanum II. qui vixit circa *annum* 1100. omnes Sacerdotes poterant se illis submittentes à quibusuis peccatis absoluere & hoc quidem iure diuino. Vt tenent Caiet. *tom.*1. *opusculorum tract.*7. Syluester *verb. confessor.* 1. *quæst.* 2.*in principio.* Ex quo saluat & optime, quomodo Papa potest absolui à peccatis; quia quilibet Sacerdos iure diuino potest absoluere quemlibet sibi se subiicientem, Quousque Ecclesia declarans ius diuinum lege vniuersali (qua non comprehenditur ipse Pontifex) quod nullus deinceps confiteatur nisi approbato à proprio ordinario. Idem docent Nauarrus *caput.* 4. *Summæ num.* 2. vbi dicit hoc omnes

omnes testati, & constat *ex cap. Placuit de pœnit. dist.6.*quod est Vrbani II.

2006. Quare de Regularibus solum est non paruum Dubium, an præsentatus & examinatus in vno Episcopatu,teneatur præsētari & examini se subiicere in altero, vt possit in eo confessiones excipere ouium illius Episcopi; nam si sit alterius in quo est approbatus, potest vtique, nec de hoc est difficultas.

Ratio dubitandi est Primò, quia vt supra vidimus ex Vasquez & Cardinali Lugo, Regulares vi suorum priuilegiorum non accipiunt iurisdictionem delegatam ab Episcopo cuius examini & approbationi tantum, tenentur se subiicere, sed immediate eam accipiunt à Summo Pontifice, qui solum exigit approbationem Episcopi: ergo semel approbatus iurisdictionem accipit illam ab vniuersali Pastore. Atque ita vbi que terrarum possunt confessiones fidelium omnium excipere. Secundò, quia ita concessit Clemens VII. fratribus Minoribus, vt constat ex Compendio priuilegiorum verbo *Confessio quo ad seculares* §.16. cuius expressa verba refert Miranda *vbi suprà. artic.* 8. quam sententiam secutus est Corduba *in annotationibus ad præfatum Compendium* dicens, quod præfata concessio Clementis septimi amplè est interpretanda cum sit fauorabilis & concessa iuxta intentionem ipsam impetrantis, cui commensuratur intentio Papæ concedentis.

2007. Sed contraria sententia omnino tenenda est hodie post Concilium Trident. ante quod scripsit Corduba illas annotationes. quam defendunt Miranda *vbi supra.* Fagundez *num.*86. Sylvester *verbo confessor.*1.§.14.& *verbo eodem* 2.§.4. Nauarrus *in manuali cap.*27.*num.*166. Viualdus *in Candelabro part.*1.*tit. de absolutione num.* 50. Layman *lib.* 5.*tractat.*6.*cap.*11. *num.*9. Coninch *tom* 2. *disputat.*8.*de pœnitent.num.*52.Vega *part.*4.*responsio casu* 20. *vers. tandem.* Vgolinus *de officio Episcopi. cap.*7.§.2.*num.*8. Hieronymus Rodriguez *resolutio* 31.*num.*5. Emanuel Rodriguez *tom.*2.*quæst.*34. *art.*5. Villalobos 1.*part. tractat.*9. *difficult.*54.*numer.*1. & 2. Homobonus *de examine part.* 1. *tractat.*5.*cap.* 2. *quæst.*14. Suarez *de pœnit.disput.*28. *sect.*7.Armendariz *vbi supra num.*12.Sella *in selectis cap.*14.*num.*40. dicens sic declarasse Congreg. *in vna Cremonens.die* 8.& 22.*Maij* 1619.

Prius tamen quam probetur hæc sententia notandum est, quod non est idem quærere an ille qui est approbatus ab vno ordinario sit eligibilis per Bullam Cruciatæ, vel aliud iubileum generale, vel an Regularis approbatus in vno Episcopatu possit secluſis his priuilegiis vbique confessiones audire. Prima enim difficultas reseruatur

2008. ad §.sequentem & est probabilis pars affirmatiua. De secunda vero est controuersia & pars affirmatiua hodie post Tridentinum nullo modo est probabilis nisi cum limitationibus infra ponendis. Quia Concilium expresse dicit quod approbatio præuio examine, si necessarium fuerit, debet fieri ab Episcopis. Ergo non sufficit approbatio vnius Episcopi pro tota Ecclesia, sed vt Pontifex conferat iurisdictionem, requirit approbationem, in qualibet Diœcesi, id quod clare exprimitur in Clement. *Dudum. de sepulturis.* non ergo hodie sententia opposita probabilis est in praxi. Comparat enim Pontifex Regulares Parochis qui non possunt vbique terrarum confessiones excipere, sed solum suarum ouium, vnde quamuis iurisdictio Regularium sit ordinaria, sicut & Parochorum,tamen non extenditur extra suum territorium & diœcesim.

Secundò probatur,quia Gregor. XIII.concessit Patribus Societatis,vt referunt præcitati authores priuilegium, quod dum iter agerent semel approbati possunt quorumcumque confessiones in quacumque Diœcesi(præterquam in ciuitate vbi residet Episcopus) audire sine illius approbatione, & 2009.
Sixtus V.concessit Patribus oratorij, vt si fuerint Romæ approbati ad audiendas confessiones, non debeant amplius extra vrbem examinari à locorum ordinariis, sed illis sufficiat præsentare licentias Romæ habitas. vt referunt Barbosa *vbi suprà numer.*54. Quaranta *in compend.Bullarum.verb.confessor.* & quamuis in hoc priuilegio non fiat expressa mentio Trident. ipsum derogans, sicut in priuilegio Gregor. XIII. sed hoc non obstat quominus intelligatur derogatum, vt optime probat Garzia *part.* 4. *cap.*5. *à num.*31. Quamuis motus propius Pij V. quem ibi adducit, solum loquatur in causis beneficialibus: ergo sine huiusmodi priuilegiis & non alio modo quam illis statuitur,semel approbatus Regularis non est vbique approbatus.

Quare præfata concessio Clement.VII. non est 2010.
intelligenda largè, sed strictè vt explicat collector Priuilegiorum Regularium *vbi supra* §.16. *citato.* Quod scilicet Regularis semel approbatus in vna Diœcesi, si ad alias diuagetur, & iterum redeat ad illam non est iterum examinandus vt concessit Eugenius IV. *ibi.* §.4.cuius ratio est. Quia præfata concessio Clementis est odiosa Episcopis, & exorbitans à iure communi tam veteri quam nouo Trident. & sic strictè est interpretanda *reg.odia de regulis in* 6. & *cap. olim de verborum significat.* & vtrobique scribentes quos ad satietatem adducit Barbosa *n.*6.

Sed circa præfatum priuilegium concessum Pa- 2011.
tribus Oratorij,quo possunt vti Regulares habentes communicationem, notandum est, quod ad hoc quod in foro externo & impunè possint illo vti, necessarium est, quod licentiam Romæ habitam ordinariis ostendant:tamen non est hoc necessarium vt valide in foro conscientiæ absoluant. Verum Cardinalis Lugo *disputat.*21. *de pœnitent. sect.*2. *n.*29. dicit Vrbanum VIII. *Bulla edita anno* 1628. reuocasse omnia priuilegia & licentias audiēdi confessiones sine approbatione ab Episcopis diœcesanis & absque examine facto ab Ordinario & priuilegia cuiuscumque ordinis, aut Congregationis si quæ erant, omnino abstulit, & addit quod priuilegium hoc concessum à Sixto V. pro cuius confirmatione valde instabat Sanctus Philippus Nerius talibus verbis est concessum vt gratia fere inutilis redderetur, quod scilicet, sine præuio examine facto ab Episcopo possint confessiones audire vbique terrarum *de consensu Ordinariorum.* Sed non est inutile priuilegium cum per illud facto examine in vrbe possint sine examine in orbe confessiones excipere & si Episcopus iniuste non consentit, posset esse reclamatio ad Metropolitanum & ad Papam. Quo priuilegio vt dixi gaudent Regulares per communicationem, quamuis Diana *part.*3.*tract.*2.*resolut.*123.*vers. Notandum.* dicat Priuilegium concessum Patribus Oratorij reuocatum esse per Bullam præfatam Vrbani VIII. quod ego existimo verum quantum ad iurisdictionem habendam, sed non quantum ad eligibilitatem per priuilegium Bullæ Cruciatæ aut Iubilei.

Dvbivm VII.

De illo qui inuincibiliter ignorat Confessorem esse approbatum.

SVMMARIVM.

2012 *An si quis inuincibiliter ignorans errore communi ductus, aliquem Religiosum vel sæcularem Sacerdotem non habere iurisdictionem ad absoluendum, & putans illam habere, ei confitetur, talis confessio sit valida, itaut non teneatur eam repetere, quamuis postea sciat talem non fuisse approbatum, nec habuisse iurisdictionem.*

2020 *Nunquid si pœnitens scit confessarium esse priuatum iurisdictione, quod confessarius ignorat, & adest etiam communis error, an possit illi confiteri?*

2012. Dvbium 7. an si quis inuincibiliter ignorans errore communi ductus, aliquem Religiosum vel sæcularem Sacerdotem non habere iurisdictionem ad absoluendum & putans illam habere, ei confitetur, talis confessio sit valida, ita vt non teneatur eam repetere. Quamuis postea sciat talem non fuisse approbatum, nec habuisse iurisdictionem. Hanc quæstionem satis lubricè & confusè tractat Barbosa *de potestate Episcopi. allegat. 25. num. 4. & num. 62.* satis tamen docte & distincte vt assolet P. Thomas Sanchez *lib. 3. de Matri. disp. 22. à num. 55.*

Dupliciter quidem potest dubium excitari. Primò, si aliquis qui titulum habebat collatum à potente illum conferre cui annexa est iurisdictio ad absoluendum, illum tamen amisit, vel ei sublatus est, vel propter delictum aliquod, vel quia concessus est ad tempus, quod est iam elapsum, quia tamen hoc manet in occulto, est publicus error quod ille titulus & iurisdictio adhuc perseuerat: secundò quando quis verus Sacerdos nunquam habuit titulum aut iurisdictionem ad absoluendum, quia nunquam subiectus fuit examini, nec ab aliquo Episcopo approbatus, aut habuit titulum Beneficij Parochialis collatum à legitimo; sed in illud est intrusus.

Et quidem in dubio, priori sensu, explicato communis & certa sententia est, quod si quis communi errore ductus inuincibiliter ignorans, confessus est Sacerdoti, cui expirauit iurisdictio aliquo modo, etiam cum per hominis sententiam sit inducta priuatio & inhibitio potestatis, occultè tamen, communiter vero ignoratur, aut dubitatur, quod talis iurisdictio aut titulus cessarit, valet confessio, nec iteranda est, postquam quis sciuit expirasse. ita Thomas Sanchez *vbi suprà. num. 56.* multis citatis & sequitur dominus Caietanus *in Summa. verb. Absolutionis impedimenta. titulo. absolutio nonnullis circunstantiis* vbi dicit: *quod iste talis est vere absolutus coram Deo & Ecclesia.* ex quibus hæc regula certa colligitur: *Quoties causa publica, bonumque publicum agitur, si tamen materia subiecta est voluntati Principum siue secularium siue Ecclesiasticorum, valent ex æquitate quæ gesta sunt cum communi errore.* Quæ regula expresse traditur. *leg. Barbarius Philippus D. de officio Prætoris.* vbi agitur de quodam seruo qui Philippus dicebatur, & exercuit munus Prætoris, de quo dubitauit Iurisconsultus an gesta per ipsum subsisterent, & respondit affirmatiuè, cuius rationem reddit his verbis. *Verum puto nihil eorum reprobari, hoc enim humanius est, cum Populus Romanus potuisset etiam seruo decernere hanc potestatem.* Similem rationem tradit Gratianus *cap. infamis 3. quæst. 7.* ibi: *si seruus dum putaretur liber ex delegatione sententiam dixit, quamuis postea in seruitutem depulsus sit: sententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet.*

2013

Ex quo deducitur manifesta ratio resolutionis huius puncti, quia Pontifex Romanus potest cuilibet Sacerdoti iurisdictionem conferre ad confessiones fidelium excipiendas. Ergo cum causa publica agitur, censetur contulisse? atqui dum quis communi errore ductus confitetur peccata sua Sacerdoti quem putat approbatum, agitur causa publica & bonum publicum animarum. Ergo absolutio impensa ab isto Sacerdote reprobari non debet, sed valet, ne animarum magna sequatur perturbatio, quare ipse confessor, etsi sciat priuatum esse iurisdictione, quam ex concessione particularis habebat, non tenetur dicere pœnitenti, quod iterum confiteatur eadem peccata. Quia habet iurisdictionem ex æquitate iuris, secundum modum altiorem, sibi concessam, quamuis ipse confessor mortaliter peccauerit, priuatus iurisdictione particulari confessiones excipiendo. 2014.

Neque huic resolutioni obstat textus *in Cap. Dudum* de electione. vbi de quodam qui ipso iure erat priuatus cura animarum & tamen earundem curam retinebat, iniuste dicitur, quod per ipsum animæ miserabiliter erant deceptæ. Quia respondetur primò, in Archidiacono illo defectum iurisdictionis fuisse publicum atque ita non fuisse communem errorem. Ita Thomas Sanchez *num 60.* Respondetur secundò, quod illa verba inducta non sunt Pontificis decidentis, sed partis oppositæ inpugnantis. Multoties enim contingit in Capitulis Decretalium, quod dum alicuius litis decisionem facit Pontifex, vel vnius partis litigantis, vel vtriusque ponantur fundamenta. Quæ non faciunt ius, sed solum Pontificia decisio. 2015.

Quare omnino certum est, quod si interueniat communis error, suppletur per Ecclesiam iurisdictio quam confert Pontifex per potestatem altam quam habet, etiamsi per potestatem bassam iurisdictionem tali Sacerdoti denegauit. Dixi si interueniat communis error quo solum attenditur causa publica, nam error, alicuius particularis personæ, non sat est, cum aliàs constet apud plures illum non habere iurisdictionem. Sed quot personæ debent ignorare vt dicatur error communis vt censeatur conferri iurisdictio per potestatem altam; nullum vidi de hoc tractantem. Sed existimo tunc censeri errorem communem, quando est error publicus, tunc autem est publicus, quando in maiori parte existit, & cæteri scientes taceant. Tunc etiam est publicus quando quis Sacerdos est in loco publico excipiens confessiones tam virorum quam mulierum, cui indiscriminatim omnes confitentur. 2016.

Dixi quod suppletur iurisdictio, nam id quod requiritur iure naturali, vt quod confessor sit vir & non fœmina, & non sit furiosus & amens, vel iure 2017.

iure diuino vt quod vir sit Sacerdos caractere Sacerdotali insignitus habens ordinis potestatem. Etiamsi sit error communis, quod sit vir vel Sacerdos suppleri nequaquam potest. Supplerio enim huius defectus à nulla humana potestate quamuis alta & sublimis sit oriri potest. Sed cur Christus Dominus potestate absoluta id non poterit supplere? ob animarum bonum? Respondeo quod nobis non constat ita suppleuisse, & ita semper manet obligatio legis communis adstringentis ad confitendum vero Sacerdoti.

Maior difficultas est circa secundum dubij punctum. In quo negat Sanchez *vbi suprà, num.* 49. multis citatis, & expresè tenet Caiet. *vbi suprà* Probatur *ex leg. Barbarius* citata, vbi dicitur quod communis error facit, quod acta à non legitimo iudice valeant. Quia populus Roman. etiam seruo potuit decernere hanc potestatem. Ergo ex iure vtrumque requiritur, & communis error, & etiam authoritas superioris potentis conferre potestatem & munus Prætoris. Ex qua doctrina plura elicit corollaria P. Sanchez satis consequenter ad hoc principium.

2018. Sed oppositam sententiam defendunt Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 122. Molfesius *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 13. *n.* 21. qui alios citant, & latè probat Basil. Pontius *lib.* 5. *de Matrim cap.* 20. ratio est satis efficax ex fundamento quod possit Iurisconsultus *ex leg. Barbarius*. Quia populus Romanus potuit etiam seruo decernere hanc potestatem, & hæc quidem fictione iuris intelligitur concessa ob bonum commune: ergo cum Ecclesia simplici Sacerdoti possit iurisdictionem concedere, quamuis non habeat titulum à vero superiore concessum, confessio illi facta intercedente errore communi reprobari non debet. *Hoc enim humanius est.* Ne animarum perturbatio sequatur.

2019. Et quidem non video rationem cur Ecclesia conferat iurisdictionem habenti titulum à legitimo superiore collatum, & si sit nullus, & non conferat ei qui non habet titulum à legitimo superiore, sed ipse in illum intrusus est, cum titulus iste solum requiratur iure humano. Quod secus est si requiratur potestas iure diuino. Ex quo oritur quod si quis putetur communi errore quod habeat potestatem ad impertiendam indulgentiam plenariam, talis indulgentia cum non subsistat, lucrari non potest, quia potestas ad illam concedendam est de iure diuino. Et sic ab intrusis Prælatis non valent indulgentiæ concessæ. Si tamen à Concilio oppidano nullam habentem iurisdictionem, quis constituatur Parochus, aut Vicarius illius, & communi errore putetur verus Parochus, aut Vicarius, nihilominus vere, & validè administrat Sacramenta, & assistit Matrimonio. Similiter si quis eligatur in Prælatum cum errore inuincibili in forma electionis, tamen putatur communiter verus Prælatus acta per ipsum valida sunt. Hæc sententia satis probabilis est, & tuta in praxi. Sed prior mihi magis arridet propter authoritatem Domini Caietani.

2020. Sed nunquid si pœnitens scit confessarium esse priuatum iurisdictione, quod confessarius ignorat. Et adest etiam communis error, an possit illi confiteri? Affirmat Diana *vbi suprà* cum enim confessarius inuincibiliter ignoret suam priuationem, non peccat absoluendo, & aliàs ex communi errore habet iurisdictionem nec pœnitens inducit ad peccatum, & sic non ponit obicem, & confessor validè absoluit. Si tamen confessor sciat suam priuationem, aut quia non habeat iurisdictionem, quia intrusus, etiam si sit communis error, & si ex hac parte habeat iurisdictionem sibi concessam potestate alta Pontificis, & sic validè absolueret; tamen quia pœnitens ponit obicem peccando, quia solicitat ad peccatum confessorem, non est valida absolutio nisi in casu vrgentis necessitatis (qui non requiritur quod sit articulus aut periculum mortis vt minus bene existimauit Pontius *c.* 20. *cit.*) qualis erit annualis confessio, lucratio alicuius ingentis, & pleniſſimi Iubilei, & similibus sic enim licebit ab isto intruso Sacramentum pœnitentiæ petere; sicut à publico vsurario licet petere mutuo, quamuis euidenter sciam, non daturum nisi cum vsuris, & peccando.

Ratio est perspicua. Quia iste Sacerdos intrusus 2021.
suppositio communi errore habet veram iurisdictionem qua vtitur, etiam si sciat intrusum esse, & sic durante communi errore illa validè vti potest, quare non peccat in vsu illius, vt clarè docet Thomas Sanchez *num.* 59. loquens de Vicario qui scit particulariter mortuum esse Episcopum, & licitè vtitur iurisdictione delegata, quæ adhuc perseuerat perseuerante errore communi de vita Episcopi. Sed peccat Sacerdos ille qui administrat Sacramentum in peccato mortali, quo est irretitus per intrusionem, & vsurpationem iurisdictionis, de quo peccato potest conteri, & cum proposito emendæ illius iustus administrabit, & sic pœnitens non inducit ad peccatum petendo ab illo absolutionem, quam validè, & sanctè potest impendere, quamuis de facto ita non sit, sicut vsurarius potest sine vsuris mutuare, quamuis de facto non ita mutuet.

§. II.

Quis sit Ordinarius qui potest, & debet examen perficere, & approbationem præbere?

SVMMARIVM.

2022 *Omnis ille qui habet potestatem Episcopalem, aut quasi Episcopalem potest examen perficere, & approbationem ad audiendas suarum ouium confessiones.*

SIt Regula omnis ille qui habet potestatem 2023.
Episcopalem, aut quasi Episcopalem potest examen perficere, & approbationem ad audiendas suarum ouium confessiones. Ita Pontifex pro tota Ecclesia cuius est vniuersalis Pastor, & Ordinarius Episcopus, etiam si non sit consecratus, dummodo sit eius electio confirmata. Archiepiscopus etiam dum actu visitat potest per se vel per alios suffraganeorum subditos à peccatis absoluere, & si non possit licentiam præbere, vt transacta visitatione alij Sacerdotes confessiones illorum excipiant, sicut potest Legatus à latere, & Nuntius Apostolicus pro tota suæ legationis, & Nuntiaturæ Prouincia. Abbates seculares, & Priores Magni de quibus Barbosa *allegat.* 25. *cit. n.* 9. Vicarij Episcopi pro illa parte in qua sunt constituti Vicarij respectu cuius iurisdictionem exercent. Sic Vicarius Matritensis pro Matrito & eius districto, at Complutensis

plutenſis pro toto Archiepiſcopatu Toletano. Sicut & Conſilium Archiepiſcopatus. Capitulum ſede vacante quod ſuccedit Epiſcopo in actibus iuriſdictionis ordinariæ præter illos qui in iure denegantur. Superiores Regulares pro ſuis Religioſis aut Monialibus, quam non poteſt concedere Abbatiſſa pro ſuis Monialibus, in quas non habet propriam iuriſdictionem, ſed ſolum œconomicam gubernationem. Quare hi omnes nomine Epiſcoporum intelliguntur à Concilio, dum dicitur quod examen, & approbatio idoneitatis debet ab Epiſcopis fieri.

DVBIVM I.

De Parocho, an poſſit hodie delegare iuriſdictionem Sacerdoti ſimplici?

SVMMARIVM.

2023 *An hodie poſt Concilium Trident. poſſit Parochus delegare Sacerdoti ſimplici, vt in Parochia ſuarum ouium confeſſiones excipiat?*

2025 *Concilium ſolum derogat priuilegia, & conſuetudines.*

Cardinales poſſunt ex ſibi ſubditis, & commenſalibus, etiam poſt Tridentin. eligere Confeſſorem.

2029 *In caſu vrgentis neceſſitatis, vt quia ſunt multi qui confiteantur, & Parochus fatigatus eſt, ſi non eſt facilis recurſus ad Epiſcopum, poteſt delegare iuriſdictionem Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo.*

2023. SEd eſt primum dubium, an hodie poſt Trident. poſſit Parochus delegare Sacerdoti ſimplici, vt in Parochia ſuarum ouium confeſſiones excipiat, duplex eſt ſententia. Prima negat. Ita Diana *p.3. tract.4. reſol.146.* Fagund. *præcep.2. Eccleſ. lib.7. cap.2.a n.42.* Villalob. *tom.1. tract.9. diffic.49.n.9.* Sanch. *ſelect. diſp.48.n.51.* Suarez *de pœnit. diſp.28. ſect.4.* Nunius *in addition q.8. art.5 dub.6.* vbi Petrus Fay *diſp.1.* Gambarupta *de caſib. reſeruatis.* Barbola *alleg.25.n.25.* Probatur primò, quia ita declarauit Sacra Trid. Congregatio apud Bellarm. dicens: quod nullus præter Epiſcopum poteſt ſe interponere in his quæ ſpectant ad approbandum Sacerdotes Sacræ confeſſionis miniſtros. Secundò probat Cardin. Lugo *diſp.21. de pœnit. ſect.1. n.5.* quia Trid. clare dicit; nullum eſſe aptum vt poſſit ſecularium confeſſiones audire de cætero, niſi approbatum ab Epiſcopo vel habentem Beneficium Parochiale, ne Parochi ſua poteſtate abutentes oues ſuas ineptis traderent. Ergo non manet in Parochis facultas, quam ante Trid. habebant. Cum ergo antea poſſet ſimplex Sacerdos ex Parochi licentia confeſſiones ſecularium audire, hodie non poſſunt, aliàs nihil innouatum eſſet in Trid. idem tenet Baſſeus *verbo confeſſarius 3. n.5.* dicens: contrarium nec tutum, nec practicè probabile. Syluius *in additionib. q.8. art.5. quæſito 4.*

2024. Secunda ſententia affirmat. Quam ſecuti ſunt plures Magiſtri Salmanticenſ. & Diana *vbi ſuprà* dicit ſe eam ſecuturum niſi obſtaret declaratio Cardinalium, eam tamen defendunt Ledeſm. *to.1. ſumm.c.12. conc.5.* Ioan. de la Cruz *p.2. directorij q.5. dub 6. conc.2.* Ludouicus de S. Iuan. *in ſumma q.6. de pœnit. art.2. diffic.12. pag.451.* Huius ſententiæ non ſunt contemnenda fundamenta. Primò quia in Trid. *in cap. placuit & in cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſio.* conceditur hæc facultas Parochis, cum autem hæc decretalis ſit inſerta corpori iuris, ſitque ius commune non intelligitur derogata, niſi ſit expreſſa mentio de illa, quamuis iſta non requiratur in aliis conſtitutionibus Apoſtolicis vt expreſsè dicitur *cap. licet de conſtitut. in 6.* atqui Concilium non derogat præfato iuri ergo manet in eadem vi, ac antea habebat, ergo modo, ſicut antea, poteſt delegare Sacerdoti ſimplici quem ipſe idoneum iudicauerit.

2025. Secundò, quia Concilium ſolum derogat priuilegia, & conſuetudines: atqui Parochi id non habent ex priuilegio aut conſuetudine, ſed à iure diuino & poſitiuo humano cum ſecũdum vtrumque habeant poteſtatem Ordinariam quo eo ipſo delegari poteſt, & exceptio priuilegiorum, & conſuetudinum firmat regulam in contrarium.

Tertiò, quia Cardinales poſſunt ex ſibi ſubditis, & commenſalibus etiam poſt Trid. eligere cõfeſſorem vt tenent Ludouicus à Cruce *diſp.1. c.2. dub.23.n.20.* etiam ſine approbatione Diœceſani. Sequitur Turrian *de pœnit. diſp.23. dub.30.* Filliuc. *tom.1. tract.7. c.7. dub.193.* & Naldus verbo Cardinal. *n.8.* vbi egregiam hanc rationem reddit. Quia certum eſt (inquit) Cardinales eſſe proprios Sacerdotes ſuæ familiæ, & per ſe vel per alios poſſe hoc munus Parochiæ in illos exercere, & per conſequens eandem familiam non ſubiici Parochiali locorum. Quod dicit contra Azor. qui *p.2. lib.4. c.13. q.16.* poſt Concil. Trid. tenet contrarium, fundatus in quadam declaratione Cardinalium; cui reſpondet Diana *p.5. tract.2. reſol.10.* quod non eſt authentica cum non conſtet de eius authoritate, quod ipſe etiam deberet reſpondere ad declarationem quam adducit pro contraria ſententia. Et hodie poſt Decret. Vrbani VIII. editum *ann.1631. die 2. Auguſt.* in quo ſtatuit, quod nulli declarationi fideles adhibeatur, niſi in forma authentica fuerit edita, videlicet ſigillo ſolito, & ſubſcriptione Eminentiſſ. Cardin. Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congreg. ergo ex vi Parochiæ ſine licentia, & approbatione Ordinarij poterit Parochus delegare ſuam iuriſdictionem ſimplici Sacerdoti, cui non obſtat Trident. ſicut non obſtat Cardinalibus. Vnde dicit: Ludouicus à S. Ioanne. Quod hæc ſententia *ſe puede muy bien ſeguir.*

2026. Quartò, quia ſi verbis Concilij vt iacent eſt inhærendum, ſequitur quod approbati ab Abbatibus, & Prioribus abſolutis non poſſint ſecularium confeſſiones audire. Conſequens autem eſt contra omnes. Sequela probatur. Quia Concilium dicit quod examen, & approbatio debeat eſſe ab Epiſcopis. Non dicit ab Ordinariis: atqui præfati quamuis ſint Ordinarij, non tamen ſunt Epiſcopi. Quare ſicut de illis non intelligitur Concilium, quia habent poteſtatem, & iuriſdictionem ordinariam, ita neque de Parochis quamuis ſubditi ſint Epiſcopis, ſicut iſti Summo Pontifici.

Quintò, quia approbatio, & examen debet fieri ab Epiſcopo Diœceſano, vt ſequenti dubio probabo. Eſt hodie communis ſententia quæ tamen intelligit ſic Tridentinum ex Sacra Congregatione ſic declarante. Et tamen Parochus poteſt delegare ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem cuilibet alteri Parocho cuiuſcumque Diœceſis vel Sacerdoti approbato à quolibet totius Eccleſiæ Epiſcopo

Episcopo vt tenent Nauarrus *cap. placuit n. 49. de pœnitent. dist. 6.* Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap. 6 §. 7.* Suarez *disp. 28. citat. sect. 4. n. 18.* Coninch *disput. 8. dub. 4. n. 28.* Trullench *in expos. Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 3. à n. 15.* Fagundez *vbi suprà n. 43.* qui malè dicit Parochos ante Concilium habuisse solum ex consuetudine, cum id habeant ex *iure cap. omnis & cap. placuit citatis*, imò ex iure diuino ex quo habent potestatem ordinariam, omnis autem qui talem habet potestatem potest delegare. Ergo etiam potest delegare simplici Sacerdoti. Etiam si Episcopus id prohibeat vt optimè Trullench contra Suarez, non enim potest Episcopus irritum reddere quod Parochus facit iure communi munitus vt latè Sanch. *lib. 3. de Matrimon. disp. 32.*

2017.

2018. Sextò, quia Concilium Tridentin. habet planam intelligentiam, & sic non contrariatur iuri communi in capitibus citatis. Concilium etenim non abstulit potestatem Ordinariam, & quam habent Parochi ad delegandum respectu suorum subditorum, nullum enim verbum est, quod hoc vel leuiter insinuet, quare illis relinquit potestatem quam à iure communi habebant, & hoc etiam tenent Authores contrarij, quare Concilium solum voluit declarare, quid intelligatur per confessorem idoneum in Bullis, & priuilegiis quibus aliquibus conceditur facultas eligendi confessorem idoneum, & declarat Sancta Synodus quod idoneus est ille, quem per examen, vel aliàs Episcopus approbat, & idoneum declarat. Iste enim, & nullus alius est idoneus Sacerdos ad audiendas secularium confessiones, non enim agit Concilium de illo qui ex iurisdictione etiam delegata potest audire confessiones, & hanc esse Concilij mentem ex duobus manifestè colligitur. Primò, quia Concilium dicit quod Parochus est idoneus ad audiendas secularium confessiones, & tamen de iure communi non habet iurisdictionem nisi ad audiendas confessiones suarum ouium. Secundò, quia si Episcopus declaret aliquem idoneum, non tamen conferat iurisdictionem potest ex vi huius Decreti Trident. audire confessiones secularium habentium priuilegium ad eligendum cõfessorem idoneum vt est indubitatum: ergo euidens est Concilium non agere hîc de confessore habente iurisdictionem, sed de idoneitate confessoris; & quid intelligatur per confessorem idoneum in Bullis, & priuilegiis. Quare confessor cui Parochus delegauit suam iurisdictionem, non est Sacerdos idoneus secundum ius Tridentini, imo neque approbatus per Abbates, & Priores exemptos, vnde Tridentinum non abstulit à Parochis quod possint pro suis ouibus simplici Sacerdoti delegare iurisdictionem. Peccauit tamen mortaliter non secus ac Episcopus si non idoneo delegauerit, & hæc est vera, & genuina Concilij intelligentia vt ait Ledesma *vbi suprà pag. mihi 252. versiculo esta es.*

2019. Septimò, quia in casu necessitatis vrgentis, vt quia sunt multi qui confiteantur, & Parochus fatigatus est, si non est facilis recursus ad Episcopum potest delegare iurisdictionem Sacerdoti non approbato ab Episcopo: ergo semper potest. Consequentia est manifesta, quia ratihabitio de futuro non confert iurisdictionem, aut declarat idoneitatem requisitam ad audiendas confessiones, vt est communis & certa sententia ergo iudicium Episcopi de idoneitate non est forma substantialis ad delegandam iurisdictionem.

Antecedẽs huius discursus docuerunt Mancius & Gallus quos refert, & sequitur Henriq. *lib. 3. c. 6. num. 2. in Glossa littera F. & G.* Ludouicus à Cruce *vbi suprà dub. 10.* addit Henriquez ex S. Antonino ita declarasse aliquos Summos Pontifices, & ex Ioanne Andrea ita disputatum, & conclusum fuisse Bononiæ.

Pro hac sententia longius propugnaui contra quosdam recentiores, quibus non bene olent opiniones Thomistarum antiquorum in quibus fuit vera sapientia, & conscientiæ timor & eximia Religio & sanctitas. Et sic semper veneror eorum opiniones. Quare ista de qua loquimur valde probabilis est, non solum speculatiuè, sed etiam practicè nisi aliter declaret prima Sedes. Oppositа tamen fundamenta ex dictis satis soluta manent. 2030.

DVBIVM II.

Quæ approbatio requiratur vt confessor possit eligi virtute Bullæ Cruciatæ?

SVMMARIVM.

2031 *Quid intelligatur per illa verba Bullæ Cruciatæ, & Iubilei generalis, quod Sacerdos debet esse approbatus ab Ordinario, vt possit eligi in Confessarium?*
Prima sententia affirmans ponitur ibid.

2042 *Ex vi Concily Tridentini nihil est innouatum circa confessores Regularium, quorum priuilegia, & consuetudines non sunt immutatæ, aut derogatæ.*

2043 *Adducitur secunda sententia.*

2047 *Tertia sententia refertur, & in quo à secunda differat ostenditur n. 2049.*

2050 *Quarta sententia, quæ est declaratio, & ampliatio primæ.*

2061 *Corollaria contra Cardinalem de Lugo, & num. seqq.*

SEcundum dubium est, quid intelligatur per illa verba Bullæ Cruciatæ, & Iubilei generalis, quod Sacerdos debet esse approbatus ab Ordinario, vt possit eligi in confessarium. Quis nam (inquam) sit Ordinarius iste, an ipsius confessarij dumtaxat, an ipsius pœnitentis. Quod dubium valde perplexum est propter varias sententias Doctorum, qui nixi variis Cardinalium declarationibus diuisi sunt. Verum enim vero antequam diuersa placita referam, præ oculis habendum est discrimen illud quod supra insinuaui videlicet non esse idem disputare quis sit Ordinarius qui approbare debet Sacerdotem vt possit eligi virtute Bullæ aut Iubilei ad absoluendum à peccatis etiam reseruatis Summo Pontifici, & à censuris à iure vel ab homine, & qui possit commutare, & dispensare vota & iuramenta: & disputare quis sit Ordinarius qui possit delegare iurisdictionem ad absoluendum. Nam iste debet esse Ordinarius ipsius pœnitentis, & confessarij in ordine ad absoluendum tales pœnitẽtes qui sint oues talis Ordinarij. Hoc enim manifestũ est, quia nullus Episcopus potest delegare iurisdictionem in eos qui oues illius nõ sunt, in quas nullũ ius dicere valeat, cum non sint ipsius, nec pro illis reddituri sunt rationem. Quare difficultas est, quis sit Ordinarius qui debeat approbare confessarium vt eligi possit virtute priuilegij, Bullæ aut Iubilei, cui non Episcopus, sed solus Pontifex confert iurisdictionem. 2031.

Hoc ſuppoſito. Prima ſententia affirmat quod approbatus à quolibet Ordinario totius Eccleſiæ poteſt in tota Eccleſia eligi virtute Bullæ. Ita tenent Henriquez *lib.3. de pœnit. c.6.n.7. & lib.6. de indulgentiis c.12. n.4.* Diana *p.1. tract. 11. reſol.7.* multis citatis Cruz *in directorio p.2. q.5. de pœnit. dub 5. concl.2.* & de ſtatu Religioſo *lib.2. c.6. dub.5.* Nuño *in additio q.8. art.5. dub.9.* Ludouicus de S.Iuan Euangeliſta *1.p.q.6. art.2.difficult.13. fol. mihi 425.* & probabilem iudicat Fagundez infrà adducendus *n.89.* & Vega *1.p ſum. lib.4.caſu 29.& in Compend.c.72.caſu 41.* dicit eſſe veram, & ſecuram opinionem, & Henriq. *c.6. citato n.7.littera A.* dicit, quod DD.Salmanticenſ. putant hanc ſententiam certam. Probatur primò, quia Bulla Cruciatæ ſolum dicit quod ſit approbatus ab Ordinario, vt poſſit eligi in confeſſorem, cum ergo hoc ſit priuilegium ample eſt interpretandum, & quod priuilegium non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Tum etiam quia cum ex vi huius priuilegij iuriſdictio non concedatur confeſſario ab Epiſcopo, ſed à Summo Pontifice, eo ipſo quod declaretur quis idoneus iuxta formam Tridentini *ſeſſ. 23. c.15.* confertur ampliſſima poteſtas vbique terrarum vt poſſit eligi, nam ad hoc non amplius requiritur tanquam conditio niſi idoneitas declarata ab Ordinario.

2032. Secundò probatur, quia in Bulla latina Cruciatæ quam ego vidi dicitur: *Conceditur vt poſſint eligere confeſſarium ſecularem, vel cuiuſcumque Ordinis etiam mendicantium regularem ex his qui ab Ordinario, & quoad Regulares ſemel approbati ſunt.* Ergo ſaltim Regularis ſemel approbatus poteſt vbique eligi virtute Bullæ, cum enim ante in aliis Bullis prioribus ſolum diceretur, quod eligeretur Sacerdos idoneus, & quia in hoc erat magnus abuſus. Cum eligerentur non idonei in poſterioribus Bullis additum eſt quod ſit appprobatus idoneus ab Ordinario, & quo ad Regulares, quod ſint ſemel approbati, qui vbique terrarum poſſint eligi, nec eſt in voluntate Epiſcoporum id auferre cum ſit priuilegium Summi Pontificis. Et quamuis hoc, quod Regularis ſemel approbatus poſſit eligi non ponatur in Bulla, traducta in lingua vulgari, non obſtat quominus tali priuilegio poſſint vti, quia licet Commiſſarius Cruciatæ poſſit declarare Bullam cuius declarationi ſit ſtandum, tamen non poteſt auferre priuilegium quod expreſsè concedit Summus Pontifex.

2033. Tertiò probatur, manifeſta declaratione Congreg.Cardinal.quam ſic refert Lugo *vbi ſup.n.31. S.D.N declarauit tempore Iubilei poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones. In Bulla non fit mentio niſi de Ordinario eorum qui aduituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Hæc ibi: ergo qui eſt approbatus idoneus à ſuo Ordinario poteſt vbique terrarum eligi virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei à quibuſcumque pœnitentibus, etiam ſi non ſit approbatus ab iſtorum Ordinariis. Id quod clariſſimè conſtat in Regularibus de quibus loquitur declaratio (& eadem eſt ratio in ſecularibus) qui poſſunt confiteri ex priuilegio Iubilei, aut Bullæ ei qui approbatus eſt à ſuo Ordinario, non ab Ordinario ipſorum, & ille qui ſemel eſt idoneus iudicatus, vbique locorum idoneus eſt niſi clarè, & nororiè conſtet de in idoneitate ſuperueniente, & hæc quidem declaratio ſatis conformis eſt Decreto Trid. quod vt optimè Card.Lugo *n.46.* non loquitur de Ordinario pœnitentis, ſed de Ordinario confeſſoris.

Neque ſpeculatio Metaphyſica (quæ multoties parum vtilis eſt ad caſus morales) quam adducit idem Eminentiſſ. euertit fundamentum hoc: dicit enim quod Congregatio loquitur de Ordinario confeſſoris non abſolutè ſed in ordine ad confeſſiones audiẽdas in hac Diœceſi in Ordine ad quas Ordinarius confeſſoris, eſt idem ac Ordinarius pœnitentis, quia confeſſor eo ipſo quod audiat confeſſiones in hac Diœceſi ſubditur eius Epiſcopo qui in ordine ad hoc miniſterium eſt ſuus iudex Ordinarius. Ex qua doctrina plura infert ſatis conſequenter. Sed quæ ſcrupulis ſunt plena, & parum conformia praxi fidelium, qui vti poſſunt Bulla Cruciatæ. 2034.

Sed hæc doctrina applicari non poteſt Cardinaliũ declarationi, quod manifeſtè oſtendo. Quia ſi ita eſt non poſſent Regulares confiteri virtute Iubilei Sacerdotibus approbatis ab Ordinario, niſi etiam eſſent approbati à ſuperioribus, qui ſunt Ordinarij ipſorum Religioſorum, reſpondet Cardinalis *n.41.* quod Regulares eo ipſo quod virtute Iubilei poſſunt confiteri confeſſario approbato ab Ordinario debent conſiderari, ac ſi eſſent ſæculares, & licet ipſi ſint exempti ab Epiſcopis in ordine tamen ad hoc ille debet reputari Ordinarius ad approbandum talem confeſſarium qui eſſet, ſi pœnitens eſſet ſecularis, quare ad audiendã confeſſionem Religioſi qui domicilium ſuum habet Hiſpali requiritur approbatio Archiepiſcopi Hiſpalenſis: vel ſi Religioſus Hiſpali hoſpes eſt, poſſet abſolui ab his qui Hiſpali ſunt approbati, vel ab his qui ſunt ſubditi Epiſcopi in quo habet domicilium. Sed vt dixi, hæc licet conſequenter ſint dicta, tamen nec vere nec conformiter ad præfatam declarationem; ſic enim neceſſario per Ordinarium intelligendus eſſet Ordinarius ipſius pœnitentis vt exiſtimauit Guttierez infrà adducendus, cuius opinio (dicit Fagundez *vbi ſuprà n.91.*) non eſt probabilis, nec defendi poteſt. 2053.

Quia accidentarium eſt (inquit) *huic Sacramento quod in hoc aut illo loco, vel Diœceſi fiat, dummodo confeſſarius iuriſdictionem habeat in pœnitentem, vel ordinariam vel commiſſam aut delegatam. Papa autem poteſt delegare hanc iuriſdictionem cuicumque Sacerdoti ſuper quemcumque fidelem pœnitentem totius orbis, & de facto delegauit, & commiſit illam per Bullam aut priuilegium Iubilei, dummodo Sacerdos ſit approbatus à ſuo Ordinario quod tantum requirit Concilium.* Hæc ſatis ſapiẽter. Ex qua doctrina manifeſtè deducitur quod ſi quis ſit approbatus Toleti, & non mutans domicilium veniat Hiſpalim poteſt ibi eligi virtute Bullæ, quia Ordinarius ſuus tum ratione domicilij quod non mutauit, tum etiam ratione originis eſt Archiepiſc. Tolet. à quo eſt actu approbatus: cum autẽ nihil aliud requirat declaratio & Trid. durum valde eſt, quod vt poſſit eligi, requiratur approbatio Epiſcopi in quo quiſeſt in tranſitu. 2036.

2. quia ſolutio hæc illuſoria, tum declarationis, tum Concilij, Congregatio enim expreſsè fatetur quod approbatio debet eſſe ab *Ordinario confeſſoris non ab Ordinario pœnitentium.* At iuxta Cardin. debet eſſe ab Ordinario pœnitẽtium, imò quia eſt ab Ordinario pœnitentium eſt ab Ordinario confeſſoris horũ pœnitentiũ. Etiam illludit Concilio dicenti quod nullus poſſit audire ſeculariũ confeſſiones, niſi approbatus, & examinatus ab Epiſcopo, quod omnes intelligunt ab 2038.

Epiſcopo

Episcopi confessoris, primò & per se supra quam approbationem cadit priuilegium Bullæ aut Iubilei, vt possit eligi à quocumque tale priuilegium habuerit.

2039. Tertiò, ad hominem euidenter contra Cardinalem qui *n.46.* dicit Congregationem declarasse Iubileum intelligi ab ordinario Confessoris,& non pœnitentis quia sæpè pœnitens nullum habet ordinarium qui possit approbare vt contigit in Religiosis, & peregrinis, quare (inquit) melius fuit quod Congregatio faceret mentionem de ordinario confessoris qui semper habet Ordinarium, vel ratione domicilij vel ratione administrationis Sacramenti pœnitentiæ ratione cuius subditur ordinario loci in quo audit confessiones. Hæc (inquam) doctrina manifestè reuincitur. Quia sicut Confessor ratione administrationis actiuæ subditur Episcopo loci in quo audit confessiones: ita pœnitens ratione administrationis passiuæ eiusdem Sacramenti subditur eidem ordinario, quamuis exemptus sit pœnitens,aut peregrinus, vt ipse Cardinalis fatetur. Ergo eodem modo loquendum est de pœnitente, & confessario,cum vterque æquè subiiciantur ordinario. At Congregatio expressè dicit quod Iubileum, & per consequens Trid. non loquitur de ordinario pœnitentis, sed confessarij. Ergo falsa speculatio.

2040. Quartò, quia dicens quod Regularis exemptus qui ex concessione, & priuilegio Papæ vtitur priuilegio Iubilei, aut Bullæ subditur Episcopo loci in quo confitetur, & quod ab illo pendeat in illius receptione est contra omnium intelligentiam & praxim Regularium, aliàs Regularis non posset à casibus reseruatis Papæ de licentia sui Prælati absolui à confessoribus designatis, si isti non essent approbati ab ordinario loci, sed solum à superiore. Cuius contrarium declarauit Clemens VIII.die 23. Nouemb.1599. dicens: *Per facultatem* in Bulla & Iubilei, *& alias concessam eligendi quemcumque confessarium siue secularem, siue Regularem,&c. Quæ intentionis existere vt tam fratres quam moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ seu confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint.* Ergo Regularis virtute Bullæ potest eligere confessarium approbatum solum à suo superiore. Id quod latè probabo infra *dub.4.*

2041. Quare hæc prima sententia dubio procul est valde probabilis, & tuta in praxi quam preter citatos à Diana eam sequuntur Viuald.in Candelabro titulo de confessore *n.21.* Anton Gomez *in explic. Bullæ clauſ.10. n.8.* & latè Ioan.Valerus *verbo absolutio n.1. & 12.* Trullench *ibi sup. dub.2. vbi à n.9.* satis doctè id tractat respondens ad declarationes Cardinalium quæ in oppositum adducuntur. Et ego respondeo ad Bullam Vrbani VIII.editam *anno 1628. die 12. Septemb.* & incipit: *Cum sicut* de qua Cardinalis Lugo *n 29.* qua reuocauit omnia priuilegia, & licentias audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis Diœcesanis, & examine facto ab Ordinario. Respondeo igitur igitur quod Pontifex loquitur de facultate audiendi confessiones per potestatem delegatam, non vero de potestate quam Pontifex concedit fidelibus, vt eligant confessarium approbatum ab ordinario.

2042. Quintò, quia ex vi Concilij Trid. nihil est innouatum circa confessores Regularium quorum priuilegia, & consuetudines non sunt immutatæ aut derogatæ vt tenent omnes Doctores citati, & est omnino certum, & manifestauit Trid. dicens: nullus possit audire confessiones secularium nisi, &c. Atqui ante Trident.Regulares poterant confiteri cuilibet Sacerdoti de licentia sui Prælati, aut Summi Pontificis: ergo modo possunt confiteri per Bullam, cuilibet etiam non approbato ab Ordinario loci, quia quamuis dicatur in Bulla quod confessor eligendus debeat esse approbatus ab Ordinario, hic ordinarius intelligitur ipsius Religiosi, respectu cuius habet quasi Episcopalem authoritatem, estque illius Pastor, non Episcopus loci, quare omnino falsum est quod Religiosus si vult vti Bulla Cruciatæ se habet vt secularis, & eius confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci. Sufficit enim quod sit approbatus à superiore Regulari. Immo addo quod sicut Regularis poterat priuilegio Iubilei,& Bullæ & confiteri Sacerdoti simplici de licentia sui Prælati,vt de licentia Parochi poterat quilibet Parochianus ante Trid.ita post Trid.potest Regularis,cum circa illiorum cõfessores nihil immutauerit Concilium,& eo ipso quod det Prælatus licentiam confitendi simplici Sacerdoti, iste est approbatus ab Ordinario Regulari ex vi licentiæ,sicut quis modo potest vbi Bulla Cruciatæ si de licentia Episcopi confiteatur Sacerdoti simplici designato.

Secunda sententia docet quod per Ordinarium 2043.
intelligitur ordinarius pœnitentium,hanc sententiam accerrime defendit Guttier. *lib.1.qq.Canon. c.27.à n.6.* sequitur Vasq.3.*p.q.93.art.3.dub.4.n.3.* Layman *in Theol.moral.lib.5.tract.6.c.11.n.8.* Villalob.*in summ.tract.9. difficult.56.n.3.* vbi plurimos grauissimos DD. tam Salmanticenses quam Complut.refert, addens ita Romæ pract.Et quod D.Andreas de Cordoua Episcop.Pacens.*de Badajoz* coram se dixit, quod dum esset auditor Rotæ hoc punctum à Pontifice interrogauit, & respondit:quod debet esse ab ordinario loci confessor approbatus,& examinatus, vt possit eligi. Idem sequitur Zerola *in praxi pœnitentiali c.16.q.8.* Acosta *in Bullam Cruciatæ q.38.* Beja *p.4.* casuum conscientiæ *casu 4.* & idem clarè docet Cardinalis Lugo *vbi sup.* & Ludouicus à Cruce *dub.25.*

Et habet hæc opinio pro se grauissima funda- 2044.
menta. Primum, quia ita declarauit Sacra Congregatio ad petitionem Archiepiscopi Valentini, quam declarationem authenticam dicit Emanuel Rodrig.se vidisse. Sed quia eam aliqui non ponũt sub dubio, vel dicunt non esse authenticam. Ego adduco speciale breue editum ad perpetuam rei memoriam à Paul.V.Summ.Pontifice *anno 1609.* Pontificatus sui *anno 7. die 11. Octob.* quod breue authenticum apud me habeo. In quo Sum. Pontif. declarat Bullam Cruciatæ quid noui iuris non induxisse, quare vi illius non posse Regulares sine ordinarij Hispalensis licentia confessiones secularium audire ac irritum, & inane declarat,si contrarium scienter vel ignoranter factum fuerit. Quod breue cum sit lex declaratoria Concilij Tridentini,illi dubio procul standum est.

Secundum quod est Vasq. quia de iure commu- 2045.
ni approbatus, & examinatus pro vna Diœcesi, non est approbatus, & examinatus pro tota Ecclesia. Tum quia in extrauag. super Cathedram de sepulturis,id expressè determinatur.Tum quia Episcopus in aliena Diœcesi nullam habet iurisdictionem ordinariam,atque ita non potest illam delegare nisi pro sua Ciuitate, & Diœcesi, & sic Parochus de iure communi non potest audire confessiones nisi suarum ouium. Vnde in Tridentin. *cap.15.*

cap.15. citato. data opera dicit. Nisi approbatus, & examinatus ab Episcopis, non dicit ab Episcopo. Tum tertiò, quia ista declarauit Paulus V. in Bulla supra citata. Et tandem quia absurdissimum est, quod semel approbatus ab vno Episcopo vbique terrarum approbatus & examinatus existat. Ergo cum in Bulla, & in Iubileo dicitur, quod quis possit eligere confessorem approbatum idoneum ab Ordinario, debet intelligi de approbato in eadem Diœcesi. Nam verba posita in priuilegio quæ aliàs sunt iuris communis debent intelligi eodem modo, ac intelliguntur posita in iure communi.

2046. Tertium, posuit Gutierez *n.*18. quia idoneitas confessoris non est quid absolutum omnino sed respectiuum, respicit enim personas & loca. Non enim qui est idoneus confessor, propria Ciuitate parua in qua non sunt magna commercia, est idoneus pro alia magna in qua est multitudo mercatorum, quarum omnium differentiam Episcopus vt optimus, & prudens Pastor attendit vt illas medeatur, & medicos speciales tribuat, ergo confessarius qui eligi potest, approbari, & examinari debet ab Episcopo loci in quo pascunt doctrinam sanam oues; alias iniuria fit Pastori, si sine eius consensu prouidetur de ouium pascuis, quod non censetur conferre Pontifex, nisi id exprimat facere de suæ plenitudinis potestate argumento *ex leg.*2. §. *si quis à Principe D.ne quis in loco publico.* alias ansa præberetur seminandi in animis fidelium zizania, errorem malæ doctrinæ, & aliorum inconuenientium.

Ex qua sententia inferunt eius authores plura, & specialiter Cardinalis Lugo. Primò, quod approbatus Hispali, si vadat Cordubam, non possit eligi in confessarium virtute Bullæ, nisi examinetur ab Episcopo Cordubensi, vel nisi ibi existat aliquis subditus Hispalensis, subditus (inquam) vel ratione Domicilij, originis, aut Beneficij. Secundò, quod approbatus à Cordubensi, si Hispali commoretur, non solum non potest eligi à ciuibus Hispalensibus, sed neque à Toletanis, si ibi Hispali existant. Quia Ordinarius ciuis Toletani aut est Archiepiscopus Hispalensis vbi de facto moratur, aut Archiepiscopus Toletanus, & à nullo est examinatus, & approbatus confessor sed solum à Cordubensi.

2047. Tertia sententia est asserentium, approbationem petendam necessario esse ab actuali Episcopo Confessarij, qui est Episcopus loci, aut Diœcesis in qua Sacerdos habitat, & domicilium aut quasi domicilium habet. Ita defendit Fagundez *vbi sup. n.*19. & iterum quasi oblitus quod antea idem disputaret, repetit disputando *n.*92. & pro ea citat vtrobique Viualdum, Suarez, Coninch, Henriquez, Medinam, & Cordubam, & probat. Primò, ex declaratione Cardinalium supra
2048. adducta pro prima sententia. Secundò, quia ita habet vsus, & praxis. Vidimus enim quod Religiosus approbatus in vna Diœcesi, si mutat domicilium ad aliam, ibi, si alias non est in ea examinatus se subiicit nouo examini, & expectat approbationem illius Episcopi. Tertiò, quia iuxta Concilium, & declarationes Cardinalium debet esse examinatus actu, & non sufficit fuisse, aliàs Parochus qui habuit Beneficium, & si de facto non habeat, possit eligi vbique terrarum virtute Bullæ. Quod est contra Tridentinum dicens: Quod si quis Beneficium Parochiale habeat. Vt optimè Suarez *disput.* 28. *citata sect.* 4. *num.*20. & sequuntur communiter Doctores. Ergo confessor debet esse actu examinatus à suo Episcopo actuali. Qui est proprius; si autem mutat domicilium ad aliam Diœcesim, iam iste Episcopus est proprius, & alter extraneus. Et sic non habet actualem approbationem, sed illam habuit ab alio Episcopo. Et sic non potest eligi, sicut nec Parochus qui actu non habet Parochiale Beneficium. Concilium autem æquiparat approbationem per examen Beneficio Parochiali.

Hæc tamen sententia differt à secunda cum expresse dicat Fagundez non esse necessarium approbationem ab Episcopo pœnitentiam. Et sic respondet ad declarationem adductam pro Episcopo Valentino non esse authenticam. Sicut alia quæ adducitur pro prima sententia. Vnde si quis confessor non mutans domicilium, sed quasi in transitu existens aliqua Diœcesi, poterit in illa eligi virtute Bullæ, quia habet actualem approbationem Episcopi qui est actualis eius Ordinarius, cum Episcopus Diœcesis in qua transeunter habitat, non sit eius proprius Episcopus. Differt autem hæc tertia sententia à prima, quia ista dicit, quod semel approbatus à quocumque Ordinario, est vbique eligibilis per Bullam, etiam si mutet domicilium. At tertia sententia non dat tam amplam licentiam, sed si mutat domicilium necessaria est approbatio Episcopi domicilij noui. 2049.

Quarta sententia quæ est declaratio, & ampliatio primæ asserit quod approbatus ab Ordinario siue sit pœnitentis, siue confessariis, siue sit Episcopus originis siue Beneficij, siue domicilij. Ita expresse Diana *vbi suprà*, Valerus ibidem citatus qui validè eam probat. Primò, quia licet quis non possit ordinari nisi à suo Episcopo. *cap. nullus de tempor. ordinand. in 6.* & Trident. *sess.*23. *cap.*8. tamen si quis portet dimissorias sui Episcopi originis, siue Beneficij potest vbique terrarum ordinari à quocumque Episcopo: ergo cum Concilium solum requirat approbationem, & examen factum ab Episcopis, à quocumque Episcopo fiat, sat erit vt quis possit eligi per Bullam in foro pœnitentiæ, quod nullum habet territorium ad doctrinam fori externi. 2050.

Secundò, quia ex vi priuilegij Bullæ eo ipso quod quis eligat aliquem ex approbatis fit eiusdem subditus, & quasi Parochianus, cum in illud conferat confessori Summ. Pontif. iurisdictionem: at qui Parochus vbique terrarum potest excipere confessiones suarum ouium vt est certum apud authores omnium sententiarum: ergo similiter quilibet approbatus, & electus virtute Bullæ poterit vbique electoris confessiones audire. Quæ ratio valde efficax est, si loquamur in casu in quo quis semel eligit confessarium approbatum in sua Diœcesi, qui poterit vbique terrarum iterato eligi ab eodem absque noua approbatione, alterius Episcopi. Nam semel approbatus, & examinatus pro ista oue quæ virtute Bullæ illum eligit, accipit iurisdictionem à Papa ergo vbique poterit illam exercere. Sicut etiam communis, & certa sententia quam defendit Suarez *vbi suprà sect.*6. *n.*4. docet quod approbatus ab Archiepisc. Hispalensi potest vbique terrarum ipsius oues absoluere à peccaris absque noua approbatione; ergo cum Pontif. virtute Bullæ cõcedat iurisdictionem confessori electo si sit approbatus, vbicũque 2051.

poterit

poterit illã exercere reſpectu cuiuſcumq; electoris. Quia ſicut Põtifex eſt Ordinarius Ordinariorum, cuius poteſtas nullis coarctatur limitibus, ita nec Iuriſdictio ab illa poteſtate promanans aliquibus limitibus terminatur. Vnde non ſequitur aliqua confuſio, aut conturbatio iuriſdictionum: cum iuriſdictio ita conceſſa per bullam non à poteſtatibus Epiſcoporum quæ limitatæ ſunt dimanet, ſed à poteſtate illimitata Pontificis.

2052. Tertiò, quia approbatus in forma iuridica in aliqua ſcientia vel arte, officiove mechanico vbique terrarum talis reputatus eſt habilis, nec indiget nouo examine. Doctor enim ſine nouo examine vbique eſt Doctor. Ergo approbatus vt idoneus in ſcientia & moribus ad audiendas confeſſiones in forma iuridica quam requirit Trident. vbique eſt idoneus ad illas audiendas, quamuis ſi ſolum habeat iuriſdictionem ab Epiſcopo ſolum poſſit ſuæ Diœceſis oues confiteri, aliàs eſſet confuſio iuriſdictionũ Epiſcopalium: ergo cum Bulla Cruciatæ ſolum requirat approbationem idoneitatis iuridice factam vt ſupremus Ordinarius Ordinariorum iuriſdictionem conferat, cum vbicumque ſit idoneus, qui ſemel iuridice declaratus eſt idoneus, vbique poteſt eligi virtute Bullæ Cruciatæ aut Iubilei.

2053. Quartò, quia ante Concilium Trident. ex conſuetudine immemoriali introducta in Eccleſia poterat quis de licentia ſui Epiſcopi, aut Parochi eligere in confeſſarium quemcumque Sacerdotem etiam ſimplicem abſque aliqua approbatione Epiſcopi vt multis citatis probant Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 3. Nauarrus *cap. placuit de pœnitent. num.* 10. & 49. & 166. *diſtinct.* 6. Henriquez *de pœnitentia. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 7. & *in Gloſſa littera O.* quæ poteſtas tam ampla ſublata eſt per Trident. *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. ſanctiſſime determinans ne fiant huiuſmodi delegationes & facultates quibuſcumque Sacerdotibus, ſed tantum approbatis ab Epiſcopis. Ergo cum ex præfata conſuetudine quæ vim legis habebat, quilibet licentiatus haberet duo. Primum, eligere confeſſorem ex vi præfatæ licentiæ. Secundum, eligere etiam non approbatum ab Epiſcopo, aut Parocho & hoc ſecundum ſolum derogauerit, manet libertas infidelibus ſæcularibus eligendi quemcumque ex approbatis ab Epiſcopo ſi illi habeant priuilegium Bullæ. Lex enim communis ſolum intelligitur derogata per legem ſubſecutam quantum ad illud in quo illi opponitur. Hoc fundamentum valde graue & efficax eſt ad intentum.

Quintò, quia Congregatio Cardinalium tempore Gregorij XIII. declarans *caput finale. de pœnitentiis & remiſſio.* dixit: S.D.N. Gregorius XIII.
2054. audita relatione, Primò, Congregationis Concilij declarauit Epiſcopos virtute priuilegij (de quo in præfato capite) non poſſe ſibi eligere in confeſſarium Sacerdotem ſibi non ſubditum qui à proprio ordinario non fuerit adhuc ad hanc formam huius decreti approbatus ad audiendas confeſſiones. Quam declarationem referunt Bellarminus, Barboſa, & Farinac. *ibi.* Ergo Epiſcopis ſufficit vigore dicti priuilegij eligere in ſuum confeſſorem approbatum à ſuis ordinariis, non vero requiritur, quod ſit approbatus ab Epiſcopo loci in quo fit confeſſio, ſed à quocumque ſat eſt quod approbetur; ergo cum id habeant fideles per bullam Cruciatæ, quod Epiſcopi per præfatum *cap. finale.* iſti poterunt eligere approbatum à quocumque Epiſcopo.

Sextò, quia hæc opinio ſicut & aliæ relatæ ſunt probabiles, ergo ſi quis illa vtens in locis Hiſpaniæ & aliis vbi viget priuilegium Bullæ Cruciatæ ſe exponat & virtute illius eligatur ad audiendas confeſſiones in illa Diœceſi, vbi non 2055.
eſt approbatus, valide abſoluit & abſque aliquo ſcrupulo id poteſt præſtare. Cuius ratio eſt manifeſta. Quia opinio probabilis, non minus quam error communis tribuit iuriſdictionem, vt tenent Henriquez *lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 14. *num.* 3. & 4. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia. cap.* 29. *num.* 35. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſputat.* 22. *numer.* 65. & *lib.* 1. *ſummæ cap.* 9. *num.* 35. alter Sanchez *diſput.* 44. *numer.* 7. Ludouicus à Cruce *vbi ſuprà diſput.* 1. *dub.* 15. *num.* 9. Suarez *vbi ſuprà. ſect.* 6. *num.* 7. Bonacina *diſput.* 5. *de Sacramentis. quæſt.* 7. §. 4. *num.* 4. Filliucius *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 227. Villalobos *vbi ſuprà. difficult.* 13. *num.* 5. & eſt omnino certum. Ergo abſque ſcrupulo ſemel approbatus poteſt eligi vbique locorum publicè ſi Epiſcopus conſentiat, & ſi repugnet ſecreto & in foro conſcientiæ.

Hæ ſunt opiniones in hac perdifficili quæſtione à Doctoribus repertæ & qua potui claritate & diſtinctione relatæ. Quid autem ego ſentiam, difficile eſt explicatu; vndique enim cingunt me anguſtiæ argumentorum, ſed horum vi æqua lan- 2056.
ce perpenſa exiſtimo hanc tertiam ſententiam, quæ eadem eſt cum prima efficacius probari & habet authores grauiores, antiquiores & plures numero. Quare illi adhærere quis poterit abſque ſcrupulo. Tertia tamen ſententia conformior eſt praxi hodiernæ virorum timoratæ conſcientiæ & religioſorum, qui in Hiſpania pro quolibet Epiſcopatu nouum ſubeunt examen & nouam approbationem, cui ſententiæ ſatis adhæret ſecunda, licet non conſentiam iis quæ Cardinalis Lugo infert cum ſint ſcrupulis plena, nimis metaphyſica, nec pro ea vix adducat authores. Argumenta etiam quartæ ſententiæ quæ vt dixi valde probabilis eſt, & quam per principia extrinſeca veram eſſe iudicat Ioannes Sanchez *ſelect.* 44. *n.* 1. *verſ. Quam opinionem.* efficaciſſima ſunt niſi praxis fidelium contrarium interpretaretur.

Quare ad argumenta ſecundæ ſententiæ (quæ 2057.
me quidem iudice, minore gaudet cæteris probabilitate, ſi loquamur de eligendo confeſſore virtute priuilegij) reſpondere operæpretium eſt & aliqua contra illa deducenda corollaria iuxta aliarum ſententiarum principia. Exiſtimo enim minus probabile aſſerere neceſſarium eſſe confeſſorem approbatum ab Ordinario pœnitentis, ita vt ſi ſit approbatus ab Ordinario confeſſoris non valide abſoluat, cum id expreſſe declaret congregatio ſecuta Concilium. Non requiri ſimiliter quod Epiſcopus poſſit eligere confeſſarium approbatum ab Ordinario non ipſius Epiſcopi (cum non ſit ſubditus alterius Epiſcopi, ſed ſolius Summi Pontificis) aliàs ſi approbatio debet eſſe neceſſario ab Ordinario pœnitentis, nullum eſſet priuilegium conceſſum virtute Bullæ, quantum ad libertatem eligendi confeſſorem, quæ libertas abſolute conceditur non ſolum quantum ad materiam abſolutionis ſed etiam quantum ad perſonam confeſſoris potentis ab illa abſoluere. Quare ſicut à Parrocho poteſt quis virtute Bullæ vbique abſolui, ita à quolibet approbato & ſi non ſit ab Ordinario pœnitentis cum in Tridentino æquiparentur Parochus & examinatus approbatus ab Epiſcopo. Cum ergo primum concedant authores ſecundæ ſententiæ

vt videre est in Ludouico à Cruce *dub.25. num.7.* idem necessario concedere debent secundum, sed alterius Ordinarij per cuius ciuitatem transit & Praxis Romanæ curiæ hæc & iuxta illius stylum fuit Responsum Summi Pontificis quod refert
2058. Villalobos.

Ad primum, Respondetur cum Fagundez; Quod illa declaratio Congregationis hodie non ast authentica. Imo non obligat sub mortali, nec inualidat confessiones, quia vt optime Valerus *num.* 10. tunc obligant huiusmodi declarationes in vtroque foro, quando Auditor Cameræ Apostolicæ sub censura mandat eas obseruari. Sic enim obseruat Stylus curiæ Romanæ. Legatur iste author ibi. Ad breue Pauli V. Respondetur quod in illo Summus Pontifex solum vult tollere abusus quorundam Regularium qui se intromittebant & exponebãt se in Ecclesiis ad audiendas confessiones putantes (quia exempti etant) virtute Bullæ posse id facere, habereque iurisdictionem sine examine & approbatione Episcopi, hoc enim destruxit Summus Pontifex dicens? Bullam Cruciatæ *in hac re* minime quidquam noui iutis induxisse, & hoc etiam determinauit Vrbanus VIII. in bulla supra adducta. Non tamen negat Papa quod Regulares approbati ab Ordinario suo possint virtute Bullæ eligi in confessarios. Non enim Pontifex damnat sententiam tot, ac tantorum virorum modernorum, & antiquorum.

2059. Ad secundum Respondetur concedo antecedens,& nego consequentiam. Quia verbo Priuilegij etsi etiam sint iuris communis materialiter vt sic loquar, tamen habent aliam intelligentiam, quam dat concessor Priuilegij, qui eo ipso quod requirat solum idoneitatem vt conferat iurisdictionem posita idoneitate, conceditur iurisdictio. Eo autem ipso quod quis est declaratus idoneus à suo Ordinario, vbique manet idoneus, & sic vbique habet iurisdictionem si sit electus virtute priuilegij.

Ad tertium, Respondetur distinguo antecedens. Quantum ad idoneitatem sufficientem, vt valide eligatur & valide absoluat nego antecedens: quantum ad idoneitatem sufficientem vt licite absoluat antecedẽs concedo. Qui enim propter insufficientiam approbatur pro vno loco &
2060. non pro alio, si in aliò eligatur, valide absoluit, peccat tamen mortaliter, & tenetur ad restitutionem si non faciat restituere. Peccat item mortaliter si in re graui non recte dirigat, quod si eligatur à viro docto qui ipsum in confessione instruat,& eius instructioni se conformet confessor nec peccat mortaliter, nec tenetur restituere. Hæc solutio probabilis est, quamuis ea, quam adduxi *supra* §.1. *dub.*3. contra Cardinalem Lugo longe probabilior sit.

Corollaria contra Cardinalem de Lugo

Ex dictis iuxta principia primæ sententiæ, tertiæ,& quartæ. Quæ vt dixi probabiliores sunt & securæ in praxi. Colligitur primò, quod confessor Hispalensis si vadat Cordubam, potest ibi eligi in Confessarium virtute Bullæ, non solum
2061. ab Hispalensibus si ibi existant; sed etiam à Cordubensibus & Toletanis & quibusvis aliis. Ita authores citati vt referunt Trullench & Valerus. Ratio est, quia iste confessor Hispalensis quandiu non mutat domicilium est subditus actualis Ordinarij Hispalensis à quo est actu approbatus. Bulla autem solum exigit actualem approbationem Ordinarij confessoris vt vult quarta sententia, si autem mutet domicilium satis est quod sit approbatus idoneus vt vult prima sententia.

Colligitur secundò, quod Episcopus Cordubensis existens in suo Episcopatu potest alienum Saerdotem approbare ad audiendas confessiones Cordubensium, & sic ipse Episcopus potest eli- 2062.
gere illum in confessorem iuxta *Cap. finale citatum* si tamen Episcopus Cordubensis sit extra suam Diœcesim potest approbare Sacerdotem suum ad audiendas confessiones Cordubensium qui si ibi sint, poterit illos absoluere absque approbatione Episcopi illius loci quia sicut Episcopus Cordubensis potest absoluere suos ibi commorantes, ita potest approbare Sacerdotem sibi subditũ vt illos absoluat, quia iste est approbatus ab Ordinario suo. Ita Cardinalis Lugo & bene *num.*37.

Qui male addit quod si Episcopus Cordubensis existens Hispali approbet Sacerdotem Hispalensem ad audiendas confessiones Cordubensium, non potest iste hos absoluere Hispali quia hic non est subditus Sacerdos iste Episcopi Cordubensis, qui illum nullatenus potest punire aut iudicare Hispali:in hoc enim malè dixit Cardinalis,& inconsequenter,quia Episcopus Cordubensis potest absoluere suos subditos existentes Hispali. Ergo poterit id delegare cuilibet qui ab ipso iudicetur idoneus, siue sit Cordubensis siue Hispalensis, quia iste quantum ad hoc sit subditus illius cum sit suus delegatus, nec obstat quod non possit Sacerdos Hispalensis in Hispali puniri aut iudicari ab Episcopo Cordubensi, quia nec Sacerdos Cordubensis existens Hispali simul cum Episcopo potest ab eo puniri, aut iudicari quia iudex extra suum territorium sententiam ferre non potest. 2063.

Ex quo manifeste sequitur quod Episcopus Cordubensis si existens Hispali approbet Sacerdotem quemlibet ad audiendas confessiones Cordubensium ibi habitantium,potest sibi eligere confessorem sicut potest quilibet Ciuis Hispalensis virtute bullæ eligere confessarium Cordubensem existentem Hispali ab Episcopo Cordubensi ibi commorante approbatum. Ratio est clara,quia iste confessor Cordubensis est approbatus à suo Ordinario iuxta principia quartæ sententiæ quæ omnibus aliis probabilior est.

Colligitur tertiò, Episcopum Cordubensem (secluso priuilegio Bullæ) ex vi priuilegij *cap. finalis* citati; existentem Hispali non posse eligere confessorem non sibi subditum qui non sit approbatus ab Ordinario Hispalensi (nisi, vt dixi, approbatus pro suis ouibus habitantibus ibi) ita declarauit Sacra Congregatio tempore Gre- 2064.
gor. XIII. quam supra dedimus sed de hoc latius tracto *in comm. Summæ Caiet. Resolutio 3. verbo absolutio.* Addit tamen Cardinalis Lugo *num.* 38. quod Episcopus Cordubensis potest confiteri Hispali Sacerdoti Cordubensi ad breue tempus ibi commorante, quia manet approbatus à suo Ordinario, cum non desinat esse subditus Episcopi Cordubensis ex eo quod ad breue tempus Hispali commoretur. Sed hoc additamentum inconsequenter fit ad principia eminentissimi Cardinalis qui *num.* 40. dicit quod confessor Cordubensis eo ipso quod exeat territorium

torium Cordubense desinit esse subditus Episcopi Cordubensis, & sic non potest audire confessiones ciuis Cordubensis. Ergo nec etiam ipsius Episcopi. Consequentia est euidens, quia Episcopus non potest eligere confessorem non subditum sibi.

2065. Colligitur quartò, quod Episcopus virtute Iubilei, & Cardinalis non Episcopus virtute Cruciatæ in his regionibus vbi viget eius priuilegium potest eligere confessarium approbatum ab Ordinario, sicut quilibet alius secularis. Quare possunt eligere confessarium non sibi subditum etiam si non sit approbatus à Diœcesano, sicut potest secularis, sed à quolibet alio Ordinario vt dicebat prima sententia. Idem etiam poterit Parochus qui vbi non est Bulla Cruciatæ potest sibi eligere confessarium etiam sine speciali, & expressa Episcopi licentia quam licet non habeant à iure sicut Episcopi & Prælati inferiores, habent interpretatiuam ex consuetudine à qua non habetur quod quis confiteatur. Cui voluerit sine licentia sui Superioris, quia hoc est contra ius diuinum, contra quod non valet consuetudo *cap. 2. depœnitent. & remissio.* tamen ex eo habetur quod quis censeatur habere talem licentiam requisitam interpretatiuam quam non possunt Episcopi auferre, quia est lex vniuersalis Ecclesiæ quam non possunt Episcopi derogare.

DVBIVM III.

De Regularibus vtentibus Cruciata.

SVMMARIVM.

2066 *An Regulares vt possint vti priuilegio Iubilei, & Bullæ Cruciatæ debeant confiteri approbato, & examinato per Episcopum?*

2066. TErtium dubium est. An Regulares vt possint vti priuilegio Iubilei & Bullæ cruciatæ debeant confiteri approbato & examinato per Episcopum? Affirmant Suarez *disp. 28. citat. sect. 6. num.* 11. Henriquez *lib. 3. de pœnit. capit. 6. in com. Littera K.* Reginaldus *lib. 1. praxis num.* 175. Naldus *verbo indulgentia num. 9.* Lopez 1. *part. instruct. caput 26. vers. secundo dico.* Ledesma 1. *part Summ. de Sacrament. Pœnitentiæ cap. 13. dub. 6.* Probatur, quia in Bulla & Iubileo dicitur quod confessor eligendus sit approbatus ab Ordinario vt seruetur forma inducta à Concilio Tridentino, iuxta quod Ordinarius est Episcopus qui examinare & approbare debet, vbi ergo non impletur conditio posita in priuilegio nemo potest illo gaudere. Vnde Henriquez dixit, de indulgentiis *cap. 22. §. 5.* quod hanc opinionem tanquam securiorem amplexi sunt Patres Doctores Societatis.

Secunda sententia magis pia, & rationi & iuri Tridentini consona est; non requiri in hac specie, quod confessarius sit approbatus ab Episcopo, sed sat est quod sit approbatus ab Ordinario ipsius Religiosi, qui est eius superior immediatus, vel mediatus vt Generalis, vel Prouincialis. ita vt supra vidimus declarauit Clemens VIII. & in Bulla dicitur, non approbatus ab Episcopo, sed ab Ordinario, qui etiam intelligitur Superior Regularis. Non enim vult Pontifex priuare Regularem suo iure & Concilium expresse excludit Regularium confessiones à suo decreto, cui si non derogent expresse intelligitur clausula iuxta illud. Quare etiam si sub nomine ordinarij solum intelligatur Episcopus, illa clausula Bullæ non intelligitur priuatiue ad ordinarium regularem, sed cumulatiuè & ampliatiuè in fauorem pœnitentis, vt nonsolum possit confiteri approbato à suo ordinario qui eius conscientiam nouit, & cuius est propria ouis, sed etiam approbato ab Episcopo.

Quare hanc sententiam sequuntur Sanctarellus *de Iubileo cap. 7. dub. 1.* Homobonus *de casibus reseruatis. part. 1. cap. 5.* Emanuel Rodriguez *in Bulla §. 9. num. 9.* Diana *part. 3. in additionibus. resol. 4. vers. imo ego.* Sanchez *select. 49. num. 6.* Valerus *verbo Absolutio in fine vers. Supradictis tamen.* Peyrinis *de Religioso subdito quæst. 1. cap. 21. conclus. 6.* Bonacina *de Sacrament. disput. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. num. 25.* Graffis 1. *part. decis. lib. 3. c. 5. num.* 107. Moure *in summa cap. 9. §. 8. num. 9.* Angles *de pœnitentia in 4. quæst. de confessariis art. 8. difficult. 2. dub. 4.* Ludouicus à Cruce *dub. 25. n. 9.* Quaranta *in summ. verbo. Confessor. pag. mihi* 197. Zerola *de pœnit. cap. 15. quæsito 1. & cap. 16. quæsito 8.* Sorbus *in compend. verbo absolutio* & probabilem reputat Trullench. *vbi supra. dub. 10. n. 3. in fine.* & mihi videtur probabilior & certa in praxi fere omnium Religiosorum, nec enim Monachi qui in desertis viuunt, si velint vti de licencentia sui Superioris Bulla Cruciatæ, aut tempore iubilei generalis, cogendi sunt exire Clausura ad inquirendum Confessorem approbatum ab Ordinario, si intra clausura illum non habeant, vt inter Carthusianos multoties contigit. Vnde manet ex dictis fundamentum oppositum solutum. 2067.

DVBIVM. IV.

An confessio sæcularis pœnitentis facta Sacerdoti non approbato hodie post Tridentinum valida sit?

SVMMARIVM.

2068 *Si pœnitens sit secularis omnino certum est inualidam esse confessionem factam Sacerdoti non approbato.*

Limitatur precedens doctrina, nisi in articulo mortis, in quo omnes Sacerdotes simplices possunt absoluere validè, & licitè. ibid.

ET quidem si pœnitens sit sæcularis, omnino certum est post Tridentinum inualidam esse, quia quamuis Conciliumnon apponat clausulam irritantem, tamen cum appoſuerit formam, quidquid fit sine illa irritum est & inane. Tum etiam quia sine approbatione non confertur iurisdictio, & sine iurisdictione, validè non potest ferri sententia. Et vtrumque est in iure certissimum & sic non immoror in probationibus. 2068.

Hæc tamen doctrina vnam duntaxat patitur limitationem, nisi in articulo mortis in quo omnes Sacerdotes simplices possunt absoluere valide

de & licitè vt de fide eſt, ſiue id ſit ex iure diuino, ſiue Eccleſiaſtico, quod hic non diſputo. Cæterum Vaſquez 3 *part. quæſt.* 93 *art.* 3 *dub.* 1 *num.* 2. & 3. quem ſequuntur Ochagauia *tract.* 2. *de pœnitent quæſt.* 38 *num.* 4. Ioannes Sanchez *vbi ſup. num.* 8. dicunt: Quod ſi Sacerdos eſt prorſus illeteratus itaut neſciat iudicare aut cognoſcere aliquod peccatum ex his quæ confitentur adhuc in articulo mortis confeſſio erit inualida, quia articulus mortis & neceſſitas extrema pœnitentis non variat ea quæ ſunt ſubſtantialia Sacramento, & requiruntur eſſentialiter ex parte miniſtri, qui cum ſit iudex, neceſſario debet cognoſcere ſaltem ex parte cauſam quam iudicat, ſi enim ignoranter ſententiam ferat, nulla prorſus eſt ſententia. Addit Sanchez quod ſi pœnitẽs confeſſus eſt aliqua peccata quorum ignorantiã habebat Confeſſor, tenetur pœnitens extra illud periculum, iterum confiteri Sacerdoti ſcienti & litterato. Sicut ſi quis tacuit aliquod peccatum ob prudentem timorem, quod confeſſor reuelaret, tenetur illa confiteri alteri Sacerdoti non reuelaturo.

2069. Sed vtrumque dictum omnino falſum iudico, & primum Vaſquez exiſtimo quod ſi in articulo mortis Sacerdos prorſus omnino ignorans proferat verba abſolutionis & habeat intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit, facit verum Sacramentum pœnitentiæ conferens gratiam. Ita tenent Syluester *verbo Confeſſio* 1. *quæſt.* 3. imo ſecundum Archidiaconum *ibi citatum.* tenetur eidem confiteri. Nauarrus *in Manuali cap.* 4. *numer.* 13. Ratio eſt perſpicua. Quia in illo articulo mortis quando non adeſt alius Sacerdos niſi ille prorſus illiteratus, cum in illo caſu nullus ſit caſus reſeruatus nec fieri debeat, nec poſſit aliqua detentio abſolutionis, ſicut ſufficit quod quis det ſigna contritionis, abſque eo quod explicet aliquod peccatum in particulari circa quod exerceatur iudicium Sacerdotis in particulari, vt in illo articulo poſſit abſolui (vt tenent authores contrarij) dans ſigna pœnitentiæ, abſolutio valida erit abſque dubio; ſi verba abſolutionis proferantur cum intentione faciendi quod facit Chriſtus, quam cum non poſſit habere Sacerdos amens, omnino valide non abſoluit.

2070. Secundum dictum Sanchez etiam falſum eſt, quia confeſſio illa valida eſt, verumque Sacramentum pœnitenſque ex parte ſua peccata omnia ſubiicit clauibus & iudicio Eccleſiæ, ergo non manet obligatus iterum illa confitendi ex vi Sacramenti, niſi aliàs in pœnitentiam hæc obligatio ei imponatur. Neque eſt ſimile quod adducitur, quia qui occultat peccatum, vel ob timorem non frangatur ſigillum circa illud, vel ne manifeſtetur complex, vel ob aliam iuſtam cauſam, ne ſubiecit peccatum clauibus ad quod tenetur iure diuino; at qui in periculo mortis validam fecit confeſſionem Sacerdoti omnino illiterato, iam quãtum eſt ex parte ſua ſubiecit peccata clauibus de quibus & ſi neſcierit iudicare Sacerdos, ſicut non obſtat validitati confeſſionis vt mihi eſt euidens, ita non inducit obligationem faciendi aliquam reſtitutionem: ille tamen qui confeſſus eſt datis duntaxat ſignis contritionis tenebitur extra à periculum ſubiicere peccata clauibus, quia ea in ſpeciali nunquam ſubiecit.

***

DVBIVM V.

Si pœnitens Regularis ſit, poteſt Sacerdoti non approbato confiteri.

SVMMARIVM.

2071 *Pœnitens ſi Regularis ſit, poteſt Sacerdoti non approbato confiteri.*

An per Regulares, qui ſic poſſunt confiteri de licentia ſuorum Prælatorum, intelligantur Religioſi Militares? ibid.

DIxi in Superiori dubio, ſi pœnitens ſit ſæcularis. Quia ſi ſit Regularis poteſt de licentia ſui Superioris cuilibet Sacerdoti etiam non examinato nec approbato ab Epiſcopo confiteri etiam reſeruata. Quia Concilium ſolum loquitur de pœnitentibus ſæcularibus, & quantum ad Regulares nihil immutauit, & cum ante Concilium poſſent, etiam poſſunt poſt Concilium vt multis citatis defendit (contra Nouarium *in tract. de electio. fori cap.* 69. *num.* 22.) Diana *in additionibus ſecundis reſol.* 4. 2071.

Sed quid per Regulares qui ſic poſſunt confiteri de licentia ſuorum Prælatorum intelligatur, non eſt parua difficultas, an intelligantur Religioſi Militares? ſi ſit ſermo de Sacerdotibus habitantibus in communitate vt ſunt qui communiter dicuntur *Freiles.* certum eſt intelligi ſub nomine Regularium, ſunt enim vere, & propriè & ſtrictè Religioſi emittentes tria vota ſubſtantialia abſoluta, & ſine reſtrictione. Quare iſti poſſunt confiteri Sacerdoti etiam ſæculari non approbato ab Epiſcopo. Idem dicit Ioannes Sanchez *diſput.* 49. *num.* 10. *de Equitibus Sancti Ioannis Hieroſolymit.* Quia iſti iuxta veriorem ſententiam ſunt veri & proprij Religioſi per quorum profeſſionem ſoluitur matrimonium ratum, non conſummatum vt multis probat Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 18. *numer.* 8. & *lib.* 7. *ſumm. cap.* 29. *num.* 105. Baſilius Pontius *lib.* 9. *de Matrimonio. cap.* 7. Nauarrus *conſilio* 1. *de conuerſ. coniugato.* Azor *part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 6. *quæſt.* 4.

Maius dubium eſt de aliis Equitibus militaribus vt Calatrauæ, Alcantaræ, S. Iacobi, &c. Et quidem iſtos eſſe veros Religioſos ſentiunt multi & grauiſſimi Doctores Couarru. *in* 4. *decret.* 2. *part. caput* 3. §. 1. Ayala *in Compendio cap.* 1 & 2. Garcia *in conſilio pro Relig. S. Iacobi* 2. *part. verſ. præterea* Mota *tract. de conformat. Ordinis S. Iacobi lib.* 2. per totum & præcipuè *caput* 2. §. 29. qui plures alios citant, vnde Pontius *n.* 4. dicit: apud ſe eſſe hoc certiſſimum & *num.* 6. *eos eſſe vere & ſubſtantialiter Religioſos adeo verum exiſtimo vt oppoſitum iudicem ni is licentioſe dictum, ne dicam grauius cum pleno ore Litteræ Pontificiæ illos appellent Religioſos & etiam cum caſtitate coniugali vera Religio conſiſtere poſſit, eo quod ſicut in paupertate latitudo eſt; ita etiam in caſtitate quæ materia voti eſt.* Ita ille, cui ego libentiſſime aſſentior. Vnde Ioannes Ramirez *in fundatione Ordinis Sancti Iacobi fol.* 14. *num.* 13. aſſerit, non poſſe ſine temeritate negari milites profeſſos horum Ordinum eſſe vere Religioſos, 2072.

eo

eo quod Innocentius III. id declarauit & Pontifex errare non potest in approbatione Religionis. Ex quo manifeste deducitur, cum hæc opinio secura sit in praxi, quod etiam erit securum in praxi & sine scrupulo possunt prædicti Equites Religiosi de licentia sui Superioris tacita vel expressa se confiteri etiam seculari Sacerdoti non examinato per Episcopum, aut Ordinarium.

DVBIVM. VI.

An sit necessaria approbatio ad absoluendum à venialibus & à mortalibus dimissis.

SVMMARIVM.

2073 *Approbatio an sit necessaria ad absoluendum à venialibus, & à mortalibus dimissis?*
Sententia Philippi Fabri adducitur, eiúsque fundamenta traduntur. ibidem & num. seqq.
2077 *Opposita Sententia verior comprobatur ex vsu & praxi Ecclesiæ.*
2079 *Fundamenta Fabri euertuntur. & num. seqq.*

AFfirmat Philippus Faber *in* 4. *dist.* 17. *quæst. vnica disput.* 23. *cap.* 3. *num.* 71. dicens cum
2073. Nauarro *cap. placuit de pœnitentia disp.* 6. *num.* 22. nullum textum se vidisse quo probetur eum qui habet solum venialia posse cui voluerit confiteri, si confessor non est approbatus & examinatus ab Ordinario loci. Probatur primò, quia absolutio est actus iudicis. Vt est de fide ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *& cap.* 7. colligit Trid. ex eo quod sententia non potest ferri nisi in subditum, vnde colligit nullius valoris esse absolutionem quam Sacerdos sine ordinaria aut delegata iurisdictione pronuntiat: at sententia iudicis etiam in minimis ferri non potest sine iurisdictione, ergo nisi hæc conferatur per approbationem Episcopi, aut illam habeat quis ordinariam, absolutio etiam à venialibus valida non erit. Atqui Sacerdos simplex non habet iurisdictionem ordinariam cum nullum habeat Beneficium, aut superioritatem ex vi cuius teneatur pascere oues & illas dirigere, vt Episcopi, Curati atque Superiores; nec etiam habent delegatam, quia hæc debet esse ab aliquo communicata non à Pontifice, quia nullus est textus in quo id exprimatur. Non à Christo Domino ex vi institutionis Sacramenti vt vult Vasquez 3. *part quæst* 93. *artic.* 1. *dub.* 6. cum Thomistis antiquis quos citat, cum non sit locus Sacræ scripturæ, in quo id contineatur. Sed solum datur in illis potestas Ordinis ad remittendum peccatum, nec vlla fit mentio de iurisdictione ad venialia, sicut nec ad mortalia, vnde solum instituit hoc Sacramentum in remedium & medicinam peccatorum post Baptismum, siue venialium, siue mortalium, ad quod non requiritur quod Sacerdos habeat iurisdictionem actualem à Christo absoluendi à venialibus.

Denique hoc non habet ex consuetudine introducta legitimè in Ecclesia, quia si iurisdictio
2074. ista procederet ab authoritate legislatiua Ecclesiæ, Ecclesia ipsa posset illam limitare, suspendere, vel auferre vtendo de plenitudine potestatis secundum quam potest derogare cuilibet legi, aut consuetudini humanæ. Vnde posset Pontifex reseruare venialia, vt nullus possit ab illis absoluere, quod nemo hucusque concessit. Quamuis enim aliqui cõcesserint inter quos est Cardinalis Lugo *disput.* 18. *de pœnitentia sect.* 3. *num.* 43. quod peccatum veniale posset reseruari quantum ad hoc quod non teneat absolutio, facta ab alio quam à reseruante; quamuis non quantum ad hoc quod teneatur quis illa confiteri cum ex Christi institutione sit materia libera. Quamuis enim quis non teneatur confiteri veniale, tamen si confitetur illud Sacerdoti excommunicato non tolerato nulla est confessio & absolutio, cum nullam habeat iuridictionem: Quamuis (inquam) aliqui hoc dicant, tamen non benè, quia pecatum veniale ex Christi Domini institutione est materia libera, ergo ex Christi institutione potest quis illud subiicere cui voluerit, ergo nulla humana potestas potest illud reseruare, quia quod Christus concessit, nul- 2075.
lus valet auferre. Tum etiam quia vel reseruatio ista obligaret ad mortale, & hoc non, quia nimis durum & contra Iugum Christi suaue, vel solum ad veniale; & sic posset confessor ab illa absoluere etiam si non sit superior. Ex quo fit quod si quis ignoranter confiteatur de venialibus Sacerdoti non tolerato, valida erit absolutio, si autem id sciat, ponit obicem, solicitans ad peccatum mortale, quod committit confessor, præcipue cum non sit vrgens necessitas confitendi venialia.

Sed quamuis hoc ita sit quod omnis Sacerdos accipiat immediatè Iurisdictionem ad absoluendum à venialibus, tamen non inde sequitur quod sine examine Episcopi & eius approbatione possit valide simplex Sacerdos ab illis absoluere: sicut quamuis Regulares accipiant iurisdictionem à Summo Pontifice immediatè & non ab Episcopis vt supra mostratum est, tamen illa non possunt vti, nec actualiter confertur, nisi præsuppositio Episcopi examine & approbatione. Cum enim absolutio à venialibus sit sententia iudicis, voluit Christus Dominus quod examinetur Sacerdos de sufficientia ad discernendum inter veniale & mortale vt videat an materia sit libera ad suum Tribunal pertinens.

Secundò, probatur hæc sententia Fabri, quia 2076.
peccata iam confessa sunt materia libera, sicut & venialia, sed ad absoluendum ab illis requiritur communicata iurisdictio præsuppositio examine & approbatione Episcopi: ergo. Probatur minor, quia potestas & iurisdictio concessa ad absoluendum à peccatis, si iam sunt valide confessa, opponitur significationi formæ, quæ est, Ego te absoluo à peccatis tuis, id est quantum est ex me remitto hoc debitum, deleo hoc peccatum. Ergo repugnat quod datà sit solum potestas remittendi peccatum, si iam est dimissum, & aliàs non; cum propria significatio formæ sit remissio, etiamsi remissum non sit.

Hæc opinio Fabri non est ita improbabilis, vt quibusdam visum est. Quod satis efficaciter probat primum fundamentum. Voluit enim Christus, quod iurisdictio cõstaret Ecclesiæ de idoneitate iudicis animarum, etiam si libere se illi subiicerent. Sed nihilominus opposita sententia 2877.
quod non requiratur examen & approbatio Episcopi ad absoluendum à venialibus testatur vsus Ecclesiæ & praxis fidelium timoratæ conscientiæ. Sed quod Christus Dominus immediatè ex vi Ordinis rite & recte dati confert Sacerdotibus

iurisdi

iurisdictionem ad acsoluendum à venialibus vt optime probat Vasquez & declaratum est in primo fundamento, vnde est Ordinaria iurisdictio quam nec Pontifex potest in specie auferre, aut limitare, quidquid dicat Cardinalis Lugo *n.*44. vnde nec Pontifex potest reseruare veniale, ita vt sit inualida confessio alteri facta quidquid teneant N. P. Auersa *de pœnitentia quæst.*17. *sect.*2. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *Resolutio* 52. *&* 55 & alij quos isti citant; id præter dicta manifeste probabo *infra* §. 3. quamuis possit Pontifex obligare sub mortali Sacerdotem ne aliquando administret Sacramentum pœnitentiæ, quod præceptum obligauit etiam si sit tantum de venialibus, obligatio tamen erit valida.

2078. Dixi in specie; nam Pontifex prohibere potest ne Sacerdos valide absoluat aliquas personas. Sic enim sacra Congregatio Trident. relata ab Angelo Maria Cherubino *tom.* 4. *Bullarij folio* 10. declarauit quod Confessores etiam Regulares non approbati specialiter ad hoc munus si audiant monialium confessiones, istæ sunt nullæ & irritæ, quam declarationem approbarunt Gregorij X V. & Vrbanus V I I I. vbi enim ista declaratio est in viridi obseruantia, etiam si Monialis solum confiteatur venialia, absolutio facta à simplici Sacerdote est nulla; in foro tamen conscientiæ valida erit si solum venialia subiecit clauibus, quia hæc iurisdictio est à Christo immediatè. Si tamen sit immediatè à Pontifice vt vult Lugo cum aliis. Erit confessio à venialibus nulla etiam in foro animæ, quia Pontifex limitauit iurisdictionem absoluendi à venialibus respectu

2079. monialium, & propter vrgentissima & grauissima motiua prohibuit.

Ex quo patet ad fundamentum primum Fabri. Dicimus enim quod eo ipso quod veniale est materia libera, quilibet Sacerdos habet iurisdictionem ordinariam ad absoluendum illud à Christo Domino vt ibidem probaui. Vel habet immediate à Pontifice. Sicut enim error communis tribuit iurisdictionem etiam in foro animæ vt supra est monstratum; ita etiam opinio communis illam tribuit vt tenent ferè omnes quorum plures supra dedi, & cum sit opinio communis, vsus fidelium & praxis Ecclesiæ quod sacerdos simplex absoluat à venialibus, ex vi huius opinionis habet iurisdictionem delegatam, multo efficaciori & veriori titulo quam ex errore communi.

2080. Ad secundum latè respondet Cardinalis Lugo *num.*48. *&* 49. Est tamen facilis solutio & clara. Quia dum simplex Sacerdos absoluit à peccatis dimissis, sensus formæ est: Ego te absoluo à peccatis, quantum in me est, id est iuxta iurisdictionem meam. Quæ solum se extendit ad peccata iam confessa.

Dvbivm VII.

De peccatis oblitis in confessione.

SVMMARIVM.

2081 *An peccata oblita possit quis confiteri Sacerdoti non approbato per examen?*

2081. Dvbium 7. an peccata oblita possit quis confiteri Sacerdoti non approbato per examen Valerus *verbo Nullitas different.*5. *num.*3. *vers.* *nono fallit.* dicit: *Ego puto probabile esse talia peccata oblita, cum iam sint directe* (fortasse voluit dicere indirecte) *absoluta in prima confessione posse postea absolui à quocumque etiam non exposito & approbato.* Sed hæc sententia mihi est improbabilis. Quia peccatum oblitum non est directe absolutum, sed indirecte; est autem obligatio de iure diuino subiiciendi directè Sacerdoti habenti iurisdictionem ad illud absoluendum ergo Sacerdos simplex non potest valide ab illo absoluere. Alias si quis oblitus esset peccati mortalis reseruati posset illud confiteri simplici Sacerdoti; cuius contrarium docent omnes vt videre est in Vasquez *vbi supra art.* 3. *dub.* 5. Suarez *disputat.* 31. *sect.* 4. *num.* 18. Bonacina *quæst.* 7. *de pœnitent punct.* 5. §. 5. *num.* 5. Coninch *disputat.* 8. *num.* 98. Molfesius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 25. Nunus *quæst.* 9. *additionum. art.* 2. *dub.* 4. Reginaldus *in praxi lib.* 8. *cap* 7. *num.* 99. & est omnino certum.

Addit tamen & optime Henriquez *lib.* 3. *de* 2082. *pœnitentia cap.* 16. quod *durante tempore* Iubilei, si quis animum habet præstandi & supplendi necessaria, licet incontritè vel etiam dimidiatè præpudore à principio confiteatur, absoluitur directè ab excommunicatione & reseruatione peccati etiam obliti, quia in gratiam pœnitentis concedit Papa directe omissa vsque ad illud tempus reseruata, quamuis obliuio esset culpabilis ex quadam negligentia præparandi se quod certum est quando animo vt à reseruatis absolueretur, accessit, ad talem confessarium, vel Superiorem & absolutus est à reseruatis quibusdam eiusdem speciei. Similiter si oblitus est alicuius excommunicationis reseruatæ, & tamen in sequenti confessione tenetur confiteri inobedientiam ob quam incurrerat censuram & obligationem satisfaciendi parti læsæ, si fortè illam habet.

Pro qua doctrina plures citat *in Glossa à littera* 2083. *B. vsque ad litteram D.* & eius optimam tradit rationem. Quia vt quis absoluatur ab excommunicatione non oportet habere contritionem & verum dolorem, aut perficere verum Sacramentum. Sublata autem excommunicatione, casus non manet reseruatus. Et multo fortius potest auferri reseruatio sine censura. Quamuis autem non sit necessarium confiteri Superiori, necessarium est tamen confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario poterit tamen tempore Iubilei absolui ab excommunicatione reseruata, à simplici Sacerdote sicut etiam virtute Bulla cruciatæ.

Dvbivm VIII.

De Peccato dubio.

SVMMARIVM.

2084 *In dubio an quis commiserit aliquod peccatum, an possit istud confiteri Sacerdoti simplici non approbato, & examinato ab Episcopo?*

2086 *An peccata verè, & propriè dubia, tam quoad malitiam mortalem, quam quantum ad confessionem, an scilicet sint confessa, teneatur quis ea confiteri sub eo dubio?*

Quando

2084. QVando quis habet dubium an commiserit aliquod peccatum, an possit istud confiteri Sacerdoti simplici non approbato, & examinato ab Episcopo? Loquimur de dubio proprio. Quando quis est ita anceps quod non habet rationes probabiles pro aliqua parte contradictionis determinata, sed æquè indifferens est ad vtramque in æquilibrio positus. Resolutio huius difficultatis pendet ex alia an peccatum hoc dubium sit materia necessaria confessionis, vel solum libera sicut veniale? dixi, quando quis est dubius an sit aliquod peccatum mortale. Nam si habet rationes probabiles quod non sit mortale, vel quod iam illud confessum, est verior opinio quod non teneatur confiteri. Ita Sanchez *numero* 76. imò etiam si iudicet probabilius esse mortale, aut non confessum, quia quis se potest conformare opinioni probabili relicta probabiliori. Quod etiam tenet verum etiam in mortis articulo, quia si confitetur aliud mortale, vel veniale, illud de quo iudicat non esse mortale, indirectè remittitur, & opinio probabilis excusat à subiiciendo illud clauibus.

2085. Si tamen nullo modo confiteatur addit Sanch. *num.* 77. sequutus Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia cap.* 4. *in fine*, quod tenetur conteri de illo peccato, quia hoc est medium necessarium ad illud delendum, si fortè fuit mortale; sed non assentior omnino huic doctrinæ, nam vel quando quis commisit peccatum illud, habuit rationes vere probabiles quod non esset mortale, & sic manifestū est quod non commiserit mortale: vel dum illud commisit, non habuit rationes probabiles pro vna vel pro altera parte, sed postea inuenit rationes ad iudicandum mortale non fuisse, & cum istæ rationes non excusent factum præteritum quantum ad malitiam, & si possent excusare quantum ad restitutionem, tunc fateor veram esse sententiam Sanchez quia probabilior aduenies post factum non excusat illud quoad Deum, & re ipsa, etsi excuset quantum ad confessionem.

2086. Igitur supereſt difficultas, an peccata verè, & propriè dubia tam quoad malitiam mortalem, quam quantum ad confessionem, an scilicet sint confessa, teneatur quis ea confiteri sub eo dubio? P. Layman *tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 4. *n.* 37. videtur inclinare in negatiuam sententiam quam postea Ioannes Præpositus. 3. *part. de pœnitentia quæst.* 5. *de integritate confessionis num.* 117. iudicat probabilem speculatiuè, licet in praxi non sit recedendum à contraria.

Sed ego existimo neque speculatiuè esse probabilem, & practicè esse temerariam. Quod non sit speculatiuè probabilis constat, quia nullum habet fundamentum quod facillimè non dissoluatur, & est contra omnes quotquot ante Concilium, & post Concilium scripsere, quos egregiè citat Thomas Sanchez *lib.* 1. *summæ cap.* 10. *num.* 66. vbi adducit duodecim ante Concilium, & viginti tres post Concilium, quibus addo Cardinalem Lugo *disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 67. vbi dicit id esse vsum & praxim totius Ecclesiæ, cuius initium non agnoscitur, quare credendum est ab Apostolis promanasse. Fagundez *præcept.* 2. *Eccles. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. Rationem euidentem huius veritatis tradidit S. Thomas *in* 4. *distinct.* 2. *quæst.* 2. *art.* 3. *Quia quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: Qui aliquid committit, vel omittit in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se committens, & similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri, non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram.* Hæc ibi. Cum ergo ex vi Sacramenti institutionis pœnitens non possit nec debeat discernere inter lepram & lepram. Peccatum dubium tenetur deferre Sacerdoti qui iudex est, Dei Vicarius & loco illius iudicans & discernens inter lepram, & lepram. Quare sicut Deo tenetur dicere suam culpam dubiam de qua recordatur; ita tenetur dicere Sacerdoti, qui loco Dei constitutus est à Christo Domino ad reconciliandum homines Deo ad quod tenetur ipse homo qui si dubius est, an sit Deo inimicus, aut reconciliatus, tenetur eius amicitiam quærere per confessionis medium quod illi reliquit Christus.

2087.

2088. Hoc enim est quod Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. dixit, esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, ea omnia peccata quibus quisque, se D. Deum mortaliter offendisse meminerit, peccatum autem dubium memoria retinetur, & quamuis non sit certum iudicium, quod sit mortale, est tamen aliqualis memoria, eo ipso quod non sit iudicium certum, quod non sit mortale, aut quod si est mortale quod sit confessum. Et ratio huius à priori est, quia adest præceptum positiuum procurandi amicitiam Dei, & habere pacem cum illo, eo autem ipso quod quis sit dubius an sit in amicitia Dei, tenetur eligere medium necessarium relictum à Christo. Ad illam amicitiam consequendam, qualis est confessio, quod secus est de præcepto restituendi honorem, si enim quis est dubius an illum abstulerit, nisi constet de læsione facta non tenetur restituere vt optimè Cardin. Lugo *num.* 68.

2089. Qui *num.* 73. cum Thoma Sanchez *num.* 74. & Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 2. aduertit quod quando est dubium an peccatum sit reseruatum, non censetur reseruatum, quia reseruatio est odiosa, & sic strictè intelligenda, cum reseruatio sit ablatio potestatis absoluendi. Cæterum obligatio confitendi peccatum dubium posita est in fauorem animarum, & ita sunt necessario confitenda Vicario Christi. Sicut essent confitenda ipsi Christo si præsens in hac vita esset.

Sed ego aliter distinguo, nam vel dubium est an sit imposita reseruatio, & in hoc dubio verum dicunt isti DD. aut non est dubium quod sit talis reseruatio, sed an sit peccatum id in quod cadit reseruatio v. g. hæresis externa si non imperetur ab interna non est reseruata. Protulit aliquis hæresim externam, sed dubius est an eam protulerit cum vero assensu interno, casus iste reseruatus est & ab illo non potest quisque absoluere. Rursus percussio grauis clerici est casus reseruatus, dubitat quis an fuerit enormis læsio, non potest absolui nisi à superiore, & in vtroque casu est præsumptio quod sit excommunicatus, & pro tali est habendus in vtroque foro. Quia præceptum, & reseruatio est in possessione obligationis, & sic quandiu est dubium non de reseruatione sed de peccato commisso, melior est conditio ipsius reseruationis, & dum non apparet contrarium moraliter probabiliter certum pro illa est semper præsumendum.

DVBIVM IX.

Vtrùm si quis pòst inueniat peccatum mortale de quo erat dubium commisisse, possit non approbato illud confiteri?

SVMMARIVM.

2090 *An si quis post quam confessus est Sacerdoti expositò, & approbato peccatum mortale dubium, vt dubium; si pòst inueniat certo commisisse mortale, & dubium excluserit, sit obligatus confiteri Sacerdoti approbato peccatum quod erat dubium, vt certum?*

Dupliciter potest quis confiteri peccatum, quod est dubium mortale, ibid. & n.2091.

2090. DVbium. An quis postquam confessus est Sacerdoti expositò, & approbato peccatum mortale dubium, vt dubium, (vt perseuerante dubietate tenetur confiteri) si post inueniat certò commisisse mortale, & dubium excluserit, sit obligatus confiteri Sacerdoti approbato peccatum quod erat dubium, vt certum?

Duobus modis potest quis confiteri peccatum quod est dubium mortale. Primò, confitendo illud integrè, & practicè certum, quamuis speculatiuè dubitet an sit mortale, vel veniale. Et hoc modo etiam si quis factus doctior, siue sit pœnitens, siue confessor, postea agnoscat fuisse mortale, non tenetur illud fateri, vt ex Corduba *in summ. quæst.9.* notat Thomas Sanchez *vbi suprà num. 69.* quia iam plenè confessus est peccatum secundum regulas prudentis examinis iudicatum; nec ad valorem confessionis requiritur quod speculatiuè quis habeat iudicium determinatum quod peccatum confessum sit mortale, & in omnibus id scire est impossibile.

2091. Secundò, potest quis confiteri peccatum dubium cum dubietate practica, quia secundum regulas examinis prudentis non potuit pro tunc practicè certificari an sit mortale; postea tamen temporis decursu id inueniat, & de hoc peccato dubio practicè est difficultas ista sicut & præcedēs Communis sententia affirmat. Ita Sanchez *n.69. circa med.* Turrianus *de pœnit. dub.6. disp.29.* & ratio est perspicua, quia peccatum hoc non est solutum eo modo quo reipsa est in conscientia pœnitentis; nec hoc modo est subiectum clauibus quibus tenetur subiicere eo modo quo per certum iudicium iudicat reipsa esse; quando enim dubitabat, illud subiicit clauibus sub dubio: ergo si facto diligentiori examine certo iudicat fuisse mortale illud tenetur iterum subiicere clauibus. Et cum sit materia necessaria debet illud confiteri Sacerdoti in examine approbato.

Et hoc, me quidem iudice, clarè determinat Concil. *sess.14. cap.5. verf.* sed & impium est, vbi sic dicit, *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi quam vt postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur quibus Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Hæc ibi. Ergo si quis sub dubio confessus est peccatum dubitans an sit mortale, si post, explorans conscientiæ suæ sinus, & latebras, inuenerit mortaliter offendisse Dominum, & Deum suum nullus Catholicus dubitare potest quod tenetur illud confiteri, & tanquam certum clauibus subiicere, quod antea sub dubio subiecit.

Rationem à priori tradidit idem Concil. ibidem in principio Capitis, vbi postquam dixit, 2092.
quod Christus Dominus Sacerdotes reliquit sui Vicarios, tanquam præsides, & iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, qui pro potestate clauium retentionis, & remissionis peccatorum sententiam pronuntient, addit hæc verba: *Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recensere.*

Ex quibus verbis clara demonstratio moralis colligitur huius veritatis, quæ sic formatur. De fide est quod omne mortale peccatum quod quis post diligentem sui discussionem, & examen in conscientia habet debet in confessione directè subiicere clauibus, quia Sacerdotes non possunt sententiam, & iudicium ferre causa incognita, nec æquitatem seruare in iniungendis pœnitentiis; atqui quando pœnitens sub dubio an esset mortale fassus est peccatum incognitum est confessori an sit mortale, si quidem de hoc dubitabat sicut & pœnitens: ergo de illo quatenus est 2093.
determinatè mortale non est factum iudicium, nec sententia lata. Et ita quatenus mortale non est subiectum clauibus, cum de illo vt sic non possit Sacerdos iudicare, & illud vt mortale non est directè dimissum: ergo semper quod clarueric fuisse mortale tenetur illud Sacerdoti approbato confiteri. Consequentia est euidens, quia ex Christi institutione tenetur omnis fidelis directè subiicere clauibus omnia peccata in specie, & omnia quæ certo nouit esse mortalia; hoc enim & nihil aliud exigit Ecclesia à fidelibus. Atque ita si post diligentem discussionem inueniat peccatum dubiè confessum determinatè esse mortale certissimo, itaut oppositum, etiam speculatiuè, nullam habeat probabilitatem tenetur confiteri Sacerdoti approbato.

Dices ad hanc rationem quod si quis confiteatur peccatum dubium solum, vt aliquando tenetur confiteri, si non habet aliud, absoluitur directè ab illo, & illud subiicit clauibus sub conditione: ergo quando post quis certus est quod illud sit mortale non tenebitur iterum confiteri, nam ad quid? cum sit directè absolutum, & notitia Confessarij ad nil deseruit; non enim potest illud retinere, quia non retinetur quod iam solutum est. Sic arguit Cardinal. Lugo *num.84.*

Sed est argumentum nullius ponderis, quia fal- 2094.
sum omnino est quod peccatum dubium sub dubio confessum directè absoluatur sub conditione determinata, sed solum indirectè. Ratio est perspicua, quia de peccato dubio quatenus mortale, nullum est determinatum iudicium neque ex parte confessoris, neque ex parte pœnitentis: ergo vt sic non subiicitur directè clauibus sed indirectè, quatenus sub conditione implicita absoluitur quis à peccatis oblitis sub conditione si habeat plura alia peccata, de quibus si recordetur tenetur iterum confiteri, & illa subiicere clauibus directè vt de illis feratur certum iudicium, & sententia, & seruetur æquitas in

pœnis

pœnis imponendis, quia quamuis sit ab illis absolutus, & sint remissa ex vi gratiæ remissionis peccatorum, & ex vi absolutionis Sacramentalis; tamen quia nondum de illis est latum iudicium determinatum, nec iudex cognita causa processit, est obligatio illa iterum subiiciendi clauibus: ita de peccato dubio si post absolutionem fiat certior pœnitens fuisse mortale, discurrendum est, quia de illo vt mortale nec implicitum iudicium absolutum, & determinatum factum est.

2095. Obiicit secundò, *num.* 83. quia vt est communis sententia, si quis sit dubius de voto, & petat dispensationem, si postea certo sciat se vouisse non tenetur petere aliam dispensationem. Similiter si quis dubius an incurrerit aliquam censuram ad cautelam petat absolutionem, aut dispensationem, quamuis postea sciat illam incurrisse manet absolutus. Respondetur nec hoc argumentum facere probabilem opinionem, quia dispensatio abstulit obligationem voti, & liberauit à censura, si reipsa erat, quia iam non manet votum, nec censura, & sic non est obligatio iterum petendi dispensationem voti, aut absolutionem à censura; at in nostro casu etsi absolutio abstulerit peccatum, at non abstulit obligationem iterum subiiciendi clauibus Ecclesiæ quando constiterit fuisse mortale, vt manifestum est in peccatis oblitis, si iterum memoriæ occurrant.

2096. Obiicit tertiò, argumentum quod dicit apud se magni ponderis esse. Quia qui confessus est decem periuria addens *plus minusve*, si postea certo agnoscat commisisse duodecim non tenetur confiteri illa duo, quia illa verba, *plus minusve* ad minus complectuntur illa duo versus maius, vel duo alia versus minus vt est communis, & certa sententia, & praxis omnium fidelium, vt videre est in Suarez *de pœnit. disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 38. Vasquez 3. *part. quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 6. & tamen illa duo vel in maius, vel in minus solum confessa sunt sub dubio: ergo quamuis quis vnicum periurium sub dubio confiteatur non tenetur illud subiicere clauibus quando certus est in conscientia sua illud commisisse. Quare consequenter loquendo (ait) vel prius est negandum sicut negatur posterius, vel concedendum posterius sicut conceditur prius. *Huius difficultatis*, inquit, *non inuenio solutionem apud Authores.* Ob quam *n.* 92. dicit aliquos viros doctos à se consultos, inter quos fuit amicissimus meus Reuerendissimus Pater Nicolaus Richardus Sacri Palatij Magister, asserentes probabile, non esse necessarium confiteri peccatum dubium quando certo constat pœnitenti post examen nouum fuisse mortale.

2097. Respondetur quod ego miror sapientissimum, & Eminentissimum Cardinalem quod propter argumentum istud communem sententiam fidelium, & praxim, & intelligentiam conturbarit dicens probabile esse contrarium, suspendens suum prudentissimum iudicium à definitione veritatis, quæ non solum consulenda, sed defendenda est. Dico igitur esse euidens discrimen inter vtrumque casum, quia dum quis confitetur peccatum sub dubio an sit mortale, vel confessum, prudentia iudicis non potest elicere certum iudicium circa illud distinguens lepram à lepra, sed manet in ancipite, nec proferre potest de illo sententiam determinatam, quia nec iudicium, & & cognitio practica implicita est de peccato illo vt mortali, & in illa non potest seruari æqualitas in pœnitentiis imponendis, & est idem ac si in genere confiteretur quis peccata sua. Circa quæ, vt ait Concilium, iudex non potest procedere, cum sit incognita causa in specie; at dum quis confitetur decem periuria plus minusve iudicis prudentia elicit iudicium determinatum circa peccata confessa, & implicitè ex illis verbis subiicit pœnitens illa duo periuria, & circa illa fert confessor sententiam seruans æquitatem in pœnis imponendis: atque ita non est necessarium illa duo confiteri Sacerdoti exposito, sed sufficit confiteri, si vult pœnitens Sacerdoti simplici, sicut de aliis peccatis iam confessis dictum est. Vnde duo illa periuria non sunt confessa vt dubia an sint mortalia, sed determinatè iudicantur mortalia, sed non explicitè dicuntur commissa, sed confusè, & implicitè. Vnde quando explicitè cognoscuntur commissa non est necessarium illa confiteri iterum, quia implicitum effecit quod explicitum faceret *l. cum quid D. si certum petatur l. vltima D. de legatis* 2. *l. vltima C. qui bonis* Couarruu. *in cap. quamuis pactum part.* 2. *n.* 6. Menochius *consil.* 108. *num.* 54. Sousa *in Bullam Cœnæ disput.* 101. *num.* 2. Gonzalez *ad regular.* 8. *Gloss.* 14. *num.* 64. Franciscus Leo *in thesauro part.* 3. *cap.* 7. *num.* 61. & est indubitatum.

DVBIVM. X.

An sæcularis mox ingressurus Religionem possit absolui à Regulari non approbato ab Episcopo?

SVMMARIVM.

2098 *An Confessor Regularis non approbatus, & examinatus ab Episcopo, sed à superiore suo possit absoluere sæcularem mox ingressurum Religionem à peccatis etiam reseruatis, & censuris latis à Papa, & Episcopo loci.*

2098. DVbium. An Confessor Regularis non approbatus, & examinatus ab Episcopo, sed à Superiore suo possit absoluere sæcularem mox ingressurum Religionem à peccatis etiam reseruatis, & censuris latis a Papa, & Episcopo loci. Et quidem Nouitij qui habitum induerunt, & admissi sunt ad annum probationis: aut Hospites qui licet non sint admissi ad annum Nouitiatus, sed cum habitu regulari sunt admissi ad vitam communem Religionis in Choro, & Refectorio, & cæteris actionibus Nouitiorum; isti inquam, omnes cum in fauorabilibus gaudeant priuilegiis professorum, certum est quod possint confiteri cum Sacerdote Regulari non approbato ab Episcopo, sed solum à Superiore, & absolui ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, etiam Episcopo, sicut quilibet alius professus, declarationes tamen Cardinalium editæ iussu Clementis VIII. & Bulla Vrbani VIII. id prohibentes loquuntur de confessoribus Regularibus qui virtute suorum priuilegiorum poterant absoluere sæculares à casibus reseruatis Episcopis. Quod prohibuit Summus Pontifex derogando omnia Regularium priuilegia tam pro Italia, quam extra Italiam.

2099. Possunt etiam Nouitij valide confiteri cum Sacerdote sæculari: debet tamen esse ab Episcopo approbatus, vt notat Diana *part. 2. tract. 2. resol. 4.* quia quod possint confiteri confessori Regulari non intelligitur priuatiuè ad sæculares, sed cumulatiuè; non tamen poterit absolui à reseruatis à superiore, vt supra dixi Resolut..... nisi virtute Bullæ Cruciatæ, qua possunt vti, quamuis professi illa vti non possint, iuxta dicta *sup. tractat*..... sine illa tamen, vt dixi, absolui non possunt à reseruatis, quia sic declarauit Paul. V. viuæ vocis oraculo, vt aduertit Peyrinis *tom. 2. priuil. Bulla 10. Vrbani VIII. §. 61. n. 9.* & quamuis Vrbanus VIII. abrogarit omnia priuilegia concessa viuæ vocis oraculo, non reuocauit illa quæ sunt declarationes constitutionum Apostolicarum. Quod non aduertit Diana *vbi sup. resolut. 110. vers. His tamen non obstantibus.* Ea autem quæ dixi de Nouitiis Regularibus extenduntur ad Nuntios Ordinum Militarium, etiam Equites, iuxta doctrinam Dianæ *part. 5. tract. 1. resolut. 18.* & Bordon. *de professio. regul. cap. 4. q. 56.*

2100. Igitur circa propositum dubium affirmatiuè respondent Bartholomæus de Becchis *in prax. Nouitior. disp. 9. dub. 7. num. 5.* Diana *vbi sup. resol. 49.* eius Summator *p. 1. verb. confessarius Regularis num. 2.* nullum tamen fundamentum adducunt, sed solum respondent ad declarationes Sacræ Congregationis editas iussu Clem. VIII. quæ vt supra vidimus solum loquuntur respectu sæcularium, & isti mox ingressuri Religionem etiam ante sumptionem habitus iam censentur Regulares Nouitij, & non purè sæculares, quia proximè accingendus censetur pro accincto *l. ex eo tempore D. de testam. milit.* & tenent Felinus *cap. eam te num. 16. vers. erat iste electus de rescriptis.* Iason. *Authent. si qua mulier à num. 23. C. de Sacrosanct. Ecclesiis.* vnde proximè accingendus in militem gaudet priuilegio militum qui sunt accincti.

2001. Sed de hac sententia maximè dubito, quia iste mox ingressurus Religionem manens in habitu sæculari, quamuis admissus sit à Capitulo, adhuc vere sæcularis est, qui potest capi à iudice, excommunicari ab Episcopo, tenetur gabellas soluere, & omnia alia ad quæ sæculares tenentur; nec de hoc potest esse dubitatio, cum sit subditus tam iudici sæculari quam Ecclesiastico, nec vsque habitum Regularem, & institutum Regulare accipiat non est subiectus Prælatis Regularibus: ergo non licet sic confiteri Sacerdoti non approbato ab Episcopo, nec à casibus reseruatis Episcopo, nisi virtute Bullæ, sicut cæteri sæculares; proximè enim clericandus non gaudet priuilegiis Clericorum. Sicut enim hîc ordo debet præcedere vt gaudeat priuilegiis; ita illic debet præcedere actu habere vestem Religiosam, vt notant de clerico Felinus *vbi suprà. num. 4.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 42. num. 14.* Gonzalez *reg 8. Gloss. 2. n. 66.* vestis enim Regularis actu induta est forma ad gaudendum priuilegiis Regularium. Quare hic proximè accingendus, vel vestiendus non censetur pro accincto, vel vestito; cum enim in hoc axiomate sit quædam iurisdictio, destinatio animi non releuat; imo destinatum non habetur pro impleto, & ideo res non iudicatur ab eo quod erit, sed ab eo quod est. Quæ omnia satis doctè resoluit Felinus *vbi sup. & cap. cum adeo num. 5. 6. & 7. de rescriptis.* Quare axioma illud in præsenti non habet locum, & sic sententia adducta mihi falsa videtur. Quis enim dicat quod ille qui factis informationibus admissis à Consilio Regio qui proximè est accingendus miles Religiosus gaudeat Religiosorum priuilegiis, & exemptus iudicetur.

Dvbivm XI.

Vtrùm Regularis possit obligari ad confitendum peccata semel confessa?

SVMMARIVM.

2102 *Regulares professi an possint obligari ex vi Regulæ ad confitendum semel in anno superiori suo peccata mortalia, etiam alteri Sacerdoti approbato confessa ritè, & rectè, vel intra Religionem, vel extra dum iter ageret?*

2109 *Nec Summus Pontifex potest imponere præceptum, quod fidelis confiteatur peccata iam dimissa, absque conditione, & pacto antecedenti.*

Dvbium hoc, & quidem grauissimum propter praxim quarumdam Sanctarum Religionum vtrum Regulares professi possint obligari ex vi Regulæ ad confitendum semel in anno Superiori peccata mortalia etiam alteri Sacerdoti approbato confessa ritè & rectè, vel intra Religionem, vel extra dum iter agerent. Et quidem dubium esse potest aut de peccatis mortalibus non reseruatis, aut de reseruatis. 2102.

De vtrisque casibus vera sententia affirmat. Ita Vasquez *3. part. quæst. 91. art. 3. dub. 7. num. 13.* Fagundez *2. præc. Eccles. lib. 2. cap. 2. n. 6.* Henriquez *lib. 2. de pœnit. cap. 17.* vbi sic grauissimè loquitur: *In Religione potest fieri statutum cum expresso consensu Regularium repetendi facti as confessiones in fine anni Prælato, aut etiam confessario quem Prælatus designarit. Et quidem factum putant in Religione Cistercienſi* (confirmatum à Sixto IV. & Pio II.) *vbi ipsa consuetudo arguebat statutum ita acceptatum à subditis: si statutum fieret in Capitulo Generali satis est consentire Prælatos ius suffragij habente nomine omnium; nec requiritur singulorum subditorum præsentium, aut futurorum expressus consensus, præsertim postquam à Papa confirmatum est. Sic enim leges Concilij Generalis à Papa confirmati dum à Patribus eiusdem Concilij nomine omnium acceptantur obligant omnes absque illorum expresso consensu, & statutum Religionis potest sua declaratione reponere aliquid sub materia obedientiæ, aut paupertatis ad quam Regulares se voto obligant, & posito eo statuto Prælatus qui casus reseruare potest concedit confessario delegato iurisdictionem vt subditus sub eo modo, & onere ex lege pactionali absolutus perinde teneatur peccata repetere Prælato, vt tenetur dum casus est reseruatus à quo indirectè absoluitur.* Hæc ibi.

Quare etsi non sub præcepto, de consilio tamen ordinatur in Societate Iesv *constit. 6. part. cap. 5.* & in Ordine Sancti Dominici vbi id habetur, quod non obligat ad mortale, teste S. Thoma *2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1.* tanquam medium 2103.

vnum

vnum magis ex neceſſariis, & ſubſtantialibus ad finem Religionis, ad quod maximè attenderunt Antiqui Fundatores Baſilius, Benedictus, & alij quos refert Suarez *tom. 4. de Religio. lib. 20. de Regimin. Societ. cap. 20. num. 4.* Si ergo eſt medium ita ſubſtantiale ad finem Religionis ſubditos ſuam conſcientiam, etiam de præteritis, aperire, cur non poterit ſub præcepto formali, & lege obligante ad mortale ita omnia mortalia reſeruare ſub ea conditione, & pacto, vt teneantur ea iterum in confeſſione aperire Superiori, ſicut omnes Patres Societatis tenent, inter quos latiſſimè Suarez *de pœnitent. diſp. 30. ſect. 2.* Cardinal Lugo *diſp. 15. ſect. 6. §. 2.* & declarauit Reuerendiſſimus Pater Generalis Mutius Viteleſchus in litteris ad Societatem miſſis *anno 1617.* itaut nullus poſſit abſolui à reſeruatis dum iter agit, niſi acceptando hanc conditionem vt compareat coram Superiore, vel confeſſario deputato. Eodem ergo modo poterit ſaluari praxis illa Ciſtercienſ. quæ licet in illis antiquata ſit, tamen viget apud Carthuſianos vt mihi retulit amiciſſimus, & eruditiſſimus vir D. Fr. Ioſeph à S. Maria Prior huius Domus Hiſpalenſis.

2104. Secundò probatur eadem ſententia. Quia quis poteſt ſe obligare voto, aut iuramento iterum confitendi peccata mortalia ſemel confeſſa, quod votum obligabit ad mortale, vt tenent Nauarrus *cap. placuit de pœnitent. diſt. 6. num. 107.* Vialdus *in candelabr. tit. de confeſſ. num. 66. §. 3. reſpondeo.* Fagundez *vbi ſuprà num. 4. & 5.* & ratio ſumitur manifeſta ex doctrina Vaſquez 1. 2. *diſput. 158. num. 58. & 59.* quem ſequitur Sanchez *in ſumm. lib. 1. cap. 4. numero 3. & lib. 1. cap. 12.* quem ferè omnes ſequuntur. Voti, legis, & præcepti materiæ non ſumitur grauitas ex re ſecundum ſe conſiderata, ſed attentis omnibus circunſtantiis, maximè finis in ordine ad quem ordinatur, & ſumitur eius honeſtas, in ordine ad quem ſi res præcepta notabiliter conducit, quamuis ſecundum ſit parua, tamen quia cadit ſub voto, & præcepto quatenus notabiliter conducit, tale votum, & præceptum obligat ad mortale: atqui quod Religioſus aperiat totaliter ſuam conſcientiam, & manifeſtando peccata confeſſa eſt medium valde ſubſtantiale, & notabiliter conducens ad finem religioſæ perfectionis quam profitetur: ergo obligat ad mortale.

2105. Vnde ſapienter P. Thom. Sanch. *n 18.* poſtquam dixit quod votum fatendi veniale non obligat ad mortale, ſubdit: ſecus autem eſſet de voto confeſſionis faciendæ, obligaret enim ſub mortali, etiam ſi vouens ſola venialia haberet, quia confeſſio illa cedit in magnum Dei honorem, & maximam confitentis vtilitatem, non ſecus ac dixerat *n. 16.* quod votum de ſumendo Euchariſtiam, etſi ſemel, obligat ad mortale, qua ratione obligat Eccleſia ſemel in anno illam ſumendi ſub mortali: ergo lex, & ſtatutum Religionis poterit obligare ad confeſſionem faciendam ſemel in anno Superiori etiam peccatorum in confeſſorum legitimè vt infra explico.

2106. Ex quo fit quod præceptum poteſt obligare ſub mortali de confitendo ſemel in menſe. Quod videtur indicaſſe Clem. 5. in Cle. 1. de ſtatu Monach. Et quamuis aliqui dicant ex vi illius non obligari ad confitendum venialia ſub mortali, ſed ſub veniali, ego probabilius exiſtimo obligari poſſe; ſicut de facto obligatur quis ex præcepto Eccleſiæ ad confitendum ſemel in anno, etiam ſi non habeat niſi venialia. Quia præceptum Eccleſiæ non eſt quod quis confiteatur venialia; ad hoc enim probabilius eſt non poſſe obligari, quia faceret materiam liberam neceſſariam, contra Chriſti inſtitutionem, ſed obligat ad ſemel in anno confitendum, ſicut obligat ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. Quare ſicut peccat mortaliter qui non ſuſcipit Euchariſtiam, ita qui non confitetur, quamuis non habeat niſi venialia, vt dicebam ex Thoma Sanchez, & eſt per ſe manifeſtum.

Id quod manifeſtè docet D. Thom *in 4. diſt. 17. q 3. art. 1. quæſtiun. 3 in corp. & ad 1.* vbi dicit *Quod ex vi Sacramenti non tenetur quis confiteri venialia, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ cap. omnis de pœnit. & remiſſ. quando non habet alia quæ confiteatur, tum vt quilibet ſe peccatorem recognoſceret, quia omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, tum vt cum maiori reuerentia ad Euchariſtiam accedat;* tamen non tenetur confiteri omnia venialia, ſed ſufficit aliquod in particulari vt ſatisfaciat præcepto confeſſionis. Quare cum, vt ait Gloſſa in Clement. 1. de ſtatu Monachor. tenentur Monachi ſingulis menſibus ad quod arctantur fideles ſingulis annis, ſicut iſti per ſe arctantur ad confeſſionem, & Sacramentum pœnitentiæ, etiam ſi per accidens habeant venialia dumtaxat, ita ex ſententia Gloſſæ arctantur Monachi, & coarctari poſſunt ad iterum confitendum ſemel in anno ſuo Superiori peccata mortalia confeſſa, quamuis non poſſint cogi ad confitendum per ſe pecta venialia. 2107.

Ratio diſparitatis eſt euidens (quamuis aliam minus claram adducat Fagund. *vbi ſup. n. 5.*) quia cum peccata venialia ſint materia libera quam non poteſt ſuperior reſeruare, aut retinere, ſed quilibet Sacerdos poteſt iure diuino abſolutè ab illa abſoluere: at peccata morralia vt dimittantur, cum ſint materia neceſſaria Sacramenti, requiritur iuriſdictio Paſtoris, qui poteſt illam committere ſub hac conditione implicita, vt ſemel in anno eadem peccata quæ dimiſſa ſunt, iterum confiteatur pœnitens Superiori aut confeſſario ab ipſo deſignato, iuxta doctrinam ſapientiſſimi Hentiq. adductam quam latè explicat Card. Lugo. 2108.

Ex quo fit quod nec Summ. Pontif. poteſt imponere præceptum quod fidelis confiteatur peccata iam dimiſſa abſque conditione, & pacto antecedenti. Ratio eſt, quia peccata dimiſſa abſque conditione, & pacto de reconfitendo ſunt abſolutè dimiſſa, & ſic manet materia libera, quæ non fieri poteſt neceſſaria præcepto humano, niſi quis accepter conditionem, & legem ſuperioris id præcipientis. Vbi nota quod non dicimus vel quod peccata reuiuiſcant, vel quod dimittantur ſub conditione de futuro, ſed quod pœnitens tenetur ſub mortali ea iterum confiteri Superiori, aut confeſſori delegato ab ipſo. 2109.

Colligitur ſecundò, quod totum tenet verum ſi quis Regularis in cuius conſtitutionibus eſt tale præceptum, velit vti Bulla Cruciatæ, Ratio eſt euidens ex dictis, quia tale ſtatutum eſt pactionale obligans ad mortale cum materia ſit grauis: ergo niſi adimpleatur ſemper perſeuerat obligatio pacti, à qua non poteſt liberare priuilegium Bullæ. Quod ſecus eſt ſi quis Religioſus Societatis iter agens abſoluatur à reſeruatis virtute Bullæ; tunc enim non eſt obligatio comparendi, quæ ſolum eſt quando abſoluitur à reſeruatis virtute licentiæ ſui ſuperioris, quæ intelligitur cum illa conditione quam non habet priuilegium Bullæ. 2110.

læ, si illa possunt vti præfati Patres: at statutum obligans ad reconfitendum peccata non est reseruatio peccatorum, sed lex obligans sub mortali à qua non potest liberare priuilegium Bullæ.

§. III.

An semel examinatus, & approbatus possit ab Episcopo iterum examinari, & reprobari.

SVMMARIVM.

2111 *Semel examinatus, & approbatus an possit ab Episcopo iterum examinari, & reprobari?*

2112 *Regularibus non Episcopus, sed immediatè Summus Pontifex concedit iurisdictionem passiuam, & materiam circa quam iurisdictio caracterica exerceatur.*

2111. SVppono quod loqui possumus aut de Sacerdotibus sæcularibus, aut de Regularibus examinatis ab Episcopo, & approbatis iuta formam Concilij Tridentini. Inter quos est notandum discrimen quod Sacerdotes sæculares simul cum approbatione accipiunt ab Episcopo iurisdictionem ad suscipiendas confessiones suarum ouium, quæ iurisdictio propriè delegata non est, cum non absoluat nomine Episcopi, sed nomine proprio tanquam verus Christi ministet, & Vicarius vt dicit Trident. *sess.* 14. *c* 5. *Reliquit enim Christus Sacerdotes sui ipsius Vicarios tanquam præsides, & iudices.* Quare Episcopus, aut Pontifex confert quidem iurisdictionem Sacerdotibus non quidem quantum ad potestatem absoluendi, & iurisdictionem actiuam, quam accipiunt ex vi Ordinis, sed quantum ad iurisdictionem passiuam, & materiam circa quam iurisdictio actiua caracterica exercetur; non enim hæc exerceri valet; supposita tamen materia ex concessione Episcopi Sacerdos potestate à Christo accepta absoluit; vnde dicit *Et ego potestate ipsius qua fungor te absoluo*, &c. Ex quo apparet quanta cum ratione dixerim supra quod Sacerdos accipit potestatem, & approbationem à Christo immediatè, vt sine Episcopi approbatione possit à venialibus absoluere, quia eo ipso quod Christus Dominus instituit quod peccata venialia sint materia libera Sacramenti pœnitentiæ, constituit etiam quod Sacerdos simplex possit ab illis absoluere, cum circa illa iurisdictio ordinaria humana nihil valeat ad retinendū ea, nisi subiiciantur clauibus.

2112. Cæterum Regularibus non Episcopus, sed immediatè Summus Pontifex iurisdictionem passiuam, & materiam circa quam iurisdictio caracterica exerceatur. Id quod supra cursim probaui, & modo probandum est ex priuilegiis Bullatis Regularium. Sic Sixtus IV. concessit Prædicatoribus Bulla quæ incipit Sedis Apostolicæ edita quinto idus *Iunij* 1477. Paul. III. Societatis IESV in Bulla cum inter *die* 3. *Iulij* 1545. & eisdem Paulus IV. Bulla, Ex clementi *die* 1. *Iulij* 1556. concesserunt. Quibus priuilegiis gaudent omnes Regulares ex priuilegio amplissimo communicationis, quæ vt notaui supra ex Fagundez *lib.* 7. *in* 2. *præcep. Eccles. cap.* 2. *n.* 15. Lugo *disp.* 21. *de pœnit. sect.* 3. *n.* 53. Vasquez 3. *p. q.* 93. *art.* 3. *dub.* 6. non reuocauit Trident. sed solum apposuit conditionem, examen, & approbationem Episcopi, sine qua non communicat Pontif. iurisdictionem.

DVBIVM II.

De licentia concessa ad beneplacitum.

SVMMARIVM.

2113 *An licentia concessa ad beneplacitum expiret morte antecedentis?*

2118 *Quid sentiat Auctor & n.* 2119. 2121. 2122.

DVbium primum, an licentia concessa ad beneplacitum expiret morte concedentis. Non est facilis resolutio huius dubij, de quo latè Zacharias Pasqualigius *tom.* 1. *decis* 499. Barbosa *de clausul. clau.* 2. & quidem beneplacitum finitur morte concedentis mihi certum est ex vtroque iure *ex ciuili l.* 4. *D. locati l. certissimis* §. *fin. D. de verb. oblig. ex cap. si gratiosè de rescript. in* 6. colligunt Ancharran. *n.* 6. Francus *n.* 9. & Geminian. *n.* 3. & Rota in vna Bononien. Parochial. coram Verospio *die* 18. *Martij* 1513. *n.* 4. *quæ est decisio* 489. apud Farinac. *tom.* 1. *n.* 4. vbi approbatus in Capellanum ad beneplacitum Reuerendi ff. Paleoti eius approbatio expirauit morte concedentis. Ita tenent Barbosa *n.* 2. Nauarr. *consil.* 2. *in meis, de priuil. aliàs cons.* 3. Cenedus *singula.* 49. *n.* 14. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 28. *n.* 49. & 50. vbi ponit hanc regulam, quando gratia confertur ad beneplacitum personæ concedentis, extinguitur eius morte: secus si concedatur ad beneplacitum Sedis, aut dignitatis; tunc enim est perpetua donec à successore, vel à concedente reuocetur. Quæ Regula vt iacet quoad vtramque partem expressè habetur *decisa cap. si gratiosè citato.* 2113.

Et ratio est quoad primam partem quia voluntas personæ morte periit, ac subinde peribit gratia ab illa voluntate pendente in conseruari; cumque dignitas, & sedes sit perpetua, gratia quæ ab illa pendet perpetua erit, nisi ab eadem sede reuocetur. Quam doctrinam verissimam dicit Thom. Sanch. siue in gratiis ambitiosis, siue in fauorabilibus. Et Couarruu. *lib.* 4. *var. c* 15. *n.* 4. dicit oppositam sententiam esse falsam, & iure optimo, cum Pontifex rationem suæ decisionis posuerit ibi *Per obitum per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur:* euidens ergo est quod siue in ambitiosis, siue in fauorabilibus gratia concessa ad beneplacitum personæ concedentis eius morte extinguitur, & expirat. 2114.

Hoc igitur cum mihi certum sit, manet dubiū an licentia concessa ad beneplacitum non quidem sedis, sed personæ concedentis, ista mortua illa expiret. Negant Pasqualig. *vbi sup. n.* 4. Sanchez *n.* 72. Suarez *de pœnit. disp.* 26 *sect.* 3. *n.* 4. Vasquez *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. Ochagauia *tract.* 3. *de confessio. q.* 36. *n.* 13. Sancius *select.* 49. *n.* 19. Probatur primò, quia gratia perfectè concessa alicui independenter ab alio cui facienda committatur, durat etiam post mortem concedentis, & eriam re integra *cap. si cui nulla de prabend. in* 6. & est communis: at licentia audiendi confessiones est gratia facta, & perfecta quæ sortitur totum suum effectum habendi iurisdictionem passiuam statim ac tribuitur: ergo semper durat, etiam mortuo concedente. à quo non pendet in conseruari, sed verbum *ad beneplacitum idem est ac donec reuocauero.* 2115.

Secundò,

2116. Secundò, quia quando ad beneplacitum ſumitur reſpiciens fauorẽ publicum non expirat morte concedentis, vt ex multis citati s docent Molina *de primog. lib. 1. c. 15. n. 13.* Vantius *de nullit. ex defectu iur. deleg. n. 104.* Maſcard. *de probat. conc. 188. n. 5. & 7.* atqui licentia audiendi confeſſiones reſpicit fauorem publicum, vtpote data pro commoditate Diœceſis, & in bonum commune animarum: ergo.

Tertiò, quia quando conceditur poteſtas ad diſpenſandum cum perſonis incertis non expirat morte concedentis, quia datur in gratiam diſpenſaturi, non diſpenſati, vt eſt communis, & certa ſententia in materia de diſpenſationibus Matrimonij, & multis citatis tenent Thom. Sanchez *n. 80.* ergo idem de poteſtate ad audiendas confeſſiones, quæ datur in fauorem confeſſoris, & nullam reſpicit determinatam perſonam.

2117. Secunda ſententia docet expirare huiuſmod licentias, & approbationes factas ad Beneficium quam tenere cogentur Authores citati in principio dubij, & probant rationes ibi adductæ. Quibus addo Paludan. *in 4. diſt. 17. q. 4. art. vlt. n 25.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 24. circa finem*, qui loquitur etiam de facultate conceſſa à Pontifice ad beneplacitum. Nauarr. *in ſumm. c. 27. n. 264.* D. Antonin. 3 *p. tit. 17. c. 9. in fin.* Gonzalez *reg. 8 §. 1. proœmial. n. 9.* Campanile. *in diuerſ. iur. rubric. 12. c. 13. n. 64.* Torreblanca *tom. 1. iur. ſpirit. c. 3. n. 10.* Riccius *in deciſ. 51.* Tapia *l. fin. D. de conſtit. princip. p. 2. c. 3.* Caſtillo *to. 7. c. 19. n. 13.* Pereyra *de manu Regia c. 6. n. 19.* & tenet Thom. Sanchez *n. 49. & 50. nam n. 71.* non loquitur de licentia ad beneplacitum, ſed de poteſtate delegata audiendi confeſſiones, de qua plures ex Authoribus quos pro ſe adducit Paſqualigus, loquuntur.

2118. Quid autem ego ſentiam ſeqeentibus explico. Primò facultas & licentia generalis ad audiendas confeſſiones conceſſa ſine particula *ad beneplacitum* non expirat morte concedentis. Hæc eſt probabilior ſententia, quam multis citatis ſequitur Sanchez *à num. 72.*

2119. Secundò, facultas conceſſa Regularibus ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam ſi ponatur ab Epiſcopo *ad beneplacitum*, imò etiam ſi ponatur à Vicario Romani Pontificis in vrbe non expirat morte concedentis. Ita Diana *p. 8. tract. 7. reſol. 74.* Paſqualigus *vbi ſup.* N. P. Auerſa *q. 16. de pœnit. ſect. 4.* & declarauit Clement. IV. in Bulla quæ incipit *exigentibus.* & Benedictus II. *in extrauag. inter cunctas de priuileg.* quæ licet reuocetur à Clement. V. *in Clement. dudum* ſed non quantum ad hoc vt notat Soto *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. verſi. vtrum autem.* Ratio eſt, quia vt ſupra in ſuppoſitione dicebam, Regularibus conceditur iuriſdictio immediatè à Sum. Pontif. quæ nullatenus ab Epiſcopis auferri poteſt, quandiu Religioſi ab illis ſint idonei iudicati, iuxta formã Trident. in Regular. tamẽ illa particula, *ad beneplacitum*, quouſque non reprobentur, & non conſtet non eſſe idoneos, quia idoneitas non ſolum pendet à doctrina, ſed etiam à moribus confeſſarij, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij, in ſcientia autem & moribus poteſt eſſe temporis decurſu notabilis mutatio, quod cognoſcere pertinet ad Epiſcopos ſucceſſores ei qui approbauit.

2120. Dixi etiam ſi ponatur à Vicario in Vrbe, qui concedit facultatem nomine Papæ, vt eſt Epiſcopus Romanus, non vt vniuerſalis Paſtor Eccleſiæ, & Vicarius Chriſti, quomodo conceſſit priuilegia Regularibus, in quibus operabitur illa particula *ad beneplacitum* in licentia ad abſoluendum à reſeruatis ipſi Epiſcopo, à quibus ſeclusa Bulla non poſſunt abſoluere ex virtute ſuorum priuilegiorum, quæ derogauit ſpeciali decreto Vrbanus VIII. die 17. Nouembr. 1628. ſiue in Italia, ſiue extra Italiam, vt refert Barboſa in Compend. Bullar. verbo *Regularis Confeſſor. 2.* & in Collectaneis *Apoſtolicarum deciſ. verbo caſus reſeruatus num. 10.*

2121. Tertiò, exiſtimo quod de vigore iuris licentia conceſſa ſæcularibus Sacerdotibus *ad beneplacitum* perſonæ concedentis expirat morte concedentis. Hoc probant efficaciſſime ea quæ adduxi in principio huius dubij. Nec video quid poſſit congrue reſponderi ad tam manifeſta iura. Ex quo fit quod Epiſcopus poſſit abſque aliqua cauſa, ſed ſolum pro ſuo beneplacito, & libera voluntate auferre à Sacerdote ſæculari iuriſdictionem quam illi contulit ad audiendas confeſſiones. Sine qua (quamuis maneat approbatus, quia approbatio idoneitatis eſt per modum ſententiæ iuridicæ, quæ ſemper perſeuerat quouſque iuridice præuio examine reuocetur, quamuis poſſit eligi virtute Bullæ) inualide abſoluet, quod etiam diximus ſupra de Regularibus reſpectu Monialium, vbi declarationes Cardinalium de hac re editæ ſunt receptæ.

2122. Quartò, exiſtimo quod ex vſu, praxi, & ſtilo fidelium, & Confeſſorum timoratorum, confeſſores ſæculares poſſunt audire confeſſiones fidelium quouſque reuocetur licentia ab Epiſcopo ſucceſſore, etiam ſi conceſſa ſit ad beneplacitum. Quare praxis, & communis vſus intellexit illam particulam ad beneplacitum, quod idem valeat ac *vſque ad reuocationem.* Quamuis hæc communis intelligentia fundetur in errore communi conſeruat iuriſdictuonem, ſicut aliàs communis error illam confert *L. Barbarius D. de Officio Prætor.* Ita Diana *part. 8. tract. 83. verſu Atque hinc.*

2123. Quintò, idem quod dico de licentia ad audiendas Confeſſiones, dicendum eſt de licentia conceſſa ad eligendum Confeſſorem; quæ ſi detur abſolute non expirat morte concedentis, vt expreſſe tenet cum multis Thom. Sanchez *n. 75.* Si vero concedatur ad beneplacitum expirat iuxta dicta. Quam diſtinctionem inter licentiam conceſſam abſolute, & licentiam conceſſam ad beneplacitum non attendit Paſqualigus, ſed vtramque confundit, cum ſit de vtraque valde latum diſcrimen, vt videre eſt in Authoribus.

Adfundamenta oppoſita Reſpondetur. Ad Primum, quod illa doctrina tenet verum in licentia, & gratia quæ conceditur abſolute, de qua loquitur *cap. ſicui nulla* citatum: non vero de licentia ad beneplacitum à qua ſemper dependet in conſeruari, ſicut dependet in fieri, etſi ſit gratia perfecta, & ex vi illius confeſſor accipiat iuriſdictionem.

2124. Ad ſecundum reſpondetur, quidquid ſit de illa doctrina quam aſſumit, intelligenda eſt iuxta noſtrum dictum quartum, quando Stylus ſic interpretatur, & vſus communis. Qua ratione officia temporalia conceſſa ad beneplacitum Principis, vt ſunt Scribarum, & Notariorum durant pro vita accipientis, non expirant morte dantis. Ita Barboſa *l. quia tale num. 85. D. ſoluto matri-*

monio, Ceuallos *communium. quæst.* 425. *n.*15. Gregor. Lopez *l.*6. *dist.* 4. *part.* 3. & alij, quos refert, & sequitur Barbosa *in collect. ad præfatum cap. Gratioſe citat. n.*2.*&* 3.

Ad tertium respondetur, quod si illa potestas dispensandi conceditur absolute, vera est doctrina; si vero concedatur ad beneplacitum eodem modo expirat ac licentia ad audiendas confessiones, aut eligendi confessorem si datur ad beneplacitum.

2125. Ex quibus infertur quod solus Summus Pontifex vel pro tota Ecclesia, vel pro aliqua Diœcesi, aut ciuitate potest perpetuam potestatem concedere ad excipiendas confessiones sæcularium, cum in ipso resideat potestatis plenitudo, à qua nulli Episcopo fit iniuria, nec derogatur iurisdictio quæ semper subordinata manet iurisdictioni Papæ, in quo est ius vniuersalissimum, & altum concedendi non solum quoad omnes fideles, sed etiam quoad modum perpetuitatis, quomodo Regularibus in perpetuum valitura concedit priuilegia.

Sed nunquid hanc licentiam perpetuam potest concedere Episcopus in sua Diœcesi? negat P. Amicus *tom.*8.*disputat.*15 *sect.*2.*num.*49. cuius sententiam probabiliorem iudicat Diana *part.*8. *tract.*1.*resol.*33.*versu verum*, dicens quod opinio Suarez *disput.* 16. *de pœnit. sect.* 3. *num* 4. non audet vt improbabilem damnare. Ego vero asſero opinionem Suarez longe probabiliorem esse quod Episcopus possit has licentias perpetuas concedere. Nec video in opinione Amici quæ probabilitas resideat, cum commu nis, certaque sententia sit quod Episcopus, maxime quantum
2126. ad administrationem Sacramentorum, id possit in suo Episcopatu quod Pontifex in tota Ecclesia, vt multis citatis docet Thom. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disput.* 61. *num.*3. Henriquez *lib.*3. *de Pœnit. cap.* 19. *num.* 7. *littera K.* dicens quod Episcopus iure communi, aut diuino, nisi expresse limitetur, habet pro subditis quidquid Papa in tota Ecclesia. Soto *in* 4.*dist.* 18. *quæst.*2. *art.* 5. *ad* 2. Basilius Pontius *de Sacram. confirm. part* 4. *cap.* 4. *num.* 3. plures adducens. Et ratio est perspicua, quia Episcopus in sua Diœcesi est Pastor Ordinarius iure diuino sicut Pontifex in tota Ecclesia, quamuis isti ille sit subordinatus ergo nisi iste expresse prohibeatur quantum ad iurisdictionem in suas oues potest quidquid Pontifex in tota Ecclesia, pro qua sicut Pontifex potest dare licentias perpetuas audiendi confessiones potest Episcopus pro sua Diœcesi. Et sicut Pontifex non derogat iuri successorum, quia iste potest auferre præfatas licentias, tamen non aufert quousque expresse reuocet, ita Episcopus non infert iniuriam suis successoribus, quia liberum est istis licentias illas reuocare ex iusta causa, non tamen potest pro libito, sicut nec Pontifex pro libito aufert priuilegia perpetua à suis antecessoribus concessa.

***

DVBIVM II.

Vtrum post Tridentinum possint Regulares vti priuilegio Clementinæ, *Dudum, de Sepulturis.*

SVMMARIVM.

2127 *An si Episcopus iniustè abneget licentiam Regularibus, possint nihilominus confessiones audire, quia in tali casu Pontifex illis concedit Iurisdictionem? Adducitur opinio Diana. ibid.*

2129 *Sententia Authoris.*

2134 *Prælatus Regularis si vult vti Priuilegio Clement. id debet exprimere in dimissoriis, quas dat subdito, dum illud exponit; si autem illud non exprimat, censetur renuntiare priuilegio.*

2135 *Respondetur ad argumenta oppesita sententiæ.*

SVpra §. 1. *dub.*4. probaui hoc priuilegium non esse derogatum per Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. Priuilegium illud multa continebat; solum vnum in medium adduco. An si Episcopus iniuste abneget licentiam Regularibus, possint nihilominus confessiones audire, quia in tali casu Pontifex illis concedit iurisdictionem. Diana quamuis *part.*4. *tract.* 4. *resol.* 200. affirmatiuam sententiam probabilem iudicarit, tamen *part.*8.*tract.*1. *resolut.*85. dicit, *Sed ego talem opinionem prorsus non admitto. Dico igitur externam approbationem Episcopi esse etiam pro Regularibus, ita necessariam, vt quamuis iniuste negetur, ij nec licite, nec valide absque ea possint confessiones audire.* 2127. Pro quo citat plures, quibus adiungo Sanchez *select.*48. *num.*5. Felinum *cap.*1. *de rescriptis. numer.*12. Abbatem *ibi num.*13. Cuius reddunt rationem. Quia quando clausula posita in lege de se est sufficiens ad derogandum priori legi, aut priuilegio inserto in corpore iuris, quamuis ponatur clausula *non obstantibus priuilegiis*, derogantur etiam inserta in corpore iuris, quia clausula posita ad augmentum non debet operari diminutionem *leg. legata inutiliter. D. de legatis* 1. atqui clausula posita in Concilio, *Nullus etiam Regularis, &c. sine Episcopi approbatione, &c.* est sufficiens ad derogandam Clement. *Dudum*, ergo etiamsi dicatur *non obstantibus priuilegiis*, derogata intelligitur: ergo hodie non possunt Regulares vti præfato priuilegio, atque ita etiam si iniuste denegetur licentia, & approbatio, inualide absoluunt Regulares, quia Concilium posuit illis verbis formam agnoscendi idoneitatem.

Secundò probatur à Diana ex Lugo, quia Clement. *Dudum*, solum concedit priuilegium ad eos confessarios qui necessarij erant pro multitudine populi, quod diiudicare ad Episcopum pertinet: ergo quomodocumque iste deneget approbationem non possunt Regulares vti priuilegio Clementino.

Tertiò, quia etsi non derogetur per Tridentinum Clementina, tamen cum in ista detur facultas Superioribus, vt præsentent suos subditos non solum vt iudicentur idonei, sed etiam vt de-

tur

tur ab Episcopo iurisdictio, qua iniuste negata eam concedit Pontifex de plenitudine potestatis
2128. Concilium autem non agit de hoc, sed apponit conditionem quæ requiritur tanquam forma vt intelligatur iurisdictio concessa à Pontifice etiam Regularibus, videlicet approbationem ipsius Episcopi. Quare concludit Diana; *Cauent Regulares à supradicta Nauarri, & aliorum sententia; alioquin in eorum damnum, & Religionis tristes tragœdias suscitabunt.*

2129. Sed ego existimo iuxta dicta *dub.4.citato*, posse Regulares hodie post Trident. vti priuilegio illis concesso in Clement. *Dudum*, quod non esse reuocatum ibidem dixi, & probaui. Quod mihi persuadeo hoc discursu. Quia Clement. *Dudum*, & Concil. Trident. non dicunt opposita, ita quod ex vi Trident. derogata intelligatur Clementina, iuxta doctrinam Felini adductam; etenim Clement. *Dudum*, non excludit examen, imo illud concedit fieri posse ab Episcopo eo ipso quod concedit quod possit præsentatum reiicere, vt optime Soto *in 4.distinct.18.quæst.4.art.3.§. quo ergo.* Concilium etiam non requirit in illo *c.15.* examen pro forma approbationis, sicut requirit in prouisione Parochialis *cap.18.sess.24.* sed dicit quod fiat examen, si Episcopo videbitur necessarium. Quare male Sanchez *vbi supr. num.16. & 22.* dicit Concilium posuisse tanquam necessarium examen, cum potius relinquat in voluntate Episcopi. Rursus Clement. exigit præsentationem illius qui approbaturus est, hæc autem præsentatio associata examini, si Episcopo videbitur necessarium, idem prorsus est ac approbatio, quam requirit Trident. facta per examen si Episcopo etiam videbitur necessarium, vel necessario approbationem infert; atqui si præsentato Episcopus, supposito examine, deneget approbationem, potest præsentatus audire confessiones ex approbatione Pontificis, vt dicitur in Clement. ergo
2130. etiam si deneget iniuste approbationem, post Concilium idem poterunt Regulares.

Et quod præsentatio non quidem materialis, & personalis, sed formalis, vt exigit Clement. sit idem quod approbatio quam exigit Trident. vel eam necessario inferat ex eo fit manifestum, quia præsentatio ista eo tendit vt iuridice constet Episcopo de idoneitate confessoris cui committit suas oues; atqui approbatio Tridentina eundem finem habet vt constet Episcopo eadem idoneitas, vt patet ex illis verbis, *Neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem (quæ gratis detur) obtineat.* Vbi per approbationem intelligit testimonium externum Episcopi de idoneitate confessoris, cui committuntur oues; atque ita vel est idem præsentatio iuridica, vel istam illa necessario infert; aliàs præsentatio iuridica non haberet effectum à iure intentum.

2131. Secundò, probatur ex priuilegio Clement. *Dudum.* Si Episcopus iniuste determinet Regularibus iurisdictionem quoad tempus, quoad loca, & personas potest iste Regularis excipere confessiones in quolibet loco Diœcesis, & quarumcumque personarum vtriusque sexus, etiam post Concil. Trident. vt tradunt Villalobos *1.p. tract. 9.diff. 53.* quam dicit esse sententiam valde communem. Et tenent Emman. Rodriguez *tom. 1. quæst. 59. art. 8.* Henriquez *lib. 3. de pœnit. c.8.n.8.litt. H.* Sotus *in 4.dist.18.q.2.art.5.* Secus vero si iuste id faciat, quia iuxta Episcopi rationabilem approbationem cõmunicatur à Papa iurisdictio: ergo si absolute, iniuste tamen, nolet approbare ex vi eiusdem Clement. possunt audire confessiones. & vti priuilegio illis ibidem concesso. Verum est quod ex vi præfatæ Clementinæ non possunt extra illam Diœcesim confessiones audire. 2132.

Tertiò, probatur manifeste ad hominem contra Dianam *part.3. tract.2. resol. 22.* vbi asserit ex Peyrino *tom.1.de Priuileg. const.26.* Leonis X. *§.6. num.7. quod si Episcopus Regularem debite præsentatum, & examinatum indebite reprobauerit, poterit nihilominus per eius priuilegia licite. & valide confessiones audire. Neque hoc est contra Trident. sess.23. cap. 15. nam credendum est Concilium voluisse tantum idoneis ministris facultatem concedere Confessiones audiendi per examen Episcoporum recte, & rationabiliter iudicantium; non autem confouere aliquos eorum in suis passionibus, & odiis contra Regulares, & quandoque cum maximo Christi fidelium scandalo. Quare si quis Regularis cum licentia sui Prælati examinatorum, vel maioris partis eorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passionem fuerit ab Episcopo reprobatus, saluo saniori, & meliori iudicio puto quod licite, & valide posset confessiones audire si nihil obstet V. G. quod sit malæ famæ, nec scandalosè viuat, quod tamen præsumendum non est quando ad est legitimi Superioris licentia.* Hactenus Sapientissimus Peyrinis in re morali acerrimi iudicij vir. *Quam sententiam quoad Regulares omnino tenendam esse puto*, ait Diana, qui pro ea citat Zanardum, & Suarez *disput. 28. de pœnit. sect. 8. num. 7.* qui loquuntur de reuocatione licentiæ datæ asserentes sine causa nullam esse, cum sit reuocatio sententiæ, & sic arguit & bene Diana, Episcopus potest iterum examinare Regulares quos antecessor approbauit: ergo si sine causa eos reprobet possunt nihilominus audire confessiones. Probatur consequentia, quia si iniuste denegat licentiam potest Regularis audire confessiones. Addit tamen Diana, *verum in facti contingentia consulo Regularibus vt ab excipiendis confessionibus abstineant.* Sed hoc pertinet ad prudentialem gubernationem, non ad districtionem sententiæ quam omnino tenendam esse putat, in quam non debuit ita acriter insurgere *part.8. loc.citat.*

Quare nostram sententiam præter citatos *dub.* 2133.
4. tenent Ludouicus de San. Ioan. *quæst.9. de Sacram. pœnit. art. 2.* pro eodem accipiens approbationem Tridentin. & præsentationem formalem Clementinæ. Ioannes à Cruce *lib.2. de statu Relig. cap. 6. dub.2. conc.2. & dub.3. conc.1.* iterum Rodriguez *in expos. Bullæ §. 9. num. 32. & 33.* dicens sic fuisse publice Parisiis in Sorbona defensatum. Et Henriquez *vbi suprà. num.4. littera L.* dicit quod est communis apud D D. Salmantinos, & Complutenses, nam petita iuxta formam Clement. & non concessa iniuste, censetur concessa à Papa approbatio, *arg. ex cap. licet* de Regularibus Hieron. Rodrig. *resolut. 32. num. 4. & 5.* Portel *verb. confessor. Regularis num. 2. & 3.* Cardinalis ad præfatam Clement. *§. Deinde num.5.* Miranda *tom.1. Manual. q.45. art. 10.*

Ex quo fit quod Prælatus Regularis si vult vti 2134.
priuilegio dictæ Clement. id debet exprimere in dimissoriis quas dat subdito dum illud exponit: si autem

autem illud non exprimat censetur renuntiare priuilegio. Quare si Episcopus etiam iniuste deneget approbationem non potest Regularis valide absoluere. Sicut nec potest Sæcularis quamuis existimem non posse Regulares renuntiare Clementinæ *Dudum*, qua data est ob fauorem communem factum Regularibus iuxta dicta à Doctoribus ad *cap. si diligenti* de foro competenti. Quare eo ipso quod Episcopus iniuste Regularibus deneget approbationem si legitime est præsentatus potest audire confessiones, vt tenet Hieron. Rodrig. *Resol.* 31. *n.* 8.

2135. Ad primum, oppositæ sententiæ Respondetur quod Clement. *Dudum*, & Trident. nullo modo opponuntur, sed idem continent: solum Tridentinum explicuit magis id quod concedit Clementina, & sic illa doctrina Felini non est ad rem.

Ad secundum Respondetur quod etiam pertinet ad Regulares iudicare an sint necessarij Confessarij pro populi concurrentia, & occurrentia. Quod si non conueniant Superior, & Episcopus, alius Iudex determinabit vt Archiepiscopus, Nuntius, aut Pontifex, vt notat Ludouicus de S. Ioan *vbi suprà*.

Ad tertium, respondetur quod Concilium posuit illam conditionem ad eum modum quo *cap. licet de Regular.* posuit pro conditione, vt regularis possit transire ad aliam Religionem
2136. quod petat licentiam à suo Prælato qui examinet motiuum quod habet transitus faciendi. Quod si rationabile sit, & non concedat licentiam potest inuito irrationabiliter Superiore transitum facere. Ita si Episcopus irrationabiliter non approbet Regularem intelligitur approbatus, & Trident. loquitur de approbatione rationabili Episcopi, quia si irrationabiliter non approbat intellgitur approbatus, quia est secundum ius præsentatus.

Dixi quid possint regulares ex iure etiam Tridentini. An vero id expediat secundum regulas prudentiæ, Ego quidem iudico quod si Domini Episcopi non repugnent prudenter agent Superiores Regulares si vtantur priuilegio dictæ Clementinæ eo modo quo explicant Ludouicus de
2137. S. Ioan, & Miranda. Si vero Episcopi repugnent, prudentia erit abstinere, ne inter Pastores, & oues dissensiones, & scandala suscitentur. Ad quæ vitada sufferenda sunt quæcumque incommoda, vel recurrere ad Metropolitanum, Nuntium Apostolicum, & si opus fuerit ad Summum Pontificem, qui tanquam Angelus pacis vitet scandala, & dissensiones sedet.

DVBIVM III.

Vtrum Episcopus possit Regulares iam approbatos per examen iterum examinare, & si aptos non inuenerit reprobare?

SVMMARIVM.

2138 *Supponuntur quædam ad intelligentiam difficultatis.*

2140 *Adducitur Declaratio Sacræ Congregationis circa propositum. Item quædam Declarationes Pontificiæ ibidem & n. seqq.*

2142 *Affertur item alia Declaratio, ab Vrbano VIII. approbata.*

2143 *Ex præfatis Declarationibus tam Pontificiis quam Sacræ Congregationis plura scitu digna ad praxim deducuntur, & num. seqq.*

2150 *Nunquid si Episcopus Regulares in secundo examine idoneos inueniat, & nihilominus iniustè eos reprobet poterunt Regulares audire Confessiones?*

SVppono quod vel loquimur de Episcopo qui 2138.
per examen approbauit, aut de successore. Si loquamur de Episcopo approbante, existimo quod nullo modo possit Episcopus omnes iterum examinare, Ita expresse Sacra Congregatio Concilij declarauit quam referunt Farinacius, Barbosa, & Bellarminus, *sess.* 23. *cap.* 15. Emman. Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 56. *artic.* 4. Quaranta *verb. Confessor* Confectius *in Compend. tit.* 17. *cap.* 1. *Congregatio censuit Regulares ad audiendas in ciuitate vel Diœcesi confessiones sæcularium semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos: Cæterum à successore posse iterum examinari iuxta constitutionem Sanctæ memoriæ Pij V. data Octauo idus August. Pontificatus sui anno 6. quæ à felicis recordationis Gregorij XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos iuris communis.*

Nec est audiendus Ioannes Sanchez *select.* 48. 2139.
num. 1. asserens non esse agendum in hoc puncto grauissimo ex declarationibus Cardinalium, cum circa illud inueniantur oppositæ. Cum idem, Barbosa *ibid.* Zerola *in prax. verb. Confessor. vers.* 2. referant aliam huius tenoris: *Fratres Mendicantes semel examinati, & idonei reperti pro confessionibus audiendis non debent iterum ab eodem Ordinario, nec etiam per successorem examinari.* Non, inquam, in hoc audiendus est Ioannes Sanchez cum enim Sacra Concilij Congregatio instituta sit ad declaranda dubia orta circa Sacri Concilij Decreta, inter quæ vnum ex principalioribus sit Decretum *cap.* 15. citati, si circa illius intelligentiam agendum non est Declarationibus authenticis Cardinalium in re grauissima, & quæ ingentes peperit difficultates inter Episcopos, & Regulares non procederemus authoritate iuridica.

Deinde quia declaratio prior maximum habet 2140.
authoritatis pondus, tum ex seipsa, tum ex Bulla Pij V. quam non esse reuocatam declarat, in illa enim tota declaratio continetur quoad vtrãque partem. Id autem quod respondet Sanchez *num.* 18. *ver. sed notato*, prorsus chimæricum est, & sine fundamento. Quod ex eo manifeste constat, quia Vrbanus VIII. *in Breui edito anno.* 1629. *die* 30. *Ianuarij*, quod incipit *Alias à Nobis* approbat Bullam Pij V. ad quam se refert. Quare secunda declaratio Cardinalium quæ data fuit iuxta priorem Bullam Pij V. *editam anno.* 1568. in qua determinauit Regulares non posse examinari iterum semel examinati etiam à successore, quam reuocauit Bulla edita Octauo idus Augusti, Pontificatus sui *anno* 6. id est *anno* 1571. quam non reuocauit Gregorius XIII. & tempore Pauli V. die 20. Nouemb. *anno* 1615. sic declarauit Sacra Congregatio: *Statuunt, & decernunt (Eminentissimi Cardinales) Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis ad quos Confessarios*

fessarios approbandi ius spectat Confessarios Regulares aliàs ab ipsis libere approbatos ab audiendis Confessionibus ius pendere posthac minime licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones pertinente, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorum Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius conuentus Regularibus eadem Sacra Congregatione inconsulta nullo pacto adimere posse. Quod quidem Decretum iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt ita inuiolabiliter iubent obseruari. Ita ibi.

2141. Et ne sistamus solum in Declarationibus Eminentissimorum Cardinalium, accipe Declarationem Pontificiam Vrbani VIII. tum in Breui ad Eminentiss. Cardinem Sandoual, tunc Episcopum Giennensem, & nunc Archiepiscopum Toletanum, tum in alio missò ad Illustrissimum Episcopum Cordubensem eodem anno, & die quod reuidit Eminentiss. Cardinalis de Monte tunc in Hispania Nuntius declarans esse illæsum non cancellatum & fideliter translatum à suo Originali, quod etiam Breue iudicium subiit in Consilio supremo Castellæ cum Promotore Fiscali vt notat Torreblanca *vbi sup. cap. 3. num. 22.* in his enim sic habetur: *Illi autem quos ipsemet Episcopus ad confessiones huiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione nullatenus possint ab eodem reprobari sine noua causa, eademque confessiones ipsas concernente. Cæterum an eadem causa subsit nec ne Episcopum non teneri ipsis Regularibus edicere sed Sedi Apostolicæ dumtaxat vbi eam sibi aperire postulauerit* &c.

2142. Quare idem Vrbanus VIII. die 30. Augusti anno 1630. approbauit declarationem sequentem, quam in forma authentica refert Barbosa *vbi sup de iure Eccl. vniuers. n. 209.* factam ad petitionem Episcopi Oriolan. *Episcopum, quamuis simpliciter, & absque vlla temporis præfinitione approbauerit Regulares ad confessiones personarum sæcularium audiendas, posse tamen eosdem si noua causa superueniat, vbi supra, suspendere sic licentias illis concessas reuocare, dummodo huiusmodi causa confessiones ipsas concernat. Cæterum si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste viuant, vel aliquod delictum committant propter quod rationabili Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendi: in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratam, cum præcipua ministri qualitas sit integritas vitæ, ac morum honestas vtique eam causam ad ministrum confessionis pertinere, ac proinde nihil obstare quominus ob eam possit Episcopus Regulares vtcumque à semetipso approbatos suspendere, & reprobare à confessionibus audiendis. Datum Romæ die 30. Augusti ann. 1630. quam Sacræ Congregationis sententiam S. D. N. ad se relatam approbauit die 31. eiusdem Tr. A. Card. S. Onophrij P. Pagnanus Secretarius.*

2143. Ex quibus declarationibus tam Pontificiis quam Sacræ Congregationis plura scitu digna ad praxim deducuntur. Primò. Quod hodie non possunt D. Episcopi suspendere à confessionibus, inconsulta Congregatione, omnes Regulares Confessores alicuius Conuentus, etiam si sint duo tantum, & multo minus omnes Regulares suæ Diœcesis. Sic Sacra Congregatio vbi sup. tempore Pauli V. imò quamuis posset eos vocare ad examen (quod existimo falsum) non tamen potest omnes suspendere, quia hoc esset cum magna iniuria famæ, & honoris Regularis. Neque huic declarationi opponuntur subsequentes adductæ quæ loquuntur, vt constat, ex earum verbis, de aliquo particulari; non enim præsumendum est quod omnes Confessores alicuius Conuentus habeant causam ad confessiones pertinentem propter quam suspendantur, & si fuerit vult Sacra Congregatio certior fieri, & cognoscere an sit passio, & odium Episcopi.

Secundum quod Episcopus non potest vocare 2144.
ad examen Regularem illum quem ipse examinauit, nisi sit causa ad confessiones pertinens. Hoc est mihi certum contra Ioannem Sancium. *n. 24. & disp. 50. n. 11.* eadem enim causa requiritur in Regularibus ad examinandum semel approbatos ac ad reuocandum approbationem. Ratio est perspicua. Quia Regulares sunt omnino exempti ab Episcoporum iurisdictione, nisi in illis rebus in quibus à Pontificibus subiiciuntur; at semel examinati, sine causa ad confessiones pertinente, non possunt iterum examinari, vt declarauit Sacra Congregatio, quam referunt Rodriguez, & ipse Sanchez, & retulimus initio dubij. Rursus sequentes Declarationes agunt de reprobatione quam sine causa præfata excludunt, ac per consequens omnino excludunt examen ab eodem Episcopo faciendum: examen enim ordinatur ad cognoscendam idoneitatem in scientia, in qua semel iuridice approbatus ab eodem Episcopo non
potest in examen adduci sine causa præfata. Nec 2145.
enim ad Episcopum qui semel examinauit pertinet experiri an Regularis sufficiens permaneat in ea scientia quam agnouit in primo examine; hoc enim est curæ Superioribus suis qui de hoc reddituri sunt rationem. Quare Vrbanus VIII. in præfatis Breuibus solum concedit Episcopo successori vt pro securitate suæ conscientiæ possit Regulares iterum examinare. Illi vero qui examen fecit solum dicit quod potest illos reprobare ex causa ad confessiones pertinente. Quare sententia Ioannis Sanchez quoad Regulares hodie practicari non potest. De Secularibus vero dicam dubio 5.

Tertium. Quod hodie sententia Ioannis San- 2146.
chez *vbi supr. n. 23.* non est probabilis practicè asserentis etiam non interueniente causa posse Episcopum Regularibus reuocare licentias à se concessas ad audiendas confessiones. Quia, inquit, illas concedere est quid merè gratuitum semper dependens à voluntate concedentis quoad conseruationem, nec alio modo tradi ab Ordinariis est credendum, etsi tali onere, & cum tacita conditione accipiunt præfatas licentias. Citat Suarez *disp. 28. de Pœnit. sect. 7. in fine.* Vasquez *q. 93. art. 3. dub. 5.* Reginaldum *lib. 1. cap. 16. num. 200.* qui cum Suario *n. 3.* notat approbationem ex sui natura non esse immutabilem, cum habeat fundamentum variabile scientiam, & bonos mores quæ mutari possunt, aut quia prima approbatio errore potuit comparari. Hurtado Complutens. *de Pœnit. disp. 10. diff. 19.* Ochagauia *tract. 2. de Confess. q. 4. n. 7.* Sed manifestè fallitur hic Author, tum quia Doctores quos adducit expressè loquuntur de Sacerdotibus sæcularibus vt videre est in Vasquez dicenti, *requiri rationabilissimam causam & quod ad nutum non potest id facere Episcopus sicut in aliis sæcularibus.* Et eodem modo loquitur Reginaldus *n. 201.* ex Suarez. Et quidem ita determinauit Pius V. *in Bulla Vniuersali*, quam approbauit Vrbanus VIII. *in Breuibus citatis*,

citatis, & secuta est Congregatio in tot Declarationibus adductis. Quare indubitatum debet esse quod quoad hanc partem non est reuocata Bulla præfata Pij V. Ex quo fit quod quando Sacra Congregatio *die* 19. *Martij* 1619. dixit quod Ordinarij possunt quandocumque reuocare licentias concessas Regularibus ad beneplacitum intelligendum est quando subest rationabilis causa ad confessiones pertinens, vt explicauit Vrbanus VIII. & Declarationes Cardinalium suo tempore editæ.

2147. Quartum, quod hodie non est multum curandum an approbatio Regularium sit perpetua, est enim de iure communi, Clement. *Dudum*, & Extrauag. *Super Cathedram de Sepulturis.* & Extrauag *inter cunctas. de Priuilegiis*, quam, vt supra dixi, non reuocauit Clemens V. ita tenent omnes fere Antiqui, & plures ex Modernis, quos citant Trullench. *de Bulla Cruciatæ vbi supr. cap.* 1. *dub.* 4. tamen ex iure nouo Pij V. & Vrbani VIII. ab Episcopo approbante, si noua superueniat causa, & successores pro securitate suæ conscientiæ possunt Regulares iterum examinare, & si non fuerint idonei reperti reprobare, & sic licet ex iure sit eorum licentia perpetua, non secus ac licentia Parochorum, vtrisque enim datur iurisdictio à iure communi, & quantum ad hoc æquiparantur in Clement. *Dudum*, tamen, vt dixi ex Bulla Pontificia Pij Quinti, & Breui Vrbani VIII. possunt reprobari si idonei non fuerint reperti.

2148. Si tamen sermo sit de Episcopo succedente ad approbationem existimo hodie posse iterum examinare Regulares, quos antecessor approbauit sine alia causa, nisi pro securitate suæ conscientiæ Ita expresse Pius V. quem imitatus est Vrbanus Octauus, & vterque ita loquitur in Constitutionibus citatis. *A prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas à præsenti Episcopo successore pro maiori conscientiæ suæ quiete possint iterum examinari, ac si minus idonei reperti fuerint reprobari ad præscriptum Constitutionis Sanctæ memoriæ Pij Papæ Quinti hac de re editæ.* Ita ibi in Breui ad Episcopum Giennen. & in alio ad Episcopum Corduben. *ex constit. Pij Quinti*, quam, vt dixi, quantum ad hoc declarat Vrbanus non esse derogatam à Gregorio XIII. sicut antea declarauerat Congregatio tempore Pauli Quinti supra adducta. Quare licet ex Breuibus datis ad petitionem Cardinalis de Sandoual, & Episcopi Cordubensis non esset lex lata vniuersalis pro tota Ecclesia, sed solum pro Episcopatu Giennensi, & Cordubensi in quibus Pontifex derogauit iuri Regularium illarum Diœcesum solum quod habebant ex vi Clement. *Dudum*, ad hoc quod vna 2149. examinatio, & approbatio sufficeret vt intelligeretur habere semper iurisdictionem immobilem sicut habent Parochi, tamen constitutio Pij V. vniuersalis est pro tota Ecclesia. Quare ex vi illius possunt Episcopi successores iterum subiicere examini Regulares approbatos, & eos reprobare si idonei non sint reperti. Quare de iure potuit Episcopus *de la Puebla de los Angeles* exposcere à Regularibus licentias quas habebant ad audiendas confessiones. Sed an id expediens fuerit alij prudentiores iudicent, non potest tamen inconsulta Congregatione omnes quotquot sunt alicuius communitatis confessores reprobare.

2150. Sed nunquid si Episcopus Regulares in secundo examine inueniat idoneos, & nihilominus iniuste eos reprobet poterunt Regulares audire Confessiones? Respondetur posse vtique iuste, & valide. Constat ex Breuibus, & Bulla citata vbi Pontifices solum hoc concedunt Episcopis successoribus pro securitate suæ conscientiæ: ergo si idonei sunt reperti, & nihilominus reprobantur non est successor secura conscientia, nec illos reprobare potest, & auferre iurisdictionem quam possidebant à Summis Pontificibus concessam immediate. Atque ita isti Regulares sic reprobati possunt secure (secluso scandalo) confessiones audire. Colligetur autem iniuste denegari approbatio si examinatorum maior pars approbauit, & iudicauit idoneum. Quod si dubium sit an maior pars hoc iudicauerit attendendum est ad iudicium Episcopi cui in hac parte se remittunt Pontifices.

Dvbivm. IV.

Vtrum Regulares indigeant approbatione sui Prælati ad valide audiendas sæcularium confessiones.

SVMMARIVM.

2151 *An ad approbationem Ordinarij sit necessaria licentia Superioris, vt ille validè approbet, & Regularis dicatur iuridicè approbatus ab Ordinario, vt possit audire has confessiones, & eligi virtute Bullæ?*

QVod est inquirere. An ad approbationem Ordinarij sit necessaria licentia Superioris vt ille valide approbet & Regularis dicatur iuridice approbatus ab Ordinario, vt possit audire has confessiones, & eligi virtute Bullæ. In qua difficultate satis practicabili, & quæ quotidie contingere potest, negat Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 13. imo etiam si Regularis absoluat approbante Episcopo repugnante Prælato dicit Diana quod in Religionibus in quibus constitutiones non obligant ad culpam, sed ad pœnam nec venialiter peccabit, non tamen poterit absoluere à reseruatis virtute priuilegiorum, nec gaudebit priuilegiis concessis confessoribus Regularibus. Ita Ledesma *tom.* 1. *cap.* 13. *de Pœnit. dub.* 12. Acosta *in exposit. Bullæ. quæst.* 41. Villalobos *tom.* 1. *summ tract.* 9. *diff.* 50. *num.* 4. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst* 44. *art.* 11. & 12. Fundamentum est quia Sacerdos Regularis habet potestatem ad absoluendum, & solum illi deficiunt qui absoluantur circa quorum peccata exerceatur illa potestas, quos illi subiicit Episcopus, quamuis renuat Prælatus Regularis: ergo valide absoluet, quia habet iurisdictionem passiuam ab Episcopo qui eam illi potest communicare, etiam renuente Prælato. 2151.

Secunda sententia affirmat si hæc prohibitio Prælatorum Regularium sit iuridica, vel vtantur Bulla Iulij III. quæ lecta, & acceptata fuit in Capitulo Generali P P. Prædicatorum celebrato Salmanticæ *anno* 1551. sub Magistro Generali Fr. Francisco Romeo qua possunt vti cæteri Regulares, in qua annullantur omnes licentiæ obtentæ, & obtinendæ ab Ordinariis per Religiosos ad 2152.

confes

ſine licentia ſuorum Prælatorum. Ita Eman. Rodrig. *tom. 1. quæſt. 60. art. 3.* Hieron. Rodrig. *reſol. 32. num. 11. & 12.* & quidem ſi Regularis iam approbatus ſit, & ille intimetur iuridicè à ſuo Superiore quod non audiat confeſſiones, etſi audiat ſciat eſſe irritas, & nullas, ſi, inquam, hoc illi intimetur cauſa cognita, vel propter inſcientiam, vel propter prauos mores non poſſit validè abſoluere tenent plures ex authoribus quos adducit Diana, Villalobos *ibi num. 6.* Ioannes de la Cruz *de ſtat. Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 2. conc. 2.* vbi refert aliud priuilegium Iulij III. conceſſum Prædicatoribus *die 17. Ianuar. 1555.* ad inſtantiam Magiſtri Generalis Stephani Vſuſmaris, vbi id expreſsè habetur. Idem docent antiqui, Sylueſt. *verb. Confeſſor 2. §. 2.* Ledeſma *2. p. 2. q. 80. art. 1. dub. 3.* Alexandr. *in ſumm. lib. 1. tit. 3. cap. 9. & 10.* Angelus *verb. Confeſſor 3. §. 4.* Tabiena *verbo abſolutio 1. num. 40.* Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 6. littera T. & V.* Medina *in ſumm. tract. 2. de confeſſione verſ. ſi quæris.* Ludouic. Lopez *tom 2. cap. 8. de Bulla.* Fagundez *in 2. præcept. Eccleſiæ cap. 1. num. 32.* Vega *lib. 1. caſuum conſ. caſu 58.*

2153. Ergo multo magis ſi per ſententiam iuridicam aut per legem latam in Capitulo Generali, in qua decernatur quod nullus approbetur ab Epiſcopo ſine præuio examine, & licentia Superioris, & quod aliàs confeſſiones erunt nullæ; talis enim lex reddit Religioſum incapacem iuriſdictionis ab Epiſcopo concedendæ; cum enim Religioſi non habeant proprium velle, aut nolle, *cap. ſi Religioſi de elect. in 6.* nullius iuriſdictionis capaces ſunt repugnantibus iuridicè Prælatis, & declarantibus eos incapaces; niſi Papa ipſos approbet, quia intelligitur diſpenſare in quacumque lege humana, etiam ſi de illa non faciat expreſſam mentionem legatur Tabiena *vbi ſuprà verſ. ſi tamen.*

2154. Probatur primò, quia vt ſupra vidimus, Regulares non accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopo, ſicut Clerici ſæculares, ſed à Papa immediatè dependenter à Religione cui tale priuilegium in ipſius bonum conceſſit: ergo ſi Religio non approbat, imo potius reprobat aliquem Religioſum ad audiendas confeſſiones ſæcularium, nullam acquirit iuriſdictionem, nec approbatus eſt iuridicè ab Epiſcopo: ergo non ſolum non poteſt excipere confeſſiones valide, ſed neque virtute Bullæ poteſt eligi, quia debet eſſe ab Ordinario approbatus. Quod quidem manifeſtum fiet hoc exemplo. Si Tribunal Inquiſitionis aliquem Sacerdotem ſententia iuridica faciat inhabilem ad excipiendas confeſſiones, etiam ſi approbatus fuerit, aufertur ab illo approbatio idoneitatis, & declaratur non idoneus. Si vero non fuerit approbatus ipſum non poteſt Epiſcopus approbare, ad audiendas confeſſiones, quia ſententia iuridica declaratus eſt non idoneus, contra quã non poteſt Epiſcopus declarare approbando quem Sacrum Tribunal reprobauit. Ergo ſi Superior Religionis, etiam ſi ſit Præpoſitus localis iuridicè declaret aliquem Regularem eſſe inhabilem ad audiendas confeſſiones, quantumuis velit Epiſcopus, non poteſt illum vt idoneum approbare, ſiquidem Regularis quantum ad hoc omnino exẽptus eſt à iuſdictione Epiſcopi, cui nullo modo ſubiicitur, & contra ſententiam iuridicam proprij iudicis nihil poteſt qui non eſt iudex; imò etiam ſi Epiſcopus inuincibiliter ignoret talem Regularem eſſe declaratum non idoneum adhuc non communicatur illi iuriſdictio ad abſoluendum, niſi de hoc ſit communis error, iuxta dicta in ſuperioribus *ex l. Barbarius D. de offic. prætor.*

Secundò: quia Epiſcopus ex iuſta cauſa poteſt Regularem reprobare, itaut non poſſit validè abſoluere, vt definiunt Summi Pontifices Pius V. & Vrbanus VIII. ergo etiam id poterit Superior Regularis cum illi ſit ille ſubditus, cuius Superior agnoſcit mores, & ſcientiam multo melius quam Epiſcopus: ergo ſi cognoſcat deliquiſſe, vel habere cauſam in ordine ad confeſſiones, poterit maiori titulo ipſum declarare non idoneum contra approbationem Epiſcopi declarantis ipſum idoneum, cum præcipua miniſtri qualitas ſit integritas vitæ, & morum honeſtas, vt dixit Congregatio Concilij ſupra adducta. 2155.

Quæ motiua adeo vrgent vt exiſtimem ſententiam iſtam eſſe omnino ſequendam. Dixi tamen debere eſſe prohibitionem iuridicam per ſententiam latam; nam ſi ſit ſimplex prohibitio, exiſtimo, etſi male faciat Regularis confeſſiones excipiens, tamen validè eligetur, & validè abſoluet vt tenent plures ex citatis Hieron. & Eman. Ioannes à Cruce qui ſic loquitur: *Si per prohibitionem extraiudicialem interdicatur Religioſus à ſuo ſuperiore ne audiat confeſſiones peccabit illas audiendo ſecundum Sotum in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3.* Henriquez, Ludouicum Lopez *contra Canum in relectio de pœnit. p. 5. Sed in Religionibus bene, & ſuauiter omnia diſponentibus non poteſt quis priuari officio Prædicatoris, vel Confeſſoris niſi per ſententiam latam in conuictum, cum priuatio iſta inter pœnas grauiores computetur: ergo per ſimplicem Prælati prohibitionem non manet Religioſus dictis officiis priuatus.* Hæc ille. Quibus ego addo quod nec ab habilitate vt declaretur ab Epiſcopo idoneus ad illas confeſſiones excipiendas, quamuis Prælatus ſub præcepto formali præcipiat quod non admittat licentiam ab Epiſcopo ſine eius facultate. 2156. 2157.

Fundamentum Dianæ ruit ex dictis, quia ſuppoſita declaracione, & prohibitione iuridica à Superiore facta non poteſt Epiſcopus declarare idoneum Regularem, nec illi conferre iuriſdictionem paſſiuam circa ſuas oues quia eſt inhabilis: ſecus vero ſi ſit prohibitio ſimplex, & extraiudicialis, in quo ſenſu loquuntur Authores quos adducit, quam diſtinctionem non aduertit Diana.

DVBIVM. V.

Vtrùm Parochi poſſint iterum examinari ab Epiſcopo?

SVMMARIVM.

2158 *Parochi an poſſint iterum examinari ab Epiſcopo?*
Quid circa propoſitum dixerint Diana, & Ioannes Sanchez, ibid. & n. ſeqq.

2164 *Epiſcopi non poſſunt vocare omnes Parochos ſuæ Diœceſis ad examen de ſcientia, & litteratura, ſed ſolum illos de quibus præceſſit infantia probata in viſitatione, aut notorietas de eorum inſufficientia.*

GRaue ſane dubium, & apud nullum diſcuſſum vidi ita ad longum quam apud Dianam, & Ioannem Sanchez *ſelect. 50.* 2158.

*qui n.*1. dicit quod aliud eſt reſpectu Parochorum an poſſint examinari ab Epiſcopo, aliudan poſſit non idoneos inuentos reprobare. Hoc ſecundum manifeſtum eſt non poſſe Epiſcopum Parochorum approbationem reuocare, vt tenent Vaſquez *vbi ſup. dub.*5. *num.* 1. Henriquez *lib.*3. *de pœnitent. cap.* 6. §.6. Ochagauia *quæſt.* 40. *citata num.* 7. & eſt certiſſimum, quia Parochi habent iuriſdictionem Ordinariam à iure, & Pontificibus Summis à quibus ſolum, qui ſunt ſupra omne ius, poſſunt *illa priuari*, & non ab Epiſcopo qui non poteſt diſpenſare *in* lege Superioris. Imò an Pontifex poſſit Parochos idoneos iuriſdictione ordinaria, quam habent, priuare non eſt ita clarum, cum habeant ius iuſtitiæ ad illam, & Pontifex non ſit Dominus abſolutus, ſed diſpenſator Beneficiorum in ædificationem, non in deſtructionem, ſicut non poteſt priuare Epiſcopos idoneos à ſua inoues iuriſdictione ſine cauſa. Sed de hoc alias.

2159. Dicit ſecundò, *num.*3. quod Epiſcopus poteſt vnum vel alterum, aut quemcumque Parochum examinare quando defectus ſcientiæ adeò notus eſt, quod vel nullatenus poteſt celari, vel errores ob ignorantiam oſtenderent, tunc enim fama publica munus gerit accuſatoris in Parochum, & Epiſcopus iuridicè poteſt ipſum examinare an videat ſi ita ſit vt rumor publicus clamitat, etſi rumor veritati conformetur poteſt Epiſcopus illi Coadiutorem, & Vicarium aſſignare, vt expreſsè determinat Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 6. *de reform.* vbi id dicit executioni mandandum eſſe omni appellatione ſemota quoad effectum ſuſpenſiuum, non tamen quoad deuolutiuum, quia iſte Parochus poteſt appellare, & deuoluere cauſam ad Metropolitanum. Si tamen Epiſcopus, Parochis illiteratis inuentis, coadiutorem non ponat, peccat mortaliter contra ius naturale quo obligatur ad paſcendos agnos ſuos pabulo doctrinæ, & ad id habere idoneos Miniſtros, & per conſequens
2160. inſufficientes, & idoneos repellere. Quod ſi Epiſcopus priuet Parochum iuriſdictione ad audiendas confeſſiones, ſi eas excipiat inualidæ erunt, quia ſententia iuridica declaratus eſt ineptus, & non idoneus, *vt ſupra dicebam de Regularib.* quia ius commune, & Pontifices tribuunt ius Parochis ad audiendas confeſſiones, niſi ſententia iuridica Epiſcopi declaretur ineptus. Quare ſi ſententia iuridica iniuſta ſit poterit nihilominus Parochus audire confeſſiones: quod ſecus de confeſſoribus ſæcularibus quibus etſi iniuſtè denegetur licentia audiendi confeſſiones non poſſunt validè illas excipere.

2161. Dicit tertiò, *num.*11. & 12. poſſe Epiſcopum quotannis, vel quolibet biennio vocare Parochos vniuerſos ad examen vt ei per experientiam innoteſcat an illorum ſcientia ſit extenuata, & boni mores mutati. Pro qua ſententia nullum adducit Doctorem. Probatur tamen, Primò, quia Sacerdotes ſæculares confeſſarij poſſunt ſic vocari ad examen, Regulares etiam poſſunt à ſucceſſore pro conſcientiæ ſuæ quiete iterum examinari: ergo ab hoc onere non eximuntur Parochi.

Secundò, quia Trident. *ſeſſ.*21. *cap.*8. *de reformat.* ius tribuit Epiſcopis vt quotannis Parochorum vitam, & mores inquirant, & proſpiciant an bonum animarum rectè exerceatur, quod proſpicere nequit niſi de ſcientia examinentur; non enim cura animarum conſiſtit in Sacramentorum adminiſtratione, ſed in recta & proficua, quæ ſine ſufficienti ſcientia & doctrina præſtari nequit, atqui ita eo ipſo quod Concilium dixit Epiſcopum poſſe inquirere an rectè animarum cura exerceatur facultatem tribuit Epiſcopo vt poſſit Parochos examinare; imò ad id adſtringi Epiſcopos aliqui cenſent. Quare multi Epiſcopi in Hiſpa- 2162.
nia ita fecerunt, D. Andreas Pacheco Epiſcopus Segouienſis, D. Ioannes Manuel Epiſcopus Siguntinus, & D. Caſtillo Epiſcopus Calagurita-nus. Sententiam Sanchez ſequuntur Trullench in expoſitione Bullæ Cruciatæ *lib.*1.§.7.*c.*1.*dub.*1. *num.*3. Barboſa *de poteſt. Paroch. cap.*2. *num.*10. Diana *p.*4. *tract.*4. *reſolut.*59. dicens ita fuiſſe determinatum à Sacra Congregatione Cardinalium in vna Placentina *ſub die* 6. *Auguſt.*1628. in qua deciſum fuit *liberum eſſe Epiſcopis tam in viſitatione quam extra, iterum examinare ſuper doctrina, & litteratura Parochos approbatos ab anteceſſore tempore proniſionis Parochialium, necnon ſuperueniente rationabili cauſa, & ſuſpicione ignorantiæ poſſe examinare ad effectum cap.*6. *ſeſſ.*21. Hæc ibi. Quam declarationem refert Barboſa *in Collectan. Bullarij, verb. Parochus n.*3. & Sellius *in ſelectis cap.*59. *num.*21.

Vt tamen veram ſententiam aperiam, ſuppono Parochos vel habentes curam animarum in duplici eſſe differentia, quia alij ſunt amobiles ad nutum, & beneplacitum Epiſcopi vt ſunt fere omnes in hoc Archiepiſcopatu Hiſpalenſi, & iſti procul dubio poſſunt vocari ad examen toties quoties voluerit Epiſcopus; habent enim poteſtatem ſolum delegatam, & propriè non ſunt Parochi, ſed Vicarij amobiles Epiſcopi qui eſt pro- 2163.
prius, & vnicus habens iuriſdictionem Ordinariam. Et de his Parochis forſan loquitur Congregatio hi tamen Parochi amoueri non poſſunt ſine rationabili cauſa, vt expreſſit Sacra Congregatio *die* 11. *Iulij* 1628. teſte Sellio *vbi ſuprà num.*24. alij ſunt Parochi habentes iuriſdictionem ordinariam perpetuam quam illis auferre non poſſunt Epiſcopi, vt ſupra dicebam; imo nec limitare reſpectu ſuarum ouium cum eam habeant illimitatam à iure, & à Summo Paſtore totius Eccleſiæ. Et de his procedit dubium.

Dico igitur non poſſe Dominos Epiſcopos vo- 2164.
care omnes Parochos ſuæ Diœceſis ad examen de ſcientia, & litteratura, ſed ſolum illos de quibus præceſſit infamia probata in viſitatione, aut notorietas de eorum inſufficientia. Ita tenent Ioannes de S. Ioan. *in ſumm. q.*7. *de pœnit. art.*2. *dif-fic.*3. Homobonus *de Bonis in exam. p.*3. *tract.*15. *cap.*9 *q.*31. *reſol.*1. indicat ſatis Reginaldus *lib.*1. *cap.*16. *num.*201. *verſ. accedit.* vbi optimam tradit rationem. Ludouicus de la Cruz *in expoſit. Bullæ diſput.*1. *c.*2. *dub.*12. *n.*6. *verſ. verumtamen.*

Probatur primò, quia Parochus eo ipſo quod habeat Beneficium Parochiale ſine nouo alio examine eſt ipſo iure idoneus, habetque publicum teſtimonium, & approbationem ſuæ idoneitatis ad audiendas confeſſiones ſuarum ouium, vt determinat Tridentin. *ſeſſ.*23. *cap.*15. ergo ex vi Beneficij Parochialis habet ius vt ſine alio examine iudicetur idoneus: ergo niſi præ-
cedat infamia, aut rumor, aut rationabilis ſuſpi- 2165.
cio quod ab idoneitate defecerit non poteſt vocari ad examen vt conſtet de ſua idoneitate. Conſequētia eſt euidens, quia eſſet contra ius Benef. Parochialis quod ſecum adducit teſtimoniū idoneitatis. Sicut Doct. in Medicina qui ex vi ſui gradus habet à iure poſſe publicè curare, nō poteſt vocari

ad

examen vt curet, nisi contra illum præcedat infamia: nec enim posse aliqua Ciuitas statutum facere quod omnes Medici qui in illa artem medicã exercent iterum examinentur, quia de omnibus non præcedit infamia quod non curent secundum regulas artis. Ita nec Episcopus potest, non præcedente infamia, facere quod omnes Medici animarum, quales sunt Parochi, examinentur ad cognoscendum eorum idoneitatem quam habent ex vi sui Beneficij declaratam ad curandum corpora.

2166. Secundò quia Trid. *sess.21 cap.6.* solum tribuit ius Episcopis quod si agnouerint Parochum siue in visitatione, siue extra vt addit Congregatio, esse ignorantem, & illiteratum possit ponere illi coadiutorem, cui detur pars fructuum pro sufficiẽti victu; atqui hoc est contra ius ipsius Parochi quod habet ad percipiendos omnes fructus sui Beneficij: ergo nisi præcedat infamia, aut rationabilis suspicio iuridicè probata nequit Episcopus ex vi huius Decreti adducere ad examen Parochũ, quod est quædam visitatio particularis ipsius Parochi. Consequentia patet, quia vt ex iure constat, visitatio, & inquisitio particularis de defectu alicuius fieri non potest nisi præcedat infamia, aut inquisitio generans vt est textus expressus *cap. qualiter & quando el segundo cap. Inquisitionis cap. cum oporteat de accusatio.* & vt dicit Iulius Clar. *q.20. n.3.* id sequitur totus mundus, quia iudex non potest procedere contra ius quod quis habet vt non

2167. puniatur nisi præcedente accusatore, vel aliquid quod sit loco accusatoris, & aperiat viam Inquisitioni; si enim Episcopus posset procedere ad inquirendum contra omnes Parochos eorum sufficientiam per nouum examen explorando, ex se ipso, & ad libitum posset multos indebitè vexare auferẽdo partem fructuum pro congrua Coadiutoris, cum aliàs ipse Parochus esset sufficiens, sed in examine turbatus, aut quia exquisita illi interrogant examinatores non bene ex accidenti satisfecit, quod est maximum, & intolerabile inconueniens: ergo priusquam ad examen vocet, aliquid debet præcedere quod ipsum Episcopum ad vocandum ad examen inducat, & quodammodo ex necessitate sui officij compellat puta fama, vel clamor. Hæc ratio magni ponderis est.

Tertiò, quia vt supra dicebam, Parochus ex vi sui Beneficij habet ius iustitiæ vt iudicetur idoneus: ergo si indiciis sufficientibus non reputetur non idoneus, semper idoneus debet reputari. Consequentia probatur ex Regula Doctor. omnium, *Nemo præsumitur malus nisi probetur con-*

2168. *trarium.* Quæ regula desumpta est *ex cap. dudum de præsumptio. & cap. vnico de scrutinio & l. seruos D. de manumiss. testam.* Vnde quilibet in dubio bonus præsumitur *l. merito D. pro socio. l quoties §. qui dolo D. de probatio.* vt latè Dueñas *regul.75.* Socinus *regul.39.* Menochius *de præsumpt. lib.5. præsump.3. n.15.* Mascard. *de probatio. conclus.222. & 223.* Cenedus *ad 6. Collect. 29.* Sanctarellus *variar. resolut. p.1. resol.2. n.4.* Quare in dubio non præsumitur delictum, vt multis citatis docet Barbosa *axiom.69. n.14.* in qua doctrina fundatur quod dicit S. Thom. *2.2. q.60. art.4.* quod

2169. vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere in meliorem partem interpretando quod dubium est. Quod egregiè vt assolet explicat ibi Caiet. *§. ad euident.* quare qui iudicat sine sufficientibus indiciis facit iudiciũ temerarium contra ius quod habet proximus vt de illo semper habeamus bonam opinionem quam semel acquisiuit, maximè si publico, & iuridico testimonio sit confirmata vt est idoneitas Parochi: ergo sine sufficientibus, & rationabilibus indiciis non potest in dubium reuocari per examen publicum; aliàs posset etiam Episcopus sine aliis indiciis Canonicum Magistralem Pœnitentiarium qui ex iure habet audire confessiones, ipsum iterum examinare non obstante examine publico facto dum acquisiuit præbendam. Cum autem hodie etiam Parochi faciant examen publicum, non possunt iustè iterum examinari, nisi præcedat infamia, aut rumor.

Ex quo manifestè colligitur friuolum esse id 2170.
quod respondet Sanchez *num. 19. & 20.* ex doctrina S. Thom. *2. 2. quæst.60. art.4. ad 3.* quam egregiè explicant ibi Caietanus *§. ad euidentiam & §. in solutione ad 3.* Bañez, & Aragon ibi, & Sotus *lib.3. de iustitia quæst.4. art.4.* quod quando per cautelam agitur de malo vitando vel remedio adhibendo dubia sunt interpretanda in peiorem partem, & remedium quod iudicatur efficax ad maius malum potiori iure sit ad minus, vt si videam hominem mihi ignotum approximare rebus meis, possum ita cautelari ac si dubia esset eius probitas, & Superiór dubitans de modo procedendi Religiosorum potest medium adhibere ac si dubia esset eorum religio. Sic Episcopus dum vocaret ad examen omnes Parochos non iudicat interius, & determinat illos esse insufficientes, sed agit exterius ac si dubia positiuè esset eorum sufficientia, & idoneitas. Quare illis non fit iniuria, sed prouidetur bono communi cui cedere tenetur quilibet particularis, præcipuè cum Parochi non habeant ius iustitiæ vt non examinentur iterum atque iterum, sed quod si per examen reperiantur idonei in nullo minuatur eorum iurisdictio.

In hac solutione, & malè intellexit D. Tho- 2171.
mam, & plura falsa immiscuit. Et quidem D. Thomas vt explicant ibi expositores maximè Aragon *vers. vnde fol. 96. column. 2.* loquitur de dubio rationabili quod in vtramque partem habet sufficientia indicia ad dubitandum; nam dubium quod nascitur ex leuibus indiciis est temerarium iudicium, si quis illud explicet in peiorem partem etiam per cautelam, quæ cum sit actus prudentiæ, nititur rationi rectæ, non temeritati. Si enim quis leuibus indiciis ductus iudicaret aliquem hæreticum, & ad damnum euitandum vel remedium adhibendum ipsum denuntiaret vt examinaretur eius fides, dubio procul esset temerarius. Sicut si videns hominem incognitum approximare rebus meis licet possim maiorem cautelam adhibere, tamen non possem examinare, & inquirere an esset fur, quia in hoc illi manifestam iniuriam infero. Quis ergo somniauit quod Episcopus habet sufficientia motiua ad dubitandum an omnes Parochi sui sint sufficientes, & habeant idoneitatem requisitam conseruando illam quam habebant quando in examine concursus adepti sunt Beneficium curatum. Certè quicumque sic iudicaret temerarium eliceret iudicium.

Secundò, quando quis sententia iuridica est 2172.
declaratus idoneus, habet ius iustitiæ vt si nõ præcedat infamia non possit contra illam idoneitatem procedi aut inquiri. Sicut dum quis sententia iuridica, præcedente examine testium declaratus est nobilis *(Christiano viejo)* nisi præcedat infamia, aut accusator, non potest Inquisitor iterum

eius ſanguinis puritatem ad examen reducere. Parochus autem ex vi acceptionis Beneficio præuio examine ſententia iuridica eſt declaratus idoneus : ergo non poteſt in dubium verti eius idoneitas,& de illa inquiri per examen. Vnde omnino falſum eſt dicere quod non habeat ius iuſtitiæ ne iterum examinetur , imo potius habet ſicut Doctor Medicus, & ſupra dicebam. Quare Domini Epiſcopi alia media debent adhibere vt Parochi conſeruent ſuam idoneitatem , præter examen vniuerſale.

2173. Ad fundamenta oppoſita reſpondetur , quod cum Sacerdotes ſæculares non curati habeant iuriſdictionem delegatam à ſolo Epiſcopo , iſte poteſt toties quoties voluerit illos examinare ad videndum an conſeruent idoneitatem quam ſemel iudicauit ; ſententia enim quam tulit Epiſcopus quod hic Sacerdos ſit idoneus,non eſt ita abſoluta quod non imbibat conditionem : *Si illam conſerues delego tibi iuriſdictionem.* Quare poteſt Epiſcopus examinare an illam conſeruet vt proſequatur in ſua delegatione ; imò etiam ſi illum idoneum reperiat poteſt delegatione priuari ad audiendas confeſſiones, quia hæc delegatio prorſus libera eſt Epiſcopo , quia quamuis confeſſor ſit idoneus repertus,poteſt Epiſcopus habere motiua ad illam denegandam , vel quia ſunt plures Confeſſores quam ſint neceſſarij , vel quia aſpectu iuuenis , vel quia diuertetur ab aliis ſtudiis ſibi , & Epiſcopo magis vtilibus, vt quotidie fit in Religionibus.

2174. Quare falſum eſt quod dicit Ioannes Sanchez *num.* 20. quod dum quis examinatur intercedit pactum implicitum inter Epiſcopum , & examinandum, quod ſi iſte idoneus reperiatur conferatur facultas audiendi confeſſiones. Hoc enim ſolum verum eſt quando Epiſcopus primo ſolicitauit quod quis examinaretur ad audiendas confeſſiones: ſecus vero ſi quis ſua voluntate ſe exponit ad examen, in quo ſi inuentus ſit idoneus,tenetur Epiſcopus ipſum idoneum pronuntiare, at non tenetur conferre iuriſdictionem reſpectu ſuarum ouium, Et hoc eſt certiſſimum. Iſte tamen declaratus idoneus ab Epiſcopo etſi ab illo non conferatur ei iuriſdictio poteſt eligi virtute Bullæ Cruciatæ , aut Iubilæi & validè abſoluet,quia illi confertur iuriſdictio à Pontifice. Ad illud quod dicitur de Regularibus reſpondetur quod illud poſſunt Domini Epiſcopi ſpeciali priuilegio Summi Pontificis derogantis in hoc iuri communi , quæ derogatio non eſt reſpectu Parochorum.

2175. Ad ſecundum reſpondetur Epiſcopos in viſitatione, & extra poſſe inquirere inquiſitione generali an Parochi rectè adminiſtrent Sacramenta, & an habeant ſufficientem idoneitatem. Quod ſi inueniat aliquem in hoc eſſe poteſt iuridicè ipſum vocare ad examen vt cognoſcat an verus ſit rumor qui diuagatur. Hoc & nihil aliud intendit Concilium , & hoc ſolum declarat Sacra Congregatio ; non vero quod non præcedente infamia poſſint Epiſcopi libere vocare omnes quotquot ſunt Parochi ad examen vniuerſale. Exẽplaria illa adducta quod aliqui D.Epiſcopi id perfecerunt in Hiſpania fecerunt de facto , non de iure , & an rectè,ipſi viderint , & quæ vtilitas inde ſecuta eſt ; melius enim facerent ſi in ciuitatibus,

2176. & locis muratis vbi ſunt plures Parochi , & Sacerdotes inſtituantur aliquoties in hebdomada conferentiæ caſuum conſcientiæ ad quas cogat adire Parochos , & Confeſſores ; ſic enim meo tempore fiebat Romæ , & aliis Ciuitatibus Italiæ magno cum profectu Confeſſorum. Quas Epiſcopus debere facere ſupponit Sacra Congregatio *die* 4. *Maij* 1598. dum determinat quod curam animarum exercentes etiam in Parochialibus Hieroſolymitanæ Religionis tenentur accedere ad Congregationes quæ iuſſu Epiſcopi ad caſus conſcientiæ diſſerendos habentur. Et in omnibus fere Religionibus huiuſmodi conferentiæ aſſiduæ habentur quibus aſſiſtere debent omnes Regulares Confeſſores ; imo Romæ de ordine Sanctiſſimi ; hæc obligatio eſt ſub pœna ſuſpenſionis ſi bis in hebdomada non aſſiſtant.

DIGRESSIO.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Sacerdos celebrare ſacrificium Miſſæ in Oratoriis ſemel approbatis ab Epiſcopo?

SVMMARIVM.

2177 *An ſi Summus Pontifex , aut eius Nuntius concedat propter cauſas , quæ ſibi viſæ ſunt ſufficientes, priuilegium ad celebrandum in Oratorio priuato domus ſi fuerit prius examinatum de decenti ornatu , & approbatum , ſi moriatur perſona , aut aliò diuertatur , maneat tamen Oratorium in eadem decentia ac antea , poſſit quilibet Sacerdos habens Bullam Cruciatæ in illo celebrare ſine alia ſpeciali licentia.*

Ratio difficultatis. ibid.

2178 *Supponuntur aliqua de Oratoriis.*

2183 *Nunquid Epiſcopus poſſit dare licentiam Sacerdoti ſibi ſubdito vt poſſit ſacrificare extra Eccleſiam in domo aliqua priuata , vel in loco decenti quem ipſe elegerit in ara conſecrata ſiue intra Diœceſim , ſiue extra illam.*

SEnſus eſt an ſi Summus Pontifex , aut eius 2177.
Nuntius concedat propter cauſas quæ ſibi viſæ ſunt ſufficientes priuilegium ad celebrandum in Oratorio priuato domus,ſi fuerit prius examinatum de decenti ornatu , & approbatum, ſi moriatur perſona , aut alio diuertatur maneat tamen Oratorium in eadem decentia ac antea,poſſit quilibet Sacerdos habens habens Bullam Cruciatæ in illo celebrare ſine alia ſpeciali licentia. Ratio difficultatis eſt , quia in Bulla ſic habetur : *Puedan aun en tiempo de entredicho Apoſtolico, ò Ordinario oir Miſſa en las Igleſias , Monaſterios , ò Oratorio particular ſeñalado y viſitado por el Ordinario, ò dezir Miſſa y otros diuinos Officios por ſus perſonas ſi fueren Preſbyteros , ò hazerlos celebrar a otros en ſu preſencia , y de ſus familiares , ò parientes,y recebir el Sancto Sacramento de la Euchariſtia , y los demas Sacramentos , ſaluo el dia de Paſqua , conque ellos no ayan dado cauſa al tal entredicho , ni aya quedado por ellos que ſe quite,* &c. Ergo vt quis poſſit celebrare in Oratorio particulari virtute huius Bullæ ſufficit quod ſit Oratorium deſignatum , & viſitatum ab Ordinario. De hoc caſu fui non ſemel interrogatus, quare quid ſenſerim volui hic apponere.

§. I.

§. I.

Supponuntur aliqua de Oratoriis.

2178. IN primitiua Eccleſia ſequente tyrannorum crudelitate in Chriſti fideles licitum erat in cryptis, in ſpeluncis, & in cauernis terræ, quanto magis in priuatis domibus celebrare. Sicut etiam hodie modo liceret (ſi non eſſent priuilegia) celebrare in Anglia, Scotia, Hybernia, vbi viget perſecutio in Catholicos, ſicut & in aliis locis infidelium, vbi fideles non habent à Principe loca determinata in quibus ſint Oratoria, aut Eccleſiæ, vt bene Paſqualigus *deciſ.* 167. *n.* 1. ceſſante tamen perſecutione ſtatutum eſt ne ſacra myſteria fiant extra Eccleſiã vel Oratoria ab Epiſcopo ad id deſignata *cap. Miſſarum cap. Clericos cap. hic ergo de conſecrat. diſt.* 1. vbi habetur quod Clericus poteſt celebrare in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel vbi ipſe permiſerit. Quare ſine Epiſcopi licentia extra hæc loca non licebat Sacrum facere. Id quod etiam *l. ciuili cautum eſt, Auth.* ſub pœna publicationis domus *collatio* 5. & tenent omnes cum D. Thom. 3. *part. quæſt.* 83. *vnde cap. ſi nullus de conſecratione diſt.* 1. id prohibetur ſub pœna ſuſpenſionis ferendæ, & pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto.

2179. An vero hoc præceptum obliget ad mortale dubiæ quæſtionis eſt, & loquimur extra caſum neceſſitatis, quia in illa licitum eſt extra huiuſmodi loca celebrare, vel ſub dio quando adeſt magnus populi concurſus, vel in priuatis domibus ſi alia vrgens neceſſitas interueniat, vt ſi ſit infirmus cui conferendum ſit Viaticum, & non ſit tempus illud deferendi ab Eccleſia, quæ longè diſtat, nec petendi licentiam ab Epiſcopo, tunc enim Epiicheya magiſtra licitum erit in priuata domo celebrare, ſi adſint requiſita ad perficiendum ſacrificium.

2180. Igitur extra caſum neceſſitatis, & ſecluſo priuilegio communis ſententia docet obligare hoc præceptum cum ſit de materia grauiſſima, & conducente ad cultum diuinum, & imponat pœnam grauem, qualis eſt ſuſpenſio ferenda, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto. Quæ pœna cum grauis ſit, manifeſtat grauem eſſe obligationem. Ita Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap.* 27. §. 1. Suarez 3. *part. tom.* 3. *diſput.* 8. *ſect.* 3. qui dicunt falſo, & libere dixiſſe Sotum *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. §. *circa.* quod ſecluſo contemptu, & ſcandalo, qui agit contra hoc præceptum iuris communis non peccat mortaliter. Contra Sotum etiã inſurgit acriter Fagundez *præcep.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. quia aliàs, inquit, ſecluſo ſcandalo, & contemptu ſi quis celebret in propria domo intra priuatos parietes, & ſecreto non peccaret mortaliter. Quod eſt abſurdum, & contra communem ſenſum Eccleſiæ, & Doctorum, quos longa manu citat tam ipſe quam Henriquez *vbi ſuprà in margine littera A.*

2181. Sed ſapientimus Magiſter Sotus non eſt ita facilè ſuggillandus vel audaciæ vel falſitatis, cum in rebus moralibus acerrimum, & prudentiſſimum habuerit iudicium. Tum etiam quia ſecluſa aliorum inuidia ipſe primus fuit qui principia moralia D. Thom. & Caiet. nobis digeſta tradidit tum quarto libro ſententiarum vbi de Sactamentis; tum in Tomo de iuſtitia, & iure, à quo velut à fonte omnes ſequentes biberunt materiam moralem ad præcepta virtutum attinentem. Quare in præfato loco, vbi poſtquam inquiſiuit an ſit hoc peccatum mortale, ſic fatur: Ad hoc reſpondetur primũ quod de licentia Epiſcopi etiam extra neceſſitatem licitum eſt vt canonibus citatis patet *& Cano. & Clericos ead. diſt. item ex neceſſitate* 2182. *etiam ſine licentia Epiſcopi, vt patet de conſecratione. Et ita tenet Sylueſter verbo Miſſa* 1. §. 5. *tametſi vbi licentia haberi poteſt condecet vt petatur. Quare in Bello licet in tentorio, & ſubdio conſecrare etiam ſine licentia, quamuis prouidendum eſt illam ab initio habere; quinimo non opus eſt magna neceſſitas vt peccatum mortale excuſetur, v. g. vt cum populus magnus ad Heremitorium in campum confluit, quod omnes capere non poteſt non eſt peccatum mortale Altare conſtituere decenter vt omnes Sacrum videant.* Hucvſque Sotus quem ſequuntur fere omnes. Proſequitur: *Imo vero vbi nullus ſit contemptus, vel ſcandalum vix arbitror poſſe contingere peccatum mortale per celebrationem extra Eccleſiam. Hoc additamentum eſt quod carpitur, & ſuggillatur in Soto qui loquitur, ex iure communi, & ante viſa Decreta Pontificia, quæ poſt ipſum viderunt lucem. Nec eius mens fuit quod domi poſſit quis aut celebrare, aut celebrari facere; imò hoc expreſsè excludit iuxta cap. ſi quis etiam* 33. *de conſecratio diſt.* 1. *excludit domum propriam addens hæc verba loquens etiam cum priuilegio) imo vt meam ſententiam proferam, niſi eſſet perilluſtris perſona, mallem vt cæteri quando exire ad Eccleſias non poſſunt die etiam feſto Miſſam non audirent, quam domi audirent.* Hæc ille: Ergo manifeſtè ſentit eſſe peccatum mortale Miſſam celebrare in domo, aut illam facere celebrare ſine neceſſitate. Itaque id quod dixit intelligendum eſt iuxta *cap. ſi quis etiam*, quod eſt Concilij Agathen. *cap.* 21. quod loquitur, ſi quis in agro erigat oratorium ſine licentia Epiſcopi in quo ſecluſo ſcandalo, & contemptu ſine peccato mortali poteſt quis celebrare deuotionis cauſa, & conſolationis ſpiritualis. Hoc autem aſſerere de iure communi non eſt improbabile, falſum, aut audacter dictum. Sequitur Saa emendatus à Magiſtro Sacri Palatij *verbo Miſſa n.* 20. & pro eadem ſententia citat Angelus Innocent.

Sed nunquid Epiſcopus poſſit dare licentiam 2183. Sacedoti ſibi ſubdito vt poſſit ſacrificare extra Eccleſiam in domo aliqua priuata, vel in loco decenti quem ipſe elegerit in ara conſecrata ſiue intra Diœceſim, ſiue extra illam. Concedit quod intra (quam fuiſſe omnium traditionem ante Tridentin. fatentur Guttierez *Canonicar. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 8. Azor *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 2. & alij, quos citat, & ſequitur Barboſa citandus) negat tamen quod extra Suarez *vbi ſuprà verſ.* 2. obſeruandum, quem ſequitur Fagundez *num.* 7. Barboſa *alleg.* 23. *num.* 6. docent enim ad ſolum Summum Pontificem pertinere hoc priuilegium tam amplum concedere, & ad Epiſcopum ſolum pro ſua Diœceſi ad quem ſpectat in ea deſignare loca ad ſacrificandum, & Sacramenta miniſtrãda.

Sed Sylueſter *verbo Miſſa* 1. §. 5. *quæſt.* 3. *verſ.* 2184. *tertium* dicit quod poteſt Epiſcopus ſuis ſubditis hanc licentiam concedere quod celebrent extra Eccleſiam, etiam extra ſuam Diœceſim dummodo id fiat ſine præiudicio tertij. Probatur ex doctrina *cap. in his* de priuilegiis. Vbi dicitur quod priuilegiatus ad celebrandum in Altari portatili extra Eccleſiam poteſt illo priuilegio vti extra Diœceſim propriam. Vbi Honor. III. dicit *quod in his quæ ad cultum diuinum facere dignoſcuntur non maligna ſed benigna eſſet potius inter-*

pretatio facienda. Ex quo proœmio concludit quod priuilegium factum Fratribus prædicatoribus de celebrando extra Eccleſiam, debet intelligi vbicumque terrarum. Cum ergo Epiſcopus quantum ad celebrationem Miſſæ, & Sacramentorum adminiſtrationem idem poſſit reſpectu ſuorum ſubditorum ac Papa reſpectu omnium fidelium poterit non ſolum intra, ſed etiam extra id concedere Sacerdoti ſibi ſubdito, ſicut poteſt concedere priuilegium vt cuicumque voluerit confiteatur. Quare hæc ſententia Sylueſtri qui doctiſſimus fuit in vtroque iure mihi magis arridet vtpote iuri Canonico conformior. Quæ licentia durabit quandiu non mutauerit domicilium hoc enim mutato, cum deſinat eſſe ſubditus Epiſcopi concedentis eo ipſo expirat licentia.

DVBIVM I.

An hæc poteſtas ſit hodie ſublata?

SVMMARIVM.

2185 *Dubium in titulo propoſitum eſt biceps, & vtrumque caput declaratur, & num. ſeqq.*

2185. SEd eſt dubium an hæc facultas ſit ablata Epiſcopis per Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. in Decreto de vitandis, & obſeruandis, &c. quod eſt poſt Canones illius ſeſſionis de ſacrificio Miſſæ. Hoc dubium valde controuerſum eſt inter Authores qui poſt Concilium ſcripſere, & eſt biceps. Primum caput eſt an abſtulerit poteſtatem erigendi Oratorium in priuatis domibus ſolum ad diuinum cultum permanenter deſignatum. Secundum eſt an abſtulerit facultatem concedendi licentiam celebrandi in aliquo loco non deſtinato ad diuinum cultum, ſed poſt ad vſus profanos conuertendum. Et de vtroque capite concertant Authores. Prius tamen quam eorum placita referam notare oportet per præfatum Decretum Tridentini non fuiſſe ſublatum Epiſcopis priuilegium illis conceſſum *cap. finali de priuileg. in 6.* vt poſſint celebrare vel ſibi facere celebrare in Altari portatili ſiue in domo ſuæ reſidentiæ, vel alio honeſto loco ſuæ ciuitatis, ſiue occaſione itineris, vel valetudinis, peſtis, aut belli.

2186. Et quod ad hæc duo vltima ita declarauit Sacra Congregatio in cauſa Lombardiæ *die* 17. *Aug.* 1630. quare cum horum duorum cauſa id concedatur videtur cauſa aliorum denegare, ſed abſolutè ita tenent non eſſe derogatum. Azor *part.* 1. *cap.* 26. *quæſt.* 4. Beja *part.* 4. *reſponſ. caſu* 33. Barboſa *vbi ſup. num.* 5. intentum enim Concilij eſt tollere abuſus qui circa hoc creuerant qui non conſiſtunt reſpectu Epiſcopi, cum fiat ex cauſa vt quotidie vel Miſſam audiant vel celebrent, vt dicunt Ioannes Valetus *verb. Miſſa differ.* 2. Fagundez *vbi ſupr. n.* 19. Armendariz *lib.* 1. *tit.* 18. *leg.* 7. *num.* 73. ſic enim deciſum eſt à Sacra Congregatione *die* 19. *Iunij* 1588. in qua declaratur hoc fuiſſe, & non aliud intentum Concilij, & probat id poſſe Epiſcopos ſine Papæ licentia ex *cap. Miſſarum de conſecrat. diſt.* 1. quod non eſt reuocatum à Tridentino, quod ſolum præcipit Epiſcopis ne permittant in priuatis domibus Miſſam celebrare; palatium autem Epiſcopale non eſt priuata domus vt optimè notant Philibertus Marchin. *de ordine part.* 3. *tractat.* 3. *cap.* 9. *num.* 11. Gauantus infra adducendus. Quare Epiſcopus abſque infirmitate, ſed ſolum pro commoditate poteſt in Palatio erigere altaie in quo celebretur. Ex qua doctrina infertur quod poteſt 2187.
Epiſcopus poteſtate Ordinaria concedere licentias ad miſſandum in domibus publicis, quales ſunt in quibus celebrantur comitia tam ſæcularia, quam Eccleſiaſtica, in carceribus, & aliis ſimilibus quæ non veniunt nomine priuatæ domus. Legatur Portel *tom.* 1. *reſponſ. quæſt.* 3. *caſu* 20. vbi id optimè probat, & oſtendit quod Epiſcopus etiam in domo rurali poſſit erigere Altare in quo celebret vel celebrare faciat, etiam ipſo abſente pro familia vel pro deuotione Sacerdotis.

Hoc ſuppoſito circa primum caput huius dubij ſupponenda ſunt verba Trident. *vbi ſuprà* ſic determinantis: *Præcipit Sancta Synodus Epiſcopis nec patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitandum ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi, &c. non obſtantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus, aut conſuetudinibus quibuſcumque.* Ex quibus verbis ad minus ſequitur non poſſe Epiſcopos indifferenter, & vniuerſaliter vt ante Trident. poterant concedere licentiam ad celebrandum in priuatis domibus extra caſum neceſſitatis in quo diſpenſando poterunt, vt dicam infra, quānis iſti celebraturi ſint Regulares quorum priuilegia quantum ad hoc reuocata ſunt hoc Decreto. 2188.

Neque obſtat quod tam ipſis *cap. in his de priuileg. quam Epiſcopis in cap. finali de priuilegiis in 6.* id concedatur, quæ priuilegia cum ſint in corpore iuris, & de illis non fiat expreſſa mentio non videntur derogata, vt ſupra Reſolut"···· §···· 2189.
dixi, quia hoc intelligitur quando lex noua, aut præceptum non dirigitur ad perſonas priuilegiatas quarum priuilegia ſi ſunt contraria illi legi eo ipſo derogantur, ſicut contingit in præſenti. Quare Epiſcopis hodie non eſt licitum indifferenter vel celebrare, vel ſibi facere celebrare in qualibet domo ſuæ Ciuitatis, aut Diœceſis, ſicut poterant ante Concilium, niſi in caſu in quo eſſet probabile ſe non audituros illo die, aut celebraturos Miſſam, quæ eſt ſufficiens cauſa vt ſecum diſpenſet, ſicut poteſt diſpenſare cum aliis.

Igitur circa præſens punctum prima ſententia 2190.
negat ſublatam eſſe poteſtatem hanc Epiſcopis. Ita Zerola 1. *part. prax. verb. Miſſa ad* 1. *principale conc.* 5. aſſerens eſſe pluries ita declaratum à Sacra Congregatione. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 6. Coninch *de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 226. Layman *lib.* 5. *Theolog. tract.* 5. *cap.* 5. *numer.* 4. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 2. *pag.* 612. Suarez *vbi ſup. §. ſecundo obſeruandum.* Fagundez *num.* 12. vbi explicat Decretum Pauli V. quod ſolum intendat adimere poteſtatem concedentis licentias celebrandi in domibus priuatis in Altari portatili in loco decenti, & bene præparato non tamen ad diuinum cultum tantum deſtinato: ſecus vero ſi ad hoc deſtinatus eſſet locus in domo vel Palatio alicuius Principis ab Epiſcopo deſignandus, & viſitandus; hoc enim expreſsè concedit illis Trident. ibi *ad diuinum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda.*

Secunda

2191. Secunda ſententia affirmat eſſe ſublatam. Ita Bonacina *diſp.4. de Sacram.q vltim.punct.9.n.11.* Azor. *vbi ſup. q.3.* Gauantus *in Rubric. Miſſalis p.1.tit.20.littera M.* Scottia *lib.2.de Sacrif. Miſſæ cap.13.n.3.* Marchin.*de Sacram.Ordin.tract.3.p.3. cap.9.n.7.* licet in anterioribus dixerit ex vi Trid. non eſſe reuocatam. Molfeſius *in ſumm. tract.3. cap.17.n.70.* Fagundez *vbi ſup.* qui dixit in Regnis Portugalliæ ita obſeruari. Homobonus *in exam. tract.8.q.14.c.5.p.2.* Lugo *de Euchar.diſp.20.n.50.* Miranda *in Man.q.40.art.9.conc.3.* Nald.*in ſumm. verbo Miſſa num.3.* Lumblinus *eodem verbo n.1.* & alij quos citat, & ſequitur Zacharias Paſqualigus *deciſ.165. n.2.* Trullench *in explicat. Bull. lib.1.§.1.dub.4. n.5.* Valerus *verb.Miſſa. differ.2.* Armendariz *vbi ſup.n.74.* Barboſa *allegat.23.n.7.* Habet hæc ſententia argumentum valde efficax vbi in Epiſtola Decretali ſcripta iuſſu Pauli V. die 10. Martij 1615. ad omnes Epiſcopos circa hanc materiam non ſolum prohibet huiuſmodi licentias celebrandi in priuatis Oratoriis Domorum, quæ de ſe ſunt ad diuinum cultum dicata, ſed conceſſas irritat.

2192. Et quod amplius eſt dicit, *S.D.N. iuſſu ſignificandum duxerunt* (Eminentiſſimi Cardinales) *facultatem huiuſmodi licentias dandi ipſius Concilij decreto vnicuique* (Epiſcoporum) *ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſeruatam.* Ex quo manifeſtè fit quod ex vi Tridentini hæc facultas ſublata eſt Epiſcopis ſic declarante Summo Pontifice qui non ſolum declarat iuridice Concilium ſed huius declarationis condit legem quæ vim habet obligandi, cum ſit in tota Hiſpania publicata, & recepta. De Portugallia teſtatur Fagundez. De Regno Valentiæ Trullench. De Regno Caſtellæ, ego ipſe, in quo ſolum Pontifex, vel eius Nuntius has licentias concedit. Quare Decretum iſtud, etſi per modum Epiſtolæ, obligat abſque dubio. *l.1.C.de conſtitut.Princip.*

Hæc ſententia veriſſima eſt, & conſtat clarè ex ipſius Concilij decreto, vbi omnino prohibetur Epiſcopis licentias celebrandi in priuatis domibus concedere, niſi in Oratoriis ab ipſo deſignandis, & viſitandis, atqui eo ipſo quod ſint priuata Oratoria, quamuis à principio ſint examinanda, & approbanda, tamen decurſu temporis viſitari nequeunt, & ita non manent ſubiecta viſitationi Epiſcopi. Quod iure optimo ad euitandam indecentiam requirit Concilium ad tollendos abuſus qui in huiuſmodi licentiis concedendis irrepſerant.

Nihilominus tamen exiſtimo quod nec Concilium, nec Summus Pontifex abſtulit ab Epiſcopis poteſtatem deſignandi in aliquo Palatio Principis, vel alicuius perſonæ Nobilis, aut inſignis Doctoris Oratorium viſitandum quoties expediens viſum fuerit ab Epiſcopo vel eius Vicario, quod ſit permanenter dicatum cultui diuino & habeat ingreſſum expoſitum quibuſcumque volentibus audire Sacrum. Deſiderarem ſic locutos
2193. fuiſſe Doctores primæ ſententiæ. Sic tamen expreſsè fuit locutus doctus Paſqualigus *deciſ.173.* & ratio eſt perſpicua, quia Concilium id expreſsè concedit Epiſcopis, dicens poſſe licentias dare celebrandi in Oratoriis ab ipſo deſignandis, & viſitandis: quod totum concedit caſus iſte: quamuis enim Epiſcopus intendat in hac licentia commoditatem perſonæ priuatæ, tamen ſimul hanc commoditatem communem facit omnibus Chriſti fidelibus, cum ſuo decreto oſtium apertum relinquat ad omnes, id quod poteſt ipſe inquirere an obſeruetur, maneatque eius viſitationi ſubiectum. Quare ſicut poteſt erigere in campo heremitorium vbi celebretur, ita poteſt in priuato aliquo Palatio.

Id etiam conſtat ex intento Concilij, & Epiſtolæ Decretalis Pauli V. quod explicat illis verbis 2194.
intra domeſticos parietes plerumque cum tanta irreuerentia peragitur, vt nihil fere intra profanam, & diuinam domum intereſſe videatur. Quæ ratio non militat ſi ab Epiſcopo in Palatio, aut grandi domo Oratorium deſignetur ab ipſo quoties voluerit viſitandum, cuius oſtium apertum omnibus pateat, erigat, ſicut poteſt erigere in agro. Caueant tamen Epiſcopi ne id paſſim concedant, vt optimè Piaſec, *in Prax.p.2.cap.3.n.1.* Quod ſi perſona in cuius Palatio Oratorium deſignatur clauſo oſtio celebret, aut celebrare faciat grauiter peccat, maximè in diebus præcepti, ipſe tamen præcepto ſatisfaciat; non tamen eſt neceſſarium vt in hoc Oratorio Campana publicè ponatur vt ſit oratorium publicum, quidquid dicant Trullench *vbi ſup.* Barboſa *de iure Eccleſ. lib.2. cap.8. num.12.* ſat eſt vt publicum dicatur quantum ad præfatum effectum quod ſit oſtium apertum, & tintinnabulo notum fiat quando celebranda eſt Miſſa. An vero hoc Oratorium habeat alios effectus Oratorij publici, vt immunitatem &c. non eſt præſentis inſtituti, legatur Barboſa.

Circa ſecundum caput, aut punctum huius 2195.
Dubij, certum eſt poſſe, ſi ſit neceſſitas. Ita conceſſit Paulus V. die 30. Iulij ann.1618. omnibus Epiſcopis vt tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati huiuſmodi Oratoria poſſint concedere perſonis nobilibus ſenio & infirmitate impeditis, durante impedimento, quæ licentia ſolum ſuffragetur miniſtris illarum perſonarum neceſſariis. Et quod ſolum dicatur vna Miſſa, & quod excipiantur aliquot dies, vt omnes Paſchæ, Natalis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & alia feſta ſolemnia, niſi perſona ita ſit impedita vt accedere non poſſit ad Eccleſiam. Ita tamen hanc poteſtatem concedit quod non poſſint duo Oratoria ſimul in eadem domo permittere, & quod vnicum Oratorium ſolum duret ſexennio. Quod Decretum referunt Quaranta in Bullario, *verb. Miſſa.* Riccius *in Prax.deciſ.538.* Armendariz *vbi ſup. n.72.*

Sed an ſecluſo hoc decreto iuſta exigente cauſa, 2196.
aut ex neceſſitate id poſſint Epiſcopi? Affirmatiua ſententia omnino tenenda eſt, quam ſequitur Paſqualigus *deciſ.167.* Bonacina *vbi ſup. num.10.* Azor. *q.6.* Reginaldus *lib.29. n.176. verſ. quanquam.* Vaſquez *3.p.diſp.133.n.6.* Filliucius *tom.1. tract.5. n.115.* Fagundez *vbi ſup. n.14.* Zerola *vbi ſup.* Suarez *etiam vbi ſup.* Villalobos *n.2. in fine.* Coninch *3.p.q.83.n.226.* Nuñus *art.3.dub.2.* & innumeri alij quos iſti referunt, & Barboſa in Collectan. ad præfatum Decretum Concilij *n.20.* qui male citat *n.21.* Azorem, Reginaldum, & Coninch, & Mirandam *vbi ſup.* cum potius id quod nos expreſsè doceant, quare illos non vidit, & declarauit Sacra Congregatio reſcribens Archiepiſcopo Ianuenſi; retinet enim Epiſcopus (vt ait bene Reginaldus) ſibi in paſtorali Regimine neceſſariam poteſtatem cum ſuis ſubditis in caſu neceſſitatis diſpenſandi iuxta ius commune Eccleſiaſticum, quale eſt decretum Trident. Vnde Breue Vrbani VIII. editum anno 1625. de quo Portel.*tom.1.reſponſ.p.3. caſu 20.n.1.* intelligitur ſecluſa cauſa neceſſitatis.

DVBIVM II.

Quanta neceſſitas requiratur.

SVMMARIVM.

2197 *Qualis & quanta debeat eſſe iſta neceſſitas, vt poſſit concedi Oratorium?*

2197. SEd quaalis & quanta debeat eſſe neceſſitas iſthæc ? Ponam hic quæ probabiliora ex Authoribus claſſicis ſelecta mihi videntur. Et in primis ordinariè non poteſt eſſe hæc neceſſitas abſoluta, quia ſi non poteſt celebrari in locis deſtinatis ab Epiſcopo ceſſat obligatio præcepti audiendi Sacrum. Dixi *ordinariè*, quia ſi adeſt infirmus moribundus, exiſtimo quod ſi adſit locus aptus ad celebrandum eſt neceſſitas celebrandi vt ſatisfaciat præcepto diuino de ſumendo Viatico; quia ſicut datur iuriſdictio etiam ſimplici Sacerdoti ad abſoluendum in articulo mortis, ita datur licentia vt ſacrificet, & conficiat Euchariſtiam ad illum communicandum ; non enim inuenio diſparitatem cum vtrumque concedatur ab Eccleſia vt fidelis ſatisfaciat præceptis diuinis confeſſionis, & communionis ; etſi enim Sacramentum Pœnitentiæ magis neceſſarium ſit propter difficultatem habendi contritionem, tamen ſi quis etiam ex reuelatione cognoſceret ſe habere contritionem, teneretur confiteri in articulo mortis ſimplici Sacerdoti vt ſatisfaceret præcepto diuino de ſubiiciendis peccatis clauibus, & ſic datur Sacerdoti ſimplici iuriſdictio : ergo etiam eſt interpretatiua licentia per epiicheiam ad conſecrandum vt infirmus ſatisfaciat præcepto diuino de ſumendo Viatico. Et ad hoc tenetur Sacerdos ſicut tenetur ad abſoluendum. Ita Paſqualigus *deciſ.* 169. quod dicit etiam ſi præceptum ſumendi Viaticum eſſet ſolum humanum, quod maius eſt quod celebrandi in loco deputato.

2198. Igitur ordinariè loquendo ſolum interuenire poteſt quædam moralis neceſſitas quæ fundatur in deuotione fidelium, vel in alia congruente ratione ex vſu politico perſonarum Nobilium, aut conſuetudine patria. Propter quam eſt valde decens quod fideles non priuentur præſentia ad hoc ſacrificium, ſiue ſint viui, ſiue ſint mortui. Vnde vſus obtinuit quod perſonis Nobilibus cõcedatur licentia offerendi ſacrificia in propria domo mortuo Parente, aut filio, vxore, aut marito & ſimilibus. Similiter tempore belli diebus feſtiuis pro exercitu vniuerſo, & aliis diebus pro Generalibus, Ducibus, & aliis primariis Officiaiibus poteſt celebrari in ſuis tentoriis vna vel altera Miſſa. Similiter quando Miſſa Noua celebratur quando magnus concurſus ad illam confluit, vel ad Heremitorium ad quod populi integri conueniunt deuotionis cauſa poſſunt extra celebrari etiam

2199. plures Miſſæ. Quando autem nauigantes ſiue per flumen, ſiue per mare ſi per tempus notabile non audierunt Sacrum poſſunt ad littus appellentes facere celebrare ſub dio in littore, ſi in mari celebrari non poſſit iuxta dicenda infra §. 3. Hæc omnia ex Authoribus citatis. Addit tamen Paſqualigus quod etiam eſt neceſſitas ſufficiens celebrandi extra Eccleſiam eo ſolum fine vt populus audiat Miſſam, ſi Eccleſia diruta eſt ; nam Concilium, & Decretum Pauli V. ſolum loquuntur quando adeſt Eccleſia, & non vrget neceſſitas quod populus velit vti iure ſuo ad Sacrificio aſſiſtendum, & quod pro illo offeratur.

DVBIVM III.

Vtrum infirmitas ſit cauſa rationabilis vt poſſit concedi Oratorium ?

SVMMARIVM.

2200 *Infirmitas an ſit ſufficiens, & rationabilis cauſa, vt Epiſcopus poſſit huiuſmodi licentias concedere ex vi Tridentini?*

AN infirmitas ſit ſufficiens, & rationabilis 2200.
cauſa vt Epiſcopus poſſit huiuſmodi licentias concedere ex vi Tridentini, negant plures, quia Tridentinum hanc poteſtatem illi abſtulit, vt declarauit Paulus V. in Decreto edito anno 1615. vt vidimus. Attendens autem prudentiſſimus Paſtor caſus qui poſſunt occurrere conceſſit anno 1618. Epiſcopis non quod poteſtate Ordinaria, ſed tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati poſſent ratione infirmitatis, aut ſenectutis, quæ morbus eſt, perſonis nobilibus has licentias durante impedimento concedere, vt ſupra retuli, & ſic intelligitur Declaratio Congregationis, de qua Barboſa *vbi ſupra n.* 8.

Sed ſi hoc ita eſſet in multis aliis neceſſitati- 2201.
bus, de quibus ſupradiximus, poſſe Epiſcopum concedere huiuſmodi licentias, idem dicendum eſſet, cuius contrarium affirmat caterua magna Doctorum, quos ſupra adduximus. Quare exiſtimo Concilium ſolum abſtuliſſe poteſtatem Epiſcopis concedendi has licentias continuas, & durantes per multum tempus, non tamen pro vna vel altera vice exiſtente infirmitate. Et Paulus V. in ſuo decreto vltimo conceſſit facultatem delegatam vt concedant licentias durantes ad ſexennium.

Sed quid nomine perſonæ Nobilis intelligatur. Exiſtimo quod ille qui notoriè Nobilis eſt per equeſtrem Ordinem ; imo quamuis non ſit ita nobilis, ſi præſtitit beneficium grande communitati, in qua eſt inſignis vel prudentia, opibus, ſcientia, militia, & aliis ſimilibus : Si tamen Miſſa 2202.
in domibus ſuis poteſt celebrari cum debita reuerentia ; huiuſmodi enim perſonæ, vt notat Paſqualigus *deciſ.* 70. *n.* 7. merentur ornari ſpecialibus priuilegiis. Qui notat quod Epiſcopus extra caſum infirmitatis poteſt ſemel vel iterum vel duabus, vel tribus vicibus rationabili ex cauſa concedere perſonis particularibus huiuſmodi licentias. Ita *deciſ.* 71. ex Reginal. Coninch *vbi ſup.* Omnis illa dicitur rationabilis cauſa ob quam non eſt licitus ſecundum politicum vſum, vel ex alio motiuo egreſſus è domo, ſi duret cauſa in diebus valde feſtiuis. Vnde tempore belli, & peſtis in quo non eſt tutus egreſſus è domo licite conceditur hæc licentia. Ita March. *p.* 6. Belli diuini *cap.* 1. *à n.* 5. Barboſa *vbi ſuprà n.* 8.

DVBIVM IV.

An si adsit necessitas petenda sit ab Episcopo licentia.

SVMMARIVM.

2203 *An quando adest necessitas, sit opus petere ab Episcopo licentiam, vt celebretur extra locum deputatum?*

2203. AN quando adest necessitas sit opus petere ab Episcopo licentiam vt celebretur extra locum deputatum. Negant Lezzana *tom. 1. qq. Regul. cap. 21. num. 16.* Saa emendatus *vbi supra. num. 20.* vt si quis sit in itinere. Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 3. vers. colligit secundò.* Negant communiter omnes. Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 29. num. 2.* Azor *vbi sup. quæst. 6.* Fagundez *num. 14.* Suarez *vers. 3. exceptio.* Faustus *lib. 2. de Sacrif. quæst. 170.* Ledesma *cap. 20. de Euchar. vers. La segunda excepcion.* Cæterum Pasqualigus *decis. 168. numer. 4. & 6.* distinguit aut necessitas est euidens & notoria, & sic non est necessaria Episcopi licentia, aut non est euidens, & sic petenda, & obtinenda est.

Sed ego alia distinctione vtor, quia rationabilis est; Aut necessitas, etsi euidens, & notoria, est alicuius particularis personæ (extra articulum mortis) & sic necessario petenda est licentia Episcopi qui dispenset. Ita Authores secundæ sen-

2204. tentiæ. Et ratio est, quia magis vrget peccatum quod sacrificium non fiat extra locum determinatum, quam quod particularis personæ aut non sacrificet, aut non audiat Missam. Aut necessitas est alicuius communitatis, aut multitudinis, & si non potest explicite peti licentia cum interpretatiua aut Pontificis Summi, aut Episcopi potest celebrari extra Ecclesiam, aut oratorium publicum. Si tamen præuidetur necessitas, petenda est licentia. Ita Suarez & Fagundez, & potest sic intelligi prima sententia, quamuis nullo modo approbem id quod dicit Saa, quod si quis sit in itinere potest sine licentia celebrare extra Eccleclesiam, quod nisi habeat speciale priuilegium nullo modo est admittendum. Probatur ex Felice Papa *Epist. 1. ad omnes Episcopos Orthodoxos*, qui sic fatur: *Satius ergo est Missam non cantare, aut non audire quam in illis locis vbi fieri non oportet nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas legem non habet.* Hæc ibi. vbi vtraque pars nostræ sententiæ & vtriusque fundamentum ponitur. Addit tamen Glossa *ibi verb. necessitas.* Quod si quis habet in domo sua Oratorium potest licite ibi Missa celebrari, si vrgeat necessitas Sed iam ibi adest Episcopi licentia. Similiter *cap. concedimus.* quod est Concilij Moguntini, *c. 8.* expresse loquitur de necessitate publica, & alicuius multitudinis, vt legenti constabit. Idem statuitur, *cap. Si quis etiam eadem distinction.* vbi propter fatigationem familiæ conceditur Oratorium.

***

DVBIVM V.

Vtrum priuilegium habendi Oratorium sit reale, vel personale?

SVMMARIVM.

2205 *Priuilegium habendi Oratorium an sit personale, quod sequatur personam; an reale, & affixum loco?*

2210 *Si erretur in nomine Diœcesis, & pro Toletana ponatur Hispalensis adhuc Officialis Toletanus potest dispensare.*

AN priuilegium habendi Oratorium sit per- 2205.
sonale quod sequatur personam, & reale & affixum loco. Et quidem si loquamur in eadem ciuitate respectu diuersæ domus in qua priuilegiarius habitare potest, vt si hoc anno habitet in vna Parochia, & altero mutet domicilium in alteram, mihi certum est quod priuilegium sequatur personam, & quod verba priuilegij non sint sumenda taxatiue, sed demonstratiue; locus tamen deputatus in altera domo visitari debet denuo ab Ordinario vt iudicet an sit conueniens, & honeste compositus. Similiter si quis habeat priuilegium vt in domo rurali possit habere Oratorium in quo celebretur, mihi etiam certum videtur quod non potest illud transferre ad ciuitatem; quia motiua quæ sunt ad concedendum Oratorium in agro non sunt ad illud concedendum in ciuitate vt expresse habetur *cap. si quis etiam de consecratione. distinct. 1.*

Superest ergo dubium an si quis transferat do- 2206.
micilium ad alteram Ciuitatem eiusdem vel diuersi Episcopatus deferat quocumque ierit priuilegium habendi oratorium. Affirmat Diana *p. 4. tract. 4. resol. 208.* Antonius Nouarius *in summ. Bullar. tit. de Oratoriis priuatis. num. 6.* Megala *variar. tom. 2. resol. 67.* Probant, quia priuilegium hoc finitur morte priuilegiarij: ergo est personale, & non locale, & sic ciuitatis nomen appositum in priuilegio sumitur demonstratiue, non taxatiue, & limitatiue. Quare si priuilegium sit concessum à Summo Pontifice potest priuilegiarius vbique terrarum erigere Oratorium, visitandum tamen ordinario loci, etsi à Nuntio Hispaniæ, in qualibet Ciuitate suæ Nuntiaturæ Legionis, Castellæ, Aragoniæ, Cathaloniæ, &c.

Sed hoc mihi nullus persuadet; est enim contra stylum, praxim, & consuetudinem; est enim hoc priuilegium mixtum ex locali, & personali, respicit enim personam in hoc loco qui designatur in priuilegio. Sicut si Rex concedat priuile- 2027.
gium Petro vt Hispali non soluat gabellas non illico est exemptus in toto Regno ab illarum solutione, quia ly Hispali sumitur taxatiue non demonstratiuè. Vt cum lego alicui centum coros tritici de agro meo Hispalensi, illa particula, *De*, sumitur taxatiuè, taliter quod non possis aliunde sumere. *leg. Lucius D. de aliment. legat. leg. quidam. test. D. de legat. 1.* Castro *consil. 338. num. 3. volumin. 1.* Decius *consilio 500. n. 15.* Riccius *de testament. coniugat. lib. 5. cap. 13.* & alij.

Secundo probatur, quia quando orator petit à Pontifice priuilegium vt habeat Oratorium Hispali

2208. Hiſpali taxat ſuam intentionem ad hanc ciuitatem, cum non ponat *Hiſpali* ſolum demonſtratiue, alias peteret ad habendum Oratorium in tota Eccleſia, quod eſt valde ridiculum: ergo gratia, & priuilegium conceſſum ſolum extenditur ad Hiſpalim, & non extra iuxta doctrinam Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſput.*21. *num.*37. Syluestri *verbo Reſcriptum. quæſt.* 3. Couarruuiæ *lib.*1. *variar.cap.vlt.num.*6. Guttierez *lib* 2.*canon.c.*15. *num.*83.*&* 84. nam priuilegium conceſſum ad petitionem partis conceditur iuxta illius intentionem, iuxta *l.iuris gentium* §. *pactum. D.de pactis.* Et quidem hoc manifeſtum videtur; ſi enim aliquis petat priuilegium ad eligendum confeſſorem Hiſpali, & ei conferatur, non illico ex vi huius priuilegij poteſt vbique terrarum eligere confeſſorem, ſed duntaxat Hiſpali, & ad ſummum in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi, qui ſub nomine Matricis poteſt intelligi in fauorabilibus.

2209. Tertiò, Quia priuilegium hoc habendi Oratorium in priuata domo eſt contra ius commune & ſic eſt odioſum vt pote mors ipſius iuris communis, & ita verbum loci adiectum in priuilegio non demonſtratiue, ſed taxatiue eſt intelligendum, vt optime Moneta *de vlt.volunt.cap.*6. *num.*176.

2210. Ex quo infertur quod ſi erretur in nomine Diœceſis, & pro Toletana ponatur Hiſpalenſis, adhuc officialis Toletanus poteſt diſpenſare. Ita contra Sanchez *vbi ſup. num.*39. & alios optime probant Pontius *lib.*8.*de Matrimon.cap.*17.*n.*43. Diana *part* 1.*tract.*10.*reſol.* 37. male citans doctiſſimum Monetam *cap.*6. *de vlt. volunt. quæſt.*5.*&* *cap.*12.*num.*206. cum expreſſe loquatur de reſcripto iuſtitiæ non gratiæ, quia in hoc oppoſitum defendit cum Sanchez, ſed meam ſententiam ſequitur idem Diana *part* 8. *tractat.*3.*reſol.*64. Portel *tom.*2. *reſponſ.caſu* 49.*num.*2. Amicus de Amicis *tom.*5. *diſput.*6. *ſect.*8.*n.*145. Eſcobar *in Theol. Moral.lib.*1.*exam.*16 *num.*124. Bonacin.*de legib. diſput.*1. *quæſt.*2.*punct.*4. *num.*3. Salas *diſp.*1.*q.*2. *punct.*4. *num.*3. Salas *diſput.*20. *ſect.*16. *num.*123. Ratio eſt, quia Pontifex ex ſuppoſitione quod vult diſpenſare intendit ſemper virtualiter, vel formaliter remittere verificationem narratiuæ, & poteſtatem diſpenſandi Ordinario impetrantis. Quare quid materiale eſt quod cum ſit Toletanus appelletur Hiſpalenſis; ſicut materiale quid eſt quod diſpenſatus attendi debet. *leg.iuriſ gentium.*§. *pactum.D. de pactis.* quæ conformatur intentioni impetrantis.

2211. Addunt Diana *reſolut.*37.*citata*, Bonacina *numer.*6. Portel *num.*2.*verſ. Aliud exemplum.* Layman *lib.*1. *tractat.*4. *cap.* 22. *num.* 27. non vitiari diſpenſationem ſi errore ſcribentis Breue pro tertio gradu affinitatis poſuerit tertium conſanguineitatis, quia reſcriptum habet vim à voluntate Pontificis. Quare *cap.ſuſpectum.de Reſcript.* dicitur verba reſcripti ſtricte explicanda eſſe, niſi aliud conſtet de intentione mandantis, *argument. ex inſtitut. de legatis* §. 29.

***

DVBIVM VI. Incidens,

De quadam diſpenſatione impetrata in conſanguineitate, cum eſſet affinitatis impedimentum.

SVMMARIVM.

2212 *Si impetrans ignorantia ductus petierit diſpenſationem pro tertio gradu conſanguineitatis, cum reipſa non fuerit niſi tertius gradus affinitatis, & impetrata diſpenſatione pro conſanguineitate remittitur reſcriptum Ordinario, vt ſi narratiua verificatur diſpenſet, an ex vi huius reſcripti poſſit Ordinarius diſpenſare in affinitate?*

Opinio Sanchez negatiua refertur.

2214 *Sententiam contrariam ſequitur Auctor; Et quibus fundamentis motus.*

SEd maius dubium eſt de quo fui interrogatus. Si impetrans ignorantia ductus petierit diſpenſationem pro tertio gradu conſanguineitatis, cum reipſa non fuerit niſi tertius gradus affinitatis, & impetrata diſpenſatione pro conſanguineitate remittitur reſcriptum ordinario, vt ſi narratiua verificatur diſpenſet. An ex vi huis reſcripti poſſit Ordinarius diſpenſare in affinitate. Negatiue reſpondet Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſputat.*24.*num.* 19. Probat, quia iſta ſunt diuerſa impedimenta, & vnum non includitur in alio, ſicut vna ſpecies non includitur in alia, ergo poteſtas diſpenſandi in vno non extenditur ad diſpenſationem alterius. Sicut qui habet poteſtatem ad legitimandum ſpurium ex inceſtu, non extenditur ad legitimandum ſpuriũ ex adulterio, quamuis adulterium minus delictum ſit quam inceſtus cumiſte opponatur Religioni, ille vero iuſtitiæ, vt multis citatis tradunt Couarruuias *lib.* 4. *de Reſcriptis.part* 2. *cap.*8.§.8. *num.*11. Ludouicus Lopez 2.*part.inſtruct cap.*9. *colum.*5. *&* 1.*part.c.*50. *column.* 2. ex Baldo *cap. innotuit. numer.* 17. *de electio.* 2212.

Sed ego contrariam reſolui, quæ reſolutio amplexata fuit à D. Ioanne de Ribera tunc Officiali Hiſpalenſi. Sic etiam expreſſe tenet Ludouicus Lopez *vbi ſuprà.* Mouerunt me ſequentia fundamenta. Primum, quia licet votum, & iuramentum ſint diuerſæ ſpecies Religionis, facultas conceſſa ad commutandum votum extenditur ad iuramentum, etiam ſi nominetur perſona cui facienda eſt commutatio, vt fit in Bulla Cruciatæ (& idem eſt de facultate diſpenſandi) vt tenent Suarez *de Religio tom.*2.*lib.*6.*cap.*14.*num.*6. Sanchez *lib* 4.*ſumm. cap.*53.*num.*8. Portel *in Additio.verb.voti commutatio.num.*8. Filliucius *tractat.* 26. *cap.*9. *num.*254. Molfeſius *tractat.*11. *cap.*15. *num.*203. Villalobos *tom.*1.*tractat.*27.*clauſ.*9.§.3. *n.*29. Sayrus *in Claui. lib.*5.*cap.*8. *n.*9. Henriquez *lib.*7.*de indulg.cap.*30.*num.*5. Saa emendatus *verbo iuramentum.num.*32. Ludouicus à Cruce *diſputat.*1.*cap.*6.*dub.*5.*num.*20. dicit eſſe tutum in praxi. Et idem ſentit de facultate diſpenſandi Sanchez *lib.*8 *de Matrimon. diſputat.*2.*num.*18. Caietanus 2.2. *quæſt.*89. *art.*9. vbi dicit, omnia Sacramenta ſubſunt inferioribus Papæ, quæ ſi eſſent 2213.

vota

vota subesſent eisdem, quia cui conceſſum est posse ordinare, id maius conceſſum quoque est posse in minus. Eman. Rodrig. *in expoſiti. Bullæ. §.9. num.*110. *Reg.*6. Trullench.§.7. *cap.*3. *dub.*2. *num.*3. Diana *part.* 1. *tract.*11. *reſolut.*41. & qui habet poteſtatem ad diſpenſandum habet etiam ad commutandum votum, quia vt ait Caietanus & est *Regula* 53. *de Regul.iur.in* 6. cui licet maius licet minus. Et tenent Paludanus *in* 4. *diſtin.*38. *quæſt.*4. *art.*3. *num.*35. Sotus *lib.*7. *de iuſt. quæſt.*4. *art.*3. *column.*5. Saa emendatus *verb. votum.n.*19. Aragon 2.2. *quæſt.*88. *art.*12. *colum.*9. *& quæſt.*89. *art.*9. *propoſ.*2. Rodriguez *vbi ſup.n.*115. *& tom.*1. *ſum.c.*100. *in fin.* quidquid dicat minus consequenter Thom. Sanchez *vbi ſup.n.*15. ergo licet affinitas, & consanguineitas specie differant, qui potest dispensare in consanguineitate, ei potest & in affinitate quando potestas datur in fauorem ipsius dispensati, vt datur in Bulla Cruciatæ potestas ad commutandum votum datur etiam ad iuramentum. Vnde falso Pontius *lib.*8. *de Matrim.cap.*4. *num.*18. Sanchez *num.*7. dicunt priuilegia Bullæ Cruciatæ esse stricte interpretanda; imo potius sunt latè interpretanda; alias non posset quis virtute illius commutare iuramenta, cum detur facultas ad vota, cuius contrarium dicit Sanchez.

2214. Dices, qui potest dispensare ex priuilegio in irregularitate proueniente ex homicido non potest dispensare in ea quæ prouenit ex celebratione in excommunicatione, quæ est multo minor: ergo qui potest dispensare in consanguinitate non potest in affinitate. Respondetur esse disparem omnino rationem quam noluit aduertere P. Sanchez, quia illa regula iuris quæ etiam habetur in iure ciuili. *l. filiusfamilias. §. finali. §. de donatio. l. Marcellus. D. de donat. cau. mor. l. non debet. D. de reg. iur.* intelligitur quando minus est accessorium maiori, vel quando ab illo deriuatur, aut ab illo dependet tanquam à fundamento, vel in illo aliquo modo continetur. Quando autem minus, & maius sunt species omnino disparatæ vt in exemplo posito in obiectione, & in argumento pro contraria sententia de illegitimo ex adulterio, & incestu, non qui potest dispensare maius, potest & minus, cum
2215. sint omnino disparatæ: at affinitas, & consanguineitas non sunt sic; imo affinitas fundatur in consanguineitate, vt eleganter D. Thomas *in Additio. q.*55. *art.* 7. est enim consanguineitas causa affinitatis, cuius gradus numerantur iuxta gradus illius, nam quoto gradu consanguineitatis attinet mihi vir, tanto gradu affinitatis attinet mihi vxor. Quare ista duo impedimenta non sunt omnino disparata, sed minus continetur in maiori, & sic qui potest ad maius potest ad minus. In voto etiam & iuramento etiam idem inuenitur, nam istud in quantum est promissio Deo facta tanquam veraci continetur in voto quod est promissio facta Deo tanquam fideli. Similiter commutatio aliqualiter continetur in dispensatione, quæ cum sit ablatio omnis vinculi voti, aut iuramenti continet commutationem quæ licet non auferat omne vinculum, aufert partem si sit in minus bonum, vel aufert obligationem circa hanc materiam, & sic etiam in istis qui potest ad maius potest ad minus. Vnde cui conceditur vt possit dispensare cum aliquo vt in Quadragesima comedat oua, conceditur vt possit dispensare ad comedenda lacticinia, quia quamuis differant specie physica, tamen specie morali minus continetur in maiori.

Secundum, quia licet dispensatio non patiatur 2216.
extensionem ex argumento ex identitate, vel maioritate rationis respectu diuersarum personarum, quia dispensatio est individua respectu personæ dispensandæ, & ad aliam extendere est euertere eius naturam, cum enim dispensatio sit iuris relaxatio ab eo qui potest relaxare, vt multis adductis definit Thom. Sanchez. *lib.*8. *disp.*1. *n.*2. est exorbitans à iure, & ita omnino est restringenda vt non diuagetur extra personam quæ dispensatur, circa eamdem tamen personam licet dispensatio absolutè loquendo sit strictè intelligenda cum sit odium, & iuris interfectio, tamen multis temperamentis limitatur à Sanchez *à n.*5. *vsque ad* 30. vbi ponit vltimum temperamentum. Si dispensatio sit in causa matrimoniali in qua fauore Matrimonij extenditur nisi ex larga interpretatione scandalum sequatur, argumento à contrario *ex cap. Quod dilectio. de consanguinitate.* Quod temperamentum licet non admittat, tamen id tenent multi, & graues Doctores quos ibi citat.

Et quidquid sit de hoc, tamen quod etiam in dispensatione valeat argumentum ab identitate vel maioritate rationis respectu personæ dispensandæ antequam dispensatio exequatur, mihi est probabilissimum, & tutum in praxi, quidquid di-
2217. cat Salas *disp.*20 *citata. sect.*10. *n.*95. Ita Sanchez dicit probabile *n.*32. sequitur Diana *p.*8. *tract.*3. *Resol.*102. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 1. Rodriguez *tom.*1. *q.*46. *art.*11. probat Diana, quia vbi est eadem omnino vel maior ratio, non est extensio, sed inclusio ex tacita dispensantis mente, ad quod probandum multos textus & Authores adducit. Sed melius id probant Salgado *de Supplicat. ad Sanctiss. p.*1. *cap.* 9. *à n.*13. *ex leg. scire oportet. §. qui non iure. D. de excusat. tutor.* Decius *cap. Quia in tantum à n.*15. *de Prabendis.*

Ratio est, quia si ob aliquid non valeret in dispensatione argumentum ab identitate, & maioritate rationis ex eo esset quia est odiosa, & ita extra casum expressum non debet extendi, at hoc nihil valet, quia in re pœnali, & odiosa hoc argu-
2218. mentum efficacissimum est, *ex l. neque in ea* 22. *D. ad legem Iuliam. de Adulteriis*, vbi dicitur, qui occidere potest adulterum multo magis contumelia poterit eum iure afficere. Quod est valde notandum, ait ibi Barthol. deinde *l. in suis. in principio. D. de liber. & posthum.* dicitur quod qui habet poteſtatem vitæ, & necis alicuius, habet in bonis suis poteſtatem, quia vbi maius conceditur minus conceſſum esse videtur, *cap. ex parte tua.* de decimis, & quod in maiori conceditur licitum esse videtur & in minori. *cap. Per venerabilem. qui filij sint legit.*

Respondet Thomas Sanchez ex Couarruu. 2219.
4. *Decretal.*2. *p. cap.*8. *num.*11. hos textus loqui de conceſſionibus à iure conceſſis, non autem de iis quæ à Principe priuatim fiunt. Sed contra est. Primò. Quia textus isti vtriusque iuris fundantur in ratione expreſſa, quod quando maius conceditur licitum videtur esse minus. Quæ ratio currit in aliis casibus similibus, etiam si à iure non exprimantur; nam ex legislatoris mente tacita censentur inclusi in conceſſionibus generalibus, vt egregie Abbas, *cap. At si clerici. §. de adulteriis. n.*8. *de indiciis.* Et ipse Thomas Sanchez *lib.*3. *de Matrim. disp.*24. *num.*4. dicit multis citatis, cuius contrarium dicit Couarruuias falsum. Secundò, Quia si aliquis banniatur à Principe, qui bannitus cum licitè interfici possit, licitè etiam spoliatur,

vt

vt arguit Gloſſa *cap. in litteris. de reſtit. ſpoliator.* vbi Barboſa *n.* 7. quia cui licitum eſt maius quod eſt interficere, licebit & minus quod eſt ſpoliare: ergo diſpenſatio ad maius qualis eſt conſanguineitas continet etiam minus quale eſt diſpenſatio affinitatis in eodem gradu. Et ita reſpondi bene ad præfatam interrogationem.

§. II.

De priuilegiis Regularium quantum ad Oratoria priuata.

SVMMARIVM.

2221 *Duplex horum priuilegiorum genus.*
2222 *An hæc priuilegia ſint reuocata per Trident.*
2225 *Proponitur difficultas circa primum horum priuilegiorum genus.*

2220. MVlta priuilegia referunt Eman. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 43. Hieronym. Rodriguez *Reſolutio.* 9. *num.* 8. Paſqualigus *Reſolutio.* 74. Noſter Pater Franciſcus Ramirez *in Compend. noſtror Priuileg. nondum Typis dato verb. Miſſa* §. 1. *Compendium Fratrum S. Hieronymi verb. Altare* §. 1. *Compendium Societatis tit. Oratorium* §. 1. *&* 2. *liber Monumenta Ordinum conceſſ.* 344. *& in ſupplemen. conceſſ.* 371. Villalobos 1. *part. Summ. tract.* 8. *difficult.* 23. Miranda *tom.* 1. *q.* 40. *art.* 9. *&* 10.

2221. Sed duplex eſt horum priuilegiorum genus Primum, quo conceditur Regularibus vt etiam cameris ſæcularium in altari portatili in loco decenti, & honeſto (dummodo non ſit in locis vbi dormiunt coniugati, vt aduertit Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 5. *verſ.* Aduertant) ſimiliter in plateis, & locis publicis vbique gentium. Quæ priuilegia confirmauit Honorius III. *cap. in his de priuileg.* Et conceſſit iterum Paulus III. Patribus Societatis *anno* 1549. in Bulla quæ incipit, vſus Altaris, quæ habetur *eodem tom.* 2. *Laertij folio* 433. Secundum genus horum priuilegiorum eſt quo conceditur Regularibus vt poſſint erigere Oratoria in proprijs Grangijs, & domibus ruralibus & in Monaſteriis in cubilibus particularibus infirmorum vt etiam è lecto poſſint audire Sacra, & communicare. Ita conceſſit Gregorius XIII. *anno* 1578. Bulla quæ incipit, *quanta in vinea* & Alexander VI. in Bulla quæ integra habetur apud Manuel. Rodrig. in ſuo Bullario *folio mihi* 215. & incipit, *Alexander Epiſcopus edita anno.* 1449. *quinto Kal. Maij.*

Dubium eſt an hæc priuilegia ſint reuocata per Trident. *ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſeruandis, &* 2222. *vitandis* &c. Et quidē de hoc ſecūdo genere priuilegiorū certiſſimum eſt non eſſe derogata. Ita habetur in Compendio Minimor. *vbi ſuprà. & in Compendio Societatis, verb. Oratorium* tenent Portel *verb. Altare num.* 3. Hieron. Rodrig. & Villalob. *vbi ſuprà.* Marchinus *vbi ſuprà. num.* 13. Lezana *tom.* 1. *qq cap.* 21. *num.* 14. Fagundez *n.* 17. Ludouicus à S. Ioanne *quæſt.* 12. *de Euch. art.* 2. *dub.* 1. Ratio eſt perſpicua, quia Concilium ſolum prohibet celebrare extra Eccleſiam, aut Oratoria publica, totum autem monaſterium venit nomine Eccleſiæ, & Oratorij publici, vnde totum gaudet immunitate Eccleſiaſtica qua gaudet Eccleſia, vt multis probant Cardinalis *Clement.* 2. *quæſt.* 3. *de iudiciis* Ioannes Andreas *cap.* 1. *de Reſtitut. in integr.* ergo non reuocauit hæc priuilegia; ſolum enim ad ſummum excluſit domos priuatas ſæcularium, & omnino extra Eccleſiam.

Vnde Eugenius IV. vt habetur in Compend. Ciſtencienſ. *tit.* Grangiæ §. 2. conceſſit & in virtute Spiritus Sancti inhibendo ſtatuit horum 2223. Monachorum Grangias gaudere immunitate Eccleſiaſtica. Et Clemens IV. *Bulla* 2. & Bonifacius IX. *Bull.* 9. quæ habentur in Compendio nouo Prædicator. concedunt quod infringentes, aut violentiam facientes in Eccleſiis, aut locis Religioſorum ſint excommunicati ipſo facto, nec poſſint abſolui niſi à Papa, aut Conſeruatoribus Religioſorum, Grangiæ autem loca ſunt Religioſorum propria, & ita de illis non loquitur Trident. vt optime Talabricenſis *lib.* 2. *de priuileg. cap.* 5. *dub.* 7. *conc.* 1. Sequuntur Peyrinis *tom.* 1. *in conſt. Pyrrhi. num.* 31. Tamburinus *de iure. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 8. Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 3. Reginaldus *in Praxi lib.* 29. *num.* 178. Diana *part.* 6. *tract.* 8. *Reſolut.* 39. Quæ Oratoria poſſunt erigere Regulares, etiam ſine conſenſu Epiſcopi, vt tenent præfati, & conſtat *ex cap. in his de priuileg.* vbi id declarat Honorius III.

Nec obſtat primò, quod Concilium dicat ne Epiſcopi permittant celebrare etiam Regulares in priuatis Oratoriis, quia vt ſupra dixi, ex mente 2224. & intelligentia communi, loquitur de Oratoriis priuatæ domus, non Religioſæ. Non obſtat ſecundò, quod Gregorius XIII. Patribus Societatis, & Pius IV. Canonicis Regularibus Lateranenſibus conceſſerint hoc priuilegium derogando expreſſe Trident. quantum ad hoc, ergo ex eo erat quia Trident. illa priuilegia derogauit. Reſpondetur hoc feciſſe hos Summos Pontifices ad tollendos ſcrupulos, & vt faciant etiam contradicente Epiſcopo, vt modo dicam. Quare adminus ſequitur quod hodie poſt prædicta priuilegia bullata Pij IV. & Gregor. XIII. licitum eſt Regularibus erigere Oratoria priuata in quocumque loco ſiue intra ſiue extra ciuitatem, ſiue ſit domus formata ad quam ſit publicus fidelium acceſſus, ſiue ſit Hoſpitium de licentia Epiſcopi erectum, ſiue ſit Hoſpitium permanens ad quod conueniunt Religioſi itinerantes, aut in quo negotiorum cauſa habitant permanenter aliqui Regulares, etiam ſi ſit vnicus Sacerdos, & cæteri ſint ſeruientes, ſiue Religioſi ſiue ſæculares. Ita Alexander VI. *Bulla* 14. Sixtus IV. *Bulla* 33. *apud Rodriguez.* Pius IV. *Canonicis Lateranenſibus* 18. *Maij* 1565. viuæ vocis Oraculum conceditur vt poſſit dici Miſſa in cella Priorali; etiam hodie tenet non in vi viuæ vocis Oraculi, ſed quia confirmata ſunt Bulla ſpeciali à Paulo V. *pro confirmatio. priuileg. fratr. Minor.* quam refert Ludouicus de S. Ioan *ad finem Summæ* quare non eſt derogatum Bulla Vrbana quod non aduertit Ioannes Garcia *in Summ. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 2. *punct.* 3. *n.* 31.

Circa primum horum priuilegiorum genus maior difficultas eſt an ſint reuocata per Trident. Affirmant plures. Nauarrus *in Summ cap.* 25. *num.* 82. Tamburinis *vbi ſuprà. num.* 4. Reginal- 2225. dus, Suarez, Fagundez, Lezana, Peyrinis *vbi ſuprà.* Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 9. *conc. vlt.* Coninch. *de Sacrament. quæſt.* 83. *art.* 3. *num.* 226. Fauſtus *de Sacram. Euchar. lib.* 2. *quæſt.* 171. Lumblinus *in Summ. verb. Miſſa num.* 1. Hieronymus Garcia

Garcia *vbi ſuprà punct. 3. num. 29.* tum quia Concilium dicit, *non obſtantibus priuilegiis*, tum quia Gregorius XIII. *in Bulla citata.* dicit *vſum Altaris viatici Societati veſtræ à fœlicis recordationis Paulo Papa III. conceſſum, deinde à Concilio Trident. vniuersè ſublatum vobis eatenus reſtituimus*, &c. nil clarius.

At oppoſitum mihi videtur certius, non eſſe ſcilicet derogata, ſed eis non poſſe vti Regulares ſi Epiſcopi contradicant. Ita clarè colligitur ex Trident. dicente *Quod præcipit Epiſcopis ne permittant neque à ſæcularibus, neque à Regularibus*
2226. *ſacrificium hoc peragi*, &c. Quare non aufert à Regularibus ſua priuilegia, ſed præcipit Epiſcopis ne permittant illis vti. Quare ſicut antea inconſulto Epiſcopo id poterant, ita hodie ignorante Epiſcopo ſecluſo ſcandalo. Quare præceptum Concilij non reſpicit Regulares, ſed ſolum Epiſcopum. Vnde ſolum reuocat priuilegium quod habebant Regulares *cap. in his de priuileg.* vt poſſint vti his priuilegiis etiam contradicente, & non conſentiente Epiſcopo. Et hic ſenſus cum ſit perſpicuus admittendus eſt; cum enim corrigat Concilium ius commune debet limitari quam ſit poſſibile, quia correctio iſta eſt odium iuris. Quare ita tenent Portel *verb. Altare n. 1.* Ledeſma *cap. 20. de Euchariſt. verſ. Eſto ſupueſto.* Ludouicus à S. Ioann. *ar. 3. append. 1.* Ioannes à Cruce *lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 5. conc. 2. verſ. obiicies.* Marcus de los Huertos *de ſacrificio Miſſæ quæſt. 14. §. 3. exceptio.* Hieronym. Rodriguez *reſol. 9. num. 8.* dicens *num. 5.* firmiter negare eſſe reuocata. Marchinus *vbi ſuprà num. 12.* Manuel Rodriguez *tom. 1. quæſt. 43. art. 4. & 5. & in additionibus ſumm. cap. 29. num. 3.* Villalobos *vbi ſuprà num. 7. verſ. Tienen.*

Nec fundamentum oppoſitum aliquid valet, iam enim diximus quomodo loquatur, & ſit intelligendum Concilium. Ad ſecundum reſpondetur illud priuilegium datum eſſe, Primò, ad tollendos ſcrupulos, quia vt dicit Pontifex, Concilium illud priuilegium celebrandi in Altari portatili vniuersè ſuſtulit, & erat dubium cum vtrinque eſſent opiniones an eſſet ſublatum quoad Regulares. Secundò, datum eſt vt etiam non conſentiente Epiſcopo, & locorum Ordinariis repugnantibus poſſent extra Eccleſiam celebrare, cuius contrarium decreuerat Concilium derogans, vt dixi, *cap. in his de priuileg.* Quare Patres Societatis habent hoc priuilegium vtendi pro libito ſuo Altari portatili in miſſionibus ſuis. Sed Gregorius XIII. non explicuit quæ miſſiones debent eſſe an vltramarinæ, vel terreſtres, & vniuerſaliter loquitur, ſed ipſi Patres videant in quibus illo vtantur. Certum eſt quod cæteri Regulares qui ſimiles miſſiones faciunt poſſunt illo priuilegio vti, cum ſit priuilegium reale, & non perſonale, vt probant Peyrinis *vbi ſuprà num. 52.* & Fagundez *num. 17.* pro miſſionibus Indiæ, Chinarum, & Iaponis. Vrbanus Octauus edidit Bullam *die 20. Februar. 1633.* quam refert Tamburinius *poſt quæſt. 6 cit.* in qua hoc priuilegium conceſſit omnibus Regularibus illuc cauſa miſſionum euntibus.

***

Thom. Hurtado Reſol. moral. Pars II.

§. III.

De praxi, & vſu horum priuilegiorum Regularium.

SVMMARIVM.

2227 *Altaris portatilis vſus maxima circumſpectione eſt habendus.*

2228 *Regulares poſſunt celebrare in cameris, & cellis particularibus ſuorum infirmorum ſiue ſint viri, ſiue fœminæ, dummodo iſtæ ſint illorum regimini ſubiectæ.*

In Monaſteriis Monialium non debet ita facilè ad praxim reduci niſi maxima circunſpectione, & de licentia eorum qui iure poſſunt illam concedere. ibid.

Si ſit aliquis vir honeſtus in cella alicuius Regularis, & ſit decenter compoſita vt communiter eſt, & ſæcularis incidat in ſimilem infirmitatem, poteſt ibi erigi Altare ad celebraudum.

2230 *Moniales quamuis non habeant priuilegium hoc, nec illis ſit immediatè conceſſum, ſat eſt quod ſit conceſſum Regularibus, quibus ſunt ſubiectæ, & ſub quorum inſtituto viuunt, quia ſunt quid acceſſorium ad Regulares, & veluti pars eiuſdem Ordinis, & ſic participant illorum priuilegiis quatenus capaces ſunt.*

HOrum priuilegiorum vſus maxima prudentia temperandus eſt, ne priuilegia quæ pacis intuitu à Summis Pontificibus ſunt Regularibus conceſſa, illorum abuſu in ſcandala, ſeditiones, & diſcordias cum Dominis Epiſcopis vergant. Sic enim prudentiſſimè Vrbanus VIII. in Bulla reuocationis viuæ vocis Oraculorum edita anno 1632. ideo ea reuocat, quia perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni mandantur, ea minus canonica interpretatione extendendo. Idem dico de priuilegiis circa Oratoria, & Altare portatile; non enim quidquid licet expedit, licent enim quæ ſine peccato poſſumus, at non expediunt niſi quæ prudentia attentis omnibus circunſtantiis dictat. Quare Altaris portatilis vſus maxima circunſpectione eſt habendus, ne ex illo aut ſcandalum, aut ſchiſma cum Dominis Epiſcopis oriatur. Poſſunt tamen vti priuilegiis primi generis in locis publicis quando maximus eſt hominum concurſus quos Eccleſia, aut Heremitorium capere non poteſt, vel tempore peſtis, aut inter infideles, & Hæreticos, & in longo itinere, vel ad communicandum per modum Viatici moribundum cui aliter ſubueniri non poteſt; & ſic practicari debent, & non aliter, aliàs in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni mandarentur. Et quidem Pontifices huiuſmodi priuilegia Regularibus conceſſerunt pro huiuſmodi caſibus occurrentibus, & extra illos prudentia magna eſt illis vtendum. 2227.

Circa praxim verò, & vſum priuilegiorum ſecundi generis multa notant Doctores quæ hic ad breuem ſummam reduco. Primum poſſe Regulares celebrare in cameris, & cellis particularibus ſuorum infirmorum ſiue ſint viri ſiue fœminæ, dummodo iſtæ ſint illorum regiminì ſubiectæ. Ita Pius IV. in priuileg. facto Canonicis Lateran. ſupra relato, & eſt in praxi etiam poſt Trid. vt notant 2228.

Pasqualigus *decis.* 76. Marchinus *vbi suprà n.* 12. Peregrinus *in Compend. suorum priuilegior. verbo infirmi* §. 2. Lezana *numero* 14. Hieronymus Rodriguez *num.*7. In Monasteriis tamen Monialium non debet ita facilè ad praxim reduci nisi maxima circunspectione, & de licentiam eorum qui iure possunt illam concedere. Infirmitas tamen ista non requiritur quod sit grauissima, sed sat est quod infirmus ita decumbat lecto, quod de Medicorum ordine non expediat surgere, vel quod ita sit valetudinarius quod propter debilitatem, aut aëris intemperiem commodè non possit è cella exire, nec in hoc scrupulosè est procedendum sed vtendum in sua amplitudine priuilegio, vt notat optimè Pasqualigus *numero* 5. & Lezana *vbi suprà* ex quo Diana *part.*6. *tractat.* 8. *resolut.* 40. dicit hoc priuilegium Pij Quarti magnum esse, quia est cum derogatione Concilij Tridentini, quia illo vti possumus etiam contradicente Episcopo, qui quantum ad hoc in domibus Regularium, vtpote exemptis, nihil possunt contradicere. Imo existimo quod si sit aliquis vir honestus in cella alicuius Regularis, & sit decenter composita vt communiter est, & sæcularis incidat in similem infirmitatem potest ibi erigi Altare ad celebrandum. 2229.

Secundum aduertendum quod quamuis Moniales non habeant priuilegium hoc, nec illis sit immediatè concessum, sat est quod sit concessum Regularibus quibus sunt subiectæ, & sub quorum instituto viuunt, quia sunt quid accessorium ad Regulares, & veluti pars eiusdem Ordinis, & sic participant illorum priuilegiis quatenus capaces sunt. Participant etiam priuilegium communicandi in priuilegiis aliorum Ordinum, etiam si per nullum priuilegium speciale trahantur ad hanc communicationem. Ita Castro Palao *tom.* 1. *tractat.* 3. *disputat.* 4. *punct.* 2. §. 9. *num.*1. Miranda *tom.*2. *quæst.* 46. *art.*2. Manuel Rodriguez *tom.*3. *quæst.*13. *art.*21. & 22. & *quæst.* 20. & 21. Hieronymus Rodriguez *resolut.* 98. *num.*15. & *resolut.* 116. *num.*46. Quod probant innumeris priuilegiis Summorum Pontificum, quæ confirmarunt Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. & Paulus V. & Clemens VII. Bulla 33. in Bullario Manualis addit concessionem, & communicationem priuilegiorum omnium concessorum, & concedendorum quibuscumque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, &c. Ex quo manifestè deducitur quod cum in Clement. *Religiosis* §. *sane* de priuilegiis, & aliis priuilegiis famuli, & familiares Fratrum possint ab eisdem Fratribus sepeliri, etiam repugnantibus Parochis, idem possunt ij Fratres respectu famularum, & famulorum sæcularium Monialium. Sic respondi consultus anno 1647. Et mihi est manifestum. Neque est necessarium quod Moniales ostendunt aliud priuilegium, nisi illud quod habent Fratres, & vsus quotidianus quod Moniales participant omnibus priuilegiis Fratrum; aliàs famula sæcularis quæ est intra septa Monasterij si moriatur deberet à Parocho sepeliri quod nunquam est visum. 2230. 2231.

Tertiò, etiam si Moniales non sint sub instituto Regularium quibus commissæ sunt, vt si sint instituti Sancti Dominici, vel Sancti Franciscí, & commissæ sint Regularibus alterius instituti. Ita Pasqualigus, *decis.* 79. Quia, inquit, 2232.

sunt pars Congregationis illorum quibus commissæ sunt, cum subsint Generali & ab eis regantur. Tum etiam quia isti Regulares gaudent priuilegio Fratrum Minorum illis concesso à Bonifacio VIII. teste Sorbo *verb. communicatio num.* 6. quo conceditur quod Moniales sibi commissæ gaudeant priuilegiis sibi concessis. Sed ego multum dubito de hac doctrina, nisi praxis sit in contrarium, sciente, & tacente Summo Pontifice, quia priuilegia communicantur non præscisse ratione regiminis, sed ratione eiusdem instituti, & regiminis simul.

Quartò, practicari potest celebratio in Altari portatili in flumine vel in mari, si mare, & flumen sit tranquillum taliter quod iuxta peritos nautas nullum adsit periculum tempore celebrationis, quod sanguis effundatur. Quod maximè 2233. cuitabitur si adsit alius Sacerdos, vel Diaconus qui fixum manibus teneat Calicem ne motu nauis euertatur; sic enim iam expertum est nullum fuisse periculum, quo secluso iam Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. concesserunt Patribus Societatis nauigantibus Indiam vt in mari sacrificent. Quod possunt alij sæculares facere si adsit Oratorium in naui. Ita Pasqualigus *decis.* 82. multis citatis, & hodie est secura sententia, quia Authores quos adducit pro prima sententia idem sentirent si iudicarent non adesse periculum effusionis sanguinis, sicut iam expertum est non adesse, propter hoc solum id negant vt videre est in Suarez *disput.* 82. *citata. sect.*3. *vers. tertia.* Vasquez 3. *part. disputat.* 233. *cap.*1. *num.*5. Coninch *num.*226. Reginaldo *numero* 168. Fausto *quæst.* 171. *vers. sed cæteri.* Lezana *part.*1. *cap.*21. *num.*16. & aliis.

Et in hoc periculo quod timebatur fundabatur 2234. consuetudo non celebrandi in mari, sed solum in terra, & iam experientia teste quod non sit periculum hæc consuetudo euersa est. Et quidem non adesse iam periculum cum circunstantiis positis mihi certum est, cum Summi Pontifices priuilegium concesserint celebrandi in mari; si enim esset periculum morale non potuissent concedere. Verum est quod illud concesserunt in nauibus ad Indiam Orientalem pergentibus, quæ prægrandes sunt, & non ita facile ventis agitantur, & inquiete mouentur, sed tranquillo motu currunt. Verum idem dicendum est in aliis nauigationibus dummodo naues non agantur procella, sed sint in mari pacifico, & in illis sit locus decens, & ordinariè est in camera puppæ; in illis enim potest perfici sacrificium non solum pro communicando existenti in articulo mortis, sed etiam in festiuitatibus insignibus pro deuotione fidelium ibi existentium. In triremibus autem quia multo leuius mouentur, non ita concederem hoc, quia de illis experientia non constat non adesse periculum, & nollem quod in illis experiretur.

Quintum, Pasqualigus *decis.* 77. existimat 2235. quod si Regularis sit in domibus sæcularium infirmus possit alius Regularis celebrare ibi; imo videtur dicere quod etiam Sacerdos sæcularis si eligatur ab infirmo Regulari, quia, inquit, hoc est priuilegium personale quod non est affixum loco, sed sequitur personam, *cap. priuilegium de Regul. iur. in* 6. Sed hoc nullatenus admitto, quia priuilegium Regularibus infirmis non est purè personale, sed respicit locum sui Monasterij, quia extra Ecclesiam non licet celebrare.

Et

Et quamuis Regularis habeat ad hoc priuilegium non expedit illo vti in domibus sæcularium, vt supra dixi, inconsulto Episcopo, nisi iste non possit consultari, & sit vrgentissima necessitas. Quod si adsit Sacerdos Regularis iste & non sæcularis qui nullo modo habet priuilegium celebrare debet, nisi sit in loco vbi id possit facere virtute Bullæ Cruciatæ iuxta dicenda §. 5.

§. IV.

Vtrùm habens Bullam Cruciatæ sine alio priuilegio possit in domo priuata erigere Oratorium quod ab Episcopo designetur, & approbetur.

SVMMARIVM.

2236 *An sine alio priuilegio, is qui habet Bullam Cruciatæ possit in domo priuata erigere Oratorium, quod ab Episcopo designetur, & approbetur?*

2236. AFfirmant Hieronymus Garcia *vbi suprà punct. 3. num. 25.* reputans id probabile. Ludouicus à Cruce *in expositio. Bullæ disput. 1. cap. 5. dub. 1. num. 5.* Diana *part. 5. tractat. 10. resol. 76.* dicens doctrinam Ludouici esse valde notandam, nam potest deseruire in casibus quotidianis. Dicit enim Hieronymus Garcia, *Por muy probable tengo que si el Obispo anduuiesse con opinion que no obstante la prohibicion (* del Papa *) puede en virtud de la Bulla, mientras que no la reuoca el Papa que podria licitamente el Obispo approbarlo, y el dueño del Oratorio vsar del sin pecado.* Addunt tamen Diana, & Ludouicus quod si Episcopus nolit approbare Oratorium potest habens Bullam illum compellere per potestatem, quod si adhuc nolit, poterit si locus decens est iudicio prudentis celebrare si Sacerdos sit, vel facere celebrare, quia tunc licentia petita, & non concessa sufficit, argumento *ex cap. licet de Regularibus.*

2237. Probatur hæc sententia valde efficaciter ex verbis Bullæ relatis in principio, quæ dicit, *Puedan oir Missa ò dezirla en Oratorio particular señalado, y aprobado por el Obispo*, &c. Ex quibus verbis duo habentur valde notanda. Primò, quod Episcopus virtute Bullæ potest designare, & approbare Oratorium in domibus priuatis. Secundò, quod semel designato, & approbato non potest Episcopus prohibere quod in illo aut celebretur, aut Missa audiatur, & eius prohibitio non sat erit vt non possit in illo celebrari, aut audiri Missa. Vnde Bulla Cruciatæ derogat ius commune *cap. sicut non alij de consecrat. distinct. 1.* & Concilium Tridentinum *sess. 22. in Decreto citato.* Cum autem nec Paulus V. in duobus Breuibus de hac re editis, nec Vrbanus VIII. in Breui edito anno 1625. reuocauerint Bullam Cruciatæ, sicut requiritur quod expressè reuocetur, semper manet in Episcopis potestas in virtute Bullæ designandi, & approbandi Oratoria particularia. Et ita concludit Hieronymus Garcia *num. 26. Esta misma opinion tienen muchos Padres de la Compañia con quien yo lo he comunicado, y assi no se puede negar sino que esta opinion es probable.*

Secundò probatur, quia ea quæ adducit Trullench *lib. 1. §. 3. dub. 4.* contra hanc opinionem non sunt efficacia; dicit enim quod cum priuilegium Bullæ sit omnibus peruium cuiuscumque etiam infimæ notæ hominibus, etiam officialibus mechanicis, & omnibus istis licitum esset Oratorium in propria domo, quod nullatenus est admittendum propter reuerentiam singularem tanti, & tam tremendi sacrificij. Vnde cum in primitiua Ecclesia cuicumque fidelium liceret Eucharistiam in domos priuatas deferre, in sequentibus seculis hoc omnino est prohibitum propter irreuerentiam quæ multoties contingebat in tam excelsum Sacramentum. In Concilio Cæsaraugustano *cap. 3.* vsque ad eius tempora hic mos durauit, vt fatetur Baronius anno Christi 57. & Diui Petri anno 13. vbi plura de hoc inuenies. 2238.

Hoc, inquam, argumentum non est efficax quia ad euitandum hoc inconueniens dicitur in Bulla, in Oratorio designando, vel visitando ab Ordinario, qui vtique iudicabit an sit locus decens, sicut de confessore eligendo dicitur quod sit etiam approbatus ab Ordinario. Sicut enim si non sit approbatus non potest eligi, sic nec in Oratorio domestico celebrari nisi sit visitatum ab Ordinario. Et sicut dum Papa reseruat sibi aliquam censuram potestate Ordinaria non tollit quin virtute Bullæ quæ concessa est plenitudine potestatis possit quis absolui, & ex vi illius concedit iurisdictionem Sacerdoti approbato vt absoluat; ita licet potestate Ordinaria prohibeat Episcopis ne concedant oratoria, aut illa approbent, vel designent, tamen virtute Bullæ Cruciatæ quæ speciale est priuilegium Monarchiæ Hispanæ concedit potestatem Episcopis vt approbent, vel designent Oratoria in domibus habentium Bullam. 2239.

Tertiò, quia Commissarius Bullæ habet potestatem dandi licentiam, erigendi Oratorium, vt tenent Trullench *lib. 2. §. 5. dub. 3. numero 7.* Alphonsus Perez de Lara *in lib. trium gratiarum fol. 59.* vt praxis docet, quod non ex alio habet potestatem nisi ex verbis relatis Bullæ. Vnde illi credendum est dum dicit posse id concedere: ergo ex vi Bullæ licitum est Episcopis approbare, & designare Oratoria in priuatis domibus. 2240.

Quartò, quia nec ea quæ adducit Hieronymus Garcia vrgent, quia si hoc priuilegium dicendi Missam in Oratorio ab Episcopo designando, & approbando continetur in Bulla, ad quid Pontifices Summi sibi reseruant hanc potestatem, & tam strictè prohibent non solum Episcopis, sed etiam suis Nuntiis ne licentias dent ad huiusmodi Oratoria, nisi in casu impedimenti legitimi in quo illas concedant, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, si quilibet habens Bullam potest id sibi assumere, certè quidem hoc est incredibile. Hoc, inquam, argumentum, sicut, & Trullench efficax non est, quia loquitur Pontifex potestate Ordinaria, non plenitudine potestatis qua concessit Bullam. Vnde Pontifex tollit ab Episcopis, & Nuntiis potestatem dandi licentias, non tamen prohibet quod approbent Oratoria illorum qui habent ex vi Bullæ licentiam illa erigendi, quam habent à Ponti- 2241.

fice concedente Bullam. Sicut ſemel approbatus vbique poteſt eligi per Bullam, quia electus accipit iuriſdictionem à Papa, non tamen vbique poteſt excipere confeſſiones, ſed ſolum in Diœceſi in qua eſt approbatus.

Fateor hanc ſententiam valde probabilem eſſe & tutam in praxi ſi velint Domini Epiſcopi illa vti, quia, vt dicebam, Epiſcopi non dant licentiam habendi Oratorium, ſed ſolum Summus Pontifex, licet ipſi Epiſcopi approbent, & deſignent locum honeſtum, ſicut ſupra ex multis
2242. Authoribus, & priuilegiis Summorum Pontificum oſtendimus quod Regularibus non concedit Epiſcopus iuriſdictionem, & licentias ad audiendas confeſſiones, ſed ſolum Summus Pontifex, licet vt iſte dicatur illas concedere requiratur tanquam conditio neceſſaria poſita de nouo à Tridentino approbatio ipſius Epiſcopi. Cæterum contrarium eſt amplectendum quod virtute Bullæ non poſſit quis erigere Oratorium ab Epiſcopo deſignandum, & approbandum quia praxis fidelium, & conſuetudo viget in contrarium, nec Domini Epiſcopi id admittunt, ſed priuſquam examinent, & approbent locum exigunt Breue ſpeciale aut Papæ, aut Nuntij Apoſtolici.

§. V.

Satisfit titulo Digreſſionis vtrum Oratorium ſemel approbatum, ſemper maneat approbatum, itaut virtute Bullæ poſſit quilibet in illo celebrare, vel facere celebrare ſine noua licentia?

SVMMARIVM.

2243 *Oratorium ſemel approbatum an ſemper maneat approbatum, itaut virtute Bullæ poſſit quilibet in eo celebrare, vel facere celebrare ſine noua licentia?*

2244 *Oratorium poteſt erigi approbante Ordinario, 1. Tranſeunter propter neceſſitatem vrgentem, qua tranſacta locus Oratorij conuertitur ad prophana. 2. Poteſt approbari locus aliquis in Oratorium illum deſtinando ad cultum diuinum permanenter, ita quod nunquam tranſeat ad prophana.*

2246 *Approbatio primario reſpicit perſonam cui conceſſum eſt priuilegium, & ſecundario reſpicit locum approbatum.*

2243. ORatorium debere eſſe approbatum ab Ordinario qui vel ſit Epiſcopus, vel habens iuriſdictionem Epiſcopalem, vt ſunt quidam Abbates, & Priores, omnino certum eſt, cum id exprimat priuilegium Bullæ. Sed an ſufficiat quod ſit approbatum ab Ordinario loci in quo erigitur Oratorium, Hieronym. Garcia *vbi ſup.* Ludouicus à Cruce, & Diana citati, & ſequitur Trullench *in expoſit. Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. n. 7. in fine*, ſentiunt ſufficere quod ſit approbatus à quolibet Ordinario. Sicut ad hoc quod quis eligatur in Confeſſorem virtute Bullæ ſat eſt quod ſit approbatus ab Ordinario ſiue pœnitentis, ſiue confeſſarij, vt multis citatis dixi eſſe valde probabile, & in praxi ſecurum ſupra.

Oratorium multipliciter poteſt eligi approbante Ordinario. Primò, tranſeunter propter neceſſitatem vrgentem, qua tranſacta locus Oratorij conuertitur ad prophana. Et in hoc Oratorio certum eſt non poſſe virtute Bullæ celebrari, quia nullo modo manet Oratorium, ſed locus prophanus ſicut antea; quare amiſit approbationem Ordinarij qui illud approbauit tranſeunter non permanenter. Secundò, poteſt approbari locus aliquis in Oratorium illum deſtinando ad cultum diuinum permanenter, ita quod nunquam tranſeat ad prophana, quia in illo erectum eſt Altare magnum, & poſitum Altare portatile quod eſt Ara, quamuis tamen non ſit in illo per multum temporis celebratum, tamen ſemper habitum eſt in veneratione, tanquam deſtinatum cultui diuino, quam deſtinationem ſemper conſeruat quandiu in illo manſit Altare immobile quamuis ſemel, & iterum per accidens, & occaſionaliter ibi dormiatur, aut labores manuales exerceantur; & in Oratorio ſic ſemel approbato ſemper ineſt approbatio, & de illo dico quod quamuis in domo in quo ſitum eſt habitent diuerſi moratores quilibet poteſt ratione Bullæ Cruciatæ celebrare ſi ſit Sacerdos, & ſi laicus facere celebrare. 2244. 2245.

Probatur primò, quia licet priuilegium habendi Oratorium priuatum intra domeſticos lares concedatur à Papa Nuntio Apoſtolico, vel erigatur ab Ordinario tanquam priuilegium perſonale quod ſequitur perſonam vbicumque fuerit, tamen ad hoc vt priuilegium exequatur requiritur tanquam conditio approbatio, deſignatio, & examen loci ab Epiſcopo faciendum; quo facto, & approbato, approbatio ſẽper manet quæ primario reſpicit perſonam cui conceſſum eſt priuilegium, & ſecundario reſpicit locum approbatum, qui ſi maneat in eadem decentia, & non tranſeat ad prophana, ſemper manet dicatum diuino cultui ex vi prioris approbationis, & ita ſemper manet approbatum; nam approbatum ſemel ſemper manet approbatum manentibus circunſtantiis ſub quibus approbatum, fuit *l. Pomponius D. de negotiis geſtis.* Marius Antoninus *variar. lib. 2. reſolut. 30 num. 25. Gloſſa cap. cum Vintonien. de electio. verb. admiſerunt.* Sequitur Barboſa *ibi num. 3.* Surdus *conſ. 351. num. 41. & deciſ. 132. num. 4.* Mantica *deciſ. 274. num. 2. & 3.* & eſt axioma in iure certum. Quare ſolus Princeps poteſt reprobare quod ſemel approbauit *l. ſed & reprobari D. de excuſatio. tutor. l. vt gradatim §. reprobari D. de muner. & honor.* quod ſi Princeps expreſsè non reprobet, cenſetur ſemper approbatum quod ſemel approbauit. 2246. 2247.

Secundò probatur, quia ita ſe habet celebratio ad Altare in Oratorio ſemel approbato, & electo ab Ordinario ac ſe habet abſolutio à reſeruatis, etiam Papæ facienda à confeſſore eligendo approbato ab Ordinario, eodem enim tenore verborum loquitur priuilegium Bullæ in vtroque caſu; atqui ſemel approbatus ad audiendas confeſſiones quamuis mutet locum domicilij, & Diœceſis manet ſemper eligibilis ab habente Bullam, vt multis citatis diximus ſupra eſſe valde probabile, & ſecurum in praxi, quia priuilegium Bullæ ſequitur perſonam pœnitentis, & confeſſarij, conſequenter ergo Oratorium ſemel approbatum poteſt eligi à quacumque perſona habente Bullam, quamuis ad 2248.

ipſius

ipsius petitionem non sit approbatum vt in illo celebret, vel faciat celebrare, quia priuilegium celebrandi in Oratorio approbato sequitur personam habentem Bullam.

2249. Tertiò, quia vt dicunt Authores citati initio huius §. 5. approbatum ab Ordinario intelligitur approbatum à quocumque Ordinario, etiam si sit extra suam Diœcesim: ergo quando dicitur approbatum, intelligitur etiam si sit approbatum respectu alterius. Et hæc dicta sint de hac Digressione.

Resolvtio Penvltima.

Quomodo suffragari debeant Examinatores Synodales an publicè, vel secreto per obulos nigros,

SVMMARIVM.

2250 *Examinatores Synodales quomodo suffragari debeant an publicè vel secretò, per fabas nigras, & albas?*

2250. NIcolaus Garcia *p.9.de Beneficiis cap.2.n.391.* dicit quod per fabas nigras, & albas; in cuius confirmationem adducit Concilium Bononiense sub Eminentissimo, Doctissimo, & Pientissimo Cardinali Paleoto Archiepiscopo Bononiensi anno 1586. approbato à Congregatione Eminentissimorum Cardinalium his verbis quæ

2251. habentur in fine Concilij: *Superiora omnia Synodi huius Prouincialis Decreta re cognita, & approbata fuerint à Sacra Congregatione Concilij Trident. Hieronymus Cardinalis Meteius.* Igitur in hoc Concilio p. 4. de examine per concursum §. de votis examinatorum sic habetur: *Peracto examine licebit examinatoribus aliqua inter se de illorum conditionibus & peritia, seu imperitia in examine cognita in morem colloquij tractare. Certum tamen illorum iudicium, constansque determinatio non verbis palam prolatis, sed à secreta suffragiorum per albas fabas, & nigras decisione pendebit, ita tamen quod nec etiam priuatas illas sermocinationes cuiquam sub pœna arbitrio Ordinarij infligenda liceat propalare.* Hæc ibi. Quod etiam sequitur Cechus de Republica Ecclesiastica *cap.28. num.7.* Et quidem hoc valde expediens est ad libertatem in approbando, & ad euitandas

2252. dissensiones & odia, tum inter examinatores ipsos, tum inter eos & Episcopum, & tandem examinandorum. Sic enim fit in fere omnibus Republicis tam sæcularibus, quam Regularibus in approbandis officialibus publicis, aut Nouitiis; quanto enim strictius est secretum tanto liberius, & prout magis expedit bono communi suffragium fertur.

Sed nihilominus Sacra Congregatio sic declarauit. *Licet Concilium non expresserit an vota examinatorum palam aut secreto fieri debeant, magis tamen expedit vt examinatores palam inter se sua vota conferant, deinde Notario iubeant vt in actis suis simpliciter scribat Titium approbatum idoneum, Caium vero reprobatum.* Ita referunt Bellarminus, Barbosa, Farinacius *ad cap.18. sess.24.* Tridenti- 2253.
ni, Garcia *vbi sup. num.* 107. sequuntur Barbosa *in Collectan. num.*120. Franciscus Leo in Thesauro Fori *Eccles. p.2. cap.3. num.35.* & sic practicatur hodie in pluribus Ecclesiis Hispaniæ in quibus habetur rigidum examen per concursum ad Parochiales, non vero obseruatur in prouisione Magistralium, & Doctoralium, sed per vota secreta eligitur dignior. Examinatores vero ad Parochiales, cum non eligant, sed approbent non est necessaria calculatio secreta, quamuis, vt verum fatear, satis conueniens esset ad expeditam libertatem in approbando quod fieret per vota secreta, vt satis probant motiua Concilij Bononiensis.

Resolvtio Vltima.

Quæ debeant examinatores interrogare?

SVMMARIVM.

2254 *Examinatores quænam debeant interrogare, remissiuè?*

LAtissimus se offerebat Campus vbi se animus 2254.
latissimè, & iucundissimè spatiare posset, sed ne opus hoc in inmensum crescat decreui ab hoc in speciali desistere remittendo ad aliquos Doctores vbi examinatorum prudentia exerceatur, specialiter in quodam Decreto Concilij Mediolanensis 5. sub Sanctissimo Cardinali Borromæo. *3.p.tit.de examinandi ratione*, & habetur *tom.*4. Concilio Agripin. *part.*2.

Et hæc de hoc Tractatu dicta sufficiant, quibus 2255.
completur Tomus iste primus Tractatuum ad laudem omnipotentis Dei, Virginis Matris eius, Sancti Iosephi Sponsi, Sancti Angeli Custodis, & Sancti Thomæ Aquinatis. Et in recordationem Eminentissimi Caietani quos duos à prima ætate in Magistros elegi. Quidquid autem dixero in hoc Tomo vel in aliis meorum operum, quod non sit consonum fidei Catholicæ Romanæ, & bonis fidelium moribus, stylo, & consuetudini Sancti Tribunalis Inquisitionis ex nunc reuoco, & volo vt non dicta habeantur. Ita protestor, Ita Deus me adiuuet, & Sancta eius Euangelia. Hispali, *die 16. Octobris anni* 1647. *ætatis meæ* 60.

TRACTATVS DECIMVS-TERTIVS.

VARIARVM RESOLVTIONVM, ET CONSVLTATIONVM.

RESOLVTIO I.

An sit licitum Religioso Sodomatizanti instrumenta subministrare vt carcerem effugiat.

SVMMARIVM.

1 *Supponendum ad Resolutionem propositæ difficultatis.*
2 *Quoties licitum est Reo fugere, & ego possum illi consilium dare de fuga, licitum est præbere illi instrumenta fugæ.*
3 *Non est licitum Ministris Iustitiæ.*
5 *Non licet simul cum Reo carcerem frangere, nisi sit sanguine iunctus.*
11 *Regularis qui propter verum crimen ad carcerem est condemnatus, si illi imponatur præceptum quod non fugiat, non potest fugere, nec illi auxilium præstari ad fugam.*
15 *Qui ad triremes damnatur non potest fugere.*
16 *Damnatus ad mortem siue sententia veritati nitatur, siue non, potest fugere?*
19 *Ante sententiam latam potest reus fugere.*

1. AVT loquimur de Religioso propter suspicionem, denuntiationem, aut accusationem incarcerato, & nondum sententia lata contra ipsum, aut postquam sententia in ipsum lata est, quam supponimus iustam fuisse. Et hoc modo dupliciter, aut sententia lata est capitalis, aut quod maneat in carcere vel perpetuo, vel temporali: vel denique sententia iusta est tantum secundum allegata, & probata, cum reipsa sit ipse innocens; vel reipsa nocens est, & vt sic condemnatus. Hoc supposito sequentes subiicio Regulas de hoc casu sum interrogatus anno 1637.

§. I.

Quoties reo licitum est fugere, licitum est præbere instrumenta fugæ.

2. PRima sit Generalis. Quoties licitum est reo fugere, & ego possum illi consilium dare de fuga, licitum est præbere illi instrumenta, vt catenas frangat, portas effringat. Sic tenent Azor 3. *part. lib.* 13. *cap.* 24. *dub.* 3. Syluius 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. §. *Quæritur* 20. Malderus *tract.* 6 *cap.* 3 *dub.* 7. Villalobos *in summ. tract.* 16. *diffic.* 11. *n.* 26. Turrianus 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 58. *dub.* 3. *n.* 2. 3. & 4.

Ratio est quia si licitum est consulere finem, cur non licebit & præbere media ad talem finem consequendum? actio enim instrumenti suam malitiam, aut bonitatem desumit ex principali actione; hanc supponimus licitam esse, ergo & actio instrumenti licita erit.

§. II.

Non est licitum Ministris iustitiæ.

3. ADuertit tamen Ludouicus Turrianus, & optimè Ministros Curiæ, aut iudicem, sicut non posse consulere quod fugiat, ita nec posse illi instrumenta præbere; nam contra fidelitatem sui officij facerent, si tale præberent consilium. Et certè aliàs nihil esset tutum in Republica, hæ enim personæ ex officio debent conari, ne reus fugiat.

4. Ego aduerto quod hæc doctrina maximè comprehendit custodem carceris, iudicem qui causam cognoscit, & comprehensorem rei: quod si sint alij iudices, & Ministri aliorum Tribunalium non iudico improbabile, & quod possint consulere, & instrumenta præbere, maximè si reus consanguineus sit, aut affinis, aut valde amicus.

§. III.

Non licet simul cum Reo carcerem frangere, nisi sit sanguine iunctus.

5. ADuerto etiam cum eodem Turriano *num.* 3. quod licet sit licitum instrumenta præbere, non tamen licet simul cum Reo carcerem effringere, fractio enim carceris Reo conceditur ad tuendam propriam vitam, aliis autem denegatur, quia alias nihil esset in Republica tutum, & securum, & plurima delicta manerent impunita. Vnde est maximum discrimen inter hoc quod est præbere Reo instrumenta, & hoc quod est effringere cum illo carcerem; illa enim actio instrumenti sequitur in bonitate, & malitia actionem principalem, cui subordinatur. Quare si actio principalis licita licet illi subordinare instrumentum; at carceris effractio facta ab alio quam à reo est secundū se actio principalis proueniens à cooperante, qui cooperari nequit ob bonum publicū. Quare iste

iſte tenebitur ad reſtitutionem damnorum prouenientium bono publico, aut carceris cuſtodi ex tali effractione, cum ipſe eam licite non faciat, ad quæ damna non tenetur ipſe reus, vt notant Siluius *vbi ſuprà. in ſolut. ad* 4. Diana *tract. 5. Miſcellan. reſolut.* 102. contra Azor *vbi ſuprà. dub.* 4. *§. tota difficultas*, dicens hoc eſſe certum apud omnes.

7. Quia quod alij incarcerati fugiant, ſi ipſe fugam non conſuluerit non imputatur illi qui vtitur iure ſuo in tuenda vita, & fama, ſi aliàs non poteſt alio modo eam tueri, cum non teneatur non attendere vitæ ſuæ, & famæ, vt euitet alterius damnum, quale eſt quod alij fugiant, cum ſibi non incumbat eos cuſtodire. Idem eſt de portarum effractione, & parietum diruptione, vt notat Tannerus 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *dub.* 5. *n.* 104. & 105. Quia in hoc non tenetur ratione rei acceptæ, cum eorum nihil portauerit, nec ratione iniuſtæ acceptionis cum in hac ratione non
8. peccauerit. Exiſtimo tamen hoc eſſe certum apud omnes, quod ſi præbens inſtrumenta filius ſit, aut nimis coniunctus ſanguine, cui infamia magna ſequitur, ſi reus condemnetur, poteſt etiam iuuare ad carceris fractionem, nam ſicut reus ſuum defendit ius, ita & iſte, ne infametur.

9. Sed fateor tam in primo, quam in ſecundo puncto non eſſe improbabile, ſed maximè probabile oppoſitum, ſi frangens carceris portas præuideat alios incarceratos euaſuros, & notabile damnum quod cuſtodi ſumme vigilanti, & diligenti ex hac euaſione orietur, ſicut & damnum quod oritur ex non ſolutione debitorum, quod naſcitur aliis, ad hoc enim tenetur nec ratione rei acceptæ, quia in ea non factus ſit ditior, nec ratione acceptionis iniuſtæ, cum non peccauerit, ſed ratione damni illati. Sic Azor *vbi ſup. §. ſecundò certum* & eſt doctrina S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 23. *art.* 8. aſſerentis, quod quando nocumentum eſt præuiſum, etſi non intentum, aggrauat peccatum, ſicut ſi quis fugiens latrones ſegetes conculcet tenetur de damno illato, etiam ſi non peccauerit. legatur Monteſinos *ibi diſp.* 5. *quæſt.* 7. *num.* 104. Et expreſſe tenet Turrian. *vbi ſuprà, dub.* 2. *n.* 17.

10. Verum eſt quod non eſt tam certa hæc Sententia in reſtitutione damni portarum, & parietum ruptorum, quia vt denotat Azor *vbi ſuprà.* cuſtodes videntur tacite Officium aſſumere, cum periculo, & damno, vt ſciant carceres interdum eſſe frangendos à reo; videtur enim inter cuſtodem, & reum eſſe quædam tacita conditio, vt reus ſi carcerem confringat pœnæ capitali ſubiiciatur, & cuſtos habeat hoc periculum, & damnum vt carcer poſſit confringi, itaut cuſtos teneatur carcerem bene munitum cuſtodire diligente.

§. IV.

Regularis qui propter verum crimen ad carcerem condemnatur, ſi illi imponatur præceptum quod non fugiat non poteſt fugere, nec illi auxilium præſtare ad fugam.

11. SEcunda Regula. Religioſus qui poſt ſententiam quæ nititur veritati eſt damnatus ad carcerem perpetuum, vel temporale, etiam diuturnum, propter Sodomiam aut aliud crimen dignum capitali pœna, ſi illi imponatur formale præceptum obedientiæ vt non fugiat, non poteſt fugere, nec alius poteſt illi dare conſilium de fuga. Colligitur manifeſte ex Caietano 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. §. *ad ſecundum.* Soto *lib.* 5. *de iuſtitia & iure. quæſt.* 6. *art.* 4. Driedone *lib.* 2. *de libertate Chriſtiana. cap.* 6. Turriano *vbi ſupr. dub.* 2. *n.* 6. & aliis innumeris

Ratio eſt quia pœna iſta iuſta eſt, & debita 12.
crimini, atque ita iudici competit mandare vt eam exequatur, & licitum illi eſt vi reum detinere: ergo ipſi reo non licet fugere, alias daretur iuſtum bellum ex vtraque parte. Confirmatur quia Superiori licitum eſt præcipere Religioſo ſub præcepto formali, vt exequatur id quod eſt ſecundum regulam, ſecundum qaam pœna incarcerationis perpetuæ tali crimini debetur, vel alia maior, qualis eſt capitalis, quæ in aliam commutatur: ergo tenetur illi obedire.

Dixi ſi ſententia veritati nitatur, nam ſi ſolum 13.
ſit lata ſecundum allegata, & probata, & reipſa tale crimen non commiſerit, & ſi humilitatis eximiæ motiuo ductus poſſit parere, non tenetur obedire, nec præcepto, nec ſententiæ, nec ordinem iuris ſeruare, ſed ſi per iuſtam appellationem non poteſt euitare ſententiam, poteſt fugere, & carcerem frangere, in quo caſu ſolum per accidens daretur bellum iuſtum ex vtraque parte cum ſententia veritati non nitatur.

Dixi ſecundò, *Religioſus*, nam ſæcularis pro- 14.
babile eſt adhuc in caſu huius regulæ quod etſi ſententia veritati nitatur, poſſit fugere; niſi ſententia expreſſe feratur quod maneat in perpetuo carcere itaut non poſſit fugere, quod fieri poſſe notant Caietanus, Sotus, Turrianus; iudex enim ſecundum merita delicti habet poteſtatem ſic ferendi ſententiam, ſed communiter ſic non fertur ſed tantum ſit condemnatio ad carcerem perpetuum, non excludens ius quod habet reus ad fugiendum, qui enim ſic damnatur cuſtodi carceris incumbit quod ipſum ſic cuſtodiat, vt non fugiat; quod ſi fugiat, ſibi imputet cuſtos. Sic Bonacina *de legib diſput.* 20. *punct.* 2. *num.* 14. *de carceratis, & carcerum cuſtodibus. ad quid teneantur.* Videndus eſt omnino Farinacius *in Praxi crimin. part.* 1. *tom.* 2. *quæſt.* 30. & 31.

§. V.

Qui ad triremes damnatur non poteſt fugere.

EX quo conſtat quod ille qui ad triremes 15.
perpetuo, vel ad tempus eſt damnatus, vel ad metalla, vel vt à Patria exeat, tenetur non fugere, quia per ſententiam iuſtam veritati nitentem amiſit ius patrium, & Princeps acquiſiuit ius vt damnati ad triremes illi inſeruiant remigando. Sic Caietanus, Sotus, Turrianus, *vbi ſuprà.* contra Diana *paragrapho notandum ſecundo.*

***

§. VI.

Damnatus ad mortem, siue sententia veritati nitatur, siue non, potest fugere.

16. TErtia Regula. Qui damnatus est ad mortem per sententiam iustam, siue veritati nitatur, siue non, potest fugere. Sic Diana *Resolut.* 102. *citata*, plures citans. Ratio est quam tradit Sanct. Thom. *art.* 4. *citato ad* 2. *Quia nullus ita condemnatur quod ipse sibi inferat mortem, sed quod mortem patiatur, & ideo non tenetur facere id vnde mors sequatur, quod est manere in loco vnde ducatur ad mortem, tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod iustum est eum pati; sicut etiam si aliquis sit condemnatus vt fame moriatur, non peccat si cibum sibi occultum ministratum sumat, quia non sumere esset se ipsum occidere.* Hactenus ibi.

17. Verum est quod iste talis sicut non tenetur sumere cibum, si sententia sit lata, vt fame moriatur, vt docent Sotus *vbi sup.* Valentia *disp.* 5. *q.* 13. *punct.* 4. & alij Thomistæ contra Victoriam *Relectione de Homicidio num.* 28. Couarruuiam *lib.* 1. *Variarum cap.* 2. *n.* 10. non enim iste sibi mortem infert, sed patitur homicidium ex iusta sententia promanans, ita damnatus ad mortem non tenetur fugere si sententia iusta sit, sed potest eam pati non fugiendo. Quod si sententia sit iniusta, & agatur de fidei causa propter quam sustinetur mors, potest quis non fugere, sed eam sustinere; sic enim passi sunt penè innumeri Martyres, motiuum enim huius passionis ita excellens est tuendæ, & defendendæ fidei, quod non solum possit quis, sed etiam teneatur mortem pati.

18. Quod si non sit tam altum motiuum, sed sententia iniusta lata sit ob crimen falso impositum, censeo cum Couarruu. *vbi sup. num.* 17. Tutriano *dub.* 3. *n.* 5. *Glossa in Clement. Pastorali. de sententia & re iudicata.* Tabiena *verbo iurare. q.* 20. *dubit.* 3. & multis aliis quod non potest non fugere, si possit, etiam si iuramentum est de re illicita, qualis est demere à se ius, & exponere iniuste amittendi vitam. Quod si sententia iusta sit secundum allegata, & probata, etsi non sit nitens veritati, potest non fugere. Sic Azor. *vbi supr. cap.* 25. *dub.* 1. §. 2. & constat ex dictis. Quod si iuramentum fuerit de non fugiendo, aut redeundo, tenetur vi religionis iuramenti redire, cum iuramentum sit de re licita, qualis est obseruatio iuris, potest tamen petere absolutionem; si tamen habeat propositum resarciendi damnum, quod custodi, vel alicui tertio ex fuga potest euenire.

§. VII.

Ante sententiam latam potest reus fugere.

19. QVarta Regula sit. Ante sententiam latam, sibique notificatam potest reus fugere carcerem in qua detinetur tanquam in custodia. Sic Azor. *cap.* 24. *citato*, vbi *dub.* 1. distinguit optimè quod carcer potest considerari vt custodia delinquentium ne fugiant, & vt pœna delicti, & Reus si sit in carcere, tanquam in custodia, qualiter est ante sententiam, semper est ei licitum fugere ad euitandum damnum quod timet, custodi enim incumbit eum custodire. Legatur prædictus Author, qui in hoc cap. & seq. plura dicit ad propositi Corollarij materiam; nec enim possumus omnia sigillatim tractare.

Resolvtio II.

Vtrum votum simplex ex natura sua faciat Religiosum.

SVMMARIVM.

20 *Votum simplex an ex natura sua faciat Religiosum?*

34 *Discrimen inter solemnitatem voti continentiæ sacris ordinibus annexi, & solemnitatem voti Religiosorum.*

DIuus Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 2. *ad* 1. & *quæst.* 184. *art.* 4. & *quodlibet.* 1. *art.* 14. *ad* 1. expresse dicit quod votum simplex non facit aliquem Religiosum, aut Monachum habentem statum, quia status dicit de se perpetuitatem, & sic nisi quis se obliget perpetuo, quod fit per votum solemne non constituitur in statu Religiosi. 20.

At Gregorius XIII. *in Bulla, Ascendente Domino.* expresse declarat quod vota simplicia emissa in Societate IESV post biennium faciunt vere, & proprie religiosum. Et confirmatur quia in eadem Bulla etiam expresse habetur quod solemnitas voti solum introducta est iure humano, quod antea determinatum erat à Bonifacio VIII. *in cap. vnico. de voto, & voti redempt. in* 6. quod clare contrariatur doctrinæ D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 7. & 11. in quo constituit discrimen inter solemnitatem voti adnexi Sacris Ordinibus, quæ solum est ex constitutione Ecclesiæ, & solemnitatem voti adnexi statui Religioso, cui est essentiale votum continentiæ, & alia solemnia. Et sic explicat *cap. ad Monasterium. de statu Monachorum.* Quare asserit Thomas Sanchez quod etiam circa hoc punctum Sanctus Doctor, si viueret, sententiam mutaret. 21.

Sed nihilominus dico quod Decisiones Pontificiæ Doctrinæ infusæ S. Thom. non opponantur; ad primam enim respondetur, quod de hoc late egi in materia de matrimonio, dum agerem de impedimento voti, quod D. Thom. loquitur de Religionis statu, qui suo tempore erat introductus in Ecclesia, quem non constituebant vota simplicia, sed solemnia, & quæ incapaces reddebant Professos Dominij, & contrahendi Matrimonium. Quamuis enim in primis Ecclesiæ temporibus Religiosum redderent vota simplicia de quo modò non disputo, tamen in Concilio Romano celebrato *anno* 1139. *cap.* 7. §. *vt lex. relato in cap. vt lex.* 27. *quæst.* 1. Religiosi facti sunt incapaces per professionem solemnem contrahendi Matrimonium, & eos facit incapaces dominij. Vel Concilium Aurelianen. Primum, tempore Symmachi Papæ celebratum, *canon.* 21. *anno* 507. vel temporibus Gregorij Primi relati *in cap. Quia ingredientibus. & cap. Perlatum* 19. *quæst.* 3. vel temporibus Innocentij III. cuius extat decisio *in cap. ad Monasterium. de statu Monachor.* quæ omnia ante D. Thomam edita sunt; & sic suo tempore non erant veri Monachi, aut Fratres Professi, nisi ex vi voti solemnis. 22. 23.

Quare egregie respondit secundum ius commune,

mune, ex vi cuius non eſt aliquis vere Religioſus, niſi per vota ſolemnia; nec ſimplicia ſufficiebant ex vi iuris communis antiqui, à quo an ex priuilegio aliqua Religio poſſit eximi quod in illa ſint veri Religioſi conſtituti in ſtatu Religioſo, ex vi alicuius ſpecialis priuilegij, non curauit S. Doctor, cum dependeat tale priuilegium concedere ex gratioſa Principis poteſtate.

25. Nec hoc opponitur eius doctrinæ ſicut non eſt contrarium D.Thom. aſſerenti omnes Sacerdotes teneri recitare officium Diuinum, & omnes fideles recte valentes teneri ad non comedendas carnes in diebus Quadrageſimæ, quod aliquis ex priuilegio Pontificis vel non recitet horas Canonicas; vel comedat carnes in Quadrageſima. Quare egregie, & ſapienter D. Thom. determinauit quod votum ſimplex ſecundum ſe conſideratum ex natura ſua, ſecluſo Decreto, & indulto Apoſtolico, non facit verum Religioſum, qui de ſe dicit perpetuitatem, quam acquirit per ſolemnitatem.

26. Vnde Religioſi qui poſt biennium emittunt vota ſimplicia, etſi ex priuilegio, indulto,& Decreto Apoſtolico ſint vere Religioſi, non tamen ſunt veri profeſſi ſicut ſunt illi qui in eadem ſocietate emittunt vota ſolemnia, & ſic de iure communi non ſunt dicendi veri Religioſi, vt expreſſe habetur *in cap. Religioſo*, §. *quamuis. de ſentent. excommunicat. in 6.* ibi: *Quamuis is qui religionem ingreditur Religioſus cum effectu cenſeri non poſſit, donec ſit tacite, vel expreſſe profeſſus.* Hæc ibi.bene tamen dicuntur & ſunt veri Religioſi ex Decreto Apoſtolico. In eo enim qui profeſſus non eſt ſolum eſt ſpes de religione, vt notat ibi Dominicus, quamuis ſpeciali Decreto, vt modo eſt circa Societatis Scholares vota ſimplicia emittentes, veri Religioſi dicantur. Quare non negat S. Thom. quod Eccleſia id poſſit ſtatuere. Imo *in Addition. quæſt. 53. art. 2.* argumentatur tertio expediens eſſe quod Eccleſia determinaret votum ſimplex irritare Matrimonium, quod hodie fecit Eccleſia in Societate.

27. Ad confirmationem reſpondetur mirum eſſe quam varie Authores explicent, in quo ſolemnitas voti conſiſtat, vt defendant ſolemnitatem voti ex ſola conſtitutione Eccleſiæ promanare, de quo late Baſilius *de Matrimon. lib. 7. à cap. 8. vſque ad* 12. Sanchez *lib. 7. diſput. 15.* Sayrus *in Claui. lib. 6.* & alij dum tractant de impedimento voti, vel de voto. Hoc mihi certum eſt, non quamlibet Eccleſiæ acceptationem publice factam à Prælato Religionis approbatæ ſufficere ad ſolemnitatem votorum, vt conſtat in Scholaribus Societatis, vota quorum emiſſa poſt biennium ſunt ſimplicia, & non ſolemnia, etiamſi publice fiant, vt coram teſtibus, & ſecretariis, acceptenturque nomine totius Religionis approbatæ à Summo
28. Pontifice, ex cuius decreto ſunt per votum caſtitatis ſimplex incapaces contrahendi Matrimonium, & per votum paupertatis, & ſi non ſint incapaces dominij, ſunt tamen incapaces aliquo tempore contrahendi contractus, vel alicuius rei vtendi, vt propriæ ſine expreſſa licentia ſui Prælati & ſic; ſolemnitas voti non poteſt conſiſtere in hac incapacitate, & inhabilitate, vt male putauit Tartaretus *in 4. diſt. 38. quæſt. vnica. in fine.*

29. Nec etiam placet quod dicit Baſilius *vbi ſup. cap. 9. n. 1.* quod ſolemnitas voti in qua diſtinguitur à voto ſimplici, etiam facto in Religione conſiſtit ſolum, & addere ſupra illegitimationem & inhabilitatem, perpetuitatem extrinſecam ex parte acceptantis, ſcilicet, quod Prælato Regulari ſublata eſt facultas dimittendi liberum Religioſum, vt ad ſæculum redeat & fiat habilis ad contrahendum. Quæ facultas cum non ſit ſublata à Præpoſito Generali Societatis, ideo in illa vota ſimplicia poſt biennium emiſſa ſimplicia ſunt, & non ſolemnia, ſicut ſunt in aliis Religionibus. Hoc, inquam, mihi ſummopere diſplicet, quia aliàs 30.
in Eccleſia Dei nullum eſſet votum ſolemne abſolute loquendo, quo quis perpetuo ſe Deo immobiliter conſecraret independenter ab humano placito, quod quidem maximum abſurdum videtur, quod dentur alij ſtatus in Eccleſia immobiles independenter ab aliquo homine, qui ipſos non poſſit euertere. Et quod non dentur in ſtatu Religioſo aliqui qui ſint immobiles independenter ab aliquo homine: Sequela probatur manifeſtè, quia immobilitas fixa ſtatus Religioſi pendet à ſolemnitate qua Deo conſecratur, & totaliter traditur, vt aſſerit D.Thom. *vbi ſupr.* atqui hæc ſolemnitas ſolum eſt extrinſeca, quatenus à Prælato Regulari ablata eſt poteſtas dimittendi liberum: ergo vel hæc poteſtas ablata eſt à Summo Pontifice per Chriſtum, & ſic ſolemnitas voti non dependet immediate à voluntate humana potente, vel non potente dimittere: vel talis poteſtas ho- 31.
die reſidet in Pontifice & ſic liberum eſt illi omnes Religioſos dimittere libere ad ſæculum, & quamuis non licitè, tamen validè poteſt omnes Religioſos profeſſos à votis ſolemnibus liberare, quod mihi abſurdum eſt omnino, quia ſicut Pontifex non poteſt euertere alios ſtatus qui conſurgunt ex traditione, aut conſecratione: ita neque ſtatum Religioſi profeſſi per vota ſolemnia, ſed ſicut licet conſecratio calicis ortum ducat ex Eccleſiæ conſtitutione, vel Apoſtolorum traditione, tamen ſemel conſecrato, nulla eſt poteſtas humana quæ perſeuerante Calice, conſecrationem auferre poſſit; ita licet ſolemnitas voti ab humano Eccleſiæ iure promanet, tamen ſemel homine in 32.
ſuis votis ſolemnibus Deo totaliter conſecrato, nulla eſt humana poteſtas, etiam Papæ, quæ poſſit ſtatum iſtum euertere, & liberum à votis dimittere. Et hic verus eſt ſenſus, & intentum Pontificis *in cap. ad Monaſterium. de ſtatu Monachorum*, vt alibi latius oſtendo, & tenet D.Thom. *vbi ſup.*

Quomodo ergo ſtabunt Pontificiæ deciſiones 33.
quod votorum ſolemnitas ex humana ſolum Eccleſiæ conſtitutione oritur? ſi non pendet à voluntate Summi Pontificis, ſed ſtatui ſolemni Religioſo annexum eſt eſſentialiter directè primo & per ſe, caſte, obedienter, & in pauperie viuere; atque ita hoc non pendet à conſtitutione Eccleſiæ.

Vt autem hoc ſine aliorum iniuria declaretur notandum eſt diſcrimen quod verſatur (vt tradit D.Thomas) inter ſolemnitatem voti continentiæ Sacris Ordinibus annexi, & ſolemnitatem voti religioſorum. Quod licet vtraque ſit ex ſtatuto 34.
Eccleſiæ, tamen cum maxima differentia, quia prima ſolemnitas oritur ex ſtatu ſuperaddito ipſi ſtatui Clericali; hic enim ſtatus primario non ordinatur ad caſte viuendum, ſed ad inſeruiendum Altari, quod ſeruitium, vt debito modo fiat Eccleſia ſtatuit vt Clerici in Sacris caſte viuant, & eos inhabiles ad Matrimonium fecit; at ſolemnitas 35.
voti Religioſi, etſi oriatur ab Eccleſia acceptante votum, quo quis ſe totaliter offert Deo, & ſuo mancipatur ſeruitio; tamen cum ſtatus immobi-

lis

lis Religionis conſiſtat in hac mancipatione acceptata, & totali obligatione Deo facta in Religione approbata à Sede Apoſtolica ſolemnitas huius voti non eſt aduentitia ſtatui Religioſi profeſſi; nec ex ſuppoſitione quod fiat vt diximus, iam amplius dependet ab Eccleſia obligatio perpetua, & irreuocabilis orta ex tali profeſſione ſolemni, quæ fit per modum contractus; licet enim ab Eccleſia dependeat huic contractui apponere conditiones, quæ ſibi conuenientes viſæ fuerint pro rerum,& circumſtantiarum occurren-
36. tia, ſicut appoſuit Matrimonio Concilium Tridentinum; vt enim ſolemniter fiat debet celebrari coram Parocho,& teſtibus; quod ſi ſic celebretur, & conſummetur non eſt in voluntate Eccleſiæ illud irritare: ita cum ſtatus Religioſus abſolutè ſit de iure diuino à Chriſto Domino inſtitutus, vt probat Emman. Rodriguez *tom.1. qq. Regular.q.1.art.1.* poteſt Eccleſia in hac votorum acceptatione varias conditiones, & requiſita exigere, quibus adimpletis, non eſt iam in Eccleſiæ poteſtate ſtatum Religionis ab illo, qui profeſſus eſt Regulam tales conditiones exigentem auferre, quia contractus ſic ſolemnizatus eſt.

37. Quare ex hoc præcisè vota quæ emittunt Scholares in Societate poſt biennium ſimplicia abſolutè ſunt,& non ſolemnia, qualiter ius canonicum loquitur de ſolemnitate profeſſionis Religioſorum, & quam faciunt in Societate illi qui ſimpliciter ſunt profeſſi, quia videlicet non acceptantur ab Eccleſia abſolutè, & irreuocabiliter. Quare, etſi contractus ex parte Religioſi ſit irreuocabilis, tamen in Religione eſt libera poteſtas illum liberum dimittendi ad ſæculum, & ſub hac conditione vota eius admiſſa ſunt, quæ dici poſſunt ſolemnia ex parte vouentis, & ſe obligantis diuino ſeruitio; non tamen ſunt ſolemnia ex parte acceptantis, & ſolemnitas ſimpliciter vtrumque requirit, tam acceptatio abſoluta Eccleſiæ, quam totalis dedicatio vouentis, & dedicantis ſe
38. diuino ſeruitio, qua acceptatione, & totali dedicatione poſita votum ſimpliciter,& ab intrinſeco manet perpetuum ſimpliciter irreuocabile, & ſimpliciter ſolemne ſolemnitate iuris, ſic vocata à iure canonico, quæ ſolemnitas orta ex conſtitutione, & ſtatuto Eccleſiæ, & perpetuitas voti ſolemnis implicitè aliquando, & explicitè cadit ſub intentione vouentis,& ſic acceptatur ab Eccleſia, quæ acceptatio non fit in votis ſimplicibus Societatis, & ſic perpetuitas abſoluta non poteſt cadere ſub eius intentione, ſed ad hoc quod conſtituatur in ſtatu Religioſo vero ſat eſt quod abſo-
39. lute voueat caſtitatem &c. fiatque inhabilis ad contrahendum, & ſub intentione cadat perpetuitas, ſub conditione ſi Prælato aliter viſum non fuerit, hoc, inquam, ſufficit ad faciendum verum ſtatum veri Religioſi,non quidem ex iure Decretalium antiquo, ſed ex priuilegio, & indulto particulari,& iure nouo Gregorij XIII. & aliorum Succeſſorum.

Ex quo conſtat quo modo horum Pontificum Decreta non euertant doctrinam S.Doctoris, qui
40. etiam fatetur quod ſolemnitas voti abſolutè eſt orta ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, ſicut ſolemnitas quæ eſt hodie in contractu Matrimonij orta eſt ab Eccleſia in Concilio Tridentino; tamen ſemel facta non poteſt contractus iſte diſſolui ab Eccleſia ſi conſummatus fuerit; ita ſemel adhibita ſolemnitate votis Religioſorum, & ſi orta ab Eccleſia,non poteſt ab Eccleſia ſtatus Religioſi Profeſſi diſſolui, & acceptionem à ſe factam abdicare; ſicut nec poteſt à Calice conſecrato auferri dedicatio cultui diuino & prophanis vſibus illud applicari ab aliqua poteſtate creata, quod ſecus eſt reſpectu Dei, qui poteſtate abſoluta poteſt diſſoluere Matrimonium, etiam conſumma- 41.
tum, quod non poteſt Pontifex, & ita Pontifex non poteſt diſſoluere ſtatum Religioſi Profeſſi, licet id poſſit Deus remittendo obligationem voti ſolemnis. An vero Pontifex tanquam Vicarius Chriſti poſſit votum ſimplex irritare, vel eius obligationem remittere non eſt huius loci, ſed tractatur in Materia de Voto,vbi Deo auxiliante dicam quid ſentiam.

Resolvtio III.

Vtrum Epiſcopatus ſit verum Sacramentum Ordinis?

SVMMARIVM.

42 *Epiſcopatus an ſit verum Sacramentum?*
44 *Quid ſit contra Hæreticos indubitatum?*
Epiſcopus nomen operis eſt, non honoris. ibid.
45 *In primitiua Eccleſia, Epiſcopi nomen promiſcuè attributum Sacerdotibus primi, & ſecundi gradus.*
49 *Solus Epiſcopus Spiritum ſanctum tribuit in Confirmatione.*
56 *Primis Eccleſiæ temporibus omnes Preſbyteri conſecrabantur Epiſcopi.*
77 *Opinio Vaſquez, & Philiberti adducitur.*
84 *Diuus Thomas defenditur, & propugnatur.*
102 *Occurritur fundamentis oppoſitis.*

SAnctus Doctor *in 4.diſtinct.24. quæſt.3.art.2.* 42.
quæſtiunc.2.ad 2. ſic fatur: *Ad ſecundum dicendum quod ordo ſecundum quod eſt Sacramentum imprimens caracterem ordinatur ſpecialiter ad Sacramentum Euchariſtiæ in quo ipſe Chriſtus continetur, quia per caracterem ipſi Chriſto configuramur. Et ideo licet detur Epiſcopo aliqua poteſtas ſpiritualis in ſui promotione reſpectu aliquorum; non tamen illa poteſtas habet rationem caracteris, & propter hoc Epiſcopatus non eſt ordo, ſecundum quod ordo eſt Sacramentum.* Hactenus ibi.

Pater Gabriel Vaſquez *tom.3. in 3.part. diſputat.240. cap. 3. num. 36.* ſententiam hanc veriſſimam D. Thomæ ſugillat illis verbis: *Poſteriorem partem noſtræ ſententiæ, ſcilicet Sacramentum & Ordinem eſſe, ita eam veram exiſtimamus, vt ſicut à nobis pronuntiata eſt, ſine graui nota hoc tempore negari non poſſit.* Et ſane Petrus de Soto *lib. de inſtitutione Sacerdotum. lect. 4. de Sacram. Ordin. §. in aliis igitur. expreſſe affirmat vt minimum certa fide credendum eſſe quemlibet horum duorum Ordinum; ſic enim ipſe loquitur: Nempe Sacerdotium, & Epiſcopatum verum eſſe Sacramentum, & vero Sacramento tradi.* Michaël autem de Medina *lib. 1. de Sacror. hominum continentia cap. 15. ita huic ſententiæ adhæret, vt oppoſitam hoc tempore periculoſam exiſtimet. Et licet ab Eccleſia expreſſe definita non ſit, ex definitione tamen Concilij Tridentini non obſcure deducitur.* Hæc ille, cui addo Nauarrum *in Manuali cap. 22. num. 18.* qui aſſerit, *ſe non ſcire nec poſſe bona fide reſpondere ad locum Concilij ſeſſ.23.cap.4.* 43.

§. I.

§. I.

Quid sit contra Hæreticos indubitatum.

44. NOtat D. Thomas 2.2. *quæst.*195. *art.*1.*ad* 1. ex D. Augustin. *lib.* 19. *de ciuitate. cap.* 19. quod Episcopatus nomen operis est, non honoris; etenim Episcopus nomen Græcum est deriuatum à verbo Græco ἐπισκόπειν quod proprie significat superintendere, & huius superintentionis actionem denotat Episcopatus. Sed forsan nomen ἐπισκοπὸς præscius, & proprius ad Græcum idioma ἀπὸ τῦ ἐπίσκεπτομαι. quod proprie *contemplor*, & *inspicio* significat. Vde Ἐπίσκοποι. olim dicebantur sacri gregis inspectores, qui verbo, & gubernationi præerant, qui quasi speculatores in doctrinam, & mores gregis inquirebant, vt constat ex Actor. 20.*n.*28. *Attendite vobis & vniuerso Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, & in textu Græco sic habetur: ἐν τῷ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν Ἐκκλησίαν τῦ Θεῦ.

45. Ex quo colligitur quam considerata, & genuina sit interpretatio quam D. Thom. 2. 2. *quæst.* 184. *art.*6. *ad* 1. tradit D. Hieronym. dum inducta authoritate S. Doctoris *ex commentar. in Epist. ad Titum cap* 1. dicentis, quod non authoritate Domini, sed magis consuetudine Episcopos esse Presbyteris maiores. Respondet Angelicus Magister S. Hieronymum solum docuisse in primitiua Ecclesia Sacerdotibus primi gradus qui Episcopi dicebantur, & Sacerdotibus secundi qui dicebantur Presbyteri, & Seniores promiscuè attributum fuisse Episcopi nomen, non solum quoad vocem, sed quoad significatum nominis, quantum ad id ad quod nomen est impositum, scilicet
46. quantum ad hoc quod est inspicere, quia vterque erant gregis domini inspectores, & eidem gubernationi præerant illi attendentes, speculatores facti quantũ ad doctrinã, & mores fidelium inquirentes. Quare Presbyteri, Episcopi, & isti Presbyteri dicebantur. Et sic primis illis temporibus nascentis Ecclesiæ iurisdictione erant æquales, at postquam cœperunt fideles schismata facere dicentes: *Ego sum Pauli, Ego sum Apollo*, diuersæ sunt iurisdictiones Episcopi, & Presbyteri. Et quia ille in altiori gradu Hierarchiæ Ecclesiasticæ constitutus Episcopus, Presbyter vero qui in inferiori est, subditus Episcopo mansit, & nomina sunt discreta, manente nomine Episcopi ad significandum non solum speculatorem, & superintendentem, sed ad denotandum illum Sacerdotem qui potestate ordinis proxima, alios simplices Presbyteros antecedit.

47. Et hanc esse S. Hieronymi mentem (omissis aliis explicatoribus, quæ videri possunt apud Bellarminum *tom.*1.*controuers.*5. *generali.lib.*1.*de Clericis cap.*15. Valentiam *tom.*4.*disput.*9.*quæst.*1. *punct.* 3. Baronium *tom.* 1. *Annal circa annum Christi* 58.*num.*11.) constat manifeste ex Epistola 85. *ad Euagrium num.* 6. Postquam enim *n.*5. dixerat, Episcopum qui est Presbyter. Et probauerat ex 1. *Petri* 5. dicentis: *Presbyteros precor compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ quæ reuelanda est particeps, regere gregem Christi, & inspicere, non ex necessitate, sed voluntarie iuxta Deum.* Quod quidem Græce, ait Hieronymus, significantius dicitur ἐπισκόποι, id est, superintendentes. Vnde & nomen Episcopi est originatum.

Subdit *num* 6. *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* 48. Ecce vbi clare, & manifeste Hieronymus solum facit in primitiua Ecclesia æquales Episcopos, & Presbyteros quoad curam, & regimen fidelium, quæ est potestas iurisdictionis; inæquales tamen agnoscit quantum ad Ordinis potestatem, siquidem ipsos ordinatione (quam non potest facere simplex Presbyter) secernit, solumque vtrisque Episcopi notionem & significatum, quod est inspicere, & superintendere commune facit, sicut est ministeria gubernationis politicæ, in qua illis temporibus ambo erant gregis dominici inspectores, & Episcopizabat vterque. Cæterum ministeria, vt sic loquar, substantialia qualia sunt ordinare, confirmare, Ecclesias, & Altaria consecrare euidenter solum summo, & maiori Sacerdoti concessit, non simplici Presbytero; iste enim vt ait Epiphanius *lib.*1.*aduers. Hæreses cap.*75. solum per Baptismum, & Pœnitentiam filios Ecclesiæ generat; at Episcopi per ordinationem, Patres Ecclesiæ, hoc est, Presbyteros.

Et quidem quod solus Episcopus Spiritum 49. Sanctum tribuat in confirmatione clare constat ex Dialogo contra Luciferianos vt præfato *n.*4. ostendit Marianus Victor, quod Presbyteris negat; addit tamen Hieronymus *in dicta Epistola* quod ad Schismata vitanda, & vt fideles pacifice regerentur introductum est quod Presbyteri vnum eligerent qui omnibus superintenderet Presbyteris, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, cui obediant; iste autem electus consecrandus erat, vt non solum iurisdictione, in cuius gradu eminentiori, sicut Imperator exercitus constitueret, sed etiam Ordinis potestate cæteros antecederet. Quare nullus solidius, aut melius Hieronymum est interpretatus, quam D. Thomas.

Legendus est Cornelius à Lapide *in cap.*1.*Epistol. ad Titum num.* 26. qui non incongrue interpretatus Hieronymum, quem imitantur in phrasi Sedulius, & Anselmus, in Epistol. ad Philipp. *cap.*1. *num.*4. & 5. optime enodat S. Thom. Solutionem, quam S. Doctor desumpsit ex Isidoro *lib.*2. *de Diuinis Officiis cap.*7. Ambros. *sup.*1.*ad Timoth.cap.*4. Amalario Fortunato *lib.*2.*de Ecclesiasticis Officiis cap.*13. 50.

Ex quo manifeste, vt ait Bellarminus *vbi sup.* 51. valde incõsiderate Michaelem de Medina *lib.*1.*de continentia Sacrorum homin. cap.*5. dixisse Hieronymum, Augustinum, Sedulium, & pluresalios, tam Græcos, quam Latinos Patres docuisse errorem Arrij, & Vvaldensium, quem amplexi sunt hodie Lutherus, & alij infra citandi, quia isti Hæretici existimant nullum esse debere discrimen inter Episcopos, & Presbyteros, sed omnes debere esse in dignitate æquales; at Patres, vt vidimus, dignitate, & Eminentia gradus discretos agoscunt, etsi primitiua Ecclesia in regimine gregis essent æquales. Quare Catholicè Bellarminus ait quod Hieronymus, & cæteri Patres *tantum differunt ab Arrio, & aliis eiusdem farinæ, quantum Catholicus ab Hæretico, & cœlum ab inferis distat.* Quare mentiuntur Hæretici, dum 52. Patrum testimoniis abutentes, dicunt se Patres sequi, nam pari ratione dicerentur sequi Spiritum Sanctum, dum Sacra Scriptura (cuius author est Spiritus Sanctus) abuntur.

Hæc

Hæc paulo longius dixerim vt Hieronymum defenderem, tum vt solutionem, & genuinam interpretationem D. Thom. propugnarem, de nominibus, & ministeriis Episcoporum, à quibus variam accipiunt denominationem. Latissime ediserit omnia quæ dicta sunt coaceruans Barbosa *lib.1. iur. Eccles. vniuers. cap.8.num.27. vsque ad 63.*

53.

Quare videndum est quid Hæretici autument de distinctione Episcopi & Presbyteri, quid ve nobis ex Scriptura obiiciant. Igitur ambitiosissimus Arrius, testibus Epiphanio *vbi suprà.* & August. *lib. de Hæresib. ad Quodvult Deum, cap. 53.* quia ad Episcopatum ascendere non potuit, inflatus superbia, & ambitione primus docuit Episcopum, & Presbyterum nullatenus distingui, sed in potestate Ordinis, & iurisdictionis omnino æquales non solum esse de iure diuino, sed ita esse debere. Hunc errorem amplexati sunt Vvicleph teste Vvaldensi *lib 2. doctrinal. fidei art 3. cap.60.* & Caluinus *lib.4. institut. cap.4. quæst.2.* vbi dicit quod Episcopus est solum Presbyter electus vt in cætu & consensu Presbyterorum de negotiis referat, & authoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit exequatur. Quare Vvicleph asserit horum graduum distinctionem inuenisse Cæsaream superbiam, & sic male Ecclesiam illos secernere, cum omnes Sacerdotes iure diuino debeant esse æquales.

54.

Huius hæresis varia referunt, & refellunt fundamenta Valentia, & Bellarminus *vbi sup.* quæ omnia vnico verbo soluunt, & euertunt, solum enim probant quod primis illis temporibus nomina *Episcopus*, & *Presbyter* cõmunia erant tam maioribus, qui nunc sunt Episcopi, quam minoribus, qui nunc sunt Presbyteri. Ita Bellarmin. *vbi suprà vers. facilior*, respondet ex Chrysostom. & aliis Patribus, quæ est solutio quam adhibet D. Thom. authoritate Hieron. Quare miror Eminentissimum Cardinalem cur hanc solutionem adhibeat locis S. Scripturæ, & eam non admittat, dum interpretatur Hieronymum, qui eodem modo loquitur.

55.

Adde etiam, vt amplius non garriant Lutherus, & Caluinus quod primis illis temporibus Ecclesiæ omnes Presbyteri consecrabantur Episcopi, & vtraque dignitas simul, quamuis discreta esset, ex obiecto, & ministerio, cuique Sacerdoti dabatur, nec vllus ordinabatur Sacerdos quin consecraretur Episcopus, propter talium hominum fidelium paucitatem, & ciuitatum multitudinem, in quibus verbum Dei disseminabatur, & sic necessarium erat Sacerdotes omnes capaces esse, & consecratos, vt ad Apostolorum iussum, & imperium, absque mora ciuitatibus præficerentur. Ita sentiunt Delphinus *lib.2. de Ecclesia.* Sanchez *tom.3. in. 3. part. disputat. 36. sect.1. in fine* quod confirmat ex Ignatio *Epist.13.* & Ambros. *in cap.4. ad Ephes.* Quæ solutio satis probabilis, licet non vsquequaque applicari possit Hieronymo, vt ostendit Bellarminus, tamen authoritatibus S. Scripturæ, quas adducunt Hæretici, nullo negotio, & absque violentia quadrat.

56.

Confirmatur hæc solutio ex D. Thoma *in 4. dist.24. quæst.2. art.1. quæstiunc. 2. ad 2.* dicente, quod in primitiua Ecclesia, propter paucitatem Ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, vt patet per Dionysium *cap.3. de Ecclesiast. Hierarch.*

57.

Quare certa fide dicendum est & tanquam in Ecclesia Dei omnino indubitatum iure diuino ita distingui Episcopatum, & simplex Sacerdotium, quod licet Episcopus necessario debeat esse Sacerdos, tamen isto longe est ille Superior, quoad Ordinis potestatem, sicque esse in Ecclesia Catholica Ecclesiasticam Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris. Sic definitum est in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 4. & Can.6.* & quidem Episcopum Superiorem esse Ordinis potestate Sacerdote simplici, aut Presbytero manifestissime contra garrulos Hæreticos demonstratuor.

58.

Primò contra Arrium id præstat Hieronymus, & Epiphanius *vbi suprà.* Ille quia Episcopus Ordinatione vincit Presbyterum, qui non valet ordinare, nec Spiritum Sanctum in Confirmatione conferre potestate ordinaria, & sic Epiphanius hos duos gradus secernit, quia Episcopi Patres, hoc est, Presbyteros, isti vero filios Ecclesiæ generant.

59.

Quam distinctionem ex ordinatione diuina ortum ducere, & non solum ex humana consuetudine manifestum est hos Patres sentire, aliàs nihil concluderent contra Hæreticum qui libenter fatebatur Presbyterum, & Episcopum ex hominum dispositione distingui; negabat, tamen diuina ordinatione secerni, & in hoc Hæreticum reuincunt ostendentes ex actibus Hierarchicis hos gradus Ecclesiasticos distingui, ex Christi Dom. institutione Presbyterum subditum debere esse Episcopo. Quam institutionem diuinam perspicue nobis innotuit S. Ignatius Martyr Apostolorum Discipulus *Epist.7. ad Tarcenses* sic Ordinem Hierarchicum describens: *Presbyteri subditi estote Episcopo, Diaconi Presbyteris.* Et in *Epist.* 11. *ad Smyrnenses*: Laici Diachonis subiiciantur Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, & ipsi Patri. Et *Epist.6. ad Trallianos. Quid aliud est Episcopus quam is qui omni Principatu, & potestate Superior est.* Et Epist.9. ad Philadelphos: *Boni sunt Sacerdotes, & Sermonis Ministri; melior autem est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum, cui soli secreta sunt Dei commissa.* Quid his clarius aduersus Hæreticos dici potuit? In qua Doctrina à Deo inspirata fundatur Paulus 1. *ad Timoth. cap. 5.* quem Episcopum Ephesinum monet, & instruit ne aduersus Presbyterum accusationem recipiat, nisi in duobus, aut tribus testibus, atque ita Episcopus, & Presbyter in potestate à Domino illis concessa æquales non sunt, cum par in parem sicut imperium non habet, ita nec ius dicere valeat; & quidem sicut iure diuino Episcopus capiti Christo subditur, ita & Presbyter Episcopo, quod ita esse dicendum manifestis concluditur argumentis.

60.

61.

62.

Primò, quia vt aiunt Concilium Tridentinum *vbi suprà.* Damasus *in Epist.4. qua est de Corepiscopis.* Hieron. *in cap. 2. Michææ.* & *Epist.85. ad Euagrium.* & *54. ad Marcellam*, & apud cæteros Patres est indubitatum, quod Episcopi sunt successores Apostolorum. Et sic in Scriptura Apostolatus Episcoparus dicitur, & nuncupatur, vt constat *Actor. 1. num. 12.* vbi S. Petrus Spiritu Sancto actus locum *Psalm. 108. Et Episcopatum eius accipiat alter*, interpretatur de Apostolatu à quo præuaricatus est Iudas, cuius loco electus est Matthias, qui sicut Apostolatum est consecutus,

63.

ita

ita & Episcopatum Iudæ; atqui dignitas Apostolatus maior est iure diuino simplici Sacerdotio :
64. ergo est Episcopus iure diuino dignitate Sacerdotis,& Presbyteri, qui non Apostolorum, sed successor septuaginta Discipulorum est. Vnde egregiè S.Ignatius *Epist.5.ad Trallian.*definiés Sacerdotum dixit: *Quid est Sacerdotium,quam sacer cœtus consiliarij,& assessores Episcopi,*quia videlicet, cum Episcopus iure diuino superior sit Sacerdote, iste in Diœcesanis confessibus assessor,& consiliarius,& sic Episcopo longè inferior.Quanta autem
65. fuerit Apostolatius dignitas latè, & eruditè edisserit Thomas Masurius *lib.2.de vita Pauli c.*10.

66. Confirmatur, quia vt ait Hieronym. *epist.*58. *citata*, loquens de Episcopis imitantes Moysem, qui cum non posset præesse populo Israël Septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret, qui Moyses lege, constitutione diuina, illis Septuaginta maior fuit : ergo & Episcopus simplicibus Sacerdotibus, qui imitantur, & succedunt Septuaginta discipulis.

67. Secundò probatur,quia illę dignitates iure diuino distinguuntur,quæ iure diuino habent actus Hierarchicos diuersos, sed dignitas Sacerdotalis, & dignitas Episcopalis iure diuino habent actus diuersos:ergo iure diuino distinguuntur.Minor in qua difficultatis scopus,præterquã quod expressè docetur à Hieron.& Epiphanio *vbi sup.*loquentes de ordinatione;soli enim Episcopi ordines cõferre valẽt,in quo actu Hierarchico à Presbyteris Episcopos secernunt, Damasus *epist.5.alias 4. quæ est de Corepiscopis ad Prosperũ Numidiæ primæ Epi-*
68. *scopum*, vbi postquam dixit Episcopos esse Apostolorum successores probant nulli Sacerdoti simplici etiam, si nomen Corepiscopi assumpsisset Spiritum Sanctum dare in confirmatione competere his grauissimis verbis : *Quidquid enim inter Episcopos, aut rebus solummodo ad eos pertinentibus egerint necesse est vt irritum fiat,quia quod non habent dare,nequaquam possunt,præsertim cum nullus ex septuaginta Discipulis, quorum vices antequã prohiberentur in Ecclesia gerebant*(vt declarat Concil. Neocæsarien. *c.*13.) *nihil de hoc quod de Apostolis,eorũque successoribus specialiter debebatur legitur assumpsisse.*Hæc summus Hispanus Pontif.

69. Quod probat ex eo *quod in lege veteri id quod præcipiente Domino Moysi, & Aaron summis Sacerdotibus cõueniebat,quale erat Sacra vnctione vngere,vt in Tabernaculo Altare erigere filiis Aaron, & aliis inferioribus Sacerdotibus non licebat,sic & modo, quia vmbra legis transiit, & lux Euangelij in nos Dei gratia manifestè coruscat,*&c. idem fere iisdem verbis determinat Eusebius Papa qui vixit circa *annum* 309. *epist.*3 *ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ,*addens *si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum*, neque inter Ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta.

70. Vnde ob horum actuum diuersitatem à Christo Domino institutam colligit dignitatum & Ordinum discrimen S. Anacletus *Epist.*3. sic loquens (anno Domini 104.) *Sacerdotum,fratres, ordo bipartitus est,& sicut Dominus illum constituit à nullo debet perturbari;scitis autem à Domino Apostolos esse electos,& constitutos,& postea per diuersas Prouincias ad prædicandũ dispersos,cum messis cœpisset crescere,videns paucos esse operarios ad eorum adiuuamen septuaginta duos eligi præcepit discipulos,Episcopi vero Domini Apostolorum Presbyteri quoque septuaginta duorum Episcoporũ locũ tenẽt.* Et infrà. *Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli do-*
*cuerunt.*Quid clarius?obtumescant ergo Hæretici.

Et quidem quod septuaginta duo discipuli qui- 71.
bus succedunt Presbyteri nullam iurisdictionem, nullum ve ordinem à Christo Domino acceperint sed soli Apostoli quibus succedũt Episcopi hac euidenti ratione concluditur, quia teste Epiphanio *Hæres.*20. Philippus, & Stephan. & alij quinque Diaconi qui ordinati sunt ab Apostolis *Actor. 6.* erant ex septuaginta Discipulis;atqui si à Christo ordinem Presbyteratus habuissent, non fuissent Diaconi ordinati,vt adnotat egregiè Cardin. Bellarm.*lib.4.de Pontifice c.*25.*§.denique qui §.dicuntur*, aduertit quod Episcopi dicuntur successores Apostolorum,& Discipulorũ Presbyteri,non propriè eo modo quo vnus Rex succedit alteri Regi, & Episcopus Episcopo, sed solum ratione Ordinis Episcopalis.

Secundò,quia sicut sub Christo viuente imme- 72.
diatè erant Apostoli,& post Discipuli ita sub Romano Pontifice Christi Vicario,& Petri successore primi sunt Episcopi,post eos Presbyteri,deinde Diaconi, &c. non tamen succedunt Episcopi Apostolis in aliqua parte verę Apostolicæ authoritatis prout distinctæ ab Episcopali, vt idem demonstrat Cardinalis.

An vero Episcopis quatenus Apostolorum suc- 73.
cessoribus,aliqua iurisdictio propriè cõueniat iure diuino dissident Vasq. & Suar. iste *lib.4.de leg. c.*4.& ille 1.2.*disp.*152.*c.*3.qui affirmat competere iurisdictionem radicalem & in habitu ; non secus ac Sacerdotibus ex vi Ordinis habẽtibus potestatẽ radicalem ad absoluendum à peccatis; absoluere autem est ius dicere, & sententiam dare in pœnitentem,& sic potestas ista radicalis,iurisdictio quidem est,quæ solum competit Sacerdotibus;nullus 74.
enim non Sacerdos potest absolutione sententiam ferre,& etiam nullus nõ Episcopus potest ordines sacros Conferre, confirmare,Ecclesias, & Altatia consecrare,atque ita radicaliter iurisdictio ad huiusmodi actus conficiendos iure diuino competit.

At Suarez huiusmodi iurisdictionem in habitu omnino negat Episcopis iure diuino competere, sed solum humano.Quod latè probat *à n.*18.quia iurisdictio fundatur in superioritate quam ius dicens habet respectu subditorum;atqui nullus Episcopus,excepto Romano, habet subditos iure diuino,vt fatetur ipse Vasq.ergo nec iurisdictionem propriam, sicut Petrus antequam habeat actu fi- 75.
lium etsi habeat potentiam generatiuam sine qua implicat quod sit pater,non dicetur propriè pater, etiam in habitu : ergo etiam si Episcopus habeat potestatem Ordinis,quæ est fundamentum potestatis iurisdictionis, si iure diuino non habet subditos, nec iure diuino habet potestatem iurisdictionis, sed sicut à Papa habet subditos,ita ab illo habet potestatem iurisdictionis.

Vnde dicit D.Th. *in 4.dist.*20.*q.vnic.art.*4.*q.*5. 76.
quod Papa habet plenitudinem pontificalis dignitatis,siue potestatis,sicut Rex in regno,& Episcopi assumuntur in partem solicitudinis,quasi iudices singulis Ciuitatibus præpositi ; atque ita sicut iudices, etsi habeant ordinariam iurisdictionem, tamen eam habent à Rege immediatè, ita Episcopi etsi sint iudices Ecclesiastici ordinarij,tamen à Pontifice habent omnem suam iurisdictionem immediatè participatam. Et quidem modus iste loquendi conueniens est modo loquẽdi Patrum & Pontificum asserentiũ Sedium Episcopalium partitionem, & subditorum assignationem iure humano esse introductam, similem irli quam Gentiles habebant Flaminium, & Archiflaminium.

Euitat etiam hæc sententia multa inconuenientia, *num.*19. deducit ex opposita. Nec fundamentum Vasquez aliud probat quam quod Episcopus habeat potestatem ordinis, quæ fundamentum est iurisdictionis, si illi conferatur quamuis vt verum fatear hæc sententia P.Vasq. valde probabilis sit, & à mesequenda necessario iuxta ea quę dixi supra loquens de simplici Sacerdote qui habet iure diuino potestatem ad absoluendum, & iurisdictionem quamuis huius iurisdictionis materia illi applicetur à iure humano.

§. II.

Opinio Vasquez, & Philiberti adducitur.

77. VAsquez 3.*p.huius resol.*initio adductus, quem sequitur Philibert.Marchin.*tr.*1. *de Sacram. Ordinis p.*1. *cap.*11. autumant Episcopatum esse Ordinis Sacramentum, imprimens verum, & proprium characterem, non secus ac Sacerdotium. Quam sententiam eo solemniori applausu amplexata est Societatis schola, quo expresè opponitur S.Doctoris Scholæ, eiusque veris Discipulis. Ita tenent Bellarmin. *lib.*1.*de Sacram.Ordin c.*5.Valentia 3.*p.disp.*9.*q.*1.*punct.*4.§.*secundum.*Coninch *disp.*20.*de Sacram.dub.*7.*n.*9. Layman *lib.*5.*moral. Theol.tract.*9.*c.*7. Barbosa *lib.*1.*iur.Eccles.vniuer. c.*6.*n.*3.*& in Collect.ad cap.nullus* 61.*dist.*3.*n.*3.asserens cum aliquibus iuris Canonici interpretibus, quod validè ordinatur quis Episcopus, etiã si non sit ordinatus Sacerdos. Ita Rendina *in promptuar.receptar.sentent.Rubric.*38.*n.*6. Fornarius *de Sacram.Ord.c.*6.*n.*5.& ipse Barbosa *de potest.Episcop.alleg.*11.*n.*38. & antea *n.*18.multis citatis dixerat Episcopatum esse ordinem, & Sacramẽtum.

78. Probatur primò, hæc sententia ex Concil.Trid. definiente, *sess.*23.*c.*3. Sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur esse vere, & propriè Sacramentum, & *c.*4. definit quod ad Hierarchicum Ecclesiæ ordinem pertinet præcipuè Episcopatus. Quem Hierarchicum ordinem declarat S. Synodus *can.* 6. quod est diuina ordinatione institutus, constat Episcopis, Presbyteris, & Ministris; ex quibus (inquit Vasquez manifestè consequitur, quod ordinatio Episcopi sit Sacramentum, nam si iure diuino Episcopus pertinet ad Ecclesiasticam Hierarchiam à Christo Domino erectam, & Ecclesiastica Hierarchia per ordinationem Sacram quam Conc. dicit Sacramẽtum constituitur, non potest non Episcopatus esse Ordinis Sacramentum, gratiam conferens, vt expresè fatetur Ambros. *lib.de dignitat.Sacerdot.cap.*5.

79. Secundò, quia teste D.Tho.Sacramentum Ordinis institutum est in ordine ad corpus Christi naturale in Eucharistia ponendum, quia diuersitas ordinum sumitur in ordine ad diuersa ministeria ad Eucharistiam deseruientia, atqui Episcopatus non minus ac Diaconatus ordinatur ad aliqua ministeria ad Eucharistiam attinentia, qualia sunt Altaris, & paramentorum consecratio, & benedictio: ergo multo magis Episcopus ordinatur ad Eucharistiam, quam Subdiaconus. Quare si iste constituitur in suo gradu per Ordinis Sacramentum, etiam Episcopus.

80. Tertiò, quia Episcopus in sui consecratione accipit verum, & proprium characterem indelebilem, non secus ac Sacerdos: ergo ordo Episcopalis Sacramentum est. Antecedens probatur, quia Episcopus in sui ordinatione accipit potestatem inseparabilem ordinandi, confirmandi, & consecrandi; character autem non est aliud, quam huiusmodi potestas ad aliquem actum Hierarchicum. Et quidem noua operatio, nouum principium, & potestatem requirit, nec de hoc potest esse aliqua dubitatio inter Catholicos, quod character sit aliquid reale physicum in anima, ipsam eleuans ad operationem supernaturalem.

81. Dicere autem quod ordinatione Episcopi Sacerdotalis character extenditur ad operationes Episcopi proprias, hoc non obstat, quominus Episcopatus sit ordo, & Sacramentum, sicut multi dicunt satis probabiliter quod Subdiaconatus, & Diaconatus non imprimunt nouum characterem, sed extendunt priorem, & tamen conferunt gratiam, simul cum præfata intentione, & sic sunt verum Sacramentum. Et quidem incredibile videtur quod cum Episcopatus sit à Christo Domino institutus ad tam sublimes actiones, & Episcopi ordinatio sit de iure diuino, quod ita ex opere operato non conferat gratiam, & conferat ordo Subdiaconatus, qui solum ad legendam epistolam est institutus.

82. Quartò, quia si Episcopatus non est ordo: ergo qui illum exercet in peccato mortali non peccabit mortaliter, quod est alienum à fidelium sensu. Et quis non abhorreat quod Diaconus si cantet Euangelium in peccato mortali peccet mortaliter; si tamen Episcopus ordines conferat, aut confirmet in peccato mortali, à peccato immunis sit? id autem sequi patet, quia in sola Sacramentorum mala administratione noua committuntur peccata, vt apud omnes est certum.

83. Quintò, quia Concilium Trid. *vbi sup. cap.*3. probat sacrum ordinem esse Sacramentum conferens gratiam ex opere operato ex loco *Pauli* 1. *ad Timoth.*2.dicentis: Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manus Presbyterij. Atqui Paulus loquitur de ordinatione ipsius Timothei in Episcopum: ergo vel Episcopatus est Sacramentum, vel inefficax est Concilij argumentum, & illatio.

§. III.

D. Thomas defenditur, & propugnatur.

84. ANgelicus præceptor, vt vidimus, sentit Episcopatum non esse ordinem Sacramentum, sed esse ordinem Hierarchicum, quatenus ordo dicit officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum, & sic non imprimere characterem. Quem sequuntur omnes eius Discipuli quos referunt defensantes DD. Sanct. Fr.Ioannes à S. Thoma *in eleganti illa disputatione Apologica* 2. *de approbatione Doctrinæ S. Thom. propos.*9. Paulus Nazarius *tom.*2.*opusc.in defensione Apologetica doctrinæ S.Thom.obiect.*6. *pag.*171. Quare ridiculè P. Granado 3 *p.contro.*9. *tract.*1. *disp.*2. postquam *n.*15. dixit negari non posse ordinationem Episcopi esse Sacramentum *n.* 16. explicat

85. S. Doctorem quando hoc negat quod loquatur non esse Sacramentum absolutè distinctum ab ordinatione Sacerdotis, sed vtraque ordinatio constituit vnum perfectum, & omnino completum Sacramentum. Quam doctrinam sumpsit ex Vasquez *vbi sup.n.*47. sicut potestas consecrandi, & absoluendi à peccatis constituunt vnum perfectũ Sacerdotium simplex, & vnum Sacramentum, cui Sacerdotio si addatur potestas Episcopalis efficitur vnum perfectum omnino, & completum & summum Sacerdotium potens generare Patres Ecclesiæ, vt aiebat Epiphanius. Quare sic intelligendus est S.Thomas.

Verum

86. Verum enim vero,hæc intelligentia S.Doctoris illi contraria æstimanda est,vtpote opposita expressè vero sensui, & verbis eiusdem distinguentis *duplicem ordinem, vnum Sacramentum*, & sic dicit *non esse Ordinem Episcopatum, nec gratiam ex opere operato causare; alterum non Sacramentum, sed qui dicit officium quoddam respectu quarumdam actionum Sacrarum,& talis ordo est Episcopatus*; quomodo ergo cum hoc sensu intelligentia ista cohærere valet? valeat ergo;nec exemplum quod adducit simile est, quia vtraque illa potestas in Sacerdotio ordinatur ad Eucharistiam
87. ritè,& rectè administrandam eo modo quo §.4.explicabimus. Quare vnum,& perfectum Sacerdotium substantiale conflat,potestas tamen Episcopalis non ad substantiale Sacerdotium, quod est ordo, & Sacramentum requiritur,sed ad accidentale complementum, sicut generare complementum accidentale est hominis. Et sic egregiè D. Thom. *in* 4.*dist*.24. *q*.2. *art*.1. *quæstiunc*.1. *ad* 2. dixit, *quod tota plenitudo Sacramenti Ordinis est in vno ordine, scilicet, Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio,& hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit*: *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent onus populi*, & ideo omnes ordines sunt vnum Sacramentum.

88. Quare manifestum est supra Sacerdotium non esse ordinem Episcopalem qui sit Sacramentum, aliàs tota plenitudo Sacramenti Ordinis in Episcopali esset, & sic ista perfectior esset quam Sacerdotalis,quod omnino implicat,cum nulla potestas creata ad præstantiorem effectum ordinari possit, quam Sacerdotalis,quæ primo,& per se ordinatur ad conuertendum panem in corpus Christi, ad quem primo, & per se non ordinatur Episcopalis, prout à Sacerdotali diuersa, sed ad aliquos actus, quibus ista accidentaliter condecoratur, & perficitur.

89. Vnde satis bene Hispalensis *in* 4 *dist*. 24. *q*.2. *art*.3. asserit falsam esse opinionem dicentiũ *quod Episcopatus non sit aliud quam Sacerdotium completum,siue ad totam suam perfectionem extensum; nam sicut Corpus Christi verum,& Corpus Christi mysticum non sunt eiusdem rationis,ita nec Sacerdotium quod est potestas ordinata ad Christi corpus verum,est eiusdem rationis cum Episcopatu,ad Corpus Christi mysticum ordinato, quantum ad id in quo superat Sacerdotium,& sic vnum extensione nõ fit aliud*.Hæc ille satis sapienter,atque ita Episcopatus,ordo Sacramentũ non est,quod ex antiquis tenent Richard.*in* 4.*dist*.24.*art*.5.*q*.1. Bonauent. *art*.2.*q*.3.Albert.*art*.39. Ferrariens.4.*contra gentes*
90. *c*.76.§.*ad euidentiam*. Ledesma *in* 4.2.*q*.42.*art*.5. vbi dicit *videri quod disputatio sit de nomine*. Sed hoc incongruè dictum, vt dicemus. Azor *tom*.2. *lib*.3.*c*.27.*q*.3. optimè id comprobans,& fideliter inferens omnes Summistas antiquos Angelum,& Syluestrum, Armillam, Tabienam, Rosellam, & alios, soluens omnia facili negotio, quæ iuris Canonici interpretes Theologis obiiciunt.

91. Et quidem mihi omnino indubitatum est Episcopatum non esse ordinem Sacramentum,prout de Sacramentis nouæ legis loquuntur Patres, & Concilia, quod ex eo fit manifestum, quia si Episcopatus ordo esset Sacramẽtum,vel ad illud pertineret dubio procul Eugen.IV. *in Decreto quod habetur in fine Concilij Florent. tom*.4.*Concil*.*p*.1. edito pro Armenorum instructione, & pro ipsorũ tam præsentium, quam futurorum doctrina faciliori,& Episcopatu,qui ordo perfectissimus est,& in Hierarchia Ecclesiastica primum locum,& gradum tenet, vt est de fide, & supra simplex Sacerdotium est iure diuino, *vt* §.1. contra Hæreticos vidimus,de illo mentionem faceret assignans,eius materiam,& formam,sicut assignauit Sacerdotio, & aliis ordinibus Sacris; at hoc non fecit: ergo manifestum est Episcopatum rationem Sacramẽti non subire, secundum quod dicit potestatem supra corpus Christi mysticum superiorem Sacerdotio,quod respicit corpus Christi verum in Eucharistia; & sic in instructione dogmatica diminutè processisset Pontifex,qui sicut posuit exemplum materiæ Sacramenti ordinis in Presbyteratu,Diaconatu,& Subdiaconatu,deberet etiã ponere in Episcopatu, si sentiret esse Sacramentum.

Quare dum in Concilio Antioch.*Canon*.10.& 92.
11. dicitur quod quis accipit Episcopatũ per manus impositionem, loquitur de Episcopatu prout est ordo potestatiuus supra corpus mysticũ Christi. Quo modo intelligitur S.Clem. *lib*.8. *constit*. *c*.27.Quare Concilium Trid.*vbi sup*.*c*.2.*in ordine ad S. Sacerdotij mysterium in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures,& diuersos Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deseruirent ita distributos agnoscit,vt qui iam Clericali tonsura insigniti sunt per minores ad maiores ascenderent;nã non solum de Sacerdotibus,sed & de Diaconis Sacra litteræ apertam mentionem faciunt, atque maximè in illorum ordinatione quæ attendenda sunt grauissimis verbis docet,& ab ipso Ecclesiæ initio ordinũ sequentium nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria Subdiaconi scilicet, Acholyti, Exorcistæ,Lectoris,& Ostiarij in vsu fuisse cognoscũ tur, quamuis non pari gradu, nam Subdiaconatus ad maiores ordines à tribus, & sacris Conciliis refertur, in quibus, & de aliis inferioribus frequentissima legimus*. Hæc ibi.

Vbi Sacrum Concilium dogmaticè tractans de 93.
ordinibus septem tantum suis propriis nominibus proponit,nullam de Episcopatu mentionẽ faciẽs, manifestè sentiens non esse ordinem Sacramentũ. Quod ex eo fit euidens,quia *c*.3.*sequenti* ordinem quem diuiserat (cuius diuisionis membrum non constituit Episcopatum)definit esse Sacramentum nouæ legis quod confirmat *canon*.3.ergo Episcopatus non intrat ordinis Sacramentum, etsi in Hierarchia Ecclesiastica Summum gradum dignitatis obtineat, aliàs si vt Sacramentum,ordinatio Ministrorum non completur numero septenario.

Dicere autem quod Episcopatus continetur sub 94.
Sacerdotio,& non esse distinctum Sacramentum ab illo, vt dicunt Vasq. & Granado, præterquam quod est supra reiectum, manifestè reiicitur hoc argumento, quia vt optimè notauit Caiet.*tom*.1. *opuscul*.*tract*.10. ideo Episcopatus est ordo, quia Episcopus potest aliquem actum qui si fiat à non Episcopo nullus est,qualis est ordinatio, & confirmatio. Quod Methaphysicè patet,quia potentiæ distinguuntur per actus:ergo Episcopatus nõ est idem cum Sacerdotio,sicut nec Diaconatus est idem cum Subdiaconatu; atque ita si Episcopatus est ordo Sacramentum, hoc non completur numero septenario, vt vult Tridentinum.

Ex cuius testimonio aliud non minus efficax su- 95.
mitur argumentum. Quia Sacramentum ordinis de quo actura erat Sancta Synodus sumitur in ordine ad Sacramentũ Eucharistiæ:ergo potestas illa etiam si sit indelebilis non causatur ab ordine qui est Sacramentum si primò, & per se non ordinatur ad Eucharistiam actualiter conficiendam,

vt enim optimè notauit Deza *vbi sup.notab.*1. ex D.Thom. *in* 4.*dist.*24.*q.*2.*art.*2. *omnes septem ordines sunt vnum Sacramentum,quia ad vnum, scilicet Eucharistiam, ordinantur per actiones proprias actualiter deseruiendo Eucharistiæ Sacramento, siue eius consecrationi,siue sumptioni,siue adorationi,siue quomodolibet aliter ministrando* (quibus similia dixi Trid. *sess.*23.*c.*1. *cum autem diuina res sit tam Sancti Sacerdotij ministerium, consentaneũ fuit,quo digniùs,& maiori cum veneratione exerceri possit, vt in Ecclesia ordinatissima dispositione, plures, & diuersi essent Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deseruirent.* Hæc ibi nihil clarius dici potuit.

96. Quare miror,& miror valde qua facilitate motus Vasq. dixerit *vbi sup.* D.Thom.& alios huius nostræ sententiæ DD.absque vllo fundamento dixisse ordinari ad Sacramentum Eucharistiæ in ordine ad quod habet rationem Sacramenti;quamuis enim Christus Dominus potuerit instituere Episcopatum Sacramentum,non in ordine ad ministerium actuale Eucharistiæ conficiendæ per Sacerdotem, sed in ordine ad faciendos Sacerdotes, tamen de facto non ita instituit, sed in ordine ad ministerium actuale Sacerdotum,vt expresè dicit Trid.desumens ex D.Thom.& aliis antiquis.Vnde vere dixit Ioannes Gerson *lib.de potest.Ecclesiast. consid.* 3. *Conceditur cum maiori parte Doctorum,quod supra Sacerdotium simplex, nulla est alia potestas ordinis, neque in Episcopis, neque in Papa.* Videat ergo Vasquez si maior pars Doctorum sine fundamento loquatur.

97. Tertiò probatur, ratione D.Thom.Sacramentum Eucharistiæ est omnibus Sacramẽtis præstãtius,quod nullus Catholic.dubitare potest.Quod non obscurè colligitur *ex Trid.sess.*7.*can.*3. & definiuit Alex.Papa *in Epist.*1.*Decret.*& refertur *in c.nihil de consecr.dist.*2.& sic Dionys.*c.*3.*de Eccl. Hierarch.* appellat finem, & consummationẽ Sacramẽtorũ & omniũ præstantissimũ, vt ibi interpretãtur Perionius,S.Max.Pachimera *in suis paraphrasib.*& Corderius *in adnotat illius c.*quos secutus est S.D.3.*p.q.*65.*art.*3.Quare Sacerdotium est apex,& consummatio Sacramenti ordinis,in quo tota plenitudo Sacramenti Ordinis reperitur:ergo nullus est ordo, qui rationem Sacramenti sortiatur, qui non sit in ordine ad Eucharistiam actualiter ministrandam,& conficiendam a Sacerdote; atque ita cum Episcopatus non ordinetur ad ministrandum Sacerdoti, imo in ordine Hierarchico eius dignitas superior est, non est ordo Sacramentum.Prima consequentia patet quia ratio
98. Sacramenti dicitur de septem ordinibus, sicut totum potestatiuum de suis partibus, cuius totius natura est, quod totum secundum completam rationem est in vno; in aliis autem est aliqua ipsius participatio;atque ita cum Sacerdotium non participet rationem Sacramenti ab aliis ordinibus inferioribus, isti ab illo eam participant.

99. Et quidem Sacramentum ordinem non dici vniuoce de septem Ordinibus mihi manifestum est, cum ordines tam sacri,quam non sacri ad Sacerdotium ordinentur, tanquam quædam dispositiones,& præparationes sint ex sua primaria institutione diuina omnes ordinati, ad illud sint relati, tanquam Ministri.Et sic sicut in ratione Ordinis non conueniunt vniuoce cum Sacerdotio, ita nec in ratione Sacramenti. Quare *opus.*65.vbi dicitur quod sunt nouem ordines,inter quos ponitur Episcopatus, vel non est D.Th. & sic litteris minusculis est impressum, & vtrumque ordinem exposcit S.D.*in* 4.*dist.cit.* vel sumit ordinem non pro Sacramento, sed pro officio aliquo destinato ad aliquam actionem.

Quartò probatur, quia si ex eo Episcopatus est 100.
ordo Sacramentum, quia est potestas ordinata ad aliquam actionem,quæ si non fiat à tali potestate irrita est,& inanis : ergo Sum. Pontificatus Petro à Domino concessus residens in eius successoribus legitimè intrãtibus erit ordo specialis distinctus à simplici Episcopatu,quod nullus dixit. Sequela probatur, quia solus Summ.Pontif. successor Petri,& Christi Vicarius potest definire res fidei,& declarare aliquem librum esse Canonicum, qui actus à nullo alio potest fieri neque in tota Ecclesia, neque in aliqua Diœcesi particulari, & Pontifici Romano soli promissa est gratia infallibiliter, vt in rebus fidei,nec possit falli,nec fallere:ergo ex vi electionis Pontificiæ aliqua potestas illi conceditur,quæ sicut non est ordo,nec Sacramentum, ita neque potestas quæ datur Episcopo simplici ad aliquas actiones Hierarchicas,sed solum constituit speciale officium,& dignitatis gradum,licet sit aliquale discrimen in huiusmodi potestatibus possidentis, quod Episcopus simplex indelebiliter suam retinet,etiam si sit hæreticus;at Petri successor eam per hæresim externã amittit.

Confirmatur,quia Abbas consecratus ex vi con- 101.
secrationis accipit potestatem indelebilem ad aliquos actus Hierarchicos; possunt enim conferre Minores Ordines ; imo ex priuilegio Innocentij VIII. poterant ante Concilium Trident.conferre Diaconatum,& Subdiaconatum,quæ sunt Sacramenta,& Ordines respicientes Ministerium Altaris, & tamen nullus dicit quod Abbatiatus sit ordo Sacramentum : ergo nec Episcopatus.

§. IV.

Occurritur fundamentis oppositis.

EX dictis operosum non erit fundamenta con- 102.
traria euertere. Ad primum respondetur facilè, Trid. solum velle, quod Episcopatus pertineat ad Ordinem Hierarchicum diuino iure institutũ; non tamen quod prout est distinctus à Sacerdotio sit Sacramentum, hoc enim nec in mentem venit Synodo Trident.nec alij cuilibet antiquiori. Sed dicunt omnes Patres antiqui Sacerdotem in Episcopum ordinari, hoc est, consecrari, & vngi, & euehi, ad excellentiorem potestatem indelebilem supra corpus mysticum Ecclesiæ, non tamen est ordo, qui est Sacramentum ex septem Ecclesiæ, hoc enim adæquatè diuisit Concilium in maiores, & minores,per quos ascenditur ad Sacerdotium, & cui in Ministerio Altaris deseruiunt,nulla facta de Episcopatu,prout distinguitur à Sacerdotio distincto mentione,& D.Tho.eiusque Discipuli loquuntur de Episcopatu, prout distinguitur à Sacerdotio de illoque duo dicit quod est potestas quædam indelebilis supra corpus mysticũ,& quod non est Sacramentum,& vtrumque verissimũ est.

Ad secundum respondet optimè Deza *notab.*2. 103.
quod non quælibet relatio,vel ordinatio ad Sacramentum Eucharistiæ, dat Ordini quod sit Sacramentum, sed Ordinatio, vel relatio principaliter, & directè ordinata ad actualem Eucharistiæ consecrationem vel vsum, aut ministerium. Vnde quia septem Ordines tam Sacri, quam non Sacri principaliter, & directè Ordinantur ad seruiendum Sacramento Eucharistiæ,

ſtiæ, quantum ad actualem conſecrationem eius, vel vſum ; ideo quilibet ſortitur rationem Sacramenti Ordinis : Epiſcopatus autem prout eſt altior Sacerdotio non ordinatur principaliter,& directe ad actualem conſecrationem Euchariſtiæ, vel vſum,non enim poteſtas Epiſcopalis vt ſic cooperatur actualiter Sacerdoti Miſſam celebranti,aut Euchariſtiam actu conficienti;etſi enim Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali deriuetur,& ſic Sacer-
104. dotes in ſuo Miniſterio vtantur rebus ab Epiſcopo conſecratis ; cæterum ad conſecrationem corporis Chriſti nõ iuuatur ab Epiſcopo, niſi in quãtum ab eo accepit poteſtatem conſecrandi,per hoc autem quod quis ab alio accipiat potentiã ad actũ non propriè dicitur habere actum ab alio,aut illũ cooperari ad eius actum ; etſi enim animal genitũ accipiat omnes potentias vitales à generante,nam qui dat formam dat conſequentia ad formam,tamen generans non dicitur cooperari cum genito ad actus talium potentiarum,puta viſionis, auditionis,&c. Tum etiam quia vt optimè arguit Pa-
105. ludanus, ſi ideo Epiſcopatus pertinet ad Sacramentum Euchariſtiæ, & ad illud ordinari tanquam illi miniſtrans, quia ordinat Miniſtros ad ipſius Sacramenti miniſterium, multo magis deberet dici quod pertinet ad Sacramentum Confirmationis,& huius actus deberent Epiſcopo etiam tribui,quia illud confert, vt neceſſarius Miniſtér.

106. Ad tertium reſpondetur,quod Epiſcopatus etſi dicat poteſtatem ſupernaturalem ad actus Hierarchicos quæ perſeuerat in Epiſcopo Schiſmatic.& hæretico,vt eſt omnino indubitatum, tamen hæc poteſtas non eſt character ordinis dicenda. Cuius egregiam rationem aſſignat S.Doct. in verbis prothemate poſitis huius difficultatis: *Quia ordo prout eſt Sacramentum imprimens characterem ordinatur ſpecialiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur, quia per characterem ipſi Chriſto configuramur ; & ideo licet detur aliqua poteſtas ſpiritualis Epiſcopo,non tamen illa poteſtas habet rationem characteris.* Quid pulchrius? Ratio enim characteris ordinis delumitur in ordine ad configurationem cum Chriſto Sacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech panem,& vinũ conuerſum in corpus,& ſanguinem ſuũ offerente, ad quod poteſtas Epiſcopalis, prout à Sacerdotio diſtincta non ordinatur directè, & principaliter.

107. An vero hæc poteſtas dicenda ſit extenſio poteſtatis partialis,quam accipit Sacerdos in ſui ordinatione ſupra corpus myſticum Eccleſiæ, quatenus poteſt abſoluere à peccatis,quæ eſt quædam præparatio ad Euchariſtiam ; an vero ſit qualitas omnino diſtincta à reliquis,affirmant Barboſ.hoc vltimum ; primum tamen communiter docent Thomiſtæ ſecuti Sotum *in* 4. *diſt.*24.*q.*2.*art.*1.ſed neutrum mihi placet;quamuis enim Epiſcopatus ſit poteſtas omnino diſtincta à Sacerdotali characterе,non ſecus ac iſte à Diaconatu, tamen poteſt quis fieri Sacerdos per ſaltum,vt eſt ſancitum lege Eccleſiaſtica,& conſtat *in titulo Decretalium de Clerico ordinato per ſaltum*;non tamen poteſt fieri Sacerdos ſummus, & Epiſcopus per ſaltum, ſine eo quod ſit prius Sacerdos. Ratio diſparitatis eſt, quia cum ordines referantur ad ſacerdotium cui inſeruiunt,iſtud illos non requirit eſſentialiter,neque ordo ſuperior ad inferiorem ordinatur.Quare character ſuperior imprimi poteſt ſine inferiori, quamuis ſtatuto Eccleſiæ impediatur, ne in actum exeat, quouſque inferiores characteres imprimantur ; at poteſtas Epiſcopalis cum reſpiciat corpus myſticum Chriſti, eſſentialiter ſupponit poteſtatem, & characterem reſpicientem corpus naturale Chriſti ratione cuius caracteris Chriſto 108.
ſummo Sacerdoti conformamur ; ſicut poteſtas abſoluendi à peccatis ex Chriſti Domini inſtitutione, quia reſpicit corpus myſticum eſſentialiter ſupponit poteſtatem, & characterem Sacerdotalem circa corpus Chriſti naturale, itaut ſi prius Epiſcopus intentet alicui conferre poteſtatem abſoluendi, non collata poteſtate conſecrandi irrita, & inanis eſſet collatio, vt eſt apud omnes indubitatum ; cum ergo Epiſcopus ſit Sacerdos ſupremus, ſummuſve, niſi ſit Sacerdos dignitatem ſummam Sacerdotij habere non poteſt.

Non placet etiam ſecundus dicendi modus quẽ 109.
amplexatur etiam Ioan. à S.Tho. quod ſcilicet ſit extenſio characteris Sacerdotalis,ſecundum quod reſpicit corpus myſticum Chriſti,& dicit poteſtatem abſoluendi,hic,inquam,dicendi modus mihi non probatur,tum quia D.Thom.duo habet loco citato quæ videntur opponi huic ſententiæ, primum quod Epiſcopatus non eſt character, quare rationem formalem characteris expellit S. Doct. ab Epiſcopatu,atque ita non poteſt iſte illius eſſe extenſio, quia alicuius habitus extenſio non excludit rationalem formalem illius ; imò eſſentialiter includit. Secundum eſt quod Epiſcopatus eſt poteſtas quædã indelebilis ad ſpeciales actus Hierarchicos omnino diſtinctos ab actibus Sacerdotalibus ; atque ita ſicut Sacerdotium non eſt extenſio Diaconatus,ſed character realiter diuerſus, ita poteſtas Epiſcopalis à characterе Sacerdotali, cum actus horum Ordinum, & graduum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſint maximè diuerſi, quamuis poteſtas Epiſcopalis aliquatenus poſſit dici extenſio poteſtatis Sacerdotalis, quatenus illa eſſentialiter iſtam præſupponit, & vtraque eſt circa corpus Chriſti myſticum, quamuis poteſtas Sacerdotalis circa corpus myſticum, cum ſit ordinata directè, & principaliter ad Euchariſtiam rationem Sacramenti ingrediatur.

Ad illud quod tangebatur in eodem argumento 110.
quod per Epiſcopatum confertur gratia,reſpondet Deza *vbi ſup.notab.*3. quod nullæ actiones quantumcumque conſiſtant in ſignis, & rebus, & ſint ex inſtitutione diuina attingunt ad rationem Sacramenti nouæ legis,niſi habeant efficaciã,& virtutem ex opere operato efficiendi id quod ſignificant, quantumcumque etiam in tali actione detur gratia gratum faciens,aut aliquis ſpecialis effectus conſequatur. Vnde licet vnctio Regum, & conſecratio virginum fiat per ſigna ſenſibilia, & in eis gratia detur,vt dicit D.Tho.*in* 4.*diſt.*38.*q.*1. *art.*5. *ad* 2. quia tamen in eis non confertur gratia ex opere operato,Sacramenta non ſunt. Et ſic intelligendum eſt quod aliqui Patres dicunt,videlicet quod in ordinatione Epiſcopi confertur gratia, ita quidem, ſed non ex opere operato,ſed ex opere operantis,quia Epiſcopus indiget gratia in ſui officij,& gradus exercitio,& Deus non deficit in neceſſariis, qui ſua aſſiſtentia, & largitate dat affluenter;quod enim poteſtas Epiſcopalis indelebilis ſit non facit ordinem, Epiſcopatum, quia etiam Virginum, & Calicis conſecratio indelebilis eſt, & tamen non eſt Sacramentum.

Ad quartum reſpondetur, quod Epiſcopus or- 111.
dinans alios in peccato mortali mortaliter peccat quia perficit Sacramentum in peccato mortali, ſicut qui alios abſoluit in peccato mortali, & ſic malè adminiſtrat Sacramenta.

112. Ad quintum respondet optimè Magister Ioan. à S. Thoma, optimam esse Concilij illationem nam vt plures Patres interpretantur, etiam Paulus ratione materiæ ibi loqueretur de Ordine Timothei in Episcopum, tamen eius sententia, & diffinitio extendebatur ad Sacramentum Ordinis Sacerdotalis, vt satis innuit August. *lib. qq. ex nouo, & veteri testamento, q.93.* in primitiua enim Ecclesia multi ob penuriam Ministrorum simul ordinabantur Sacerdotes, & Episcopi, qualis forsan fuit Timotheus, & sic intelligendi sunt Patres qui dicunt quod ibi Paulus loquebatur de Ordinatione Episcopi, id est, simul cum Sacerdotio, & quatenus refertur ad Sacerdotium erit Sacramentum Ordinis; non tamen quatenus referebatur ad Episcopatum, quæ est potestas Superior Sacerdotio, quatenus respicit corpus mysticum; & sic optimè Concilium rectum ab Spiritu Sancto ex loco Pauli colligit sacram ordinationem esse Sacramentum nouæ legis.

113. Ex quibus infertur quam ineptè Authores contrariæ sententiæ verissimam sententiam D. Thom. suggillant, cum sit longè probabilior, & antiquitati conformior; id autem quod dicit Petrus de Soto, certa fide tenendum Episcopatum esse Sacramentum, intelligi potest quod sit Sacramentum ratione Sacerdotij quod essentialiter exposcit, ita quod summum Sacerdotium quod idem est, ac Episcopatus negari non potest esse Sacramentum, & contrarium esset non solum periculosum, sed hæreticum, sed non est Sacramentum ratione potestatis Episcopalis, sed ratione Sacerdotij. Quod si hoc non voluit Petrus de Soto, minus considerate locutus est, vt dicit Nazarius *vbi suprà.*

Resolvtio IV.

Vtrùm Religiosus qui adstringitur voto solemni non admittendi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, possit Magisterium, vel Doctoratum accipere in aliqua Vniuersitate publica.

SVMMARIVM.

114 *Cur proponatur ista difficultas ab Auctore.*
115 *Resolutio propositæ difficultatis.*
119 *Afferuntur fundamenta prædictæ resolutionis.*

114. Difficultatem istam propono ad extirpandum scrupulum qui in nostra Sacra Religione multos sine causa vexauit, noster enim P. Fundator, vt omnem locum ambitioni præcluderet, quartum votum solemne tribus communibus adiunxit, quod est de substantialibus, quibus solemniter adstringimur: *Non prætensuros extra Religionem dignitatem aliquam, vel Prælationem, nec consensuros in nostri electionem, nisi coactos obedientia Summi Pontificis.* Igitur difficultas est, si quis nostrum, vel alterius Religionis, quæ simile habeat votum possit licitè absque illius contrauentione gradum Magisterij, aut Doctoratus solemnem, vt concedi solet in Vniuersitatibus prætendere, illumque recipere sine licentia Summi Pontificis, sed solum cum facultate sui Generalis, aut Prouincialis. Et quidem in præsenti non est animus probare licitum esse, & salubre tale votum, nec hodie potest in dubium reuocari, cum approbatum sit à Sede Apostolica, tam in nostra Religione, quam in Societate Iesv, vt id probat latè Suarez *tom.4. de Religion. cap.8.* & est expressum D. Tho. 2.2. *quæst.185. art.2. ad 3.* agens de voto non suscipiendi Episcopatum.

115. Et quidem mihi indubitatum est, & omnibus rectè sentientibus debet esse, nostros Religiosos solemniter professos, posse licitè absque voti solemnis fractione Doctoratum, aut Magisterium publicum accipere, seruata tamen conditione paupertatis, itaut nihil expendat in huiusmodi gradibus sine Superioris expressa licentia, quod si expendat sine licentia tali, contra votum paupertatis peccabit, non contra votum de non admittenda dignitate, *quantum in se fuerit, nisi coactus obedientia Summi Pontificis.* Ita tenent expressè P. Suarez *tom.4 de Religione cap.4. num.10.* loquens de propriis vniuersitatibus, & etiam de sæcularibus, vbi sic ait: *Possunt tamen interdum in aliis Vniuersitatibus nostri professores gradum accipere, quia nec hoc est alienum à statu Religioso, vt docet S. Thom. opusc. 19. cap 2. & 3. D. Antonin. 3. p. tit.5. cap. 2. §. 8. Aluares Pelagius lib.2. de planctu Ecclesiæ cap. 24. Neque etiam est alienum à Societate cum interdum ad Ministerium suum cum vtilitate exercendum necessarium sit.* Hæc ille, & tamen professi Societatis votum habent solemne simile nostro, & fere eisdem verbis emissum. Quamuis enim D. Antoninus, & Aluares Pelagius loquantur de Religiosis Mendicantibus, qui non habent tale votum, tamen rationes quibus mouentur vim habent, etiã si essent adstricti voto. 116.

117. At D. Thomas clarè loquitur, etiam si adsit tale votum, sic enim loquitur *in 2. p. illius opusculi cap.2. aliquantulum à medio* respondens cuidam obiectioni impugnantium Religionem: *Dato quod honor ad mundum simpliciter pertinere intelligatur; non tamen hoc potest dici de quolibet honore, sed de honore qui consistit in rebus mundanis; non enim potest dici quod honor Sacerdotij pertineat ad mundum, nec honor Magisterij cum doctrina quam consequitur, talis honor sit de spiritualibus bonis: sicut ergo Religiosi non abrenuntiant per votum Sacerdotio, ita nec Magisterio, item hoc falsum est quod Magisterium sit honor, est enim officium cui debetur honor. & quod lib.3. art.9.* Fundamenta huius Resolutionis posuit, & declarationis Pontificiæ quam subiiciam, sic enim loquitur S. D. *Oportet triplicem differentiam considerare Cathedræ Magistralis ad Cathedram Pontificalem quarum prima est, quod ille qui accipit Cathedram Magistralem non accipit aliquam eminentiam quam antea non habuerit, sed solum opportunitatem communicandi scientiam quam prius non habebat; non enim ille qui dat gradum aliquem dat illi scientiam, sed authoritatem docendi; ille vero qui accipit Cathedram Episcopalem* (& idem esto iudicium de qualibet alia prælatione extra Religionem habente iurisdictionem) *accipit eminentiam potestatis, quam prius non habebat, sed quantum ad hoc in nulla ab aliis differebat.* 118.

119. Ex qua differentia sumitur primum, & solidissimum fundamentum, quia ex vi voti solemnis solum abrenuntiamus Prælationibus, & dignitatibus quæ de se dicunt eminentiam supra alios, quam quis ex vi prælationis, & dignitatis habet super alios, quam non habet ante voti emissionem, & gradus Magisterij, & Doctoratus solum est testimonium eminentiæ in scientia quam quis ante Doctoratum habebat: ergo non est dignitas, & prælatio cui abrenuntiamus per votum.

Vnde

Vnde S. Thom. *in opusc. citato* dicit: *Non potest dici quod sub consilio cadat abstinere ab his quæ ad solemnitatem docendo pertinent, quia quæ ad solemnitatem docendo pertinent non fiunt causa elationis; alias essent ab omnibus vitanda, quia quilibet tenetur elationem vitare, sed sunt ordinata ad authoritatem Officij ostendendam, & sic non obstat perfectioni, quod quis Magistralibus insigniis vtatur.*

120. Secunda differentia inter vtramque Cathedram est, *quia Eminentia scientiæ, quæ requiritur ad Cathedram Magistralem est perfectio hominis secundum seipsum, Eminentia vero potestatis, quæ pertinet ad Cathedram Pontificalem est hominis per comparationem ad alium.* Ex qua differentia tale colligitur S. Doctoris fundamentum. Quia appetere aliquid quod pertinet ad perfectionem sui ipsius est laudabile. Vnde appetitus sapientiæ est laudabilis; dicitur enim *Sap.6. Concupiscentia sapientiæ perducit; ad regnum perpetuum*: appetitus autem potestatis super alios vt Gregorius dicit: contra naturam est hominem homini velle dominari: ergo si eminentiæ sapientiæ appetitus non est vituperabilis, sed laudabilis, etiam laudabile est appetere Magisterium, & Doctoratus gradum per quem explicatur tanquam per testimonium publicum illa eminentia, quia vt ait D. Thom. *vbi suprà. Ridiculum est dicere quod nomen sit prohibitum, cum res ipsa, nec eius appetitus, sit interdicta.*

121. Tertia differentia est *quoad Cathedram Pontificalem fit homo idoneus per charitatem excellentem, & ad cathedram Magistralem redditur homo idoneus ex sufficientia scientiæ.* Ex qua differentia colligit S. Doctor. *quod semper est vitiosum Episcopatum appetere, non tamen semper sit vitiosum appetere Magisterium, quia scientiam per quam aliquis est idoneus ad docendum potest aliquis per certitudinem scire se habere; charitatem autem per quam aliquis est idoneus ad officium Pastorale non potest aliquis per certitudinem scire se habere, & ideo semper est vitiosum Pontificatum appetere, non tamen Magisterium, nisi quando quis præsumptuose cum non sit idoneus ad docendum,* 122. *peteret docendi Officium.* Vnde S. Doctor. *in opuscul. citato* dicit: *Sicut pugnanti esset impedimentum ad pugnam si primum pugna ei subtraheretur, quia vt Philosophus in 3. Physicor. dicit, Fortissimi pugnatores esse videntur apud quos sunt timidi inhonorati, fortes honorati, ita studenti esset impedimentum ad studium si ei Magisterium subtrahatur, quod est studentis præmium.* Hæc ibi: ergo cum nostra Religio studiis ita vacet, per votum solemne de non accipienda dignitate non abrenuntiat Magisteriũ, cum ipsum appetere tanquam præmium debitum, non sit vitiosum.

123. His fundamentis D. Thom. quartum adiungo (quod me quidem iudice irrefragabile est.) Quia nomine Prælationis, & dignitatis, quibus abrenuntiamus per quartum solemne votum non intelligitur gradus Magisterij, & Doctoratus: ergo istis non abrenuntiamus, neque talis honoris incapaces per tale votum reddimur. Probatur minor, quia vt notat Suarez *lib.4. de Religione lib.6. c.8. num.14.* sic declarauit Sixtus V. qui nostram confirmauit Regulam, & Institutum, *in Constitution. 71. alias 73. quæ incipit: Cum de omnibus:* cum enim Summus Pontifex quodam Motu proprio omnes illegitimos inhabiles redderet ad habendas in Religione quascumque Dignitates, Prælaturas, & officia; Alio *Diplomate quod incipit Ad Romanum §.3.* declarauit se per ista verba non intelligere ministeria concionandi, docendi, aut legendi, nec etiam gradus Magisterij, & Doctoris, *quia hæc omnia magis sunt oneris, quam honoris*, & sic non comprehenduntur sub hoc 124. voto, vt idem Suarez ait *ibidem*; eo enim nomine dignitatis in præsenti materia intelligitur illa quæ proprie dignitas, aut prælatio est; propria autem dignitas, vt notat Ioannes Staphileus *de modo, & forma impetrandi. §. de dignitatis personatus, & officij differentia. num.2. & 5.* Nicolaus Gimoneus *de Gratiis expectatiuis. à n.54.* Ioannes Guttierez *lib.3. qq. Practicar. quæst.17. num.263. & lib.4 quæst.17. num 7.* dignitas proprie est præeminentia cum administratione, & iurisdictione. *l. Honor, D. de Muneribus, & honoribus.* Quare ministeria illa quæ refert ex iure Azor *tom.2. lib. 3. à c.13.* cum ex sua institutione aliquam administrationem, & iurisdictionem habeant, vt propriam rationem dignitatis obtinent. Vnde notauit optime Suarez *vbi sup. num.14. in fine*, idem esse prælaturam, & dignitatem quantum ad materiam huius voti.

Nec video quid possit contra hæc fundamenta 125. opponi, quod ex ipsis facillimo negotio non diluatur. Solum posset quis inquirere an secundum formam instituti nostri, & gubernationis, expediens sit licentiam concedere vt nostri Professores litterarum gradus Magisterij, & Doctoratus accipiant? non quidem quod in Religione nostra præeminentiam habeant, & exemptiones quas habent in aliis communitatibus Regularium Magistri; de hoc enim modo non disputo, disputaui tamen *tract. 11. resol. 22. anno 1636*) sed de gradu Magisterij in Scholis publicis, & Vniuersitatibus approbatis accipiant. Et quidem saluo semper prudentiori iudicio existimo id maxime expedire ad studiorum promotionem, & ardorem, quia vt dicebat D. Thom. *Magisterium est studentis præmium.* Quod si hoc penitus substrahatur eneruantur vires, langueſcit animus, nec erigitur spes, si possibilitas præmij excluditur; pugnanti enim maximum impedimentum est ad pugnam, si præmium pugnæ substrahatur.

Verum est quod hæc licentia indiscriminatim 126. non est concedenda, nisi illis qui in litteraria palæstra maximos, & vberes fecerit progressus, & pro quibus est publica fama vt Ecclesiæ suis scriptis inseruiant; ad hoc enim maxime deseruiet publicum alicuius Vniuersitatis testimonium, quod ipso gradu Magisterij præstatur. Et sic puto quod eo ipso quod alicui ex nostris licentia conferatur, vt cathedram publicam in aliqua approbata Vniuersitate legat, & tanquam proprietarius Moderator regat, eo ipso intelligitur illi concessa licentia, vt gradus Magisterij, vel Doctoratus accipiat. Hoc mihi clarum est ex doctrina quam ex Felino *in cap. Cum delicta num.18. & 19. de Rescriptis.* Nauarro *comm. 2. de Regularibus*, docet Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.14. num.46.* quibus adiungo Hieronymum Rodrig. *resolut.70. num.4. in fine.* Qui asserunt Religiosum missum 127. ad litteras censeri quoque licentiam habere vt ad Doctoratus gradum promoueatur: ergo multo magis hanc licentiam censetur habere ille qui ex facultate suorum Superiorum tanquam proprietarius Moderator cathedram regit. Et quidem S. D. *in opusc. citato, & in quodlibeto adducto* expresse loquitur de regimine Cathedræ ad

quod ex natura rei videtur sequi testimonium publicum gradus Magisterij, & sic qui concedit primum, necessario secundum concedit.

Resolvtio V.

Circa iustificationem moralem in foro conscientiæ singularis certaminis ab Excellentiss. D. Duce Methymnæ Sidoniæ oblati illi qui Brigantinus fuit.

SVMMARIVM.

127 *Interrogatio.*
128 *Supponuntur aliqua notabilia.*
135 *Conclusio Prima octo rationibus probatur.*
169 *Conclusio secunda triplici ratione probatur.*
176 *Soluuntur nonnulla contra dicta argumenta.*
192 *Eruitur ex dictis doctrina, qua duellis, & certaminibus ostium præcluditur.*
204 *Quid operetur in hac iustificatione morali pro singulari certamine Regius consensus.*
214 *Ponuntur duo corollaria ex omnibus dictis deprompta.*
219 *Ponuntur & soluuntur contra dicta nonnulla argumenta.*
246 *Approbationes grauissimorum virorum.*

§. I.

Interrogatio.

127. REuerendiss. P.M.Fr. Antonius de Saauedra in quadam Epistola ad me missa 20. *die Octobris anno* 1641. hanc clausulam ponit: *Halle a mi señora la Duqnesa afligida por este Desafio de su marido; particularmente cuydando, si era pecado mortal, y si estaua incurso en las Censuras del Concilio, y Bullas Apostolicas; y aunque yo le dixe lo que è visto en Diana, y otros Authores, conque quedo algo consolada, holgare mucho que V. P. mediga su parecer, y lo funde con sus grandes letras, para mayor satisfacion mia.* Hucusque Epistola. Cui consultationi quid sentiam scripto tradere decreui, vt cognoscat mundus Ducem Methymnæ Sidoniæ Equitis Christiani obligationibus, ab Atauis acceptis, respondisse, & ignorantes, ex huiusmodi actione non sibi scandalum percipiant, cum ex Pauli doctrina sapientibus, & insipientibus satisfacere teneamur.

Responsio.

§. II.

Supponuntur aliqua notabilia.

128. SVppono primò, Ducem Methymnæ Sidoniæ omnino fuisse innocentem, & liberum ab impositis quæ de illo scriptæ sunt, in hac enim innocentia fundatur tota hæc Resolutio, & ab illa dependent, quæ dicenda sunt, & sine illa non subsistunt.

Suppono secundò, singulare certamen permissum esse fere apud omnes Orbis nationes,
129. etiam ante natum Christum, sicut prælium defensiuum licitum est de iure naturæ, vt omnes tenent Doctores cum D. Thom. 2.2 *quæst.* 60. & ita duellum permissum fuit (vt ita dicamus) de iure gentium. Ita Federicus Imperator. *lib.* 2. *titul.* 27. *de pace tenenda.* Vbi Baldus *cap.* 1. *column.* 2. dicit: *Putant Nobiles, Deum esse auxiliatorem iustorum; hincque innocentiam suam duello purgare volunt, tamen Lombardia dicit, multos sub iusto clypeo perire.* In Gallia ex tat lex duelli inter Salicas, & apud Longobardos plures leges extant, vt late probant Alciatus *in Libello satis docto de Monomachia.* Et Ioann. de Lignano *in alio simili Tractatu qui extat in tomo* 12. *Tractatuum.* Nostræ etiam Hispaniæ leges duella, & 130.
riepta permittunt; & ita Rex Alphonsus legem condidit *lib.* 8. *titul.* 8. *Recopilat. leg.* 1. *relatam*, vbi ait: *El Emperador D. Alfonso ordeno, y establecio en las Cortes de Nagara que qualquiera que quisiere acusar, ò rieptar a otro sobre traycion, y a leue lo mueste primero al Rey, y le pidiesse merced que le otorgasse, que pudiesse reptar ò accusar. Y porque fallamos que el dicho ordenamiento es bueno, y con razon, &c.* Et sic in hacce lege modus qui in duellis seruari debet præfigitur, *lege* 2. & 3. dicendo quod ad duellum licitum sit prouocare ex imputatione aleuosiæ, & traditionis in Regem, vel in Regnum. & *in l.* 7. statuitur quod in prouocatum possit procedi si ad terminum præfixum non aduenerit. & *in lege* 8. causæ prouocandi ad duellum assignantur. Legantur circa has leges Perez *l.* 3 *gloss.* 1. *lib.* 8. *titul.* 13. *Ordinamenti.* Azeuedo *l.* 10. *n.* 18. *tit.* 8. *lib.* 8. *nouæ Recopil.* Burgos de Paz *l.* 1. *Tauri. à n.* 413. *vsque ad* 421. Bobadilla *in sua Politica lib.* 1. *c.* 14. *num.* 41.

Suppono tertiò, has leges in quantum duellum 131.
illicitum permittunt, reprobatas esse à Pio IV. *in sua Constitut. quæ incipit: Ea quæ à Prædecessoribus. Idib. Nouembr. ann.* 1560. & à Gregorio XIII. *in alia quæ incipit: Ad tollendum.* 14. *Nouembr. ann.* 1582. & à Clemente VIII. *in alia quæ incipit, illius vices* 2. *Septembr. ann* 1592. Idem etiam antea prohibuerant Iulius II. *in vna quæ incipit: Regis Pacifici.* Leo X. *in alia quæ incipit: Quam Deo.* Clemens VII. *in alia quæ incipit: Consueuit Romanus.* Quas confirmauit S. Tridentinum Concilium *sess.* 25. *de Reformat. cap.* 19. & Domini Reges Ferdinandus, & Isabella. *l.* 10. *part vltim. lib.* 8. *tit* 9. pœnam imponunt aleuosiæ, & bonorum amissionis Equiti alterum ad duellum prouocanti. Quæ pœna, sicut & maior excommunicatio, & priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ quam Concilium, & Summi Pontifices statuunt (vt expresse notauit Molina *tom.* 3. *tract.* 3. *disput.* 17.) intelligitur, *Quando duellum est illici-* 132.
tum. Nam quando licitum est non incurruntur pœnæ in Concil. Trident. statutæ, neque alia aliqua, quoniam in Concilio, & aliis iuribus solum prohibetur duellum illicitum. Ita ille. Et est perspicuum quia vt dicunt Doctores in materia de Excommunicatione, maior non incurritur nisi lethalis culpa interueniat.

Suppono quartò, duellum illicitum esse iure 133.
naturæ, quando indicitur vt per illud diuinetur & cognoscatur res quæ est occulta, & solet nuncupari *duellum purgatiuum*, & *Monomachia.* Quod (vt notauit Syluester *verbo Duellum num.* 1. ex Raymundo) solet vocari *iudicium*, quia in illo speratur iudicium Dei quod volumus per duellum diuinare. Itaque hoc duellorum genus illicitum est iure diuino, & naturali quemadmodum illicita est diuinatio, & intrinsece ex natura sua mala, & ob id prohibita. Duellum sub hac acceptio

ceptione prohibent Sacri Canones. *cap. Monomachiam. 2. quæst. 5. cap. Henricus de Clerico in duello, & c cap. Cura de Purgatione vulgari.* Etiam prohibent leges Ciuiles *l. vnica. C. de Gladiat. lib. 11.* Hoc enim modo duellare ad indaginem veritatis purgando crimen quod obiicitur, est Deum tentare quod nunquam licet quacumque ex causa, vt loquens de duello docet D. Thom. *2. 2. quæst. 95. art. vlt. ad 3.*

134. Suppono quintò, grauissimam doctrinam Eminentissimi Cardinal. Caietani *2. 2. quæst. 93. art. 8. §. ad euidentiam huius*, vbi sic loquitur: *Duellum cum bellum sit duorum ex belli ratione considerandum est. Et quoniam bellum non est malum ex suo genere, multa namque sunt bella iusta, & vnum, & multa non variant speciem, eiusdem enim speciei est homicidium factum ab vno, vel à multis; contingit proculdubio bellum iustum inter Regnum, & Regnum. Nam quemadmodum iuste suscipitur defensiuum bellum à Regno impetito, ita ego habeo iustum bellum aduersus inuasorem, & licite me defendendo occido illum: non est ergo duellum, hoc est, duorum bellum iniustum ex genere, sed potest esse iustum ex parte.* Hucusque Cardinalis. Duellum ergo, hoc est, inter duos bellum, ex se non est illicitum, & ita dari potest casus in quo licite, & sine peccato exerceatur, & per consequens quod prouocans non incurrat pœnas, & censuras, *vt supra* cum Molina diximus.

Conclusio Prima.

§. III.

Octo rationibus probatur.

135. MIhi pro indubitato habeo excellentissimum Dominum D. Gasparum Alphonsum de Guzman, Cognomento Bonum potuisse tuto indicere singulare certamen Brigantino, sibi falso imponenti crimen aleuosiæ, & traditionis in suum Regem, & naturalem Dominum, sanguinem suum, & nobilitatem famosam conspurcare gestienti. Cui sane falsitati satisfieri nequit in tota Hispania, illam sciente; neque honorem suum Dux defendere valet (qui apud personas huiusmodi pluris quam facultates, & vita æstimatur) nisi huius medij interuentione. Quod proprie duellum non est, sed iusta defensio, & recuperatio illius quod ab eo iniuste fuit ablatum. Fundamẽtum huius conclusionis posuit S. Thom. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* vbi quærit, *vtrum licitum sit aliquem occidere se defendendo?* Et respondet eleganti quadam doctrina, in qua totum id quod dicemus nitetur.

136. *Nihil prohibet vnius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero præter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens: ex actu ergo alicuius se defendentis duplex affectus sequi potest. Vnus quidem conseruatio propriæ vitæ: alius autem occisio inuadentis, actus ergo ex hoc quod intenditur conseruatio propriæ vitæ non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conseruat in esse; sed quia occidere hominem non licet, nisi publica authoritate propter bonum commune, illicitum est quod homo intendat occidere hominem, vt se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite.*

Quæ verba sic premit Caietanus: *Intellige bene distinctionem litteræ scilicet quod dupliciter potest referri occisio alterius ad conseruationem vitæ propriæ. Primò, vt medium ad finem. Secundò, vt consequens ex necessitate finis: & vt in littera dicitur multum interest altero modo se habere. Nam & finis, & medium ad finem cadunt sub intentione, vt patet in Medico qui intendit sanitatem per potionem, & dietam: id autem quod consequitur ex necessitate finis, non cadit sub intentione, sed præter intentionem existens emergit., vt patet in debilitatione ægroti, quæ sequitur ex medicina sanante. Et iuxta hos duos diuerso modo occidere potest licite persona publica, & priuata: nam persona publica, vt miles, ordinat occisionem hostis, vt medium ad finem subordinatum bono communi, persona autem priuata non intendit occidere, vt se ipsum saluet, sed intendit saluare seipsum non destitutus à sui defensione, etsi alterius, vel suam oporteat mortem sequi, & sic nec alium, nec seipsum occidit, nisi per accidens.* 137.

Ex qua doctrina tale elicio fundamentum. Licitum est defendere vitam, & honorem domus ita nobilis, & peruetustæ, quæ ex crimine sibi falso imputato maculata remanebat, ob quam, qui commiserit, pœnam infamis mortis meretur: ergo licitum est ad huiusmodi defensionẽ vti medio quo mundus de falsitate, & mendacio certior reddatur, etiam si ex tali medio mors secutura sit alicuius certantium; hæc enim non cadit sub intentione illius qui singulare certamen exercet, & falsario indicit, sed solum eam assumit vt medium ad naturalem defensionem, & vt seipsum à morte infami traditoris defendat. Quamuis autem amissio vitæ (quod Deus auertat) subsequatur, hoc est per accidens, quia solum intendit saluare seipsum non destitutus à sui defensione, etsi alterius, vel suam oporteat mortem sequi, & sic nec alium, nec seipsum occidit, nisi per accidens. 138

Secundò, quia secundum citatam doctrinam S. Thom. & Caietani, quando quis alterum actualiter aggreditur vt vitam, vel facultates præripiat, potest impetitus & se, & sua defendere, si aliter se, & sua liberare non valeat, etiam cum morte aggressoris, vel vitam propriam discrimini tradendo: ergo cum verum sit quod falsus aleuosiæ in alium impostor, dum ab incepto non desistat, non ita fuisse asserendo, seque palam retractando, actualiter aggreditur iniuste alium innocentem: ergo iste si non supereſt aliud medium ad satisfaciendum, & liberandum se ab ista iniusta aggressione, potest offerre singulare certamen, quamuis alterius mors, vel propria sequatur: quia sic gloriosius est mori in sui honorificam defensionem, quam propter crimen falso impositum infamem vitam degere, vel amittere. 139

Hanc conclusionem tenent Bañez *2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4. conc. 2.* vbi sic loquitur: *Postquam aggressor fecit aliquam actionem, parando mihi insidias, quas ego aliter fugere non possum, nisi occidendo illum, tunc licitum est mihi medio tempore, antequam instet meum damnum occidere insidiantem, etiam si tunc quietus sit, quia tunc proprie loquendo est defensio mea, nam profecto moraliter loquendo, ille est actualis aggressor. Et inferius. Imo vero Caietanus infra quæst. 95. art. 8.* 140.

ad

ad 3. & in Summ. verbo Duellum dicit, quod innocens tunc poterit prouocare accuſatorem ad duellum, & occidere, quoniam accuſator inuadit innocentem occiſurus gladio iudicis. Idem docet P.
141. Magiſter Raphael de la Torre *ibi. diſputat.4. folio* 358. dicens. *Si aduerſarius certo eſſet oppreſſurus innocentem per fraudem in iudicio, & impetraturus iniuſtam eius condemnationem ad mortem, vel mutilationem, tunc ſi innocens poſſet mediante duello euertere illud malum imminens, liceret duellum inire cum aduerſario, ſiue acceptando illud, ſiue indicendo.* Et ita Brigantinus geſtiebat vitam noſtro fideliſſimo Duci auferre, quando ſuis Cartelionibus in Caſtellen. immiſſis, liberatorem Vvandaliæ, & Protectorem declamari illum ſtuduit, falſas, & à ſe concinnatas Epiſtolas quoquo verſum ſpargendo, quibus reciproca inſinuabatur correſpondentia inter ipſos, quo etiam vel in obtutus veniebat Ducem noſtrum eo infidelitatis barathro abſorptum, vt & ratibus, & nauibus inimcorum placidum portum, noſtris oris, illum iam paraſſe. Quod eſt hoc profecto, niſi gladio linguæ occidere velle gladio iudicis.

142. Valentia 2.2.*diſputat.3. quæſt.*17.*punct.*1.*verſ. Eſt autem aſſertio.* vbi ſic ait: *Primo licere duellum iure naturæ ad euitandam iniuſtam mortem certo alioqui imminentem, probatur. Nam in caſu quo quis ab alio iniuriam patitur licitum eſt cum diſcrimine alterius ſe ipſum, & ſua tueri, quoad fieri poſſit, atque adeo ſubire minus malum ad euitandum à ſe maius, quod ſibi paratur per iniuriam alterius; ſed malum per iniuriam alterius certo imminens eſt multo maius malum quam certum periculum mortis propriæ, quod incurritur per duellum: ergo iuſtum eſt, & c.* Et addit loquens de rixa, verſ. *dixi autem: licere indifferenter non modo duellum acceptare, ſed etiam indicere.*

143. Idem expreſſe tenent Thom. Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.*39. *num.*7. & 8. *Eiuſdem reſolutionis ſunt ad duellum prouocare, & illud acceptare, quoties cauſa defẽſionis vtrumque fit.* Et inferius: *Melius alij dicunt licere huic innocenti Duellum ad honorem, & res familiares in notabili quantitate tuendas, quando conſtat omnino iniuſte, & per calumniam actorem procedere, & certum omnino eſt fore, vt innocens hæc amittat, nec aliud ſibi euadendi medium ſuppetat.* Citat pro eadem ſententia Emanuelem Rodriguez *in Summa ſecundæ impreſſionis cap.* 73. *num.* 10. Idem tenent expreſſe Beccanus 1.2. *tom. vlt. cap* 26. *quæſt.*7. *num.* 1. Vaſquez *Opuſc. de reſtit. cap.*2.§.2 *dub.*9. *duobus caſibus licet in duellum prouocato exire, vel alium prouocare; ſecundo quando videt quis ſe iniuſte occidendum. vel mutilandum.* Nauarrus *in Summ. Latin.cap* 11.*n.*39 *verſ. Secundus eſt.*

144. Hurtadus de Mendoza 2.2. *diſputat.* 170.§.82. *Licitum eſt offerre certamen ei qui mihi molitur iam mortem iniuſtam V.G. Antonius mihi falſum crimen obiicit, neque habeo probabilem ſpem illum deſtituturum à cæteris diligentiis, ſed potius timorem moraliter certum illas ab eo adhibendas. In hoc caſu dico licitam eſſe prouocationem.* Hurtadum ſequitur Diana *part.*5. *tract* 13. *reſolut.*28. vbi ait: *Maxima difficultas eſt an innocens poſſit criminatori offerre ſingulare certamen quando alia ratione non poteſt ſe, ſuaque tueri.* Et poſt allatam ſententiam Valmaſedani, quam ſequitur, concludit: *eſt igitur eadem ratio in acceptando, & offerendo certamine, quando vtrumque eſt ſimpliciter neceſſarium ad effugiendam mortem iniuſtam.* Eamdem ſententiam ſequitur Nauarre *de Reſtitut. lib.*2. *cap.*3.*numero mihi* 289. *Licitum eſt duellum ob rerum, & vitæ defenſionem, quam iniuſte quis patitur, quia hæc eſt vera defenſio, & repulſio iniuriæ alia vi.*

Tertiò, probatur concluſio. Licitum eſt innocenti qui aliter ſe, nobilitatem ſuam, & facultates tueri non poteſt, acceptare duellum quod aggreſſor offert, in caſu de quo loquimur: ergo etiam licebit ei duellum offerre ad ſe purgandum, & eruendum à crimine ſibi falſo imputato. Conſequentia eſt euidens, quia vti docent citati Authores; Eadem eſt ratio in offerendo, & acceptando certamen, quando vtrumque eſt medium neceſſarium ad ſui propriam defenſionem, & repulſionem iniuriæ, quia iure naturæ licitum eſt vim vi repellere. Quod autem in caſu hoc liceat acceptare tenent Bonacina *diſputat.*2. *de Cenſur. q.*8. *punct.*2. *num.* 11. & *diſputat.* 2. *de Contract. q. vlt. pun.*8. *num.* 5. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 15. *num.* 17. & *tom.* 2. *tract.* 29. *num.* 143. & 144. Leſſius *lib.*2.*de iuſt cap.*9.*dub.*8.*num.*47. Layman *in ſua Theolog. Morali lib.*3.*part.*3.*cap.*3.*num.*3. Sayrus *in Clau. lib.*7.*cap.*13. *num.*14. & 15. Reginaldus *in ſua Praxi lib.*21.*cap.*7. *num.*70. Azor *part.*3. *inſtitut. Moral. lib.*2.*cap.*5.*q.*3.& 10.*verſ. Ac probabile eſt* Coninch *de actib. ſupern. diſputat.* 32. *dub.*2.*n.* 17. vbi dicit: *Licere prouocare ad duellum.* 145.

Euidentem huius veritatis rationem tradit Hurtadus de Mendoza §.76. *Quia ad conſeruandam nobilitatem, & munera publica eſt medium vnice neceſſarium acceptatio pugnæ: ergo eſt licita. Cõſequẽtiam probo, quia tunc eſſet inculpabilis defenſio bonorũ proportionatorũ cum damno inferendo criminatori. Antecedens probo, quia criminator mihi crimen obiecit dignum amiſſione nobilitatis, & munerum, cuius ego innocens ſum, & alter illud obiecit mala fide, quod crimen cenſebitur eſſe probatum, recuſato à me certamine, quia coniectus ſum ego in anguſtias, vt vel mihi pugnandum ſit cum criminator e iniuſto, vel amiſſurus nobilitatem: ergo tunc ſubire certamen eſt vnice neceſſarium ad tuendam nobilitatem.* Quam rationem euidentem exiſtimo, ſiue crimen obiiciatur in iudicio coram iudice, ſiue extraiudicialiter ſi quis mediis cartellionibus, & aliis illicitis mediis alteri Nobili traditionis, & aleuoſiæ ſcelus iniiciat & Nobilis aliter non poſſit honorem, & ſplendentem ſuæ domus nobilitatem defenſare, niſi acceptando, & prouocando ad ſingulare certamen, conditionibus, & requiſitis infra aſſignandis §.5.& 6. 146.

Quod autem Excellentiſſimum Ducem Methymnæ Sidoniæ in præſentibus circunſtantiis, moraliter loquendo, alterum medium quam ſingulare offerre cermen Brigantino (ex Regio conſenſu) non adinuenerit, eſt manifeſtum. Quia cum ita publica ſit iniuria exteris nationibus quas Brigantinus certiores fecit, nequaquam omnibus vt par eſt, ſatisfacere valebat, niſi iniuriam ſibi iniuſte illatam publicando, impoſturam, & purum mendacium aſſerendo. Vt autem hæc iniuriæ publicatio efficax eſſet nullum ſupperit medium quam duello enodare, quo omnes ſano animo præditi clare adſpicient tantum Heroem falſario duellum offerentem, vitam in certamine diſcrimini tradentem omnino innocentem, & liberum extitiſſe, & ſic iuſtificatam remanere propriam innocentiam. Neque huic fini medium 147.

aliud

148. aliud proportionatum imaginabile est, nam via iudicj negotium hoc absoluendum apud Supremum quoduis Tribunal, sufficiens plane non est, quia cum iniuria publicatione partium irrogata fuerit, & Brigantinus extra regiam ditionem sit (intruse equidem) à iudicibus auocari nequit, vt veritas secernatur. Ad Papam vero, vel ad Imperatorem causam vt terminetur, deferre, remedium profecto plenum impossibilitatibus,& grauissimis inconuenientibus est, neque Brigantinus se in contradictorio iudicio constituere audebit ad huius causæ decisionem, & ita semper indecisa maneret, ingenti sane mœrore illustrissimæ Domus Methymnensis. Tantum ergo suppetit quod Brigantinus satisfaciat, seipsum publice retractando, omnibus Principibus quibus
149. pristinum mendacium intimauit, rescribens; aut quod Excellentissimus Dux Methymnensis in arena ad hoc illum cogat; illo autem renuente, sicut in actualem inuasorem honorem suum, & domus suæ defendat, quod ita bono publico Hispaniæ decet. Huic ergo fini ordinatur singulare quod obtulit, certamen, quod licitum, & bonum est quamuis per accidens sequatur mors, aut vulneratio.

150. Confirmatur hæc ratio. Nobilis ab alio impetitus non tenetur fugere, si fuga illi ignominiosa sit,& nobilitatem discrimini exponat: ergo poterit acceptare duellum. Consequentia est euidens, & antecedens tenent Cinus. *l. si ex plagis. §. Tabernarius.& l. scientiam.§. Qui cum alter. D. ad l. Aquiliam* Bart. *in l.vt vim.in fine.D.de iust. & iur.*Baldus *in cap.1.col.5. vers.Dicunt quidam. de feudis. tit. de Pace tenenda. & consil.312. col.2. lib.4.* Aretinus *§.ius gentium instit. de iure naturali.*& probatur *ex l. in eadem D.in quibus causis maior*, vbi dicitur, *non posse fieri quod sine dedecore non fit.* Quod totum affert, & valide confirmat Tiraquellus *lib. de nobil. cap.20. num.63.64. & 65.* vbi concludit cum Baldo quod fuga semper ignominiosa est. Et Hurtadus *vbi sup. §.24. Fatentur omnes hominem nobilem non teneri ad fugam quando armis petitur ab alio.*

151. Quartò, probatur hæc prima conclusio. Nam ad euitandum notabile damnum mihi iniuste illatum, possum de mendacio arguere me iniuriantem, dum aliud non datur medium ad me tuendum, quamuis moraliter certus sim, quod ille cui dico *Mentiris* processurus sit ad alias duelli leges puta feriendi, vel bacillo, cannave cædendi. Ita tenent Sotus *de iust. & iur. lib.5. quæst.9. art.3. vers.Præterea neque.* Valentia 2.2. *disput.5. quæst.16. vers.3.potest autem.* Salonius *q.62.contr. 23.in fine. conclus.3.* Hurtado *disputat.170.§.118.* vbi hunc format discursum: *Vulnera, & cædes non sunt illicita quando sunt media, per se vtilia, & necessaria ad propulsandum damnum iniustum: ergo in illo euentu verba illa sunt licita.* Pater Henriquez *cap.10.de irregul.litt.T.*Diana *part.5.tract. 13. resolut.25.* vbi ait: *licet non sit licitum dicere contumelioso alia crimina quæ non sunt per se vtilia ad depulsionem iniuriæ,sed sufficit dicere, Mentiris, tamen si adstantes non sunt credituri; illum esse mendacem,potest illi obiici aliud crimen ex quo adstantes facile credant, illum esse mendacem, quia noui criminis obiectio est vtilis, & necessaria ad tuendum honorem.* Filliucius *tom.2.tract.40.cap.3.*
152. *quæst.10.num.86.* Trullench *lib.8.in Decal.cap.7. dub.2. num.9. in fine.* Bonacina *disput.2. de restit. quæst.4.punct.vlt.num.4.§. Hinc patet.* Sayrus *in claui.lib.12.cap.4.num.12. & 13.* & alij plures,ex quorum doctrina, talem eruo consequentiam:ergo ad euitandam grauissimam infamiam, iniuriamve, nobilissimæ domui, & familiæ irrogatam licebit prouocare iniuriatorem,vt ad arenam pergat, vt vel detrimento illato se retractando faciat satis, vel quasi de actuali aggressore actualiter honorem, & famam lædente, armis meis 153.
recuperem, sicut si facultates actualiter possessas à me auferret, præcipue quando in tali duello interuenit consensus Principis Supremi, vt dicam *infrà.* Probatur consequentia, quia sicut est præceptum negatiuum non occidere, ita est proximo iniuriam non inferre, & sicut hoc est licitum per accidens ad honorem tuendum, ita erit & licitum occidere, quando aliter fama non potest de- 154.
fendi.

Quintò. Quia si quis alteri alapam impingat, vel fuste cædat; neque fugiat, potest iniuriatus statim occidere eum, vel mutilare: ergo etiam ex consensu, & authoritate Principis supremi poterit duellum ei indicere. Consequentia est clara, nam ideo in priori casu potest, quia cum inuriam irrogans sit actualis aggressor, licet honorem, meliori quo possit via,tueri, illo medio quod inspectis præsentibus circunstantiis vtilius est, necessarium censetur, & cum idem currat in posteriori casu, poterit sane innocens præsentare duellum, nam in præsenti casu necessaria est huiusmodi peæsentatio. Antecedens huius discursus expresse docent Hurtadus §.135.136. & 137. vbi distinguit secundum duelli legem, inter illum qui absque fuga damnum illatum, iniuriamve sustentat, & eum qui non sustentat, sed potius statim fugit, quod primus est actualis aggressor honorem auferens, & sic iniuriatus potest eum occidere, vel mutilare, suam famam tuendo: secus secundus, nam fugiens, iniuriam non impendit vt practicatur in duello. Idem antecedens tenent Lessius *lib. 2. cap.9. num.44. & 45.* Nauarrus *in Manuali cap.15.à num.3.* Petrus Nauarra *lib.2.de Restitut cap.3.num.369.* Molina *tom.4.tract.3.disput.17.num.9.*& Hurtadus cum Nauarra qui citat alios dicit *hanc esse omnium communem.* Quibus addo Bonacinam *disput. 2. de Restitut. in particul.* 156.
quæst.vlt.sect.1.punct.10. num.8. vbi sic loquitur: *Virum nobilem qui vulnus, vel alapam accepit posse, speculatiue loquendo repercutere, & insequi fugientem, quantum sufficit ad recuperationem honoris, quando aliter nequit honor recuperari.* Ita Nauarrus *cap.15. num.4.* Petrus Nauarra *loco citato.num.380.* Rodriguez *cap.136.num.11.*Lopez *1.part.cap.62.* & alij quos citat, & sequitur Henriquez *de irregular. cap.10. Ratio est, Quia hoc non est vlcisci, sed honorem defendere, dum enim aduersarius fugit, & percussus insequitur, durat congressus, & inuasio. Tum quia licitum est insequi latronem, eumque percutere: ergo etiam licitum est insequi eum qui aufert proprium honorem.* 157.
Hucusque Bonacina, cuius fundamentum non recte caluit Hurtadus, nam isti Authores loquuntur de illo qui post impactam alapam, vel colaphum fugit, post sustentatam sufficienti tempore ad inducendum dedecus, nam perspicuum est quod si fugiat, sine eo quod actionem sustenter, nec honorem auferat, non poterit occidi, neque cædi.

Addunt Bonacina,& cæteri, quos citaui, prudentes,& pij, hanc doctrinam verum tenere speculatiuè loquendo; nam in practica non videtur

conue

conueniens quod defendatur, ad inconuenientia vitanda cædium, & damnorum quæ possunt in Republica subrepere, pacem publicam turbantia. Et ita tunc licitum erit ad recuperandum honorem domus, & familiæ illustris offerre singulare certamen, si consensus Principis interueniat, qui consensus cum, nisi in casibus grauissimis, non præstetur (veluti in præsenti ita tot circunstantiis vallatus) occasiones vitantur quæ obsunt ne illa veritas speculatiua ad praxim communem, & ordinariam reducatur. Et ita dicit Hurtadus §. 173. *Principem, ad euitanda grauiora damna, quæ alia ratione vitari non possunt, nisi cum grauiori incommodo, posse permittere singulare certamen.* Idem tenet Thomas Sanchez *lib.2.Summ.cap.39.*

159. *num.39.* Et Hurtadus addit, *Non solum posse permittere, sed etiam designare locum.* Plus addit: *Principem, non solum posse permittere, sed etiam posse consulere, si omnibus prudenter expensis iudicaret nullam esse aquam illi incendio extinguendo, consulere autem non absolute, sed vt minus malum.* Quam doctrinam ego intelligo in casu nostri Ducis, non quod sit minus peccatum, & ideo con-

160. sulendum ad euitandum maius, sed eo modo quo auferre vitam malefactori dicitur minus malum, comparatione facta ad bonum commune, cum tamen occisio malefactoris in se bona sit, & licita. Quod vero Princeps possit hunc præstare consensum, vtpote de re licita *infra* probabo.

Quare S. Trident. Concilium, & Summi Pon-

161. tifices ab Spiritu Sancto edocti, radices amputarunt, & seueriſſime prohibuerunt duella, & singularia *ex condicto* certamina, ad cædes, grauissima que damna vitanda quæ in Republicis sequebantur, & quia sunt tam corporibus, quam animabus concertantium valde exitialia, qui tum ex propria malitia, tum ex quacumque oblata leui causa, passione, & liuore acti, animo quidem in vindictam, & odium intento sibi ipsis indicunt duella. Quæ inconuenientia haud sequuntur in præsenti casu quem tot circunstantiis, & motiuis iustifico, interuentu (vti præsumitur) Regij consensus, saltim impliciti, vt infra expendam.

Et sic non quilibet Princeps hunc consensum

162. poterit præstare, nisi tantũ ille qui authoritate Regia, vel Imperiariali gaudet, qui ex dominio suo alto, quo in subditis suis, ad bonum publicũ fungitur, potest suum præbere consensum, vt aliquis vasallus alterum ad duellum prouocet in aliquo speciali euentu, taliter quod vitam propriam periculo exponat ad auertendum damnum, vel dedecus quod sibi, & familiæ suæ irrogatur; si enim ita nobilis, & excellens familia, vt Methymnensis est, maneret crimine infidelitatis, quo deturpare eam conatur aduersarius, infecta, bono communi Hispaniæ non mediocre inferretur nocumentum.

163. Sextò, quia Concil. Trident. *sess.25. cap.19.* Clemens VIII. & Gregorius XIII. cæterique Pontifices duella prohibuerunt *quia horum vsus fabricante Diabolo introductus est vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.* Et ita si duella exerceantur instrumentis quibus vt in plurimum cædes vel lethalia vulnera non subsequantur, qui huiusmodi duella inierit, pœnas procul dubio impositas duellantibus, & censuras non incurret. Ita docent Vgolinus *de Potestat. Episcop. part.1. cap.8. num.2.* Fillucius *tract.15. cap.5. q.5. num.107.* Florenus *tract. de Duello. cap.5.§.9.* Peregrinus *in simili tract. q.9.* quos sequitur Bonacina *tom.3. disputat.2. q.3. punct.48.* 164. *num.11.* qui addit & bene, quod quamuis in his certaminibus instrumentis dictis celebratis interdum sequatur mors alicuius certantium adhuc pœnas, & censuras non incurri, quia *de raro contingentibus lex non curat L. nam ad ea D. de legi.* Ergo cum licitum sit vitam periculo exponere, cum aliud ad tuendam famam remedium non ad. est, interuentu consensus, & licitæ permissionis Supremi Principis, offerre singulare certamen non fit fabricante Diabolo, & cum animarum pernicie, sed recta, & secura conscientia, lethali experte peccato, & ita de huiusmodi certaminibus non loquuntur Summi Pontifices, aut Tri-

165. dent. Concilium, quia ea dumtaxat singularia certamina prohibent quæ sunt iure naturæ illicita, & à Diabolo introducta titulo vindictæ, & odij Capitalis, ostentationis virium, & delectationis inferendæ spectatoribus causa, vt faciebant Gladiatores aut veritatis indagandæ, vt in Monomachia.

166 Septimò, nam in Bullis Summorum Pontificum, præcipue Clementis VIII. non solum prohibetur prouocatio ad duellum, sed etiam illius acceptatio vt notarunt Peregrinus *quæst.21.* & Bonacina *num.32.§. Notandum. Quia acceptatio cum sit correlatiuum ad prouocationem, & correlatiuorum idem sit iudicium, & dispositum de vno trahitur ad alterum L.1. C. de transact. L. finali C. de. acceptilat. L. Si quis seruo D. de furtis. si est prohibita prouocatio, est prohibita acceptatio.* Et vt superius manet probatum, eadem currit ratio in præsentando, ac in acceptando, & non obstantibus ita grauibus censuris, licitum est acceptare duellum in aliquo graui euentu, vt tenent Doctores Classici, quos citaui, quibus iterum addo Bonacinam *tom.3. loco citato num.8. §. secundus*, vbi Bullas Pontificias explicans, ait: *Quando quis compellitur sub vitæ periculo acceptare duellum, quilibet enim potest consulere vitæ propriæ, etiam cum morte inuasoris. Ad defensionem vero rerum propriarum videtur esse licitum acceptare duellum, quando aliquis eas inuadit, nec aliud adest remedium ad eas defendendas præter acceptionem duelli; tunc enim non dicitur proprie duellum, sed iusta defensio rerum propriarum, in quo casu si inuasus non habeat arma, quibus res proprias defendat, potest ab inuasore petere, vt sibi arma concedat.* Ergo etiam in simili casu in grauitate licitum erit offerre singulare certamen, sine eo quod censuræ incurrantur, aut committatur peccatum. 167.

Ratio Octaua huius veritatis, quæ efficaciſſima est infra assignabitur. *n.***** Sed dicet aliquis. Clemens VIII. in relata Bulla strictissime prohibet sub grauibus pœnis, & censuris. *Si qui ad certandum in duello, prouocatoria scripta, libellos, Epistolas, earumve exempla dictauerint, composuerint, scripserint, miserint, diuulgauerint, affixerint, exemplauerint, Typis impresserint, subscripserint*, &c. At iustificatio ista moralis scriptum prouocatorium videtur: ergo prohibitum. Resp. negando minorem, cum potius hoc scriptum sit iustificatorium in conscientiæ foro, & Summus Pontifex solum prohibeat scriptum, quod *Manifestum* vocatur, sic enim prosequitur in Bulla: *Qui ve aliis ad singulare certamen publice, vel occulte ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, siue ad huius generis*

scripta

scripta quæ Manifesta, quæque Chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, &c. Et sic nostrum iustificatorium scriptum nullatenus prohibet.

168. Hanc eandem primam conclusionem tenet, me occulto nomine citato, Excellentissimus D. D. Dux de Medina cœli, & Alcala, in speciali scripto iustificatorio huius certaminis satis docto, & prudenti, quod approbarunt, *die 3. Ianuarij anni* 1642. octo Magistri residentes in Conuentu PP. Prædicatorum Valentiæ, inter quos fuit P. admodum R. Fr. Hieronymus Fuser Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ, Qualificator S. Officij, & P. M. Fr. Marcus Serra vir valde doctus, & admirabilis resolutionis, & sex alij. Ex Societate IESV idem iudicarunt probabile quatuor alij Patres, primus fuit Pater Ludouicus de Ribas Rector Collegij Sancti Pauli Societatis, & Qualificator Sancti officij, & tres alij Patres Lectores Sacræ Theologiæ.

Conclusio secunda.

§. IV.

Triplici ratione probatur.

169. DIco secundò, Excellentissimum D. Ducem de Medina Sidonia non solum potuisse tuto offerre singulare certamen Brigantino, sed obligatum etiam fuisse ad offerendum, cum ille ita graue crimen infidelitatis in suum Regem Duci machinauerit, & in toto orbe sparserit, & Principes certos reddiderit, quo duellum hoc publicum, medium extitit vnicum, & necessarium ad falsitatem, & impostaram detegendam, quo etiam honorem suum tuetur, & domus suæ Excellentissimæ splendorem defendit, iis qui de falsitate crediderunt, de veritate illuminando. Hoc probo manifestè. Nam etsi verum sit Excellentissimum Ducem de Medina potuisse remittere iniuriam quam Brigantinus intulit Domino Gaspari Alphonso Perez de Guzman el Bueno, sed cum iniuria irrogata fuit Duci Medinæ Sidoniæ, cui crimen infidelitatis falso impositum fuit, quod,
170. quasi hæresis, non solum personam, sed & domum, & posteros inficit, & deturpat, quos auita nobilitate, & originario splendore, (si nocentes in suo capite probarentur) priuandos fore certum esset; in conscientia tenetur Dux se defendere, & immunem probare, offerendo aduersario singulare certamen, vt sic & ipse, & domus à nebula ignominiosi sceleris liberentur.

Ratio huius doctrinæ est, Quia nemo potest remittere iniuriam sibi illatam, quando in damnum suæ domus, familiæ, filiorum, ingenitæque nobilitatis redundat, vt tenent Lessius *lib. 2. de de iust. cap. 11. dub. 24. numer. 124. & 129.* Bañez *tom. 2. de iust. & iur. quæst. 62. art. 2. dub. 2. concl. 1.*
171. *& 2.* Caietanus *q. 73. art. 2. §. ad obiecta*, vbi hanc egregiam reddit rationem, *Quia homo non est ita suus, quin sit pars alterius, & tenetur ita se disponere, vt iniuriam non iaciat alteri, cuius est pars.* Nauarrus *in Manual cap. 18. num. 46.* Sotus *de tegen. secreto membr. 2. quæst. 3. & lib. 4. de iustitia quæst. 6. art. 3. §. Hinc ergo.* Et tenent expressè Sanctus Augustinus *serm. 51.* ad Fratres in Heremo, relatus *cap. nolo 12. quæst. 1. Duæ res sunt* (ait) *conscientia, & fama; conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam crudelis est.*

Salon. *2. 2. quæst. 60. art. 2. controuers. 23. obseruat. vlt. & conc. 5.* Sayrus *in Claui cap. 7. num. 15. lib. 11.* Sanchez *in selectis disp. 46. num. 6.* Bartholomæus à S. Fausto *disp. 21. quæst. 63. num. 9.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 4. part. 3. num. 387 vsque ad 394.* Ffcobar *in erud. tract. de puritate, & nobilitate part. 1. quæst. 1. proœm. §. 8. num. 7.* 172.
vbi sic ait: *Dicere audeo, quod si ex desertione proprij honoris notabile damnum cognationi adueniat, prout in publicis iniuriis sanguinem tangentibus plerumque euenit à lethali peccato non excusatur, quia tueri potuit, & deseruit; etenim in casibus quibus est mortale remittere famam, erit etiam mortale non curare de eius restitutione per media conuenientia.* Quam doctrinam approbat, & sequitur Ægidius Trullench *lib. 7. in Decalog. cap. 10. dub. 29. num. 3.* Et vt vidimus in præsenti casu, offerre singulare certamen criminatori ad recuperandam famam iniustè ablatam, medium est necessarium, ex quo peccatum erit lethale non offerre.

Sit tertia ratio. Quia nemo potest in conscien- 173.
tia renuntiare iuri quod habet, quando non solum suum est, sed etiam domus, & familiæ, cui damnum ex tali renuntiatione accrescit. Argumento euidenti ex *cap. si deligenti de foro competenti.* Vbi decernitur quod Clericus neque coactè, neque spontè possit renuntiare iuri quod non possit ad iudicium vocari à iudice sæculari, nam tale ius ex priuilegio exemptionis acquisitum, non fuit concessum personæ, sed statui clericali, & ita est fauor publicus, & si renuntiet, peccat mortaliter, ob damnum statui subsecutum. Ita Couarruuias *in cap. quamuis pactum de pactis in 6. part. 2. §. 2. num. 9.* Quaranta *in summ. Bullar. verbo forum competens.* Martha *de iurisdict. p. 2. cap. 6. num. 40.* Guttierez *de iurament. confirm. part. 1. cap. 18. num. 49. & 50.* Barbosa *l. 1. n. 73.*
D. soluto Matrimonio. Ex quo fit quod nobilis 174.
non potest renuntiare nobilitatem, maximè quando cedit in alterius detrimentum. Couarruuias *vbi suprà num. 5.* Guttierez *cap. 16. n. 50.* Greg. Lopez *l. 34 Gloss. de Sangre tit. fin. num. 7.* Garcia *de nobilitat. gloss. 6. num. 18.* Parlador. *rerum quotidianar. lib. 6. cap. vlt. part. 5. §. 6. num. 11.* Nobilitas enim, etsi sit in persona, non tamen est quid personale, sed transit ad successores, & ita nobilis tenetur ad eam tuendam, vt rem ad alios pertinentem, qui notabiliter damnificati manerent si amitteretur ex eo quod mediis conuenientibus non custodiatur, vt contingit in præsenti casu; in quo certamen singulare præsentatur rebelli qui iniustè honorem Duci abstulit, sicut Regi suo, & naturali Domino Regnum, & sicut hic potest, & debet illum expugnare vt recuperet quod suæ Coronæ competit, nam aliud 175.
ad recuperationem medium non datur, sic & ille potest, & debet in duellum Brigantinum prouocare, vt ab eo quod ablatum fuit, recuperet.

Nam quemadmodum iustè suscipitur defensiuum Bellum à Regno impetito, ita ego habeo iustum bellum aduersus inuasorem, vt dicebat Caietanus.

***

§. V.

Soluuntur nonnulla contra dicta argumenta.

176. SEd contra hanc resolutionem dicet aliquis. Primò, peccatum est causam existere vt alter peccet, sed qui duellum præsentat causa est quod prouocatus peccet, siquidem eum in occasione ponit, quod habeat voluntatem, & desiderium occidendi prouocatorem, nam aliàs daretur bellum vtrimque iustum citra ignorantiam. Respondeo, quod iustè prouocans non est causa quod peccet prouocatus, qui supponitur semper esse in actuali, vel virtuali voluntate occidendi, vel auferendi alienum, & ita prouocans non est causa quod prouocatus velit aliquod obiectum de nouo malum quod antea non volebat. Sicut quando Rex bellum init iustum in rebellem, non est in causa quod hic peccet iniustè occidendo, nam Rex solum attendit quod suum est recuperare, & non intendit rebellis peccata, quæ proueniunt ex sua malitia.

177. Secundò alter poterit obiicere. Hoc singulare certamen non esse defensionem iustam, & naturalem, in qua alter est aggressor, & alter sui defensor, in causa autem præsenti qui prouocat aggressor est: ergo non est qui se defendit. Respondeo quod cum in casu nostro qui se defendit antea læsus sit, & ad recuperandum iniustè ablatum, vnicum medium sit prouocatio ad duellum, non est propriè aggressor, sed potius Brigantinus, Excellentissimus vero Dux Methymnensis est sui defensor, vt ergo se defendat assumit, vt medium, singulare certamen.

178. Sed dicet aliquis. Tertiò, quod ex iustificatione hac, qua in conscientia, medio singulari certamine, tutatur naturalis defensio, videtur ostium duellis, & certaminibus patefieri, vt naturalis defensionis prætextu necnon recuperationis honoris iniustè ablati, quilibet possit alium ad duellum prouocare, asserens, vt in casu Excellentissimi Ducis nostri philosophamur, se non prouocare, neque aggressorem esse, sed iure naturali se defendendi tantum vti. Hoc autem ostiũ latissimum videtur quo in Rempublicam grauissima, & pleraque inconuenientia valeant irruere, comminuenturque feræ, & Gallicæ claues quibus Concilium, & Pastores Summi accuratè, & fortiter illud præcluserunt, tot, tamque grauibus pœnis, & censuris in referantes fulminatis. Et ira quilibet mediocris sortis vir, ab alio impetitus verbis, quæ duellum & lex Diabolica *Maiora* nuncupat, poterit, secundum statutam resolutionem, alterum, absque peccato, & censuratum incursione ad duellum prouocare.

179. Respondeo hoc argumentum, nisi legitima luce perpendatur, posse veritatem traditam, & eius fulgorem obnubilare. Quam veritatem tot, tantisque Doctoribus qui prius eam docuerunt, fundaui, quæ quidem nec noua adinuentio est, nec faxit Deus quod in casibus ita grauibus discursus proprius ita audeat, vt nouitates fingat, adinueniat, funder, nisi illis fundamentis ita fortibus sicut sunt ea quæ hactenus posui, & in reliquis ponam, ab omnibus Scholis, & præsertim Thomistica, eruta, à Thomisticis authoribus quos semper sequor, quique ita perspicuè circa subiectam materiam loquuntur deprompta.

Et ita dico primum quod vbi occurrerint omnes circunstantiæ, & causæ quas Excellentissimus D. Dux Methymnensis habuit ad prouocationem duelli, quasque ego in toto hoc Tract. refero, licitum erit præsentare huiusmodi duellum. Quemadmodum sunt grauitas imputati criminis, apud vniuersum orbem publicatio quod Regi suo, & naturali domino infidelis, & insidiosus extiterit, magnitudo talis personæ, domus, & sanguinis apud omnes nationes honoratissimè notæ, circa quas malè, & ignominiosè maneret sua domus reputata. Quod certamen tanta notorietate oblatum fuerit, & ita ex consensu, & permissione Principis factum fuisse videri, secundum Decret. Imperatoris Alphonsi in Comitiis Najaræ, cuius ordinamentum prudentissimum fuit, vt dicitur *l. 1. lib. 8. nouæ recopilationis.* Vt Rex, illo zelo publici boni quo flagrare tenetur, perpendat an oporteat duella permittere, & riepta, ad vitanda maiora in Republica damna, & plus ponderantia quam mortis periculum in aliquo duellantium, & esse hoc duellum aduersus hominem Bannitum. 180.

Ob id autem Caietanus 2.2. *quæst. 95. art. vlt. §. ad euidentiam huius vers. tunc ex quo accusator.* profundè dixit: *Si offert mihi duellum ego possum acceptare de consensu Principis, & tueri me meliori modo quo possim, hoc enim licet secundum apparentiam sit duellum, sed secundum veritatem non est nisi defensio contra inuadentem personaliter ad mortem, vel mutilationem. Et in summa verbo duellum licitum est suscipere duellum authoritate Principis, quando accusator materiali gladio indicis iniustè me petit mutilando, vel occidendo, quoniam inuasus gladio, possum me gladio tueri.* Cum autem consensus hic, & authoritas Principis sit fauor eius particularis, vt dicit Rex Alphonsus in lege citata, non aperitur ostium duellis; neque quis potest exemplum sibi sumere ab eo quod Excellentissimus noster Dux fecit, quia vt S. Hieronymus, & venerabilis Beda relati in Decreto *cap. non solum & cap. non exemplo 26. quæst. 2.* dixerunt: *Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Propheta sorte deprehensus sit indifferenter sortibus credendum est, cum priuilegia singulorum communem legem omnino facere non possunt.* Et Alexander III. *cap. sanè de priuilegiis* ait: *Temerarium est & indignum, aliquem sibi sua authoritate præsumere quod Romana Ecclesia ratione inspecta singularibus voluit Beneficiis indulgere.* Et ita non quod Excellentissimus Dux de Medina Sidonia obtulerit singulare certamen, tot, tantisque motus circunstantiis, quem Priucipem ad non resistendum, nec prohibendum manifestum, impulerunt, liberum vnicuique manet idem committere, nisi eædem quæ relatæ sunt circunstantiæ concurrant. 181. 181.

Addo dictis quod Theologi non debent abstinere à veritatibus edocendis ex eo quod interdum aliqua subsequantur incommoda. In cuius confirmationem afferam ponderosa verba P. Petri Hurtado de Mendoza, *loco citato*, loquentis de duello. Probauerat hic Author §. 106. & quidem validè equitem ab alio prouocatum posse acceptare duellum, non absoluta voluntate præliandi, sed tantum conditionata, hoc est, si prius à prouocatore iniustè petatur. Nam in arenam conuenire solum tendit in defensionem malæ opinionis, quæ, si non proficiscatur, illi accrescit. Quod totum honestum est, cum in eum dirigat 183.

rigat finem vt bene opinatus in Republica viuat. Sed contra hanc doctrinam tale ipse conficit argumentum.

184. *Dices: Hinc multos arrepturos ansam ad egrediendum in campum, sine necessitate. Respondeo non propterea auertendam esse doctrinam. Multi enim ex laudibus fidei ansam arripiunt ad censendum, impium sola fide iustificari. Non propterea non fuit laudanda fides quia illi damno prouisum fuit ostendendo charitatis necessitatem. Item multi ad non ieiunandum abutuntur doctrina non obligante eos qui indigent cibo. Multi enim eo non indigentes sibi sine fundamento persuadent se indigere. Nec tamen propterea reticenda est illa doctrina. Idem de inculpata defensione per necem aggressoris. Multi enim leui fundamento censent sibi ad tuendam vitam nullum superesse medium præter eam necem. Quæ tamen præcauent Theologi hortando singulos, vt consulant vtrumque medium sincere recensa necessitatis qualitate, monendo item singulos, vt diligenter explorent per se, & per amicos omnes vias, quibus possint mortem iniustam effugere. Ita in præsenti monendi sunt prouocati vniuersi, vtrum illis superfit alia ratio depellendi infamiam. Si vero illi se præcipites agant, illorum est culpa, non Theologi rem secundum se contemplantis, & præscribentis rationem, qua seruata errari non potest.*

185. Hæc doctrina valde ad propositum est, quæ etsi detur in acceptatione singularis certaminis quod vulgus duellum vocat, eadem tamen currit ratio in oblatione, vt supra num..... probaui. Et ita ad vitandam infamiam quando prudenter iudicatur non superesse aliud medium, nisi acceptatio, & in præfixum locum egressio, quamuis sequatur congressio, & ex ista mors, vel vulneratio alicuius certantium, licitè potest acceptari. Idem dici debet de oblatione, cum intentio Excellentissimi ducis Methymnæ Sidoniæ, solum ordinetur in egressum ad campum, in quo statuit cum Brigantino conuentum, vt eum vel cogat ad seipsum retractandum, & fatendum famam improbam de se sparsam purum fuisse mendacium, istoque medio honorem proprium, fidelitatem, & suæ domus in Reges studium tueatur. Brigantino autem renuente, de illo tanquam de actuali aggressore iniustè alienum præripiente, quod suum est sibi recuperet, etiam si ex hoc mors, vel vulneratio alicuius certantium subsequatur, quia hoc est vim vi repellere, quod iure naturæ licitum est, *vt supra*, n.... vidimus.

186.

Plus addo cum eodem Authore §. 3. quod ad hoc vt offerre singulare certamen iure naturæ liceat quando quis ad recuperandas res proprias, vel honorem illud offert, perpendendum est quod nam maius malum sit, an discrimen propriæ vitæ, & occidendi alterum, periculum, an potius infamiam incurrere, & facultates amittere. Non quod fama, & facultates de se sint maioris æstimationis quam vita, perspicuum enim est ita non esse, cum euidens sit vitam hominis incomparabiliter in pretio facultates, & famam excellere, vt cum D. Th. omnes docent DD. Sed periculum propriæ vitæ, & alienæ considerandum est comparatione facta ad infamiam quæ alicui, & sibi, & familiæ suæ accrescit, cui etiam facultates iustè possessæ eripiantur. Et in tali casu Sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 64. *art.* 7. *ad* 2. dicit, licitum esse occidere illum qui facultates meas mihi vult

187.

188.

auferre, & per consequens qui famam plus æstimabilem, *melius est enim nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, aut Diuinus Spiritus. Quis autem ambigat apud prudentes viros plus famam, quam facultates æstimari. Et sic concludit Hurtado: *Si me aliquis prouocasset ad pugnam, & si non egrederer, me alij fortunis expoliarent iniustè, si vero egrederer conseruarem fortunas, in hoc casu ego possum licitè egredi, sciens ea egressione prouocatorem egressurum ad pugnam: ergo etiam possum egredi ad vitandum infamiam iniustam. Antecedens patet, quia iniusta deprædatio fortunarum tam graue damnum est, vt illius vitandi gratia non tenear abstinere ab actionibus de se indifferentibus, licet alij sint abusuri per accidens ad peccandum. Consequentiam probo, quia ea infamia grauius malum est viro nobili, quam deprædatio fortunarum.* 189.

Confirmo hanc rationem, quæ me quidem iudice, ingentis ponderis est. Quando aliquod magnum damnum sequitur in facultatibus, fama, & vita, ex recessu proximæ occisionis peccandi, non est obligatio ad recedendum, sed possum, sine intentione peccandi, illam continuare, vt latissimè probo *tract.* 1. *per varias resolutio.* Et docent Ioannes Sanchez *disp.* 10. *selectar. num.* 19. & 20. Diana *part.* 3. *tract.* 16. *resolut.* 47. Caietanus *in summ. verbo periculum.* Basilius Legionen. *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 39. *num.* 4. Henriquez *lib.* 1. *de Sacram. Pœnit. cap.* 24. *num.* 4. Layman *tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 7. §. *excipe.* Et alij plures quorum verba loco retuli citato. Ergo cum ita verum sit quod ex non egrediendo in arenam, magnum suboriatur damnum in fama, honore, & splendore proprio, & familiarium, vt clarum est, & supponitur: ergo licitum est egredi siue acceptando, siue certamen offerendo, licet interueniat discrimen, & occisionum proxima occasio. 190.

Et ita respondeo secundò, ad argumentum propositum, quod quando quis alterum verbis maioribus lædit, puta si Iudæum, vel Mahumetanum vocet quibus & ipsum, & posteros afficit contumelia, non esse vnicum medium ad famam recuperandam, in honorantem ad duellum probare, sed testibus falsam impositionem probare, & ita nequit acceptare, vel offerre duellum, siue certamen singulare. 191.

§. VI.

Eruitur ex dictis doctrina qua duellis, & certaminibus ostium præcluditur.

EX dictis illationem magni momenti elicio, quæ talis est, quemlibet Christianum ad duellum alium prouocantem, vel oblatum acceptantem, in quo non concurrant circunstantiæ, & requisita quæ in casu Excellentissimi Ducis Methymnæ inueniuntur, posse à iudice sæculari puniri pœnis quas Reges Ferdinandus, & Isabella *l. vltim. lib.* 8. *tit.* 8. prouocantibus, siue reptantibus ad duella taxauerunt. Necnon à iudicibus Ecclesiasticis, omnibus censuris, & priuationibus in tẽporalibus, & spiritualibus quas Concil. Trid. Summi Pontifices, & Sacri Canones decreuerunt infligendas. Dato autem, & non concesso, 192.

quod quis absque omnibus his (quas retuli) circunstantiis, sine eo quod peccet, prouocet, aut acceptet, adhuc iudex siue Ecclesiasticus, siue sæcularis tenetur in conscientia, sub mortali peccato, dictas pœnas executioni mandare. Quia solum debet attendi ad actionem exteriorem, quæ secundum allegata, & probata bono publico repugnat, & ideo sanctissimè damna-
193. ta per leges, & Sacros Canones. Et ita censeo cum Peregrino *quæst.* 7. *num.* 3. Bonacina *numero* 12. quod si concertantium aliquis in certamine occubuerit, ante sententiam latam, si casus publicus fuerit, & notorius non debet loco humari Sacro quia priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ ipso facto incurritur. Si autem non sit notorium illum in Duello occubuisse, non debet humari antequam ab Ordinario loci fiat summaria informatio, curatusque non poterit in contrarium eius quod sententiatum fuerit ire.

194. Addo cum grauissimis Doctoribus quod si quis certantium obierit ex vulnere in duello accepto, taliter quod euidenter constet ex illo obiisse, etiam si Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ acceperit, non debet humari Ecclesiastica sepultura, nam moritur ex vulnere in duello accepto, & mori in duello dicitur. Cæterum priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ distincta pœna est à censuris, quæ etsi stricta, iustissima, & æquissima est, quam præfigit Ecclesia ad demonstrandam huiusmodi criminis grauitatem, & vt ita vitetur ab omnibus cum ita seuere à Summo animarum Pastore puniatur, qua etiam se occidens punitur, vt constat ex Concilio Braccharen. 1. *cap.* 34. & refertur *in Decreto cap. placuit* 23. *quæst.* 5. & Paulus Quintus *in Rituali, Rubrica de exequiis* determinat eos qui Ecclesiastica sepultura sunt priuandi, inter quos assignat *Morientes in duello, etiam si ante obitum dederint pœnitentiæ signa.* Et ideo Concilium Tridentinum aduertenter dixit: *Et in ipso conflictu decedant, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura.* Ac si diceret. Quamuis ius commune determinet publicos peccatores
195. Ecclesiastica sepultura priuandos, nisi signa dederint pœnitentiæ, & à peccatis absoluti decesserint, in obeuntes tamen in duello statuitur quod quamuis signa demonstrent pœnitentiæ, & absoluantur, & Sacra Synaxi reficiantur in loco Sacro non humentur. Ita tenent Hostiensis *cap.* 1. *de Torneamentis.* Syluester *verbo sepultura num.* 9. Tabiena *num.* 8. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 31. *diff.* 3. Ioannes Sancius *select.* 36. *num.* 7. Bonacina *vbi suprà num.* 22. §. *addo.* Peregrinus *quæst.* 7. *num* 4. Guttierez *lib.* 2. *Canonic. cap.* 8. *num.* 8. Florenus *cap.* 5. *num.* 20.

196. Bonacina, & Peregrinus addunt, (& est contra Ioannem Sancium *num.* 9.) hanc doctrinam verum tenere, etiam si mors sit postridie duellum, nam vere dicitur in duello mori qui tale vulnus in duello accepit, ex quo, nisi interueniente miraculo, superstes esse non potest. Idem tenet Hurtado §. 177. vbi ait: *Quod si vulnus lethale sit, vt hominem reddat ineptum actionibus humanis, vt omnino desperetur eius salus, hic censetur in ipso conflictu decessisse, etiam si post duos, aut tres dies, quia tota causa mortis fuit.* Neque hoc est extendere verba Concilij, sed in sua propria significatione accipere; si enim quis in loco conflictus moritur, & si ibi recipiat Sacramenta, non debet sepeliri in loco sacro, vt tenet Sancius ipse: ergo neque etiam si extra locum conflictus moriatur, si moriatur 197.
ex vulnere lethali in duello accepto, mortem, nisi miraculo, necessario inducente? nam quod sit in loco conflictus, vel extra, nimis accidentale est, & quod per se attenditur est quod moriatur in duello, quod tunc fit vere, & propriè quando moritur ex vulnere lethali, vt diximus. Sicut sanguine dicitur pollui Ecclesia, etiam si in Ecclesia accepto vulnere, sanguis extra Ecclesiam fundatur. Neque obstat quod Concilium Lateranen. *cap.* 1. *de Torneamentis* dicat: 198.
Si ibi moriatur, nam hæc verba accipi debent secundum vsum communem, secundum quem dicitur in duello mori, qui ex illo ita lethaliter vulneratus exiuit, quod viuere, citra miraculum, nequeat. Bene verum est, quod si vulnus ita lethale non sit quod aliquis vitæ locus relinquatur, iuxta Chirurgorum informationem, quamuis ex illo decedat, poterit loco sacro sepeliri.

Hanc autem strictionem, & rigorem eo li- 199.
bentius amplector, vt homines hoc scientes timore percutiantur, & inire duella horrescant, vbi si obierint sepulturam sibi acquirent, quam Deus statuit nequam Regi Ioachimo donari. Hierem. 22. num. 19. *Non plangent eum, væ frater, væ soror, non concrepabunt ei, væ Domine, væ inclyte, sepultura asini sepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Hierusalem.* Et ita vult Ecclesia huiusmodi extra suas portas sepeliri in sterquiliniis morientes in duello, neque pro illis fundit preces, neque exequiis, & strepitu Psalmorum, & funeralium canticorum permittit humari, sed vt ad sepulturam deferantur, tanquam Ethnici, omni cum fidelibus communicatione priuati. Priuatio enim sepulturæ est
quædam excommunicatio maior lata defunctis, 200.
sicut censura fertur viuis, cum quibus non communicamus. Quod autem duellans hoc infami stylo sepeliendus sit, tenent Antonius Gomez *tom.* 3. *variar. cap. vltim. num.* 8. *ex cap. placuit citato.* Ioannes Sanchez *num.* 4. Auila *de censur. part.* 5. *disput.* 4. *sect.* 3. *dub.* 5. Suarez *de censuris disput.* 2. *sect.* 4. *& disput.* 35. *sect.* 1. Sylueſter *verb. sepultura num.* 9. *vers.* 2. Tabiena *ibi num.* 14. *vers.* 3. Hurtado §. 179. & omnes ferè Doctores.

Hanc pœnam quam Concilium Tridentinum 201.
& Pius IV. duellantibus solemniter præfixerunt, Gregorius XIII. extendit ad duella particularia, quamuis sine Parrinis ineantur, & sine aliis cæremoniis à Diabolo sane inductis, dummodo duellum fiat tempore, & loco assignatis. Etiam extendit ad eos qui consilia dant, ad mandantes, instigantes, iuuantes, equos, arma, nummos, alia ve subsidia scienter ministrantes. Etiam ad spectantes ex professo duella. Et ita famuli, & amici qui sine graui damno temporali nequeunt Dominum suum, vel amicum non sociare, vel arma, aut equos conferre, non incurrunt aliquam Bullæ pœnam: neque mandans, si ante conflictum initum reuocauit iussionem, neque consilium subministrans, 202.
vel suasionem conferens, si ante manuum concertationem rationibus ex se efficacibus, vere, & absque fictione hortatur, & monet

ad

& monet ad non egrediendum. Si autem hoc non exequatur, etiam si conflictus non ineatur, consilians incurrit excommunicationem. Ita Gregorius XIII. *in sua Bulla* sic ab omnibus explicata. Quos sequitur Hurtado *voluit enim Pontifex consulentes, & instigantes severius hac pœna puniri, quam ipsos duellantes (qui non secuta pugna non sunt excommunicati, vt contra Filliucium*
203. *tract.19. num.* 170. *Peregrinum quæst.* 42. *docent Bonacina, Hurtado, Thomas Sanchez vbi suprà quia diffidatio non est completa pugna; quando enim censura imponitur propter aliquod crimen, debet esse completum, vt tradunt omnes in materia de excommunicatione) illi enim suum peccatum consummarunt in dando consilium, propter quod maximè exitiosi, & pernicioſi sunt Reipublic. pacem, & quietem communem turbantes.*

§. VII.

Quid operetur in hac iustificatione morali pro singulari certamine Regius consensus.

204. REspondeo varias, easque graues ponderis circunstantias. Primò, quia ex hoc Regio consensu, qui offert singulare certamen constituitur Minister publicus, vt possit licitè occidere se infamantem, & ab eo ablatam famam, & honorem à se, & à sua domo præreptum recuperare, vt ait Iulius Clarus *lib.5. sententiar. §. Homicidium num.* 48. quem multi recentiores sequuntur, licitum esse Patri occidere propriam filiam coniugatam, & adulterum ei commixtum, si eos vel in sua domo, vel in domo generi reperiat actualiter adulterantes; nam ciuiles leges, non solum impunitum relinquunt patrem ita occidentem, sed etiam ei conferunt ad talem occisionem potestatem, & pœnæ executorem constituunt. Ita expresè *leg.* 21. 22. & 23. *D. de Adulteriis leg. Graccus* 4. *C. de Adulteriis.* Idem tenent leges Hispanicæ *leg.5. tit.*20. *lib.8.& leg* 2. *tit.*20. *lib.*8. & aliæ plures quas refert Couarruuias *de Matrimon.* 2. *part. cap.* 7. §. 7. Quamuis verum sit quod secundum ius codicis non detur marito facultas occidendi coniugem, sed adulterum, & quod vxorem accu-
205. set. Quam sententiam defendunt Antonius Gomez *l.*52. *Tauri numer.* 12. Menchaca *in controuers. lib.* 1. *cap.* 6. & dicit esse probabilem. Lessius *lib.*2. *de iustit. cap.* 9. *dub.* 3. *numero* 16. & Salmanticæ *anno* 1617. eam tutauerunt grauiores Cathedratici Primarij Legistæ illius Vniuersitatis, alij esse veram, alij probabilem, & vlla censura indignam asserentes, vt refert Legionens. *lib.* 9. *de Matrimon. cap.*15. Et ego etiam idem tunc existimaui, & subscripsi. Et ita omnes Authores qui plures sunt, & quos citant Thomas Sanchez *lib.*10. *de Matrimon. disput.*8. *num.* 39. & Saa expurgatus intelliguntur, quod non liceat marito auferre vitam vxori adulteræ authoritate propria, bene tamen authoritate publica, & Regia, quia constituitur publicus Minister Reipublicæ ad tuendas res proprias, occidendo, si ita necessum sit, inuasorem, & latronem, honor autem facultatibus præfertur *l. Iulianus D. si quis omiss. causa.* Et ita omnia argumenta quæ affert Basilius Legionens. *numero* 5. possunt solui facillimè ex hac tradita doctrina.

Probatur secundò, hoc assumptum, quia ex 206.
Principis consensu quisque potest Assassinum occidere, id est, se nummis locantem ad alterum occidendum. Ita omnes Doctores *ad cap. pro humani de homicidio.* vbi Innocentius IV. *in Concil. Lugdunens.* ait: *Assassinum tanquam Christianæ Religionis æmulum à toto populo Christiano perpetuo esse diffidatum.* Et Glossa *verbo Diffidatus*, ait: *Quia quilibet Christianus poterit ipsos diffidare, & bona sua occupare, & erit iustum bellum.* Et ita ex authoritate suprema Principis quilibet potest Assassinum occidere meliori quo possit modo, vel in campum prouocando, vel veneno, insidiis, aliaue via appetendo. Ita expresè Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *num* 11. *vers.*3. Farinacius *part.* 4. *consilior.*101. *& part.* 5. *quæst.* 123. *numero* 8. Sayrus *in Clani* 207.
*lib.*7. *cap.*11. *num.*12. Guttierez *lib.*3. *practicar. qq.*7. *num.*11. Angelus de Perusio *consil.* 13. Geminianus *ad cap. pro humani* vbi alij Canonistæ Angelus de Clauasio *in summ. verbo Assassinus num.* 1. Sylvester 2. Barthol. *in l. non solum §. si mandato D. de iniuriis.* Salicetus *in l. ea quidem C. de accus.*

De Bannitis idem docent Molina *tem.* 4. *tract.*3. *disput.* 7. *num.*4. *& disput.*23. *num.*5. Filliucius *tom.*2. *tractat.* 28. *cap.*2. *numer.* 25. Azor *tom.*3. *lib.*2. *cap.* 2. *quæst.* 3. & 4. Megala *tom.*1. *resolut.* 59. *num.* 9. quos citat, & sequitur Diana *part.* 5. *tractat.* 4. *resolut.* 25. quibus adiungo Tabien. *in summ. verbo Bannitus num.* 1. Naldum *num.* 4. Torres *tom.* 2. *de iustit. disputat.* 26. *dub.*2. Bañez 2. 2. *quæst.*64. *art.* 3. *dub.* 2. Sylvester *verbo Homicidium* 1. *quæst.* 2. & 3. Villalobos *tom.*2. *tract.* 11. *different.*5. Riccium *in praxi decis.*489. Salonius 2. 2. *quæst.* 64. *art.*3. Lessius *lib.*2. *cap.*9. *num.* 17. Hi omnes, & alij plures dicunt integrum esse Principi licentiam dare, & facultatem cuilibet personæ de Republica ad occidendos huius farinæ homines, & meliori quo possit modo, & ita Bannitus est perpetuo diffidatus, sicut hodie est Dux Bragantiæ, tanquam Bannitus Hispaniæ, cuius rebellio publica & notoria est. 208.

Tertiò, quilibet potest, meliori quo possit 209.
modo, occidere Tyrannum, qui inuasione, & absque iusto titulo Regnum occupat, & ita perpetuo est diffidatus, sicut Assasinus, & Bannitus, vt expresè docent D. Thom. *in secundo distinct.* 44. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 5. vbi posuit argumentum ad probandum non esse Tyrannis parendum, *Quia Tullius lib. de Officiis saluat eos qui Iulium Cæsarem occiderunt, quamuis amicum, & familiarem, quia iura imperij vsurparit.* Cui argumento sic respondit: *Quod Tullius loquitur in casu illo quando aliquis sibi dominium per violentiam subripuit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & quando non est recursus ad superiorem, per quem iudicium de inuasore possit fieri, tunc enim qui*
ad libertatem Patriæ Tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit. Idem docet *lib.*1. *de Regimin. Princip. cap.* 6. & sequuntur Caietanus 2. 2. *quæst.* 64. *articul.* 3. Sotus *lib.*4. *de iustitia quæst.* 1. *articulo* 3. Molina *loco citato disputat.* 6. Filliucius *tractat.*28. *cap.*1. *numero* 14. Syluius 2. 2. *quæst.* 64. *articul.* 3. *concluſ.* 2. Sylvester *verbo Tyrannus in fine.* Tabiena *numero* 2. qui ex Caietano docet, quod qui occidit Tyrannum, facit non priuata, sed publica au-
210. thoritate

thoritate. Lessius *vbi suprà dub.* 4. Couarruu. *de Matrim. part.* 2. *cap.* 3. §. 4. *num.* 6. Azor *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 9. & 10. qui plures alios adducunt.

111. Vnde dicta, consensus, & Regia authoritas conducit ad hoc vt aliquis possit alium in duellum prouocare, qui ipsum iniuriauit, & honorem abstulit, ob quam iniustitiam iniuriator capitalem pœnam meretur, quam Regio interueniente consensu, potest iniuriatus infligere meliori quo possit modo, veneno, gladio, traditione, insidiis, aliove quouis modo, vel quouis instrumento. Ita Trullench *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 8. vbi sic loquitur: *Princeps potest in notorio, & vrgenti crimine concedere facultatem alicui occidendi homicidam iam damnatum, vbicumque inueniri possit.* Idem tenent Sylvester, *verbo homicidium* 1. *num.* 5. §. *tertium* §. *sextum.* Tabiena 112. *verbo Bannitus num.* 1. qui citat Ioannem Andream Salon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. *controuers.* 4. & ita Angelus *in summ. verbo assassinus num.* 2. egregiè notauit: *Quod idem est bannire, & diffidare, quod statuere, & præcipere vt impunè possit quis occidi, vt notat, l. Reos C. de accusat. quod in conscientia liceret, quando fieret zelo iustitiæ, alias non.* Hæc Angelus satis ad propositum.

113. Ex quo colligitur quod si Rex noster, (vel sua ordinatione) Ducem prohibeat, ne in duellum descendat, ob superiora status motiua, non posse Ducem pergere in locum præfixum, statuto tempore, nam Rex sibi assumit Ducis vindictam, & sui honoris defensionem. Consensus autem quem præstat vt Brigantinus à quouis possit in duellum prouocari, impeditur respectu nostri Ducis de Medina. Et ita ex hoc titulo congredi non potest

§. Vltimus.

Ponuntur duo corollaria, ex omnibus dictis deprompta.

114. EX omnibus quæ hactenus dicta manent colligitur primò irrefragabile argumentum, ad probandum iustificationem in foro conscientiæ, singularis certaminis quod excellentissimus D. Dux de Medina Sidonia obtulit Brigantino. Quia, vt supponimus in hoc discurrendi modo, sibi habuit Dux consensum Regis, saltim implicitum ad offerendum dictum certamen, & sic ex tali consensu constitutus fuit iustus executor iustæ suæ vindictæ quam Brigantinus meretur, tum ad bonum publicum defendendum, tum ad proprium honorem tutandum, & recuperandam famam, quam iniustè illi Brigantinus prætipere studuit. Cæterum cum Brigantinus publicus Tyrannus sit diffamatus, est publicus Bannitus, ergo
115. diffidatus à quolibet vassallo Regis Hispaniæ: ergo quod eum Dux de Medina ad duellum prouocet, non est duellum prohibitum per Concilium, & Summos Pastores, sed erit iustum bellum, vt dixit Glossa. Demum, quia Princeps supremus, in aliquo casu, ob graues circunstantias, potest licentiam, & facultatem impertire ad occidendum publicum malefactorem, vt iniuriatus honorem recuperet deperditum. Si autem alio modo recuperare non possit nisi singulare offerendo certamen, potest offerre. Hæc ratio dubio procul ea est quæ Ducem mouit, cum in Manifesto suo diaat: *A Juan de Berganza Duque que fue.* Quibus verbis demonstrat eum prouocare vt Bannitum, & proscriptum. Et sic omnibus titulis iustificata manet in foro conscientiæ actio hæc Excellentissimi Ducis de Medina.

Colligitur secundò, Regem nostrum Philippum IV. cognomento *Grandem*, quem Deus custodiat, Ministrosque à quibus consilium hausit, & quibus incumbit impedire duella, non incurrisse pœnas, & censuras quas Concilium, & Sacri Canones præfixerunt Principibus, Regibus, Imperatoribusque non prohibentibus, sed permittentibus duella. Nam vt probatum manet singulare certamen à Duce Methymnensi oblatum non est propriè duellum, sed quædam naturalis defensio. Et ita non agerent bene qui eum auocarent, prohiberent ve, dum non est aliud medium ad se defendendum; & honorem recuperandum. 216.

Secundò, nam vt probatum est, non obstantibus Concilio, & Apostolicis Bullis, possunt Reges interdum permittere certamina singularia, in aliquo extraordinario euentu, quando prudenter censent bono conducere communi, vt docent Caietanus *citatus num*..... & alij Authores. Armilla *in summ. verbo Duellum num.* 3. Emanuel Sa 1. Valentia *vbi sup. vers. ex quibus* Scortia *in selectis epitom.* 155. *theoremat.* 392. §. *quares* Nicolaus de Lyra *in cap.* 17. *lib.* 1. *Reg.* 217.

Neque etiam aliquam incurrit censuram qui Duci consiliauit oblationem certaminis, cum illi quid licitum suaserit in Reipublicæ defensionem, honoris proprij, & domus suæ tutelam. Sicut neque incurret qui iam positum in certamine iuuerit, arma offensiua, & defensiua subministrauerit, ei astiterit, vel sociatus fuerit, ob eadem fundamenta, & rationes. 218.

---

§. APPENDIX.

Ponuntur, & soluuntur contra dicta nonnulla argumenta.

CVm iustificatio hæc Moralis manibus Reuerendissimi P. Magistri Fr. Ioannis à Sancto Thoma Ordinis Prædicatorum, & in insigni Vniuersitate Complutensi Primarij Moderatoris deueniisset, mihi scripsit, aliqua in illam argumenta proponendo. Et cum ego tantum virum tum ob doctrinæ conspicuitatem, Religionis præstantiam, Thomistici nominis decorem, tum ob antiquam amicitiam libenter venerer, ea decreui in calce huius tractatus, vt Appendicem, apponere, etsi, vt in responsione Epistolæ dixi, omnibus poterat satisfieri, vel potius satisfactum est doctrinis à me allatis. Sed ad maiorem claritatem, & euidentiam dictorum, illis in particulari respondebo. 219.

Ait Reuerendissim. Magister *in Epistola ad me missa* 23. *die Decembris anni præteriti* 1641. *El tratado que V. P. me embio impresso sobre la iustificacion del desafio de el Señor Duque de Medina Sidonia es muy como del ingenio de V. Paternidad, digno de toda estimacion, por su mucha erudicion, y doctrina. La materia de suyo es peligrosa de tratarse, y muy sugeta a la variedad de los Iuizios, y por lo mucho que se contronierte en estos tiempos este sentimiento de algunos Authores Modernos sobre iustificar los desafios que se hazen por*

razon

razon de defensa de la honrra, por parecer medio necessario para ella, y por lo que en esta vniuersidad se a disputado en ello en los Actos de Moral, de seamos siempre el aiustamiento con los palabras de la Bulla de Clemente VIII. en que parece que comprehende este caso, y el no hallarlas en el tratado de V. Paternidad me adado cuidado.

220. Et prosequens Reuerendissimus Pater primum ponit Argumentum. *Porque el Papa prohibiendo todo genero de Manifiestos, ò Escritos que contienen causa del duello, dire que los prohibe, aunque no tengan expressa prouocacion al certamen. Dum, scilicet, in illis per modum Epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, & intimationis, siue per authentica documenta, siue per vnius, pluriumve Chirographum, subscriptiones, aut relationes, subscriptiones, aut relationes, sub prætextu proprij, vel alieni honoris* (hic est notandum) *& famæ more militari, atque vt vulgo Clauaglerescо, tuendi, aut lædendi, siue ad illatæ, propulsatæve iniuriæ, aut contumeliæ probationem* (notetur hoc) *seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis, vel verborum, aut responsionum series, & ordo narratur. Y pone pena de Excommunion, y censura. V. Paternidad funda toda esta iustificacion, en que el Duque hizo este Cartel, y Manifiesto, y este Desafio para propulsar el agrauio, è iniuria que a quel Rebelde le auia hecho a su fama, y a su honrra; era menester contra poner estas palabras de Clemente Octauo, y darlas salida para el fundamento de esta iustificacion, pues è diametro estan encontradas con este cartel, y manifiesto, y mucho mas con la obra del desafio.*

221. Respondeo primò. Me iam posuisse n.''' hanc Bullam Clementis Octaui, *quæ incipit, illius vices, illius*, faciendo mentionem, necnon. *n.''''''* adduxi verba quæ meo videri maiore explicatione indigebant. Consulto autem nolui ponere ea quæ argumentum refert, ex eo quod perspicuum est Pontificem loqui de certaminibus, & singularibus congressibus quæ iure naturali, & diuino illicita sunt. Probando autem in toto iustificationis discursu quod hoc certamen à Duce Brigantino, oblatum non sit illicitum iure naturali, aut diuino, euidens est Bullam illud non comprehendere in opere duelli, & multo minus in Manifesto, cum hoc totam hauriat malitiam ex ipso opere, & si hoc non sit illicitum iure naturæ, neque illud erit. Et ita Dux de Medina non est comprehensus sub censuris, & pœnis in Bulla positis, vt dixit Molina, cuius adduxi verba *n.''''''* *citato. Quoniam in Concilio, & aliis iuribus solum prohibetur duellum illicitum.*

222. Optime declarabitur, hoc exemplo. Concilia, & Sacri Canones præfigunt grauissimam irregularitatis pœnam voluntarie alterum occidenti, nihilominus autem si occidat ad vitæ defensionem, itaut non possit euadere occisionem inuadentis iniuste, nisi fugiendo cum dedecore notabili, non est irregularis, quoniam non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem iniuste inuadentis, vt tenent Cornejo *3. part. tract 5. de irregularit. disp. 4. dub. 1. quæst. 4.* Turrianus *lib. 9 de censur. disput. 65. dub. 1.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 64. sect. 1. num. 6.* Tannerus *disput. 6. quæst. 19. num. 210.* Præpositus *quæst. 5. de irregul. dub. 10. num. 87.* & alij plures quos sequitur Diana *part. 4. tract. 2. resol. 3. & in 4.* idem dicit de illo qui occidit inuasorem in defensionem bonorum temporalium honoris, famæ &c. Quod tenent Authores citati, quibus addo Portel *in dub. Regular. verbo Homicidium. num. 34.* Villalob. *tom. 1. tract. 21. diff. 24. numer. 8.* Coninch. *de Sacrament. disp. 18. dub. 9. conc. 4.* Angelum *verbo Irregularitas* 1. Tabiena *ibi num 26.* Panormitan. *cap. 2. de Restit. spoliatorum*, vbi id expresse statuitur. Quæ doctrina verum habet etiam iure nouissimo Tridentini, vt docent Suarez *vbi suprà. num. 8.* Auila *de censur. part. 7. disput. 5. sect. 3. dub. 1.* & alij plures quos citat & sequitur Barbosa *in Collectan. ad Clementinam. Si furiosus. de Homicidio. à num. 12. vsque ad 20. & de potestate Episcopi. part. 2. allegat. 39. num. 34.* 223.

224. Et ita qui ab alio iniuriatus illum sequitur, & occidit in propriam defensionem, quam potest exercere, vt diximus *num.''''* & multis Authoribus probauimus, quibus de nouo addo Dianam *part. 1. tract. 15. resol. 15. vbi in §. His ita positis.* ait, *Hanc sententiam esse probabilem, & tutam in praxi.* Moure *in exam. part. 1. c. 9. §. 1. num. 16.* Cordubam, Masium, & Peñam, quos citat, & sequitur Henriquez *de irregularit. cap. 10.* talis irregularis non manet, sicut nec maneret Dux de Medina, si Brigantinum in certamine illi oblato occideret, quia licitum est iure naturæ, imo obligatorium, vt probaui *num.''''''* *& seqq.*

225. Perspicua horum omnium Ratio est, quia duella, quæ à Summis Ponficibus prohibentur, non ideo mala sunt, & illicita quia ius humanum prohibeat, sed potius ideo prohibet ius humanum quia ex natura sua sunt illicita, sicut prohibet vsuras, homicidium, & alios actus prohibitos, quia mali: & ita vt singulare certamen comprehendatur in Bullis Apostolicis, & offerens pœnas, & censuras incurrat Pontificias, requiritur quod iure naturæ sit illicitum. Sicut ad hoc quod aliquis contractus comprehendatur sub pœnis in Vsurarios latis necessum est quod ex iure naturæ sit illicitum, & contra iustitiam: nam istæ pœnæ præsupponunt iniustitiam contractus, qua non existente, ius humanum nullam habet efficaciam, neque illius pœnæ ligant in foro animæ. Cum autem defensio vitæ, honoris, famæ, reputationis, & boni nominis ita Excellentissimæ personæ, & familiæ, sicut Ducis Medinæ Sidoniæ, licita sit iure naturæ, etiam si fiat cum morte aggressoris, & propriæ vitæ periculo, vt probaui, & medium ad hanc defensionem moraliter vnicum, sit oblatio singularis certaminis, vt etiam dixi. n.''' hoc licitum erit, sicut est inferre mortem aggressori.

226. Doctrinam addo notatu dignam. Quod non solum ius humanum Ecclesiasticum, & sæculare non prohibent hanc naturalem defensionem honoris, vitæ, & facultatum medio singulari certamine, sed neque id prohibere posse, & si prohibeant, prohibitio erit nullius efficaciæ in foro conscientiæ. Ratio est clara, nam id quod quis obtinet ex iure naturali, si ille non renuntiet, nullum ius humanum auferre potest, sicut euidens est duobus exemplis. Ius naturale mihi concedit quod possim tutare vitam, cum alia via non possum, etiam cum morte aggressoris. Etiam mihi concedit rerum mearum propriarum defensionem, etiam si vt defendam vitam latroni auferam, actualiter mihi spolianti, nullum ergo ius humanum Ecclesiasticum, vel sæculare potest mihi prohibere quod hoc, à iure naturali concesso, non perfruar, & quod iuxta illud, mihi licet, siquidem vti docuerunt S. Thom. & Cajetanus

ietanus *citati* in superioribus intentio occidentis, non est occidere, sed vitam, honorem vel facultates defendere, ex qua defensione sequitur per accidens mors inuasoris, eius mutilatio, aut vulnus: ergo quando oblatio singularis certaminis est vnicum medium moraliter ad famam, honorem, vel facultates recuperandum, vel ad vitam defendẽdam, nullum ius humanum Ecclesiasticum, vel sæculare mihi prohibere potest sub peccati mortalis pœna, & censuris Ecclesiasticis quod talè singulare certamen circunstantiis dictis. *n.*204. *& seqq.* non offeram.

Bene verum est quod ius humanum Ecclesiasticum, vel sæculare fundatum in præsumptione 227
iustissima, & sanctissima quod prouocans ad duellum, alia media minori corporum discrimini patentia habebit, & quod plerumque mouetur potius vindictæ liuore, quam iustæ defensionis, & ablatorum recuperationis zelo, absolute, vniuersaliter, & prudentissime prohibet quæcumque particularia ex condicto certamina, sub prætextu proprii honoris tuendi. Deficiente vero præsumptionis ratione, deficit obligatio legis, vt tenent plures, & graues Doctores quos citat, & sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resolut.* 27. Et possunt videri Granado 1.2. *contr.* 7. *tract.*3. *disputat.*15. *sect.*2. Sanchez *de Matrim. lib.*7. *disp.*37. *à num.*9. Salas *de legib. disputat.*20. *sect.*4. Bonacina *disputat.*1. *quæst.* 1. *punct.*7. § 3. *num.*1. Sayrus *in Claui. lib.*3. *cap.*7. *num.*8. Suarez *lib.*3. *de legib. cap.* 23. Valentia *disputat.* 7. *q.* 5. *punct.*6. Vasquez *disputat.* 163. *cap.* 2. *&* 3. Lorca *disp.*21. *§. de legibus quæ in præsumptione fundantur* Martinez *quæst.* 96. *art.* 4. *dub.* 6. vbi id egregie pertractat, Azor *part.*1. *lib.*5 *cap.*6. *quæst.*4. Siluester *verbo lex num.*9. vbi Angelus, & Tabiena. Cum ergo Duci de Medina Sidoniæ, moraliter loquendo, non suppetat aliud medium, quam duellum, vt mundo satisfaciat, sicut probatum est, leges Ecclesiasticæ tale prohibentes duellum, non eum obligant, & ita potuit prouocare, & Manifestum publicare, sine eo quod aliquam censuram incurreret maximè ex consensu etsi implicito Principis supremi Regis Nostri.

Secundò, respondeo argumento cum magno 228
Doctore (qui typis dedit aliam iustificationem moralem doctissimam, postquam Ego meam scriptis, & prælo dedi, actionem Ducis etiam defendens) Quod Pontifex solum loquitur de Duellis spectantibus priuatas simultates, & inimicitias, non autem bonum publicum, sicut attendit Dux de Medina Brigantinum prouocans; Nam etsi verum sit quod in Manifesto tantum ponatur vt expressum motiuum particularis causa iniuriæ suæ personæ irrogatæ à Brigantino, illi crimen infidelitatis imponente, sed hoc motiuum particulare, quod expressatur, in se continet motiuum boni publici, ad quod vltimo ordinatur hoc singulare certamen, & ita ex hoc iustificatum manet. Quod autem motiuum à Duce in suo Manifesto positum in se contineat, & imbibat, & (vt ait Theologus) virtualiter contineat bonum publicum, liquet euidenter ob duplicem rationem. Tum, quia Duce de Medina prouocante Regem intrusum, derisum quo tractari debet demonstrat, & vituperium quo ab omnibus Orbis Principibus agitari, quibus (si negotium recta status ratione perpendant) illum inhonoratum manere naturaliter necessum est, siquidem mendacem, & falsarium agnoscent, neque illi se deinceps credent, illique in subsidiis, & copiis copiam denegabunt, quo viribus euenuatus, inermisque redditus, tyrannidem suam in posterum sustentare nequibit, vt constans est, si quidem Principibus derelinquẽtibus ipse sibi non sufficit, de sedeque corruet. Et ita in Manifesto implicite osita est magna quædam conuenientia, & boni publici fauor vti dixi.

Altera ratio est, nam Dux mundum certum, 229
reddendo de sua innata fidelitate, hoc medio, de mendacio, scilicet falsarium conuincendo, etiam attendit publicum bonum, dum si Gallus, & Hollandus conspiciant Heroem ita magnum, & Regis Hispaniæ vassalum Ioanni Brigantino confœderatum, patrocinatam causam intrusi Regis agnoscerent, ingensque primæ Hispaniæ nobilitati damnum accrescebat, in cuius conseruatione, causa publica & vniuersale bonum horum Regnorum est, vti dixit D. Imperator Carolus V. *l.*7. *tit.*7. *lib.* 5. & D. Rex D. Alphonsus Sapiens *l.*6. *tit.*9 *part.*2. dixit, Regem debere maximum amorem Proceribus, & Hominibus Diuitibus sui Regni impendere, nam talis Regni nobilitas ij sunt honor sane, venustas, & splendor, qui Regem ad Regni defensionem semper iuuant, quique illi in vrgentioribus euentibus sanis consiliis occurrunt, demum & Regis, & Regni membra sunt. Itaque quod Regno, & Regi fauet, vel lædit, Proceribus etiam fauet, vel lædit, & è contra quod Proceribus fauet, aut lædit, Regno, & Regi fauet, aut lædit, cum inter Regem, & Proceres non solum vnitas publica sit, sed & identitas, sumpto argumento ex identitate quam inter Summum Pontificem, & Cardinales considerarunt Ioannes Andreas *in cap. Requisiti n.* 12. *ad finem de Testamentis.* Iacobatius *de Consiliis* 230.
*lib.*1. *num.*172. Rodericus Episcopus Zamorensis *in Speculo vitæ humanæ. part.* 2. *cap.* 8. vbi ait: *Quidquid fauet, vel nocet Sedi Apostolicæ continuo fauere, vel nocere singulis Cardinalibus intelligatur, & è contra*, quia cum Cardinales sint cardines Ecclesiæ in ordine ad gubernationem Ecclesiasticam; ita viri Magnates sunt Regi cardines ad gubernationem politicam. Vnde euenit, vt refert Barbosa *lib.*1. *iuris Ecclesiast. cap.*3. *n.*6. *quod Patricios viros* Imperator Constantinus *Patres sibi elegit, & loco Patrum à se honorari affirmat, tanquam in summa dignitate secundum leges constitutos.* Videantur circa Patricios (qui erant Magnates, & Nobiles apud Romanos) Titus Liuius *lib.*1. *&* 4. & Guilielm. Canterius *lib.*2. *nouarum lection cap.*24. & ideo in Hispania per antonomasiam *Grandes.* Et ad illorum similitudinem voluit dictus Imperator, vt refertur *Cap. Constantinus II.* 96. *distinct. Viris reuerendissimis Clericis in diuersis Ordinibus. S. R. E. seruientibus illud culmen singularitate, potentia, & præcellentia haberi sancimus, cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est, Patricios atque Consules effici, necnon & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus declarari.* Cardinales ergo quasi proceres, & Grandes sunt 231.
Summi Pontificis, quibus nomen, & authoritatẽ contulit S. Syluester Papa, vt notauit Barbosa *vbi sup.* Et ita quemadmodum honor vel ignominia Cardinali impensa, Sedi dicitur impendi Apostolicæ, & causam publicam tangit, ita etiam iniuria Magnati, & Grandi irrogata, necnon & eius defensio, bonum publicum spectat. *l. Quisquis. C. ad legem Iuliam maiestatis.* vbi Imperatores Arcadius,

cadius, & Honorius de talibus nobilibus, & Patriciis dicunt, partem esse suam, *Nam & ipsi pars corporis nostri sunt.* Et ita qui insidiose huiusmodi perimere gestit, *vt pote Maiestatis reus gladio feriatur.* & *Maiestatis reus* ille qui crimen committit in bonum, & causam publicam. *l. proximum D. ad l. Iuliam Maiestatis.* Et hîc meo videri certam habet veritatem, præsertim cum iniuria ista grauis est, quod particularem personam, vt talem, non attendit, sed tangit sanguinem, & agnationem, & familiam nobilissimam, sicut est Ducis de Medina Sidonia, de quo apprime dicitur quod Claudianus *in laudem Serenæ* dixit:

232. *Quis venerabilior sanguis, quæ maior origo*
quam regale erit?

Legatur Tiraquellus *de Nobilitate cap. 20. n. 18.* vbi per text. *in l. omnium. Cod. de Testamentis.* cum Baldo, Angelo, Aretino, Corneo, & Iasone probat, Principem semper Proceribus, & Magnatibus debere cingi, & ita vbi Princeps est, & hos esse præsumitur, vt partes boni publici Principem repræsentantis, qui si illos secum non habeat præsumitur non attendere ad bonum publicum, & ita Cepola *tract. de Imperiali milit. delig.* ait Antonium Scalam Principem Veronensem priuatum Dominio *ea potissimum ratione quod populares, & infimæ sortis homines circa se, & in sua Curia semper tenebat, spretis Nobilibus.*

233. Ex dictis sequitur Ducem in hoc condicto Duello bonum Hispaniæ, & eius causam attendisse, nam vt dixi *num.*..... si familia ita Nobilis, vt est familia Ducis infidelitate qua falso arguitur turpata maneret, bono communi Hispaniæ non mediocre inferretur nocumentum. Quibus, etsi paucis, verbis sufficienter solutum manebat propositum argumentum, cum euidens sit Summum Pontificem Clementem VIII. quando duella prohibet, loqui de illis quæ solum causam particularem spectant, animo vindictæ, à quo imperatur actus tuendi proprium honorem. Quod euidenter colligitur ex duabus clausulis Bullæ, altera §. 5. ibi: *Priuatas simultates, & inimicitias publicæ causæ intermiscendo, etiam cum permissu Ducum ex condicto ad singulare certamen descendat,*
234. *aut illum prouocet.* Quibus verbis Pontifex clare innuit solum prohibere acceptationem Duelli, aut ad illud prouocationem, quando motiuum sunt priuatæ simultates, & inimicitiæ, etiam si duellantes velint causam admiscere communem, cum hæc illas non rectificet, neque bonitatem conferat; & si quando solum attenditur, non particularis vindicta, sed naturalis, & propria defensio, quæ ordinatur ad commune bonum.

235. Altera clausula qua probatur hoc intentum extat *in §. 6. Bullæ*, vbi prohibentur omnium Duellorum, & Manifestorum genera, *etiam sub prætextu proprij, vel honoris, vel famæ, more militari atque vt vulgo dicitur (Cauaglerescо) tuendi, aut lædendi, &c.* Pondero verbum illud *Sub prætextu*, , quod tum in bona latinitate, tum in iure Ciuili, & Canonico idem est ac *sub simulatione*, prætextus enim idem est quod simulatio, vt notauit Ambrosius Calepinus, & in idiomate nostro Hispano idem est ac *So color*; *no siendo a si, ò con capa, ò cubierta.* Et ita dixit Suetonius in Tiberio: *omnium inimicitiæ hoc prætextu ad nos deferuntur.* Prohibet itaque Summus Pontifex omnia duella iure naturæ illicita, indicta propter priuatas simultates, & inimicitias, etiam sub prætextu proprij honoris defendendi, &c. Quia etsi hoc fuco liniatur proprij scilicet honoris defendendi, &c. animi in vindictam obfirmati sunt, ob priuatas inimicitias. Sed non prohibet Pontifex singularia certamina, quæ reipsa fiunt intuitu recuperandi amissum honorem, quæ defensio implicite ordinetur ad bonum publicum, vti facit Dux de Medina.

Quod totum confirmatur, nam in Bulla hac 236.
Clementina non solum arcetur prouocatio ad Duellum, sed etiam acceptatio, vt probaui. n.... cum Bonacina, Peregrino, & aliis, & liquet ex verbis illis *ex condicto ad singulare certamen descendat, aut prouocet*, & adhuc potest quis, non obstante dicta Bulla acceptare, & descendere ad certamen, vt ex tot Classicis Authoribus probaui. n.... ergo in aliquo casu licitum erit offerre duellum, non obstante dicta Bulla Clementina.

Tendit deinceps Reuerendissimus P. Magister 237.
Ioannes à Sancto Thoma: *Entra lo segundo sobre el punto de la dificultad en el hic, & nunc de este caso, en que hallo dos occurrentias, que hazen diferente el punto de la dificultad de lo comun en que se pregunta, si por defensa de la propria fama iniuste læsa puede vno offrecer, ò acceptar desafio. Mas adelante passamos. Si en caso que aun Principe y tan grande como el Señor Duque de Medina se le achaque por vn Rebelde vna aleuosia, ò traycion à su Rey, lo qual es publico por todo el mundo, su Rey no le tiene por tal, ni le castiga, antes le honrra y tiene en su Corte: y esto es tambien manifiesto, y notorio à todo el mundo, si todo via queda la honrra, y fama de este Principe tan maculada que no tiene otro medio que el ofrecer desafio. Y caso que esto quede in dubio, si deue consultar al Papa, y con licentia suya, y no antes, ofrecerle. Este punto queda de sa brigado, y sin Iustification hasta aora.*

Respondeo, hoc punctum manere sufficienter 238.
iustificatum ex eo quod dictum est, & supponitur in facto quod Rex ad se accersierit fuerit Ducem de Medina, & cum totius Regni nota, ex relationibus habitis à Rege de voce falso sparsa, à Brigantino callide immissa, qui (*tanquam tympanum mundi in amœno strepitu* falso publicauit ducem illi manum porrigere) ex Oppido Ayamonte eum extraxit, vbi munus Principis Militiæ præclare exercebat, ingentibus status suspicionibus illo rumore generatis, de quibus Dux sufficienter sese purgauit *tanquam cymbalum mundi amabiliter resonans*, clara voce Manifesti, quo satisfit ad æqualitatem, quæ satisfatio necessaria erat ad præsens, & futurum; & ad hoc fuit vnicum medium, moraliter loquendo, oblatio duelli, cum absque illo quilibet dicere posset ad suum placitum in Chronicis proprijs, & alienis, fauores qui à Rege Duci impensi, poterunt ad intentionem cuiusque interpretari. Neque æquum erat rem tanti ponderis, vt imputatio infidelitatis in familia nobilissima pendulam remanere, sed potius quod mundus totus hac publica demonstratione ineuitabiliter de veritate certior redderetur.

Ad id quod dicitur de consultatione Summi 239.
Pontificis dico Ducem ad id non fuisse obligatum. Primò, Nam hoc erat actionem differre, quando ita celeriter executioni eam tradere oportebat ad detegendos astus Brigantini, quo Principes etiam ab eo confouendo, & auxiliando cessassent

ceſſaſſent. Secundò, quia Dux, & viri docti eum conſiliantes nullatenus dubitarunt hoc medium, mortaliter loquendo, vnicum extitiſſe, ob rationes allatas à. *n.*⁹⁹⁹⁹ & ita non erat opus Pontificem conſulere. Tertiò, quia Dux potuit adhærere opinioni virorum doctorum, qui illi dixerunt tuto poſſe duellum offerre Ioanni Brigantino, vt Tyranno, & Falſario, & ſic conſultatione Pontificia non eguit, ſicut neque Rex quando adhibet doctos viros qui illi ſuggerunt poſſe alterum Regem expugnare, etiam ſi alij ſint non licere aſſerentes, poteſt Rex opinionem ſequi
240. probabilem Papa inconſulto. Videantur Vaſquez 1.2. *diſputat.* 64. *num.* 20. Villalobos *tom* 1. *tract.* 1. *diff.* 17. *num.* 5. Suarez 2.2. *de Bello. diſputat.* 13. *quæſt.* 6. *punct.* 2. Lorca *ſect.* 3. *diſputat.* 16. *num.* 4. Malderus *quæſt.* 40. *artic.* 1. *dub.* 3. & 4. Opinione enim opinionem repellere licitum eſt, cum vna opinio alteri vim inferat vt ſcite notauit Ioannes Sancius *ſelect.* 44 *n.* 53. *in fine.*

241. Tertium argumentum eſt. *Si vn Principe ſubiendo de cierto que aquel a quien deſafiano a de ſalir en perſona, ni ſe a de deſdezir, ni ſatisfazer a ſu honor por ſer Rey intruſo, ſin lealtad, ſi ſera medio proporcionado ofrecer le deſafio, pues de ay no ha de reſultar que el otro ſalga, ni ſe deſdiga, ni ſe dé por obligado a ſalir, ni ſe recupere por eſſe camino ſu fama (ſi alguna ay, que lo mas cierto es, que no ſe perdio) eſtando en los terminos de Gregorio XIII. en que ſe pone la miſma pena de Excommunion a los que hauiendo ſe deſafiado ad locum deſtinatum acceſſerunt, etiam ſi impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſte erit quominus illa committatur. Se vea ſi pudo el Duque ir al lugar del deſafio, y quanto es de ſu parte procurar el certamen aunque ſabia hauer el dicho impedimiento de parte del contrario, a no querer ſalir.*

242. Reſpondeo primò, quod ſi Dux hanc moralem territudinem habebat (quod non concedo) quod aduerſarius ad locum duelli egreſſurus non erat, certius eſt illum cenſuras non incurriſſe, cum animum, & voluntatem certandi non habuerit Reſpondeo ſecundò, quod etiam ſi talem territudinem haberet, quemadmodum in habendo non peccauit mortaliter, cum tantum ſuam defenſionem iuſtam intenderit; non peccaſſe, nec cenſuras incurriſſe. Tertiò, intentum Ducis id fuiſſe, vt mundo ſatisfaceret, & exteris Principibus de mendacio ſibi falſo impoſito certos redderet; ad quod ſane accidentale erat aduerſarium ad locum deſtinatum exire, ſed pro ſufficienti fuit Ducem ipſum verbum ſuum impleuiſſe, & ad locum exiiſſe. Qua quidem legalitate ſuam famam honoremque ſuæ domus defendit, quæ dubio procul falſo apud exteras nationes maculata fuit, quæ heroïcam huiuſcemodi demonſtrationem contuentes, de veritate, & innocentia Ducis aſſenſum certum præſtabunt. Quarto reſpondeo Pontificem loqui de duellis illicitis iure naturæ. videantur à me dicta ſupra.

243. Quartum argumentum. *Quanto a ſer el Duque executor del Rey en matar a aquel bandido, y diffidato, y dado por traydor, no ay duda que es titulo iuſtiſſimo. Pero no vſo del el Duque en ſu cartel, ni por eſſe Camino parece que le deſafia, ſino por ſu agrauio, y por boluer por ſu honrra, que aunque es tan grande no es la publica, ſobre que eſta publicada la guerra contra el Rebelde de Portugal. Y el Papa Clemente VIII. dize en ſu Bulla, que ni con permiſſo del que tiene las armas puede vno en la guerra publica, y iuſta de ſa fiar a otro de la parte del enemigo por ſus particulares encuentros, y enemiſtades.*

Reſpondeo, quod, vti dixi & ſi Dux in ſuo 244.
ſcripto expreſſe non poſuerit motiuum cauſæ publicæ, tamen implicite illud poſuit. Tum quia vt notaui *num.*⁹⁹⁹⁹ dicendo ſe manifeſtum mittere *à Iuan de Berganza Duque que fue*, illum vt Proſcriptum, & publicum diffidatum vilipendit, & idem inſinuant priora verba Manifeſti: *Digo que como es manifieſto al mundo la traycion de Iuan de Berganza, le ſea tambien la deteſtable intencion con que a querido manchar la fideliſſima Caſa de Guzman.* Et inferius: *Ha introduzido pues eſte Tyrano en los animos de los Principes eſtrangeros, y en los Portugueſes errados que le ſiguen, para credito de ſu maldad, para aliento dellos en ſu fauor, y para deſcomponerme, aunque en vano, con mi Rey, Dios le guarde, que yo aſſentia a ſu opinion.* Et inferius. *Y a ſi deſafio à Iuan de Berganza Duque que fue, como a Fementido, a leue a ſu Dios, y a ſu Rey.* In quibus verbis Manifeſti ita docti, prudentis, Chriſtiani, & recte Ordinati, clare innuit Dux vltimum motiuum quod ad prouocandum Brigantinum habuit fuiſſe bonum publicum, cui ſuam naturalem defenſionem ſubordinat. *in numero* 233. & 234. dixi quomodo intelligenda ſunt verba Clementis VIII.

Epiſtolam concludit Doctiſſimus Pater, mea- 245.
que parua ſtudia magnifaciens, ait: *Mucho nos enſeñaria V. P. ſi con la felicidad de ſu pluma tocara eſtas controuerſias en ſu Tratado, que aunque ſe alargara algo mas, todos ſe lo agradecieran, porque la grauidad de la materia no ſe puede ceñir a terminos breues.* Fateor materiæ grauitatem, periculum de ea cordate diſcurrendi, ſed ad reſpondendum conſultus quod dixi ſufficiens viſum fuit, & nunc libenter hoc addo, vt ſcrupulis qui legerit non angatur, neque hunc Tractatum *Titanico adſpiciat vultu*, occaſionem ad iterum loquendum, gratulans, nam vt dixit Ariſtoteles: *Turpe eſt ſilere, loquente Socrate*, ſilentium pro culpa eſſet, loquente ita Permagno Magiſtro vt ei reſpondeatur.

Solum aduerto circa id quod dixi *numer.* 96. 246.
& 97. illam doctrinam intelligendam eſſe in iis qui abſoluti non ſunt per Bullam Cruciatam, nam ſi per illam abſoluantur, loco ſacro poterunt humari, & tenetur iudex id non impedire. Legantur Medina *in Summ. lib.* 1. *cap.* 12. Rodriguez *in expoſitione Bullæ* §. 9. *num.* 55. Trullench *lib.* 1. §. 7. *dub.* 10. *num.* 9. & 10. Valerus *verbo Abſolutio diffic.* 1. *n.* 4.

Vt tamen notum ſit omnibus quanto applauſu hæc mea Conſultatio, & Reſolutio, placuit hic apponere approbationes Grauiſſimorum Virorum qui illius cenſuram fecere.

* *
*

Approbatio

Insignis Collegij Sancti Thomæ Aquinatis, Vniuesitatis Cæsareæ Ciuitatis Hispalensis.

EX commissione Domini Licentiati D. Christofori de Mantilla Iudicis Prouisoris huius Archiepiscopatus vidimus Tractatum, cuius Titulus est: Iustificatio Moralis in foro Conscientiæ singularis certaminis ab excellentissimo Duce Methymnæ Sidoniæ oblati ei qui Brigantinus fuit, editum per Reuerendum admodum Patrem Thomam Hurtado Sacræ Religionis P P. Clericorum Regularium Minorum, Primarium Moderatorem in hac vniuersitate Hispalensi, & non continet quid contra fidem Catholicam, aut bonos mores, sed plura sunt sapientiam optime fundatam, & admirabilem eruditionem sui Authoris ostendentia. Pondus rationum quibus probat intentum, multitudo testium qualificatorum quibus id confirmat, styli claritas, verborum proprietas, & quod plus est, in tanta abundantia breuitas, opus tanto Magistro propalat dignum. *Eiusdem potentiæ est ingenium, quod in maioribus exercueris, etiam in minoribus non negare*, dixit Hieronymus *in Prologo Epistolæ Pauli ad Philemonem* breuitatem illius ponderans. Maiora opera huius Magistri Orbem decurrunt, communi doctorum legentium gratulatione, & plausu, sed hoc quia minus, non minori ingenio confectum, in occasione autem præsenti vtilitatis non mediocris. *Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructum illius. Eccli.* 11. velut argumentosa apis flores tot Doctorum legendo, breuem hunc Tractatum concinnauit, qui quidem dulcissimus fauus est ad palatum nonnullorum zelo flagrantium dulcorandum, quibus duellum excellentissimi Ducis, ob non recte illius iustificationem intellectam, aliquid amaritudinis impendit. In casu præsenti bene Authori accommodantur verba interlinealis super citatum locum: *Apis acriter pungit, & mella conficit, sic in paruo corpore anima ingeniosa, & acerima viget, & doctrinæ suauitatem profert.* Ob quod typis dari censemus, ne quis iustificationem præfatæ actionis, & toti mundi notissimæ, ignoret. In hoc D. Thomæ Collegio Hispalensi. *die Nouembris* 1641.

Fr. Bartholomæus de Aguilar Præsentatus, & Rector.

Fr. Thomas de Espejo, Magister, & Regens.

Fr. Petrus Serranus, Magister.

Fr. Franciscus de Valera, Magister.

Approbatio

Religiosis, & prudentis Collegij Angeli Custodis excalceatorum Carmelitarum huius ciuitatis Hispalensis.

RESolutio hæc Moralis, in casu proposito satis authoritatis ad suam commendationem, & plausum procul dubio sortiretur, authoritate dumtaxat circa horum Regnorum doctos viros acquisita sui Authoris, admodum scilicet R. P. Thomæ Hurtado, Ordinis P.P. Clericorum Minorum, Primarij, & Proprietarij Moderatoris in vniuersitate Hispalensi. Author, inquam, tantum, sententia, & opinio eius, actionem excellentissimi Ducis de Medina Sidonia iustificatam, & decentem prædicarent, in singulari certamine ad quod Brigantinum vocauit iniustam sui honoris, & splendentis domus suæ defensionem, quem Brigantinus liuore turgens defœdare machinauit, proprij sanguinis munera oblitus. Author huius discursus intentum probat ita efficacibus rationibus, & solidis ex iure naturali fundamentis (humanis omnibus sane præstantiore) quæ in contrarium præsentari possint, tot doctorum, & prudentium virorum authoritatibus fulta, vt timidiorem animum, & in duellorum materia magis pendulum tranquillare possint, nec non conuincere, quod in præsenti duello (si recte causæ impellentes, & singulares circunstantiæ quæ in illo ad suam iustificationem repertæ sunt, perpendantur) nihil bonis moribus aduersum, neque Concilio, aut Apostolicis constitutionibus repugnans, inueniatur. In quibus sane Bullis iustissime duella temere in tentata, & causis ita illa iustificantibus orbata, arcentur, & puniuntur. Singulare hoc certamen cum illis supputari non debet, cum hic rationabiliter præsumi debeat, solum vt principalis finis attendi, non iniuriæ vindicatio, sed æqua honoris, & fidelitatis, domus illustrissimæ, & peruetustæ restauratio: ad hunc autem finem aliud non apparet proportionatum medium, nisi duelli prouocatio, nam si aliud inuenburi posset, legiis hæc duella prohibentibus quadrans, credibile valde est excellentissimum Ducem illo vsum, vt genimm suum Catholicum, & Christianum decens erat. Neque hic pertimescenda est occasio quam sibi priuatæ personæ ad singularia duella arrogare possunt, quæ non ita splendenti magnitudine decorantur, quæ etiam si in iustificanda duella suam adferant defensionem, nullatenus illorum excusatio admittenda est, cum vel alia media illis suppetant, vel ob commune bonum quod semper debet attendi, rationes in sui fauorem allatas non admitti sit æquum, suborientibus ex huiusmodi duellis plerumque tot exitialibus damnis, & in ordinarie exercitis grauissimis causis, quæ in Ducis duello conuenerunt, non concurrentibus. Neque ostium panditur iis qui effrænato impulsu potius quam iusto animo egrediuntur. Neque de Principe ita sagaci, & Christiano præsumi poterit in casu ita nobili, & variis censuris patenti processisse cum minori prudentia, & absque sui Regia licentia, vel permissione, cum adstat ita

fauoribus

fauoribus euectus. De Rege autem præsumi non potest tot discriminibus spiritualibus, & temporalibus dissimulasse, si quietem & securitatem in conscientia non sentiret, & in executionem conuenientiam iudicaret, dum in euentibus ita singularibus duella permittere, vt Author noster, & quos sequitur probant, licite potest. Decens proculdubio erit ad veritatis ostensionem, ingeniorum subtilium satisfactionem, &, fidelitatis excellentissimi Ducis manifestationem quod Resolutio hæc ita docta, & probe inspecta, inoffenso pede decurrat, in multorum communem profectum. In hoc Collegio Angeli Custodis Carmelitarum Excalceatorum Hispalensi, *die* 13. *Nouembris.* 1641. Saluo meliori iudicio, &c.

Fr. Ioannes de los Sanctos. Rector.

Fr. Ioannes de Iesus.

Fr. Rodericus del SS. Sacram.

Fr. Christophorus de Iesu.

Fr. Franciscus de Sancto Angelo, Lector.

Approbatio

Religiosissimi Collegij D. Alberti Hispalensis

Reuerendi admodum Patris Magistri Thomæ Hurtado sententiam mirati sumus, quæ ob Authorem potius admiratione, quam discursu nostro est extollenda. Sed hic illud quod Plinius secundus *ad Saturninum* scripsit adducere occasio ipsa non excusat. Remiserat ille Plinio opusculum propriũ trutinandum, cui Plinius: Legi enim *librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiæ, amor ipsius adiecit. Iudicaui tamen; neque enim soli iudicant qui maligne legunt.* Assumptum quidem generosum est, ob Principis fidem statuendam, cui fama ipsa miro semper plausu deseruit, etsi interdum ad iniuriam inuidia atra corrosit. Neque dubito communi obsequium Nobilitatis impensum labore solui opotere, si omnium calami volarent, sed quidem opus se ipsum innocentia venustans, sibi ipsi fidem accrescit, neque splendorem, ob non lucratum finem, amittet, cum tales actiones non meritum fælicitate executionis mentiantur, sed quo appetuntur heroïco ausu dignoscant. Resolutio hæc Authoris sui concinnum litterarum sudorem expandit, efficaces quibus adstruitur veritas probationes, doctrina qua fundatur mirifica, totumque ita sibi connexum quod amplius desiderare fatum sit. Sed & authoritas Doctoris Angeli, cum Caietani notis, ita peracuta, & genuino genio intellecta quod de illo non minori ratione illud quod Homerus de Vlyssi cecinit, cani possit.

Expolit multa recte, superque induxit amussim.

Ita censemus, iudicamus. In hoc Collegio Diui Alberti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Hispalensi, die decimotertio Nouembris 1641.

Mag. Fr. Ioannes Duran. Rector.

Mag. Fr. Iosephus de Escamilla.

Fr. Petrus de Leon. Lector S. Theologiæ.

Approbatio

Doctoris Dom. Didaci Valuerde de Orozco, insignis Collegij, & vniuersitatis Hispalensis Collegæ & vesperarij legum Moderatoris.

Approbationes quidem nonnullæ sunt quæ approbantem ipsum circa doctos viros commendant. Tales sunt quæ R. P. M. Thomam Hurtado, & sua scripta magni faciunt, quas vt ego sane apud cordatos mihi ipsi conquiram, libenter impendo circa Tractatum istum de Duello Ducis Methymnensis, vbi clarissime patet Ducem non incurrisse excommunicationem latam à Patribus Sacri Concilij Tridentini *sess. 25. de Reform. cap. 19.* Minoribus imo circunstantiis, quam quæ in præsenti concurrunt idem tuto asseri posset, sed omnibus illis proculdubio quidem, cum publicum bellum detur iustissimum in prouocatum, qui sane causa prouocationis est, & per consequens vtile publici boni ex illius nece manatum; permissio Principis (attenta causa) ad Duellum, & quod Tyrannus, vt traditor publice diffidatus sit, & morte ipso iure damnatus quem Authores *Bannitum* nuncupant, scilicet, à quoquam impune perimendum. Cessantibus autem forte publicis causis relatis, satis, superque erant, (vt Noster Pater Magister eruditissime probat) priuatæ Ducis, defensio scilicet iusta sui honoris, & famæ, cum ex huius omissione illius discrimen necnon vitæ, status, & facultatum sequeretur, ob cuius protectionem, cui iuribus omnibus adstringitur, in arenam protendit. Itaque censeo Tractatum hunc, (sicut & cæteras nostri P. Magistri lucubrationes) deberi ab omnibus, vt docte concinnum, & cordate compositum, adminus venerari: *Quicumque æqui bonique intus radicem alat, à mordendi consuetudine sit alienus, absque inuidentiæ aculeis*, vt ait Lipsius, cum illius opera ita perfecta, & consummata sint ita eruditione, & doctrina splendentia, quod prætermittere quod idem Lipsius de Iosepho Scaligero dixit haud recte possim: *Cuius omnia scripta elegantissimæ doctrinæ adeo plena, vt in iis euoluendis liberalis animus ingenua quadam voluptate delinitus, vt in amœno diuersorio conquiescere possit.* Quid mirum, cum vltra felicitatem ingenij, memoriæque perpetem tenorem, iugis, & incessabilis litterarum accedat frequentia, cum in edocendo, è Cathedra, tum in concionando è suggestu, tum in defendendo patrociniis, tum in impugnando argumentis. Denique scripta sua typis, præloque æternando omnibus ita auspicate expletis, vt communis plausus affirmat, cui quadratissime Cassiodori facit præconium, tantum virum, meo videri præsagientis: *litterarum quippe studiis dedicatus, perpetuum doctissimis disciplinis*

ciplinis mancipauit ætatem, æquiparat prorsus meritis quos lectitat Authores lib. 2. variar. Epistol. Epist. 3. In hoc certè Tractatu (quando in aliis fortè minus (veritas hæc patescetet, cum circa subiectam materiam ad nostrum captum nullum lapidem intactum relinquat, & in ea celeriter, & fœliciter se peragratum demonstret, cunctis hucvsque scriptoribus ante eundo, & ita *vnum pro cunctis fama loquatur opus.* Hoc censeo. In hoc Maiori Collegio, & Vniuersitate Hispalensi. Die 22. Nouembris 1641.

Doctor D. Didacus Valuerde de Horozco.

RESOLVTIO VI.

An liceat Ciuitatibus Hispaniæ conferre votum decisiuum suis Procuratoribus ad regalia Comitia vulgò *Cortes* euntibus.

SVMMARIVM.

247 *Hispaniæ Ciuitatibus an liceat conferre votum decisiuum suis Procuratoribus ad regalia Comitia, vulgò* Cortes, *euntibus?*
Conclusio prima ibid.
248 *Primum fundamentum.*
249 *Secundum fundamentum.*
250 *Tertium fundamentum.*
251 *Quartum fundamentum.*
252 *Quintum fundamentum.*
255 *Sextum fundamentum.*
257 *Septimum fundamentum.*
258 *Octauum fundamentum.*
259 *Nonum fundamentum.*
261 *Decimum fundamentum.*
262 *Duo contra hanc conclusionem fundamenta.*
265 *Conclusio secunda.*
Primum fundamentum ibid.
266 *Secundum fundamentum.*
268 *Tertium fundamentum.*
274 *Quartum fundamentum.*
276 *Quintum fundamentum.*
277 *Sextum fundamentum.*
278 *Duo contra conclusionem argumenta.*
291 *Aliis principiis probatur eadem conclusio secunda.*
303 *Conclusio tertia.*
305 *Conclusio quarta.*
311 *Resolutionis Epilogus.*

247. SVppono Ciuitates Hispaniæ ab immemoriali tempore esse in possessione quod Procuratores sui pro Regalibus Comitiis non habeant votum decisiuum in negotiis arduis, & maioris ponderis, vt sunt impositiones tributorum, & concessio donatiuorum; in similibus rebus solum habent huiusmodi Procuratores votum consultiuum; Ciuitates namque sibi ipsis Decisiuum reseruarunt, vt cordate, & maturè in suis plenis Capitulis quid conuenientibus in quolibet negotio exequi fas esse librarent; ne etiam remitterent, delegarent ve duarum personarum trutinæ res vtique difficiles, & arduas. Quod ergo hodie in dubium vertitur est an Ciuitates valeant cedere huic iuri suo suis Procuraioribus votum decisiuum committendo vt in Comitiis possint concludere, & vltimam manum negotiis imponere, sine eo quod necessum sit recurrere ad ipsas Ciuitates pro decisione. Quod est quærere an hoc bono communi expediat, quod semper attendi, & procurari debet.

Resolutionem meam quadruplici conclusione aperiam, ex quo dubium omne resolutum manebit de quo interrogatus fui Hispalensi anno 1645.

§. I.

Conclusio prima.

POtest Rex tuto, & optima conscientia à Ciuitatibus petere quod Procuratores ab ipsis ad Comitia missi ferant huiusmodi votum decisiuum. Conclusio hæc plura, & grauia habet fundamenta.

Primum fundamentum.

QVia Rex est Supremus Legislator: ergo potest condere legem qua determinet quod Procuratores cum voto decisiuo ad Comitia pergant, & nullatenus eos, si sine ipso accedant, recipere. Et ita optima conscientia à Ciuitatibus expostulat quod ipsis huiusmodi votum conferant, quod enim vi legis facere potest, potest etiam licitè extorquere. Prima consequentia perspicua est, quia ex iure naturali Supremus Legislator non tenetur, ad præcipiendum bonum, & vetandum malum, expectare populi consensum, aut Ciuitatum, sed ipsis reluctantibus quod conuenientius fuerit imperare valet, & quod suo politico regimini, & ditionum suarum conseruationi pertinens. Neque post promulgatam legem eget Princeps supremus populi consensu ad hoc vt obliget, quin potius multitudine reluctante, si vult, valet obligare vt cum communi sententia tenent Basilius Legionen. *lib. 5. de Matrim. cap. 7. num. 2.* Granados 1. 2. *controu. 7. tractat. 3. disp. 7.* Vasquez *disput. 156. cap. 5.* Malderus *q. 90. art. 3. num. 2.* Lorca *disp. 20. de legib.* Suarez *lib. 3. cap. 19.* & alij quamplures. 248.

Secundum fundamentum.

QVamuis verum sit quod contraria sententia sit probabilis, tamen Regi sufficit quod id quod præcipit probabile, & rationi conforme sit ad hoc vt obligare valeat, vt indubitabile est in materia de conscientia, & ita doctè Basilius Legionensis *tractat. de impediment. Matrimon. causa 31. quæst. 1. §. 11.* ait, *Si causæ quæ ad exigendum tributum sunt vere iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subueniri non possit, nec peccat Princeps vim inferendo Regnorum Procuratoribus, nec etiam ea res aut metus iniustus esse potest, si causa iusta sunt exigenda tributa.* Hæc doctrina valde consona rationi est, & iuri, quam sequuntur Lessius *de iusti. cap. 33. dub. 6.* Suarez *lib. 5. de legibus cap. 17. num. 19.* Quemadmodum Episcopus qui potest præcipere sub excommunicationis pœna quod Clerici soluunt subsidium, & donatiuum, cum iusta adest causa, vt tenent Azor *to. 11. lib. 11. c. 14. q. 2.* Innocentius *in c. cum Apostol. de censib.* & aliis quos citat & sequitur nouissimè 249.

simè Thomas del Bene *tract. de Comitiis dub.* 13. *numero* 6.

Tertium fundamentum.

250. QVia Princeps supremus, cuius Regimen Monarchicum est, potest absque Comitiis imponere tributa, quantum est de iure naturali, & gentium, vt doctissimè probat P. Magister Marquez *en su Gouernador Christiano lib.* 2. *cap.* 16. quem sequuntur Thomas del Bene *dub.* 17. Lessius *vbi suprà dub.* 1. Basilius Legionens. *vbi sup.* Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *sect.* 1. *cap.* 3. Canonistæ *in cap. super quibusdam de verbor. significat.* & Legistæ *ad leg. victalia.* Qui omnes dicunt quod de iure naturali competit solis Regibus, & Imperatoribus imponere tributa, sine eo quod egeant Ciuitatum, populorumve consensibus. Vt latè probant Molina *de iust. & iur. disp.* 674. Vasquez 1. 2. *disput.* 159. *cap.* 2. Bodadilla *lib.* 5. *suæ politicæ cap.* 5. §. *Teste poderio.* ergo multo melius poterit exigere à Ciuitatibus quod suis Procuratoribus votum conferant decisiuum, vt in Comitiis prouideant quomodo publicæ necessitati sit subueniendum, quæ hodie ita manifesta, & constans est. Consequentia est clara, quia etsi Rex Hispaniarum hucusque tributa generalia sine Comitiorum interuentu non imposuerit, quia ius quod vt Rex, & Princeps supremus obtinet, ita limitatum est, tamen non ideo tollitur ex eo quod Procuratores votum deferant decisiuum. Et ita licitè præcipere valet vt deferant, & repellere si non deferant: nam in hoc nequaquam votum Ciuitatibus aufert, sed tantum modum suffragandi determinat; suo autem Regimini ita prudenter expedire cogitat quod ita fiat, & non modo hucusque vsuato, ob inconuenientia experta, & quia in cæteris suæ Magnitudinis Regnis Procuratores votum deferunt decisiuum, vt constat ex Sicilia, Neapoli, Flandria, &c. Et etiam in Hispania aliquoties detulerunt.

Quartum fundamentum.

251. QVia Comitia velut quædam Concilia sæcularia sunt vbi sua Maiestas vt Regni caput assistit, cui incumbit bono consulere communi, & eiusdem Regni defensioni, & tutelæ, quod ex naturali iure prouidere tenetur. Et ita valde conueniens est quod qui talibus insident Comitiis votum obtineant decisiuum, vt obtinent Episcopi in Conciliis Nationalibus vbi ad prouidendum de communi bono congregantur, & etiam vt obtinent Prouinciales in Capitulo Generali, & superiores locales in Prouinciali, secundum id quod ius commune cum particularibus determinat. Quia non erit perfecta Congregatio vbi illi qui congregantur concludere nequeunt, & indecens est quod Congregatio vbi Rex pro capite est, concludere non valeat, & sit imperfecta.

Quintum fundamentum.

252. QVia habere Ciuitates huiusmodi ius quod sui Procuratores sine voto decisiuo Comitia intrent, vel ex aliqua oritur lege Regia, vel ex consuetudine immemoriali quam Ciuitates habeant, sed nullum horum obstat ad hoc vt Rex nequeat petere, imo præcipere quod Procuratores votum deferant decisiuum. Si ex lege, Rex valet derogare; si ex consuetudine, etiam, nam hæc non habet maiorem vim quam lex habet ad obligandum, vt constat ex *titul.* 19. *lib.* 4. *leg.* 1. *nouæ recopilat.* vbi statuitur quod Rex nequeat imponere noua tributa sine eo quod ad Comitia conuocet, &c. Et vim non habet, nisi ex consensu Principis, saltim legali; imò euidens est Regem posse eam abrogare vt aliam quamlibet legem; abrogata autem poterit præcipere ne Procuratores sine Decisiuo Comitia petant.

Neque arridet mihi doctrina P. Magister Mar- 253.
quez *vbi suprà pag.* 93. *colum.* 2. cum dicit; quod quando Regna vel ex concessione suorum Principum vel ex præscriptione immemorialis temporis ius adquisierunt ad hoc vt ex eis exigi nequeant tributa, sine eo quod Ciuitates in suis Capitulis, & Conuentibus concedant, Princeps ex iustitia tenetur aliter ea non exigere. Hæc, inquam, doctrina mihi non placet, quia si consuetudo est, potest à Principe derogari ob motiua rationabilia, vt in ista occasione certè habebit. Neque præscriptio esse potest contra potestatem legislatiuam absolutam Principis superni, vt constans in iure est; & ita consuetudo confirmata in contradictorio iudicio potest lege abrogari, vt tenent Cuiacius *ad l. vnicam de feudi cognitione.* Suarez *lib.* 7. *de legibus capite* 20. *numero* 4.

Si vero hoc Ciuitates habeant ex particula- 254.
ri priuilegio, vel est priuilegium onerosum ortum ex contractu, vel est priuilegium remuneratiuum, vel priuilegium omnimodè gratiosum. Si ita sit poterit Rex ipsum tollere cum voluerit, vt constans est in iure Ciuili, & Canonico, Baldus *in leg. Pa. de patri. C. vnde liberi.* Glossa *in cap. Decretal. de reg. iur. in* 6. & Glossa *in Clement. dudum de sepult. verbo instante* vel est priuilegium onerosum ex contractu, & remuneratiuum, quia hoc etiam potest reuocari à Rege cum interuenit bonum publicum, vt doctè docent Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 39. *num.* 5. Saa *in summ. correct. verbo Princeps num.* 6. ibi. *Potest ex causa rem vnius alteri dare, & totum Reipublicæ commune proprium in vsum assumere sine populi consensu, & reuocare suum contractum, & datum à se priuilegium, etiam remuneratorium.* id quod docent Suarez *lib.* 4. *contra Regem Angliæ cap.* 34. *num.* 24. Dicastillus *de iustit. & iure lib.* 2. *tractat.* 1. *disputat.* 4. *numero* 327. & 329. & alij.

Sextum fundamentum.

255. QVia quando causa noua tributa imponendi iusta est, quamuis ex parte Ciuitatum, & Procuratorum allegetur quod pactum interueniat cum sua Maiestate, ex quo obligatur ad non amplius exigendum tributa; vel allegetur quod priuilegio gaudent ad non amplius nouis impositionibus grauari, adhuc potest Rex eas imponere, si iusta adsit causa, & Regnum pingue sit, vel saltim ad hoc potens: ergo quamuis adsit priuilegium, vel pactum, vel denique lex quod Procuratores non deferant decisiuum votum, adhuc Rex poterit præcipere quod deferant,

deferant, habendo, (ſicuti habet) iuſta motiua, & rationes. Antecedens perſpicuum eſt, & docetur in Epiſcopo, qui non obſtante priuilegio, vel pacto quod aliquæ habent Eccleſiæ quod illis ſubſidium charitatiuum imponi nequeat, adhuc imponere poteſt. Ita Bellecinus *de charitat. ſubſid. quæſt.* 47. Azor *tom.* 2. *lib.* 11. *c.* 14. *quæſt.* 7. & ita communiter Doctores *ad cap. ſuggeſtum de decimis*, dicunt quod Papa poteſt 256. reuocare priuilegium quod aliqui habent non ſoluendi decimas, quando hoc cedit in detrimentum Eccleſiæ, vt tenent multi quos citat, & ſequitur Barboſa *ad illud cap. num.* 6. & Belluga *in ſpec. Princip. rubr.* 11. §. *hoc igitur num.* 5. ait: *quod prærogatiua Principis eſt reuocare priuilegium datum cum iuſta adeſt cauſa, & bonum exigit commune* ex Gloſſa *in cap. decet. de regul. iur. in* 6.

Septimum fundamentum.

257. QVia de iure antiquo Hiſpaniæ, non requirebatur conſenſus Ciuitatum, vel Regni, ſed ſoli Reges imponebant tributa, quemadmodum ſoli Reges in aliis materiis leges condebant, ita & in materia gabellarum, vt conſtat *ex leg.* 2. *titul.* 1. *pag.* 2. *& leg.* 9. *titul.* 8. *pag.* 5. vbi hæc poteſtas ſoli Regi tribuitur, & ita conſenſus Regni per Procuratores ſuos non eſt conditio neceſſaria, ſed potius Reges Hiſpani ducentis fermè ab hinc annis, vt ait Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 7. ex ſua benignitate conceſſerunt hoc priuilegium Ciuitatibus Hiſpaniæ de non imponendis nouis tributis ſine Ciuitatum conſenſu. Et quidem cum priuilegium hoc ſit reſtrictuum Regiæ poteſtatis, Regiminis Monarchici, necnon iuris communis Hiſpaniæ, ſecundum quod valebant Domini Reges ſine Regni conſenſu noua exigere tributa, ſic odioſum ſane eſt, & interpretari debet ſtricto modo, vt latiſſimè probant Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 27. *numero* 5. Sanchez *de Matrimon. lib.* 8. *diſputat.* 1. *num.* 1. *&* 4. Sylueſter *verbo priuileg. quæſt.* 3. Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 79. & ita ſua Maieſtas petere poteſt quod Procuratores deferant ad Comitia Ciuitatum conſenſus cum voto deciſiuo, & declarare quod ſic debeat intelligi ſuorum progenitorum priuilegium, vt ius regale ab ipſis præiudicio affectum, minori nunc quoad poſſit, præiudicio lædatur.

Octauum fundamentum.

258. QVia vt ait Suarez *lib.* 5. *de leg. cap.* 17. *n.* 7. ratio quam Domini Reges Hiſpaniæ habuerunt ad hoc priuilegium præſtandum, & iuri ſuo Regio cedendum ea fuit quod eo tempore quo lex ſtabilita fuit iam erant in Hiſpania impoſita multa tributa, quæ ad onera Regia ſuſtentanda videbantur ſufficere, & ideo ne nouis grauaretur populus ſine magna, & publica cauſa, & vt maiori, & ſuauiori prouidentia id fieret, quando fieri oporteret, ideo rectiſſimè id ſtatutum eſt. Hæc certè ratio fuit motiua illius priuilegij legis, & immemorialis conſuetudinis. Sed hodie hæc ratio ceſſat: ergo poteſt Rex contrarium diſponere; priuilegium vero ceſſat, ceſſante cauſa, & ratione motiua illius, vt doctè reſoluit Suarez *lib.* 8. *de legibus cap.* 30. *num.* 6. ex Tiraquello *tractat. ceſſante cauſa limit.* 11. *in fini*, & aliis. Non dico quod derogetur id quod eſt petere conſenſum à Regno, nam hoc conueniens non eſt, quia res nimis alteraretur, ſed modum præfigere quo talis debeat conſenſus præſtari hoc proculdubio Regi licitum eſt. Quod autem ratio motiua quæ tunc aderat, pro nunc ceſſet perſpicuum eſt, quia hodie etſi Regnum ita grauiter tot impoſitionibus onuſtum cernatur, tamen opera Regia tot bellis, tot exercitibus apud Belgas, Alemannos, & intra Hiſpaniæ oras, duobus Regnis ab obedientia reſilientibus, amplius efflagitant, neque priora tributa ad onera Regia ſufficiunt his temporibus ſuſtentanda.

Nonum fundamentum.

QVia Rex in hac petitione, imo & præce- 259.
pto, nihil rationi diſſonum petit, quin potius æquiſſimum, & decentiſſimum præſtolatur ſua Maieſtas ſuorum Regnorum Monarcha eſt, vt Summus Pontifex in Eccleſia, qui cum ad Concilium vocat, Patres votum deferunt deciſiuum: ergo conforme eſt rationi quod Rex cum ad Comitia vocat, hi qui vocantur Procuratores cum voto adueniant deciſiuo, ſine eo quod expectetur poſtea à Ciuitatibus præſtandum, ſiquidem independentia hæc annexa eſt Monarchiæ quæ eſt regimen vnius. Dato autem quod Benignitas ſua admittere Regni conſenſum ad noua imponenda tributa voluit, & abſque illo non imponenda; iuſtiſſime petit quod conſenſus hic cum deciſiuo voto à Procuratoribus deferatur, ſine eo quod alius è Ciuitatibus conſenſus deſideretur. Et quidem ingens indecentia eſt quod non exequatur id quod Comitia Regia, quibus caput Rex eſt, ſtatuerunt, in quibus conſideratum, libratumque eſt quidquid pro negotiis, & contra occurrit, & hoc per tot homines cordatos qui ex toto Regno ibi conueniunt. Nunquid Hiſpalenſe Capitulum attentius conſiderabit circunſtantias, & rationes aduerſas, vel fauorabiles vt vel concedat, vel neget petitum à Rege, quam 260.
cuncti congregati Procuratores apud Comitia, qui grauiſſima obligatione ex iuſtitia tenentur ad ſciſcitandos homines tam iuribus, quam Sacra Theologia eminentes, qui rectè, & citra paſſionem illos de ſua obligatione certos reddant? valde incapax erit qui hanc ſuam non adſpexerit obligationem: ergo abſque erroris vertigine poterunt hoc deciſiuum votum Procuratores adferre.

Decimum fundamentum.

QVia Rex habet dictamen probabile quod 261.
ipſi homines docti, & timorati ei contulerunt, quibus poteſt, & tenetur fidem adhibere quod hoc Ciuitatibus poſſit imperare: ergo licitum eſt tale præceptum. Conſequentia euidens eſt, docet enim certa Theologia, quod ad hoc quod Superior licitè ſubditis aliquid imperet, ſufficit quod habeat dictamen probabile quod ſit licitum id quod præcipit: ſicuti poteſt imperare vaſallo vt properet ad bellum quod probabiliter iuſtum putat, in quo omnes Theologi conſpirant dum tractant de Bello 2. 2. *quæſt.* 33. *articulo* 4. vbi affirmant

Lorca, Ludouicus de Torres, Tannerus, Valentia, & Summistæ verbo Bellum, quos refert, & sequitur Diana *part.6. tract.4.* & Ioannes Sanchez *select.28.*

Duo contra hanc conclusionem argumenta.

262. SEd dicet aliquis. Primò, quod Rex aliquid ex eo quod obtinet, linquat, & non ad tanta sustentanda conetur, eo quod Antiqui Hispaniæ Reges potiebantur, & quo contenti erant contentus sit, & ita sufficiens erit quod à Regno offertur.

Huic respondet grauibus, & ponderosis verbis P. Vasquez *de restit. cap.6. §.3.dub.1. num.7. Nunquid iura Regni patiuntur, vt Rex magno cum dedecore, timore inimicorum, antiqua Regna, quæ vel iure hæreditario, vel bello iusto capta ad eum pertinent, relinquat? maioresque in dies animos inimicorum commoueat, vt & Regnum etiam nostrum bello, & armis oppugnare*
263. *non dubitent? nonne salubrius erit, etiam si facultates in hoc omnes absumamus, vt inimicorum tela longè à nostris Regnis confingantur, ibique belli impetum, non tamen tam propè sentiamus?* Satis pulchra. Subdit tamen: *Quis non vltro Regi tributa offerat? Sed contra fieri videmus, vt homines hoc non perpendentes, ex alia vero parte nouam exactionem considerantes, & ægrè ferant, & contra Regem obmurmurent, sine causa tamen, & iniustè.*

264. Dices secundò, quod Rex Ministros haberet qui fideliter id quod à Regno offertur expenderent, hoc sufficiebat, & nihil amplius desiderabatur, neque opus esset modum concedendi tributum alterare, in Hispania ducentis ab hinc annis in vsu habitum.

Hæc obiectio magis vrget, sed præsenti difficultati impropria. Sed quidquid sit de hoc Rex noster conuocat ad Comitia Ciuitates, Procuratores cum decisiuo voto aduentare ex optat, vt id quod communi bono decentius fuerit determinet. Quod tam facilè nequit exequi, tam breuiter, tam suauiter si non decisiuum deferant.

§. II.

Conclusio secunda.

265. POssunt Ciuitates conferre votum decisiuum suis Procuratoribus ad Comitia pergentibus, vt in eis id quod bono communi, & Regio obsequio conformius fuerit, concludant. Hæc conclusio non minus grauia fundamenta quam præterita habet.

Primum fundamentum.

QVia obligatio quam Ciuitatum Rectores, & Iurati habent ad bonum publicum tuendum, tota est ad euitanda damna quæ suboriri possunt ex tali, vel tali modo mittendi Procuratoris ad Comitia, taliter quod si ex eo quod decisiuum illis non conferant aliqua damna impediant, teneantur ad non conferendum, sed si non impediant, quid inconuenit vt non conferant: Sed manifestum est illos huiusmodi damna non conferendo non impedire, Rex enim in extrema constitutus est necessitate, Regnum in extremo discrimine, & ita necessarium est quod Regi ad nostram defensionem subueniatur: ergo euidens est illos posse suis Procuratoribus votum decisiuum conferre; quia quod hodie Rex petit non gratia est, sed ex iustitia debitum.

Secundum fundamentum.

QVia quando Superior subditis aliquid in- 266.
iungit, quod secundum suum prudentiale dictamen exequi licitè potest, tenentur subditi obedire, vt docent Authores sequentes, Clauis Regia *lib.2. cap. 12. numero 6.* Nauarra *de restit. cap.3. num. 239.* Valentia 2. 2. *disput.7. quæst.3. punct. 2. §. sequitur.* Turrianus *de iust. & iure disput.50. num.9.* Palao *tom.1. disput.2. punct. 6.* dicens hanc opinionem esse consulendam. Layman *lib.1. cap.5. §.2. num. 11.* Vasquez 1. 2. *disputat.62. cap.6.* Corduba *lib. 3. quæst. 9.* Salas 1. 2. *tractat.8. sect.8 num.76.* Antonius Perez *examin.3. Scholastic. num.115. & in Commentar. regul. S. Benedicti cap.68. num.2.* Montesinus 1. 2. *tom.1. disput.16. quæst. 5. §.4. num. 189.* Medina *quæst.19. art.5. &* 6. Sanchez *lib.1. summ. cap.3. num.6.* Villalobos *tom 1. tractat. 1. difficultat.11. num.3.* Azor *tom.1. lib.2. cap.17. quæst. 9.* Syluester *verbo sententia quæst. 4.* citans D. Bonauenturam *in 2. distinct.39.* Tabiena *eodem verbo numero 4. quæst.3.* & mihi videtur decisa *in cap. Inquisitioni 44. de sententia excommunicat.* vt latè probatum in Superioribus, & tenet doctissimus P. Magister Ioannes à S. Thoma 1. 2. *disput. 12. art.6. pag.mihi 765.* dicens: *Si est probabile quod Prælatus præcipit, licet oppositum sit probabilius, & tutius, tenetur subditus obedire.* Et pag. 791. §. *de eo.* Primò, dicens: *Princeps supremus ad ferendas leges, & præcepta sufficit vti opinione probabili in materia præcepta, & subditus tenetur obedire.* Idem dicunt Sotus *de secreto membr. 3. quæst.2.* Montesinus *vbi suprà post §. 2. num. 93.* & Cardinal. Lugo *loquendo de præsenti causa* idem
dicit *de iust. & iur. disput.39. sect.3. num.34.* Ra- 267.
tio autem euidens est, quia ego possum sequi quod est probabile: ergo si Superior mihi præcipiat, etiam tenebor sequi, nam præcipit actionem quam absque peccato exequi possum. Cum autem Rex cum præcipit quod Ciuitates suis Procuratoribus votum decisiuum conferant, sequatur dictamen probabile quod ex hominibus vtique doctis scientiæ, & conscientiæ hausit, vassalli tenentur sequi regium dictamen. Hanc rationem conclusionem euidenter probare apud me certè teneo.

Tertium fundamentum.

QVia non obstante quod Ciuitates priuile- 268.
gium haberent, & immemorialem consuetudinem de non augendo numero Rectorum publicorum, & aliorum officiorum ad sua Capitula attinentium, tamen Rex hanc derogauit consuetudinem, & ius à Ciuitatibus acquisitum, & in eo licitè consenserunt, quamuis ex hoc nonnulla suborta fuerint inconuenientia: ergo idem poterunt facere conferendo votum decisiuum, quod sua Maiestas Procuratoribus committendum mã-

dat,

dat, nam inconuenientia non ſuboriuntur ex natura rei, ſed tantum accidentaliter. Cum autem Princeps aliquid præcipit ex cuius executione ex natura rei non ſequuntur inconuenientia, neque detrimenta in bonum publicum, vel particulare, etſi accidentaliter ſequantur aliqua, tamen ſubditi tenentur obedire. Quia vt inferunt omnes qui agunt de Regimine politico Chriſtiano nullum regimen humanum citra inconuenientia eſt, illud autem inſequendum eſt quod minoribus obnoxium ſit; hoc autem perſcrutare non ſubditorum, ſed Principis eſt cui credita eſt directio, & commiſſum regimen membrorum, ex
269. poteſtate legiſlatiua illi collata, vt id exequi faciat quod bono communi conſonum ratus fuerit, & ex quo ſuo iudicio minora inconuenientia reſiliant. Et in hoc caſu pro comperto habeo deberi Principi fidem dari, vt docent Pariſius *tom.* 1. *conſ.* 1. *num.* 41. Rolandus del Valle *lib.* 2. *conſil.* 1. *num.* 98. Alexander *lib.* 2. *conſil.* 216. *num.* 1. Ceuallos *in comm. quæſt.* 578. *num.* 16. Bobadilla *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 11. & alij quamplurimi quos iſti citant, & ſatis doctè Cardinalis Lugo *de iuſt. & iur. diſput.* 36. *ſect.* 3. *num.* 23.

270. Quia in hoc caſu non agitur de impoſitione tributorum, nam hic probabile valde cenſeo quod ait Thomas del Bene *dub.* 2. *ſect.* 1. *numero* 4. *de Parlament.* quod ſi non conſtat de publica neceſſitate, non debet dari fides Principi ſe habere illam affirmanti, nam eſſet oſtium grauiſſimis damnis in Republica pandere. Quando autem Procuratores apud Comitia ſunt, iudices ſunt conſtituti à Rege, vt ſententiam ferant an conueniat, vel non, concedere tributum; & ita vt optimè notauit Thomas del Bene, *Qui intrant Comitia, & parlamenta non ſe habent ibi in ordine ad Regem tanquam ſubditi ad ſuperiorem, cui conformari in dubio tenentur, vel poſſunt, ſed ſe habent tanquam iudices à Rege ipſo conſtituti.* Et ita illis conſtare debet de neceſſitate, & ſi non conſtet nequeunt votum ſuum præſtare vt tributum imponatur. Sed in caſu noſtro cum Rex à Ciuitatibus petit quod Procuratoribus ſuis votum conferant deciſiuum, Ciuitates in ordine ad Regem ſe habent tanquam ſubditæ, & ita obedire tenentur, nam
271. Rex in hoc præcipit tanquam legiſlator ſupremus, cuius dictamen ſequendum eſt, nam ſua vtitur poteſtate abſoluta, & illimitata in condendis, & abrogandis legibus.

272. In hoc ſenſu loquutus fuit Baldus *leg.* 2. *numero* 40. *C. de ſeruitute, & aqua*, quem ſequuntur Gloſſa *cap. quanto de authoritate, & vſu pallij. verbo veri.* Abbas *conſil.* 14. *lib.* 2. *&c. ad hæc numero* 7. *de reſcriptis*, & alij multi quos refert Pinellus *de reſcind.* 1. *part. cap.* 2. *numero* 24. & 25. cum dixit quod poteſtas Principis abſoluta eſt arbitrij plenitudo, nulli neceſſitati ſubiecta, nulliuſque publici iuris regulis limitata, & ita nihil in ordine ad publicum regimen poſſunt illi opponere, aut contradicere ſubditi. Quæ doctrina bene intellecta perſpicua eſt, & fundata in poteſtate, & plenitudine regiminis quod habet Princeps Chriſtianus, illa poteſtate vtens non tanquam atheiſta tyrannus, ſed ſecundam leges prudentiæ politicæ Catholicæ, vt debet de Heroe Catholico præſumi, quem ſcio à viris in Theologia, & iuribus conſpicuis conſilia perpetuo haurire. P. Magiſter Ioannes à S. Thoma 1. 2. *diſputat.* 21. *art.* 5. *pag.* 756. ait: *quod in imponendis nouis tributis Principi credendum eſt, niſi alias ſit rationabilis ſuſpicio deceptum iri à ſuis Miniſtris, tunc enim Princeps monendus eſt de deceptione. Licet enim Principi* (ait) *maximè adhibenda ſit fides proponenti neceſſitatem Reipublicæ, & ſuarum facultatum attenuationem, tamen ſi ſit negligentia, & incuria Miniſtrorum, aut diſſipatio vectigalium*, &c. *de hoc ipſo monendus eſt Princeps.* 273.

Quartum fundamentum.

DAto, & non conceſſo quod Ciuitates in determinando, an dandum ſit Procuratoribus votum deciſiuum, comparentur ad Regem tanquam iudices, & non vt iudices, pro comperto mihi eſt poſſe adhuc petitioni Regiæ conformari, & ſi præcipiat, obedire teneri. Ratio patens eſt, quia iudex non tenetur ſequi opinionem probabiliorem, ſed poteſt ſequi probabilem, præcipuè ſi probabilitas habeatur ex iure, & ſi iudex ſuperior præcipiat talem opinionem ſequi, tenetur ſequi vt docent Bonacina *tractat. de legib. diſputat.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 9. *numero* 13. Thomas Sanchez *lib.* 1. *ſumm. cap* 9. *numero* 47. alter Sanchez *diſputat.* 44. *num.* 50. & 51. Fagundez *de præcept. Eccleſ.* 2. *lib.* 3. *cap* 4. *num.* 5. Nauarra *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 268. & 296. Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 18. *numero* 19. & 20. Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 8. *numero* 63. & 64. & alij multi quos refert, & ſequitur Diana *part.* 1. *tractat.* 3. *reſolut.* 20. Magiſter à S. Thomas 1. 2. *tom.* 1. *pag.* 767. §. *ſecunda vero.* nam vt docent Vaſquez *de reſtitut. cap.* 6. §. 3. *num.* 76. & 86. quem ſequuntur Thomas del Bene *lib. de Parlament. dub.* 2. *num.* 9. Diana *part.* 1. *tractat.* 3. *reſolut.* 20. Molfeſius *tom.* 2. *ſumm. tractat.* 12. *cap.* 22. *num.* 75. Procuratores pro Comitiis iudices ſunt inter Regem, & populum, vtrum tributum ſit ponendum, nec ne? ſed nullus eſt iudex qui votum deciſiuum non habeat vt ſententiam ferre poſſit. Et ita Rex præcipere poteſt vt tale votum deferant, & Ciuitates tenebuntur Regi parere, ſiquidem rem licitam depoſcit. 274. 275.

Quintum fundamentum.

QVia vt conſtans in iure eſt, quilibet Procuratoribus ſuis committere poteſt votum deciſiuum in ordine ad res gerendas de quibus Procuratores creantur, ita in iure tam ciuili, quam Canonico. Sic Congregatio Concilij Tridentini quam referunt Garcia *de Beneficiis quæſt.* 5. *cap.* 4. *num.* 200. Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub* 14. *num.* 9. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 4. *num.* 6. Lauorinus *tom.* 1. *variar. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 57. & in titulis iuris Ciuilis, & Canonici, & Decretalibus, & *in* 6. *de Procuratorib.* tam ad negotia, quam ad contractus, quam ad electiones faciendas, vt expreſsè habetur *cap. quia in cauſis, cap. petitio veſtra cap. conſuluiſti de Procuratoribus*: ergo multo magis ad tributa, & ad alia negotia in Comitiis peragenda: ergo poteſt Rex præcipere vt id faciant Ciuitates, & aliter repellere Procuratores. Et abſque dubio dura res eſt quod Theologi Hiſpani ſibi ipſis perſuadeant, quod cætera extranea Regna vbi Comitia celebrantur 276.

tia celebrantur in errore sunt quod sui Procuratores votum deferant decisiuum, vt negotia bonum commune attinentia absoluere queant.

Sextum fundamentum.

277. QVia Ciuitates etiam si decisiuum Procuratoribus conferant, eos de statu Regni, & Ciuitatis instruere possunt. Sic enim docet S. Gregorius *lib. 11. cap. 21. ad Maximum Episcopum Salernitanum*, refertur *cap. alia de procurat. instructam personam cum mandato legaliter facto transmitte.* Et ita possunt eos instruere, eisque iubere, ne consensum, & votum suum antea præstent, quam viros doctos, pios, & litteratos, & boni publici studiosos, tam Theologos, quam iuristas, quorum sequuntur placita, consulant. Sin minus quid amplius ipsæ faciunt Ciuitates cum decisiuè suffragantur, quam viros eximios, quorum sententiam sequuntur, consulere? nunquid viri aliqui existunt aut sapientiores, solertiores, & boni publici cupidiores quam illi qui in Curia Regia sunt? ergo duo Procuratores qui mittuntur, si idem exequantur, nullo in collatione discrimini patebunt? si autem aliquod inconueniens suboriatur remotum sanè, & accidentale est.

Duo contra conclusionem argumenta.

278. SEd aduersus dicta aliquis dicet. Primò, quando quis licitè aliquid possidet nequit Princeps cum solo dictamine probabili eum ab illa re spoliare, quia in dubiis melior est conditio possidentis, vt doctè concludit P. M. Ioannes à S. Thoma *pag. 754. §. dico 3.* Cum autem Ciuitates ducentis ab hinc annis possideant ius quod ipsæ in suis Capitulis, & cœtibus concedant tributa, & quod Procuratores absque Decisiuo Comitia pergant, nequit Rex cum solo dictamine probabili illas ab hoc iurepriuare, nisi certum sit, & moraliter probabile quod hoc bono conducat communi. Sicuti sine hoc non potest facultates auferre, neque de vita subditi disponere, nisi quando bonum publicum aliter conseruari non potest.

279. Respondeo primò, quod vt grauiter notauit P. Suarez *lib. 5. de legib. cap. 18. num. 15. & numero 20.* non est necessarium quod Princeps habeat dictamen moraliter certum ad condendam legem bonum publicum respicientem, imponendo tributa ex quo à particularibus adimat quod possident, sed sufficit dictamen probabile, & prudentiale. Et ita prædictus Pater *numero 18.* ait: *Non rectè applicatur illud principium quod in dubiis melior est conditio possidentis; quando duo possident aliquo modo, & in casu dubio alter est necessario priuandus re quam possidet, vel iure suo, melior est conditio eius qui habet maius ius, & pro quo magis præsumitur. Ita vero est in præsenti casu, nam sicut subditus possidet suam pecuniam, vel quodlibet aliud, ita Princeps possidet suum ius imperandi, & obligandi subditos, quod est maius, & excellentius, & pro illo magis præsumitur.* Et hæc est ratio ob quam præceptum Superioris præferatur dubitationi subditi, licet videatur possidere res suas, aut libertatem suam, aut actiones suas. Ita ergo in præsenti dubio præfertur Princeps subdito, cum eadem ratio militet, nec possit aliter conuenienter gubernari. Hactenus ibi satis egregiè ad propositum.

280. Cum autem verum sit quod Princeps dominio suo alto quod habet dominus sit actionum, iurium, & bonorum Reipublicæ, & particularium, & possessionem habeat ad hoc vt libere illis vtatur in quantum ad bonum publicum conducunt, & conseruationem, defensionemque, cum iudicio probabili prudenter iudicauerit vti illis in ordine ad bonum publicum expedire, cum hoc dominium altius, & superius sit, possessione quam quisque particularis habet, ius Principis præferendum est. Et ita præcipere potest quod Procuratores votum deferant decisiuum, quamuis Ciuitates sint in possessione quod non deferant, quia prudentia alta, politica iudicat bono communi ita expedire.

281. Hoc est principium morale, politicum, Christianum, meo quidem iudicio certum, quando illo vtens non est Princeps in suo regimine tyrannus, sed Catholicus, & pius sicut Rex noster, de quo, quod destructionem Regni intendat credere, nefas est, sed potius eum peroptare suam in pace conseruationem, ab hostilibusque incursibus defensationem, ostiumque illis præcludere, ne in Hispaniam transeant ad furandum facultates filios & vxores, ad spoliandum Ecclesias, ad loca sacra prophanandum, ad virgines constuprandum, ad facinora quæ aliquando patrarunt iterum exequendum, ad damna quæ aliis Ciuitatibus, vbi introierunt, intulerunt, iterum nobis inermibus, & incuriis inferendum. Si autem ob nostra crimina calamitas suborta est, quod propter infideles Ministros tot à nobis oblata tributa hucvsque parum, aut nihil profuerint, hoc tanquam præteritum, remedio caret, neque ex hoc Regnum in profectum valet ire, sed hodie necessitas patentissima est, & quod Rex noster nobis egeat, quapropter quidquid in nostram defensionem necessum sit, poterit sane sibi vendicare. Si vero vt facilius hoc consequatur expediens sibi videtur quod Procuratores Ciuitatum cum decisiuo ad Comitia vadant, vbi breuitate qua possit negotia absoluantur, hoc sane potest præcipere, & Ciuitates parere tenentur.

282. Secundò dicet aliquis. Hi Procuratores non creantur per electionem, sed sortibus assumuntur; poterit autem contingere sortem supra aliquem omnino incapacem cadere, qui parum negotiorum, & Regni status calleat, qui minori ornetur experientia, & videtur Principem non posse obligari quod huiusmodi viro decisiuum committatur, temerarium enim tale esset. Confirmatur, quis enim dubitat quod prudentius, & præstantiori boni communis zelo, iustitiam Regiæ petitionis quinquaginta, aut sexaginta viri (in quibus plerique qui prudentia, solertia, & negotiorum expeditione præstent reperiuntur) quam duo quibus sors signat expendent: duo fortè Procuratores vt filios augeant, vt domos locupletentur, minori quam debeant, animi rectitudine, infirmiori boni communis studio, vniuersis petitionibus corrupti annuent. De tot congregatis quis tale timebit?

283. Hoc argumentũ aduersæ sententiæ forte fundamẽtũ erit. Sed si recte perscrutetur non sic cõuincit, quod alteri sententiæ probabilitatem practicã, qua pollet, adimat. Primò, nam si hoc temerarium, & illicitum est, nulla Catholicorum Ciuitas permitteret vt multi tenent. Secundò, quia Rex nequaquam

nequaquam quod Procuratores ſorte creentur, petit, ſed potius Catholico ſuo Zelo maximè lætabitur quod ad regalia comitia hi qui prudentiores, & boni communis zelantiores ſint pergant, publici namque boni augmentum, & defenſionem auide peroptat, quantoque prudentiores extiterint, tanto melius populorum,& Regni ſtatum callebunt, & faciliori negotio ea quæ
284. ſubuentioni publicarum neceſſitatum conducant cernent, & miniſtrabunt. Tertiò, nam per ſortes electio munerum ſæcularium quæ citra inconuenientia, & populorum lites electione, & ſuffragiis dari nequeunt, valde expediens eſt,vt docuit S. Thom. *Opuſc. 25. cap.6. & 22. quæſt.95.art.8.* quamuis huiuſcemodi munera voto gaudeant deciſiuo. Quod autem quandoque is qui minus aptus eſt ſorte exeat hoc accidentale, & rarum, cui ſane attendendum non eſt, ſed ad id quo frequentius accidit. Cæterum nullus eorum qui ſorte exeunt, ſi ſit de illuſtribus, & principalibus Ciuitatis cenſendus eſt omnino ineptus, & incapax vt non poſſit informari, & inſtrui, in officiis etiam ſæcularibus non eſt neceſſe quod dignior ſemper eligatur vt multi ſatis probabiliter ſentiunt inter quos eſt Dominus Caiet. *in Summa vt late oſtendo in illius commentario.*

Audiatur idem Caietanus *loco citato*,qui mentem S. Thomæ enucleans *ait §. Sed hæc ambiguitas.*
285. *Dupliciter contingit vti ſortibus in dignitatibus temporalibus. Primò,promiſcuè,vt vnuſquiſque de populo bonus, vel malus, aptus,vel ineptus ſorti ſubſit principatus, vel huiuſmodi regiminis habendi. Et hoc quia eſt contra naturalem dignitatem rationalis creaturæ, cui datum eſt,vt ratione ſibi prouideat, & aliis, & contra commune Reipublicæ bonum, quod quilibet tenetur tutari, & non in diſcrimen ponere, vt hic accideret, & ideo peccatum eſſet non ſuperſtitionis, ſed ſuperfluitatis, & iniquitatis contra commune bonum. Alio modo contingit vti ſortibus in dictis dignitatibus poſt nominatos multos,qui pro idoneis ad huiuſmodi officia habentur communiter, ſic quod ſuper illos tantum nominatos, ſeu conſcriptos ſortes cadere poſſunt & ſic ſortes in littera licitæ dicuntur in dignitatibus temporalibus*,&c.

286. Verba quidem ingenio Caietani digna,qui docet quod eo ipſo quod quis dignus vt ſcribatur & in vrnam mittatur, cenſeatur, officij pro quo ſortitur dignus ſit, etiam ſi ſit temporalis dignitas cui votum ſubſit deciſiuum, eo ipſo quod iuriſdictionem habeat. Et ita cuilibet Senatorum cui ſors cõtingat votum poteſt cõmitti deciſiuum, ipſum, vt ſuperius dixi, inſtruendo, non enim moraliter poſſibile eſt, ita incapacem eſſe quod crediti muneris ommnino inhabilis. Cæterum quamuis votum deferat deciſiuum, poterunt illum Ciuitates arctare quod inſtructionem datam inuiolabiliter obſeruet. Neque hoc, voto opponitur deciſiuo,cum Papa ad Concilium Nuntium mittat, qui ſuo præſit nomine, cui votum confert deciſiuum, ipſum nihilominus inſtruendo de illis quæ in particulari decidenda ſunt.

287. Et ſic ad Argumentum Reſpondetur, quod dato ſortem cadere ſuper aliquem forte minus expertum,temeritas non erit Ciuitates huiuſmodi votum deciſiuum conferre, eum in particulari de agendis inſtruendo, quod miſſus tenebitur in conſcientia exequi ſub mortali grauiſſimo v. g. Ego Capitulo Generali intereſſe non poſſum, Procuratorem mitto qui nomine deciſiue, electi neque ſuffragetur inſtruens eum quod digniorem eligat, & eum qui communi voce pro digniore habetur. Quamuis huiuſmodi Procurator votum meum deciſiuum deferat, ſi meam non ſeruet inſtructionem,proculdubio grauiſſime peccabit. 288.

Ad confirmationem fateor quod id quod dicit conuenientius eſt, & minus patens periculis ex ſua natura, plus enim vident multi oculi quam duo vt dicitur. Sed vt eleganter notauit P. Suarez *lib.5. de legib.cap.17.num.3.* loquendo in hoc fere caſu, An Regi liceat imperare quod populus illi præſtet tributum, etiamſi antecedenter populus non conſentiat, maior conuenientia quod hoc fiat ex populi conſenſu, non tollit quod Rex ex iure naturali poſſit abſque dicto conſenſu obligare ad tale tributum reddendum. Audiantur Suarez verba: *Poteſtatem ad imponendum tributum* 289.
intra limites iuſtitiæ abſolute reſidere in ſolo Principe non eſt intrinſece malum. Vel è conuerſo quod requiratur conſenſus populi non eſt per ſe neceſſarium ad iuſtitiam, & æquitatem:ergo nec illud prius eſt contra ius naturale,nec hoc poſterius eſt ex eiuſdem iuris præcepto. Neque ſufficit dicere hoc eſſe magis conueniens populis, & Regnis: tum quia ex maiori conuenientia non poteſt colligi neceſſitas præcepti; tum etiam quia illud non eſt certum, quia ſi conueniens, & congruentius vtendum eſt poſſunt facile pro vtraque parte afferri. Hæc ille. Et quidem ita eſt, nam quod probabilius eſt & ſecurius maiorem obtinet conuenientiam, & nihilominus non eſt obligatio vt ſequatur, ſed ſufficiens quod id quod ſequitur ſit conueniens, & probabile. Deinde cum hoc Princeps imperat cui te- 290.
neor obedire, hoc, hic & nunc eſt magis conueniens. Et ita quamuis verum ſit quod ſpeculatiue loquendo videatur eſſe magis conueniens quod Capitula Ciuitatum plena, votum apud ſe habeant deciſiuum, ſed etiam conueniens eſt quod ſuis committant Procuratoribus, & Principe præcipiente, in praxi magis conueniens eſt communi bono quod Princeps ſublimioribus, & altioribus oculis quam Ciuitates reſpicit, & intuetur.

§. III.

Aliis principiis probatur eadem Concluſio ſecunda.

CArdinalis Lugo *de iuſtit. & iur. diſputat. 36.* 291.
ſect.3. num.37. verba dicit vt hic afferantur valde digna, loquendo de illis qui in hac materia conſilia præſtant. *In hoc puncto qui conſilium dant magno Dei lumine indigent vt zelum veritatis, & publici boni præ oculis habentes, nec Principum æſtimationem apud Plebem immerito lædant quod grauiſſima inconuenientia affert, neque etiam Principi adulentur omnia ei licita affirmantes.* Hæc ibi. Fateor me illis viſis exultaſſe, nam in illis motiuum, quod ad ſcribendum hunc diſcurſum habui inueni; non propter adulationem à qua me liberum teſtor, neque etiam ob Dignitatum ambitum, à quarum prætenſione excluſus maneo ob ſolemne Religionis meæ votum,quod ego vt eius filius vere emiſi. Motiuum igitur proprium illud 292.
fuit nonnullos viros doctos inſpicere qui publica præualent opinione, qui tum ob animi arctitudinem, tum ob ſcrupulos quibus boni publici zelatores videntur,ſine eo quod circunſtantias temporis, & neceſſitatum aduertant, cæcis oculis quidquid

quidquid Rex patet prorsus denegant, quo bono communi exitiale conferunt præiudicium occasionem præbentes vt populi suo Regi debitum amorem non impendant, quem præstare tanquam suo capiti, & naturali Domino tenentur, quod me quidem iudice in Republica, & politico corpore nullum detrimentum peius, sicut in naturali quod membra caput non amarent desperabilius damnum esset à cuius conseruatione in suo pendent regimine, cum sine illo illam nullatenus defendent, ex quo etiam ipsa præsidio destituta manebunt cum reciproco iuuamine seipsa mẽbra & caput confoueant. 293. Neque affero Regi suggerendum omnia sibi licere, sed neque etiam omnia ei sunt deneganda, sicuti quendam Comitiorum Procuratorem noui, qui ex omnibus à Rege petitis nullum prorsus concessit. Hoc est in Regem impietas, contra publicum Patrem qui in nullo iniustus est, neque in Rempublicam quid iniustum efflagitat, quæ sustentari, aut defendi prorsus non valet absque auxiliis ab ipsis filiis, & subditis Regi ad se protegendum impensis.

294. Neque ad hoc, motiuum confert si concedamus Regem ex sua culpa, & prodigalitate in tot necessitates, & pressuras deuenisse. Tum quia tanto Principi, & Monachæ prodigi nota nequit impingi, quando magnifice facultates expendit vt magnitudini suæ conuenit, nam omne id bono conducit communi, & publicæ defensioni, necnon magni nominis Regij, toto orbe splendidissimi, conseruationi; itaque Regis Hispaniarum expensæ non arctis oculis sunt adspiciendæ, sed sicut Regia exposcit magnitudo. Verum enim vero quod hæ expensæ quæ populo excessiuæ videntur non Regem, & Regnum in pressuras trahunt, sed bella quæ intra, & extra Hispanias sustentat, quæ nullatenus valent excusari, vt in nostris domibus tuti habitare possimus, vt altius sane considerant Ministri qui Monarchiæ negotia tractant 295. quam nos Theologi qui de foris res indagantes non ita certe negotiorum statum callemus, vt iudicio nostro sententiam debitam ministrare possimus, sed vti Cardinalis Lugo *num.* 32. dixit, Regi fidem adhibere tenemur cum necessitatem propriam, & Regni confitetur, nisi in contrarium valida militent argumenta, quæ prudenter dubitare cogant. Sed hæc non subsistunt, oculis enim nostris patenter necessitates cernimus.

296. Igitur probo Ciuitates posse committere suis Procuratoribus votum decisiuum argumentis ex aliis moralibus principiis depromptis. Primò, quia deferre Procuratores votum decisiuum ad Comitia non est intrinsece malum, neque iuri naturali, aut diuino aduersum, vt iam dixi, & est euidens: ergo possunt ciuitates illud committere. Consequentia est euidens, nam vt ait Cardinalis Lugo: *Quando ex negatione rixæ, scandala, Principis indignatio, & similia oriuntur, & exiguus aut nullus fere fructus, quia vel alij plures concedunt, vel adhibita noua suffragrantium sollicitatione impetrabitur*, potest quis iuste non negare, sed sequi opinionem minus probabilem, nam obligatio ad sequendum probabiliorem currit quando circunstantiæ occurrentes non reddunt probabilius difficilius in executione, & sic in 297. praxi non magis probabile est, sed potius minus quamuis speculatiue vrgentiores habeat rationes; non enim œconomus tenetur emere triticum cariori pretio, nec Medicus dare melius medicamentum quod difficilius. Quam vero probabilis sit timor quod si votum decisiuum negetur maiora suboriantur inconuenientia, & quam parum fructus ex negatione accrescat ipsa docet experientia, siquidem etsi Hispalis, & Toletum negent, quamplurimæ aliæ annuent Ciuitates: contra eas autem quæ renuerint iusto furore Rex indignatus manebit. Neque ob pertinacem negationem, & à Comitiis exceptionem, à nouo concessosso tributo immunes erunt, quin potius ad reddendum cogentur inuitæ, ex quo popularis seditio forte subsequetur. 298

Secundò, & est validum argumẽtum. Quia Rex eo ipso quod sit Rex iure regio, & ex præcepto naturali tenetur Regnum tueri: ergo si nosci, & est euidens necessitas nouum imponendi tributum ad defensionem, etiam si resistant Ciuitates, & illarum votum desideretur, tale poterit imponere tributum, & cogere ad soluendum. Ita omnes fere Theologi, & Canonistæ, & plures supra retuli. Ex hoc principio euidenter elicuit P. Suarez *lib. 5. de legib. cap.* 17. quod non est in arbitrio Procuratorum suum consensum non præstare, si iustitia tributi, eiusque necessitas nota sit, tunc enim consentire tenentur. Et ratio perspicua est, quia 299. iudices sunt inter Populum, & Regem, & sic si necessitas nota sit in fauorem Regis ferre tenentur sententiam. Neque (vt eleganter notauit P. M. Ioannes à S. Thom. 1.2. *disputat.* 12. *art.* 5. *pagina* 755.) requiritur quod Regis necessitas sit extrema, sufficit quod sit grauis, & est manifesta doctrina D. Thomæ 2 2. *quæst.* 32. *artic.* 5. vbi docet vnumquemque debere de suis pauperit in extrema constituto necessitate subuenire, & Reipublicæ constitutæ in graui, quinimo tanta adest obligatio subueniendi Regi grauiter egenti ad defendendam Rempublicam, sicuti pauperi extreme egenti: ergo si Rex quando necessitas grauis, & notoria est, potest imponere tributum, etiam si aliquæ ciuitates decisiuo gaudentes renitantur, poterunt etiam ipsæ ciuitates suis conferre Procuratoribus decisiuum votum, vt in commitiis id quod conuenientius sit Regnorum defensioni absoluere queant. 300.

Tertiò, quia hodie ita nota est Regis necessitas (oriatur ex hoc vel illo capite) quod in ipsis votis non manet libertas ad denegãdum seruitium quod petitur à Rege. Solum vota in Comitiis libera sunt vt mirabiliter notauit P. Marquez *lib. 1. del Gouernador Christiano cap.* 16. §. 3. circa id, quod distributio cadat supra quod minus afferat damni, vel quæ merces, prædia, vel alimenta suauius oneri supponentur, & an si descriptio vulgo *Encabeçamiento* formanda est, quæ officia multum, quæ parum, aut nihil rependere 301. valebunt. Cardinalis etiam Lugo *vbi supra n.* 37. hanc libertatem in votis assignat ad taxandum quantitatem tributi concedendi, tempus quo exactio perdurabit, modum quo repeti debeat, vt scilicet minus oneris sit populo, in quo quidem grauissima miseris populis inuoluuntur detrimenta, in tantum quod Commissarij mille pro Rege concedunt, & parem quantitatem in expensis insumunt, taliter quod duplicetur tributum, ingenti boni commnis damno, quod penè exhaustum deploratur ex expensis potius, quam ex ipso capitali, vt notauit S. Thom. *lib. 2. de Regim. Princip. cap.* 10. *Quod Cæsar præcipit ferendum est, quod Imperator dicit tolerandum est, sed fit intolerabile cum illud præda exactionis accumulat*, 302. hoc ante omnia conandum quod minuantur exactores

ctores, vt plerique fecerunt Principes quos Mariana refert *lib.3. de Rege cap.* 1. Tacitus *lib.* 13. *Annal. cap.* 12. Quis autem dubitet quod ad hoc possint Ciuitates committere decisiuum cum particulari instructione de modo quo se gerere debeant Procuratores?

§. IV.

Conclusio Tertia.

303. POtest Rex præcipere quod Ciuitates suis Procuratoribus decisiuum committant. Hæc conclusio colligitur euidenter ex prima. Quia Rex potest à Ciuitatibus petere quod suis Procuratoribus decisiuum votum præstent, hoc non est malum ex natura rei, sed ad minus probabile est esse licitum, & honestum: ergo id potest præcipere, & obligare ad parendum. Ciuitates etiam in conscientia Regi tenebuntur morem gerere, sicut cæteris suis legibus, in quibus, vt obligatoriæ sint, sufficit quod legislator iudicium habeat probabile, quod materia legis sit licita, & quod bono communi expediat, vt expesse tenent Magister à S. Thom. 1.2. *quæst.*29. *disput.* 12. *ari.*5. *pagina* 65.§.*dico* 3.& omnes supracitati,

304. Secundò, quia quando causa tributi imponendi iusta est, potest Rex ciuitates cogere ad soluendum secundum proprias vires, vt expereſſe tenet Thomas del Bene *tract. de Parlam. dub.* 18. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.* 33. *dub.*6. Suarez *de legib.lib.*5.*cap.*17. *num.*19. Pontius de Leon *de impedim. causa.*31. *quæst.*2. §.11. Lugo *disputat.*36. *sect.*1. *num.*5. & 6. Molina *de iust. disputat.* 674. *num.*2. Diana *part.*1.*tract.*3. *resolut.*25. ergo cum Rex dictamen prudens habuerit ortum à viris probis,& doctis, quod conueniat Procuratores ad comitia votum decisiuum deferre, poterit certe præcipere, & ciuitates tenebuntur parere. Consequentia perspicua est, quia sicut ciuitates iuste ius possident reseruandi apud se votum decisiuum, & quod id ad comitia Procuratores non deferant, ita similiter suas facultates possident: ergo si Princeps cogere potest ad has ministrandas cum Regium interuenerit præceptum, ita etiam poterit præcipere quod votum decisiuum præstent,& ipsæ ad præstandum tenebuntur.

§. V.

Conclusio Quarta.

305. EXpediens est quod Ciuitates Procuratoribus votum committant decisiuum. Hæc conclusio ex dictis sequitur. Quia Rex nequit petere licite quod bono communi non expedit, sed potest petere,& præcipere quod Ciuitates suis Procuratoribus votum committant decisiuum, & eos in comitiis, si non ferant, non admittere, tanquam vota non legitima: ergo est conueniens.

306. Secundò, quia pleraque adsunt conuenientia, & congruentiæ multæ. Prima, quia si Episcopus velit imponere tributum quod vocatur Subsidium charitatiuũ, & ad hoc ad Synodum Parochos vt concedant congregari iubeat, nequaquam eos in Synodum admittet, si è suis Communitatibus votum non ferant decisiuum: ergo congruit quod ferant Procuratores Ciuitatum ad comitia pergentes. Videantur Remigius Gony *de Charit.subsid. quæst.*5. & 8. Azor *tom.*2. *lib.*11. *cap.* 14.*q.*2. Belluga *de donat. Glossa* 46. Thomas del Bene *lib.*13. Bartholomæus Bellancinus Rotæ Auditor *tract. de simili materia quæst.*8. & 10. siquidem ad determinandum materiam, causam, & Personas necesse est quod ij qui cœtus intrant, votum à suis communitatibus decisiuum habeant. 307.

Secunda congruentia est, nam hoc decentius Magno Monachæ est, quod res suo obsequio spectantes iustificata coram seipso causa, statim decidantur, sine eo quod nouus desideretur discursus, vel consensus.

Tertia: quia comitia sunt quoddam supremum tribunal, cui Rex præest, & Procuratores sunt iudices sententiam vel fauorabilem, vel aduersam ferentes: igitur congruit, ipsos deferre decisiuum, vtin aliis Regnis in quibus comitia congregantur, defertur. 308.

Quarta: quia comitia essent congregatio valde imperfecta, absque vigore aliquid absoluendi, quod est absurdum.

Quinta: quia in comitiis sũt omnes Regni Procuratores, omnesque suarum ciuitatum statum annuntiant,& ita apud ea poterunt decidere quidquid bono conducat communi, & Regio seruitio, potius quam vnaquæque seorsim quæ ita latam cæterarum notitiam non habebit. 309.

Sexta: nam vt Seneca *lib.*4. *de Benef. cap.*33. *In iis quæ decernimus fieri aliquid, periculo exponendum est, alioquin neque semina terræ mitterentur, neque mare nauigiis peragraretur, nisi nos ipsos in discrimina daremus, si enim tantum id quod feliciter absoluendum est operemur, pauciora, vel certe nulla negotia inchoarentur.* Itaque congruit quod Ciuitates ad committendum Procuratoribus decisiuum progrediantur, etiam si in hoc aliquale timeatur discrimen, cum in hoc ciuitates exteras imitentur quæ in suo regimine magna prudentia pollent & Respublicas insignis politiæ, quæ ita in vsu habent. 310.

Resolutionis Epilogus.

FInem iam impono asserendo quod Ciuitates possunt, & tenentur dictum votum decisiuum præstare, vt illis à Rege iubetur, qui prudenti zelo haud Procuratores cogere aduertet, ne votum in re Catholico Principe non digna præstent, in memoriam voluens id quod clarissimi sui Progenitores decretum reliquerunt *l.*14. *tit.*5. *part.*2. *Que el mayor thesoro que el Rey ha è el que mas tarde se pierde es el pueblo, quando es bien guardado.* Perspicuumque est Regem votum decisiuum non petere vt populum destruat, *pues se destruyera su grandeza, y su mejor thesoro.* Et quod in imponendis tributis adspiciet, & adspicere faciet diligenter vires subditorum, subditi etiam & vassalli quantum possunt debent contribuere cum Rex & Regnum bellis & necessitatibus ex inimicis ortis cingantur, ad hoc autem nos Hispani potissimum tenemur, nam vt P. Vasquez notauit *de Restitut. cap.*6. §.3. *num.*9. *Regna hæc labore, & industria Regnum ab inimicis fidei, in libertatem fuisse olim vindicat, propter quod & maiorem gratiam tenemur rependere eis quorum progenitores inimicos nostros profligarunt.* Hæc mea sententia, 311. 312.

Saluo &c.

***

RESOL

Resolvtio VII.

Vtrum Post Bullam Vrbanam possit tractari de auxiliis in libris prælo datis?

SVMMARIVM.

313 *An post Bullam Vrbanam possit tractari de auxiliis in libris prælo datis?*
318 *Quid in hac Bulla prohibeatur?*
323 *Non prohibetur in decretis si occasionaliter in solutione alicuius argumenti, seu difficultatis explicetur qualis est efficacia diuinæ gratiæ, & quomodo stet cum libertate creata.*
324 *Fundamentum primum. ibid.*
325 *Fundamentum Secundum.*
326 *Fundamentum Tertium.*
330 *Fundamentum Quartum.*
335 *Non licet tractare de auxiliis etiam occasionaliter quando admiscentur censuræ, & modi loquendi Apologetici.*
336 *Fundamentum primum.*
340 *Fundamentum secundum.*

313. SAnctissimus Vrbanus VIII. zelo publicæ pacis, & Ecclesiasticæ quietis motus, nõnullorũ dissidiorum apud Flandriam in Vniuersitate Louanienſi exurgentium auditis rumoribus, ob librum à Cornelio Ianſenio Epiſcopo Iprenſi præfatæ vniuerſitatis Doctore prælo datum, nec non concluſiones quas Patres Societatis Ieſu prælo item dederunt aduerſus prædictum librum *anno* 1611. ſub patrocinio P. Ioannis de Longhe, & quas defendit P. Ioannes Groil eiuſdem Societatis in ſuo Louanenſi Collegio. Ob alteras etiam typis datas à Fratribus Minoribus S. Franciſci Regularis obſeruantiæ, in ſuo Collegio S. Antonij Paduani eiuſdem Ciuitatis Louanienſis celebratas, patrocinatas à P. Fr. Ioanne Barne-Vvallo, & defenſatas à P. Fr. Patricio, Brinnan, *anno* 1621. *die* 9. *Septembr.* Minorum Concluſiones, librum, & doctrinam Cornelij Ianſenij defenſabant; concluſiones vero Patrum Ieſuitarum ſententiam Molinæ, & eius Authorum.

314. Diſſidiorum ergo tum ex Concluſionibus, tum ex libro ſuborientium Pontifex certior factus, Bullam edidit anno, & die relatis, in qua duo confirmat Decreta, alterum Pauli Quinti, *editum* 1. *die Decembris ann.* 1611. in quo prohibetur typis tradere in materia de Auxiliis, etiam ſub prætextu commentandi D. Thomam, aut alio modo, niſi ea conditione vt opuſcula, ſiue tractatus præmittantur ad ſanctam vniuerſalem Inquiſitionem. Et ad roborandum dictum Decretum, ita dicit: *Recolendæ memoriæ Paulus Papa Quintus prædeceſſor noſter, ad tollenda ſcandala, & diſſenſiones quæ in Eccleſia Catholica oriebantur occaſione editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione, &c.*

315. Etiam idem Vrbanus *die* 22. *Maij* 1625. alterum edidit Decretum, præteriti confirmatiuum in quo ſpecialioribus verbis ita fatur: *Omnibus, & ſingulis cuiuſcumque Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ de Regularibus, & aliis quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis, cuiuſcumque ſtatus, conditionis, Ordinis, dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis ne in poſterum auderent imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compoſitiones, ex profeſſo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D Thomam vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modo de materia Auxiliorum diuinorum tractantes, ſine expreſſa, & ſpeciali licentia à Nobis in Congregatione. S. Officij prædicta obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit Ordinatum, diſtricte præcipimus, & mandamus. Et poſt grauium pœnarum contra tranſgreſſores impoſitionem* ait: *Libroſque quos ex tunc deinceps contra noſtri Decreti tenorem edi contigerit, abſque aliqua declaratione, tanquam expreſſe prohibitos haberi.*

Et inferius: *Nouiſſime tandem accepto per nos in Oppido ciuitate nuncupato Louanienſi quoſdam aſſertos Cornelij Ianſenij olim Epiſcopi Iprenſis executores ex teſtamento in lucem edi curaſſe librum cui titulus* Avgvstinvs, *ex profeſſo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis, nulla prorſus petita, vel obtenta à dicta Congregatione licentia illum imprimendi eiuſque Operis occaſione Patres Societatis IESV nonnullas in Ciuitate Antuerpienſi, de eadem materia tractantes theſes pariter abſque licentia eiuſdem Congregationis imprimi curaſſe, opinioneſque Ianſenij in prædicto libro contentas oppugnaſſe; rurſuſque nonnullas alias orationes, Epiſtolas, theſeſque in calce infra ſcripti Decreti noſtri tunc regiſtratas, tam prædicti libri Ianſenij, quam theſium à Patribus Ieſuitis editarum defenſione impreſſas fuiſſe, non ſolum contra prædictorum Decretorum prohibitionem, ſed etiam in graue ſcandalum, & offenſionem Eccleſiæ Catholicæ, &c.*

316. Ne autem quis ignorantiam prætenderet Decretorum in Congregatione factorum, vel quod hæc mortuo Pontifice expirarint, ſicut & nonnulli putauerunt, dicta Decreta lege & conſtitutione Apoſtolica confirmat, qua ſcilicet conſtitutione Romæ publicata omnes fideles perpetuo adſtringit, ſaltem in foro exteriori, in quo nulli admittetur exceptio ignorantiæ. Diana 1. *part. tract.* 10. *reſol* 8. multos citat. Quos ego vidi, ſunt Adam Tanner. *tom.* 2. *diſput.* 5. *de Matrimon. cap.* 7. *à num.* 2. Lorca 1. 2. *diſput.* 18. *de legib.* Granado *ibi contr.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſput.* 13. *ſect.* 2. *num.* 17. Salas *diſp.* 12. *de legib ſect.* 2. *num.* 10. Vaſquez *ibi. diſputat.* 156. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 15 *num.* 3. Magiſter Arauxo 1. 2. *quæſt.* 90. *diſput.* 1. *ſect.* 5. *numer.* 34. Monteſinos *diſp.* 20 *quæſt.* 4. *diff.* 3. & multi alij contra Molinam *tom.* 2. *diſputat* 195. Et ita Vrbanus Bullam ſuam orditur. *In eminenti Eccleſiæ Militantis Sede meritis licet imparibus conſtituti, vt quæ ad fidei Catholicæ conſeruationem à Prædeceſſoribus noſtris prouide ſtatuta, & ordinata ſunt firmiter, perpetuo obſeruentur, &c.*

317. Ex quibus colligitur quod liber Cornelij Ianſenij qui intitulatur *Auguſtinus* in tres tomos diſtributus, eſt prohibitus. Niſi quod mihi dictum eſt à perſonis fide dignis, quod maior pars Epiſcoporum Flandriæ ſupplicarunt Summo Pontifici ſuper prædictam prohibitionem. At in Hiſpania prohibitus ſemper manet per Conſilium Regium, quouſque conſtet de Pontificia abſolutione.

§. I.

Quid in hac Bulla prohibeatur?

318. CErtum eſt in hac Bulla Vrbani Octaui prohiberi libros, tractatus, compoſitiones, concluſiones, quæ ſolum tractent de materia Auxiliorum. Hoc quidem perſpicuum eſt cum Pontifex prohibeat theſes quas Patres Societatis & Minores de obſeruantia Louanij defenſarunt, quia erant contra prædictorum Decretorum prohibitionem, & quia tractabant ex profeſſo de materia Auxiliorum. Etſi enim verum ſit theſes Ieſuitarum de aliis Theologicis materiis tractaſſe, vt conſtat ex *ex cap.2.ab articulo* 12. *& ex totis capitibus* 3.4.*& 5.* tamen omnes prohibitæ ſunt, quia omnes editæ ſunt contra Cornelium Ianſenium, ex quo grauia ſcandala, & Eccleſiæ incommoda ſuborta fuerunt, duabus partibus edentibus orationes. & Epiſtolas Apologeticas, quas pro defenſione ſuæ partis quilibet in lucem dabat.

319. Etiam prohibentur particularia dubia, & quæſtiones ſub titulo quærendi de Gratia efficaci, & de illius concordantia cum libero arbitrio, ex profeſſo, vel incidenter, prætextu commentandi D. Thomam, &c. Taliter quod ſi quis commentando quæſtionem 19. primæ partis ibi aliquam quæſtionem, ſiue dubium tractaret incidenter, quæ ageret de Auxiliis contra Decretum faceret. Sicut M. Fr. Ioannes Gonzalez qui ſi hodie ſcriberet, quæ ante Bullæ promulgationem ſcripſit, dubioprocul contraueniret, nam prætextu com-

320. mentandi D. Thomam tractauit *in art.8. prædictæ quæſt.* 19. *diſput.*58. quæſtionem principalem de materia Auxiliorum, & ſi nunc hic Author non debeat cenſeri prohibitus, quia in ſua Bulla dicit: *Libros quos ex tunc deinceps contra dicti decreti noſtri tenorem edi contigerit, abſque alia declaratione, tanquam expreſſe prohibitos haberi*; liber autem prædicti Magiſtri Gonzalez ſcriptus fuit, & typis datus tribus annis ante Decretum Vrbanum, cum hoc editum fuerit *anno* 1625. & liber Gonzalez cuſus *anno* 1621. Decreta autem Pauli Quinti non fuerunt intimata, quod ne incidenter tractaretur de materia Auxiliorum. Et hoc quidem liquet cum à Supremo Inquiſitionis Conſilio hic liber viſus fuerit nec prohibitus, ſed potius magno plauſu, & abſque offenſa alicuius admiſſus, quia incidenter tractauit punctum nullum

321. authorè cenſura inurendo. Fuit quidem velut aquæ Siloë *quæ currunt cum ſilentio Iſai* 8. *n.*10. Quia vt ait Gloſſa, *habuit modũ dicendi moralem, & ſine ſtrepitu, nam rumoroſa oſtentatio ſcandala parit, & diſſenſiones gignit.* Cæterum, vt probat Salgadus *tract. de Protect. Regia part.*3.*cap.*4.*à num.*55. *res quæ ſimul prohibitionem euaſit, ſemper durat libera.*

322. In Decreto Vrbani VIII. *edito anno* 1625. prohibebatur, ne quis ſub prætextu commentandi D. Thom. ſiue in Philoſophicis agendi de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, aut alia quauis occaſione, vel modo de materia Auxiliorum diuinorum, ſeu de gratia, & libero arbitrio tractãtes, &c. & in Bulla relata expuncta ſunt illa verba *ſiue ex philoſophicis agendi de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda.* Hodie igitur non eſt prohibitum tractare in Philoſophia vtrum Deus præmoueat phyſicè cauſas ſecundas, etiam liberas ad agendum actus ordinis naturalis, niſi forte hoc prætextu tractetur de materia Auxiliorum diuinæ Gratiæ, & de huius concordia cum libero arbitrio.

§. II.

Non prohibetur in Decretis ſi occaſionaliter in ſolutione alicuius argumenti, ſeu difficultatis explicetur qualis ſit efficacia diuinæ gratiæ, & quomodo ſtet cum libertate creata.

HIc Paragraphus fundamentum, & clauus eſt omnium dicendorum. Et ita à me probandus vt à Theologo Theologis, vt à Iuriſta Iuriſtis. 323.

Fundamentum primum.

QVia vſus legis, & illius obſeruantia, quæ vocatur in iure conſuetudo legis interpetatiua, quæ non requirit temporis diuturnitatem, eſt quæ legem modificat, & vim illius declarat, & modum quo lex executioni danda eſt, præfigit. Ita dicit *Lex 6. tit 2. part.1. ibi. Que a ſi como la acoſtumbraron otros de la entender, a ſi debe ſer entendida.* Et addit Marius Giurba *conſ.*19. *num.* 44. quod ad hanc conſuetudinem interpretatiuam legis inducendam non requiritur ſcientia Principis. Et Caſtillo *lib.5. controu. cap.* 95. §.7. Quod conſuetudo iſta interpretatiua, & legis obſeruantia dirimit omnia dubia, & declarat omnem diſpoſitionem hominis, & legis ad ipſam non requiritur præſcriptio, ſed aliquando ita fuiſſe de facto impune obſeruatum. Tota hæc doctrina certa eſt apud iuris peritos affert, & ſequitur doctiſſimus Salgado *de Supplicatione à litterís Apoſtolicis part.1. cap.9. n.*73. *& part.2. cap.* 30. §.5. *à num.* 20. Quod intelligi tunc maximè debet quando verba ſunt dubia, ſupra quæ cadit interpretatio, vt notauit Caſtillo *tom.6. cap.* 182. *à num.*23. 324.

Ergo cum verba Decretorum Apoſtolicorum obſcura ſint, & dubia ob illam particulam *incidenter*, ſi in tota ſua amplitudine accipienda ſunt, taliter quod nec ad reſpondendum alicui argumento non poſſit explicari efficacia Diuinæ Gratiæ &c. intelligenda ſunt ſecundum obſeruantiam inueteratam prædictorum Decretorum: hæc autem euidenter demonſtrat quod non debeat intelligi ſi occaſionaliter ad ſolutionem argumenti, vel explicationem alicuius dubij de materia tunc lectitata ſiue ſcholaſticis propoſita, tractetur de efficacia Gratiæ & quomodo libertatem non deſtruat. Sicut fecerunt plurimi viri valde timorati, & Summo Pontifici valde parentes, & eo modo quo alij iura, & Bullas conſueuerunt capere, ſic accipienda eſt.

Confirmatur hoc fundamentum. Quia quando Legiſlator diſponit in aliquo particulari caſu & legem condit eum prohibentem, non intelligitur quod etiam prohibeat caſum omiſſum, ſed potius permittere videtur, nam exceptio firmat regulam in contrarium. Ita Alexander *conſ.*158. *num.*9. Chriſtophorus de Paz *de Tenuta cap.* 57. *num.*185. Cum ergo Pontifex prohibuerit omnes caſus tractandi de Auxiliis in Bulla relatos, & hunc omiſerit, tractandi occaſionaliter in ſolutione alicuius argumenti, vel gratia explicandi aliquam difficultatem de Gratiæ efficacitate, manifeſte

manifeſte colligitur quod hoc non prohibuerit, ſed potius tacite conceſſerit.

Fundamentum Secundum.

SEcundò, quia leges, & præcepta humana debent eſſe moraliter poſſibilia illis quibus imponuntur *Cap. erit. autem lex* 4. *diſt.* ex Iſidoro. Et explicat eleganter S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 3. cui ſubſcribunt omnes expoſitores. Ex qua doctrina quæ quidem certa eſt colligit Nauarrus *comm. de Datis, & Promiſſis pro iuſtitia, & gratia obtinendis pagina mihi* 314. *n.* 22. quod Pontifex Gregorius XIII. non punit promittentem per verba generalia, quæ ſolum poſſint denotare obligationem antidoralem, *Quia*, inquit, *impoſſibile morale eſt à precibus ſummiſſo, modeſto, Vrbano, & efficaci animo faciendi eiuſmodi oblationes, & promiſſiones generales ſeparare.*

Doctori autem primam partem D. Thomæ, vel primum librum Sententiarum, moraliter, eſt impoſſibile, dum tractat de Scientia, voluntate, Prædeſtinatione, & Prouidentia, ad explicandam aliquam difficultatem, vel aliquod argumentum ſoluendum, non agere, ſaltim occaſionaliter, de efficacia diuinæ Gratiæ, & quomodo non deſtruat libertatẽ. Exemplo hoc quod aſſero enodabitur. Tractat Theologus explicando Quæſtionẽ 19. vel *Quæſtionem* 23. *primæ partis* de Decretis efficacibus quæ Deus habet, & quærit An de ſe habeant efficaciam.. Tractare hoc punctum non eſt prohibitũ à Pontifice, ſed Expoſitor prædictæ quæſtionis ius habet ad hoc tractandum, ſecus ſuo muneri non ſatisfaciet. Hoc autem punctum de efficacia diuinorum Decretorum, vnde tota efficacia Auxiliis diuinæ Gratiæ dimanat moraliter eſt impoſſibile explicari, abſque eo quod explicetur occaſionaliter efficacia Gratiæ. Sicut etiam moraliter impoſſibile eſt explicare naturam cauſæ non explicata natura effectus quatenus dependet ab illa cauſa. Hoc autem euidens eſt à Pontifice non prohiberi.

Hoc ergo ſtylo tractat M. Ioannes à S. Thoma de efficacia gratiæ quatenus conducit ad explicandum efficaciam diuinæ voluntatis, & omnipotentiæ vt clare, & euidenter conſtat ex *art.* 5. *diſp.* 3. *de volunt.* Et ita differentiam aſſignat inter propoſitiones quas Caluinus docebat, & eas quas docent Thomiſtæ non in ordine ad auxilia diuina quorum materia prohibita eſt tractari, ſed in ordine ad efficaciam Decreti, & voluntatis diuinæ, vt conſtat ex *num.* 14. *& ex num.* 16. 17. *&* 20. vbi affert ex Auguſtino verba hæc: *Tunc videbitur quam certa, immutabilis, & efficaciſſima ſit diuina voluntas, &c. in Enchir.* 1. 95. *& n.* 24. vbi aſſignare incipit diſparitatem inter doctrinam Thomiſticam, & Caluinianam. *Prima propoſitio, quæ cæterarum eſt radix ita intelligitur, & traditur à Thomiſtis ſecundum intelligentiam catholicam. Decretum præuenientis gratiæ de ſe ſolo eſt efficax, & independenter à libero arbitrio.* vbi ly *ſolum, & independenter* excludit in libertate noſtra quod præbeat rationem, aut cauſam ipſius efficaciæ, non quod ſit effectus ipſius, quia nos per noſtram voluntatem non efficimus quod dona Dei in nobis valeant, ſeu effectum habeant, vt ait Auguſtinus, &c. *Epiſt.* 107. *ad Vitalem.*

Secunda propoſitio etiam loquitur de Decreto diuino, &c. Cæteræ propoſitiones quæ ſeptem ſunt loquuntur de gratia efficaci, quatenus rami ſunt ex illa radice procedentes, quæ eſt diuinum Decretum; & ſic agit de diuinis Auxiliis occaſionaliter ad explicandam efficaciam voluntatis Dei omnipotentiſſimæ.

In eodem ſenſu loquuntur Patres Carmelitæ Excalceati *tract.* 4 *de voluntate Dei. diſp.* 20. *dub.* 2. *§.* 4. *num* 34. *& tract.* 3. *de Scientia Dei. diſput.* 10. *dub.* 1. *§.* 6. *num.* 9. *&* §. 4. *num.* 24. & in aliis locis, in quibus prædicti Patres tantum occaſionaliter agunt de Auxiliis ad reſpondendum alicui argumento, vel ad explicandum efficaciam diuinæ voluntatis, & ita non comprehenduntur in Decretis ſicut neque comprehenditur P. M. Ioannes de S. Thoma.

Confirmatur hoc fundamentum. Quia cui conceditur agere de antecedenti, & cauſa, conceditur etiam agere de conſequenti, & effectu qui neceſſario illi connectitur. *l. ad rem mobilem. l ad legatum D. de Procuratoribus. l.* 2. *D. de iuriſdict. omnium iudicum.* Gonçalez *ad Reg* 8. *Cancellariæ. Gloſſa* 3. *num.* 53. Scobar *de Ratiociniis cap.* 15. *numer.* 11. Moneta *de Conſeruator. cap.* 7. *num.* 558. Decius *in cap. Quando. de iudiciis.* Menochius *de Arbitr. iudic. q.* 54. *caſu* 95. qui affirmant connexa dici quæ incidenter, & quaſi in conſequentiam veniunt tractanda. Et ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *ad* 3. ait quod qui agit de fine debet agere de mediis ad illum finem conducentibus, & ſumpſit ex Ariſtotele 1. *Ethicor. cap.* 1. Cum ergo tractare de efficacia diuinæ voluntatis, & quomodo hæc non tollat libertatem humanam non ſit à Pontifice prohibitum, nec à S. Inquiſitionis Tribunali, omne id quod moraliter fuerit neceſſario tractandum de efficacia gratiæ, ad explicandum occaſionaliter efficaciam voluntatis diuinæ licitum eſt tractari, & contrarium magnum eſſet abſurdum, quod non debet præſumi de Legiſlatore. *l. nam quod abſurdum. D. de Bonis lib. cap. Dudum de Præbendis in* 6.

Fundamentum tertium

QVia lex vel Eccleſiaſtica, vel ciuilis non obligat vltra intentionem legiſlatoris, cum hæc ſit virtus efficaciam obligandi præſtans cuicumque reſcripto, legi, vel decreto Superioris. Hæc doctrina conſtans eſt tam in iure ciuili, quàm canonico, & in Theologia. Iuriſtas magno numero affert Salgado *de Supplicat. à litt. Apoſt.* 5. *part. cap.* 3. *à num.* 25. *vſque ad* 43. qui affert perplures textus, & Deciſiones Rotæ Theologos ego afferam. Ita tenent Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 27. Vaſquez 1. 2. *diſputat.* 158. *cap* 3. *&* 4. Medina *quæſt.* 96. *artic.* 4. Lorca *diſput.* 21. *&* 22. *de legib.* Monteſinos *diſputat.* 23. *quæſt.* 8. *&* 9. Valentia *diſputat.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 6. Tannetus *quæſt.* 7. *dub.* 5. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 186. *art* 9. *§. circa ſolutionem ad* 2. *& in ſumma verbo Tranſgreſſio.* Omnes ergo hi Authores in eo conſpirant legem non obligare ſi rationabiliter adeſt voluntas veroſimiliter præſumpta quod legiſlator non voluit obligare. Sed ſic eſt quod ſunt grauia fundamenta ad præſumendum Pontificem in ſuis Decretis non habuiſſe intentionem obligandi ad non tractandum de efficacia gratiæ, & liberi arbitrij occaſionaliter, & abſoluendum aliquod argumentum, vel explicandam difficultatem quæ non eſt prohibita ex profeſſo tractari: ergo qui ſic tractauerit non contraueniet Bullis Apoſtolicis, & S. Officij Decretis, cum hoc non ſic pro- 326.

prie

priè tractare de materia auxiliorum quod est prohibitum ab Vrbano VIII. sed tantum prælibare, aut gustare eam,& mens Legislatoris attendenda est, plus quam verba *cap.marchion.1. quæst.1. & cap. finali. de reg. iur in 6.* cæterum verba legis intelligenda sunt in sua proprietate *leg. non aliter D. de legibus 3. & cap. finali de verbor. significat.*

327. Confirmatur hoc fundamentum. Quia quando ratio legis humanæ, quæ illius anima est, deficit in aliquo particulari casu respectu alicuius personæ deficit etiam obligatio quæ in ratione fundabatur. Ita *in l. quæ de tota D. de rei vindicatione.* & defendunt Diana *1. part. tract. 10. resol.28.* Granado *1. 2. controu.7. tract.3. disput. 15. sect.2.* Comitolus *lib.7. respons. quæst.1. num.10.* Adrian. *quod lib.6. art.2. conc.2.* vbi sic dicit: *lex iusta, seu præceptum iustum Superioris laici, aut Ecclesiastici ligat in foro conscientiæ solum ad metas rationis, seu causæ finalis quæ prætenditur: ergo ista sublata cessat obligatio.* Doctrinam hanc docuit S.Thom.*in 4.dist.17.q.3.art.4. quæstiunc.1. ad 5.* & sequuntur omnes qui tenent testamentum sine solemnitate testium conditum, si fraus non interuenit, validum esse in conscientia, quia deficit causa finalis legis solemnitatem introducentis ad euitandas fraudes, & dolos. Ita tenet D. Antoninus *3. p. tit.10. cap.3.§.14.* Sylvester *verbo testamentum 1. q.4. notabili 4. verbo restitutio 5. §.8.* 328. Angelus *verbo testamentum §.5.& verbo alienatio §.14.* Tabiena *eodem num.15.* Armilla *verbo legatum §.51.* Nauarrus *comm.de iudiciis num.74.* Sousa *in Bullam de largitione muner. fundam.3.* vbi alios refert. Vnde concludit doctissimus Nauar.*n.75. Quare certo credo legem non ligare subditum in foro conscientiæ eo casu quo constaret illi omnem rationem illius legis cessare, neque in foro exteriori, si in eo foro idem constaret.*

329. Cum ergo motiuum quod Summi Pontifices habuerunt ad prohibendum ne Theologi de materia Auxiliorum tractarent vnicè fuerit ad tollenda scandala, & dissensiones quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis librorum de auxiliis tractantium dicit Paulus V. & Vrbanus VIII. *Ne contra dictum decretum aliquid attentari contigerit, sed scandala, & dissensiones omnino cessarent, nos in alia Congregatione.* & cæt. Ratio vnica quam tribuit ad prohibendum librum Cornelij Iansenij, quia fuit prælo datus in graue scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ, quod motiuum omnino cessat, si tractando de aliis materiis occasionaliter de efficacia diuini auxilij, & declaretur quomodo non tollat libertatem, &c. sine eo quod morsus alicui inferatur, aut censuris, & contumeliis locus detur,quæ quidem seminarium scandalorum, & dissensionum sunt.

Quartum fundamentum.

330. QVia quamuis verba legis vniuersalia sint moderantur, & limitantur secundum legislatoris intentionem, & iuxta qualitatem adiunctam, vt latè, & eruditè probat Salgadus *de supplication. à litterar. Apostolicar. part. 2. cap.5. §.4. numero 6.* argumento *ex leg. si quis ex argentariis §. rationem. D. de edendo*, vbi licet argentarij libro credatur, intelligitur in his quæ tangunt eius officium, & negotiationem; non vero aliis. Vnde lex debet intelligi in casu cui magis, & congruè eius verba aptantur, atque simpliciter, & directò, non in eo qui venit causatiuè, & secundum quid, quia verba legis debent intelligi simpliciter, & non secundum quid *leg. hoc legatum in fine D. de legatis 3. leg.1. §. si quis simpliciter D. de verb. obligatio.* quod latissimè probat Barbosa *Axiomate 222. num.29.*

Cum igitur intentio Papæ sit prohibere ne 331. tractetur de materia auxiliorum ad euitanda scandala, & dissensiones, iuxta illam Bulla limitanda est, & Decretum intelligendum. Et perspicuum est scandalum non sequi quando occasionaliter tractatur de efficacia gratiæ, & quomodo non tollat libertatem, cum sic agere occasionaliter de auxiliis veniat causatiuè, & secundum quid, non simpliciter, & sic non intelligitur in Decreto comprehendi.

Confirmatur hoc fundamentum. Quia si 332. quis operetur præter verba legis iudicando quod si legislator consuleretur in illo casu, licitum esse, responderet, huiusmodi sane non operatur contra legem. Ita tenet quædam Glossa singularis ab omnibus recepta *ad leg. tale pactum §. final. D. de pactis*, ibi. *Id est iure seruandum licet non sit statutum, quod verisimile est statutum fuisse, si hoc quæsitum fuisset, vt C. de inofficios. donatio leg. si totas, & infra de verbor. obligatio. leg. cum §.1.* Hæc ibi. Quam doctrinam sequitur Sanctus Thom. *2. 2. quæst. 120. articulo 1.* vbi ait: *Bonum est prætermissis verbis legis sequi id quod poscit iustitiæ ratio, & communis vtilitas.* Et in solutione secundi argumenti. *Sequi verba legis in quibus non oportet, vitiosum est.* Proculdubio autem vitiosum esset ita adstringi se Decretis Pontificiis prohibentibus tractare de materia Auxiliorum, si quæstionem non prohibitam tractando, minus bene explicata ma- 333. neret ex eo quod non tangeretur efficacia gratiæ, quod quidem ad talem completam explicationem requirebatur. Et quis dicet punctum hoc de efficacia in tali euentu debere prætermitti? Cum virtus Epiicheyæ dictet deberi tractare occasionaliter, sine eo quod aduersarius censura, aut morsu afficiatur.

Hoc fundamentum efficaciter roboratur quadam doctrina Nauarri *in Commentar. ad C. ita quorumdam. de iudiciis apud me num.29.* vbi ait: *Eum non incurrere censuras huius capitis qui prohibita in eo speciatim traderet Sarracenis, cum his loci, temporis, quantitatis, qualitatis, & finis circunstantiis quibus vir prudens pro comperto habere deberet nullum vnquam ex eis fructum bellicum habiturum, eum cui traditur neque vllum alium Sarracenum. Quia lex fundata in præsumptione non ligat in foro conscientiæ si veritas est illi contraria iuxta c. Tua de sponsalibus.* 334. Ergo qui occasionaliter ad explicandam aliquam difficultatem non prohibitam, sic tractauerit de efficacia diuinorum auxiliorum tali circunspectione, non mordendo, non censura inurendo quod vir prudens pro certo moraliter habeat hoc non inducturum scandala, aut dissensiones, non aget contra Apostolica Decreta.

Decreta, & per consequens nec contra statuta Sancti Officij. Ex quo euidenter liquet Manapiensem deberi prohiberi, non autem Magistrum à Sancto Thoma, cum iste ita tractauerit de efficacia gratiæ, quod scandala, & dissensiones in Ecclesia non pepererit.

§. IV.

Non licet tractare de auxiliis etiam occasionaliter quando admiscentur censuræ, & modi loquendi Apologetici.

335. CIrca hoc defecit Manapiensis vsque ad vomitum in sua Apologia, quin potius innuere conatur se rem malam non patrasse, montem opprobriorum ad granum sinapis reducendo, & leonis vires illic ostensas, mansuetudine ouiculæ fucando. De similibus id adnotauit Synesius Epist. ad Anastasium: *cum inclamasset in illos bis, aut ter, ac de plaustro, quod aiunt, conuiciis insectatus, nihilque non in eos esset vociferatus, cum eiusmodi, vel à me ipso dicta fuisse maximè fecerim, deinde murem pro leone exhibuit sectus.* In sua sane Apologia in Thomistas manus inuexit, & vult nequitiam minuere, eo maximè quod dicat eos sibi in culpa præire. Sed non ratur Thomistas modestè locutos, & ita occasionaliter tractauisse de Gratiæ efficacia, sine eo quod Apostolicis Decretis aduersarentur; ille vero tot conuicia, & contumelias admiscendo quod aliàs licebat illicitum certè reddidit.

Fundamentum primum.

336. QVia tali modo agere de auxiliis, etiam occasionaliter opponitur rationi legis, & Decreti tam Apostolicæ quam S. Officij: ergo non est licitum. Consequentia est euidens, quia si opponitur rationi adæquatæ legis, opponitur etiam animæ, & medullæ legis, & menti legislatoris, & per consequens ipsi legi. Ita Dinus *in cap. finali de reg. iur. in 6.* Baldus *in l. si quis seruo C. de furtis.* Felinus *in cap. tua num. 3. de iureiur.* quos citat, & sequitur Nauarrus *comm. in rubricam de iudiciis in mea editione num. 73.* & ita superius dixi §. 3. fundam. 3. quod deficiente ratione adæquata legis cessat eius obligatio, vt deciditur *l. adigere §. quamuis D. de iure Patronatus & l. Milites 1. adiuncta l. Milites 2. D. de re militari.* In prima prohibetur quod miles possit emere hæreditates, seu prædia ruralia, & in secunda dicitur quod possit ædes emere. Quia in istis deficit ratio adæquata legis *Milites* 1. prohibentis posse prædia emere in terra vbi militiam exercent, ne agrorum colendorum cura eos distrahat à curanda militia. Quæ ratio deficit in emptione ædium sine prædiis.

337. Ergo à contrario sensu vbicumque militat ratio, mens, & voluntas legislatoris, militabit obligatio legis, quia sicut actus agentium non operantur vltra intentionem, & mentem eorum *l. non omnes D. si certum petatur cap. final. de præbendis in 6.* ita actus agentium operantur iuxta intentionem, & mentem eorum.

338. Cum igitur mens, & intentio Summi Pontificis sit prohibere ne tractetur de materia auxiliorum ad vitanda scandala, & seditiones in Ecclesia, si ex eo quod tractetur occasionaliter sequantur euidens est non posse, etiam tali modo tractari. Et etiam euidens est huiusmodi dissensiones, & scandala non sequi ex eo quod occasionaliter tractetur, vt probatum manet §. 3. ergo quod sequantur prouenit ex conuiciis, & contumeliis quæ ex occasionali tractatione admiscentur, & sic non licet isto modo tractare, etiam occasionaliter neque etiam referendo contumelias ab aliis dictas.

339. Hoc fundamentum fulcitur. Quia ratio legis quamuis non cadat sub lege, est tamen virtus intrinseca legis ex qua operatur, & obligat, & facit quod lex comprehendat omnes casus in quibus rationem respicit, sicut genus quod quidem respicit, & includitur in omnibus suis speciebus. Sic docent Baldus *in Authentic. post fratres C. de legitimis hæredibus.* Castillo *tom. 6. capite 169. numero 17.* Donellus *lib. 1. Commentar. cap. 14.* Guttierez *lib. 3. practicar. quæst. 17.* qui hoc punctum doctissimè pertractat, & *num. 84. 85. 86.* dicit quod in his quæ per rationem legis comprehenduntur non fit interpretatio extensiua, sed comprehensiua. Et *numero 103. & 104.* Quod si ratio legis aliquem casum ambit perinde est ac si fuisset expressus in lege. Cum igitur quando tractatur de auxiliis occasionaliter, si misceantur conuicia, & contumeliæ, oriantur dissensiones, & scandala in Ecclesia, & solum ad huiusmodi vitanda hæc Decreta condita sint, euidens est quod quando hoc modo tractatur operatur contra illa.

Fundamentum secundum.

340. QVia tractare de auxiliis prohibetur tum à Pontificibus, tum à Sacro Tribunali ob scandala in Ecclesia exorta. Ex eo igitur quod tractetur de efficacia gratiæ diuinæ, & de huius cum creata libertate concordia, etiam occasionaliter, miscendo conuicia, & opprobria, scandala causantur; ergo non licet tractare, etiam occasionaliter, hoc modo. Maior huius discursus constat ex ipsis Decretis, ibi, *ad euitanda scandala.* Minor etiam constat ex experientia dissensionum, & scandalorum manantium ex Apologia Manapiensis. Consequentiam docent Christus Dominus, & Apostolus Paulus: *Væ autem homini illi, per quem scandalum venit Matth. 18. num. 9. & Apost. ad Rom. 14 num. 15. Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere,* id est, vt explicat Hieronym. ibi, *illum prouocas, & compellis.* Dixerat antea *num. 13. Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum, infirmis, & ignorantibus,* exposuit ibi Lyra; *nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.*

341. Intentum huius fundamenti comprehendit Sanctus Basilius. *Si in his* (ait) *quæ in potestate nostra sunt, res adeo formidabilis est fratrem scandalizare quid de his dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis, loquendoue scandalizant, maximè quando vel scientia maiori præditus videtur, vel in gradu aliquo censetur sacro, vt cæteris tanquam exemplar regulare positus esse debeat.*

Scandalum

342. Scandalum autẽ quod in præsenti casu causatur, prouenit non ex eo quod tractetur occasionaliter de auxiliis, sed ex eo quod tractetur cum loquacitatis vitio incautæ, quæ pro arcu est quo cunctis immittuntur venenatæ sagittæ, nulli prorsus parcendo. Auscultetur D. Gregorius Nazianzenus orat de silentio ieiunij sui, qui optimè hoc dixit: *Lingua in promptu quo sagittarius, sagitta in arcu est. Nerui ipsi quam maximè intensi. Protinus vt mens tela emiserit, statim prouolant, omniaque feriunt. Cœlites, terrestres, viuentes, posteros, non minus eos qui ab huiusmodi sagittis sibi cauent, easque sedulo obseruant, quam qui nihil mali suspicantur, non minus bonos, quam malos, non minus amicos, quam hostes, non minus exteros, longéque dissitos, quam propinquos.* Omnis lingua maledica scandala parat, & sic neque illud quod per se prohibitum non erat non pertractet, scandali enim veneno inficiet. Plinius *lib.9.c.36.* de purpura marina concha dixit, *lingua purpuræ longitudine digitali, quæ pascitur deuorando reliqua Conchilia.* Peruersa lingua nullum parcit, omnibus scandala vomit, quin omnia fructu peruersitatis eradicat, omnes ambit deuorare.

343. Confirmatur hoc fundamentum ex illo quod Innocent. IV. dicit, *cap. officij, de offic.deleg. in 6. Officij nostri debitum remediis inuigilat subditorum, quia dum eorum excutimus onera, dum scandala remouemus nos in eorum quiete quiescimus, & fouemur in pace.* Pulchrum dictum, cui plurimum oportet attendere, Principi namque supremo nullum magis præ oculis locandum ad pacem publicam tutandam, ad regiminis æternandam seriem, quam scandala de medio abolere, & omnem illorum radicem extirpare. In hoc enim, & in subditos pacificando Monarchia tota quiescit; pax namque in Regnis haberi non potest si apud subditos animarum dissensiones vigeant; præcipuè in doctrinarum materia, & in illarum traditione. Præmiserat Christus Dominus Ioan. 19. Apostolis suis quod venturus esset spiritus diuinus, qui velut Magister Ecclesiæ omnem veritatem, atque doctrinam erat docturus, & subdit cap. 20. num. 27. 344. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non turbetur cor vestrum.* Quia Respublica turbata, & scandalis flagrans pace perfrui, non potest, *quæ non est vbi diuisa sunt corda* dixit interlinealis. Et August. *lib.19. de Ciuit. cap.13. tom. 5. Pax est ordinata concordia.* Et Dionys. Areopag. *cap. 11. de diuin. nomin. in principio. Pax est omnium vnitiua, & consensus operatiua.* Impossibile namque est concordiam, & consensus vnionem esse, quando scandala scatent; quando conuitia circumferuntur. Sit diuersitas in variis opinionibus defendendis, sed sit voluntatum concordia, arceantur contumeliæ, quia si hæ admisceantur non licebit agere de auxiliis diuinis etiam dumtaxat occasionaliter, & solum, vt aiunt, *per transennam.*

Resolvtio VIII.

Vtrùm omnia verba quæ ponuntur in consecratione Calicis sint de essentia formæ?

SVMMARIVM.

345 *An omnia verba quæ ponuntur in consecratione calicis sint de essentia formæ?*
Thom. Hurtado Resol. moral. Pars II.

349 *Sententia D. Thomæ enucleatur.*
363 *Sententia prædicta authoritate fulcitur.*
375 *Rationibus firmatur.*
388 *Sententia Angelici Doctoris à persequentibus liberatur.*
407 *Sententia Soti, & recentiorum Thomistarum trutinatur.*

POza, Author ille Elucidatij *lib.4. tract.5.c.2. pagina mihi* 1211. ex mente Catherini, & aliorum plures refert propositiones D. Thom. tam ex Philosophiæ, quam Theologiæ fonte selectas in quibus D. S. ductor non sequitur, sed deseritur, inter quas vltimam ponit sic, *Existimauit D. Thom. in consecratione Calicis illa esse verba essentialia: noui, & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; & non minus quam priores illas voces, Hic est calix sanguinis mei. Sotus in 4. dist.11. q.1. art.3. & alij extorquent è proprio sensu D. Angelici mentem, & aliter declarant quam antiquiores Thomistæ. Paludanus in 4.dist.8. q.3. art.2. Capreolus q.1.art.1.conc.6. Hæc intelligentia plausibilis non est. In cuius dicti probationem, & explicationem quidquid dicendum supererat exhausit Gabriel Vasq. disput.198. in 3.p. Hæc ille. Et postea ex iudicio sic fatur: nulla est propositio D. Sancti quæ non optimè, & defendi queat, & quasi hoc non diceret ex proprio iudicio prosequitur. Meum iudicium his clausulis absoluitur, &c. Et sic defensionem Thomisticæ doctrinæ non ex proprio marte indixit. Quod clarius constat, quia* 346. *cum in propositione subiuncta refert se ad Vasq. tom.8. in 3.p.disp.198. vbi Author iste n.18.dicit, quocirca aduersari videtur definitioni Concil. Trid. qui dicunt illis solis verbis, Hoc est corpus meum, non conuerti vinum in sanguinem quod sane nunquam dixit D. Thomas, neque locum aliquem inuenire poteris vbi id vel leuiter insinuauerit.* Hæc ille. Vides qua vafritie locutus est laudator ille de quo iure optimo dici possunt verba elegantissima Hilarij Pictauiensis *in Psalm.* 118. explicans illa verba, *Redime me à calumniis hominum. Humana tentatio grauis non est Apostolo dicente, tentatio non apprehendat vos nisi humana, sed calumnia grauis est. Calumnia est cum bono operi facinoris mali nomen adscribitur, vel cum specie blandiente internæ malitiæ virus occulitur. Neque enim eius directè maleuolentiæ opus est, sed fallax, & subdolum sub specie bonæ voluntatis malitiæ operationi deseruiens. Et difficile est cauere à talibus qui sub nomine fratrum inimici sunt, sub nomine amicorum hostes sunt, sub specie filiorum parricidæ sunt. Noe Deo probatum Cham filius eius irrisit. Et infrà. Nouit hoc Dominus domesticæ calumniæ scandala, grauissimum solere fidei excidium afferre,* &c. elegantissima.

Nonne domestica calumnia est, & quidem gra- 347. uissima istius elucidatoris, obscuratoris inquam radiantis lucis Angelicæ, dum ferè omnes opiniones, quæ tanquam ipsius manibus teruntur in Ecclesia quarum doctrinam à Deo approbatam nouimus, irrisui, & contemptui exponere, & postea sub specie bonæ voluntatis, & reuerentiæ, malitiæ tamen operatione desæuiens dicere c. 5. *Ignorat an sole collustretur mundus qui D. Thomæ dignitatem ignorat. Hortus sunt eius scripta ex quo æterni spirant odores.* Hæc ille. Cui pulchrè alloquitur Hilarius *in Psalm.* 119. *Dolosa linguæ opus fallax est, cum per simulatio-*

nem noxiam sub Religionis lumine euertat Religionem, vt sagittæ Domini potentes sint quæ linguam dolosam valeant infringere quæ habent virtutem perurendæ fraudulentiæ, atque vastandæ, vt vel desolationis carbo vel vastet irrogando pœnam, vel purget ad perfectam innocentiam.

348. Quantam fraudulentiam in isto iudices fidei Romanæ Inquisitores Eminentissimi Cardinales repererint testimonium irrefragabile est Decretum actum à Sacra Congregatione pro indice librorum constituta *die 9. Septemb. anni* 1632. vbi sic habetur *Ioannis Baptistæ Pozæ Societatis* IESV *Cantabri opera omnia prohibentur*, & post nominati libri qui prohibentur, & post concluditur: *Et quicumque alij tractatus, Apologiæ, informationes, libelli supplices, vel quouis alio nomine expressi pro defensione elucidarij Deiparæ, siue doctrinæ prædicti Ioannis Baptistæ Pozæ, tam prælo mandati, quam manuscripti.* Hæc in Decreto illo quod authenticum esse constat, quia editum iuxta normam præfixam à SS. D.N. Vrban.VIII. cum sit subscriptum ab Eminentissimo Cardinali Pio Congregationis præfecto, & signatum à Fr. Ioanne Baptista Marino Ordinis Prædicatorum Mag. Sacræ Congregationis Secretario. An vero *votum Platonis* quod nomine alterius diuulgauit, & in fine nomine per anagramma inuerso nomine proprio declarauit, etsi sub hoc Decreto non comprehendatur, quia tamen tractatus de primis instantiis multa continet aduertenda cautè legendus est quousque Sacrum Tribunal de illo iudicium ferat. Hæc dicta sint obiter quia occasio se obtulit.

§. I.

Sententia D. Thomæ enucleatur.

349. SAnctus Thomas 3.*p. q.*78. *art.*3. adeo expressè dixit verba omnia (excepta particula *enim*) esse ita necessaria ad hoc quod ex vi verborum vinum conuertatur in Christi sanguinem,quod semper miratus sim esse Thomistam veteranum, & S D.discipulum qui contrarium esse de eius mente doceat. Ego vero ita existimo suæ scholæ assectam, vt si in hoc dissentirem ab eius clarissimo sensu putarem meo maiori honori iniuriam inferre.Quare difficultatibus quibus opprimi videtur veritas, vinctus non succumbam, vt enim ait Cassianus correctus à Beato Prospero *lib. contra Collatorem, nunquam ope cœlestis gratiæ facultas vincendi deest, modo homo, ac præcipuè Religiosus eodem suffultus adiutorio discussa ignauia constanter certet.*

350. Igitur D. Thomas *art.citato* duo dicit. Primò, quod per illa verba *Hic est Calix sanguinis mei*, significatur conuersio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis. Vbi notandum est contra Ioannem à S.Th.*disp.*2. *citata art.* 4. §. *nihilominus*, quod Doctor Angelicus non dixit quod præfatis verbis perficiatur conuersio vini in sanguinem, hoc enim nec somniauit,sed solũ dixit *significatur*. Et reuera ita est, quia sicut conuersio panis significatur illis verbis, *Hoc est corpus meum*, id est, contentum sub speciebus est corpus meum, ita dicendo *Hic est Calix sanguinis mei*, vere significatur quod contentum sub speciebus vini est sanguinis Christi; sed inter vtraque verba hoc est discrimen, quia verbis consecrationis corporis significantibus conuersionem panis in corpus Christi,illis dumtaxat perficitur conuersio, & in fine prolationis ipsarum efficitur transsubstantiatio; at vero aliis verbis *Hic est Calix sanguinis mei*, etsi significetur 351. conuersio, tamen non efficitur, quousque alia verba proferantur quæ sunt determinationes essentiales sanguini Christi in quantum est per passionem effusus, vt ait, D.Thom. *in* 4.*dist.*8.*q.*2. *art.*2.*quæstiun*·1.*ad* 3.vbi prosequitur dicens: *Quia alias non seorsum consecraretur sanguis Christi sicut nec alia partes eius nisi pro eo quod est in passionem effusus,& ideo illa quæ sequuntur sunt essentialia sanguini prout in hoc Sacramento consecratur. Et sic oportet quod sint de substantia formæ.*

Huius discriminis rationem tradit ibi *ad* 3. & 352. 3. *p. art. citato*, quia cum Eucharistiæ Sacramentum sit memoriale Dominicæ Passionis,in consecratione corporis non repræsentatur nisi Passionis substantia, sed in consecratione sanguinis repræsentatur Passionis mysterium,non enim à corpore Christi sanguis eius seorsum fuit nisi per Passionem. Et ideo conditiones Dominicæ Passionis exprimuntur per verba sequentia magis in consecratione sanguinis, quam in consecratione corporis.

Secundum quod dicit S.Thom. locis citatis est quod omnia verba quæ ponuntur ab Ecclesia in consecratione sanguinis *sunt de substantia formæ*, ad eumdem modum quod supra *q.* 60. *art.*8. vbi ex professo agit de mutatione, vel additione ad formam Sacramentorum, vt illorum valor consistat, & efficacia: & sic loqui debebat de illis in propria significatione debita. Et sic dicit, *Cum* 353. *enim verba operentur in Sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, oportet considerare vtrum per talem mutationem tollatur sensus debitus verborum; quia sic manifestum est quod tollitur veritas Sacramenti. Manifestum est autem quod si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis,tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum.* Hæc ibi. Vbi manifestè agnoscat lector quod essentiam formæ Sacramentorum appellauit S. D. substantiam, & nomen quod dedit formæ Sacramentorum in communi conseruat in forma consecrationis Calicis dicens *quod omnia verba sunt de substantia formæ.* Quod infra vrgentissimis rationibus eiusdem S. D. confirmandum est.

Sed dicit Magister Ioannes à S. Thom. ex Ledesma *in* 4.*p.*1.*q.*19.*art.*3· *conc.*2.*pag.*357. S.Doctorem in hoc *art.* 3. sumere substantiam formæ pro integritate illius, non pro essentia. Probat, quia dicit quod verba, *noui, & æterni Testamenti*, &c. sunt determinationes prædicati sanguinis Christi. Vnde pertinent ad integritatem eiusdem loquutionis. Vnde cum postea dicit quod sunt de substantia formæ sumit substantiam pro integritate non pro essentia.

Cæterum hæc responsio manifestè præcluditur, 355. quia potius dicendum erat quod S. D. hic sumit integritatem pro essentia formæ,quam quod substantia sumitur pro integritate. Vnde quamuis in forma Baptismi ly *Ego* sit de integritate formæ, ly *enim* in consecratione corporis, & sanguinis, tamen S. D. *q.*60.*art.*8.*& q.*66. *art.*5. *in fine corporis* dicit quod in forma Baptismi non est de substantia formæ, sed solum ponitur ad maiorem expressionem intentionis, & sublatis illis particulis non tollitur debitus sensus verborum. Quare quando dicit quod præfata verba cum

sint

sint determinationes prædicati sanguinis, & sic pertinent ad integritatem eiusdem loquutionis; idem est ac si diceret: pertinet ad hoc quod in illis verbis sit prædictus sensus qui requiritur ad Sacramentum. Quare ibi integritas non sumitur prout dicit pluralitatem partium, sed prout exigitur omnium verborum illorum prolatio ad faciendum debitum sensum formæ consecrationis Calicis, sine quo non perficitur Sacramentum.

356. Et hoc esse ita dicendum iuxta mentem Angelici Doctoris euidens est ex multis. Primò, quia cum *in 4. quæstiuncula citata* sibi obiecisset ad probandum quod forma consecrationis sanguinis consistit in his tantum verbis, *Hic est Calix sanguinis mei.* Sic arguit in tertio argumento, *Proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei, sed illud quod consequitur substantiam non potest esse factiuum transubstantiationis: ergo cum illa verba quæ sequuntur designent aliquas proprietates sanguinis non videntur quod sint de forma.* Cui argumento respondet, *ad tertium dicendum, quod quamuis illa quæ sequuntur sint vt proprietates consequentes sanguinem Christi in quantum huiusmodi, sunt tamen essentiales sanguinis Christi in quantum est per passionem effusus, non autem seorsum à corpore consecraretur sanguis Christi, sicut nec aliæ partes, nisi pro eo quod in passione effusus, & ea quæ sequuntur sunt essentialia sanguini prout in hoc Sacramento consecratur; & ideo oportet quod sint de substantia formæ.* Quid clarius obsecro? certè tam manifesto non assentiri testimonio nihil est aliud, quam S.D. sententiam deserere.

357. Secundò, quia *3. part. art. 3. citato in solut. ad 9.* clarè docet omnia ista verba esse de ratione formæ, siquidem probat omnia Christū instituisse, & contineri in Euangelistis; præterquam quod illa verba *æterni, & mysterium fidei*, quæ, inquit, ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit. Si autem solum esset de integritate, sicut particula, *ego*, in forma absolutionis, & Baptismi, ad quid tanta solicitudo ad probandum quod sunt instituta expresè à Christo Domino?

358. Tertiò, quia *lect. 6. in cap. 10. Epist. 1. ad Corinth.* sic clarissimè sic loquitur: *Circa ista verba quibus Ecclesia vtitur in consecratione sanguinis quidam opinantur quod non sint de necessitate formæ, sed solum quod dicitur, hic est Calix sanguinis mei. Sed hoc non videtur conuenienter dici; nam totum illud quod sequitur est quædam determinatio prædicati; vnde ad eiusdem loquutionis sententiam seu significationem pertinet. Et quia, vt sæpè dictum est, formæ Sacramentorum in significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectiuam formæ.* Hæc ibi: Quæ verba adeo clara sunt, vt recitare ea sufficiat ad euidenter cognoscendam Angelici D. mentem.

359. Sed obiicit Magister à Sancto Thoma, quia in Sacramentis potest esse aliqua pars integralis quæ non sit de essentia Sacramenti, vt in forma absolutionis Sacramentalis ly *à peccatis tuis* quæ concurrunt ad efficiendam gratiam remissionis peccatorum, & tamen non sunt simpliciter necessaria, vt expresè fatetur S. Thom. *3. part. q. 84. art. 3.* sed sufficit dicere ego te absoluo. Similiter satisfactio est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, quod potest siue illa dari, tum quia potest dari validum, & informe; tum etiam quia satisfactio Sacramentalis, quæ ordinatur ad expellendum reatum pœnæ temporalis non est de essentia Sacramenti; sicut nec confessio peccatorum venialium, & tamen si confiteantur simul cum mortalibus adintegrant vnam materiam remotam Pœnitentiæ: ergo similiter in proposito verba præfata poterunt esse de substantia, hoc est de integritate formæ, non tamen de eius essentia.

Respondetur, transeat antecedens, & nego 360.
consequentiam. Rationem disparitatis manifestam tradit D. Thom. quia in consecratione Calicis omnia illa verba addita, noui, & æterni, &c. *sunt proprietates essentiales sanguinis Christi, in quantum est pro nobis effusus, & seorsum à corpore consecratus. Vnde sunt quædam determinationes per se prædicati pertinentis ad loquutionis sententiam, & sic omnes sunt de essentia formæ.* Quod secus est de exemplis quæ inducuntur in argumento ly *à peccatis tuis* implicitè continetur in illis *ego te absoluo*, supposito quod absolutus sua fuerit peccata confessus. Cum enim hoc Sacramentum sit per modum sententiæ suppositā confessione criminis, ad declarandum iudicis decretum sat est si dicatur *Ego te absoluo*, quod intelligitur à peccatis confessis, præterquam quod aliqui non improbabiliter dicunt quod illa verba, 361.
A peccatis tuis, sunt de essentia formæ. Sic defendit, me præsente, in Collegio Romano anno 1622. Pater Stephanus Rubalus. Satisfactio etiam Sacramentalis non est necessaria simpliciter ad significationem perfectam essentialiter Sacramenti pœnitentiæ quæ est remissio peccatorum, si non ponatur obex, & impedimentum. Peccata etiam venialia, etsi sint materia libera Sacramenti, quia potest quis ea non confiteri, tamen supposito quod illa quis subiiciat clauibus non est pars integralis materiæ, sed pars essentialis, cum ad illa extendatur dolor, & contritio, quæ est materia proxima per se. Multa alia obiicit Vasquez contra hanc distinctionem de substantia, & essentia, quæ lubens omitto, tum quia apud ipsum *cap. 4. citatæ disput.* videri possunt, & apud 362.
Valentiam *tom. 4. disputat. 6. quæst. 6. puncto 1. à versiculo sed hæc opinio*, vbi satis eruditè præmittit Sotum, & aliquos alios Thomistas ipsum sequutos, à Soto enim hæc distinctio substantiæ, & essentiæ in Sacramentis dimanauit; tum etiam quia de opinione Soti infra §. vltimo dicam.

§. II.

Sententia D. Thomæ authoritate fulcitur.

SEntentia D. Sancti quod omnia verba quibus vtitur Ecclesia in consecratione Calicis sint de essentia formæ, ita vt quolibet omisso transubstantiatio vini in sanguinem non efficiatur ex vi præsentis institutionis maximo authoritatis pondere confirmanda est.

Et primò Catechismus Pij Quinti ex Decreto 363.
Concilij Tridentini editus sic fatur *part. 2. c. 4. n. 21.* de Sacramento Eucharistiæ loquens de forma conficiendi sanguinis. *Eam* (inquit) *his verbis comprehendi certo credendum est. Hic est Calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*

in remissionem peccatorum. Ex quibus verbis plura quidem à Sacris Scripturis colliguntur; verba autem illa, æterni, & mysterium fidei sancta traditio Catholicæ veritatis interpres, & custos nos docuit. Verum de hac forma nemo dubitare potest, &c.

364. Idem definit Innocentius III. *in cap. cum Marthæ de celebrat. Missar.* vbi quæsitum est illi ab Episcopo Lugdunensi vtrum forma præfata sit qua conficitur Sacramentum sanguinis, cum aliqua sint in illis verbis quæ à Christo Domino dicta nullus Euangelistarum refert, & cum latè respondeat probans Euangelistas multa omisisse tam factorum, quam verborum Christi concludit responsionem dicens: *Credimus igitur quod formam verborum sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.* Quid clarius?

365. Quare iure optimo iussu Pij Quinti expuncti sunt Commentarij Caietani in tres priores articulos D.Th. quæ totaliter ab eius mente dissonabant, quæ dissonantia inter alias fuit quod dixit omnia ista verba non esse de substantia, & essentia formæ consecrationis Calicis; id autem quod aliqui dicunt ad authoritatem Catechismi, ibi non dici omnia prædicta verba esse essentialia, ridiculum est, cum dicat *certo credendum esse præfatis verbis formam comprehendi*; & quidem omnia esse essentialia clare, & euidenter constat, quia dum loquitur de aliis formis solum ponit verba quæ sunt essentialia, vt in Sacramento Baptismi *cap. 2. num. 13. & 14.* & de Sacramento Pœnitentiæ *cap. 5. num. 15.* licet enim vtrobique ponatur pronomen ego, tamen *num. 14. citato* expressè dicit quod non est de essentia formæ.

366. Eamdem sententiam D.Thom. sequuti sunt Paludanus *in 4. dist. 8. q. 3. art. 2. conc. 2.* vbi sic loquitur: *forma sanguinis constitit in omnibus verbis vsque inclusiuè, in remissionem peccatorum. Quod probatur dupliciter. Primò, quia cum forma Sacramenti sit enuntiatiua, quidquid est de integritate enuntiationis est de integritate consecrationis; sed totum illud inclusiuè vsque ad remissionem peccatorum est de integritate enuntiationis, cum sit determinatio prædicati: ergo est de essentia formæ.* Idem docent Capreolus *ibi, quæst. 1. art. 3. ad argumenta contra tertia conclusionem.*

367. Deza *ibi q. vnic. art. 3. notabili 4.* vbi dicit id esse determinatum ab Innocent. III. *in cap. cum Marthæ citat.* idem docet S. Anton. *3. p. tract. 13. c. 5. §. 4. circa medium.* Petrus de Soto *lect. 2. aliquantulum à medio*, vbi dicit, *quod hæc est tuta, & certa sententia.* Et infrà. *Quæ omnia Innocent. III. ita definit in cap. cum Marthæ.* Sylvest. *in summ. verb. Eucharist. 1. q. 6. n. 7.* vbi dicit *idem tenere communem scholam, & quod est communis vsus Ecclesiæ quod forma est hæc.* Tabiena *verb. Euchar. 1. n. 31.* vbi dicit *ista opinio vltima*, quæ est D.Th. *videtur magis consona consuetudini Ecclesiæ, quæ in istis multum valet, nam consuetudo Ecclesiæ habet quod non proponat ipsum* (sanguinem) *adorandum quousque Sacerdos dixerit in remissionem peccatorum inclusiuè, & tunc immediatè ipse Sacerdos proponit ad adorandum.* Hæc ille.

368. Ex quibus non paruum argumentum sumitur. Quia si forma consecrationis Calicis est solum comprehensa illis verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, sicut forma consecrationis corporis illis, *Hoc est corpus meum*: ergo sicut proponitur Corpus Christi adorandum prolatis illis dumtaxat verbis, etiam prolatis verbis aliis, *Hic est sanguis meus*, deberet proponi sanguis adorandus, cuius contrarium docet Ecclesia: imò potius Sacerdos eodem ritu profert omnia verba *vsque ad remissionem peccatorum inclusiuè*, & postea proponit populo adorandum. Viguerius *in summ. c. 16. §. 3. vers. 2.* vbi dicit: *Non oportet circa huiusmodi inuestigationes nimium torqueri, propter Ecclesiæ quæ errare non potest, authoritatem, determinationem, & vsum ab Apostolis acceptum, & obseruatum.*

369. Idem etiam tenuit Doctissimus, & Reuerendissimus Pater Magister Fr. Bartholomæus Spina Prædicatorum Ordinis Generalis *in tract. de hac re edito cap. 3.* vbi neruosè id probat, licet non approbem quod contrarium sentientes dicat esse hæreticos, & schismaticos. Ex recentioribus Societatis eam tenent Thomas Pius *1. part. quæst. vnica in prolog. dub. 12. num. 32.* vbi dicit *esse veram, & certam.* Et P. Didacus Deza in manuscriptis sentit esse probabile quod non sufficerent illa verba *Hic est calix sanguinis mei*, sed plura alia esse de necessitate formæ, id quod etiam dicunt plurimi recentiores.

370. Sed alio modo argumentor ex authoritate, quo argumentandi modo vsus est sapientissimus Magister meus Fr. Petrus de Lorca Primariæ Cathedræ Complutensis Proprietarius Moderator, qui huius fuit sententiæ, dum materiam de Eucharistia legeret. Ea sunt verba essentialia formæ quibus Christus tribuit efficaciam ex vi sui significati ad conficiendum Sacramentum; atqui Christus Dominus consecrationem sanguinis confecit pluribus aliis verbis quam *Hic est calix sanguinis mei* ergo istæ solum non constituunt essentialem significationem, sed aliæ sunt requisitæ. Maior est de fide, minor manifestè probatur tum vt expressè docet Valentia *vbi suprà, vers. nunc autem*, & est verissimum, vtpote traditum ab Innocentio *in cap. cum Marthæ citato.* Et probatur euidenter, quia ideo dicunt Authores contratij quod hæc verba, *Hic est Calix sanguinis mei* sunt de essentia formæ, & quod illis vsus est Christus in consecratione sanguinis, quia in omnibus liturgiis inuenitur in formis consecrationis; atqui in omnibus illis reperiuntur alia verba præter ea: ergo dumtaxat non est forma essentialis consecrationis, sed multæ aliæ sunt de necessitate formæ.

371. Minor constat ex omnibus ferè liturgiis, nam in liturgia S. Iacobi, quæ habetur *tom. 1. Bibliothecæ Agripinæ* pro consecratione Calicis sic ponitur: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum*, & eadem fere verba habentur in liturgia Sancti Basilij, tam quæ traducta est ex Græco, quam in ea quam traduxit Andreas Massius ex Syriaco idiomate. Similiter in liturgia Sancti Ioannis Chrysostomi quæ habetur tom. 1. in Missa Æthiopum, quæ habetur tomo 1. Bibliot. *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum, Amen.* Deinde in Missa Sancti Marci: *Hic est enim sanguis meus noui testamenti qui pro vobis, & multis effunditur, & distribuitur in remissionem peccatorum.* In Missa etiam Mozaraba à Beato Leandro, vel Isidoro composita, & fuit quondam communis in Hispania hac forma vtebatur tunc, & multis temporibus; licet hodie in Capellis Mozara-

bum

bum vtatur forma Latina Romana. Illi enim antiquitus sic dicebant. *Hic est calix nouum testamentum in meo Sanguine qui pro vobis effundetur:* ergo cum in omnibus Missalibus totius Ecclesiæ,
372. tam Orientalis, quam Occidentalis in forma consecrationis Calicis alia verba præter ista, *Hic est calix Sanguinis mei*, addantur manifestissimum est quod ista sola non sunt de necessitate formæ, sed alia requiruntur; cumque in Ecclesia Romana semper pura permanserit fides, & doctrina Sacramentorum, certo credendum est his verbis comprehendi vsque ad *remissionem peccatorum* inclusiuè: his enim verbis Sacrosancta Romana Ecclesia Apostolorum Petri, & Pauli authoritate, & doctrina firmata semper vti consueuit, vt dicit Florentinum citatum à Ledesma, *vbi suprà. pag.356.*

Id autem quod ipse Respondet Concilium so-
373. lum ponere omnia ea verba, non quia sint de necessitate, sed quia sunt de perfectione formæ, nulla ratione dici potest; aliàs nihil firmum esset in formis Sacramentorum; tum etiam quia eodem modo loquitur Concilium de forma consecrationis Corporis, & de forma consecrationis Sanguinis. Illa tamen particula, *enim*, vt supra dicebam ex S. Thom. non conducit ad debitum sensum verborum, & ideo non est de essentia formæ.

Sed dices: in Missa Beati Petri quæ habetur *tom.1. Biblioth. Agrippinæ pagina* 210. edita à Guillelmo Lindano Episcopo Gandauensi solum ponuntur pro consecrationis forma in Sanguine, *His est Sanguinis meus*: ergo ista verba solum sunt de necessitate formæ. Respondetur quod hæc Missa prout inducitur à Lindano aprocrypha est, & nullius authoritatis, quare ex ea non potest sumi efficax argumentum. Omnes enim liturgiæ antiquæ omnium Ecclesiarum plura verba addunt in consecratione Calicis.

§. III.

Rationibus firmatur.

FVlcitur etiam rationibus D. Thom. sententia.
375. Prima sit quam ponit locis citatis, quia vt optime Paludanus interpretans S.Thom.mentem dixit, cum forma Sacramenti proferatur enuntiatiuo modo nondum sensus debitus intelligitur completus ad cõsecrationem celebrandam quousque intelligatur enuntiatio perfecta; atqui ex Christi institutione verba illa *noui, & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sunt determinationes illius prædicati, *Sanguis*, positi in enuntiatione *hic est Sanguis meus*, vel *hic est calix Sanguinis mei*: ergo huius enuntiationis non intelligitur debitus sensus completus, nisi prolatis præfatis verbis, atque ita ante illarum vocum perfectam prolationem non celebratur consecratio, ista enim verba *noui* &c. non est locutio per se, sed determinatio prioris orationis.

376. Dices: idem argumentum posset fieri de consecratione cnrporis dicendo: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur, vel datur*, quæ verba posuit Christus iuxta Lucam *cap.22. num.* 14. & Paul 1. *Cor. cap.* 11. *num.* 10. quæ verba etiam sunt determinationes Prædicati Corporis. Respondetur Primò, negando assumptum quia Ecclesia edocta ab Spiritu sancto ita declarauit, quod ad consecrationem Corporis solum ponãtur illa verba, *hoc est corpus meum*, quæ solum posuerunt Mattheus, & Marcus. Et rationem disparitatis tradit D. Thom. *q.8 art.3. ad 2.* cum enim hoc ipsum argumentum quod est contrariorum, posuerit his verbis, *non sunt maioris efficaciæ verba quæ proferuntur in consecratione panis, quam ea quæ proferuntur in consecratione vini, cum vtraque sint verba Christi; sed statim dicto, Hoc est Cor-* 377.
pus meum est perfecta consecratio panis: ergo statim cum dictum est, Calix Sanguinis mei est perfecta consecratio Sanguinis, & ita ea quæ sequuntur non videntur de substantia formæ. Cui argumento respondet, *Ad secundum dicendum quod quia vt dictum est, Sanguis seorsum consecratus expresse Passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione Calicis fit mentio de effectu Passionis, quam in consecratione Corporis, quod est Passionis subiectum; quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit, Quod pro vobis tradetur, quasi dicetur, Quod pro vobis Passioni subiicitur.*

Ex quibus verbis aliud desumitur argumen- 378.
tum Quia cum hoc Sacramentum sit memoriale Dominicæ Passionis, in illo, ex vi verborum consecrationis quibus conficitur hoc memoriale debet fieri expressa mentio Passionis, quam in memoriam Christi celebrant fideles; atqui in consecratione corporis non fit hæc mentio, nec etiam per illa verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, quia vt sic non significatur Sanguis separatus à corpore, & vt sic non est, nisi diffusus per Passionem, quam expresse denotant verba adducta: ergo omnia ista verba sunt de essentia consecrationis Sanguinis, qui vt diffusi, cui vt sic, vt ait S. D. sunt essentialia ea quæ per talia verba significantur.

Quæ verba sic explicat S. D. *lect.6.citata. San-* 379.
guis seorsum separatus specialiter repræsentat Passionem Christi, & ideo in consecratione sanguinis oportuit exprimere Christi Passionis virtutem quæ attenditur, primo quidem in nostræ culpæ quam Christi Passio abolet, expiationem, & quantum ad hoc dicit, Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Effusus siquidem est Sanguis non solum pro multis, sed etiam pro omnibus. Dicit signanter, Pro vobis, & pro multis, quia hoc Sacramentum valet in remissionem peccatorum sumentibus per modum Sacramenti, quod notatur signanter cum dicitur Pro vobis, quibus dixerat, Accipite. Valet etiam per modum sacrificij multis non sumentibus, pro quibus offertur, quod significatur cum dicitur, Pro multis.

Secundò, *Virtus eius consideratur, per compa-* 380.
rationem ad vitam iustitiæ quam facit per fidem iuxta illud ad Rom.3. iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo IESV quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius, & quantum ad hoc dicitur mysterium, id est, occultum fidei. Hoc autem habet ex traditione Apostolorum cum in Canone Scripturæ non inueniatur.

Tertiò, *Virtus eius attenditur quantum ad vi-* 381.
tam gloriæ, in quam per Passionem Christi introducit secundum illud ad Hebr.10. Habemus fiduciam in introitum Sanctorum in Sanguine Christi. Et quantum ad hoc dicitur, noui, & æterni testamenti; æterni siquidem, quia est dispositio de hæreditate æterna; noui autem ad differentiam veteris quod temporalia promittebat. Vnde ad

Hebr. 9. dicitur: Ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt hæreditatis æternæ. Hactenus ibi, & pulchre satis.

382. Tertia ratio sumitur ex *art. 3. quæst. 78. 3. part.* quia licet istis verbis *Hic est Calix Sanguinis mei*, significetur explicite cóuersio vini in sanguinem; tamen aliquid aliud requiritur ad celebrandam conuersionem, quod scilicet significetur Passio Christi explicite, & principaliores effectus quos in Redemptis causat Passio Christi. Quod probatur, quia quamuis per hæc verba, *Ego te baptizo*, significetur ablutio spiritualis animæ quam significat ablutio corporis explicite significata per illa verba, tamen non causant gratiam baptismalem quousque addantur alia verba *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quod ideo est vel quia Baptismus non solum est ablutio spiritualis, sed etiam est caracter fidei, quo homo adscribitur Ecclesiæ Dei vt membrum illius, vt vult Vasquez *vbi suprà. num. 29.* vel quia in Baptismo debet exprimi causa Baptismi, & causa principa-

383. lis est Deus trinus & vnus, quia cum sit ianua Sacramentorum fides Dei trini, & vnius debet explicite proponi vt vult S. Thom. *3. part. quæst. 66. art. 5.* atqui Sacramentum Eucharistiæ ex sua institutione est memoriale Passionis Christi, ergo ex vi verborum debent explicari effectus principales Passionis, non explicantur ex vi verborum consecrationis corporis, ergo ea verba quæ ponuntur in consecratione sanguinis ex vi formæ requiruntur ad perficiendam conuersionem vini in sanguinem.

384. Quarta ratio sit, quia in Rebus Ecclesiasticis maxime quæ ad formas, & materias Sacramentorum spectant attendenda est authoritas, & traditio Ecclesiæ, vt enim ait August. *lib. 11. contra Faustum cap. 2. Palam est quod in re dubia ad fidem, & certitudinem valet Catholicæ Ecclesiæ, authoritas quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, vsque ad hodiernum diem succedentium sibi Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.* Vnde Calistus Papa dicit *cap. non decet, duodecima distinct.* quod *cum Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum ab eius regulis nullatenus conuenit deuiare.* Et Nicolaus Papa Hincmaro Remensi Archiepiscopo, dicit: *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones quas antiquitus à Patribus susceptimus infringi patiamur*; vnde Gelasius Papa secundus *in Epistol. ad Fratres Regulares Canonicos.* inter alia

385. sic loquitur; *Si enim Canonici vocamur, & canonicam vitam professi sumus, Canones à Romana Ecclesia Matre nostra nobis datos amplecti præ omnibus, & præcipue in Ecclesiæ officio imitari debemus ita vt hæreticus comprobetur qui contra eam falsas, aut nouas opiniones aut gignit, aut sequitur.*

Cum ergo dubia res sit, an omnia ista verba sint de substantia, & essentia formæ consecrationis Calicis, & Ecclesiæ traditione eodem tenore verborum, & ritu & scribantur, & proferantur

386. à Sacerdote, neque antequam finiantur proponitur sanguis adorandus tenendum firmiter est omnia ista verba essentialiter requiri, itaut quolibet omisso nihil conficiatur, & hoc est quod ait S. Thom. *art. 3. citato, quæst. 78. ad 9.* quod erat quod non omnia ista verba habent efficaciam ex institutione Christi, & nullus Euangelista recitat Christum hæc omnia verba dixisse. Cui argumento respondet, *Ad 6. dicendum quod Euangelistæ non intendebant tradere formas Sacramentorum quas in primitiua Ecclesia oportebat esse occultas*, vt dicit Dionys. *cap. 7. Ecclesiast. Hierarch. sed intenderunt historiam de Christo texere; & tamen hæc omnia fere verba ex diuersis scripturæ locis accipi possunt, vt Luc. 22. Epist. 1. ad Cor. cap. 11. & Matth. 26. quod autem additur, æterni, & Mysterium fidei ex traditione Domini habetur, quæ ad* 387. *Ecclesiam per Apostolos peruenit, secundum illud 1. ad Cor. 11. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Hucvsque S.D. Et quidem cum negari non possit omnia hæc verba poni ab Ecclesia vel ex Euangelio, vel ex traditione Christi quæ proferuntur super Calicem, sicut supra Hostiam *Hoc est Corpus meum.* Et huic traditioni, & verbis Euangelij conformius sit quod sint de essentia formæ nullumque ex hoc sequatur inconueniens in hac re mihi indubium est ita esse dicendum.

§. IV.

Sententia Angelici Doctoris à persequentibus liberatur.

MIrum est quam concordes omnes Doctores 388. fere Societatis respuant, & inuisam habeant hanc S. Doctoris certam, tutam &, me iudice, indubitatam sententiam, existimantes solum illa verba *Hic est Calix sanguinis mei.* esse essentialia formæ sanguinis, sicut illa, *Hoc est corpus meum.* formæ consecrationis corporis, & sicut ista, *quod pro vobis traditur* accidentaliter se habent, sic & illa, *noui & æterni, &c.* ita Vasquez, & Valentia *locis citatis.* Coninch *3. part. quæst. 78. art. 3. dub. 2.* Granados *controuers. 6. de Euch tract. 8. disp. 4.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 60 sect. 1.* Henriquez *lib. 8. de Sacrament. cap. 17.* Salmeron *tom. 9. tract. 15. dub. 4.* Pesantius *3. part. quæst. 78. art. 3. disp. 2.* Siluius *dub. 2.* Fagundez *in 5. Ecclesiæ Præcept. præcep. 3. lib. 2. cap. 2. num. 10.* Paulus Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 3. num. 1.* Reginaldus *in Praxi lib. 29. cap. 3. num. 31. & 32.* Lugo *ad quæst. 78. art. 3. citato.* qui pro se citant aliquos ex antiquis. Sed dum consortes video authores Societatis in aduersando D. Thomæ, tanta eloquentia, ad propositum mihi in mentem venit Apophtheg. Iphicratis qui cum obrutus videretur dicaci eloquentia cuiusdam qui causam Aristophani Iphicratis collitigantis defendebat scite dixit, *Aduersariorum melior est histrio, sed mea fabula melior, vt enim fabula nonnunquam exploditur vita histrionis: ita sæpe melior causa vincitur à peiore patroni elumbi in efficacitate probationum vel confutationum. Ita lib. 5. Apoph.* sic accidit his huius opinionis Patronis elumbis quidem in efficacitate probationum, & confutationum sententiæ veræ, & tutæ, sunt quidem meliores defensores, sed melior est causa D. Thomæ.

Sed videamus oportet quam elumbi, & iner- 389. mes sint in probationibus, & confutationibus suis. Primò, obiiciunt quia Euangelistæ, & Apostolus qui de hoc mysterio tradiderunt quæ à Domino acceperant dum agunt de institutione Eucharistiæ non est credendum quod omiserint formam essentialem consecrationis vini, sicut non omiserunt formam consecrationis panis, sed nullus illorum refert omnia verba quæ sunt in Canone Ecclesiæ Latinæ, & omnes conueniunt in illis verbis, & æquiualentibus, *Hic est sanguis meus*, ergo hæc sola est forma essentialis. Minor

constat

conſtat ex Matth. *cap.* 26. *Lucæ* 22. *Marci.* 14. *Paul.* 1. *ad Cor.* 11. in quibus non reperiuntur verba illa *æterni,& myſterium fidei.*

390. Reſpondetur quod hoc ipſum argumentum formale ſibi proponit D. Thom. *art.*3. *citato*, & dicit ea quæ ſupra in ratione quarta retulimus quod hæc verba quæ non ſunt in Euangeliſtis habet Eccleſia ex traditione Chriſt, traditio autem non minorem infallibilitatem habet quam verbum Dei ſcriptum. Quare non ex ſola Sacra ſcriptura, ſed ex iſta ſimul cum traditione Eccleſiæ venandæ ſunt formæ Sacramentorum, alias cum Paulus dicat, *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur*, hæc vltima verba eſſent de eſſentia formæ conſecrationis panis, quod autem non eſt dicendum, non quia in Sacra Scriptura non contineatur, continetur ſiquidem, ſed quia traditione habetur non eſſe de eſſentia formæ, nec inter partes illius contineri.

391. Obiiciunt ſecundò, quia in Miſſis, & liturgiis antiquiſſimis Græcorum Sancti Baſilij, Sancti Ioannis Chryſoſtomi, Sancti Iſidori in Hiſpania non continentur omnia iſta verba, deficiunt enim ad minus verba *æterni*, *& myſterium fidei*; atqui temerarium eſt aſſerere neque in Græcia vbi floruerunt tot doctiſſimi, & ſanctiſſimi Patres non fuerit conſecratio Sanguinis, neque in Hiſpania quod incredibile eſt.

392. Reſpondetur, quod iam hoc argumentum retorſi in contrarios ſupra §. 2. vt probarem illa ſolum verba *Hic eſt Calix Sanguis mei* non continere totam formam quod mihi euidens eſt, nec video qualiter homines bene morigerati poſſint contrarium dicere. Quod manifeſtè confirmo, quia Paulus in forma quam tradidit aliquid aliud requirit, dicit enim *Hic Calix nouum teſtamentum eſt in meo Sanguine*, à qua forma ſi aliquid detrahatur nullus relinquitur ſenſus, nam ſi verba *nouum teſtamentum* auferantur, verba quæ remanent, *Hic eſt Calix in meo Sanguine*, non faciunt ſenſum à Paulo, & Chriſto intentum qui eſt quod Calix Paſſionis Chriſti *eſt teſtamentum nouum in meo Sanguine*, id eſt, confirmatum Sanguine effuſo, & Chriſti morte, quia verba, *Hic eſt calix in Sanguine meo* cum ſint in caſu obliquo neceſſario poſtulant alias voces in recto vt compleatur ſenſus, quia caſus obliquus per ſe cum verbo, *eſt*, ſine alio recto àquo regatur ſenſum non perficit. Et ſic vox, *teſtamentum nouum* ad eſſentiam formæ pertinet, & contrarium aſſerere mihi videtur contra mentem Pauli.

393. Modo tamen reſpondetur, quod ad argumentum reſpondet Paludanus *vbi ſuprà*, & ex ipſo Capreolus, & Deza *art. vlt. ad* 3. *Durandi contra* 5. *concluſionem*, quod ſi Græci, vel Hiſpani, aut quælibet alia natio in qua fuerunt Sancti, & docti Paſtores vtebantur forma in conſecratione Calicis ſine aliquibus verbis quibus vtitur Romana Eccleſia hoc fecerunt ex diuina reuelatione diſpenſante, quam acceperunt à ſuis Prædeceſſoribus Apoſtolis, vel ipſis reuelatio immediate facta eſt. Huius rei ſuppetit manifeſtum exemplum, nam Græci, imo & Apoſtoli alia forma Baptiſmi ex diuina diſpenſatione vtebantur dicentes, *Baptizo te in nomine Chriſti*, quam eſſe veram formam ex diuina diſpenſatione docet D. Thom. 3. *pari. q.* 66. *art.* 6. *ad* 1. Hilarius *lib. de Synodis circa fin.* & Ambroſius *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 3. Nicolaus Papa *Epiſt. ad conſulta Bulgarorum.*

Bene video Doctores Societatis fere omnes non admittere hoc exemplum, ſed ipſum admittunt grauiſſimi Doctores, & fere omnes Scholaſtici *in* 4 *diſt.* 3. vbi Bonauentura, Richardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, & elegantiſſime Scotus *ibi. quæſt.*2. §. *Tertiò de forma* Altiſiodorenſis *lib.*3. *ſumm. tit.*3. *cap.*4. *quæſt.*2. Alenſis 4. *part.q.*8. *membr.*3. *art.*3. §.4. & eſt omnium, vt dixi, Antiquorum. Quare ſicut tunc, imo tempore Nicolai qui vixit *anno* 858. & conſultus *cap.*104. *An Baptiſmus factus à Iudæo fuerit validus*, & reſpondit *quod ſi nomine Chriſti fuerit factus, ſicut tempore Apoſtolorum fiebat*, vel *in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti validus eſt, & non reiterandus*, quod non ex alio capite id poterat reſpondere Pontifex, niſi quia diuina diſpenſatione factum eſt, quod Baptiſmus valeret in nomine Chriſti. Ergo quid mirum ſi in forma Calicis conſecrandi non vtantur ex diuina diſpenſatione omnibus verbis quibus vtitur Eccleſia Romana. 394.

Obiiciunt tertiò, Patres Cyprianum *in ſerm. de Cœna dom.* Ambroſium *lib.* 4. *de Sacramentis* 4. Damaſcen. *lib.*4. *de fide cap.*14. Emiſſenum relatum *cap. Qui corpus, de conſecrat. diſt.*2. qui dum agunt de conſecratione Calicis ſolum referunt illa verba *Hic eſt ſanguis meus.* 395.

Reſpondetur quod loquuntur quantum ad ſignificationem conuerſionis vini in Sanguinem quæ adæquatè ſignificatur illis dumtaxat verbis, & hoc erat intentum illorum Patrum. De Ambroſio clare conſtabit legenti *cap.*4. eiuſdem libri. Damaſcenus falsò adducitur, quin potius adducit integram formam conſecrationis Calicis quæ eſt in liturgia S. Baſilij, *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Rurſus hæc interpretatio Pſeudo Cypriano applicatur, nam verus Cyprianus expreſſe ſenſit, quod non ſolum illa verba ſunt de ſubſtantia, & eſſentia formæ conſecrationis Calicis *lib.* 2. *ep.*3. *ad Cæcilium.* Et pulchre explicat Feuardentius *ibi. n.*29. *&* 30. *Cyprianus*, (ait), *etiam in verbis inſtitutionis diuerſorum Euangeliſtarum verba coniungit, idque non nuper factum, ſed ab ipſis Apoſtolis hoc arguit, quod in Litugiis Græcis, Clementis, Baſily, Iacobi, Chryſoſtomi penè ad verbum recitetur inſtitutio huius Sacrificij.* Et infra. *Quare recte* docent D. Baſilius *lib.*1. *de Spir. Sanct. cap.*27. Innocent. *lib.*4. *de Sacrificio Altaris c.*4. Radulphus Tungrenſ *lib. de Canonum obſeruantiis cap. vlt. Conſecrationis verba eſſe ex doctrina non ſcripta, ſed tamen à Chriſto, & Apoſtolis nobis tradita* Ita ille. Emiſſenum etiam loqui de ſignificatione conuerſionis vini in ſanguinem manifeſtum eſt, vt legenti totum illud caput, *Quia Corpus*, conſtabit, & eodem modo loquitur D. Thom. 3. *part. q.* 78. *artic.*1. dum dicit, quod forma conſecrationis Calicis eſt, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, quantum ſcilicet ad ſignificationem tranſubſtantiationis vini in ſanguinem. 396.

Obiiciunt quartò, quia ideo hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ſunt adæquata forma conſecrationis Corporis, quia illis ſignificatur proprie Conuerſio panis in corpus Chriſti, ſed etiam conuerſio vini in ſãguinem adæquate ſignificatur ſolum his verbis; *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, vt expreſſe docet D. Thom. *art.*3 *citato*, ergo in iſtis ſolum verbis continetur tota eſſentia formæ. 397.

Reſpondetur huic argumento, quod Reſpondet S. Doctor

S. Doctor ibi *ad* 2. cuius solutio in hoc consistit, quod non ideo verba illa consecrationis Corporis continent totam essentiam formæ, quia significant conuersionem absolute, sed quia significant conuersionem in Corpus Christi in qua ex vi significationis verborum solum significatur Cor-
398. pus quod est Passionis subiectum; at cum in consecratione sanguinis seorsum à Corpore non solum significatur conuersio vini in sanguinem, sed in sanguinem effusum pro nobis, & pro multis in remissionem peccatorum noui, & æterni testamenti, mysterium fidei. Quare quousque prædicatum sanguinis determinetur omnibus his verbis non celebratur conuersio. Licet enim vera essent verba *Hic est sanguis meus*, ante prolationem reliquorum verborum, tamen ex intentione Christi non habuerunt veritatem absolutam omnino, quousque illæ determinationes, & proprietates essentiales sanguinis vt effusi exprimerentur.

399. Obiiciunt quintò, quia tunc sequentia verba determinant prædicatum prioris orationis, quando oratio est indeterminata ad varia significanda, vt si dicamus, *Hic est sanguis qui effusus est pro vobis*, prædicatum *sanguis*, si alia verba non adderentur est indeterminatum ad significandum quemuis sanguinem; secus autem est quando in forma cõsecrationis dicitur, *Hic est sanguis meus*; quibus verbis significatur Sanguis Christi, vt res quædam determinata; quare verba sequentia illum non possunt vlterius determinare, sed solum significare aliquos effectus, vel proprietates sanguinis.

Respondetur ad hoc argumentum, quod est Coninch *num.*27. ex ipso manifeste conuinci falsitatis eius sententia; nam vere verba sequentia in forma Calicis determinant sanguinem qui prioribus illis verbis indeterminatus est an sit
400. sanguis effusus, vel non effusus. Quare sequentia verba priora determinant ad significandum sanguinem fusum &c. Quare sicut ex vi verborum consecrationis panis ponitur Corpus Christi siue mortuum sit, siue viuum, & sic forma cadaueris, aut animæ solum ponuntur per concomitantiam, vt determinat Trident. *sess.*13. ita ex vi verborum *Hic est sanguis meus*, non ponitur diffusus, & separatus à corpore, sed abstrahit, quia sanguis etiam dum erat in venis Christi viui etiam erat Christi, & poterat tunc dicere, *Hic est sanguis meus*, vnde vt ex vi verborum ponatur Christi sanguis separatus à corpore, & sic fiat in Sacrificio Altaris quædam mystica mactatio Christi aliquid aliud debet poni, & addi ad illa verba *Hic est sanguis meus*, quæ determinent sanguinem ad separationem à corpore, & hoc est quod dicebat S. D. locis citatis, quod ex *vi institutionis huius Sacramenti sanguis consecratur. vt separatus, & diffusus.* Cui essentiales sunt proprietates quæ aliis verbis denotantur.

401. Vt autem radicitus percipiatur S. D. sententia quam, vt dixi, verissimam existimo, placuit hic subnectere egregiam doctrinam Sapientissimi Archiepiscopi Hispalensis *loco supra citato. notab.*4. vbi sic loquitur: *Licet verba quæ sunt formæ Sacramentorum sint expressiua effectus Sacramenti, non ideo consequens est quod illa sola verba quæ sunt expressiua effectus Sacramẽti sint de integritate, & necessitate Sacramẽti. sed omnia illa quæ à Christo Domino instituta sunt esse formas Sacramentorum, nam Sacramenta habent vim ex institutione Christi. Vnde omnia illa verba sunt de perfectione, & integritate Sacramenti, quæ Christus instituit, & nec plura, nec pauciora*, vt enim S. D. dicit: *in hac dist. quæst.*2. *art.*4. *sub art.*3. *Verbum quo accedente ad* 402. *elementum fit Sacramentum dicitur à Sanctis esse verbum Saluatoris. Quia ergo verum esse supponimus quod ritus Ecclesiæ Romanæ in conficiendo hoc Sacramentum, quantum ad formam verborum & materiam institutus est à Christo, sicut in Canone Missæ reperitur, & à Christo Apostoli, & ab eis eorum acceperint successores, prout dicitur in cap. cum Marthæ. de celebrat. Missar. ideo tenendum est, quod omnibus illis verbis quibus Romana Ecclesia vtitur in consecratione corporis, & sanguinis Domini, & non pluribus, nec paucioribus consecratur.*

Et huius efficax ratio est, quia Christus sic instituit corporis, & sanguinis sui fieri consecrationem. 403. *Rationem autem congruentiæ quare Christus voluerit consecrationem sanguinis sui fieri pluribus verbis quam fiat consecratio corporis, non solum verbis exprimentibus effectum, sed etiam verbis quæ sunt determinatiua subiecti, vel prædicati Orationis consecratiuæ assignat*, S. Thom. *in hac distinct. quæst.*2. *art.*2. *subart.*1. *ad* 2. *& 3. part quæst.*78. *art.* 3. *in corp. & multum aperte super Epist. Pauli exponens illud* 1. *ad Cor.*11. *Hic Calix nouum Testamentum est in meo sanguine.*

Ad cuius euidentiam sciendum est quod Sacramentum Eucharistiæ est memoriale Dominicæ Pas- 404. *sionis cum Dominus dicat Luc.*22. *Hoc facite in meam commemorationem. Vnde & Apost.* 1. *ad Cor.*11. *cum referret verba Domini dicentis hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem, exponens de quo facienda esset commemoratio Domini, ait, Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat. In Passione autem Christi sanguis sui corporis à corpore separatus fuit seorsum effusus pro salute generis humani, cuius fructus, & mysteria plura in Sacra Scriptura referuntur. Et ideo in hoc Sacramento sanguis seorsum separatur à corpore, quantum est ex vi Sacramenti, quamuis per concomitantiam simul cum corpore consecretur; & quia, vt dictum est, in hoc Sacramento Passionis Christi recolitur commemo-* 405. *ratio, congruum fuit vt verba consecrationis sanguinis exprimerent mysteria Passionis Christi, quæ in sacra Scriptura & ex traditione Apostolica sanguini Christi effuso attribuuntur.* Hæc ibi.

Et quidem cum nullus etiam ex aduersariis dubitet, nec salua fide possit dubitare, quod Christus Dominus possit instituere sanguinis sui consecrationem omnibus illis verbis, itaut omnia essent essentialia formæ, & solum sit difficultas an de facto ita sit, & sic decreuerit, hoc De- 406. cretum est venandum ex traditione Ecclesiæ, & antiquitate. Hæc autem pro nobis stat euidenter vt ex dictis satis liquet.

§. Vltimus.

Sententia Soti, & recentiorum Thomistarum trutinatur.

CVm votum, & desiderium meum eo tendat, 407. vt excellentia, & altitudo Scholæ S. Thomæ niteat, & nihil non nitidum, & splendidum in ea conspiciatur, ita vt inoffenso pede, vt de libris

Hilarij

Hilarij dicebat Hieronymus, quælibet Thomistarum sententia possit currere, placuit sententiam Sapientissimi Dominici Soto enucleare, enodare, defendere, video enim illam multis, illisque grauissimis Patribus Magistris Ordinis Prædicatorum Caietanum sequutis placuisse. Et non possum mihi persuadere ita concorditer fere omnes S. Thomæ alumnos, post Eminentissimum Cardinalem hoc sentire nisi ex aliquo instinctu Thomistico diuino.

Igitur Magnus ille Dominicus à Soto (sequutus Caietan. *in Commentar. art. 3. quod expunctum est iussu Pij Quinti) in 4. distinct. 11. quæst. 1. art. 3.* (cuius opinionem amplexatus est Martinus Ledesma *in 4. part. 1. quæst. 19. art. 3.* & sequuntur tres grauissimi RR. in manuscriptis quæ apud me habeo, inter quos honoris gratia nomino Patrem Didacum Deza è Societate IESV Magistrum PP. Francisci Suarez, & Gabrielis Vasquez, & aliorum grauissimorum Doctorum in vniuersitate Complutensi) dicit, quod omnia verba posita in consecratione Calicis sunt quidem de substantia formæ; hoc enim vt minimum manifeste probant ea omnia quæ in superioribus sunt adducta non tamen sunt de essentia formæ; etenim diuersum est, aliquid esse de substantia alicuius, & esse de essentia; hæc enim subsistere nequit sine aliquo prædicato, vel parte ad eam necessariò requisita; at substantia hominis v. g. vtique subsistit sine pede, aut manu, & vtrumque est de hominis substantia, & integritate. Ita pariter tota essentia formæ consecrationis Calicis sita est in illis verbis, *Hic est Calix Sanguinis mei*, quibus absoluitur tota conuersio, & consecratio quantum ad essentiam, cætera autem verba sunt de substantia, perfectione, & integritate formæ, sine quibus non prolatis tota consecratio consistit.

408. Probatur primò, quia D. Thom. *3. part. q. 78. art. 1. in corp.* hoc discrimen ponit inter Eucharistiam, & cætera Sacramenta, *quia formæ aliorum Sacramentorum important vsum materiæ, puta baptizationem, vel consignationem; sed forma huius Sacramenti importat solum consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur, Hoc est corpus meum, vel, hic est Calix sanguinis mei:* ergo ex D. Thoma forma huius Sacramenti est quæ essentialiter, & primario significat transsubstantiationem, & talia sunt dumtaxat verba relata, & sequentia sunt de substantia formæ, vt declaratur *art. 3.* quia cum omnibus illis Romana vtitur Ecclesia, & eodem ritu proferatur. Melius loquitur S. D. dicens, quod omnia sunt de substantia formæ; sicut apud Græcos qui in consecratione corporis vtuntur illis verbis,

409. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vel datur in remissionem peccatorum, in expiationem culparum, & in vitam æternam.* Vt ponitur in Liturgia S. Basilij. Omnia ista verba quæ adduntur pertinent non ad essentiam, sed ad substantiam, & perfectionem consecrationis corporis.

Secundò, quia in illis dumtaxat verbis, *Hic est Calix sanguinis mei* omnia verba sequentia implicite continentur, ergo sine istis consistit essentia formæ, quamuis explicite posita ad illius substantiam pertineant, expliciteque posita sint

410. de necessitate formæ, & vim transubstantiatiuam contineant, vt ait S. D. *in 4. & lection. 6. citatis.* Sed in illis verbis, *Ego te absoluo*, saluatur tota essentia formæ absolutionis, quia in illis continetur implicite ly *à peccatis*. quamuis si ponantur hæc verba vim absolutiuam, & remissiuam peccatorum contineant. Antecedens probatur, quia vt optime notati S. Bonauentura *in 4. dist. 8. 2. part. art. 1. q. 2. §. & patet responsio* Calix in Sacra Scriptura significat Passionem iuxta illud Matth. 20. 17. *Potestis bibere Calicem.* Et ita dicendo, 411.
Hic est Calix sanguinis mei, Sanguis Christi effusus, & dicendo, *mei* implicite continetur quod est effusus. *Noui, & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; quia eo ipso quod sit sanguis Passionis Christi omnes istæ proprietates necessario consequuntur. Et eumdem sensum faceret si quis diceret, *Hoc est vas sanguinis mei*, aut, *Hic est sanguis meus.* Ly, meus, secundum præsentes circunstantias in quibus loquebatur Christus, sanguinem effusum cum cæteris proprietatibus inuoluit.

Vt tamen hæc sententia, quæ probabilissima est, percipiatur, & à contrariis defendatur, habet enim contra se verba D. Thomæ asserentis 412.
omnia præfata verba esse de necessitate formæ, & habere vim consecratiuam, & proprietates quæ denotantur illis verbis esse essentiales Sanguini Christi, vt effuso, aliqua notanda sunt. Primum in quo conueniunt omnes esse grauissimum præceptum ab Apostolis dimanans in Ecclesia Romana, quod omnia ista verba proferantur eodem ritu, & quod ante illorum perfectam prolationem sanguis non proponatur adorandus, itaut contrarium facêtes graue mortale sacrilegium committerent. Ita omnes Doctores, tam hic, quam in Superioribus adducti. Neque huius contrarium defendi potest. Omnia præfata verba sunt de necessitate formæ ex præcepto Ecclesiastico sicut ly *à peccatis tuis* in forma absolutionis.

Cæterum cum hoc optime stat quod cum non 413.
sit de fide quæ verba sufficiant ad consecrationem Calicis non potest Sacerdos suam intentionem regulare aliqua ex opinionibus relatis. Cum enim sit de fide intentionem Ministri faciendi quod Christus fecit esse necessariam ad validitatem Sacramenti, & non sit de fide quibus verbis Christus consecrarit, si aliquibus ex præfatis opinionibus regulet taliter, quod iuxta eam velit consecrare, & non aliter, poneret se in manifesto periculo errandi, & non consecrandi, cum veritas facti Christi à nostris conceptibus non pendeat. Quare intentio Sacerdotis nulla ex his opinionibus debet regulari, sed solum faciendi illis verbis quibus Christus confecit Sacramentum, & in Ecclesia Latina est receptum, & sic debet habere intentionem quam vult Romana Ecclesia.

Secundum notandum est, quod opinio ista 414.
Thomistarum dupliciter intelligitur. Primò, quod dum quis dicit illa verba, *Hic est Calix sanguinis mei*, antequam proferantur alia verba iam est peracta conuersio vini in sanguinem, & sic quando alia sequuntur nihil faciunt, sed solum ornant, & perficiunt formam, & sic intellexit Caietanus, quam Deza sequutus est, & aliqui alij. Sed hæc intelligentia prorsus eliminanda est, sicut eliminauit, & iure optimo Pius quintus commentar. Caeian. expungens illud à partibus summæ, est enim manifeste contra S. D. dicentem præfata verba esse de necessitate formæ, & continere vim effectiuam, & propter alia quæ supra retulimus §. 1.

Quare alio modo intelligitur sententia ista à Dominico

Dominico Soto, & Ledesma *vbi suprà.*, & Pe-
415. tro de Ledesma *in Summ. tom. 2. cap. 5. del Sacramento de la Eucharistia fol. mihi* 61. & multis aliis R R. videlicet quod omnia ista verba ita sunt de substantia formæ quod habeant vim effectiuam Sacramenti, ita quod quando omnia proferuntur vt sunt in Canone non perficiatur consecratio vsque ad vltimum instans prolationis; quamuis enim his solum verbis, *Hic est Calix sanguinis mei* tota essentia formæ contineatur, ita vt illis solis prolatis fiat conuersio vini in sanguinem, & Sacramentum; si non habeat intentionem Sacerdos vlteriora verba proferre, tamen si habeat intẽtionem proferendi omnia, non perficitur consecratio vsque ad vltimum instans prolationis omnium verborum quæ ex institutione Christi declaratiua explicite, & expresse prædicati sanguinis. Quibus verbis vtitur Ecclesia Romana per modum vnius orationis ad significandum Sanguinem Christi, quem modum habet ex
416. Euangelistis, & Sacra Scriptura, & traditione, sicut dum quis ad significandum aliquam rem vtitur non simplicibus verbis, sed circumlocutione, & ampliatione rethorica, non est finita significatio conceptus quousque omnia verba circunloquij proferantur quamuis pauciora verba sufficerent ad eamdem sententiam perficiendam, & significandam. Huius rei suppetit manifestum exemplum in forma absolutionis, quæ tota essentialiter completur illis verbis, *Absoluo te*, & tamen tam particula, *Ego*, quam, *à peccatis tuis*, ita sunt de substantia formæ quod vim remissiuam habeant culparum. Et dum quis vult vti forma consueta, prolatis verbis: *Absoluote*, antequam dicat, *à peccatis tuis*, non confertur gratia Sacramentalis.

417. Huius sententiæ ratio à priori est, quia licet istis verbis, *Hic est Calix sanguinis mei*, sufficienter explicetur omne id quod in sequentibus verbis continetur, tamen illa significatio est implicita, & inuoluta, & ita etsi sufficiens sit essentialiter ad conficiendum Sacramentum, tamen quando ponuntur verba sequentia quæ explicite significant id quod implicite significabatur in prioribus significatih implicita cedit explicitæ, & non causant priora verba suum effectum quousque significatio explicita compleatur; & hoc quidem ex intentione Ecclesiæ quam regulauit
418. Sacra Scriptura, & Christi, & Apostolorum traditione, qua sic edocta est Ecclesia Romana: vnde omnia verba ista habent vim effectiuam, quia omnia in Persona Christi proferuntur, & ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem à Christo, vt ait D. Thom. *locis citatis, & art. 4. quæst. 78.* Rursus ex suppositione quod omnia proferantur sunt de necessitate Sacramenti, non enim hoc conficitur vsque ad vltimum instans prolationis omnium, sed hoc infra amplius explicatur quid hic intelligamus per intentionem Ecclesiæ Romanæ.

419. Mirum est quam acriter insurgant Doctores Societatis in hanc Soti sententiam, fere omnes enim quos suppra adduxi multa congerunt argumenta vt illam euertant, sed incassum profecto.
420. Et vt omittam id quod dicunt apud S. Thomam idem valere aliquid esse de substantia, & essentia Sacramenti, quæ argumentandi ratio apud me maximi ponderis est, vt supra §. 1. dixi, tamen potest sic non incongrue explicari, si dicamus verba illa explicite, vel implicite esse de necessitate, & essentia Sacramenti, sicut Baptismus in re, vel in voto est de necessitate essentiæ salutis quæ sine illo consistere nequit; & sicut Baptismus siue in voto, siue in re susceptus eundem effectum habet quantum ad conferendam salutem Animæ, ita verba ista, *noui, & aterni, &c.* siue explicite, siue implicite ponantur semper sunt de substantia, & essentia Sacramenti, & de illius necessitate; 421.
implicitum autem significatum non operatur quando adest explicitum, & sic quando istud ponitur per verba sequentia est de essentia, & de substantia Sacramenti, quæ me iudice apud D. Thomam idem sunt dum de Sacramẽtis loquitur; quare non possum in illis sententiam Soti, & aliorum amplecti.

Obiiciunt secundò, qua Sacramenta causant, suum effectum ad modum causæ naturalis, quæ 422.
applicata, & positis omnibus requisitis necessario producunt suum effectum; ergo si significatio implicita est requisita, & sufficiens, & contenta in illis verbis, *Hic est Calix sanguinis mei*, in instanti vltimo in quo est verum dicere hæc verba esse prolata, causabunt suum effectum non expectando significationem explicitam reliquorum. Respondetur, distinguendo consequens, quod significatio implicita sit sufficiens, quia ipsa ad minus requiritur ex Christi intentione, & sic concedo consequentiam, quia ipsa est sufficiens; ita ut significatio expressa non possit concurrere ex Christi institutione, quam Ecclesia Romana obseruat, nego consequentiam. Quare iuxta ritum Romanum positis solum illis verbis non causatur effectus quousque ponantur omnia alia quibus Christum Dominum vsum fuisse docet Innocentius *in cap. cum Martha, citato.* non quidem tanquam simpliciter necessariis ad consecrationem, sed vt conuenientioribus ad significandum id quod implicite continebatur in primis verbis, & sic omnibus contulit Christus vim effectiuam, & conuersiuam.

Et ita Sacerdos Latinus quando conformatur 323.
non solum intentioni Christi essentiali, sed etiam institutioni ipsius Christi quatenus instituit formam Sacramenti in verbis conuenientioribus ad explicandum id quod Christus intendebat exprimere per formam Sacramenti, tunc verba ista, *Hic est Calix sanguinis mei* non consequuntur effectum vsque ad integram prolationem omnium verborum quibus Christus vsus est, & Ecclesia Romana habet pro forma quæ continetur vsque ad illa verba, *in Remissionem peccatorum*, inclusiue. Et hunc ritum Romanæ Ecclesiæ appellamus intentionem Romanæ Ecclesiæ, quæ edocta à Christo, & Apostolis vtitur omnibus his verbis vt conuenientioribus ad exprimendum memoriale Passionis Christi, & Sacrificium incruentum per mactationem mysticam Christi quæ consistit in separatione sanguinis à corpore ex vi verborum consecrationis. 424.

Ex quibus infertur esse præceptũ diuinũ à Christo Domino inpositum de consecrando Calice vel verbis *Hic est Calix sanguinis mei*, solum, vel addendo alia quæ addit Ecclesia Latina, aut Græca. Itaque Christus præcepit quod vno ex his modis consecratio sanguinis celebraretur. Sicut præcepit Baptismum vel in re, vel in voto, & sine aliquo istorum nullus sit saluus. & vterque concurrit ad salutem Animæ. Et idem est de Sacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto suscipiendo. Ratio est euidens, quia est præceptum Diuinum

num de forma quæ efficit conſecrationem, & conuertit vinum in ſanguinem, ſed quælibet ex verbis, vinum ſignificantibus conuerti in ſanguinem effuſum, &c. ſiue explicitè, ſiue implicitè efficiunt talem conuerſionem, vt vidimus; ergo eſt præceptum diuinum quod vno ex his modis fiat conſecratio.

425. Verum eſt quod conſecrare formalibus verbis quibus vtitur Eccleſia Romana habetur ex traditione Apoſtolorum Petri, & Pauli qui ſic eam docuerunt; & ſic determinatio quod potius ſit ad hunc modum conſecrandi his verbis, & non paucioribus non habemus ex præcepto Chriſti, ſed ex traditione Apoſtolica. Quare minus bene Vaſquez imponit Thomiſtis *vbi ſuprà num.* 46. quod dixerint aliqui ex intentione Sacerdotis pendere addere verbis conſecrationis verba experimentia prædicatum ſanguinis. Si enim hoc intelligatur quod ex libera Sacerdotis intentione hoc pendeat nullus cordatus hoc dixit, ſed tantum à Secerdotis voluntate pendeat vti verbis. *Hic eſt Calix ſanguinis mei* vel verbis, *Hic eſt Calix ſanguinis mei, noui, & æterni*, &c. quibus vtitur Eccleſia Romana, vtroque enim modo ex Chriſti inſtitutione poteſt celebrari conſecratio, quamuis, vt dixi, grauiter peccet Sacerdos Romanus ſi forma Romana non vtatur; Græcus tamen non peccaret, vtendo forma Græca in conſecratione Calicis, quia conſuetudine ſuæ Eccleſiæ tolerata vtitur, & ſe conformat cum ea forma quam viri Sanctiſſimi, & Doctiſſimi vſi ſunt, & approbarunt.

426. Obiiciunt tertiò, quia ſi præfata verba ad ſubſtantiam conſecrationis pertinent, & vim habent effectiuam hoc illis prouenit ex Chriſti inſtitutione: ergo Græci peccarent illa verba omittentes, ſiquidem omittunt aliquid quod Chriſti inſtitutum eſt ordinatione, niſi ignorantia illos excuſaret inuincibilis, quorum vtrumque aſſerere, ait Vaſquez *num.* 43. manifeſtus eſt error; imò, proſequitur, ad ſubſtantiam conſecrationis panis pertinerent illa verba, *quod pro vobis tradetur*, ſiquidem hoc à Chriſto dictum eſt, & eodem ſenſu cum præcedentibus coniungitur, ſicut additum etiam, *quod pro vobis effundetur* in conſecratione vini; quocirca Eccleſia latina peccaret omittens illud additamentum in forma conſecrationis panis, *ſi* enim hoc poteſt facere intentio Miniſtri in conſecratione vini, cur non in conſecratione Panis?

427. Reſpondetur hoc argumentum frigidum eſſe, & nullius efficaciæ iam enim diximus quo modo omnia illa verba ſint ex inſtitutione Chriſti. Græci etiam non peccant illa omittentes, quia proferunt ea quæ ſunt eſſentialia, & ſufficientia, & in reliquis ſe conformant formæ ſuæ Eccleſiæ quam à maioribus Sanctiſſimis, & Doctiſſimis acceperunt. Neque ad ſubſtantiam conſecrationis panis pertinent in Eccleſia Latina illa verba, *Quod per vobis tradetur*, quia non ſic eſt edocta ab Apoſtolis, ſicut in conſecratione Calicis, quia quamuis Chriſtus ea protulerit, ſed non dedit illis virtutem conſecratiuam, quod habet Eccleſia latina ex traditione Apoſtolica vt dicit Innocent. & ex ipſo S. Thom. dixi in Eccleſia Latina, nam in Græca vbi ponitur in forma conſecrationis panis, *qui pro vobis frangitur, vel traditur* mihi non conſtat an in illa Eccleſia ſit traditio quod pertineant ab ſubſtantiam formæ, ſicut conſtat in Eccleſia Latina.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm Sacramentalia cauſent remiſſionem venialium culparum ex opere operato, vel tantum operantis.

SVMMARIVM.

428 *Sacramentalia an cauſent remiſſionem venialium culparum ex opere operato, vel tantùm operantis?*
429 *Status, & controuerſiæ punctus aperitur.*
433 *Sententia communis Doctorum Societatis fulcitur.*
442 *Communis Thomiſtarum ſententia enucleatur, & defenditur.*
459 *Eadem ſententia ratione à priori oſtenditur vera.*
468 *Reſpondetur argumentis oppoſitæ opinionis.*
474 *Quid de ſingulis Sacramentalibus ſentiendum?*
486 *De aliis effectibus quos cauſant Sacramentalia, quomodo ab aliis proueniant?*

428. NOn ſolum voto meo Thomiſtico (quod vtique ſoluam, vt oportet) intendo defendere à cenſura eas opiniones quas ſugillauit Poza ille, vel quia vnus, vel alter Thomiſta eas non ſequitur, ſed etiam oſtendere multas alias probabiliores eſſe iis quæ recentioribus contra communem Thomiſtarum, & S.D. defenduntur; inter quas, & præſens conſtituitur, quæ maximè neceſſaria eſt ad fidelium inſtructionem, & pietatem augendam; vt ſic excellentia, & puritas doctrinæ Angelicæ clarius conſpicatur.

§. I.

Status, & controuerſiæ punctus aperitur.

429. SAcramentalium nomine intelligunt fideles, aut actiones, aut res ſacras quibus peccatorum remiſſio obtinetur, quæ hoc verſu continentur.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Quibus adde *vnctionem Sacram.*

Igitur difficultas eſt, an huiuſmodi res, aut actiones ſacræ, quæ Sacramentalia dicuntur cauſent remiſſionem peccatorum venialium ex opere operato, hoc eſt, ex vi, & inſtitutione ſua, an vero ex opere operantis, hoc eſt, propter meritum, aut impetrationem operantis. Et quidem Sacramentalia remittere peccata venialia omnino debet eſſe certum, & communis tenet Eccleſiæ traditio, & conſuetudo Patribus approbata. Vnde Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. loquens de peccatorum venialium remiſſione, extra Sacramentum pœnitentiæ, dicit *quod multis aliis remediis expiari poſſunt*; per quæ remedia non ſolum intelligit Sacramentum Euchariſtiæ, & alia, ſed etiam Sacramentalia, vt explicat ibi Cardinalis Bellarminus *in obſeruationibus doctrinæ littera E.* tenent Vvalfridus *lib. de rebus Eccleſiaſtic.* loquens de aqua benedicta *cap.* 29. Quamuis enim de omnibus his non conſtet de expreſſa Eccleſiæ inſtitutione in aliquo Concilio, Epiſtola Decretali, aut 430.
Patre, qui de omnibus ſcripto clarè dixerint remittere venialia, tamen hæc inſtitutio clarè conſtat ex Eccleſiæ traditione, & vſu fidelium, vt optimè adnotauit Soto *in* 2. *di-*

*dist.*15. *quæst.*2. *art.* 3. contra hanc autem Ecclesiæ traditionem putare insolentissima insania est, vt ait August. *Epist.*118.

Cum ergo hoc certum sit apud Orthodoxos, tribus modis potest intelligi quod ista Sacramen-
431. talia causent venialium remissionem. Primò, quia habent vim, & efficaciam excitandi motiuum, & detestationem illorum; & hoc dupliciter, aut quia habent ex opere operato vim excitandi huiusmodi dolorem, & detestationem, media qua remittuntur venialia, taliter quod non solum per modum obiecti, (sicut imago Christi Crucifixi naturaliter nos mouet ad compassionem) habeant vim excitandi huiusmodi dolorem, sed etiam per modum efficientiæ. Secundò, quod excitent talem actum per modum impetrationis, & orationis. Tertiò, quod hæc Sacramentalia ex opere operato causent immediatè remissionem venialium.

432. Conueniunt etiam omnes Catholici quod huiusmodi Sacramentalia causant remissionem venialium ex opere operantis, & per modum impetrationis, sunt enim opera bona quæ ordinare possumus, vt mediis illis remittatur veniale; tum etiam multa illorum habent vim obiectiuam ad excitandam in nobis detestationem venialium, vt est Oratio Dominica, dum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; similiter dum dicimus confessionem generalem, *Confiteor Deo, &c. mea culpa*, &c. Et sic in multis aliis discurrendo. Igitur dissidium est, an huiusmodi Sacramentalia solum ex opere operantis, an etiam ex sua institutione hoc habeant. Et rursus, an causent immediatè remissionem peccatorum venialium, an mediatè, quia ex opere operato causant detestationem illorum.

§. II.

Sententia communis Doctorum Societatis fulcitur.

433. TOta fere schola Societatis in hoc conspiratuit, vt eius alumni assererent Sacramentalia omnia causare venialium remissionem dumtaxat ex opere operantis, & impetratoriè, quia quantum est de se excitant bonos motus, & venialium detestationem saltem virtualem quoties reuerenter vsurpantur, ac proinde hunc effectum ab illis infallibiliter prouenire, eo modo quo Orationes Ecclesiæ, quæ Deo placent, semper obtinent effectum, si ex parte illius pro quo oratur non ponatur impedimentum propter quod non expedit concedi quod petitur, aut non expedit pro tunc concedi. Ita tenent Suarez *tom.*4. *in* 3.*p. disp.*12. *sect.*2. *per totam.* Vasquez *q.*87. *art.*5 *dub.*1. Ægidius Coninch *q.*71. *art.*3. *dub.vnico.* Becanus *tom. de Sacramentis cap.*33. *de pœnitentia q.*6. Iacobus Granados *controu.*7. *de pœnitentia tract.*4. *disput.*3. *sect.*2. Layman *tom.*1. *tract.*6 *cap.*4. *n.*17. Reginaldus *lib.*5. *sect.* 1. *n.*43. Filliucius *tract.*6. *cap.*5. *q.*10. *n.*130. Pesantius ex Iesuita 3.*p. q.*87. *art.*3. *disp.*1. & alij ex recentioribus, quos imitatur Ioannes Lugo *ibi.*

434. Probant primò, ex D. Thom. 3.*p. q.*87. *art.*3. vbi ait, *Ad primum, dicendum quod omnia ista* (Sacramentalia) *causant remissionem venialium peccatorum in quantum inclinant animam ad motiuum pœnitentiæ, quod est detestatio peccatorum implicitè, vel explicitè.* Idem fere habet *q.*7. *de malo art.* 12. *in corp. & in* 4. *dist.* 16. *q.*2. *art.*2. *quæstiunc.*4. *ad* 2.

Secundò, quia non est in Ecclesia potestas à Christo Domino illi concessa ad instituenda Sacramentalia quæ ex opere operato, & per modum Sacramenti remittant venialia, ergo. Pro- 435.
batur Antecedens, quia res ista est magni momenti, & solum pendens ex voluntate Christi, quæ voluntas venanda nobis est, vel ex nouo Testamento, vel Patrum testimoniis, Summorum Pontificum, aut alicuius Concilij determinatione, nihil horum reperitur in præsenti, ergo. Probatur Minor. quia licet Alexand. I. dixerit *aquam benedictam sanctificare, & purificare*, hoc conuenienter intelligitur ex opere operantis, siquidem alios effectus illi assignat, *vt fugere Dæmones*, &c. quos solum causat ex opere operantis, sicut S. Ioannes *Epist.* 1. *cap.* 3. dicit: *Qui habet hanc spem sanctificat se.*

Deinde panis benedictus de quo Stephanus Du- 436.
randus *lib.*2. *de ritibus cap.* 58. non est aliquis locus quo probetur remittere venialia ex opere operato. Tertiò, vnctio sacra quamuis Innocent. III. *tit. de Sacra vnctione in Decretalibus*, dicat esse signum internæ, & inuisibilis vnctionis, non probat, quia potest esse signum rei quam non dat, sicut Sacramenta antiqua. Quartò, pro benedictione Episcopali nullus textus, aut authoritas adducitur.

De tunsione pectoris ea quæ adducuntur non 437.
probant quod habeant præfatam vim, sed solum quia excitant detestationem peccatorum, quam indicant, & idem est de confessione generali, ingressus etiam Ecclesiæ consecratæ conducit quidem ad impetranda auxilia vt peccata detestemur, sed non ex opere operato; Oratio etiam Dominica ex sententia August. ita delet venialia, sicut mortalia, quare sicut ista non delet ex opere operato, ita nec illa; & idem est de eleemosyna quæ etiam dimittit ingentia peccata mortalia, & cum nullam acceperit ab Ecclesia benedictionem non videtur cur Sacramentale dicatur.

Tertiò, quia peccarum veniale relinquit in ani- 438.
ma macalam, & obliquitatem voluntariam. Vnde aliud est remittere veniale habituale in anima relictum ex actu præterito non dimisso, aliud remittere pœnam temporalem illi debitam, & ita peccati venialis remissio est quædam voluntatis rectitudo, & iustificatio quædam qua anima nostra magis iustificatur coram Deo rectiorque redditur, & sic per Sacramentalia si ex opere operato remittunt veniale, ex opere operato, producunt gratiam sanctificantem.

Quartò, quia si Sacramentalia ex opere ope- 439.
rato causant remissionem venialium, & non producendo gratiam, nec aliquem actum detestationis: ergo talis remissio fit per non imputationem, & est solum fauor Dei extrinsecus. quod dici non potest, cum homo cui dimittitur peccatum veniale intrinsecè sit magis sanctus quam antea.

Quintò, quia alias Sacramentalia essent Sa- 440.
cramenta. Probatur, quia veniale dimitti non potest sine gratiæ infusione, vel sine eo quod gratia speciali respectu ordinetur ad peccatum illud delendum, quod est munus proprium Sacramenti.

Sextò, quia aliàs sumens aquam benedictam cum 441.
deuotione ad res diuinas, cum hæc deuotio non magis respiciat vnum veniale, quam aliud vna aspersione

aſperſione omnia venialia delerentur, quod eſt abſurdum.

§. III.

Communis Thomiſtarum ſententia enucleatur, & defenditur.

442. VErior, & magis pia Thomiſtarum ferè omnium ſententia aſſerentium Sacramentalia omnia ex opere operato immediatè vt inſtrumenta phyſica cauſare remiſſionem peccatorum venialium in homine bene diſpoſito circa Deum vltimum finem, per gratiam, & bene affecto actualiter circa res ſacras, & diuinas, quibus Eccleſia inſtituit hanc remiſſionem cauſari. Ita tenent Caiet. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Nuñus *quæſt.* 87. *art.* 3. *differ.* 2. Candidus *diſquiſ.* 24. *art.* 35. *dub.* 2. Petrus de Soto, *in ſua Sacerdotum inſtitut. lect.* 8. *de pœnitent. §. ex his intelligendum eſt.* Dominicus de Soto *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 3. *§. in contrarium.*

443. Martinus de Ledeſma *in* 4. *part.* 1. *q.* 28. *art.* 3. *dub.* 3. *pag.* 575. *column.* 1. *& par.* 2. *q.* 73. *art.* 2. *pag.* 560. *colum.* 2. cuius verba, quia ad propoſitum pulchra placuit afferre in ſolatium fidelium. *Hæc omnia* (Sacramentalia) *de ſe ſunt ſatisfactoria ſine gratia, nempe, ſi omnes fideles eſſent in peccato mortali adhuc Sacramentalia ſunt ſatisfactoria de ſe ex opere operato vt aiunt. Itaque aqua luſtralis ex ſe, & non ex motu interiori ipſius ſumentis remittit peccata venialia, & aliquam partem pœnæ, & hoc habet virtute clauium Eccleſiæ vt diximus* 1. *part.* 4. *ſicut enim Sacerdos virtute clauium remittit peccata, & aliquam partem pœnæ, ita per confeſſionem generalem, & per aquam luſtralem remittuntur peccata venialia, & aliqua pars pœnæ virtute clauium.* Hæc ille, & ſatis bene Canus *lib.* 2. *de locis cap.* 13. *ad* 9. Victoria *in ſumma q.* 99. D. Anton. 1. *par. ſumm. Theol. titulo* 10. *cap.* 1. *§.* 5. Paludanus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 1. Viguerius *cap.* 16. *de pœnit. §.* 4. *verſ.* 8. Hi omnes è Dominicana familia. Et Valentia 3. *p. diſput.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *à verſiculo, eſt autem hic.*

444. Eiuſdem ſententiæ manifeſtè fuit D. Thom. in additionibus *q.* 28. *art.* 3. vbi loqui ex opere operato manifeſtum eſt, & dicit quod tripliciter aliqua cauſant remiſſionem peccatorum venialium. Vno modo in quantum in iis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur peccata venialia, & hoc modo per omnia Sacramenta nouæ legis in quibus infunditur gratia peccata venialia remittuntur, quod intellige, ſi illorum præcedat aliqua deteſtatio, vel ſaltem virtualis diſplicentia, vt idem S. D. explicuit artic. 2. antecedenti.

445. Secundò, in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, & hoc modo confeſſio generalis, tunſio peccatoris, & Oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum nam in Oratione Dominica petimus, *dimitte nobis debita noſtra.* Hæc enim tria ideo ex opere operato cauſant remiſſionem peccatorum, quia ex opere operato habent virtualem deteſtationem venialium; neque enim aliud opus eſt neceſſarium ex parte hominis niſi horum trium recitatio, quia eo ipſo gratia habitualis habet ſpecialem oppoſitionem ad venialia, quia ex opere operato abſque alia noua gratia ipſa expellit.

446. Tertiò, in quantum ſunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res diuinas, & hoc modo benedicto Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis vnctio, oratio in Eccleſia dedicata (hoc eſt, conſecrata, vt ipſe explicat *q.* 87. *art.* 3. *ad* 1.) & ſi aliqua alia ſunt huiuſmodi operantur ad remiſſionem venialium peccatorum. Vnde ſolus motus reuerentiæ ad res diuinas qui ſecundum ſe non erat ſufficiens ad remiſſionem venialium eſt ſufficiens diſpoſitio, vt hæc Sacramentalia cauſent illorum remiſſionem; atque ita ſicut Sacramentum pœnitentiæ ex attrito facit contritum, hoc eſt, ſuppoſita attritione, quæ de ſe erat inſufficiens ad expulſionem mortalis, ita Sacramentalia hæc ex inſufficienter diſpoſito ad remiſſionem venialium eleuant ad ipſorum expulſionem.

Quare egregiè S. D. *in ſolut. ad* 1. dicit, quod 447.
omnia iſta cauſant remiſſionem venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ quæ eſt deteſtatio peccatorum vel implicitè, vel explicitè, ipſe enim actus reuerentiæ ad res diuinas eſt quædam virtualis venialium deteſtatio, & ſic ex vi talis motus abſque alio ſimul cum Sacramentalibus remittitur peccatum veniale ex opere operato. Quod *in ſolut. ad* 2. magis explicat dicens, *quod omnia iſta quantum eſt de ſe operantur ad remiſſionem omnium peccatorum venialium: poteſt tamen impediri remiſſio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret, ſicut & per fictionem interdum impeditur effectus Baptiſmi.* Quid clarius? *vnde in ſolut. ad* 448.
3. concludit, quod per prædicta tolluntur per ſe venialia quantum ad culpam, tum virtute alicuius ſanctificationis, tum virtute charitatis, cuius motus per prædicta excitantur, non tamen tollitur totus reatus pœnæ per prædicta, ſed ſecundum modum fauoris in Deum. Quare hanc eſſe S. D. mentem nullus cordatus poteſt dubitare, quem articulum ſi ponderaſſet Vaſquez non diceret *vbi ſuprà num.* 10. Sanctum Doctorem ſuam ſententiam clariſſimè docuiſſe.

Vnde idem S.D. loquens de Eccleſia conſecra- 449.
ta 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 3. ait, huiuſmodi inanimata conſecrantur non quia ſunt gratiæ ſuſceptiua, ſed quia ex conſecratione quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta reddantur diuino cultui, accipiunt, vt ſcilicet, homines deuotionem quandam percipiant, vt ſint paratiores ad diuina, niſi ab hoc, propter irreuerentiam, impediantur, vnde *lib.* 2. *Matth. cap.* 3. dicitur, *vere Dei virtus quædam eſt in loco; nam ipſe qui habet in cœlis habitationem viſitator, & adiutor eſt loci illius.* Et 450.
infrà. *Vnde quidam probabiliter dicunt quod per ingreſſum Eccleſiæ conſecratæ homo conſequitur remiſſionem peccatorum venialium, ſicut per aſperſionem aquæ benedictæ, & ideo propter virtutem quæ ex conſecratione Eccleſiæ acquiritur, conſecratio Eccleſiæ non iteratur. cap. Eccleſiis ſemel de conſecrat. diſt.* 1. *vbi dicitur, quod ſicut Baptizatus non eſt rebaptizandus, ita neque locus ſemel Deo dicatus eſt iterum conſecrandus.* Hæc ibi. Quæ magis §. ſequenti expendam.

Rationibus, & validiſſimis congruentiis proba- 452.
tur eadem ſententia S. Tho. Primò, quia ſi ſolum aqua benedicta hoc faceret ad remiſſionem venialium, quia excitaret motum contritionis, vel attritionis, qui immediatè expelleret peccatum veniale, non quia ipſa ex opere operato remiſſionem cauſet, ergo ſi Sacriſta non habens aquam benedictam non benedictam poneret, vt

ingredientes Ecclesiam se lustrarent, si quis ingrediens illa aqua non benedicta se aspergeret æquè dimitterentur illi venialia, ac si esset benedicta. Probatur, quia ingrediens putat esse benedictum: ergo vel aqua benedicta non habet ex sua institutione excitare venialium aliqualem detestationem, quæ sit dispositio ad remissionem venialium, vel aqua non benedicta, putata benedicta eumdem effectum præstabit ac præstat aqua benedicta; consequens autem omnino falsum est; & Alexandrum I. *cap. aquam* determinat *aquam benedictam conspersam sale, & exorcizatam fideles sanctificare, & purificare*, si enim hoc non habet ex opere operato, & ex sua institutione, ad quid tanta cura benedicetur? frustra enim exorcizaretur. 453.

Quod si dicas quod Deus speciali concursu concurrit cum eo qui se aspergit aqua benedicta, quã qui se aspergit aqua prophana putans esse benedictam ad excitandum motum detestationis peccati venialis. Contra est, quia hic concursus, & speciale auxilium exigit aqua lustralis ex vi suæ institutionis, quia ad hunc finem instituta est ab Ecclesia, & ita habet ex opere operato. 454.

Secundò, quia ad hoc quis accipiat aquam benedictam; vel faciat aliquid ex Sacramentalibus, quæ instituta sunt ex communi vsu fidelium ad remissionem venialium, vult saltem virtualiter, & implicitè hanc remissionem, & habet venialium sufficientem detestationem, vt simul cum aqua benedicta remittantur ei, si non adsit aliquod impedimentum, vel delectatio alicuius venialis: ergo talis detestatio simul cum aqua benedicta, absque alio speciali dolore, vel pœnitentia id præstat. 455.

Tertiò, quia si hæc ex opere operato non remittunt venialia idem esset quantum ad hoc benedictio Episcopalis, aut benedictio cuiuslibet Sacerdotis, aut laici; dicere Credo, aut Pater noster, orare in Ecclesia consecrata, aut non consecrata, vngi oleo sancto, ac non sancto, edere panem benedictum, aut non benedictum benedictione Ecclesiæ, quod, me quidem iudice, dici nequit, nam panis benedictus more antiquissimo fidelibus dabatur in Ecclesia, vt esset salus mentis, & corporis illum edentibus, & speciali benedictione benedicebatur, sicut aqua benedicta, vt constat ex Bruchardo *in suo Decreto lib 5 c.28.* cuius benedictio instituta fuit à Pio Papa II. à S. Petro, quem panem appellabat benedictionis, & sic Dominico die in partes paruas diuisus populo dabatur, vt constat ex Bruchardo *lib.5.c.27.* 456. 457.

Faciunt mentionem de hoc pane benedicto Nazianz. *Orat. 19. in laudem Patris sui.* August. *Epist. 34. in fine, & lib.2. de peccator. merit. & remiss. cap.20. & 26.* vbi sic loquitur: *non vnius modi est sanctificatio, nam & Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Crucis, & orationis, manus impositionem puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, Sanctorum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur.* Hæc ibi, quare panem benedictum Catechumenis dabatur, quibus denegata erat Eucharistia, dicitque August. quod sanctificabantur hoc pane, *quia Sanctorum est, & sanctius quam cibi communis*, & sic ex opere operato aliquid ad sanctitatem operabatur in Catechumenis. Fecit etiam mentionem de pane benedicto Paulinus *Epist.1. ad Seuerum, & Epist.45.* ad Alipium Honorius *in gemma animæ c. 67.* & Nicolaus Cabasilas *in liturgia explicat. cap.53. & in Concilio Matisconensi cap.50.* 458.

§. IV.

Eadem sententia ratione à priori ostenditur vera.

HVius veræ sententiæ fundamentum à priori nobis tradit Caiet. *3.p.q.83.art.3.* & ex ipso Sotus, & Ledesma, & sic formari potest. In Ecclesia reliquit Christus potestatem instituendi signa efficacia, sensibilia, quæ continerent, & efficerent remissionem peccatorum venialium, ergo ista si applicentur subiecto bene disposito ex opere operato causabunt talem remissionem. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Primò, ex illo *Ioan.20.num.23.* vbi tradens Christus potestatem remittendi peccata dicit, *Quorum remiseritis peccata remittentur eis.* vbi Christus de omnibus peccatis tam mortalibus, quam venialibus loquitur, vt definit Trident. *sess. 14.* & est indubitatum. Quibus verbis traditur potestas dimittendi venialia, multis aliis modis quam per Sacramentum, ex eo quod istud non est necessarium ad horum remissionem, neque Christus instituerit aliquod aliud cui competat per se talis remissio, atque ita Ecclesia id potest instituere. 459. 460.

Quod me quidem iudice efficacissimè probatur, quia multi ex præfato testimonio, vt Valent. *3.p.q.20.punct.2.* & aliis: omnes tamen tam Scholastici, quam ferè vniuersa Patrum cohors, ex simili testimonio *Matth.16.* vbi Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cœlis, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis.* Colligunt datam esse Petro Ecclesiæ capiti potestatem quandam supernaturalem, ad dispensandas diuitias immortalitatis. Docent Ambros. *serm.66.* S. Maximus *homil.6. de Sancto Petro, & Paulo*, Origenes *hom.6. in Matth.* & multi alij apud Suarez *tom.4. in 3 p. disp.49. sect.1. num.13.* qui hos Patres, & omnes Scholasticos sequens ex isto loco probat dari in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, quibus ex opere operato remittatur per se pœna debita pro culpis iam expiatis: ergo cum verba Christi ita vniuersalia sint, significantia amplissimam potestatem esse concessam ad soluendum, & ligandum, & vere remissio venialium sint diuitiæ non contemnendæ immortalitatis, eisdem verbis significatur posse instituere signa sensibilia quæ ex opere operato venialia remittant, neque enim video cur ex præfato testimonio vnum colligatur, & non aliud. 461. 462.

Secundò, quia censura est pœna spiritualis, & ligatio quædam spiritualis, hominis, qua ligatur, ne participet aliquem fructum spiritualem, & tamen ad tollendum hoc spirituale ligamen potest Ecclesia instituere aliquod signum sensibile, quod ex opere operato causet hunc effectum priuatiuum: ergo pari modo potest instituere signum ad remissionem venialium. 463.

Tertiò, quia Innocentius III. respondens Bracharensi Episcopo, *cap. vltimo de Sacra vnctione in Decretalibus.* mihi videtur hanc rem determinasse. Cum enim quidam Episcopus fuerit consecratus, accipiens potestatem Episcopalem, & omissa fuerit Sacra vnctio, quæ 464.

non

non est de essentia Episcopatus, vt dixit Vasquez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 240. *num.* 58. respondet: *Nos quod illi defuerat mandauimus in ipsis suppleri, facientes caput eius, & manus per Albanensem Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundum morem Ecclesiasticum sacro Chrismate deliniri.* Et mox loquens de Sacra Vnctione in vniuersum dicit, *duas esse Vnctionis species, exteriorem, quæ materialis est, & visibilis; & interiorem quæ spiritualis est, & inuisibilis. Exteriori visibiliter inungitur corpus, interiori inuisibiliter inungitur cor.* Et infrà. *Vnctio visibilis, & exterior signum est interioris, & inuisibilis vnctionis, vnctio vero inuisibilis, & interior, non solum est signum sed etiam Sacramentum, quod si dignè sumitur absque dubio vel agit, vel auget absque dubio quod designat: ad exhibendam autem exteriorem, & visibilem vnctionem benedicitur oleum, & conficitur Chrisma*, &c. quæ ibi.

466. Ex quibus sic argumentor, hic loquitur Pontifex de Sacra vnctione, quæ communis est omnibus sacris vnctionibus, siue qua vngitur infirmus, siue Rex, siue Episcopus, &c. Et dicit quod visibilis, & exterior est signum interioris, & quod hæc agit, vel auget quod significat: ergo cum sacra vnctio vt sic non sit propriè Sacramentum, quamuis aliqua, qualis est infirmorum, sit vnum ex septem Sacramentis, manifestum est quod sacra vnctio Episcopalis, aut Regia erit solum Sacramentale quoddam, & sic erit & visibilis, & inuisibilis, *quæ absque dubio aget, vel augebit quod significat.* Est ergo in Ecclesia potestas ad instituendum signum sensibile, quod absque dubio agat quod significat, si dignè sumatur, atque ita potest instituere signa sensibilia, quæ ex sua institutione causent remissionem venialium culparum.

467. Quartò, quia potestas quam habet Ecclesia Romana est potestas Summi Sacerdotij, participata tamen à summa potestate excellentiæ Sacerdotij noui, quæ in Christo residet primo, & per se, & ex natura sua, qua est mediator Dei, & hominum vnde quidquid à potestate Ecclesiæ efficaciam habet ad aliquem effectum, eam accipit, vt à prima radice à Sacerdotio, & potestate Christi, à qua sicut immediatè accipiunt suam efficaciam Sacramenta, ita & Sacramentalia; quæ etsi instituta sint ab Ecclesia immediatè, tamen suam efficaciam ex opere operato ad remissionem venialium à Christi Sacerdotio promanat, & in ipsum, vt in primam radicem est refundenda, quamuis immediatè causetur à potestate, & Sacerdotio participato capitis visibilis Ecclesiæ, ex quo ista Sacramentalia habent specialem capacitatem vt sint instrumenta Dei ad causandum effectum ad quem sunt instituta.

§. V.

Respondetur argumentis oppositæ opinionis.

468. NOn mediocres vires resumit nostra S. Thom. sententia ex manifesta solutione argumentorum oppositæ. Ad primum respondetur, quod Sacramentalia causant remissionem venialium in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum explicitè vel implicitè: hæc autem detestatio saltem implicita est motus reuerentiæ ad res diuinas, & ad Sacramentalia quæ sunt instituta ad venialium remissionem, vt supra vidimus ex D. Thoma.

Ad secundum respondetur negando antecedens, 469.
vt probauimus §. 3. ex Sacra Scriptura, & Patribus; quid autem de singulis probationibus quæ ibi adducuntur sentiam dicam capite sequenti.

Ad tertium respondetur, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia sicut Sacramentum simul cum attritione rectificat obliquitatem quam causauit in anima peccatum mortale, quamuis attritio sine Sacramento non esset sufficiens ad re- 470.
ctificandum, & abstergendum maculam mortalem, ita detestatio virtualis venialium, de qua loquimur; non est sufficiens sine Sacramentali aliquo auferre maculam, & peccatum habituale veniale; est tamen sufficiens simul cum aliquo ex Sacramentalibus.

Ad quartum respondetur, Primò, quod multi dicunt remitti veniale per solum non imputationem, & dimissionem iniuriæ, de quo dixi suprà. Respondetur secundò, quod Sacramentalia per 471.
virtutem supernaturalem quam habent causant quandam dispositionem physicam (sunt enim physica instrumenta remissionis venialium) sicut de Sacramentis dictum est, ratione cuius dispositionis gratia habitualis extenditur ad expellendum veniale.

Ad quintum respondetur negando sequelam, 472.
quia Sacramenta ex opere operato causant gratiam, vel illius augmentum, & Sacramentalia nihil horum causant, sed remissionem venialium modo explicato *in solutione ad* 4.

Ad sextum respondet S. Thom. *vbi suprà*, qui sibi idem argumentum proposuerat, *quod Sacramentalia, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium venialium; potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quir-* 473.
bus mens actualiter inhæret; sicut per fictionem interdum impeditur effectus Baptismi. Hæc ille. Vnde, sicut ablata fictione Baptismus causat suum effectum, ita ablata actuali inhæsione ad venialia Sacramentale causabit suum effectum.

§. VI.

Quid de singulis Sacramentalibus sentiendum?

COmmuniter DD. Sacramentalia recensentes septenario numero comprehendunt, vt vidimus initio huius tractamus. Orationem Dominicam, Pater noster, aut quælibet alia quæ fiat in Ecclesia consecrata, & pectoris tunsio, de quibus Aug. *in Enchirid. ad Laurent. c.* 71. & refertur *cap.* 474.
de quotidian. de pœnit. dist. 3. *& in lib homiliar. homil. vlt. cap.* 3. refertur *cap. tres sunt de pœnit. dist.* 1. ex Aug. *Epist.* 108 *ad Seleucianum.* Et de Ecclesia consecrata colligit S. Tho. 3 *p. q.* 82. *art.* 3. *ad* 3. *ex illo* 3. *Reg. c.* 4. *qui orabit in domo hac propitiaberis.*

Secundum Sacramentale est aqua benedicta, 475.
quam instituit Alexand. I. & à Petro V. *Ep.* 1. *c.* 5. refertur *in cap. aquam de consecrat. dist.* 3. & me quidem iudice est indubitatum, cum apud Patres hæc sit phrasis quod *aqua benedicta habet vim ad depellenda peccata.* Ita S. Clemens Rom. *lib.* 3. *institut. cap.* 44. *& lib.* 8. *cap.* 29. Cyrill. *cathech.* 3. Tertullian. *lib. de Baptism. cap.* 4. Concil. Carthag. *cap.* 18. Innocent. III. *serm.* 3. *in Pentecost.*

Tertium est *edens*, vel Sacra Eucharistia vt volũt 476.
aliqui, quod mihi non placet, cum hæc sit Sacra-

tum ; vel panem benedictum , vel vt vult Paludanus *supra citatus*, & constat ex his quæ diximus §.3. ratione vltima. Quartum est *confessus*, id est confessionem generalem dicens quæ recitatur *ad primam* initio diei, & *ad completorium* in fine,quæ colligitur ex communi Ecclesiæ consuetudine instituentis , vt pro peccatis dimittendis dicatur , & sic eam dicens absoluit, *& dimissis peccatis tuis* , &c.

477. Quintum est , *dans* , id est , eleemosynam ; ita S.Ambros. *serm.in Dominica de Abraham*,refertur *cap. Medicinam de pœnit. dist.*2. Chrysost. *hom. 9. ex epistol. ad Hebræos cap.6.* refertur *cap. Medicamentum eadem.* Et probat S.D. ex illo Lucæ 11. *Date eleemosynam , & ecce omnia munda sunt vobis.* Hieronym. *ad cap. 4. Daniel.* Qui Regi dixit, *Peccata tua eleemosynis redime.* refertur *eod.cap. Quamobrem.*

478. Sextum est , *benedicens* , id est Benedictio Episcopalis, de quo innuit Aug. *lib.qq. veter.testam. cap.*11. refertur *ex cap.dictum est* 1. *quæst.*1. idem est dicendum de Abbatibus qui possunt solemniter benedicere,quando impertiuntur benedictionem,de quibus Barbosa *lib.*1. *iuris Eccles.cap.*17. *à num.* 48. Quæ benedictio efficax est, & remissionem venialium ex opere operato inducit ; si enim Summus Pontifex potest concedere potestatem Abbatibus consecratis quod minores ordines tribuant, quæ potestas ex opere operato ordines causat , cur non poterit concedere , & instituere quod Benedictio Episcopalis remissionem venialium causet, si recipiens sit bene dispositus? Septimum est *sacra vnctio* de qua *in cap. vnico,de Sacra vnctione* , quod supra ponderauimus. Alij alia Sacramentalia referunt , sed vel non sunt nisi ista, ad ista ve reducuntur, vt est *susceptio cinerum* in Quadragesimæ initio , quæ reduci potest ad tunsionem pectoris.

479. D. Thomas vbi supra ad duo capita , vt vidimus , Sacramentalia reduxit , ad ea quæ sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum , qualis est confessio generalis peccatorum , tunsio pectoris, & Oratio Dominica , aut quæ sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum , qualis est benedictio Episcopalis , aspersio aquæ benedictæ , quælibet Sacramentalis vnctio , oratio in Ecclesia dedicata. Vnde omisit panem benedictum , quem ex consuetudine Ecclesiæ benedici ad expulsionem venialium constat ex his quæ ex August. & aliis Patribus supra retulimus. Dicere autem quod nomen *Sanctificatio* ibi sumatur, sicut & in aliis per sanctificationem prouenientem ex opere operantis , sicut aliquoties sumitur in Sacra pagina,falsum est , & violentum cum commodè , & suauiter possit intelligi sanctificatio ex opere operato; sic enim magis excitantur fideles ad horum Sacramentalium reuerentiam, & frequentiorem vsum.

480. Addo non incongruè inter Sacramentalia posse numerari *Signum Crucis*, *& impositio manuum Episcopi.* Quæ duo sicut , & panem benedictum ibi ponit August. & videtur comprehendere D. Thom. dicens : *Etsi quæ alia sunt huiusmodi operantur ad remissionem venialium peccatorum.* Et quidem adeo mirabiles effectus Patres tribuunt *signo S. Crucis* , in frontibus, vel pectore impresso , vt remissio culparum venialium potiori iure illi conueniat , quam aliis Sacramentalibus , quæ à Cruce Domini virtutem, & efficaciam habent. Legantur Clemens Roman. *lib. 3. Apost. constit. cap. 16.* vbi illud appellat *signum inconfractum* , *& custodia munitissima.* Tertullian. *lib. de Corona milit.* Cyprianus *Epist. 6. lib.* 4. *& lib. aduersus Iudæos cap.*16. dicit , *quod signo Crucis nos & tuti sumus semper , & viuimus.* Origen. *hom.*8. *in diuers. Euang. locos* , ipsum appellat *immortale lauacrum.* Lactantius *lib.*4. *c.*26. monet Christum iis omnibus prodesse qui signum Crucis in fronte conscripserint. Legatur Chrysost.*hom.*88. *in Matthæum.* Hieronym. *Epist.*8. *ad Demetriadem cap. 6. & Epist. 22. ad Eustochium cap.* 16. 481. Prudentius in Hymno ante somnum :

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem , locumque cordis
Crucis figura signet
Crux pellit omne crimen
Fugiunt Crucem tenebræ.

Quare Augustinus *serm. 19. de Sanctis* dixit , *Crucis signum ad coronam prouehit , hoc maleficia destruit , & omnia Dæmonum machinamenta ad nihilum redigit.* Beatus Ephrem. *lib.de Pœnitent. cap.*3. Nazianzen. *Orat.* 3. Cyrillus Hierosolym. *Catechis.*4. iterum Chrysostom. *hom.*55. *in Matthæum* , & alij Patres, qui mirabiles effectus Cruci tribuunt , sicut Alexander I. tribuit aquæ benedictæ.Vnde Euthymius *part.* 2. *Panoplia* dixit: *dist.* 20. *Crux manu signata res omnes sanctificat , quibus adhibetur , sicut aquam Baptismi , Oleum & Chrisma.*

Eleemosynam etiam omisit S. D. à Sacramentalibus de qua fateor non inuenire quomodo remittat venialia. Etsi enim opus sit valde acceptum apud Deum, & per modum meriti, & satisfactionis de condigno, si fiat in gratia, & ex charitate conducat adremissionem venialium culparum ; tamen per modum Sacramentalium ex opere operato non video quomodo ea remittat.Quãuis enim vt notat S.Thom. 2-2. *q.*32. *art.*4. afferat fructum spiritualem, in quantum scilicet proximus cui per corporalem eleemosynam subuenimus mouetur ad orandum pro benefactore,iuxta illud Eccli 29. 15. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis , & hæc pro te exorabit ab omni malo,* tamen totum hoc est ex opere operantis, qualiter & peccata mortalia (qualia erant Regis Nabuchodonosor , cui alloquebatur Daniel , dum dicebat , *Peccata tua eleemosynis redime*) potest remissionem efficere. Neque enim eleemosynæ largitio video quam detestationem habeat venialium , præter quodlibet aliud opus virtutis , vel abstinentiæ , nisi fiat ex imperio charitatis , tunc enim venialia remittet , sicut & charitas ipsa à qua imperatur. 482. 483.

Nisi dicamus quod eleemosynæ tributio ex communi Ecclesiæ vsu instituta est ad remissionem venialium ex opere operato, quod facere posse vidimus ; quod innuit Yuo Carnot. *pag.*5. *sui Decreti c.*70. ex Concilio 2. *Cabilonensi cap.* 36. celebrato sub Leone I I I. & Carolo Magno *anno* 813. quod Concilium adducit illud *Eccli.* 3. *num.* 33. *Sicut aqua extinguit ignem , ita eleemosyna extinguit peccatum.* Vnde Cyprianus *lib. de opere, & eleemosyn.* illam æquiparat Baptismo : *Baptismum* , inquit, *imitata Dei indulgentiam largitur.* Idem dicit Augustinus *hom. 39. lib. 50. homiliar.* Ambrosius *serm. 1. in Ecclesiastic.* qui habetur *tom.*2. *& serm.*2. *de eleemosyn. & serm.* 42. Cum autem hæc Patrum dicta non possint intelligi 484.

quantum

quantum ad remiſſionem mortalium ex opere operato ſicut facit Sacrum Baptiſma, debent de remiſſione venialium.

485. Ex quibus conſtat quid dicendum ſit ad ea quæ P. Granados obiicit ratione ſua : conſtat enim quomodo horum Sacramentalium vim, & efficaciam colligamus ex Sacris Conciliis, Summorum Pontificum Decretis, Sanctorum Patrum ſententiis, in quibus omnibus fundatur vſus, & conſuetudo fidelium; quamuis enim oratio Dominica, ſicut & eleemoſyna peccata mortalia deleat, ſed non ex opere operato, quia iſta remitti non poſſunt ſine gratia habituali quam non infundunt ex opere operato eleemoſyna, & Oratio Dominica, ſed ſolum ex opere operantis; at peccata venialia remittunt ex inſtitutione Eccleſiæ cum ad hoc non requiratur infuſio gratiæ habitualis, vt vidimus.

§. VII.

De aliis effectibus quos cauſant Sacramentalia, quomodo ab illis proueniant?

ALexander Primus *Epiſt. citata*, non ſolum tribuit aquæ benedictæ venialium remiſſionem, ſed plures alios, quales ſunt *Sanitas corporis, auerſio inſidiarum Dæmonum, defenſio à phantaſmatibus, & verſutiis inimici*; quos effectus tribuunt illi Clemens Roman. *vbi ſup.* Epiphanius *hæreſ.* 30. Palladius *in Hiſtor. Sanctor.*
486. *cap.*19. *&* 20. Gregorius *lib* 9. *Epiſtolar.*71. *ad Mellitum* Beda *lib.*5. *Hiſtor. Angl. cap.*4 Concil. Nannetenſe *cap.*4. *&* 5. vbi dicit, *quòd aqua benedicta aſpergantur manſiones, agri, vineæ, pecora, & eorum pabula, cibus etiam, & potus conſpergatur.* Petrus Dam. *ep.* 15. *de Contemptu mundi cap.*18. Hugo Victorin. *lib.*2. *de Sacramentis part.*9. *cap.*2. & innumeri alij. Quare hos effectus aquam benedictam cauſare nulli dubium eſt, & ſic Eccleſia in exequiis mortuorum corpore præſente aqua benedicta corpus, & tumulum aſpergit, ad fugandos Dæmones, ne fideles inquietent, tum etiam, vt vult Ledeſma *vbi ſuprà*, vt defuncto deſeruiat ad remiſſionem pœnæ temporalis. Igitur Dubium eſt quomodo hos effectus operetur aqua benedicta? & quidem quantum ad pœnæ temporalis remiſſionē probabile eſt quod ex opere operato per aquam defuncto dimittatur, vt Ledeſma *vbi ſuprà.*

De aliis effectibus quos Patres tribuunt Sacramentalibus, aquæ benedictæ, conſecrationi Eccleſiæ, Cruci Chriſti, & nomini Ieſu fideliter dicto, & aliis Eccleſiæ exociſmis dubium eſt an ex opere operato, & phyſice remiſſionem venialium operentur, an ſolum ex opere operantis oratione, vel impetratione fiant, & vt verbis vtar Aug. *vt qua per exorciſtas fieri dicuntur eis orantibus tantum, vel impetrantibus, non etiam operantibus fiant.*

488. Negant fieri hos effectus ex opere operato Suarez, & Coninch *vbi ſuprà*, aſſerentes hos effectus non cauſari ex opere operato, ſed ſolum impetratorie, & meritorie, ratione precum Eccleſiæ, vel per modum imperij orti à poteſtate quam Deus contulit Eccleſiæ calcandi Dæmones, & eos eiiciendi à corporibus.

At affirmant fere omnes Thomiſtæ ſupra adducti, quibus adiungo Doctiſſimum M. Fr. Raphaelem de la Torre 2.2.*q.* 90. *art.*2. *diſputat.*14. Et quidem ſuppoſitis his quæ diximus eſſe in Eccleſia poteſtatem excellentiæ diffuſam, & participatam à Chriſto, virtute cuius res iſtæ habent virtutem quandam ſpiritualem, efficacem ex aſſiſtentia Diuina ad remiſſionem peccati venialis, & pœnæ temporalis, non video cur ad alios effectus non concurrat phyſice efficienter inſtrumentaliter.

Quod mihi perſuadeo hoc diſcurſu contra 489.
Suarez & alios qui moti authoritate Patrum, & modo loquendi Conciliorum aſſerentium Sacramenta eſſe gratiæ inſtrumenta, quia habent vim, efficaciam, & virtutem quod eam contineant, operantur, producunt, & efficiunt. Ex quibus colligunt omnes Catholici Sacramenta cauſare gratiam ex opere operato. Et nos cum Suarez, & fere omnibus Thomiſtis colligamus eſſe inſtrumenta phyſica gratiæ, atqui de aqua benedicta, vt ſupra vidimus ſimiliter dicunt Patres habere virtutem vim, poteſtatem, & efficaciam ad depellendos Dæmones, fugandam infirmitatem, & extirpandas fraudes inimici.

Imo hoc petit Eccleſia Latina in benedictione 490.
aquæ : *virtutem tuæ Benedictionis infunde, vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens ad abigendos Dæmones, morboſque pellendos diuinæ Gratiæ ſumat effectum.* Eamdem petitionem habent aliarum Eccleſiarum Cæremonialia in aquæ benedictione; in Græca, in Syriaca, ſiue Chaldæa; in Ethiopica. Iodocus Coccius in Theſauro Catholico *lib.*5 *art.*8. *pagina mihi* 531. Et quidem cum Eccleſia vniuerſalis hanc virtutem pro aqua expoſcat orationibus inſtans, quis negabit eam conſequi, & impetrare à ſuo Sponſo Chriſto? & quidem cum hæc virtus phyſica inſtrumentalis non repugnet, prudenter iudicandum eſt eam expoſcere, cum Oratio Eccleſiæ in ſignificatione propria ſit intelligenda quando nullum ſequitur abſurdum, iuxta Auguſtini regulam.

Sed audi qualiter loquantur Patres de vi, & ef- 491.
ficacia exorciſmorum, olei benedicti, & Chriſmatis. Cyril. Hieroſol. *catheche.*2. *myſtagog. Sic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deique inuocationem tantam virtutem conſequitur, vt non modo peccatorum ardentia veſtigia expurget, verum etiam inuiſibiles Dæmones repellat.* Cyprianus *lib.*2. *Epiſt.*2. *Inde iam facultas datur in medelam dolentium vulnerum, venereorum virus extinguere, animorum deſipientium labes, reddita ſanitate purgare, &c.* & *lib.*4. *epiſt.*7. *Per exorciſtas voce humana, & poteſtate diuina flagellatur, vritur, & torquetur Diabolus.* Optatus Mileuitanus *Hoc exorciſmus operatur per quem ſpiritus immundus depellitur.* Haymo *hom. de Aſcen. Dom. Quotidie Eccleſia ſpirituales virtutes operatur, quas per Apoſtolos prioribus temporibus operabatur.* Quare Chriſtus Lucæ 29. 1. dedit Apoſtolis poteſtatem, & virtutem, ſuper omnia Dæmonia, & vt languores curarent. In quæ verba ſatis elegantter Cyrillus apud *D. Thom. in Cathena.* Hieronymus, Remigius, & Chryſoſtomus *in eadem Cathena, cap.*10. *Matth. num.*1.

Quare ſicut tunc Apoſtoli per gratiam gratis 492.
datam miraculorum phyſice, tanquam inſtrumenta Dæmones expellebant, & curationes cauſabant vt docet *ex Gregor. lib.*2. *Dialog. cap.*30. D. Thom. 2.2. *quæſt.* 178. *art.*1. *ad* 1. & ex vtroque Caiet. *ibi.* §. *ad hoc dicitur.* ita etiam nunc Eccle-

sia, & Ministri eius, per exorcismos, & aquam benedictam supernaturali virtute illis communicata hæc operantur, vt aiebat Haymo; *potestas enim Apostolorum ad hæc mira faciēda deriuata est ad posteros Ministros.* Et quidem cum tam Christus quam Apostoli physicè hæc mira facerent, vt expressit S. Thom. *quæst. 6. de Potentia. art. 4.* fatendum est eodem modo ea patrare subsequentes Ministros, qui eius virtute, & nomine vtuntur; aliàs non magis efficerent mira Ministri Christi, quam ministri dæmonum Magi suis incantationibus mediis quibus expellunt dæmones.

493. Verum est quod quamuis aqua benedicta, & alia Sacramentalia habeant hanc energiam, & efficaciam ad hos effectus causandos ex opere operato non tamen semper eos causant, vt expresse docent Origenes *hom. 24. in Iosue.* Augustin. *lib. 83. quæst. 79.* quos sequuntur Caietan. *ad cap. vltimum Marci.* Victoria *in Relection. de Magia. quæst. 6.* Sotus *in 4. distinct. 6. quæst. 2. art. 3.* Thyreus *3. part. de Dæmonibus. cap. 44. num. 612.* Delrius *lib. 3. disquisitio. quæst. 71. art. 3.* Cuius effectus impedimentum potest esse, vel quia nobis non expedit, vel ex defectu fidei, tam operantis, quam obsessi, vel quia iste nondum luit pœnas debitas, *vel Deus* vt ait Augustin. *vbi supra, prohibet occultis modis,*

494. cum id iustum, atque vtile iudicat, vel ad confundendos malos, vel ad monendos bonos, vel ad discernēda dona membrorum Ecclesiæ, cum enim virtutem ista efficiendi donet Deus huiusmodi rebus per modum transeuntis ad efficienda hæc mira, potest vt libuerit dare, vel non dare. Vnde & Apostoli *Matth. 17. num. 18.* non potuerunt Dæmonia eiicere.

Ex quo fit primò, quod ad Dæmonum expulsionem, vel detentionem ab infestationibus, ad sanitatem causandam & alios effectus quos causari diximus à Sacramentali aqua, & exorcismis,

495. sicut Deus concurrit physicè, & eo modo quo concurrit vt causa principalis, concurrunt ista vt causa physica instrumentalis eleuata per virtuosam motionem, sicut de Sacramentis diximus; nec est maior difficultas quantum ad hoc in Sacramentalibus, quam in Sacramentis.

496. Fit secundò, quod in Cruce Christi, Agno Dei, de quibus supra, non solum habent naturaliter ex se quandam vim per modum obiecti, excitandi fideles, qui eorum virtutem norunt, & institutionem, ad quandam pietatem, & reuerentiam, quatenus nos excitant ad cogitationem Diuinæ Maiestatis in illis nobis repræsentatæ, vt vult Ægidius Coninch *vbi supr. n. 23.* sed etiam quandam virtutem effectiuam supernaturalem ad huiusmodi cogitationes, & detestationes causandas instrumentaliter physice, quidquid ipse dicat *numer. 28.* potest enim Ecclesia instituere signa sensibilia vt supra vidimus.

Resolvtio X.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe, validum tamen?

SVMMARIVM.

497 *Sacramentum Pœnitentiæ an possit esse informe, validum tamen?*
498 *Sententia negans adducitur, & roboratur.*
499 *Sententia affirmans, vt omnino probabilis eligitur & firmatur.*
500 *Expenduntur varij dicendi modi, & primò P. Francisci Suarez.*
501 *Modus Paludani, & Capreoli trutinatur.*
502 *Modus dicendi Petri de Soto, & aliorum expenditur.*
503 *Modus dicendi Martini de Ledesma, & aliorum perpenditur.*
504 *Modus dicendi Dominici de Soto enucleatur.*
508 *Fit satis argumentis oppositæ sententiæ.*
513 *Quis effectus causetur à Sacramento Pœnitentiæ informi?*
526 *Qua ratione Sacramentum Pœnitentiæ informe causet gratiam ablato impedimento explicatur.*

497. MVlti ex Authoribus Societatis affirmant falsissimum omnino esse id quod S. Thom. & omnis ferè eius Schola affirmant, posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum quidem quoad suam essentiam, informe tamen, quia careat effectu, scilicet, gratia remissionis peccatorum. Quod inpræsentiarum examinare decreui; est enim valde vtilis Resolutio ad praxim Confessorum & Pœnitentium.

§. I.

Sententia negans adducitur, & roboratur.

498. VAsquez *tom. 4. in 3. part. quæst. 92. art. 2 dub. 1. num. 13.* postquam in Superioribus excluserat omnes dicendi modos Thomistarum circa informitatem Sacramenti Pœnitentiæ, negat hoc Sacramentum posse esse validum, & informe. Pro qua sententia refert Adrianum, & Maiorem, D. etiam Thomam ausus est referre *in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corp. Vbi expresse docet contritionem esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ; Vnde videtur retractasse sententiam quam prius docuerat. distinct. 17. quæst. 3. art 4. quæstiuncula 1.* Hæc Vasquez, quem sequitur Syluius *q. 9. additionum art. 2. dub. vnico.*

Sed antequam huius Doctoris sententiam formem non possum non mirari quam minimo affectu semper legat Sanctos, nisi eos quos in sui dictaminis munimen affert, qui sibi videntur esse qualis ipse est affectus: qua ratione S. D. sententiam quam speciali subarticulo, seu quæstiuncula probauerat, defenderat, & fundarat, retractaret? dum incidenter de pœnitentia loquitur, non quidem secundum suam essentiam, secundum quam potest esse informis, & sine effectu remissionis peccatorum, sed secundum quod est formata causans gratiam in Anima, vt claris verbis docet in loco adducto ab isto Authore, vbi reddit rationem cur forma Sacramenti extremæ Vnctionis sit Oratio deprecatiua, & fiat forma indicatiui modi, sicut in aliis Sacramentis; *quia hoc Sacramentum (extremæ Vnctionis) non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri consequatur omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti rite peractis, sicut caracter in Baptismo, & Confirmatione, transubstantiatio in Eucharistia, & dimissio peccatorum in Pœnitentia existente contritione quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ.*

Hæc

Hæc ille. Quibus clare patet sermonem esse de Sacramento Pœnitentiæ *valido*, & formato per suum effectum; atque ita S. D. sententiam quam prius docuerat non retractauit, sed in ea tanquam certissima immobilis perseuerauit.

Hoc posito vt indubitato, sententia Vasquez. Primò, probatur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 4. cum enim Concilium *cap.* 3. dixisset, quod sunt quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe *contritio, confessio, & satisfactio: cap.* 4. sequenti dicit *contritionem, saltem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ disponit.* Ex quibus verbis sic arguit hic, Concilium attritionem, seu contritionem imperfectam, quam dixit esse partem Sacramenti essentialem dicit disponere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ: ergo eo ipso quod sit pars est dispositio, atque ita non potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.

Confirmatur, quia qualis qualis pœnitētia quæ ad minus est attritio quæ requiritur ad Baptismum formatum licet non sit illius pars, sicut est in Sacramento Pœnitentiæ, est tamen dispositio sufficiens ad consequendam gratiam, vt dicit idem Concilium *sess.* 6. *cap.* 6. iuxta illud Actor. *cap.* 22. *num.* 8. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum:* ergo cum contritio imperfecta quæ est pars Pœnitentiæ disponat ad consequendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ non potest dari Sacramentum hoc validum, & informe.

Secundò, probatur. Hoc Sacramentum datur per modum Iudicij, in quo sententia fertur contra reum se accusantem, & confitentem peccata sua, & sic non expostulatur aliud quam dignam accusationem, digna autem accusatio est quæ quidquid spectat ad essentiam accusationis in hoc iudicio habet, & sic talis refutari non potest quin absolutionem acquirat, & sic à Sacerdote non est alia inuestiganda dispositio doloris quam confessio ipsa essentialiter postulat ad constituendum essentiale iudicium, & validum. Quare aut quolibet dolore imperfecto Sacramentum hoc consequitur suum effectum, quod est absurdum, aut requiritur dolor firmus cum proposito euitandi futurum, qui est sufficiens ad effectum Sacramenti, & sic nunquam erit informitas ex defectu doloris.

Tertiò, quia cum confessionis, & Pœnitentiæ Sacramentum sit per se institutum ad reconciliandum hominem cum Deo intrinsece, & essentialiter est reconciliatiuum, & sic accusatio, & confessio debet ex natura sua tendere ad reconciliationem ad quod requiritur quod sit signum interioris doloris, & attritionis reconciliatiuæ cum offenso, qui dolor, & contritio imperfecta sat est ad gratiam consequendam, media qua homo Deo reconciliatur. Hanc sententiam etiam amplectuntur Ægidius Coninch 3. *part.* 4. *dub.* 5. & 11. Fagundez *lib.* 2. *in secund. Ecclesiæ Præceptum cap.* 2. *n.* 9. qui eam probat

Quartò, quia dolor supernaturalis, etiam si sit attritio, habet inclusum in suo motiuo, etiam si sit ob turpitudinem peccati dolorem peccati quia peccatum est Dei offensa: quæ ratio in omnibus aliis reperitur peccatis. Quare nisi pœnitens aliquod peccatum excludat per actum expressum de omnibus, etiam oblitis atteritur; si tamen habet hunc actum, iam in illo peccato quod excludit complacet, & sic accedit ad Sacramentum peccando, atqui ita non est validum. Etiam sequitur Layman *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 2. & 3. Turrianus *de Sacramento Pœnit. disp.* 28. *dub.* 2.

Quintò, ex Syluio, quia teste D. Thom. *q.* 8. *additio art.* 2. *ad.* 1. & *quæst.* 28. *art.* 8. expresse dicit quod contritio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, sed positis omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti semper ex operatione Ministri consequitur aliquis effectus, sicut Caracter in Baptismo, & Confirmatione, & transsubstantiatio in Eucharistia: ergo quandocumque Sacramentum Pœnitentiæ subsistit, & est validum remissio peccatorum datur, vel si non datur non subsistit.

§. II.

Sententia affirmans, vt omnino probabilior eligitur, & firmatur.

POsse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, tamen sine fructu gratiæ qua remittantur peccata, mihi indubitatum est, vtpote firmatum omnium fere Scholasticorum antiquo calculo D. Thom. Richardum, Paludanum, Capreolum, Durandum *in* 4. *dicit* 17. Sotum *dist.* 18. *citat.* Vasquez sequitur Caiet. *tom.* 1. *opusculorum tractat.* 5. *quæst.* 5. Petrus de Soto *lection.* 8. *de Pœnit.* Sylvest, *verb. confessio.* 1 *quæst.* 22. Canus *late, & docte part.* 5. *relect. de Pœnit.* §. *dupliciter* Nauarrus *in summ. cap.* 9. *num.* 13. Couarr. *in cap. Alma Mater part.* 1. §. 4. *à num.* 13. vbi eam dicit esse veram sententiam; quibus adiungo Reginald. *lib.* 6. *sect.* 6. *num.* 168. Valentiam 3. *part. disputat.* 7. *quæst.* 9. *punct.* 2. §. *ad quæstionem,* Granados *controuer.* 7. *disputat.* 3. *sect.* 3. Suarez *tom.* 4. *disput.* 20. *sect.* 5. Rodriguez *in summ. tom.* 1. *cap.* 57. *concluf.* 6 Henriquez *lib.* 2. *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 11. Toletum *lib.* 3. *summ. cap.* 10. Tabienam *in summ. verb. confessor.* 2. *quæst.* 39. *num.* 42. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 18. *in* 3. *conditione,* Ioannem à Cruce *in Directorio part.* 1. *de Sacramento Pœnit. quæst.* 3. *dub.* 9. *concluf.* 2. Petrum Fay *in additionib. ad* 3. *part. quæst.* 9. *disputat.* 1. Martin. de Ledesma *quæst.* 8. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 7. qui *dubio* 1. *pagina* 52. *column.* 4. dicit *asserere quod omnis confessio informis est iteranda est extremum erroneum, sicut dicere quod nulla informis est iteranda,* vtrumque satis docte confirmat, Petrum *de Ledesma in summ. cap.* 13. *de Pœnitentia conc.* 6. Nuño 3. *part tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2. Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 65. Gratianum *in cap. Quærat hic aliquis & in cap. vlt. de Pœnit. dist.* 3. Vincentium Candidum *tom.* 2. *disquisit.* 24. per totam. Sylvestrum *verb. confessio.* 1. *num.* 26. Et quis audebit resistere tantæ, & tam antiquæ nubi testium, vniformiter asserentium dari Sacramentum Pœnitentiæ validum? licet differant in modo, & radice, vnde hæc valididitas informis promanet, quos modos infra perpendam, si prius tradiderim fundamentum huius communis resolutionis. 499.

Quod nemo alius melius, & solidius posuit quam S. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. *tam in corpore quam in resolutionibus argumentorum*

rum. Et primum *ex corpore subarticuli* sic formatur. Quia Sacramentum Pœnitentiæ se habet veluti arbor qaædam quæ est causa remissionis peccatorum, & gratiæ sanctificantis, atqui amplius requiritur vt sit fructus productus ab arbore, quam ad hoc quod sit arbor ipsa, si quidem ad fructum requiritur terræ irrigatio, temperatus aër: si enim nimis frigidus sit, fructus non oritur, vel detinetur: ergo bene potest esse quod Sacramentum Pœnitentiæ validum sit, habens quidquid requiritur ad hoc quod ex ista, ad quod Patres, Concilia, & Antiqui solum exigunt materiam, & formam, atque ita potest esse quod sit Sacramentum Pœnitentiæ validum, quamuis non producat effectum, & fructum gratiæ, ad quam, ex Concilio Tridentino, in adultis requiritur aliqua specialis dispositio quæ vt sic non sit pars essentialis Sacramenti. Etenim Concilium *sessio. 6. cap. 6.* dum loquitur de modo quo se quis præparare debet ad percipiendam iustitiam, & sanctitatem in Baptismo dicit quod *mouere se quis debet aduersus peccatum per odium aliquod, & detestationem*, hoc est, *per eam Pœnitentiam quæ ante Baptismum agi oportet*, sine qua Pœnitentia, etsi consequatur validum Baptisma, non tamen fructus, qui est remissio peccatorum: ergo pari modo ad consequendum fructum Pœnitentiæ qui est gratia sanctificans aliqua specialis dispositio exigitur, quæ non exigitur ad eius valorem, & quidditatem; quia vt ait S. Doctor *potest quis non contritus peccata sua Sacerdoti innotescere, & clauibus Ecclesiæ subiicere, qui quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut est in aliis Sacramentis. Vnde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit.* Hæc ibi. Quam rationem manifestam esse iudico, quia hæc clauium subiectio non fit sine aliquo dolore peccatorum imperfecto, & virtuali; nec enim quis se subiicit alteri emendandus, & iudicandus, nisi aliquem dolorem habeat, & pœnitudinem eorum à quibus absolui desiderat.

Secundo ponitur aliud fundamentum desumptum *ex solutione ad 3.* Quia quamuis Sacramentũ Pœnitentiæ ex sui primaria institutione sit reconciliatiuum hominum cum Deo, nec de hoc nullus Catholicus dubitet, tamen actualis reconciliatio est finis Sacramenti, sicut quælibet operatio est finis sui agentis; at quamuis agens sit perfectum in sua natura potest impediri ne finem suum consequatur: aliud enim est aliquam medicinam esse sanatiuam, aliud sanare actualiter, nam virtus sanatiua fundatur in natura, & essentia physica rei, at sanatio actualis requirit bene dispositum subiectum; omnia autem Sacramenta sunt medicinæ animæ: ergo licet sint sanatiuæ possunt actu non sanare ex indispositione subiecti.

Tertiò, quia vt est de fide determinatum in Trident. *sess. 14. cap. 5.* Sacramentum Pœnitentiæ institutum à Christo Domino, tanquam iudicium in quo Sacerdotes sunt Præsides & Iudices qui pro potestate clauium remissionis, aut detentionis sententiam pronuntiant contra reum, qui pœnitens subiiciens omnia sua peccata mortalia præfatæ Potestati, vt à iurisdictione sua quantum ad vim absoluendi, vel detinendi ipsum absoluat, & correctum, & emendatum remittat tanquam eum qui digne se accusauit; digna autem accusatio est quod omnia sua peccata commissa propalet Sacerdotibus iudicibus, & suæ iurisdictioni supponat emendanda, & corrigenda; quod nullus facit absque aliquo dolore & odio in præfata crimina, si enim illa aliquo odio non prosequeretur nullatenus voluntarie ea iudici committeret, & eo ipso quod committat nullius habet expressam complacentiam sed omnia vere confitetur, & subiicit clauibus, & potestati iudicum qui proferentes sententiam, & absolutionem pœnitentem liberum mittunt absolutum, & absque obligatione iterum ea peccata subiiciendi clauibus Ecclesiæ & hunc effectum causat Sacramentum Pœnitentiæ validum, sed informe in pœnitente, sicut Baptismus, & confirmatio informis causat caracterem.

§. III.

Expenduntur varij dicendi modi, & primo Patris Francisci Suarez.

CVm præfatam opinionem Schola Thomistica doceat ad solatium, & consolationem fidelium quibus arduum est sua crimina alteri homini propalare, & sic appareat quam suaue est iugum Euangelij, operæpretium est iudicium ferre de variis casibus, & modis defendendi S. D. & Antiquorum sententiam, vt videant Confessarij qua ratione eam ad praxim reducere possint, dum consolantur fideles. 500.

Suarez *tom. 4. in 3. part. disputat. 20. sect. 5. à n. 7.* vt non recederet à sententia D. Thomæ, & Antiquorum speculatus est modum pure metaphysicum, & qui vix ad praxim reduci potest quo Sacramentum Pœnitentiæ sit validum, & informe; vt habens quatuor peccata mortalia, vt blasphemiam, furtum, adulterium, & homicidiũ, & de primo doleat propter specificam eius turpitudinem, si militer de secundo cũ absoluto proposito emendæ, de aliis vero duobus vel non recordatur, vel si recordatur, & illud confessori exponit non dolet cum absoluto proposito emendæ, sed per displicentiam tantum inefficacem, & velleitatem doloriferam, & hoc, inquit, ex inaduertẽtia inuincibili. In tali casu Sacramentum est validum, quia quod non doleat cum proposito emendæ de omnibus prouenit ex inaduertentia inculpabili, & aliàs habet attritionem cum proposito emendæ aliquorum, quæ est sufficiens pars essentialis Sacramenti. Rursus non est cum fructu sed informe, quia ad Sacramentum, vt cum fructu gratiæ fiat requiritur contrio, vel saltim attritio vniuersalis omnium peccatorum quæ non sunt confessa, qualis non est in præsenti casu; quia solum est dolor de duobus, & de aliis non dolet propter inaduertentiam inculpabilem. Hunc casum admittit Candidus *vbi supra. dub. 2.* sed dicit esse potius speculationem metaphysicam, quam casum moralem; illum tamen multis impugnat Fagundez, sed quæ Suarium non tangunt, nec officium.

Mihi tamen non arridet, tum quia inpracticabilis, tum etiam, quia vel attritio illorum duorum criminum, propter eorum specificam turpitudinem, si non haberet ille homo alia peccata est sufficiens ad fructum Sacramenti, & sic etiam si habeat illa quatuor erit sufficiens, quia de aliis duobus inculpabiliter non dolet, & sic idem est ac si inculpabiliter ignoraret, & ad memoriam non venirent, tunc enim indirecte remittuntur; si autem quod non est sufficiens dicas, quia Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* expresse dicit *quod*

contri

contritio imperfecta, quæ attritio dicitur concipitur ex turpitudinis peccati consideratione; & si voluntatem peccati excludat est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti.

§. IV.

Modus Paludani, & Capreoli trutinatur.

501. PAludanus, & Capreolus *vbi supra*, quos sequitur Archiepiscopus Hispalensis *ibi quæst. 2. art. 3. notab. 1. & seqq.* egregie explicant Sacramentum informe. Igitur hi tres Doctores sentiunt tunc fieri Sacramentum informe quando talis est dolor qui nec cum Sacramento esset sufficiens ad gratiam consequendam vt homo se iustificet à peccato. Qualis autem sit dolor iste imperfectus explicant, vt si dolebat de præterito non proponens cauere in futurum, putans inuincibiliter tale propositum non esse necessarium. Quam sententiam expresse docuit S. Thom. *in 4. distinct. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. sicut Baptismus est Sacramentum, quamuis quis fictus accedat, nec est mutandum propter hoc aliquid de essentialibus Sacramenti: ita confessio non desinit esse Sacramentalis, quamuis ille qui confitetur emendationem non proponat.* Quid clarius? quare modus iste multum practicabilis est, quod multoties contingit, maxime illis qui sunt in occasione proxima; isti enim multoties non habent propositum emendæ in futurum, & maxime dolent de præteritis, illis tamen non occurrit confiteri propositi defectum; si enim propositi defectus occurrat, vt necessario confitendus, & non confiteantur absque dubio nouum peccatum committunt in confessione, & sic habent fictionem positiuam oppositam valori Sacramenti, quod requirit quod quis confiteatur de omnibus peccatis, & sic idem est non confiteri scienter hanc fictionem, ac non confiteri aliud peccatum mortale; quare iniuste Gabriel Vasquez *vbi supra. num. 5. & 25.* imponit Paludano, & aliis quod dixerint quod si quis accedat aliquando ad Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore aliquo omnino, & ignoret hunc defectum Sacramentum erit validum, etsi informe; hoc enim nec somniauit Paludanus *art. 3. concl. 1.* contrarium expresse dicit ponens in hoc discrimen inter Baptismum, & Pœnitentiam.

Ex dictis infertur quod iudicium faciendum sit de sententia cuiusdam Ioannis de Ganaco quem referunt Capreolus *vbi supra*, & Ledesma *in 4. infra citando*, & vterque dicit esse probabilem. Asserit igitur iste Doctor, quod si pœnitens ita se habeat quod non doleat de peccatis, nec habeat propositum abstinendi, sed se habeat mere negatiue, quantum ad hoc, & ita constitutus omnia peccata sua vere subiiciens clauibus à quarum potestate vult absolui, in tali casu confessio est valida, licet informis; si tamen accedat cum bona fide putans hoc sufficere, & ignorans requiri aliquid aliud ad se reconciliandum Deo per confessionem, quam sententiam, vt dixi, probabilem iudicant tam Capreolus, quam Ledesma. Iste ex eo quod iudicet probabile, quod de essentia pœnitentiæ solum est confessio, & absolutio, & non contritio. Sed dubito an hoc sit hodie probabile post Concilium Tridentinum. Quare alio modo potest huius sententiæ probabilitas deprehendi, quæ multum potest ad praxim pertinere, si dicamus quod in confessione vera facta Confessori de peccatis commissis imbibitur dolor de peccatis sufficiens, vt sit materia proxima Pœnitentiæ, ad hoc vt sit Sacramentum validum, quamuis informe, si quis bona fide accedat, nec alius expressus dolor videtur requirere Concilium ad validitatem Sacramenti, bene tamen ad eius fructum consequendum. Quæ opinio si probabilis est, vt putant præfati, magnum solatium generat Pœnitentibus.

§. V.

Modus dicendi Petri de Soto, & aliorum expenditur.

502. SApientissimus Petrus de Soto in illa sua prudentissima Sacerdotum institutione loquens de necessitate confessionis *lection. 8. proposit. 3.* modum perfacilem, & satis practicabilem sic proponit; *Defectus perfectæ contritionis qui deprehensus non est à pœnitente, vel Sacerdote bona fide, & debita diligentia (quæ videlicet indicata est sufficere) agentibus, etsi nonnunquam fructum auferat absolutionis, non tamen nullam reddit confessionem, aut repetendam, sed est validum Sacramentum quod postea recedente fictione operabitur. Hæc est in qua solum locum habet prior sententia illa, & rationibus quæ pro illa factæ sunt satis probatur. Nullum ibi peccatum committitur, non repugnat rationi Iudicij illius sententia illa, nec Diuinæ. Bona fide se subiicit Ecclesiæ clauibus pœnitens, & Sacerdos secundum eas similiter bona fide absoluit; ratum est ergo vtrumque. Et confirmatur hoc, quia alioquin semper solicitum oporteret esse pœnitentem de iteranda confessione, cum nunquam possit certus esse de remissione peccatorum etiam cum Sacramento.* Hucusque ille. Qui omnibus diligentior extitit in examinanda veritate Confessionis validę sed informis. Quem modum dicendi amplectuntur Granados *vbi supra. num. 19.* Valentia, Victoria *in summ. quæst. 144.* Henriquez, & Toletus *locis citatis.*

Et quidem modus iste satis practicabilis est, & contingere potest quotidie quod quis bona fide putet habere dolorem sufficientem quem confessione peccatorum exprimit, & sic Sacerdos ipsum vere absoluat iuxta potestatem sibi traditam, cum reuera talis dolor non subsistat, qualis requiritur ad effectum Sacramenti percipiendum; sat tamen est dolor ille quem quis concipit re ipsa suorum peccatorum, dum illa bona fide positiua subiicit clauibus Ecclesiæ; quare sapienter monet præfatus Soto, absolutum debere habere intentionem absoluendi Pœnitentem. Aperte itaque dicimus imprudentis trepidationis esse vt Sacerdos aliquam conditionem ponat cum absoluit, aut in corde illam retineat. Certe aut non debet absoluere si iudicat fieri non debere, aut dubium habet, agit enim contra conscientiam; sed cum iudicat absoluendum esse, absolute absoluat, relinquens Deo, interim rogans vt ratum Deus habeat quod bona fide ab eo fit; nec aliter intentionem suam restringere debet, nisi similis velit esse iudici, qui iubet reo in iudicio vt soluat quod ab eo exigitur, si id debet.

Sed obiicies, quia dolor ille imperfectus, qui re ipsa est, quamuis bona fide putetur sufficiens, potest secum compati voluntatem efficacem iterum peccandi, ergo non est materia sufficiens ad

Sacra

Sacramentum Pœnitentiæ, & sic istud non erit validum, quia non potest consistere sine materia essentiali. Antecedens probatur, quia detestatio inefficax non excludit efficacem oppositi voluntatem, sicut dolor de proiiciendis mercibus in mare, non excludit voluntatem eas proiiciendi. Atque ita qui ita se accusat imperfecte de suis delictis, quod secum compatiatur voluntatem efficacem iterum committendi eadem peccata.

Respondetur, quod si accedens cum isto dolore imperfecto habeat actualem volũtatem iterum peccandi, absque dubio non conficit validum Sacramentum, quia tunc committit nouum peccatũ, & sic sacrilege suscipit Sacramentum: si tamẽ actu non habeat, & si possit habere, credẽs bona fide illum dolorem imperfectum sufficere, talis dolor est sufficiens materia vt Sacramentũ sit validum. Ita, & bene respondet Granados *num.* 20. iuxta hunc modum, qui addit *n.* 21. hoc operari bonam fidem, non quod faciat dolorem sufficientem, qui re ipsa insufficiens est, sed ne accedens peccet, quia si sciret dolorem illum esse insufficientem, peccaret lethaliter, & committens Sacrilegium faceret nullum Sacramentum.

Ex quibus infero cum Martino de Ledesma *infra citando pagina 54. column. 1. Quod quando quis confitetur omnia peccata sua, & aduertit quod parum dolet, vel quod manet in aliquo peccato quousque absoluatur, & confitetur illum suum imperfectum statum putans bona fide quod ad confessionem illud sufficit, & ad consequendam gratiam in confessione non est reiteranda confessio. Imo si quis confitetur peccata sua, & percipit quod parum doleat de peccatis, sed putat bona fide quod non est necessario confitendum quod parum doleat, & propterea non confitetur illud non est necessario iteranda illa confessio. Ratio horum est, quia omnes illæ confessiones sunt integræ ex intentione, & per accidens est quod non sint integræ, & ideo satis est postea quando scit veritatem confiteri fictionem, & peccatum in quo remanebat, id est, quod non fuit confessus putans quod non erat peccatum.* Hæc ille. Et sic intelligo ego S. Thom. quando dicit *dist. 19. citata*, quod est confitenda fictio, quando, scilicet, agnoscitur. Quæ omnia maximè sunt aduertenda pro pacandis conscientiis. In quibus iterum se firmat Ledesma *pag 54. colum. 8. concl. 8.*

§. VI.

Modus dicendi Martini de Ledesma, & aliorum perpenditur.

503. MArtinus de Ledesma insignis etiam Thomista, *in 4. part. 2. quæst. 8. art. 1. dub. 2. pagina 53. column. 4.* inquirit, *An confessio sit iteranda quando omissio cogitandi per quatuor horas est culpabilis, quia fecit Pœnitens paruam examinationẽ putans quod sufficit, & sic confitetur cum illa omissione culpabili moraliter?* Cui dubio respondet. *Quinta propositio sit responsiua ad hoc in illo casu non est repetenda confessio. Ratio est, quia esset turbare conscientias fidelium, & esset graue, quia non constat quod homines faciant totum quod possunt in hoc, Vnde si negligentia non sit volita, nisi pura omissio non est iteranda confessio. Probatur, quia est integre ex intentione, quia nec vult celare peccatum, nec fuit aliquod ex quo sequatur necessario obliuio, quia ille volebat examinare sufficienter conscientiam suam.*

Aliud exemplum est. Peccauit quis mortaliter ignorans vincibiliter illud esse mortale, sicut quis iurauit mendacium ad saluandam vitam hominis, putans vincibiliter illud non esse peccatum, venit sic ad confessionem, & examinat conscientiam suam, confitetur ommnia alia peccata, præter illud putans vincibiliter non esse mortale, talis non tenetur repetere confessionem. Probatur, quia confessio fuit integra ex intentione, & hoc est tenendum absque scrupulo, Hoc tenet Caiet. quæst. 7. de confessione. Hæc Ledesma, cui adstipulantur Canus *in Relect. de Pœnit. part. 5. fol. 115. §. colligitur deinde, & folio 116 §. Et illud.* Victoria *in summ. quæst. 160.* Dominicus Soto *in 4. dist. 18. quæst 3. art. 3. conc. 3.* quis eadem fere verba habet, ac Ledesma, iterum Caiet. *in summ. verb. confess condit. 10.*

Sed aduersus hanc sententiam quæ satis pia est, & secura in praxi inuehit Vasquez *vbi supr. art. 3. dub. 1. num. 4.* vti pse ait manifesta ratione, quia si confessio non est integre facta ex ignorantia culpabili mortaliter peccatum quod committitur eiusdem naturæ est; ac si ex industria fieret, aut ex ignorantia nimirum crassa, quia peccata quorum malitia consummatur in actu exteriori, vel omissione exteriori eiusdem speciei sunt, siue scienter, siue ignoranter fiant, vt est communis Thomistarum sententa; atqui si quis scienter velit omittere diligentiam sufficientem, aut non faciat ex ignorantia crassa, iste talis non confitetur valide ergo etiam si ex ignorantia mortali, quia vtroque committit sacrilegium.

Respondetur hoc argumentum friuolum esse, & nullius ponderis, quare concessa maiore, & minore negatur consequentia. Ratio disparitatis est in vtroque casu manifesta, quia quando quis vult explicite omittere diligentiam sufficientem aut laborat ignorantia nimis crassa, quæ supina dicitur, quæ est quando quis ex intentione non vult facere diligentiam, vt expresse notat Ledesma *loco citato, dub. primo §. ad hoc Dico*, habet aduertentiam explicitam quod satisfaciat præcepto Diuino de integritate confessionis: at quando habet ignorantiam mortaliter culpabilem per omissionem debitæ diligentiæ non habet actualem aduertentiam suæ omissionis, imo potius practice iudicat habere sufficientem, licet in rei veritate non ita sit, imo quod omissio sit culpabilis est à parte rei, quare non committit sacrilegium, quia aduertenter non accedit ad illud culpabiliter; quia licet præcesserit dubitatio an diligentia trium dierum esset sufficiens, tamen ipse vel ex passione, vel alio motiuo ductus vicit dubitationem illam, & non aduertens an victoria esset rationabiliter sufficiens, laborans ignorantia culpabili accessit ad Sacramentum. Quare ista inaduertentia ignorantiæ culpabilis in omissione diligentiæ circa ius, vel factum inuincibilis est, & caret culpa, quamuis ipsa ignorantia culpa mortali non vacet. Vnde fit quod Sacramentum sit validum, informe tamen, quia est obex ignorantiæ culpabilis, & defectus culpabilis integritatis confessionis, quod est maxime notandum, tum quia id dicunt Authores huius sententiæ, male intellecti à Vasquez, tum etiam ad solatium pœnitentium.

* *
*

§. VII.

§. VII.

Modus dicendi Dominici de Soto enucleatur.

504. DOctiſſimus Dominicus Soto citatus, & ſequutus à Patre Granados *vbi ſuprà num.* 22. & vterque ſequens Caietanus, & Martinus de Ledeſma *vbi ſuprà dub.* 3. *pag.* 54. *colum.* 1. aſſerunt contritionem, & attritionem ordinis naturalis ſufficere ad hoc quod Sacramentum ſit validum; quia tamen non poſſunt huiuſmodi actus diſponere ad gratiam ideo relinquitur informe, & ſine fructu cum enim ad gratiam requiratur diſpoſitio eiuſdem ordinis ſupernaturalis, & iſte homo, de quo loquimur, habeat attritionem ſolum naturalem putans bona fide eſſe ſupernaturalem, aut naturalē ſufficere', cum habeat aliqualem dolorem de peccato, non eſt cur non accipiat Sacramentum validum, cum ex parte pœnitentis detur dolor, confeſſio, & ſic vera accuſatio, & ex parte Miniſtri intentio, & abſolutio. Quod enim contritio ſit naturalis quoad ſubſtantiam nihilobſtat, quia etiam ſunt naturales confeſſio, & abſolutio, & in Sacramento Baptiſmi tam forma, quam ablutio ſunt ordinis naturalis, & tamen eleuantur ad rationem Sacramenti; cur idem non poteſt contritio, vel attritio naturalis, quæ vt ſic non diſponit ad gratiam, ſed illam cauſat, ſicut cetera alia Sacramenta, vt inſtrumentum phyſicum. Si enim diſponeret ad gratiam Pelagianum eſſet aſſerere quod ſufficiebat eſſe ex viribus naturæ. Vnde quando S. Thom. 3. *part. q.* 84. *art.* 1. *ad* 1. dicit quod Sacramentum pœnitentiæ habet pro materia actus pœnitentis, quos elicit Deo interius inſpirante, intelligitur à Deo interius inſpirante vt eſt Author naturæ, vel à Deo interius inſpirante per aliquod auxilium gratiæ non debitū naturæ, ſicut inſpirat etiam confeſſionem pœnitenti, quæ eſt actus naturalis; quæ contritio, vel attritio naturalis, etiam ſi procedat ex auxilio iſto gratiæ non ſat eſt ad diſponendum ad gratiam, ad quam debet diſponere actus qui habeat motiuum ſupernaturale, & æternum, vt dicit Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

505. Vnde conſideranda eſt triplex attritio. Prima quando quis dolet de peccato propter motiuum naturale, vt ſi doleat de peccato, quia eſt contra rationem naturalem, & Deum Authorem naturæ, turpitudinem naturalem peccati, aut quia ex ipſo contraxit infirmitatem, aut infamiam, & de hac attritione loquuti ſumus in præſenti caſu. Secunda attritio eſt quando quis dolet de peccato propter motiuum ſupernaturale, oriturque à ſupernaturali motiuo, vt ſi quis doleat propter pœnas Inferni, aut Purgatorij, ex quo dolore oritur odium peccati, conſiderans homo quod Deus iuſtiſſimus eſt iudex puniens peccatum mortale pœna æterna, & veniale Purgatorij. Tertia attritio eſt, quando quis dolet de peccato quia eſt offenſa Dei, non ſummè dilecti, amore charitatis perfectæ, ſed dilecti dumtaxat quodam amore imperfecto, quo diligitur Deus vt Author donorum ſupernaturalium de quo amore, & dolore loquitur Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. peccatores dum ſe diſponunt ad iuſtitiam, *Deum*

506. *tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac pro pterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem*, hoc eſt, per pœnitentiam, &c. Iſtæ duæ vltimæ attritiones non ſolum ſunt materia proxima Pœnitentiæ Sacramenti, ſed etiam ſunt diſpoſitiones ad eius fructum; contritionem tamen quam Caietanus naturalem appellat, & dicit eſſe perfectam ex parte ſua, ſed imperfectam ab extrinſeco, quia non fit ex gratia, exiſtimo non excedere ſpeciem attritionis, etiam naturalis; & ſi enim dolor iſte ſit ſupra omne odibile, & proponat vitare ſupra omne vitabile, eo ipſo quod non ſit dolor de peccato propter Deum ſummè dilectm amore charitatis perfectæ contritio propria non eſt, vt dicit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capite* 4.

Ex dictis ſequitur dari confeſſionem informen veriſſimum eſſe, quare Reginaldus *vbi ſuprà numero* 168. *in fine* dixit, *quod hæc opinio benignior eſt, & animarum fauet tranquillitati, noſque eam poſſe tuto ſequi, tanquam authoritate, & ratione ad moralem certitudinem ſufficientem, munitam.* Hæc ille. Quare eam ſententiam, præter citatos, amplectuntur Bonacina *diſp.* 5. *de Sacramento pœnitentiæ quæſt.* 6. *ſect.* 1. *punct.* 5. *num.* 3. Zerola *de pœnitent. cap.* 25. *quæſt.* 30. Sayrus *de pœnitent. cap.* 14. *num.* 2. Peſantius *in addition. quæſt.* 10. *diſputat.* 2. Filliucius *tractat.* 6. *cap.* 6. *quæſt.* 11. Non ergo diſcedendum ab hac ſententia, in qua fatendum eſt fideles ſatisfacere præcepto annuæ confeſſionis, etſi informe Sacramentum faciant. Ita omnes citati Authores. 507.

§. VIII.

Fit ſatis Argumentis oppoſitæ ſententiæ.

AD primum reſpondeo, Concilium manifeſtè loquitur de Sacramento pœnitentiæ prout inducit fructum remiſſionis peccatorum, cum dicat quod contitio vel attritio de qua loquitur, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ diſponat, & de eadem loquitur quando dicit quod eſt quaſi materia huius Sacramenti, non quantum ad eius eſſentiam, ad quam an ſufficiat alius imperfectus dolor non determinat, ne dum innuit Concilium. 508.

Ad confirmationem Reſpondeo, quod quando datur attritio ſupernaturalis, de qua loquitur Concilium, ſimul eſt pars Sacramenti, & diſponit ad gratiam, tamen poteſt dari, vt vidimus, aliquis dolor qui ſit ſufficiens pars Sacramenti, & non diſpoſitio ad gratiam, & ſic dabitur Sacramentum validum, & informe. 509.

Ad ſecundum reſpondeo concedendo aſſumptum quod hoc Sacramentum datur per modum iudicij, ad quod ſolum requiritur digna accuſatio; ad quam ſufficit dolor imperfectus vt ſit digna accuſatio ad Sacramenti valorem, tamen ad eius fructum requiritur digna accuſatio procedens ex contitione, vel attritione ſupernaturali. Et ſic quilibet dolor imperfectus, bona fide iudicatus perfectus eſt ſufficiens ad Sacramentum validum informe. 510.

511. Ad tertium reſpondetur,quod etiam Sacramentum informe, validum tamen , eſt reconciliatiuum , quod eſt de fide , ſicut quod ſit ſecunda tabula , ſicut etiam Sacramentum Baptiſmi reconciliatiuum eſt , & tamen ſicut iſtud propter impedimentum aliquando non reconciliat , ita & Sacramentum pœnitentiæ.

Ad quartum reſpondetur Primò , quod ad validitatem Sacramenti non requiritur attritio ſupernaturalis , vt vidimus §. 3. Reſpondetur ſecundò , quod poteſt eſſe dolor alius imperfectior vt iam diximus. Reſpondetur tertiò , quod cum ignorantia culpabili poteſt eſſe Sacramentum validum. Reſpondetur quartò , quod poteſt quis bona fide iudicare eſſe attritum , & tamen re ipſa non eſſe , vt vidimus.

512. Ad quintum reſpondetur , quod ibi S. D. ſumit contritionem pro dolore ex parte pœnitentis, vel dicit eſſe de eſſentia Sacramenti in quantum inducit fructum remiſſionis peccatorum ; quem autem effectum cauſet in anima Sacramentum informe §. ſequenti explicabo.

§. IX.

Quis effectus cauſetur à Sacramento pœnitentiæ informi,

513. DE Sacramentis imprimentibus caracterem, quale eſt Baptiſmus,Confirmatio, & Ordo, res eſt facilis, quia etiam ſi informia ſint cauſant caracterem qui poſtea eſt inſtrumentum phyſicũ ad producendam gratiam ſanctificantem , recedente fictione , ſed de Sacramento pœnitentiæ , & aliis res difficillima eſt explicatu quem effectum in anima cauſent , nam aliquem cauſare indubitatum eſt cum ratione Sacramenti pœnitentiæ validi , licet informis , homo liber maneat à præcepto diuino peccata ſubiiciendi clauibus , quam libertatem antea non habebat,quare abſolutio aliquid cauſauit in anima , non quo ſancta reddatur , cum per tale Sacramentum non ſit conſecuta gratiam Sacramentalem remiſſionis peccatorum.

Ab hac difficultate facillimè ſe expediunt Hiacynthus Coquet , Doctiſſimus Thomiſta *in libro*
514. *illo ſatis erudito de origine gratiæ lib.2. diſp.6. c.5. in fine* , & alij , qui dicunt Sacramentum informe , recedente fictione , non cauſare inſtrumentaliter phyſicè gratiam , ſed ſolum moraliter. Sed hoc falſum exiſtimo , & contra S. D. & alibi oſtendo , quare vel non debet cauſare gratiam , recedente fictione , vel illam debet cauſare phyſicè , ratione alicuius diſpoſitionis phyſicæ,quam etiam informe produxit.

Quare melius cum S. Thom. *in 4. diſtinct. 1. quæſt.1. art.4. quæſtiuncula 1. in corpor. §. ad cuius euidentiam & quæſt. 27. de veritate art.4. ad*
515. 8. vbi dicit , *quod omne inſtrumentum phyſicum vltra propriam actionem debet vel attingere formam ſubſtantialem , vel eius diſpoſitionem , & ita Sacramenta non attingunt entitatem gratiæ habitualis , attingunt quandam diſpoſitionem iuxta effectum quem gratia Sacramentalis ſecundum Sacramentum à quo producitur cauſat.* Quam diſpoſitionem admittit Deza *vbi ſuprà, & diſtinct. 1. quæſt. 1. notab. 3.* vbi huius ſententiæ pulchram reddit rationem : quia gratia gratum faciens quæ datur in Sacramentis , in omnibus eſt vna ſecundum ſpeciem ; vnde ſicut à gratia quæ eſt in eſſentia animæ pullulant diuerſæ virtutes , & dona , quæ inſunt potentiæ animæ , & ſicut ab eadem anima oriuntur diuerſæ potentiæ in diuerſis corporis partibus iuxta diuerſitatem organorum, & diſpoſitiones in illis partibus exiſtentes ; ita in ſuſcipientibus Sacramenta à gratia habituali , ſupra virtutes , & dona fluunt quædam gratiæ perfectiones ordinatæ ad ſpeciales 516.
effectus Sacramentorum. Quare vt à gratia ſanctificante oriatur perfectio quæ dicitur gratia regenerationis , alia diſpoſitio requiritur in anima , ab illa quæ exigitur , vt ſit gratia confirmationis in fide , & etiam ab illa quæ requiritur vt ſit gratia remiſſionis peccatorum , per modum ſanationis , & ſic in aliis Sacramentis.

Ratio huius doctrinæ eſt ſatis perſpicua , quia quando vna forma dare poteſt diuerſos effectus, quos ſimul non tribuit , neque eidem parti ſubiecti , vt det potius hunc effectum , quam illum, & modo det iſtum , modo illum , neceſſaria eſt 517.
aliqua præuia diſpoſitio in ſubiecto ad cuius poſitionem ponatur talis effectus , & ante quam , non ponebatur. Hoc enim per ſe notum eſt in Philoſophia naturali , qua manuducimur ad ſupernaturalem ; atqui in gratia habituali alius eſt effectus regenerationis, quæ fit in Baptiſmo alius qui fit per augmentum , & fortitudinem qui fit in confirmatione , alius qui fit per nutritionem qui fit per Euchariſtiam , alius qui fit per ſanationem ab infirmitate peccati mortalis , qui fit per pœnitentiam ; alius qui fit per reſtitutionem valetudinis priſtinæ , per remotionem reliquiarum peccati, & hic fit per extremam vnctionem , alius qui fit quando homo accipit poteſtatem regendi multitudinem in ordine ad vitam æternam , & hic fit per Sacramentum ordinis, & vltimo alius fit in ordine ad propagandam prolem , & hic fit per Sacramentum Matrimonij: ergo vt à gratia habituali huiuſmodi diuerſi effectus promanent requiruntur diuerſæ diſpoſitiones in ſubiecto , quas cauſant diuerſa Sacramenta.

Quamuis enim diuerſitas ſit opinionum,etiam 518.
inter Thomiſtas , an huiuſmodi effectus ſint auxilia diuerſa à gratia , nihilque in gratia habituali conſideretur , ratione cuius dicatur gratia regenerationis , &c. tamen verius eſt quod dicit Coquet *vbi ſuprà*,quod ſint quidam effectus formales cauſati à gratia habitualiter , & exigentes illa ſpecialia auxilia actualia. Quæ eſt abſque dubio ſententia D. Thom. 3. *p. q. 62. art.2.* præcipuè cum ad præſens non multum intereſt, quia ad hoc quod gratia ex natura ſua exigat hoc auxilium potius quam aliud aliquam ſpecialem diſpoſitionem exigit , ſicut ad hoc quod remittat hoc ſpeciale peccatum veniale , potius quam aliud , requirit aliquam ſpecialem diſpoſitionem phyſicam, quæ eſt ſpecialis diſplicentia , vt omnes fatentur.

Hanc igitur diſpoſitionem cauſant Sacramen- 519.
ta , quæ vt ait S. Tho. ſunt inſtrumenta dumtaxat *diſponentia* ad quam diſpoſitionem,ait,ſequitur infallibiliter infuſio gratiæ habitualis , niſi ponatur impedimentum,& obex, & hanc diſpoſitionẽ Deza , *vbi ſup.* in Sacramentis non imprimentibus caracterem , appellat ornatum. Sic etiam

loquuntur

loquuntur Paludanus *in* 4. *distinct.* 1. *quæst.* 1. Capreolus *quæst.* 1. *concl.* 3 Argentina *quæst.* 1. Soto *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. & multi alij ex antiquis non enim aliud nomen ſpeciale habemus ad nominandam illam diſpoſitionem, niſi quod ſit ornatus quidam quo anima adornatur, vt effectum gratiæ tali Sacramento debitum accipiat.

Sed aduerſus hanc ſententiam, omnes ferè Patres Societatis inſurgunt. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſputat.* 9. *ſect.* 1. & qui eum ſequuntur ex eadem familia in efficientia phyſica Sacramentorum reſpectu gratiæ. Vaſquez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſputat.* 200. *cap.* 3. & qui amplectuntur eius opinionem de cauſalitate morali dumtaxat eorumdem Sacramentorum. Sed nos modo ſupponimus veram eſſe ſententiam D. Thom. de cauſalitate phyſica non per potentiam obedientialem actiuam, quam fictitiam exiſtimo, ſed per paſſiuam, vt eleuentur à Deo, quam optimè probat Coquet *libro citato*, *diſp.* 7. & 8.

520. Igitur ornatum iſtum, & diſpoſitionem ſic impugnat Suarez. Primò, quia iſte ornatus eſt ſupernaturalis: ergo non educitur de potentia animæ, ergo fit per creationem ſicut gratia, atque ita ſi Sacramenta poſſunt eſſe inſtrumenta creationis, ornatus etiam poterunt eſſe ipſius gratiæ. Reſpondetur, quod vt dixi in meo præcurſore Theologo *controuerſ.* 6. *membr.* 2. nulla qualitas ſupernaturalis poteſt educi de potentia ſubiecti ordinis naturalis, & *memb.* 4. huiuſmodi ornatum, ſicut & caracterem non creari à Deo ſicut gratia, quæ propter ſuam ſpecificam perfectionem exigit terminare creationem, quæ eſt actio perfectiſſima. Quare huiuſmodi diſpoſitiones producuntur per actionem inductiuam, vel per infuſionem, ad quam actionem poſſunt concurrere Sacramenta, vt inſtrumenta phyſica. Legantur *quæ præfato loco* dixi.

521. Secundò, quia ornatus iſte eſt in eſſentia animæ, ad quem ergo finem? Reſpondetur quod ad hoc quod gratia habitualis habeat ſpecialem effectum gratiæ huius Sacramenti potius quam illius; quare vbi eſt ſpecialis character, à quo gratia determinatur ad talem effectum, dico quod non ſit neceſſaria diſpoſitio, ſed quod iſte, & conſignat hominem ad ſpeciale munus, & diſponit animam ad effectum gratiæ talis Sacramenti, vt expreſsè docet Sanctus Thomas 3. *part.* *q.* 69. *art.* 10. *in corp.* Sed quia character eſt indelebilis, & diſpoſitio iſta ſemper non manet, probabilius eſt quod præter illam requiratur diſpoſitio præfata. Quamuis enim gratia habitualis immediatè informet animam, tamen vt ſpeciali
522. modo Sacramentali informet requiritur talis diſpoſitio, quæ non exigitur in voluntate ad recipiendum habitum charitatis quæ pullulat à gratia, ſecundum modum quem informat, & charitas ſequitur determinationem gratiæ, ſicut propria paſſio determinationem eſſentiæ. Quare ſicut ad diſpoſitionem non requiritur alia diſpoſitio, aliàs eſſet proceſſus in infinitum, ita ad hunc ornatum non requiritur alius; eſt enim hic ornatus aliquid habituale, & per modum permanentis datum; quamuis enim ex parte hominis adulti, ad gratiam non requiratur, niſi aliquis actus bonus, tamen ex parte ipſius gratiæ vt ſuum effectum ſpiritualem huic, vel illi Sacramento tribuit requiritur ornatus iſte, & diſpoſitio.

523. Tertiò, quia verba conſecrationis efficiunt tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, & tamen non apparet quæ ſit diſpoſitio quam cauſet vel in corpore Chriſti, vel in ſpeciebus. Reſpondetur, friuolum eſſe argumentum. Primò, quia iſte ornatus ſolum ponitur in anima, vt determinetur gratia ad ſpecialem effectum Sacramenti cauſandum, & ita quando Euchariſtia cauſat gratiam in anima, producit diſpoſitionem, ſicut cætera Sacramenta. Secundò reſpondetur, quod cum tranſubſtantiatio dicat terminum à quo qui eſt non eſſe panis, & terminum ad quem ſcilicet, corpus Chriſti in quod conuertitur, poteſt facilius eſſe inſtrumentum ad tranſubſtantiationem, quam ad creationem quæ eſt actio ex nullo præſuppoſito ſubiecto, & ſic verba poſſunt concurrere ad immediatam tranſubſtantiationem, non tamen ad immediatam creationem.

524. Addo tertiò, ex D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 6. dicente, quod verba conſecrationis pertingunt inſtrumentaliter ad tranſubſtantiationem quantum ad receſſum à termino à quo, ſed quantum ad terminum ad quem non pertingunt inſtrumentaliter, ſed diſpoſitiuè, ſicut in aliis Sacramentis accidit. Quid autem ſit hæc diſpoſitio explicat S.D. *diſtinct.* 8. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. quod ſint accidentia ſine ſubiecto, vel aliquid huiuſmodi.

525. Ex dictis colligitur quod tranſacto Sacramento valido, & informi relinquit in anima diſpoſitionem, & ornatum qui ex natura ſua habet connexionem cum gratia habituali, & eam ſemper exigit ablato obice, & impedimento; quo ablato ſtatim confertur gratia, niſi per nouum peccatum iam reddatur indignus, quod §. ſequenti magis explico.

§. Vltimus.

Qua ratione Sacramentum pœnitentiæ informe cauſet gratiam, ablato impedimento, explicatur.

526. DOminicus Soto *art.* 3. *citato*, *circa finem* §. *quartum mihi argumentum.* Eius eſt ſententiæ, quod Sacramentum pœnitentiæ recedente fictione, etiam ſi validum ſit, non tamen cauſat remiſſionem peccatorum, quæ ſolum fit virtute contritionis ſequentis, vel Sacramenti vnà cum attritione ſupernaturali, quæ ſufficiens ſit ad gratiam, & virtutem Sacramenti ſubſequentis. Eamdem ſententiam ſequitur Vaſquez, *vbi ſuprà dub.* 4. & aliqui alij recentiores. Fundamentum eſt. Quia licet Baptiſmo informi id concedat communis, & certa ſententia quod recedente fictione producat gratiam regenerationis, fundata in dicto Auguſt. *lib.* 1 *de Baptiſm. paruulor. contra Donaſtitas cap.* 12. & *lib.* 3. *cap.* 13. tamen hoc ideo eſt, quia eſt vnicum remedium ſalutis, ſemel dumtaxat ſuſcipiendum; at alia Sacramenta vel iterari poſſunt vt pœnitentia, & Euchariſtia, vel non ſunt media neceſſaria ad ſalutem animæ propriæ, & ſic neceſſarium non eſt quod recedente fictione ſuum effectum cauſet. Et ſic S. D. 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 10. ſoli Baptiſmo hoc tribuere videtur.

527. Sed contraria ſententia omnino eſt D. Thom. tam

tam *tam in hac quæſtione* vbi ponit illius fundamentum, quam *in* 4. *diſtinct. citata*, aſſerentis quod Sacramentum pœnitentiæ, recedente fictione, cauſat ſuum effectum. Idem docent omnes authores quos ſupra retuli, quibus adiungo Pitigianum *in* 4 *tom.* 2 *diſt.* 17. *q. vnica art.* 7. *conc.* 2. Probatur primò, ad hominem contra Soto, & Vaſquez, quia ideo Baptiſmus recedente fictione cauſat gratiam, quia eſt regeneratio ſpiritualis, ſine qua nulli ſalus contingit, iuxta verbum Chriſti; *niſi quis renatus fuerit ex aqua*; *& Spiritu Sancto non intrabit in Regnum cœlorum*, vnde requiritur gratia regenerationis, quæ fiat virtute Baptiſmi; atqui Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum iudicij ferendi ab homine virtute clauium iuxta illud Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittentur, & quorum retinueritis retenta erunt*, atqui in Sacramento pœnitentiæ informi, etſi fuerit validum, tamen non ſunt remiſſa peccata virtute clauium: ergo neceſſario ſunt remittenda earumdem clauium virtute, quæ applicatæ ſint Sacramento informi, valido: etenim etſi gratia quæ infunditur per ſubſequens Sacramentum omnia peccata remittat, tamen peccata quæ ſubiecta fuere Sacramento valido informi, non ſubiiciuntur vſui clauium in Sacramento ſequenti; atque ita cum Sacramentum validum informe virtute clauium talia peccata reſpiceret dimittenda coram Deo, ablata fictione, illa directè remittet; quamuis cum hoc impedimentum tollatur per contritionem, aut attritionem ſimul cum Sacramento, vt iam explico, iſtis tribuitur remiſſio illorum Sacramentorum, tanquam remouenti prohibens, ſicut tribuitur contritioni ablatio fictionis in Baptiſmo, vt ex Auguſt. docet Sanctus Thomas *art.* 10. *citato ad* 2. Quare ad hoc quod Sacramentum informe validum pœnitentiæ cauſet remiſſionem peccatorum, recedente fictione, omnino per accidens ſe habet quod poſſit reiterari. 528.

Secundò, probatur ratione D. Tho. *quæſt.* 69. citata, quæ ad hanc formam reducitur. Quia in aliis Sacramentis imprimentibus characterem, recedente fictione, producitur gratia, etiam ſi illa Sacramenta non ſint neceſſaria ad ſalutem animæ: ergo multo magis pœnitentia, quæ neceſſaria eſt. Quamuis enim characterem non imprimat, cauſat tamen diſpoſitionem, quæ eſt neceſſario connnexa cum gratia ex natura ſua, niſi ponatur impedimentum, vt expreſſit Sanctus Thoma *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art* 4. *quæſtiuncula* 1. *in corp.* Antecedens probatur diſcurſu S. Thoma quia dum aliquid producitur ſimul cum forma, recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo remoto, forma rei genitæ perficit ſuum effectum: atqui ſicut dum aliquis baptizatur accipit characterem quaſi formam, ita dum quis confirmatur, aut ordinatur, cuius characteris effectus eſt gratia: ergo remota fictione neceſſario virtute talis formæ, & per conſequens Sacramenti illam producentis, cauſabitur gratia illi Sacramento debita. Quæ doctrina omnibus omnino Sacramentis conuenit, vt ait S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 17. *loco citato*, quia omnia, vt dixi, cauſant diſpoſitionem, quæ eſt neceſſitas quantum eſt de ſe ad gratiæ ſuſceptionem, & ſe habet veluti chirographum reſpectu ſolutionis, quæ licet non fiat ſtatim, propter aliquod impedimentum, fiet tamen virtute chirographi, ablato impedimento, licet chirographum concurrat moraliter, at diſpoſitio illa phyſicè. 529. 530.

Quare mihi non placet ſententia Martini de Ledeſma *vbi ſuprà pag.* 55. *column.* 3. aſſerentis, quod Sacramentum Euchariſtiæ recedente fictione, non cauſat ſuum effectum, quia reiterabile eſt. Hoc, inquam, mihi non placet, cum omnium Sacramentorum æqua ſit ratio quantum ad iſtam rationem; & ſicut Chriſtus dicit, *quorum retinueritis peccata retenta erunt*: & ſic virtute clauium debent remitti peccata ſubiecta clauibus, virtute Sacramenti validi informis, & non ſat eſt quod hoc Sacramentum ſit reiterabile, ita dicit Redemptor, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*; quæ verba explicat S. D. de neceſſitate medij huius Sacramenti, in re, vel in voto ſuſcepti, ſicut de Sacramento pœnitentiæ: ergo effectus qui debetur vni manducationi, ablato impedimento, ab illa per ſe cauſabitur, & non ab alia manducatione, ſicut de Sacramento pœnitentiæ valido, ſed informi dicit. 531.

Ex quibus colligitur quam debili fundamento nituntur Soto, & Gabriel Vaſquez, diximus & probauimus, quod non ideo Sacramenta valida, informia, recedente fictione cauſent ſuum effectum, quia ſunt vnicum remedium ſalutis ſemel dumtaxat ſuſcipiendum, ſed quia recedente fictione, & ſublato impedimento debent perficere ſuum effectum. 532.

Colligitur ſecundò, quod ſi poſt Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, ſuſcipiens non commiſerit aliquod peccatum mortale de nouo, vel aduerterit ſe Sacramentum ſuſcepiſſe ignorantia culpabili mortaliter, attritio ſola ſupernaturalis eſt ſufficiens ad tollendum impedimentum. Ita Bonacina, & communis, vbi ſupra. Ratio eſt quia hæc ſolum deficiebat ad fructum Sacramenti producendum; quare ſicut ſi poneretur cum Sacramento produceret gratiam, ita poſtea ſi ponatur illam cauſabit Sacramentum, quia tollitur obex qui impediebat. 533.

Dixi, niſi commiſiſſet nouum mortale, vel aduerterit ignorantiam culpabilem, quia tunc vel eſt neceſſarium nouum Sacramentum formatum, vel contritio perfecta formalis, vel virtualis in dilectione Dei ſuper omnia. Et ratio eſt clara, quia Sacramentum validum informe præcedens non habet efficaciam reſpectu peccatorum, quæ non ſunt ſubiecta clauibus, qualia ſunt quæ retulimus, & cum non poſſit vnum mortale remitti ſine alio danda eſt diſpoſitio, quæ obicem tollat, quæ ſufficiens ſit ad tollendum peccatum de nouo factum, vel agnitum, quod auferetur virtute Sacramenti de nouo facti, vel contritionis poſitæ: alia autem peccata antiqua non dimiſſa dimittentur, virtute prioris Sacramenti, non poſterioris, niſi vt remouentis prohibens, vel obicem. 534.

Colligitur tertiò, contra Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſputat.* 28. *ſect.* 4. quod gratia remiſſionis peccatorum, quæ cauſatur recedente fictione, virtute Sacramenti, datur iuxta diſpoſitionem præſentis diſpoſitionis, ſicut in meo præcurſore Theologo dixi, de gratia quæ datur propter merita mortificata, iuxta diſpoſitionem præſentem, quod latè probaui ibi *diſput.* 2. *&* 3. per varias controuerſias. Ita loquens 535.

quens de Baptiſmo tenet Granados 3. *part. controu. 4. de Baptiſm. tract. 5. diſp. 3. art. 11.* Et ratio eſt, quia omnia Sacramenta valida quando ſunt informia conſeruant ſuam virtutem, & efficaciam reſpectu ſui effectus, atqui Sacramenta exerunt ſuas vires iuxta diſpoſitionem recipientis, vt eſt apud omnes indubitatum, & 536. videtur definitum in Trident. *ſeſſ. 6. cap. 7.* dicente, quod Spiritus Sanctus partitur iuſtitiam, & ſanctitatem quæ producitur per Sacramenta, ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem: quare actus quo tollitur impedimentum non eſt diſpoſitio ad Sacramentum, quod iam antea erat ſuſceptum, ſed ad recipiendum effectum Sacramenti qui proportionatur præſenti diſpoſitioni. Legatur qui ſupra Pater Granados.

Resolvtio XI.

Vtrùm ſit popularis error ſumere laicum Euchariſtiam pro animabus Purgatorij.

SVMMARIVM.

557 *Vtrum ſit popularis error ſumere laicum Euchariſtiam pro animabus Purgatorij.*

558 *Sententia Theophili Raynaudi adducitur, & fundatur.*

563 *Ea quæ ſunt certa apud Catholicos ſtatuuntur.*

576 *Communioni pro mortuis ex opere operantis non paucas ineſſe vires oſtenditur.*

591 *Non eſſe perexiguam ſatisfactionem in communione pro mortuis, oſtenditur manifeſtè.*

607 *Non eſt tenue ſubſidium animabus Purgatorij in manducatione corporis Chriſti, prout eſt impetratoria.*

619 *Oratio prout impetratoria non eſt tenuè mortuorum ſubſidium.*

557. SEnſus dubij, vtrum laici (& idem eſt de Sacerdotibus, non vt ſacrificant, ſed vt communicant in Altari) errent accedendo ad ſacram ſynaxim ſumentes Euchariſtiam, eam communionem applicantes pro animabus Purgatorij, exiſtimantes illis prodeſſe, eſſéque aliquod leuamen incendij quod patiuntur, relaxareque pœnam temporalem ipſarum.

§. I.

Sententia Theophili Raynaudi adducitur, & fundatur.

558. THeophylus Raynaudus è Societate IESV, in quodam opuſculo cuius titulus eſt, *Error popularis de communione pro mortuis agenda*, qui eſt ad finem libelli *de ortu infantium contra naturam per ſectionem Cæſaream* mordicus defendit errorem eſſe popularem ſactam Euchariſtiam laicos ſumere pro animabus Purgatorij; & ſic apponit initio opuſculi dictum Innocentij III. *in cap. de homine de celebrat. Miſſar.* dicentis: *falſa ſunt abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.* Et in fine ſubnectit, ab illis idoneis ſubſidiis procul abeſt communio, attento opere operato Sacramenti; tum alia pleraque falſa ibidem diſcuſſa, de quibus iure repetito principio illa Innocent. III. vſurpabo; falſa ſunt abiicienda remedia quæ veris ſunt periculis grauiora.

Huius dictaminis plura inducit productus P. ex variis principiis deducta, & præcipuum eſt authoritas D. Thomæ *lect. 6. in Ioann. cap. 6. in fine*, vbi iuxta impreſſionem Romæ factam iuſſu Pij Quinti *anno* 1570. & Lugdunenſem 1572. ſic loquitur: *Notandum eſt quod aliter eſt in iſto Sacramento Euchariſtiæ, & aliter in aliis. Nam alia Sacramenta habent ſingulares effectus, ſcilicet in Baptiſmo ſolus baptizatus ſuſcipit gratiam; ſed in immolatione huius Sacramenti eſt vniuerſalis effectus, quia non ſolum Sacerdos effectum conſequitur, ſed etiam illi pro quibus orat, & Eccleſia tota, tam viuorum, quam mortuorum. Cuius ratio eſt, quia continetur in ipſo ipſa cauſa vniuerſalis omnium Sacramentorum, ſcilicet Chriſtus. Nec tamen ſi laicus ſumat hoc Sacramentum prodeſt aliis, quantum eſt ex opere operato, in quantum conſideratur, vt perceptio, quamuis ex intentione operantis, & percipientis poſſit communicari omnibus ad quos dirigit ſuam intentionem. Ex quo patet quod laici ſumentes Euchariſtiam pro his qui ſunt in Purgatorio errant.* Hæc ibi iuxta impreſſiones præfatas, quæ ſumma correctione, & exemplarium reuiſione ſunt factæ.

2. Probatur, quia de fructu & effectu Sacramentorum ſolum id affirmare licet quod habemus ex Chriſti Domini voluntate, ſcripturis ſacris, Eccleſiaſticis traditionibus expreſſum, vel ex maiorum monumentis, aut vſu perantiquo approbante S. E. R. cui id totum negotium deferendum eſt, vt tradit egregiè Fulgentius *lib. de Baptiſmo Æthiopis cap. 10.* ſed vſus de communicando pro mortuis nulla extant apud antiquos veſtigia: ergo vt denuo introductus omni firmitate deſtruitur.

Tertiò, quia ſi homini laico licita eſt pro mortuis ſacræ ſynaxis communio, cur fideles pro defunctis ſuis cognatis, aut amicis præter ſacrificia, eleemoſynas, indulgentias quibus intendunt pœnam temporariam Purgatorij ſubleuare, & præter exequias, & cæteras funerales cæremonias non etiam eodem, vel altero die ſacram pro illis ſuſcipiunt Euchariſtiam, quod ſi per ſe mœrore confecti id præſtare non poſſunt, quid obuiat quod per alios id præſtent, ſicut per alios offerant altiſſimo ſacrificia. 559.

Quartò, quia tantum abeſt quod in Eccleſia ſit vſus vt ſacræ Euchariſtiæ communio pro defunctis fiat, quod ab antiquiſſimis temporibus in Miſſis pro defunctis celebratis nulla fuerit adſtantium fidelium Euchariſtiæ communio, vt ex Dionyſ. *cap. 3 & 7. de Eccleſ. Hierar.* notauit Ioann. Cocleus *Philip. 3. cap. 14.* Et ſic energumeni, & pœnitentes qui à Sacra Communione arcebantur ad ſacrificium Miſſæ non admittebantur niſi cum pro defunctis offerebatur, quia, ſcilicet, in Miſſis ad Requiem communio non adminiſtrabatur, ex quo vſu peruetuto Eccleſiæ apertè (ait Raynaudus *n. 13.*) habetur Eccleſiam non conſenſiſſe perceptionem Sacramenti Euchariſtię prodeſſe defunctis, cum in ſacris quæ ad illorum leuamen fiebant abſtinentiam à Communione ratam habuerit, & ab huiuſmodi ſacris ritus ad communionem aptantes præcidit: contrarium planè curatura ſi Euchariſtiæ perceptionem per ſeipſos poſſe defunctis prodeſſe exiſtimaſſet. 560.

Quintò, quia vt eſt omnibus in confeſſo nec negari ſalua fide poteſt omnia Sacramenta ſunt 561.

salutares animæ nostræ medicinæ ad eam ab infirmitate peccati liberandam à Christo Summo Sacerdote inuentæ, & institutæ; quare solum fructificant immanenter in eo qui Sacramenta suscipit, nec transeuntem in alios habet operationem, nam quis pro alio baptizatur? quis exhomologesim facit? quis confirmatur? aut extremam sumit vnctionem? nullus certè. Ergo nullus ad Agapem, & Sacrum accedit conuiuium sumens corpus Christi accidentibus velatum pro alio defuncto ex amicis, vel consanguineis.

Sextò, quia Sacramentum Eucharistiæ, est nutrimentum, & cibus animæ, quæ corpore
562. Christi saginata, vt ait Tertull. *lib. de Resurrection. carnis cap.* 8. spiritualiter cibatur, & nutritur, iuuat ergo solum sumentem, & non defuncto. Probatur consequentia, quia nutritio actio immanens est, nec transit extra comedentem cibum, & alimentum, & sic nec transit ad animam in purgatorio degentem, quia apud inferos, ait Sapiens *Ecclesiast.* 14. *non est cibus*, quod ad animorum cibum spectare nemo non videt, quia, scilicet, apud inferos non est locus spirituali incremento, aut nutrimento spiritualis vitæ.

§. II.

Ea quæ sunt certa apud Catholicos statuuntur.

563. SVpponendum est contra huius temporis Hæreticos Caluinum *in antidoto Concilij Trident. sess.* 7 *can.* 8. Kemnitium *in* 2. *part. examinis eiusdem Concilij*, vt referunt Bellarm. *tom.* 2. apud me *controuer.* 1. *de Sacram. in gener. lib.* 2. *cap.* 1. & alij, blaterantes contra Concilium Tridentinum quod *canone citato* definit Sacramenta nouæ legis *ex opere operato* gratiam causare; dicunt enim hæc nomina *opus operatum* nugas esse sophistarum, sed optimè Cardinalis ipsos reprimit, dicens non est cur de nomine magna contentio fiat, nulla enim hic est nouitas, nisi quod contra regulam grammaticæ operatum passiuè accipiatur. Sed neque hoc est nouum, nam etiam *in Epist. ad Hebræos* contra regulam grammaticæ passiuè accipitur *promeretur*, *talibus enim hostiis promeretur Deus*. Et S. Aug. *in Psal.* 138. maluit dicere *offsum offi*, quod *os offi*, vt facilius intelligeretur, *Melius est*, inquit, *vt nos reprehendant Grammatici, quam vt non intelligant populi.*
564. Hæc ibi. Quare iam horum terminorum vsus introductus est inter Catholicos, quibus ante quadringentos annos vsus est Innocentius III. *lib.* 3. *de mysterio Missæ*, quare iure præscripsit apud omnes Scholasticos *in* 4. *distinct.* 4. & aliis locis dum vel de effectu Sacramentorum nouæ legis tractant, vel de suffragiorum inuamine. Et sic sapienter Patres Concilij Spiritu Sancto directi eam vocem *Opus operatum* vsurparunt ad efficaciam nostrorum Sacramentorum enodandum.

Re acta cum Hæreticis quantum patitur præ-
565. sens occasio, restat nodus extricandus inter Catholicos, quid his nominibus *opus operatum*, & *opus operantis* denotetur, sunt enim varij enodandi modi. Et quidem omnino certum debet esse, vt eruditè contra Kemnitium probat Bellarmin. *vbi sup.* quod *opus operatum* quatenus ad notandam efficaciam Sacramentorum nouæ legis ea voce vtuntur Scholastici, & Trident. non excludere fidem, deuotionem, & pœnitentiam recipientium; quamuis enim in pueris vsu rationis carentibus, nulla, ex parte ipsorum requiratur dispositio, fides, pœnitentia, aut deuotio, dum baptismum recipiunt, vt definit Trident. *sess.* 7. *cap.* 13. & fuit sententia omnium Patrum, & videri potest Aug. *Epist.* 33. tamen huiusmodi actus requiruntur in adultis, vt determinat idem Concil. *sess.* 6. *c.* 6. & 8. & *sess.* 14. *c.* 4. dicens: *hoc semper Ecclesiam Catholicam sensisse*, quamuis vt notarunt Gabriel *in* 566.
4. *dist.* 4. *q.* 2. *concl.* 4. *ad* 1. & alij iuniores, diuersa sit gratia quæ tribuitur adulto *ex opere operato* ratione Sacramenti, & ratione dispositionis; verum est quod vt adulti recipiant Sacramentum Baptismi sine re Sacramenti quæ est gratia, non requiritur fides, aut pœnitentia, vt cum Aug. *lib.* 3. *de Baptism. cap.* 14. docent Theologi omnes, & Catholici.

Igitur D. Th. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. 567.
quem sequuntur Vasquez 3. *p. tom.* 2. *disp.* 131. *n.* 8. Coninch 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *dub.* 1. *n.* 4. dicit *opus operatum* vel causare gratiam *ex opere operato* nihil aliud esse quam illam causare ratione suæ efficacitatis, & virtutis quam habent Sacramenta ex Christi institutione, qui effectus infallibilis est in subiecto dispositio, & independenti à merito, & opere laudabili ipsius operantis, & Ministri, qui quamuis peccet dum confert Sacramenta, eorum effectus non minuit *ex opere operato* causatos Baptismus enim collatus ab Hæretico eumdem effectum causat in paruulo, ac collatus à viro sancto, & bono: & similiter Missa boni Sacerdotis eumdem effectum habet *ex opere operato*, ac Missa mali Sacerdotis, vt est certum fide. Quare optimè Vasquez dicit, non dicitur *opus operatum* respectu recipientis quasi ipse illud non efficiat, sed operatum ab alio in se recipiat; sed respectu eius qui ministrat Sacramentum dicitur *& opus operatum*, *& opus operantis*, & ipse dicitur conferre aliquid *ex opere operantis*, hoc est, ex merito, & dignitate sui operis, & aliquid *ex opere operato*, nempe virtute solius institutionis. Hæc ille. Quare iuxta primæuam harum vocum significationem, *ex opere operato*, *& ex opere operantis* aliquid conferre ad ipsum Ministrum refertur. Quod clarè innuit D. Thom. *vbi suprà*, dicens *quod in suffragiis quæ fiunt per malos duo possunt considerari, primum ipsum opus operatum, sicut sacrificium Altaris, & quia nostra Sacramenta ex se ipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent per quoscumque fiant, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operans, & sic distinguendum est, quia operatio peccatoris suffragia facientis*, &c. Igitur opus operans, vel operantis intelligitur actio Ministri quatenus bona, & laudabilis, ex cuius merito ipso operante dirigente aliquid confert ei ad quem dirigit. 568.

Cæterum iam communi Scholasticorum pla- 569.
cito *opus operantis* translatum est ad ipsum qui recipit Sacramenta, cui propter meritum, saltem de congruo, aliquid confertur propter suam dispositionem quæ laudabilis est, & meritoria; & sic id quod confertur propter dispositionem dicitur conferri ex opere operantis, idque optimè adnotat Raynaudus *opusculo citato numero* 35. sed circa effectum ex opere operantis notandum discrimen aduerte ex Sancto Doctore *vbi suprà*, quod est aliquis effectus ex opere operantis *concessus qui infallibili-*

ter

liter conceditur, quamuis operans proximum ſit in peccato, & male ipſum opus exerceat, quia videlicet gerit perſonam totius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos dum dicit in Eccleſia exequias mortuorum, & qui illa intelligitur facere, cuius nomine, vel vice fit, vt patet per Dionyſ. cap. 13. de cæleſti Hierar. Hinc eſt quod ſuffragia talis Sacerdotis, quamuis ſit peccator, pro defunctis proſunt. Hæc ille. Quare hæc
570. ſuffragia, & Orationes ab Eccleſia inſtituta vim habent ſatisfaciendi pro defunctis à quocumque Miniſtro fiant, à cuius merito in ſui efficacia, & virtute cauſatiua non pendent; & ſic in aliquo ſenſu poſſunt dici quod operantur *ex opere operato*, quia à bonitate proximi Miniſtri non pen-
571. dent, ſicut nec Sacramenta, quemadmodum egregie Caiet. 3. *part. quæſt.* 73. *art.* 3. explicat D. Thom. ibi, *in ſolutione ad.* 3. dicentem, *quod Eccleſia, & Altare, & alia huiuſmodi inanimata conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiua, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quamdam ſpiritualem virtutem per quam apta reddantur diuino cultui, vt ſcilicet homines deuotionem quamdam exinde percipiãt, vt ſint paratiores ad Diuina, niſi propter irreuerentiam impediantur. Vnde quidam probabiliter dicunt, quod per ingreſſum Eccleſiæ conſecratæ homo conſequitur remiſſionem peccatorum venialium, ſicut per aſperſionem aquæ benedictæ.*

562. Quæ verba explicat, vt dixi, Caiet. ſic loquens. *Conſecrationes ſiquidem Eccleſiaſticæ non ſunt humana tantum opera ſed ſunt efficaces ex Chriſti Sacerdotio, à quo ſicut per ipſum efficaciam habent Sacramentales operationes, quia ab ipſo immediate ſunt inſtituta Sacramenta, ita participatum (Sacerdotium) in miniſtris ſuis efficaciã præbet cõſecrationibus quæ ab ipſis fiunt, ita quod ex Chriſti Sacerdotio diffuſo, participato in nobis res conſecratæ habiles redduntur ad excitandã in nobis reuerentiã & deuotionẽ, ſicut aquæ ex tactu carnis Chriſti reddita ſunt habiles ad Baptiſmum, & huiuſmodi virtus vocatur ſpiritualis virtus inchoatiue. Perducitur tamen ad complementum huiuſmodi virtus cum diuina huiuſmodi aſſiſtentia ſpecialis actualiter vtitur re conſecrata ad excitandam deuotionem, & reuerentiam, vel aliquem alium effectum ad quem res conſecrata eſt faciendum.* Hæc ille. Quare ſicut Eccleſiarum, & va-
573. ſorum Sacrorum conſecratio ſunt inſtituta ab Eccleſia, & Miniſtris Chriſti non ſolum habent effectum *ex opere operantis*, ſed *ex opere operato*, idem etiam, & eodem modo cauſabunt ſuffragia ſuum effectum, ſi quidem ex Eccleſiæ inſtitutione illum cauſant independenter à Miniſtri proximi bonitate, vel malitia. Et ſicut multi diſcipuli D. Thom. ſentiunt de aqua benedicta, de qua *ſuprà. reſolutio* 9 vbi hanc doctrinam Caietani profundiſſimam enucleo, dum loquor de Sacramentalibus.

574. Secundò, conueniunt omnes Catholici, & fatetur ipſe Raynaudus quod communio facta à laïco poteſt prodeſſe defuncto ex opere operantis, poteſt enim laïcus actionem qua ſumit Euchariſtiam, cum bona ſit, & meritoria, atque etiam ſatisfactoria defuncto ex intentione applicare, quod illi proſit ad ſatisfaciendum, & exſoluendum aliquid de pœna temporali, quantum exſolueret ille qui communicat. Ita expreſſe D. Thom. *lect.* 6. *in cap* 6. *Ioann. in loco adducto, nec tamen ſi laïcus ſumat hoc Sacramentum prodeſt aliis quantum eſt ex opere operato in quantum conſideratur vt perceptio, quamuis ex intentione operantis „& percipientis poſſit communicari omnibus ad quos dirigit ſuam intentionem.*

In quibus verbis quæ motiuum contrarium 575.
opinanti dedere aduerte optime, & candide lector data opera dixiſſe S. D. quod hoc Sacramentum non prodeſt aliis ex *opere operato* in quantum conſideratur *vt perceptio*, id eſt, quod ſumptio Euchariſtiæ non poteſt fieri pro defuncto, ita vt iſte per alium dicatur ſumere Euchariſtiam, ipſam percipere, aut communionem facere, ſicut dicitur quis eleemoſynam facere per ſeruum; comedere enim, & bibere ſunt actiones immanentes in proprio ſuppoſito à quo eliciuntur, nec quis per alium comedere poteſt; & in hoc ſenſu nullus Catholicorum vel ſomniauit quod laïcus, imo nec Sacerdos percipiat Euchariſtiam pro defunctis, & ſic iſti per illum dicantur comedere Panem illum cæleſtem, & bibere Calicem ſalutarem, apage! deliraret quis ſi ita diceret: & ſic optime dicit S. D. quod hoc Sacramentum non prodeſt aliis *ex opere operato in quantum conſideratur vt perceptio* cui correſpondet *ex opere operato* cibatio, & nutrimentum animæ in gratia, & virtutibus; prodeſt tamen Sacramentum aliis *ex opere operantis*, & percipientis vt poſſit communicari omnibus ad quos dirigit ſuam intentionem. Quare ex intentione poteſt quis ordinare ſumptionem Euchariſtiæ ad defunctos exiſtentes in Purgatorio, ſicut cætera alia bona opera in ſuffragium animarum poſſunt ordinari.

§. III.

Communioni pro mortuis ex opere operantis non paucas ineſſe vires oſtenditur.

SEd antequam ad alia me conferam, & quid 576.
tenendum ſit explicem, non poſſum non mirari virum aliàs & valde eruditum, & pium ita ſtomachantem aduerſus vſum qui & pius & rationabilis poteſt ſaluari, cum ad excitandam compaſſionem animarum Purgatorij, & ardens deſiderium eas iuuandi, tum etiam non mediocrem deuotionẽ in venerabile Euchariſtiæ Sacramẽtum. & ſub ſpecie pietatis, & religionis hoc leuamen animabus carceri mancipatis auferendam. *Beneuolus quidem trucidator.* Cum ab *anno* 27 *vſque ad quadrageſimum ſecundum* totus eſt in minuendo in communione *ex opere operantis* applicata defunctis vires, efficaciam, ſatisfactionem, & impetrationem. Sed Deo adiuuante me pro Animabus Purgatorij dimicante manifeſte oſtendam friuola eſſe ea quæ ad hoc intentum probandum inducit, & vt dici ſolet, *Cydobori voces* eſſe quas multiplicat.

Numero quidem 29. contra Ioannem Sanchez 577.
Select. 25. *num.* 12. & alios, dicit, quod Animæ Purgatorij, iuxta veram (ait) ſententiam alibi ſtabilitam, nullius formalis conſolationis ſunt capaces ob præoccupatam ſummis cruciatibus, eorumque ſenſu vniuerſam voluntatis capacitatem, & ſic non poſſunt ſubleuari per Euchariſtiæ perceptionem à fidelibus factam, cogitantes quod fideles inde feruentes ipſas melius iuuare poterunt.

At dictum hoc omnino falſum eſt, quia Ani- 578
mæ in Purgatorio exiſtentes maximas, & vberri-

mas habent consolationes, tum ab extrinseco sibi illatas, tum etiam ab extrinseco quidem à continuis reuelationibus ab Angelis Custodibus factis, suffragiorum quantum per orationes, & Sacrificia publica, & indulgentias, tum per opera priuata, eleemosynas, ieiunia, & alia pia opera quæ à fidelibus peraguntur. Audi Abulen. *ad cap.* 12 *Exod.* in illa verba: *Et non sinet percussorem ingredi domos vestras*, vbi sic loquitur: *Angeli boni ex Dei voluntate aliquando veniunt ad eos qui Purgatorio igni affliguntur, & consolantur eos, tolerabiliora cruciamina facientes, & reuelant eis aliqua de bonis quæ fiunt in hoc sæculo pro eis, vt inde citius liberentur. Reuelant etiam prosperitates suorum, saltem in virtutibus, quas in sæculo dilexerunt, ex quo consolantur cum eos desiderent saluos fieri.* Hæc ille. Et idem habet *Paradoxa* 5. *cap.* 47. quem sequuntur multi valide Pij Recentiores.

579. Frater Helias à S. Theresia *lib.* 3 *suæ legationis, cap.* 28. *num.* 11. *Quis dubitat* (inquit) *quin Angelus Custos videns animam suam, cui in vita præfuit, in flammis illis pati frequenter eo veniat ad eam consolandam, & detinendam eam in salutaribus, consolationibus, & quin hoc admodum minuat afflictiones, & dolores adeo crudeles. Cum Rex olim Danielem rogaret, num leones eum deuorassent, &c. respondit ille: Deus misit Angelum suum, qui me consolatus est, & continuit ora leonum, & ausi non fuerunt me contingere, nunquam plus consolationis accepi per vitam meam, quam in hoc desperato loco, &c.*

580. Et sapienter P. Suarez 3 *part. tom.* 4. *disput.* 46. *num.* 3. dicit: *Magis consentaneum est naturali propensioni, tum naturæ, tum etiam charitatis, vt illæ animæ ferantur in actualem considerationem præsentis status quem habent, & illius quo carent sua culpa, & quod ex illa dilatione vehementer afligantur. Et quamuis huic considerationi aliæ superueniant quæ consolationem generent, non minuit priorem tristitiam, sed iuuant ad illam ferendam patienter summa cum rectitudine.* Hæc ille. sequuntur Bonacina *de indulgentiis tom.* 1. *disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 5. *in fine*, & adducit S. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. Henriquez *de indulg. cap.* 8. *num.* 4. Graffius *de indulg. cap.* 4. *num.* 26. Coninch 3. *part. disp.* 10. *num.* 26.

581. Sunt etiam alia motiua intrinseca, quibus magnam consolationem, & refrigerium Animæ Purgatorij percipiunt, quæ referunt Suarez, *vbi supra*, & Helias citatus *à num.* 3. Primum, & vtique solidissimum, & cæterorum fundamentum est suæ certitudo salutis æternæ, & visionis claræ Dei. Secundum quod quamuis acerbissime puniantur, vel in minimam culpam, etiam impatientiæ leuis incident. Tertium, speciales illuminationes à Deo per Angelos illis immissas de rebus altissimis, & supernaturalibus, & ita S. Catharina Genuensis dicit se à Deo audiuisse *neminem præter Sanctorum in Paradiso animas habere posse gaudia solidiora, aut magis excessiua quam Animæ Purgatorij.*

582. Quantum est summa cum Deo conformitas in volito formali à qua diuelli non possunt, etsi in materiali aliquatenus dissentiant, cum ipsum patiantur tanquam pœnam, quæ vt sic inuoluntaria est, licet ipsam velint, imo & duplicatam consentirent, si ad sui expiationem esset necessaria. Hæc, & alia plura consolationis motiua afferre possem, sed dicta sufficiant, vt aduertat Raynaudus, quod licet vniuersa capacitas, vt sic loquar, inferior absorpta sit, & præoccupata summis cruciatibus, eorumque doloribus, & vstione terribili, hæc tamen non præoccupat superiorem partem tam volitiuam, quam intellectiuam, alias nec Deum amarent, aut sperarent actu Beatitudinem.

583. Ex quo fit id quod ad nostrum maxime conducit institutum, maximum solatium, & adiumentum futurum Animabus in Purgatorio degẽtibus, si Angelus Custos alicui reuelet aliquem laïcum communicasse, & Eucharistiam suscepisse in ipsarum gratiam, & suffragium. Tum quia licet Eucharistiæ perceptio à laïco facta non sit sacrificatio, sed potest dici aliqualis sacrificatio ex præsanctificatis, qualis est, vt dicitur, illa Eucharistiæ sumptio quam facit Sacerdos in die Parasceue, qui seipsum communicat ex præsanctificato Pane in die Iouis, & illud quale quale sacrificium animabus applicare.

584. Ex quo manifeste argumentor. In die Parasceue, hoc est, feria sexta hebdomadæ Sanctæ Sacerdos proprie non sacrificat, vt est communis, certaque sententia, quam defendunt Vasquez *tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 222. *cap.* 9. *à num.* 73. Suarez 3. *p. quæst.* 82. *art.* 2. *disput.* 75. *sect.* 4. §. *in confirmatione* vbi erudite multis, & grauibus Doctoribus citatis id confirmat, quibus addo Amalarium Fortunatum *de Ecclesiast. officiis c.* 13. & 15. Rabbanum Maurum *lib.* 2. *de instit. Clericor. cap.* 37. Molfesium *in Summ. tractat.* 3. *cap.* 9. *num.* 37. Fagundez *lib.* 3. *in Præcept. Eccles. cap.* 4. *à num.* 17. Marchin *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 19. qui satis bene id colligunt ex S. Thom. *quæst.* 82. *citata. art.* 2. *ad* 2. Vnde Hugo de S. Victore *lib.* 3. *Miscellaneor. cap.* 43. ait, *non sacrificant amici dum trucidant inimici.* & sic Suarez *vbi suprà.* sapienter dicit, quod tota illa cæremonia prout illa die fit est ab Ecclesia instituta, nihilque in ea fit in propria persona Christi. Quare tunc Sacerdos solum sibi communicat ex præsanctificatis, sicut communicat laïcum, & tamen Ecclesia illam perceptionem Eucharistiæ, licet improprie, appellat sacrificium, vt constat ex officio illius diei, dum dicit Sacerdos, *Orate fratres vt meum, ac vestrum Sacrificium, &c.* idem habetur apud Alcuinum *lib. de diuinis officiis c.* 39. & respondet Acolytus: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis pro nostra, omniumque salute*; quam perceptionem Sacramenti, & Sacrificij improprij pro omnium salute offert Sacerdos, & petit iuuamen orationum fidelium, vt impetret pro se, & pro populo beneficia à Deo media manducatione Corporis Christi, quam nomine totius populi facturus est. Quid ergo obstabit, quod aliquis laïcus, & si non nomine totius Populi cuius non est Minister publicus, attamen nomine alicuius amici iam defuncti corpus Christi manducet, ad illius pœnas subleuandas? per impetrationem; non quod cibus Eucharisticus in quantum nutrimentum, & medicina, *ex opere operato prosit* vt Sacramentum defuncto, quia neque hoc modo prodest quando sumitur à Sacerdote, sed in quantum aliquo modo licet imperfecte est Sacrificium, quatenus scilicet est sumptio & consumptio rei immolatæ, & sacrificatæ, scilicet carnis Christi existentis in Hostia ex vi verborum; ex quo maximum solatium Animabus in Purgatorio existentibus prouenit, quod, scilicet, caro Christi mortua, & mactata in Sacra Hostia illis per impetrationem applicetur ad illarum subleuamentum.

585.

Quamuis

586. Quamuis enim communio non significet mortem Christi, tamen in hostia quæ percipitur est ipse Christus mortuus ex vi verborum, & mors ipsa Christi per Hostiam consecratam repræsentatur, vt expresse dicunt Cyrill. *Epist. vltima ad Nestorium*, Eucherius *Hom.5. de Pasch.* Rupertus *lib.3. de operib. Spiritus Sancti, cap.2.* & Damascen. *Epist.de corp.Christi.* cuius mors ponitur pro motiuo diuinæ Iustitiæ, & Misericordiæ, vt ab illa impetremus beneficia pro animabus Purgatorij. Quare minus pie dictum est à Raynaudo *vbi supra,num.29. in fine.* concludens, *Quare totum solatium animarum Purgatorij ex communione viatorum fidelium euanescit.* Ego vero concludo, imo non euanescit, sed crescit, augetur,firmatur, vt ex dicendis magis augebitur, & firmabitur.

587. Ex quo fit inane esse argumentum quod facit iste Author,quia si communio exhibet vtcumque clausulam Passionis Christi, vt attigerunt Nyssenus *orat.1.de Resurrect.*& Aug.*lib.qq.euangelicar. quæst.* 7. æque id verum est de communione sacrilega, ac de religiosa, & sancta *at nemo finxerit* (ait) *accedere Animabus Purgatorij solatium ex communione sacrilega.* Hoc, inquam, argumentum friuolum est; quia si communio fiat nomine totius Ecclesiæ, vt fit in die Parasceues,absque dubio Animabus solatium afferet, etsi Sacerdos Sacrilege communicauerit, at si fiat à laïco, vt persona est particularis, nullum iuuamen accrescit defuncto, nullum solatium, sicut de oratione,eleemosyna, & aliis suffragiis dicunt Scholastici *in 4.dist.21.*

588. Colligitur secundò, non esse eandem rationem de Sacra communione pro defunctis facta, ac de Reliquis aliis Sacramentis, vt falso arguit *n.* 36. Rationem disparitatis satis profunde nobis obtulit D.Thom.*in 4. distinct.45. quæst.2.art.3.* vbi in corpore sic fatur: *suffragia mortuorum prosunt defunctis secundum quod vniuntur viuentibus charitate,& secũdum quod intentio viuentium refertur in mortuos, & ideo illa opera præcipue nata sunt mortuis suffragari, quæ maxime ad communionem charitatis pertinent, vel ad intentionem directionis ad alterum; ad charitatem autem Sacramentum Eucharistiæ præcipue pertinet, cum sit Sacramentũ Ecclesiasticæ vnionis continens illum in quo tota Ecclesia vnitur, & consolidatur, scilicet, Christum; vnde Eucharistia est quasi quædam charitatis origo, siue vinculum.*

589. Et in solutione ad tertium ponit præfatum discrimen expressius, *quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio, vnde sicut per generationem non acquiritur esse, nisi generato, ita baptimus non habet efficaciam, nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato, quamuis ex opere operantis, vel baptizantis prosint aliis, sicut & cætera opera meritoria; sed Eucharistia est signum Ecclesiasticæ vnionis, & ideo ex ipso opere operato eius efficacia in alterum transire potest; quod non contingit in aliis Sacramentis.* ita ibi, quo nihil illustrius ad scopum totius nostræ disputationis cum Raynaudo contra ipsum dici potuit.

590. Itaque Baptismus, Pœnitentia, & alia Sacramenta solum possunt aliis prodesse *ex opere operantis*, sicut alia opera bona quæ dirigi possunt ex intentione operantis ad defunctos: at Sacramentum Eucharistiæ, cum sit signum vnionis fidelium in charitate existentium cum suo capite Christo, quam vnionem sicut significat, ita & causat ex *opere operato*, hoc est, ex vi suæ significationis eius efficacia transit ad defunctos quos nobisvnit in Christo,tali enim vnione ab Eucharistia causata ad inuicem vnimur, teste S. Thom. *3. p. quæst.73. art.4.*vt dixi *ex opere operato*, & ex ipso *opere operato* speciali titulo iuuat nostra communio,quæ est opus operans factum pro defuncto, quo speciali titulo non iuuat defuncto satisfactio quæ est in receptione aliorum Sacramentorum. Quod clare docet S.D.in verbis citatis, vbi ex eo quod Eucharistia est signum vnionis in charitate membrorum cum suo capite quod habet in quantum Sacramentum colligit quo ex ipso *opere operato* eius efficacia transit ad alios, hoc est, defunctos.

§. IV.

Non esse perexiguam satisfactionem in Communione pro Mortuis, ostenditur manifeste.

591. PRosequitur, nescio quo animo, Raynaudus *num.37. Iam vero vis satisfactoria manducationis, & susceptionis cibi Eucharistici, prout hominis actio est adeo tenuis, & exigua est, si recte perspiciatur,vt sollicitãdus videatur aduersariorum pudor, si ex hac parte premantur, ostendaturque vix fuisse cur pro tantula satisfactione in defunctos transfundenda vrgerent fideles ad communionem, si vere pro vi satisfactiua operi operantis respondente, & non pro fructu satisfactorio ad opus operatum pertinente sategissent.* Hæc ille. Bene satis iuxta locutionem Latinam Donato conformem. Sed vereor ne modus iste loquendi pietati sit aliquatenus difformis. Quare, vt verbis vtar Hieronymi *in Dialogo contra Luciferianos, Hanc igitur hastam quam totis viribus misisti, de qua nobis minitaris, vno* (vt aiunt) *digitulo repellam.*

592. Sed prius videre, & examinare oportet fundamentum quod supponit; quia videlicet opus eatenus est satisfactorium quatenus pœnale, & laborioſum facienti, ita quod pro ratione pœnalitatis vis satisfactiua operis augeatur: cum enim satisfactio quæ datur Deo ad tollendum debitum pœnæ temporalis sita sit in vltione ob violatum ius diuinum,talis vltio manifeste sonat pœnalitatem eius in quo exercetur. Ita,ait,tenet Suarez *3. part. tom.4. disputat.37. sect.5. num.4. & sect.6. num.7.* Torres *22. tom.1. disp.70. dub.5* quamuis ad satisfactionem pro iniuria non pœnalitas, sed perfectio actus sufficiat, & requiratur; atqui in aliis Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonij multo magis sunt pœnales actus quos requirunt, quam sit sumptio,& perceptio Eucharistiæ: ergo multo magis sollicitandi sunt fideles ad illa Sacramenta offerenda pro defunctis, quam sacram Communionem, *imo magis ad flagellationes, cilicia,chaumænias,ieiunia,aliasque,vt cum Tertulliano loquar, imbonitates, quibus vtpote valde pœnalibus, expeditius subleuarentur Animæ Purgatorij si earum per actus satisfactorios iuuandarum cupido incessat.*

593. Hucusque nondum manus adhibita circa opus operatum communionis pro Mortuis,sed in opere operantis persistens existimo Raynaudum magis deditum fuisse latinitati, in qua fateor pollere, quam in intelligentia Doctorum Sacræ Theologiæ

giæ quos male intellexit, & dum citat *equum incitare deberet iuxta Nisam*, vt ait Nazianzen. *in Oratione de Sancto Paschate*, etenim ab scopo ipsorum errat, dum in sui patrocinium inducit, cum longe alterius, imo oppositæ mentis sint, vt iam demonstro. Suarez enim quem omnino sequitur Ludouicus Turrianus amplectitur sententiam S. Thom. qui *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 4. *quæstiunc. prima* dicit expresse quod satisfactio pro pœna temporali ex peccatis relicta in iustificato fieri per opus nostrum non quatenus bonum, & laudabile, à qua radice prouenit ratio meriti, sed quatenus est pœnale, & laboriosum, quia satisfactio respicit Personam offensam per modum vindictæ ad persoluendam pœnam debitam, & sibi impositam pro iure violato; & sic satisfactio prouenit, vt à radice, à pœnalitate operis
594. quam inducit vt laboriosum est, per quod à nobis aliquid subtrahimus, vt fiat aliqualis adæquatio, & recompensa eius quod abstulimus per peccatum: cum autem, vt ait S. D. *quæstiunc.* 3. nos solum habeamus tria bona à quibus substrahere possumus, scilicet, bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, de bonis fortunæ substrahimus aliquid per eleemosynam, ex bonis corporis per ieiunium, ex bonis animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, quod fit per orationem.

Et cum S. Doctor sibi *in argumento* 1. *eiusdem*
595. *quæstiunculæ* obiecisset, quod Oratio non potest esse satisfactoria cum non sit pœnalis, cum sit medecina contra tristitiam, & causet dolectationem, vnde Iacobi *cap* 5 dicitur *Tristatur quis in vobis? oret, & psallat.* Huic argumento duplicem adhibet solutionem, & adducta prima, ad secundam sic progreditur: *vel dicendum est melius quod quælibet Oratio habet rationem satisfactionis, quia quamuis habeat suauitatem Spiritus, tamen habet afflictionem carnis*, quia vt dicit Gregorius *hom.* 15. *super Ezechiel. dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi infirmatur proculdubio fortitudo carnis. Vnde & neruus fæmoris Iacob ex lucta Angeli emarcuisse legitur.* Hæc ibi, & satis palchre dictans.

596. Ex quo deducitur euidens argumentũ Satisfactio pro pœna temporaria oritur à radice operis, quatenus pœnale: atqui opus efficitur pœnale in quantum aliquid trium bonorum quæ retuli nobis detrahit; opus autem quanto maiorem suauitatem spiritualem inducit, & maiorem animo fortitudinem, tanto magis infirmatur caro quæ semper in vita mortali aduersatur spiritui; & sic de bonis corporis plus detrahitur. Et sic magis satisfactorium est opus, & sic actus charitatis qui maximam tribuit animæ fortitudinem aduersus Diabolicos carnales incursus maximè satisfactorius est non solum pro iniuria, sed etiam pro pœna temporali ex peccato relicta, quia licet charitas pœnam faciat non sentire, tamen vt ait S. D. *quæstiunc. citata ad.* 2. diminutio pœnalitatis ex promptitudine voluntatis, quod facit charitas non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget, sicut diminutio difficultatis ab eadem radice proueniens non diminuit, sed auget rationem meriti.

597. Quare existimo iuxta principia tradita de satisfactione pro pœna ex peccato relicta nullum opus externum fieri à fidelibus magis satisfactorium ex opere operantis quam perceptionem Eucharistiæ, & sic nullum proficuum magis Animabus Purgatorij. Hoc mihi euidenter persuadeo ex pluribus quæ nullus Theologus contraire possit. Primum, quia illud opus magis satisfactorium est, quo maior acquiritur animo, & spiritui fortitudo, sed nullo opere externo acquiritur maior fortitudo animæ, quam Eucharistiæ sumptione: ergo ista cæteris aliis magis satisfactoria est. Consequentia, & maior liquent ex doctrina tradita, quia quo magis anima roboratur spiritu, eo magis infirmatur caro, & sic detrahitur de bonis corporis; atque ita opus externum est magis pœnale; minor manifeste ostenditur tum ex Sacra pagina, tum ex Patribus id manifeste attestantibus. Sacra enim Scriptura 3. *Reg. cap.* 7. loquens de Elia dicit quod *ambulauit in fortitudine cibi quem receperat vsqus ad montem Dei Oreb*, quem Ecclesia de pane Eucharistico interpretatur.

Omitto etiam plures ad hoc figuras veteris 598.
Testamenti, quæ vt explicatæ à Patribus idem significant. Vnde Chrysost. *hom.* 62 *ad Populum*, sic fatur: *Tanquam Leones igitur ignem spirantes ab illa Mensa recedamus, facti Diabolo terribiliores.* Legantur Dionys. *cap.* 3. *de Eccles. hierarchia*, & ibi Corderius §. *hinc vlterius*, & *seqq.* Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 2. & *serm. de Cœna* Dom. D. Bernard. *serm.* 1. *in Cœna Dom.* Chrysost. explicans illud Psalm. 27. *Parasti in conspectu meo Mensam aduersus eos qui tribulant me.* Cyrill. Hierosol. *catechesi* 4. Ambros. *in Psal.* 118. *Octonario.* 21. Paschasius *lib.* 1. *de Corpore Christi*, & multi alij qui consonant Chrysost. *vbi suprà.* dicenti: *Cum venimus ad Mensam Potentis tribulationes efficiuntur consolationes, & ex Mensa præparata proficimus aduersus omnes qui tribulant nos.*

Vnde S. Thom. 3. *part. quæst.* 79. *artic* 6. *ad.* 3. 599.
dixit *quod Eucharistia fomitem extinguit*, & per consequens passionum resultantiam aduersus rationem. Et *in cap.* 4. *Isaiæ circa fin.* dicit quod *Eucharistia dat confirmationem, & confortationem in pugna. Et opusc.* 58. *cap.* 21. 22. & 23. dicit quod Eucharistia *fomitem refrigerat, maculam cordis mundat, iram Dei placat, intellectum ad seipsum cognoscendum illuminat, voluntatem, siue affectum in dilectionem Dei, & proximi inflammat, memoriam spirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat, ab æterna morte liberat*, &c. & *opusc.* 57. *Eucharistia virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum impinguatur* &c. Patet ergo quod nullo alio opere externo magis Deo satisfaciamus, si quidem nullo bona corporis magis nobis subtrahimus, quam percipiendo Eucharistiam. Quare si ex hac intentione illam suscipiamus longe altius satisfaciamus, quam per ieiunium, aut macerationes carnis, Cæteraque imbonitates. Vnde ad illam magis quam ad istas incitandi sunt fideles, vt offerant pro Animabus Purgatorij.

Secundum, quia licet opus externum prout 600.
oportet executum libere imperatum ab interno isti addat aliquam maiorem satisfactionem, vt volunt Suarez, & Torres, & multi alij quos allegant loco citato, tamen hoc certissimum est quod bonitas formalis quæ est fundamentum pœnalitatis satisfactoriæ dimanat vt à primo fonte à bonitate actus imperantis, vnde quo perfectior

fuerit

fuerit iſte maior relucebit in actu externo, cæteris paribus, ſatisfactio, & ſic actus externus qui imperatur à charitate magis ſatifacit, quia actus charitatis valde difficilis eſt, & pœnalis, & vt optime Suarez *non ſolum eſt ſatisfactorius quia melior, ſed etiam quia difficilior, & quaſi virtute continens, & complectens aliarum virtutum laborem*; tunc ſic, ſed ſumptio Euchariſtiæ facta à laïco poteſt à ſummo actu charitatis imperari: ergo non perexiguam, ſed permaximam habebit
601. ſatisfactionem, quæ exerit vires ſuas in Animas Purgatorij iuxta intentionem ſumentis, qui ſuam ſatisfactionem ad illarum refrigerium dirigit, & quidem huius ſumptionis actum imperantem eſſe charitatem manifeſtum eſt, vt enim ait S. D. effectus huius Sacramenti eſt vnitas membrorum cum Chriſto, quæ vnio fit per charitatem, & ſic Auguſt. aliquando hoc Sacramentum appellat *Sacramentum vnitatis, & charitatis, &* licet aliquando aliquis moueatur ad hoc Sacramentum percipiendum ex motiuo Religionis cuius actus maximè ſatisfactorius eſt, tamen poteſt, & ordinarie ſic fit in ſuſcipientibus ipſum digne, quod moueantur ex amore, & charitate tum erga Deum tum erga Chriſtum.

602. Et in hac maxima ſatisfactione pro Mortuis applicata in communione fundantur Reuelationes, & imperia Chriſti impoſita ſanctis fœminis quod communicent pro Animabus Purgatorij. Sic mandauit Chriſtus B Ioannæ à Cruce vt pro vna Anima in Pugatorio detenta communicaret, & vt refertur de B. Gertrude *lib. 1. diuinar. inſinuationum cap.* 18. §. 16. quod à Chriſto petiit vt tot Animæ liberarentur ſua Communione quot eſſent particulę in quas Sacræ ſpeciesdiuiderentur ori illatæ, cuius petionem ratam habuit Chriſtus Dominus, imo vltra petitionem plures Animas liberas ire conceſſit, tam grande fuit incendium Amoris, & charitatis Virginis, & deſideriorum eius Animas ſubleuandi. Aliam Reuelationem refert Bloſius *in Monili ſpirituali c. 6.*

603. Nec quidem Reuelationes iſtæ vel verbulum intercelant quo ſignificetur hunc effectum prouenire ab Euchariſtia ex *opere operato*, ſed ex *opere operantis* dumtaxat, quod ad probandum non eſſe perexiguam perceptionis Euchariſtiæ ſatisfactionem ſatis eſt. Dicere autem huiuſmodi Reuelationibus non eſſe adhibendam fidem, vt dicit Raynaud. *num.* 52. audacter dicitur, reſponſa enim diuina facta fœminis in ſanctitate canonizatis ſumma veneratione ſunt accipienda, quando non opponuntur ſanæ doctrinæ, aliàs reſponſa Thereſiana, & Brigitiniana, & multa alia Sanctis mulieribus inſpirata, non ab Spiritu Sancto, ſed à proprij ingenij indole promanaſſe iudicandum erit, quod omnino abſurdum eſt.

604. Præterquam quod Reuelationes Gertrudianæ approbatæ ſunt à viris prudentiſſimis, & doctiſſimis; Petrus de Amoraga Ordinis Minimorum Prouincialis *die 6. Martij anni* 1601. vir Sanctæ vitæ: & ſolidæ doctrinæ. Pater Franciſcus Suarez Conimbricæ primarius Theologiæ Profeſſor, & in tota Eccleſia celeberrimus, *Salmăticæ die* 15. *Iulij* 1603. Magiſter Petrus de Herrera Salmantinæ Cathedræ Moderator inſignis ibi *die* 23. *Iulij anno* 1601. P. Franciſcus de Sancta Maria Rector Collegij Salmantini Carmelitarum excalceatorũ Magiſter Fr. Maurus de Salazar Generalis Congregationis Sancti Benedicti Salmanticæ *die* 8. *Iunij* 1603. Pater Ioannes de Siguença Primarius Lector in Collegio Societatis Salmantinæ quos omnes refert Magiſter Fr. Leander de Granada, & Mendoza in traductione Reuelationum S. Gertrudis ante principium libri. Vitam, & Reuelationes factas B. Ioannæ à Cruce egregie, & acriter defendit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus DD. Franciſcus de Souſa Epiſcopus Canarienſis, Oſmenſis, & Segouienſis *tract. de hac materia edito* qui eſt *quartus ſuorum operum.* Hæc dixerim, vt videatur quam audacter huiuſmodi Reuelationes, quæ, vt notaui, intelliguntur *ex opere operantis* cauſare Euchariſtiam tale releuamentum in Animabus. De authoritate Bloſij quanta ſit vniuerſa dicit Congregatio Fidelium.

Tertium iuxta ſententiam veram, quam ipſe 605.
Raynaudus admittit, opus eo eſt ſatifactorium, quo eſt pœnale, & eſt pœnale, quia laborioſum, ſed perceptio Euchariſtiæ ſumme laborioſa eſt inter actus externos à pura creatura exercitos: ergo ſumme ſatisfactoria eſt, ſi fit *prout oportet.* Minor probatur, ſumma approximatio ad Chriſtum, quem ibi præſentialiter eſſe agnoſcunt fideles, atque ita animus pius anxie elaborat agnoſcens ſuam miſeriam ad Sacramentum accere, neque enim perceptio Euchariſtiæ conſiderãda eſt in eſſe phyſico naturali, in qua vt ſic nullus vel paruus cõſideratur labor, aut pœnalitas, ſicut eſt in carnis macerationibus, ciliciis, & aliis ſimilibus, quæ ſecundum eſſe phyſicum dolorem cauſant, & pœnam, non ſic eſt conſideranda Euchariſtiæ perceptio, qualiter videtur conſiderata ab Antagoniſta noſtro dum dicit perexiguam eſſe ſatisfactionem.

Conſiderari ergo debet in ſua æſtimabilitate 606.
quam accipit ex re percepta humano modo. Sic enim ruſtico valide laborioſum eſt accedere ad Regis colloquium, cuius regia dignitas ipſum expaueſcit, & retrahit: quanto igitur magis retrahit homines pios dum ſuam vilitatem agnoſcunt, à perceptione illius infinitæ Maieſtatis, quam tremunt Angeli, nec conſpicere audent. Et ſic Ioannes in Apocalypſi expauefactus corruit in terram non valens præſentiam Angeli ſibi approximati ſuſtinere. Et Ezechiel 2. dicit Propheta: *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini, & vidi, & cecidi in faciem meam.* Quod multis exemplis confirmat S. Greg. *hom.* 8. *in Ezech.* & *hom.* 9. & Gloſſa interlinealis, *ideo cecidi in faciem meam conſcius fragilitatis meæ.* & ſic perceptio Sacramenti Euchariſtiæ valde laborioſa eſt, & ſic valde ſatisfactoria, & excedit in ſatisfactione ex opere operantis reliqua Sacramenta; quare iure optimo magis excitantur fideles, vt ſacram communionem percipiant pro defunctis quam cætera alia Sacramenta, à quibus non exoriuntur tam vberiores fructus, tum ipſi recipienti, tum vt ex opere operantis poſſit Animabus impertiri.

§. V.

Non eſt tenue ſubſidium Animabus Purgatorij in manducatione corporis Chriſti, prout eſt impetratoria.

AGens Raynaudus de vi impetratoria quam 607.
manducatio corporis Chriſti prout eſt actus noſter habet vt poſſit eſſe leuamen animæ pœnam in Purgatorio patientis, ſic fatur. *num.* 40. *Hinc*

eruendum

eruendum est quam tenue subsidium animabus Purgatorij exhibeatur in manducatione cibi Eucharistici prout est impetratoria in ratione actus nostri. Nam fructus ille impetrationis pro his Animabus non adiungitur manducationi, nisi interueniat specialis relatio, vel volitio, communicantis, quæ suam manducationem dirigat in eum finem; nemo enim alteri speciale quidquam impetrat per actionem suam nisi referat illam ad commodum extranei quod ex sua natura non spectabat, quia hæc est impetratio formalis, non autem illa obiectiua quæ nihi determinate alteri deposcit, sed tota determinatio boni ob eam conferendi est penes Deum. Si igitur in eatur consilium de exequendo aliquo bono opere nostro, quod per extrinsecam ordinationem nostram referatur ad impetrandam subleuationem Animabus Purgatorij, optime fiet si ad id eligatur actus omnium præstantissimus, nempe actus charitatis in defœcatissimus atque purissimus, is enim actus omnium maxime est Deo acceptus, & pollebit vberrima vi impetrandi refrigerium his Animabus si per voluntatem eo referatur. Longe igitur satius est hortari fideles ad hanc praxim subleuandi defunctos per amorem Dei super omnia quam per communionem quæ nec tã frequens esse potest quam Amor super omnia, nec tam expedita, cum ad summum semel in die in Ecclesia peragi possit. Hæc ille, quo animo nescio.

608. Vt tamen meum explicem, operepretium est adnotare ex materia de Merito quod in actu bono ex circunstantiis, & elicito *prout oportet*, triplex ratio quantum attinet ad propositum desiderari valet. Ratio meriti, siue de congruo, siue de condigno, ratio satisfactionis pro pœna, & tandem ratio impetrationis. De satisfactione iam diximus fundari in pœnalitate actus boni meritum etiam de congruo, (quod distingui ab impetratione alibi ostendo contra Vasquez qui 1. *part. disp.* 41. *num.* 40. contrarium sentit) respicit præmium quod aliquo modo sit debitum, & sic nititur diuinæ iustitiæ, & radicatur in charitate; at impetratio habet efficaciam à fide qua cognoscimus diuinam Omnipotentiam, & Misericordiam à quibus Oratio habet impetrare quod petit, ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. *ad* 3. qui *in solutione ad* 2. insinuat quod meritum, aut respicit Beatitudinem, aut ea quæ ad illã cõducunt, at impetratio respicit rem postulatã, quam Deus misericorditer, & liberaliter concedit; *art.* 16. *in corp. & ad* 2. vnde oratio vt meritoria aliquod ius acquirit ad præmium nisi apponatur impedimentum, at vt impetratoria acquirit nullum ius ad postulata, quod egregie explicat Sanctus Doctor *in* 4 *distinct.* 15. *q.* 4. *art.* 7. *quæstiunc.* 3.

609. Igitur impetratio actiue sumpta (vt sic loquar) est postulatio alicuius doni à Diuina Misericordia, & Omnipotentia fide cognita liberaliter donandi: impetratio tamen passiue accepta est receptio illius doni in persona cui postulatur, quæ infallibilis erit si concurrant ea quæ D. Thomas quem omnes sequuntur 2. 2. *loco citato.* siue postulatio sit pro se, siue sit pro aliis. Legatur Raphael de la Torre, *ibi art.* 16. *disp.* 7. Suarez *lib.* 1. *de orat cap.* 27. Adam Tannerus *disp.* 5. *de Relig. q.* 1. *dub.* 4. *num.* 112.

610. Vnde impetratio multiplicem habet respectum ad Deum qui oratur, & à quo petitur, ad fidem in qua radicatur, ad personam cui donũ desideramus, & ad ipsum donum & sic prima radix impetrationis Oratio est, quia, vt aiunt Aug. *serm.* 5. *de verbis Dom.* Oratio petitio quædam est. Et Damasc. *lib.* 3. *de fide, est petitio decentium à Deo, vel sibi, vel alteri,* quare scite Pater Suarez *vbi suprà, tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 1. *Aptitudo,* (inquit), *ad impetrandum propria est Orationis inter omnium virtutum opera. Vnde licet alia virtutum opera possint orationem iuuare ad impetrandum, quomodo dicunt interdum Sancti ieiunium, & eleemosynam esse veluti duas alas quæ orationem in Deum eleuant; nihilominus in aliis operibus non potest esse propria impetratio absque Oratione, propter rationem factam, sed per se solum bene disponunt, aut merentur. Et his etiam modis iuuant Orationem, vel quia disponunt hominem, vt attentius oret, vel quia ad hoc ipsum auxilium aliquod per modum meriti obtinent, vel quia personam orantem gratiorem Deo reddunt, ac subinde aptiorem, vt petitiones eius exaudiatur.* Hæc satis pulche P. Suarez quæ est communis, & certa omnium Scholasticorum sententia, *in* 4. *dist.* 15. vbi S. Thom. *q.* 4. 611.

Ex quibus euidenter apparet falsitas huius sententiæ Raynaudi, quia actus aliarum virtutum non sunt immediate, & proxime impetratorij, sed ab Oratione omnis impetratio oritur, vt à primo fonte, nam impetratio respicit rem postulatam, vt obiectum proximum, & Oratio solum inter actus aliarum virtutum est petitio, & postulatio, vt modo dicebamus. Vnde actus aliarum virtutum, etiam feruentissimæ charitatis non sunt formaliter impetratiui, nisi quatenus disponunt hominem vt attentius oret, intentiusque attendat ad Diuinam Bonitatem à qua impetrat Oratio; vel quia personam orantem gratiorem, & amabiliorem reddunt Deo qui magis amicos, & amabiles facilius exaudit, vt postulata concedat, tam pro orante, quam pro aliis. Vnde quo actus aliarum virtutum magis nos Deo coniungunt eo magis disponunt ad feruentius orandum, redduntque orantem aptiorem, vt exaudiatur. 912.

In hoc fundabat se doctissimus Gerson *part.* 3. *Epist. de pia memoria defunctorum sub fine* dum amicum informat quomodo iuuet Christianè, & Catholice mortuos existentes in Purgatorio; *quotiescumque etiam* (dicebat Decanus) *ad perceptionem Corporis Christi te præparas, & perceptum tecum habes, esto, quæso, memor fidelium defunctorum, & implora tanto ardentius Misericordiam eius quanto certius retines in te pignus æternæ Redemptionis.* Hæc ibi. Quibus sapienter Gerson ponit motiuum ad ardentius implorandum, & fidentius impetrandam Misericordiam pro Animabus Purgatorij, quia scilicet tunc gratissimus est homo, & aptior vt exaudiatur, quando communicat, & in se percipit, & attractat ipsum Verbum Dei incarnatum. 613.

Et quidem vt id quod sentio libere pronuntiem, existimo nullum actum exteriorem fidelem in vita mortali exercere qui ipsum magis aptum reddat ad impetrandum vel pro se, vel pro aliis, quam perceptio in gratia facta Eucharistiæ (sicut nullum actum exteriorem facit Deo abominatiorem, quam eiusdem perceptio indigna, quam æquiparant Patres vel traditioni Iudæ traditoris, vel peccato crucifigentium Christum) Probatur manifeste, quia tanto quis fidentius, & feruentius orat, aptiorque redditur vt exaudiatur, quo iungitur Deo, à quo impetrat, & implorat: quanto enim quis coniunctus est Regi, tanto maiori 614.

fiducia

fiducia,& efficacia pro aliis petit ; atqui per ſumptionẽ Euchariſtię homo vere,&realiter iungitur,
615. Deo & deificus efficitur : ergo tunc ſumptio Euchariſtiæ maximè impetratoria eſt , & non leue ſubſidium ex illa proueniet animabus purgantibus,ſi ad illud inferendum ab ſumente per orationem ordinetur.Minor expreſsè docetur à S.P.Cyrill.Hieroſol.*cathec.mytag.*4.& Alexand.*lib.*10.*in Ioan.c.*13.Chryſoſt.*hom.*55.*ad popul.*Irinæus *lib.*5. *contra hæreſ.c.*2.Damaſcen.*lib.*4.*de fide c.*14.Hilarius *lib.*8.*de Trinit.* refertur *in c.in Chriſto de conſecrat.diſt.*2.& plures alij quos referunt,& ſequũtur Bellarm.*lib.*1. *de Euchariſt.c.*11. *& lib.*2.*c.*5. *&* 6. Tolet.*annot.*19.*in c.*6. *Ioan.* & latiſſimè , & eruditiſſimè Religioſus,& perdoctus D.Fr.Thom. à Ieſu Maria in libro illo aureo de oratione infuſa.*lib.*4.*c.*27. *&* 28. Nicolaus de Cabaſilas *in expoſit.liturgiæ c.*4.*habetur tom.*12.*Biblioth.Agripinæ.* Gloſſa ordinaria *ad c.*12. 1.*Ep. ad Corinthios* dicit quod per hanc vnionem non ſolũ efficimur Chriſti feri,vt idem docent multi Patres,ſed ipſemet Chriſtus & legi poteſt Granados 3.*p.tract.*9. *diſp.*1. *de Euchariſt.* An vero hæc realis vnio ſit phyſica an tantum moralis parum ad rem pertinet , licet phyſica à pluribus dicatur.

616. Id ipſum valde neruosè confirmo , quia vt docent Cyrill. Alexand.*lib.*11. *in Ioan. c.*7. *& lib.*9. *c.*44. Chryſoſtom. *ibi homil.*72. quando Chriſtus *Ioann.*16.nobis præcipit vt nomine ipſius aliquid petamus,& impetremus, ly *in nomine meo,*(dicũt) nobis dediſſe ad impetrandum à Deo anſam,titulum,& cauſam,virtutem,iuſtitiam,meritum,& ſatisfactionem vnigeniti filij ſui, qui titulus efficaciſſimus eſt,vt à Deo poſtulata impetremus.1.quia dilectio qua Pater diligit filium, & amicum,etiã in humanis multum valet , & iuuat ad impetrandum merita filij proponere. Vnde Patres antiqui ad impetrandum aliquid à Deo merita Abrahæ , Iſaac,& Iacob, & Dauid, etiam defuncti,illi proponebantur.

617. Secundò,quia propoſita Deo morte,& paſſione Chriſti , qua pro omnium culpis abundantiſſimè ſatisfecit,& omnium quæ à Patre impetranda, & poſtulanda erant ſoluit pretium. Et ſic iure optimo Chriſtus iubet,quod in nomine ipſius à Patre petamus neceſſaria pro nobis , & amicis. Quare Eccleſia in omni fere petitione ſua allegans titulum hunc efficaciſſimum dicit, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum :* ergo cum dum quis communicat vere,propriè,& realiter Chriſtũ recipiat, hunc titulũ efficaciſſimũ , & validiſſimũ allegare poteſt ad impetrandũ vel pro ſe,vel pro animabus Purgatorij. Quo titulo nec efficacior eſt actus charitatis in quantũ impetratorius,ſolũ enim nos cõiungit Deo affectiuè,nõ realiter,ſicut cõmunio.

618. Quare ſi ineatur conſilium de exequendo opere noſtro bono, vno dumtaxat,ſi adſit debita reuerentia, quæ ad ſumptionem Euchariſtiæ exigitur,quod per extrinſecam ordinationem noſtram ordinetur ad impetrandum auxilium pro animabus Purgatorij,quod ſit omnium externorum præſtantiſſimus, ſatius eſſe eligere communionẽ Euchariſtiæ prout oportet factam , quam actus feruentiſſimæ charitatis , quia in iſto non ita proximè eſt validiſſimus ille titulus ad impetrandũ,ſicut in communione. Quod maximè inſinuatur *lib.*3.*inſinuationum S.Getrudis c.*18.§.15.cum notis marginalibus Fr.Leandri de Granada.Non nego actum charitatis maximè eſſe impetratorium, & plurimum leuaminis inferre animabus defunctorum filium, ſed non ob hoc magis ſunt ſolicitandi fideles , vt Deum ament, ad impetrandum, quam vt communicent,præcipuè cum Sacra communio à charitate fere ſemper impetretur. Et ſic patet quam friuolum ſit fundamentum Raynaudi.

§. VI.

Oratio prout impetratoria non eſt tenue mortuorum ſubſidium.

MIrum eſt quantum extenuet Raynaudus mortuorum ſubſidia, videtur quidem,vt dicebat ille , *mortuos flagellare,* quare verſus Tireſiæ ad Creontem , quos ponit Sophocles in Antigona , illi non ineptè aptantur : 619.

Age , mortuo concede , nec qui extinctus ſtimulato. Quænam eſt fortitudo mortuum necare rurſum ?

Quænam eſt pietatis valentia ? & quæ in ſtudiis fortitudo mortuum necare rurſum ? deuotionem fidelium infrigidando, dum tantum extenuat tam excellens ſuffragium communionis ; imò & orationis quæ funditur pro ipſis,cuius vires valde debilitat. Dicit enim *quod licet oratio in quantum ſatisfactoria optimè adhibeatur ad ſubleuandos defunctos,tamen prout præcisè impetratoria, non niſi per anfractus iuuare defunctos poteſt, nimirum interpellando diuinam bonitatem , vt prouideat viatores ad ſatisfaciendum idoneos, qui ſuis,vt ſic dicam, impenſis diſſoluant debita defunctorum, vel ſi qui ſunt tales alij modi indirectè iuuandi defunctos. Etenim oratio directa non poteſt defunctis gratuitam pœnæ remiſſionem impetrare , hoc enim pugnat cum diuinæ iuſtitiæ legibus : ſicut enim nullus pro ſe impetrat remiſſionem pœnæ temporalis ſed neceſſario eſt adhibenda eius ſolutio,ita nec pro alio poteſt impetrare gratuitam pœnæ relaxationem,niſi interueniat ſolutio per ſatisfactionem.* Citat pro ſe Suarez *tom.*4. *in* 3.*p.diſp.*48. *à num.*5. Sanchez *in ſelect.* 16. *à num.* 12. qui adducit in ſui fauorem S. Thom. *in* 4. *diſt.*45. *q.*3. *art.*4. *ad* 6. 620.

Sed prius quam examinẽ hoc fundamentũ Raynaudi,& eius tenuitatẽ oſtendam,non poſſum non mirari virũ Catholicũ,& piũ quod poſt adductum fundamentũ ſic loquatur:*Si igitur oratio, quæ formaliſſimè,& directiſſimè eſt impetratoria,tam parũ defunctis cõmodat præcisè prout impetratoria* , &c. hoc enim(me quidẽ iudice)nõ bene dicitur(ne qui plus dicam) quia ita certum eſt Sãctos qui ſunt in cœlo Animas Sanctorum quæ ſunt in Purgatorio ſuis Orationibus iuuare , vt temerarium ſit id negare.Ita D.Thom.*in* 4.*diſp.*45.*q.*2.*art.*3.*quæſtiunc.* 3.& ibi Soto *q.*2.*art.*3.qui vt optime Raphael de la Torre 2.2.*quæſt.*83.*art.*8.*diſp.*3.§.*tertia concluſ. nunquam oppoſitum dixit,*ſed ab aliquo maleuolo fini illius artic.additum, & ſic in nouis impreſſionibus non reperitur Gabriel *ibid.q.*2.*art.*2 *concl.*3. vbi Bonauentura, Richardus, Durandus, Capreolus,& alij Scholaſtici,Bellarmin.*lib.*2.*de Purgatorio cap.*15. eſt expreſſa ſententia S. Auguſt. *lib. de cura pro mortuis agenda cap.*4. *& lib.*1. *de Ciuit. Dei cap.*12. *&* 13. dicens hoc prodeſſe defunctis ſepeliri in locis ſacris dicatis in honorem Sanctorum , *vt eiſdem Sanctis commendet defunctos apud Dominum ab ipſis Sanctis adiuuandos.* Sequuntur Gregor. *lib.*4. *Dialog. cap.* 50. Anſelmus *in elucidario.* 621.

Eſt ſententia indubitata,quã videtur approbare 622.

Ecclesia, dum in *quadam oratione pro defunctis orat; Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ Beatitudinis consortium peruenire concedas.* Et ratio est, quia Beati feruent charitate, qua curant subleuare eos qui ærumnas patiuntur vt sunt animæ defunctorum; & sicut orant pro viuis, vt indubitatum est (siue sit propria oratio, siue non) ita & pro defunctis. Quod motiuum rectè ponderat Suar. *vbi*
613. *suprà n.7.* & Torre *disp. citat. concl.3.* & quidem cum Beati sint incapaces satisfactionis, eorum Oratio solum erit impetratoria formalissimè, & directissimè. Modo ad rem, quis pius, & Catholicus dicet quod Oratio Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum parum commodat defunctis? & quod illis impendit tenue subsidium? aut quod fideles sepeliri in Ecclesia Sanctis dicata parum à Sanctis iuuamen accipiet? ergo rectè sentiendum est quod Oratio, vt purè impetratoria, si feruida sit, & hominis Dei amici, multum iuuat illum pro quo funditur.

614. Huc spectat quod omnino certum est, secundum fidem Catholicam Sanctos esse orandos, vt suis orationibus, & intercessionibus ad Deum fusis nos adiuuent, vt à malis liberemur, quod definiunt Concilia *Nicænum secundum act 6. in fin.* Grangense *can. 20.* & Trid. *sess.25. in Decreto de inuocatione Sanctorum,* vbi dicit, *Sanctos vna cum Christo regnantes Orationes suas pro hominibus Deo offerre, & sic bonum, atque vtile esse suppliciter eos inuocare ad Beneficia impetranda à Deo,* &c. Et quis dicet, nisi *subuentanea dicat*, quod Orationes Beatorum cum purè sint impetratoriæ tenue esse viuorum subsidium? & sic pari ratione aberrabit si de mortuis id affirmet.

615. Modo ad fundamentum Raynaudi enucleandum venio, quamuis enim non bene valeat Oratio prout imperatoria, formaliter iuuat defunctos, ergo impetrat relaxationem pœnæ gratuitam absque solutione, vel per se facienda, vel per amicos. Et hoc sit satis ad dignoscendas magnas vires orationis, prout præcisè impetratoriæ, tamen motiuum indultum non excludit gratuitam relaxationem faciendam à diuina liberalitate mota efficacia orationis vt præcisè impetratoria.

Dicendum, tanta est vis, & efficacia orationis quatenus impetratoriæ vt immediatè possit consequi animabus Purgatorij subsidium per relaxationem pœnæ gratuitam absque aliqua alia solutione facienda. De hac conclusione sic loquitur Suarez *vbi sup. Hæc sententia est pia, & probabilis, & fortasse est vera* quam sequuntur Caiet. *to.1. opuscul. tract.1. q.5.* Durand. *in 4. dist.45. q.1.* quos
616. citat, & sequitur Ægidius Coninch *3.p disp.11. de Purgat. dub.7.* Bellarm. *dub.2. de Purgat. cap.16.* & plures alij. Et ratio est, quia cum oratio nitatur diuinæ misericordiæ, & liberalitati quæ summa est, & potens remittere pœnam absque interuentione solutionis, id ita aliquando fieri piè credendum est: si enim ab homine possumus pro nobis, vel pro aliis obtinere relaxationē gratuitam pœnæ, quam posset iustè non remittere, sine debita satisfactione, cur id non poterimus à Deo obtinere. Licet enim ordinariè Purgatorij pœna gratis non remittatur sine satisfactione aliqua exhibita, tamen ita efficax, & ardens potest esse oratio, vt Deus non spectet ad postulationem concedendam quod sit aliqua satisfactio æquiualens,
617. sic enim D.Th. *in 4. dist.45. q.2. art.1. quæstiunc.3.* dicit, quod orationes quæ fiunt à Sacerdote peccatore nomine Ecclesiæ prosunt defunctis, quod euidens est non prodesse per modum satisfactionis, quia Ecclesia non satisfacit, & sic prosunt per modum impetrationis dumtaxat, & idem est de Beatis qui suis orationibus defunctis prosunt, vt clarè constat *ex oratione Ecclesiæ pro defunctis supra memorata* quæ attenta verborum proprietate, fine tropis petit, quod Deus per merita, & interceſſionem Christi, Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, remittat defunctis pœnas debitas.

Quare sicut per indulgentias gratis nobis re- 618.
mittuntur pœnæ debitæ, & etiam animabus Purgatorij, ita etiam oratio quatenus impetratoria eorumdem pœnarum gratam obtinet relaxationē absque solutione alia: & hoc, me quidem iudice, volunt Patres dum ponunt orationem partem satisfactionis dicentes, quod eleemosyna, & ieiuniū sunt duæ ipsius alæ quibus ad cœlum vsque eleuatur, quia videlicet eleemosyna, & ieiunium sunt satisfactoriæ actiones, quibus nixa oratio quatenus impetratoria ad cœlum eleuatur, & impetrat quod petit; si enim vt satisfactoria poneretur pars satisfactionis, etiam possent poni aliæ innumeræ virtutes quorum actibus satisfacimus vel pro nobis, vel pro aliis, quare absque dubio ponitur pars satisfactionis, quatenus est virtus particularis cuius proprium munus est impetrare aliquid à Deo, est enim petitio decentium à Deo.

Quod si dicant contrarij, quod Ecclesia, dum 619.
nomine ipsius aliquid petitur pro animabus Purgatorij à Ministro peccato mortali infecto, ideo huiusmodi orationes prosunt, quia applicat aliquam partem satisfactionum Christi, & Sanctorum, quæ sunt in thesauro. Contra est, quia hic non agitur de satisfactione Christi quæ est causa vniuersalis omnium remissionum, & idem est de satisfactionibus in Thesauro Ecclesiæ repositis, quæ omnibus communes esse possunt, sed loquimur cum Raynaudo de satisfactione speciali directa ad remissionem pœnæ animabus debitæ, & manifestum est quod non requiritur, quidquid sit an Sancti dum orant pro animabus Purgatorij postulent à Deo, vt satisfactiones ipsorum quæ sunt in Thesauro Ecclesiæ defunctis applicentur.

Quare ad fundamentum Raynaudi respondetur 630.
friuolum esse, solum enim probat, quod animabus Purgatorij nulla fit gratuita pœnarum relaxatio propter earum respectum, & hoc solum exposcunt leges diuinæ iustitiæ, & Decreti, non tamen quod aliis gratis remittantur in gratiam Sanctorum, & fidelium qui pro eis orant; aliàs vt optimè dicit Ægidius *n.59.* non possent illis applicari indulgentiæ per quas purè ob merita Christi, sine alia satisfactione debitæ pœnæ remittuntur. Non ergo oratio prout præcisè impetratoria *tenue est mortuorum subsidium.*

§. VII.

Vtrùm communio à laico facta, in aliquo sensu prosit defunctis *ex opere operato.*

HOc opus, hic labor est. Negat Raynaudus to- 631.
ro opusculo citato, & vt firmius neget *opus operatum* ita extenuauit, vt vidimus opus operātis, vt vix illi aliquid iuuaminis relinquat: ego vero cū tam pingue pro animabus inuenerim, videndum mihi restat an Sacra communio pro mortuis celebrata, aliquo sensu possit dici quod *ex opere operato* in illis significet remissionem pœnæ temporalis

temporalis iuxta menſuram charitatis,qua percipiens Euchariſtiam eam animabus Purgatorij applicet vel iuxta diuinam determinationem.

Et quidem certiſſimum debet eſſe quod Euchariſtia, quatenus eſt Sacramentum *ex opere operato* per ſe, ſolum prodeſt ſumentibus, & manducantibus phyſicè,& realiter. Ita D.Tho.3.*p.q.*79.
632. *art.* 7. vbi omnes expoſitores. Hoc ad ſummum probant argumenta omnia quæ congeſſit Raynaudus, & retuli §. 1. Itaque augmentum gratiæ, & remiſſio peccatorum venialium, & præſeruatio à mortalibus *ex opere operato*, per ſe, & ex primaria efficacia huius Sacramẽti ſolum cauſatur in percipiente, & ſicut generatio ſpiritualis ſolum cauſatur in illo qui aqua Baptiſmali realiter abluitur ex vi Sacramenti Baptiſmi, ita aggeneratio, & nutritio ſpiritualis ſolum fit in illo qui realiter, dignè tamen, communicat; neque huius contrarium aliquis Catholicus ſomniauit, nedum dixit; quare Raynaudus finxit quem ferirer.

633. Hoc igitur cum certum ſit ſupereſt diſſidium, an cõmunio, & perceptio huius Sacramenti aliis. etiam defunctis, proſit,præterquam *ex opere operantis* in quantum eſt ſatisfactoria, & impetratoria. De quibus in ſuperioribus dictum eſt dependere ex operantis intentione, & quod impetratio nititur ſolum diuinæ miſericordiæ, & liberalitati Dei volentis poſtulata concedere, an inquam præter iſtos duos modos, quibus communio prodeſt defunctis, alio titulo ſtrictiori, & qui dicatur *ex opere operato* illis etiam iuuamen, & ſubſidium deferat.

634. Dico primò:Communio,& perceptio Euchariſtiæ poteſt prodeſſe defunctis quatenus eſt opus iniunctum, & requiſitum à Pontifice, vt anima liberetur à Purgatorio per indulgentiam *ex opere operato*. Vt autem huius concluſionis fundamenta clarè conſpiciantur,aliqua prælibare licet. Primum eſt ex D.Thom. *in* 4.*diſt.*45.*q.*2. *art.*3.*quæſtiunc.*2. *quod indulgentia principaliter prodeſt ei, qui indulgentiam accipit, ſcilicet qui facit hoc pro quo indulgentia datur, vt qui viſitat limina alicuius Sancti. Vnde cum mortui non poſſint aliquid facere pro quibus indulgentia datur, eis indulgentiæ directè valere non poſſunt; ſecundario, autem, & indirectè proſunt ei pro quo aliquis facit illud quod eſt indulgentiæ cauſa, quod ſicut diſt.*20.*q.*2. *art.*5.*quæſtiunc.*2. *ad* 2. *dictum eſt quandoque contingere poteſt, quandoque autem non poteſt, ſecundum diuerſam indulgentiæ formam; ſi enim ſit talis indulgentiæ forma, quicumque fecerit hoc, vel illud habebit tantum de indulgentia, ille qui hoc fa-*
635. *cit non poteſt fructum indulgentiæ in alium transferre, quia eius non eſt applicare ad aliquid intentionem Eccleſiæ per quam communicantur communia ſuffragia ex quibus indulgentiæ valent; ſi autem indulgentia ſub hac forma fiat, quicumque fecerit hoc, vel illud, ipſe & Pater eius, vel quicumque ei adiunctus in Purgatorio detentus tantum de indulgentia habebit, & talis indulgentia, non ſolum viuo, ſed etiam mortuo proderit. Non enim eſt aliqua ratio quare Eccleſia poſſit transferre merita communia in viuos, & non in mortuos. Nec tamen ſequitur quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas à Purgatorio liberare, quia ad hoc quod indulgentiæ valeant requiritur cauſa conueniens indulgentias concedendi, vt ſupra diſt.*20. *q.*1. *art.*4. *quæſtiunc.*3. latè S. D. quibus manifeſtè habetur quomodo indulgentiæ proſint defunctis,quæ à concedente illas ſunt extenſæ ſi fidelis viator aliquod opus faciat quod illius indulgentiæ ſit cauſa. Quare ſi Pontifex dicat, qui communionem digne ſuſceperit, & poſt aliquot orationes fuderit animam à Purgatorio liberet,talis communio abſque dubio proderit animæ.

Secundum ſit,quod opus iniunctum ad lucran- 636.
dam indulgentiam ad illam concurrit *ex opere operato,& de iuſtitia.* Ita tenent Ægidius Coninch 3.*p.diſp.* 12.*de indulgent. dub.*20.*n.*45.*in fin.* Suar. *tom.*4.*in* 3*p diſp.*52.*ſect.*8.*n.*3. Ludouic.de la Cruz *in expoſit.Bul.defunct.diſp.*2.*dub.*6.*n.*8. Trullench *in expoſitio. Bullæ Cruciatæ lib.* 4.*dub.* 9. & plures alij quos refert, & ſequitur Ludouic. à Cruce *vbi ſup. dub.*4. *n.* 6. aſſerentes indulgentias defunctis conceſſas prodeſſe defunctis ex iuſtitia, & non ex mera liberalitate, ſuppoſito pacto ex promiſſione diuina. Et ratio eſt euidens, quia indulgentia non eſt aliud quam communicatio Theſauri Eccleſiæ facta ab habente poteſtatem illum diſpenſandi pro viuis, vel defunctis. Theſaurus autem hic 637.
continet ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quas applicat Summus Pontifex viuis, & defunctis non iuxta opus lucrantis ſatisfactorium, vt enim optimè Suarez *diſput. citata ſect.* 8. *num.*3. dicit, *Remiſſio, ſeu effectus indulgentiæ non innititur proprio merito, aut ſatisfactioni operantis,& ſic inæqualitas operis in hac perfectione nihil refert ad inæqualitatem effectus indulgentiæ: nec etiam iuxta opus in quantum eſt diſpoſitio, quia effectus indulgentiæ, per ſe, & ab intrinſeco nullam diſpoſitionem requirit in recipiente, niſi ablationem culpæ, & ſtatum gratiæ.*

Igitur Pontifex concedit indulgentias ſub 638.
conditione talis, vel talis operis exequendi,quatenus opus conſideratur ex parte piæ cauſæ, in ordine ad quam tale opus imponitur,quo poſito indulgentia per ſe cauſat ſuum effectum, abſque dependentia alicuius alterius operis vel concedentis, vel lucrantis, atque ita *ex opere operato*. Vnde ſicut contritio quatenus pars Sacramenti *ex opere operato* cauſat gratiam, ita opus iniunctum ad lucrandam indulgentiam concurrit ſaltem vt conditio omnino neceſſaria, non *ex opere operantis* ſatisfactoriè, aut impetratoriè, ſed *ex opere operato*, quatenus medio illo per indulgentiam applicantur lucranti Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones.

Ex his duobus principiis colligitur manifeſta 639.
probatio concluſionis, quia Pontifex poteſt concedere indulgentiam plenariam, vel aliam dignè recipientibus Euchariſtiam cum facultate eam applicandi animabus Purgatorij. Vel poteſt concedere eam immediatè ipſis Animabus, dummodo ab aliquo viatore Euchariſtia percipiatur: ergo talis perceptio quæ eſt opus iniunctum *ex opere operato* concurrit ad effectum indulgentiæ. Antecedens conſtat ex primo principio, & conſequentia ex ſecundo, & hæc indulgentiarum forma, peruia eſt, & manualis habentibus icunculas, Roſaria, globulos benedictos, & alia huiuſmodi,

Dices quod conſequutio huius indulgentiæ 640.
etiam fit per alia opera. Quare non debent magis fideles exhortari ad communionem propter hoc motiuum, præterquam quod non eſt vniuerſalis, cum non omnes, maximè in paruis oppidis huiuſmodi globulos, &c. conſequuntur. Reſpõdetur quod quãuis hoc verum ſit rectè excitantur fideles qui hoc habẽt priuilegiũ præcipuè per Bul-

Cruciatæ , quæ omnibus communis est , tum etiam communicatio Eucharistiæ opus est maximè proportionatum ad quamlibet causam concedendi indulgentiã,& sic est certior eius effectus

641. Dico tertiò , Sacramentum perceptum à laico habet efficaciam *ex opere operato* ad remissionem *ex opere operato* pœnæ temporalis , non totius, sed iuxta modum dispositionis , & feruoris illius qui recipit. Ita expresè D. Thom. *3.part. q. 79. art. 5. in corpore*, vbi considerat Eucharistiam, vt sacrificium, & vt sic habet vim satisfactiuam iuxta quantitatem affectus offerentis,vel illius pro quo offertur. Et vt Sacramentum quod dupliciter habet effectum, vno modo ex vi Sacramenti(hoc est,ex vi significationis suæ alio modo per concomitantiam , sicut de continentia Sacramenti dictum est *quæst. 76. art. 1. & 2.* ex vi quidem Sacramenti directè habet illum effectum ad quem institutum est , non est autem institutum ad satisfaciendum sed ad spiritualiter nutriendum per vnionem ad Christum , & ad membra eius , sicut

642. & nutrimentum vnitur nutrito ; sed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur non solum remissionem culpæ , sed etiam pœnæ , inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum , homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius , sed secundum modum suæ deuotionis , & feruoris. Hucusque ibi.

Quare sicut in speciebus panis est anima Christi ex opere operato,nõ ex vi,sed ex efficacia verborum,ita per Eucharistiam prout Sacramentum, non ex illius efficacia consequitur homo remissionem pœnæ temporalis. Ita Ægidius Coninch

643. *ibi num. 56.*Vasquez *in comment. num.* 34.loquens de pœna temporali pro veniali peccato debita , non pro mortali. Sed hoc discrimen non approbo , vt latius in materia de Eucharistia. Quare minus bene Suarez , Syluius *in Commentar.* Bonacina *tom. 1. disp. 4. q. 4. punct. 1. n. 9.* & alij quos ibi citat,dixere quod Eucharistia solum causat remissionem pœnæ quatenus incitat ad actum charitatis qui prodest ad satisfaciendum pro pœna, & non *ex opere operato.* Hoc, inquam , & falsum est , & oppositum D.Thom. qui eodem modo dicit quod Eucharistia , vt Sacramentum causat remissionem pœnæ , iuxta modum deuotionis recipientis , non ex vi Sacramenti, sed per concomitantiam , qua verba consecrationis constituunt

644. animam Christi sub speciebus panis , non ex vi verborum, & formaliter , sed ex efficacia verborum quæ attingunt efficaciter totum Christum,vt ibi notant omnes expositores ; atqui verba consecrationis constituunt animam sub speciebus concomitanter quidem, sed *ex opere operato:*ergo Sacramentum Eucharistiæ per concomitantiam , tamen *ex opere operato* causabit pœnæ remissionẽ.

645. Huius rationem à priori reddit S. Doctor euidentem,quia effectus quem causat hoc Sacramentum ex vi Sacramenti , & *ex opere operato* directè est vnio ad Christum , & membra eius, sicut nutrimentum vnitur nutrito,quæ vnitas fit per charitatem cui competit non solum remissio culpæ, sed etiam pœnæ,& hoc quidem ex natura rei,nam *charitas operit multitudinem peccatorum:*ergo Sacramentum quod ex vi sua causat *ex opere operato* vnionem charitatis sua efficacia, etsi concomitanter *ex opere operato* causabit effectum, qui necessario est connexus cum effectu primario, nam qui causat formam, causat etiam ea quæ sunt necessario connexa formæ , vel eadem actione qua causat formam, vt volunt Thomistæ, vel diuersa, tamen necessario connexa cum priore.

Ex quibus infero ad nostrum institutum contra 646.
Raynaudum *n.* 10.quod cum sit in libera voluntate hominis soluere debitum alterius (in quo principio fundãtur Theologi, dum cuncti fere omnes affirmant *in 4. dist.* 20. vnum pro alio posse apud Deum satisfacere pro pœna temporali relicta ex peccato , non tamen pro pœna æterna, quæ semper est iuncta culpæ mortali) potest qui dignè communicat satisfactionem quam in ipso deberet causare Sacramentum Eucharistiæ applicare animabus Purgatorij , in quo Sacramentum hoc habebit modum sacrificij quod causet remissionem pœnæ extra recipientem , sicut sacrificium causat extra offerentem , & sacrificantem.

Cuius rationem à priori dedit S.Tho. *in 4.dist.* 647.
20.*q.art.*2 *quæstiunc.*3.*ad* 1.quia quantum ad pœnæ temporalis dimissionem vnus potest pro alio satisfacere,quia actus vnius efficitur alterius charitate mediante,per quam omnes vnum sumus in Christo : ergo cum hoc Sacramentum *ex opere operato* causet hanc vnitatem , & charitatis vinculum , & eius efficacia *ex opere operato* causabit pœnæ temporalis dimissionem in illo , cui recipiens Eucharistiam vult, abdicando à se ius quod habebat ad satisfaciendum per actum suum , volens quod hæc satisfactio,& pœnæ dimissio quam iuxta mensuram suæ deuotionis debebat causare Sacramẽtũ in se,causetur in animabus Purgatorij.

Nec video , cur satisfactionem pro pœna tem- 648.
porali per alia opera possit homo applicare animabus Purgatorij , & non satisfactionem quam *ex opere operato* efficacia sua causare potest Sacramentum Eucharistiæ,verum est quod quantum ad applicationem pendet hoc *ex opere operantis* , & percipientis Sacramentum. Quod secus contingit in effectibus quos causat hoc Sacramentum ex vi Sacramenti , etenim effectus quos causant Sacramenta ex vi suæ significationis ita sunt propria subiecto recipienti , quod istos non possit alteri applicare , sed immanenter operentur ex vi Sacramenti , hi sunt gratia, auxilia, caracter. remissio peccatorum, & alia huiusmodi.& pœna temporalis si aliquomodo remittitur ex vi Sacramenti, & directè. Vnde non est vanum in eum finem 649.
communicare vt mortui subleuentur , vel ad eam benignitatem mortuis præstandam , excitare superiores , vt loquitur Raynaudus *vbi sup.* quæ in hoc §. 7. dixi eo fine dicta sunt vt morum antiquorum Patrum hæreticos impugnantium imitarer, qui vt veritas Catholica defenderetur in oppositum extremum se inclinabant. Non quia hoc extremum certum esset.

§. VIII.

Occurritur fundamentis Raynaudi initio adductis.

CVm hucusque veritatis personuerit tuba muros sententiæ Raynaudi corruere necesse est. Primum desumptũ ex S.Th.authoritate facile est, & ex mala intelligentia adducitur,admittimus illum textum emendatiorem , & nihilominus leue subsidium est Raynaudo, quamdo enim S.D.dicit 650.
quod *erant laici sumentes Eucharistiam pro his qui sunt in Purgatorio*, loquitur,vt ipse se explicat, *ex opere operato*, & ex vi Sacramenti primo, & directè,in quantum est perceptio ; non tamen *ex opere operantis , quia vt sic* (inquit) *potest communicari omnibus ad quos dirigit percipiens suam intentio*

intentionem, nec negat etiam posse applicari *ex opere operato* in sensu explicato §.7. Vnde Sacramentum Eucharistiæ, vt ex superioribus liquet ex sententia S. D. prodest defunctis, & in quantum isti viuentibus vniuntur charitate, quam vnionem *ex opere operato* causat hoc Sacramentum ex intentione operantis quatenus per orationem, communio ordinatur ad leuamen animarum.

651. Ad secundum respondetur negando quod antiquis, & maioribus non fuerit vsus communicandi pro defunctis, vt constat ex reuelationibus approbatis, quas supra §.2. adduximus, & ex doctrina Gersonis, & aliorum.

Ad tertium respondetur esse prosus ridiculum. Et vnde constat Raynaudo multos fideles pios modo per se, modo per alios id subsidium suorum defunctorum animabus non præstare? quod si non præstant ideo est, quia vel offerunt sacrificia, quorum est vberior fructus, vel quia non ita crebra est laicis Sacra communio, sicut Sacerdotibus oblationes.

652. Ad quartum respondetur admittendo pro *nunc* illum vsum quod in Missis defunctorum non administraretur Sacra Synaxis, & ad Agape non conuenirent fideles, tamen non ideo non administrabatur communio, quia huius perceptio nihil prosit fidelibus defunctis, vt *ex suo* machinatur Raynaudus: nec aliquis antiquorum qui de officiis diuinis, & sacris ritibus scripsere tale huius cæremoniæ motiuum iudicauit. Etenim genuina ratio huius antiquissimi vsus ea est, quia ad Sacram communionem tanquam religiosa dispositio præibat osculum pacis quo se inuicem salutabant fideles adstantes sacrificio. Ita Valfridus Strabo *de rebus Ecclesiastic. cap.* 22. Chrysostom. *lib.* 1. *de compunction. cord. & hom.* 51. *ad popul.* Hieronym. *in Epist. ad Theophil. Alexandrinum* Isidorus *de diuinis officiis cap.* 15. qui omnes desumpsere ex Dionys. *lib. de Ecclesiastic. Hierarchia cap.* 3. §. 8. vbi sic fatur: 653. *Et opertus quidem diuinus ille panis, calixque benedictionis proponitur, diuinissima vero salutatio, siue osculum, sacrarumque tabularum mystica, & supermundialis recitatio celebratur. Non enim possunt ad vnum colligi, atque vnius pacifica vnionis participes existere qui secum ipsi dissident.* Quem sensum egregiè enodant ibi S. Maximus, & Pachimera. *suis paraphrasibus.* At in Missis defunctorum osculum pacis non dabatur, sicut neque in triduo mortis Christi (in quibus nec Eucharistia ministratur) vt tradunt Amalarius Fortunatus *lib.* 3. *de Ecclesiast. officiis cap* 44. Glossa *in cap. pacem de consecrat. distinct.* 3. *in verbo demonstrantur*, vbi Turrecremata; & sic in eis communio non administrabatur, quia videlicet ibi non erat illa præuia osculi dispositio; alias rationes huius Sacri instituti adducunt Durandus *in rationali lib.* 7. *cap.* 35. *à numero* 30. & alij.

654. Ad quintum, & sextum vnico verbo respondeo, quod Eucharistia vt Sacra Medicina, & cœlestis cibus solum prodest sumentibus, quatenus causat suos effectus ex vi Sacramenti primario, & directè *ex opere operato*, non tamen indirectè, & per concomitantiam, vt explicatum relinquimus.

Thom. Hurtado Resol. Moral. Pars II.

§. Vltimus.

Monendos esse fideles ad spiritualem communionem pro mortuis.

VIdimus contra Raynaudum non leue, sed 655.
ingens subsidium, non modicum, sed magnum valde iuuamen induci animabus existentibus in Purgatorio, dum fideles ad eas iuuandas ad Sacram Synaxim accedunt pro communione corporis Christi, ad quod opus iure excitantur fideles, vtpote maximum inter spiritualia bona quæ moti ex misericordia illis applicant; & non esse hoc remedium, tanquam falsum abiiciendum, sed tanquam verum amplectendum. Ad complementum huius iis animabus refrigerij inducti operepretium iudicaui docere, fideles monendos esse ad edendum cibum hunc cœlestem pro mortuis, per spiritualem eius perceptionem, & communionem. Et quidem dari spiritualem Eucharistiæ sumptionem certo certius est, sic enim fatur Sacrum Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. *Quoad vsum autem rectè, & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerunt; quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, vt peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viua quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul, & spiritualiter: hi autem sunt qui ita se prius probant, & instruunt, vt vestem nuptialem induti ad diuinam hanc mensam accedant.* Hæc ibi.

Ex quibus Concilij verbis liquido constat dari 656.
communionem spiritualem, quam Patres Ecclesiæ rectè, & sapienter introduxerunt intelligentes illud *Ioann.* 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*, de manducatione ista spirituali quæ fit per votum, & desiderium ardens fide viua quæ per dilectionem operatur informatum. Ita Aug. *tract.* 26. *in c.* 6. *Ioan.* & D. Tho. *ibi lect.* 7. *& 3. p. q.* 73. *art.* 3. *& q.* 80. *art.* 4. *&* 11. & est inter Catholicos indubitatum. Legatur Card. Tolet. *annot.* 25. *in cpa.* 6. *Ioan.* ex vi cuius spiritualis comestionis corporis Christi Sacramenti Eucharistici fructum, & vtilitatem percipiunt fideles, non quidem *ex opere operato*, sed *ex opere* dumtaxat *operantis*, per 657.
fidem scilicet, & charitatem, & desiderium illud realiter, & sacramentaliter sumendi. Sic enim, vt ait Nicolaus de Cabasilas *infrà* adducendus *communicabant Anachoretæ illi, & Sancti heremos inhabitantes, & non habentes copiã Ministri Christum sub speciebus panis velatum inducentis.* Sic etiam hodie communicant multi fideles qui non audentes quotidie se instruere vt oportet, vt vestem nuptialem induti reuerentia debita ad diuinã mẽsam accedant Sacramẽto saginãdi reipsa susceptо corpore Christi sacramẽtaliter cõmunione spirituali ipsũ edẽtes recreãtur voto, & desiderio, fide viua charitate informata fructũ eius recipiẽtes.

De qua spirituali communione sic loquitur do- 568.
ctissimus, & piissimus P. Ioan. Thaulerus sanctitate, & doctrina celeberrimus, & Ordin. Prædicator. gaudium, & Corona, *serm.* 4. *in festiuitate venerabilis Sacramenti pag.* 330. *Alij denique* (inquit) *hoc Sacramentum spiritualiter tantum non Sacramẽtaliter sumunt, homines videlicet pij, & mundicordes. qui volunt quidẽ, & desiderãt etiam sacramẽtaliter accipere, sed pro illo tempore, quo id optant assequi non valent, qui tamen pro desiderio, & intentio-*

ne ſua gratiam Sacramenti multo fortaſſe conſequuntur vberiorem , quam alij Sacramentaliter ipſum percipientes. Hoc autem modo vel centies in die bonus quiſque , vbicumque etiam locorum ſit, tam ægrotus , quam ſanus ipſum ſumere poteſt , quando ſacramentaliter nulla ratione ſæpius quam ſemel ad ipſum licet accedere ; nec tamen ſine immenſo fructu copioſaque gratia modo ſancta deſideria,piaque deuotio,&c.non ipſum tam crebro ſpiritualiter ſumimus. Hæc ibi. Legendus eſt venerabilis Ioannes Ruſbrochius *in ſpeculo æternæ ſalutis à cap.*10. *pag. mihi* 42.

659. Ex qua doctrina, quæ me quidem iudice certiſſima eſt, & bene digeſta à venerabili P.Ioanne Thaulero,manifeſtè deducitur quam piè inducendi , & exhortandi ſunt fideles ad hanc communionem ſpiritualem faciendam pro animabus defunctorum , & quidem iuge refrigerium , quam ſolemne refugium illis tali communione inferatur ſi intentione ſumentis ad animas ſubleuandas ordinetur. Conſtat clare , quia actus quibus hæc communio fit ardentiſſimi ſunt , flagrans deſiderium , fides viua , ardens dilectio tum Dei , cum Chriſti , profunda ſui recognitio , & indignitatis propriæ humilis confeſſio, qua ſe recognoſcit indignum Sacramentaliter talem cibum manducandi qui actus maximè ſatisfactorij ſunt, & ſic proficui animabus Purgatorij.

660. Et ſi enim huiuſmodi operationes abſque ordine expreſſo ad hoc venerabile Sacramentum virtutem ſatisfactoriam contineant qua prodeſſe poſſunt animabus ; tamen quando in ordine ad Sacram Synaxim,& diuinam Agapem ordinantur robuſtiores ſunt , & maiori vigore ad ſatisfaciendum nitent , ex conſideratione Chriſti deſiderati , & concupiti , & ſic potiori iure excitari debent fideles ad communionem ſpiritualem in qua maiore efficacia fides, charitas , Religio, humilitas exerunt vires ſuas. Excitandi etiam ſunt fideles ad frequentiam huius communionis ſpiritualis pro defunctis , quia die, noctuque , domi , vel foras , in Eccleſia , & in plateis , & vbicumque locorum celebrari valet ; vide igitur quale ex huiuſmodi frequentatione refrigerium conſequentur animæ defunctorum quas ex charitate diligimus , & illis noſtra opera applicemus , vt enim ait D. Thom. 3. *contra gent. cap.*158. *affectio charitatis in eo qui pro amico patitur facit magis ſatisfactionem Deo acceptam , quam ſi pro ſe pateretur.*

661. In cuius confirmationem placuit hic referre id quod adducit Petrus Damian. *opuſc.*34. *de variis miraculoſis narrationibus cap.* 5. de quodam fratre qui quotidie officium defunctorum perſoluebat , & illo ſolum delectabatur. Et cum Dæmones ante Tribunal iudicis hoc illi incuſarent quod Eccleſiaſticæ inſtitutionis regulam negligens , Beata Virgo, & cæteri Sancti ad illius auxilium valenter interponunt , dicentes : *Hic noſter Capellanus ac Miniſter extitit , quodque defunctorum exequiis interfuit libenter, nobis omnibus libenter miniſtrauit. Abſit igitur vt in impiorum manus iſte deueniat, qui piis erga nos dum viueret ſtudiis inſudabat.* Hæc ibi. Quanto ergo magis gratæ erunt animæ ſanctæ ſi pro illarum liberatione à pœnis tam magnum opus qualis frequentata ſpiritualis communio offeratur.

Sed inquires : poſſunt ne animæ exiſtentes in Purgatorio ſpiritualem hanc communionem exercere qua ſe liberent à culpa venialium qua fuſcæ redduntur , vel à temporali pœna qua impediuntur ab ingreſſu Paradiſi ? Nicolaus de Cabaſilas Theſſalonicenſis Antiſtes *in libro cuius titulus eſt expoſitio liturgiæ à cap.* 42. totus eſt in probando quod animæ defunctorum ſicut releuantur dum pro eis offertur ſacrificium Altaris ita dum ſpirituali modo , ſoli tamen Deo cognito Euchariſtiam percipiunt non ore corporis, ſed 662. deſiderio , & alacritate ſpiritus qua accedunt ad hanc menſam , quia corpore impoſſibile eſt illis accedere , vnde (inquit) cauſa cur illis prodeſt ad ſanctificationem, & expiationem à pœna temporali eſt , *in Deum dilectio , fides , deſiderium myſterij , alacritas ad participationem , feruens appetitio , ſitientes currere. Sed hæc omnia, inquit, non ſunt corporalia , ſed dependent à ſola anima ; nihil ergo prohibet , etiam animas hoc poſſe mortuorum , ſicut & viuorum.* Hæc ille.

663. Dicit Raynaudus *numero* 45. quod Cabaſillas fuit ſchiſmaticus, & Hæreticus ſiquidem conſentit cum Græcis in his quæ ab Eccleſia Latina diſſentiunt ; ſed quamuis hoc ita ſit , vt aduertunt Doctores Colonienſes *in præfatiuncula poſita ad præfatum librum* , contra tamen Gentianus Herbetus *in præfatione ad Lectorem* , Antiſtitem hunc *pium , & doctum* dicit , & quidem eius authoritas in his quæ oppoſita non ſunt Eccleſiæ Latinæ documentis , præceptis , & moribus non eſt ſpernenda,ſicut non ſpernitur authoritas Tertulliani, & ſi Hæretici, qua vtuntur paſſim Scholaſtici , nec authoritas Theodoreti etſi Schiſmatici , qua vtitur ipſe Raynaudus *num.* 46. *in fine.* Quare authoritate Cabaſilæ vtuntur Vaſquez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.* 222. *num.*39. & multi alij.

664. Igitur ego reſpondeo quod ſi Cabaſilas intelligit animas Purgatorij ex vi huius communionis participare effectum Sacramenti *ex opere operato directè , & per ſe* ex vi Sacramenti, pluſquamtemerarium eſt , quia Sacramentum cum ſit ſenſibile ſignum ſenſibiliter , & corporaliter debet recipi , vt effectum ſuum *ex opere operato* cauſet, quod ſecus eſt de ſacrificio quod magis dependet ab intentione operantis,qui applicat illud animabus defunctorum. Nec hoc poteſt verti in dubium apud Catholicos. Et idem dicendum eſt ſi loquamur de remiſſione pœnæ temporalis , quia vt dicunt omnes Theologi , animæ in Purgatorio exiſtentes non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi pro pœna , ſed ſatis patiendi pro illa. Quare *ex opere operantis* non poſſunt ſatisfacere , & ſibi applicare hoc Sacramentum ad illius remiſſionem. Sic etiam ſentiunt fere omnes Scholaſtici.

665. Si tamen Cabaſilas dicat quod animæ in Purgatorio exiſtentes communionem ſpiritualē exercent ſicut alios actus charitatis , & virtutum quibus non ſatisfaciunt pro pœna , ſed ſolum amore honeſtatis quæ in illorum exercitio reſplendet, & tali communione ſicut , & actu charitatis merentur de congruo remiſſionem venialium quæ ex hac vita deportarunt , vt ſic non eſt improbabilis eius ſententia , quia vt ait D. Thom. *in* 4. *diſt.*21. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiuncula* 1. *ad* 4. *& ſi poſt hanc vitam non poſſit eſſe meritum reſpectu præmij eſſentialis , ſed reſpectu alicuius accidentalis poteſt eſſe quandiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo , & ideo in Purgatorio poteſt eſſe actus meritorius quantum ad remiſſionem culpæ venialis.* Hæc ille. Cuius ſententiam defendit Bergomenſis *dub.* 889. & probabilem dicit Suarez *tomo* 4. *in* 3. *part. diſputat.* 11. *ſect.* 4. *numero* 15.

Quod

666. quod si alibi S. D. negat post hanc vitam statum merendi, loquitur de condigne, & respectu præmij essentialis. Qua doctrina supposita non est improbabile dicere quod Anima Purgatorij per desiderium huius Sacramenti dilectione, & fide viua informatum, quod Sacramentum est medicina quo contra peccata venialia, spiritualiter ipsum edat, & ex opere operantis consequatur fructum, & vtilitatem illius, quæ consequitur, vt ait Trident. voto edendi Panem cæleſtem fide viua, quæ per dilectionem operatur, qualem esse in Animabus Purgatorij res est indubitata.

Resolvtio XII.

Quæ declaratio sit requisita, vt quis ipso facto pœnas criminis incurrat?

SVMMARIVM.

667 *Quæ declaratio sit requisita, vt quis ipso facto pœnas criminis incurrat?*
669 *Vera sententia authoritate, & ratione fulcitur.*
675 *Varia Argumenta contra dicta obiicit Baldellus, & soluuntur.*
686 *Hæretici ipso facto ante sententiam declaratoriam amittunt bonorum dominium.*
692 *De Parocho, & Episcopo electis, & non Sacerdotio, & consecratione ornatis, intra tempus à iure præscriptum.*

667. IN iure tam Canonico, quam Ciuili multoties dicitur quod si quis tale crimen commiserit *eo ipso*, vel *ipso iure*, vel *ipso facto* talem, vel talem pœnam incurrat, & multoties additur *absque aliqua declaratione*. Ita *in cap. cum secundum leges de Hæreticis in 6.* vbi dicitur. *quod Hæreticus ipso facto amittat bona, & extra. Ambitiosæ: de rebus Ecclesiæ non alienandis* ibi *: ipso facto beneficiis priuati existant illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, &c.* & *in l. Regia 1. tit. 21. lib. 6. Recop.* loquente de Sodomitis: *A si mesmo aya perdido por è se mesmo hecho, y derecho, y sin otra declaracion alguna todos sus bienes.* Et in Decreto Generalis Inquisitionis contra Hæreticam prauitatem facto coram Vrbano VIII. *die. 1. Octobr. anno* 1626. quod referunt Peyrinis *tom. 2. Priuileg. const. 9.* Pauli V. §. 2. *num. 9.* Snephanus Isnardus *part. 1. cod. minim. verbo Hæresis* Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. disp. 5. quæst. 21. n. 17.* Trimarch. *de confessore abutente disp. vlt. sect. vlt.*

668. *num. 49.* vbi dicitur: *Sanctissimus D. N. iustis de causis animum mouentibus decreuit, statuit vt in posterum Regulares omnes cuiuscumque ordinis, Religionis, Societatis, & instituti quibus pro delictis ad Sanctæ Inquisitionis officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiam si Pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à Sanctissimo Domino nostro, vel ab hac Sacra Congregatione, coram Sanctitate sua habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia: aliàs promotio nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum ac præterea vocis activæ, & passiuæ ipso facto incurrant. Ad quæ restitui nisi ab eodem Sanctissimo Domino nostro, vel ab eadem Sacra Coogregatione coram Sanctitate sua habenda non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem Sanctissimus Dominus noster.* Vt huius Decreti congruam intelligentiam, & interpretationem adhiberem institutа est præsens Resolutio.

§. I.

Vera Sententia authoritate, & ratione fulcitur.

669. EST enim valde odiosum, quia pœnale, valde & sic cum grano salis est sumendum. Igitur mihi probabilius est quod nisi alia verba præter relata in lege addantur quod nullus ante aliquod Iudiciis Decretum tenetur subire pœnam; *ipso facto, ipso iure, eo ipso, & absque aliqua declaratione* impositam pro crimine, etiam si sit Hæreticus, aut Sodomita, aut quodlibet aliud, si quod est maius. Ita communis opinio quam sequuntur plures, quos vidi sunt Thom. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 22. num. 7.* Sotus *lib. 1. de iur & iur. quæst. 6. art. 6. conc. 1. & 3.* Molina *tom. 1. disput. 65. vers. contrariam sententiam.* Salon. *2. 2. quæst. 62. art. 3. controuers. 1. ante solution. argument.* vbi D. Caietanus §. *Ad hoc dicitur.* Bañez *quæst. 12. art. 2. dub. vnico. ad tertium principale.* Aragon *quæst. 11. art. 3. §. His suppositis.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64.* Layman *in Theolog. Morali. tract. 4. cap. 15. num. 3.* Granado *1. 2. controu. 7. tract. 3. part. 1. disp. 3 sect. 2. num. 3.* Vasquez *disp. 166. cap. 3.* Montesinos *disp. 16. quæst. 24. num. 5.* Martinez *quæst. 94. art. 3. dub. 3.* Araujo *ibid. dub. 4.* Valentia *disp. 7. quæst. 5. punct. 6. quæstiunc. 3.* Sayrus *in Claui. lib. 3. cap. 9. num. 30.* Diana *1. part. tract. 10. resol. 23. & 24.* Suarez *lib. 5. de legibus. cap. 5.* Salas *disput. 15. sect. 5.* Nicolaus Baldellus *lib. 5. disp 42.* & innumeri alij tam Theologi, quam Iuristæ, & Summistæ.

670. Vnde Sà correctus à Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij de ordine Summi Pontificis Pauli Quinti sic loquitur. *verb. Pœna num. 1. Pœna imposita ipso iure, vel facto non incurritur sine sententia iudicis, & executione per ipsum, etiam si lex dicat non requiri sententiam, aut declarationem, aut etiam soluendam in foro conscientiæ. Intelligitur enim iudice exequente; nisi pœna esset huiusmodi quæ secum traheret executionem, vt excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas, aut lex dicat, Sit incapax, inhabilis. Quidam tamen hic sententiam requirunt, aut dicat non faciat alioqui fructus suos. Est enim conditio quæ seruanda est, vt quæ ponitur à testatore.* Quod egregie explicat D. Caietanus *in summ. verb. Pœna*, & Ego in Commentar. latius enucleabo. Idem etiam docent Valle de Moura *opuscul. de Ensalm. sect. 3 cap. 1. num. 34.* Farinacius *de Hæresi quæst. 186. à num. 166. & quæst. 190. à num. 168.* Peña *in Director. quæst. 109. comm 158. §. Maior.*

671. Probatur hæc sententia. Primò, ex vltimis verbis *Cap. cum secundum leges. citati*, vbi dicit Pontifex *Quod confiscationis bonorum executio fieri non debet antequam sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Vnde satis docte M. Soto *vbi supra* dicit: *Hic est legitimus sensus verbi ipso facto scilicet, ipso facto, scilicet, ipso facto, per sententiam prodito, nam quatum ad pœnam, quandiu latet non habetur pro facto: ex damnatione autem facti incurritur pœna huiusmodi legum.*

Similis explicatio datur verbi *ipso iure*.

672. Huius sententiæ ratione à priori nobis obtulit Eminentissimus Caietanus 2.2. *loco citato*, & *in Summ. verbo Pœna*; postquam enim distinxit duplex genus pœnæ. Vnam quæ in sui executione ineludit actionem, v. g. pœna mortis, siue fame siue alio instrumento, aut veneno aut mutilationis, verberum, carceris, exilij, solutionis, confiscationis, siue priuationis bonorum, & huiusmodi quæ non possunt executioni mandari per legem nisi interueniat aliqua actio puta occidere, mutilare, verberare, includere, ire soluere, accipere, vel dare, & si quæ est huiusmodi actio. Aliud quod in sui executionem nullam exigũt actionem sed solum in negatione, & priuatione consistunt,

673. vt excommunicatio in non communicare cum fidelibus, concludit in hæc verba: *Quædam est pœna cuius inflictio est propria iudici; quædam autem cuius inflictio communis est legi & iudici; quia pœna in eius executione exigens agere conuincitur propria iudici, ex hoc quia ad illud agere aut tenetur reus, aut iudex, non reus quia non tenetur ex lege nisi ad pœnam; pœna autem consistit in pati & non in agere: ergo tenetur iudex, & vere sic est, quia nisi iudex per se, vel per alium occidat, mutilet, verberet, claudat, agat ad exilium, accipiat bona, aut huiusmodi, non tenetur reus ex sola lege ad huiusmodi penes executionem. Pœna autem in sui executione non exigens agere communiter infligi potest à iure, vel à iudice.* Et *infra* ex hoc principio col-

674. ligit §. *& per hæc patet: Quod si pro quibusdam criminibus, puta hæresis, læsæ Maiestatis, & huiusmodi pœnæ priuationis bonorum, ipso facto incurrendæ ponuntur in quantum includunt in se priuationem, à lege infligi dicuntur in quantum vero exigunt actionem iudicis actum expectant. Vnde dicuntur priuati dominio à lege, non tamen tenentur ea assignare fisco, nisi interueniat actio iudicis.* Hæc ex Caietano, quibus solidum fundamentum huius sententiæ, poniturque principium morale ex quo plura valde vtilia deducam alia huius Sententiæ fundamina, quæ in Sanchez, Suarez, & aliis Authoribus citatis inuenientur in hoc Caietani principio nituntur, quod iecit D. Thom. *ibi in solutio. ad 2.*

§. II.

Varia Argumenta contra dicta obiicit Baldellus, & soluuntur.

675. HIc Author etsi nostram sententiam valde probabilem esse, sentiat tamen iudicat quod si lex addat pœnam incurri *absque aliqua declaratione*, non esse necessariam aliquam iudicis sententiam, vt reus teneatur pœnam in conscientia exequi; pluraque alia argumenta ponit ad probandum quod lex potest hoc decernere.

Obiicit primò, quia si non obstante quod ponatur clausula quod quis incurrat pœnam *ipso facto, & absque aliqua declaratione*, adhuc expectanda est sententia declaratoria, nihil operaretur legislator per hæc verba, quam si solum diceret *ipso facto*, aut *ipso iure*, per quæ retrotrahitur priuatio ad diem criminis. Quare ita tenent Syluester *verbo Assasinus in fine*. Lessius *lib.2. de iustitia cap.29. num 63*. Valentia 1.2. *disp.7. quæst.5. punct.6. quæstunc.4*. Bonacina *disput. 1. de legibus quæst. 1. punct. 7. n. 16*. Suarez *lib. 5. de legibus c. 8. num. 19*.

Respondetur quod illa verba, *Absque aliqua declaratione* nihil operantur morale, quod obligentur subditi, quod non operentur illa verba *ipso facto, & ipso iure*, sed ponuntur solum ad explicandum effectum quem verba *ipso facto*, & *ipso iure* operantur, scilicet, quod non requiratur sententia declaratoria pœnæ, sed sufficiat declaratio iuridica criminis, qua posita, absque noua alia declaratione pœna ista debetur in conscientia, iudice exequente. 676.

Nec nouum est legem habere aliqua verba quæ declarent, & explicent verba anteriora absque nouo aliquo effectu, vt tradunt Couarru. *lib. 2. variar. cap. 5. num 9*. Vasquez 1.2. *disp. 170. n. 24. & 25*. Antonius Gomez *lib 3. variar cap. vlt. n. 3*. & constat in *l. Regia 1. tit. 25. lib. 8*. vbi est sermo de peccato Sodomiæ, diciturque quod Sodomita absque aliqua declaratione incurrat amissionem bonorum, &c. & tamen dicunt illius legis expositores quod requiritur declaratio iuridica criminis. Idem dicitur *in extranag. Ambitiosæ de reb. Ecclesiæ non alienand.*, quod alienans res Ecclesiæ absque alia declaratione incurrat priuationem omnium beneficiorum. Et tamen verius est 677. 678. requiri declarationem iuridicam peccati, & delicti. Et sic illa verba *absque alia declaratione* solum ponuntur ad explicãdum effectum quem causant verba *ipso facto*, & *ipso iure*, quem norunt legislatores. Ideoque ad maiorem exaggerationem delicti volunt illum effectum exprimere per verba *absque alia declaratione*. Quare sicut verba *ipso facto* solum excludunt declarationem pœnæ non delicti, vt tenent omnes citati, ita eamdem pœnæ declarationem excludunt verba *absque aliqua declaratione*, quia videlicet non est necessaria declaratio aliqua ad hoc quod verba *ipso facto* habeant suos effectus per retrotractionem ad diem criminis. Et quidem cum valde durum sit quod 679. quis sit executor pœnæ, vt dicemus, legislatorem hoc voluisse debet id explicari verbis luce meridiana clarioribus, aliàs si dubia sunt verba fauendum est reo, qui ex vi sua non tenetur agere, sed pati, cum solum teneatur ad pœnam, quæ consistit in passione.

Obiicit secundò, quia vt obseruat Stephanus 680. Quaranta *verbo Alienatio num. 49*. vsus, & stylus Romanæ Pœnitentiariæ habet quod Breuia expediantur ad retinenda Beneficia quorum quis est *ipso iure ante declarationem* priuatus solum pro foro conscientiæ: ergo in conscientia tenetur ea restituere, & in ordine ad forum exterius semper manet subiectus ex vi legis.

Respondetur primò, quod stylus iste fundatur in opinione contraria, quæ etiam est probabilis vt in multis aliis rebus contingit, vt supra dixi, 681. & videri potest Sarauia *tract. de Adiunctis q. 25. §. 2. & 3*. Respondetur secundò, quod huiusmodi Breuia petuntur ad maiorem securitatem conscientiæ, non quia sint simpliciter necessaria, iuxta hanc opinionem tutam in praxi, quam defendimus.

Obiicitur tertiò ex Suarez *lib citato c. 5. & c. 8. num. 9*. Quia legislator humanus potest per se, & 682. sua voluntate edere legem qua statuatur quod quis ante declarationem iuridicã criminis subeat pœnam, etiam si ipse reus ipsam exequatur. Vt si statuat quod qui tale crimen fecerit flagris se cædat ipso facto, & ante omnem declarationem, aut quod exeat in exilium è ciuitate, & similia, de quibus §. *sequenti*.

Respondetur

Reſpondetur primò, negando poſſe legiſlatorem ſua lege ſtatuere, abſolute loquendo, quod reus exequatur aliquam actionem ad luendam pœnam & ratio eſt clara ex Caietano, quia reus vt ſic ſolum tenetur ad pœnam, pœna autem ſolum petit pati, non agere; nec legiſlator humanus habet dominium ita altum, quod poſſit ordinare ipſum agere Rei vt reus patiatur pœnam. De ratione enim pœnæ eſt quod ſit contra voluntatem, vt probat D. Thom. 1. *part. quæſt.* 48. *art.* 5. & 12. *quæſt.* 87. *artic.* 2. Et de ratione actionis humanæ quod ſit à voluntate.

684. Reſpondetur ſecundò, quidquid ſit de hoc quod quando legiſlator humanus obligat quod reus exequatur in ſe aliquam pœnam duo requiruntur. Primum, quod executio pœnæ modum humanum non excedat, *Cap. erit autem lex diſt.* 4. Si enim excedit modum præfatum, iuxta quem gubernare debent legiſlatores lex non obligabit vt exequatur quis in ſe pœnam, vt ſi ex executione ei ſequatur magna infamia, magna paupertas, aut ſcandalum, aut damnum familiæ graue in re familiari, & honore, quæ vix ſibi poteſt homo inferre. Quare in his caſibus reus non ſolum non tenetur pœnam exequi, verum per ſe non obligat, quia modo humano lata non eſt. Legantur Azor *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 4. Salas *diſp.* 15. *de legib. ſect.* 3. & D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 4. *in corp.* vbi egregie explicat *cap. Erit autem lex citatum* dicens *Quod*

685. *lex debet eſſe poſſibilis, quia debet eſſe conueniens vnicuique ſecundum ſuam poſſibilitatem obſeruata etiam poſſibilitate naturæ.* In quibus verbis includitur quod non excedat modum humanum operandi executio pœnæ latæ. Secundum quod requiritur, eſt, quod quando legiſlator vult quod reus exequatur in ſe aliquam pœnam ante ſententiam iudicis declaratoriam criminis, debet id ſua lege exprimere verbis luce meridiana clarioribus, vt ſupra dicebam. Et ratio eſt perſpicua, quia cum hæc legis lata ſententia ſit criminalis, cum pœna ſit lata propter crimen commiſſum debet legiſlator ita explicare ſuam mentem, vt ſub dubio non cadat ita voluiſſe ſtatuere, quod reus ante ſententiam iudicis declaratoriam exequatur pœnam; ſi enim ſit dubium reo fauendum eſt *argum. ex cap. Qualiter. de Accuſationibus.*

§. III.

Hæretici ipſo facto ante ſententiam declaratoriam amittunt bonorum dominium.

686. VT doctrina in Superioribus ſpeculatiue determinata ad praxim deducatur, vt Confeſſoribus, & Iudicibus proficua ſit, plura deducenda ſunt conſectaria quæ quotidie accidunt. Primum ſit quod quando lex dicit quod ſi quis commiſerit crimen Hæreſis, aut Sodomiæ *ipſo facto bona ſua ſint confiſcata, & fiſco applicentur, abſque aliqua ſententia declaratoria amittit dominium*, quod acquirit fiſcus, reus tamen habet poſſeſſionem, & adminiſtrationem illorum. Ita Caietan. *vbi ſupr.* cuius ſententiam ſequuntur quadraginta tres Authores Claſſici ex Legiſtis, Canoniſtis, Theologis, & Summiſtis quos refert Thomas Sanchez *vbi ſupra num.* 2 Et ipſe probabilem dicit, addens *n.* 4. quod *delinquens amittit dominium ſecundum quid, & ſub conditione ſi proferatur ſententia, ſicut amittit bona ſecundum quid, & hoc modo ea acquirit fiſcus.* Et ſic explicat *legem Regiam* 4. *tit.* 2. *p.* 7. vbi expreſſe habetur perdi dominiũ. Sed fallitur hic Author ſicut & illi quos pro ſe adducit, quia vt optime Azor *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 3. *Conſuetudo eſt optima legum interpres. Sed vſu receptum eſt vt leges pœnam huiuſmodi ſtatuentes in eum ſenſum accipiantur, vt ipſo facto nocentes dominio bonorum ſuorum priuentur non tamen poſſeſſione, & adminiſtratione, quia, iuxta iuris regulam, pœnæ ſunt reſtringendæ, & ita talis pœna legum benignius & mitius ehponi debet, nimirum vt ipſo iure, & ipſo facto bona ſint publicata, & addicta fiſco, eo quod dominium, & proprietas eorum, non autem poſſeſſio à die commiſſi criminis ad fiſcum pertineat.* Hæc ille. Atque ita dominium non pertinet ad reum, *ſi no a la Hazienda Real*, quæ dicitur fiſcus. 687.

Hæc ſententia expreſſe determinat *in cap. cum ſecundum leges de Hæreticis.* Clemens IV. vbi ſic 688.
arguit Pontifex: *leges ciuiles, nefarias naturæ contrarias inceſtas nuptias, contrahentes eo ipſo dominium rerum perdant.* Ita habetur *l. cum Ancillis. Cod. de inceſtuoſ. nuptiis. & l. Si quis D. de ritu nuptiarum. ergo bona Hæreticorum qui grauius, horribilius, & deteſtabilius quam prædicti delinquunt ipſo iure de fratrum noſtrorum conſilio decernimus confiſcata.* Hæc ille. Ergo confiſcatio in eo ſita eſt quod reus amittat dominium, & proprietatem bonorum, & fiſco acquiratur, vt de illis qui inceſtuoſas nuptias contrahunt dicunt leges, & confirmat Pontifex.

Quod in tantum tenet verum quod Ioannes 689.
Andreas dicat quod à tempore commiſſi criminis bona Hæreticorum vindicantur per officium, & fiſcum de manibus poſſeſſoris, nullo dato pretio per quotcumque manus tranſierint. Quod de vera rei vindicatione, non de impropria intelligendum eſt, ſicut intelligitur amittere verum dominium, & proprietatem, quam acquirit fiſcus, & non ſolum improprium, & conditionale, vt aiebat Sanchez. Etenim cum leges ciuiles, & Pontifex abſolute dicant, quod iſti amittunt rerum ſuarum dominium, & proprietatem, ſitque iſta pœna quæ conſiſtit ſolum in priuatione, nec requirat actionem Rei vt exequatur, manifeſtum eſt loqui de vero, & proprio dominio, ſicut docet Gloſſa *in cap. licet Epiſcopus. de Præbendis in* 6. *verſ. Et quod hic dicitur.* Quod quando quis ipſo 690.
iure priuatur beneficio ſtatim amittit titulum ipſum verum, itaut non ſit amplius dominus beneficij, quo priuari non poteſt niſi cauſa cognita, vt *lib.* 2. *de iuſt cap.* 29. *num.* 64. dicit Leſſius. Et quidem cum lex non diſtinguat de dominio proprio, vel improprio nec nos diſtinguere debemus, ſed de proprio intelligatur, cum hoc non obſtante Reus ante ſententiam poſſeſſionem, & adminiſtrationem retineat. Quod ſi nunquam ſententia aduenit, quia non eſt probatum crimen in iudicio, vel non eſt delatum non confertur aliquod incommodum bonis Rei, & donationes, & contractus 691.
firmi, & ſtabiles manent. Si autem ſententia iuridica aduenit, omnes reſcinduntur à die commiſſi criminis, & fiſcus bona omnia tanquam ſua recuperat. Vnde euidens eſt quod Reus non habebat plenum dominium illorum, ſed ſolum fiſcus. Quare dubio procul hæc ſententia conformior eſt iuri Canonico, & Ciuili, & melius explicat retrotractionem contractuum, donationum, & alienationum bonorum, vſque ad diem commiſſi criminis.

§. IV.

§. IV.

De Parocho, & Episcopo electis, & non Sacerdotio, & Consecratione ornatis, intra tempus à iure præscriptum.

692. SVmmus Pontifex Gregorius X. *in Concilio Lugdunensi* relatus *in cap. licet canon. de elect. in 6.* dicit quod Parochus electus *intra annum à sibi commisso regimine numerandum se faciat ad Sacerdotium promoueri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis constitutionis authoritate priuatus.* Quam constitutionem sic declarauit Bonifacius VIII. *in cap. commissa.* ibidem *Annus autem huiusmodi (qui à tempore illo incipit quo ipsius Ecclesiæ regimen commissum sibi extitit, & possessionem eius pacificam habuisti, vel*
693. *per te stetit quominus haberes) tibi non currit, si promoueri iusto impedimento detentus intra tempus huiusmodi nequiuisti.* In quæ verba sic Glossa ibi verbo *iusto impedimento. Pone quod toto illo anno ægrotauit, vel absens erat Episcopus, & commendatitias habere non potuit, vel eum Episcopus ordinare noluit vel his similia, & propter hanc causam dico quod licet elapso anno statim illo non vocato possit alteri Ecclesia conferri, vt cap. licet ca-*
694. *non: Tamen tutius, & honestius esset ipsum citari, & facere pronuntiare illum priuatum, si non ostendat dispensationem, vel iustum impedimentum, nam si hoc omisso fiat collatio, ipse postea veniens & de iusto impedimento, vel dispensatione fidem faciens collationem cassari faciet. Cap. in Antiquis de electione. & cap. cum Bertholdus de re iudicata in 6.* Quam Glossæ doctrinam confirmauit Sacra Congregatio Concilij, cuius verba refert Salzedo *ad Bernardum Diaz in Pract. cap. 55. in principio.*

695. Sed modo est Dubium, An si elapso anno absque iusto impedimento, aut dispensatione legitima possit retineri beneficium curatum vsque ad sententiam declaratoriam delicti, an vero sine aliqua omnino declaratione sit priuatus beneficio, ita teneatur in conscientia illud non retinere. Affirmant Suarez *lib. 5. de legib. cap. 8. num. 10. & 11.* Nauarrus in Summ. *cap. 25. num. 118.* Baldellus *vbi suprà. disp. 42. num. 17.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 45. n. 10.* & est satis probabile.

696. Sed contrarium probabilius est, & tutum in praxi quod requiratur, & expectanda sit sententia declaratoria quod sit annus elapsus sine impedimento, aut legitima dispensatione interueniente. Ita Salas *de legib. disput. 15. sect. 2. num. 31. & sect. 3. num. 45. 46. & 47.* Saa emendatus *verbo lex num. 11.* ibi *lex priuans ob peccatum re iure possessa intelligitur in foro exteriori post condemnationem.* Stephanus Quaranta *verbo Alienatio n. 49.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 56 §. 3.* Toletus *in summ. lib. 5. cap. 91. vers. dico 3.* Sotus *vbi sup. art. 7.* Antonius de Escobar *tract. 1. exam. 1. cap. 6.* Antonius Fernandez 2 *part Summ. cap. 5. §. 2. & 3.* Nauarrus *comm. de datis, & promissis notab. 31. num. 41.* Syluester *verbo confessio. 1. n. 14. casu 3.* & Panormitanus *in Cap. Nihil de electione* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 29. n. 63. & 64.*

697. Et ratio est, quia non constat clare ex verbis legis voluisse legislatorem reum absque sententia declaratoria criminis subire pœnã, & seipsum denuntiare, & suum crimen manifestare. *Cap. Quis aliquando de Pœnitentia dist. 1.* nisi iuridice interrogetur; atqui si Parochus transacto anno præfixo à iure sua culpa non est ordinatus Sacerdotio, si ante sententiam tenetur renuntiare Ecclesiam non interrogatus iuridice, suum crimen manifestat; quod nimis durum est, & contra ius naturæ quo quis tuetur suam famam, & bonam opinionem.

Quod si dicas quod Petro v. g. data fuit Eccle- 698.
sia Parochialis sub conditione quod intra annum accipiat Sacerdotium, qua conditione negligenter, & culpabiliter omissa, Ecclesia priuatus est, quia non est posita conditio requisita. Respondet optime Suarez falsum omnino esse quod lex illa sit lata per modum conuentionis, sed verè est pœnalis in pœnam negligentiæ quam operatur sine respectu ad conuentionem. Tum etiam quia licet qui recipit beneficium Parochiale ignoret pœnam, aut non acceptet illud sub conditione, sed absolute, nihilominus ex vi huius legis manet priuatus beneficio, si sequatur sententia declaratoria negligentiæ, quam nullo modo negauit Pontifex, sed solum dicit quod *transacto anno, &c.* 699.
nulla præmissa monitione sit, &c. hoc est quod non debet præmoneri vt Sacerdotium accipiat, sed sine tali præuia monitione potest declarari priuatus Ecclesia sibi commissa; non tamen bene dicit Suarez quod ignorantia non excusat. Excusat vtique, maximè in eius sententia quæ obligat in conscientia ad relinquendum Beneficium, & ita tenet quod ignorantia excusat, Nauarrus *consil. 1. de tempor. ordinan. in antiquis*, Garcia *de Beneficiis p. 11. cap. 5. n. 120.*

De Episcopis idem statuit Concilium Trident. 700.
sess. 23. cap. 2. vbi sic habetur: *Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus quocumque nomine ac titulo Præfecti, etiam si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint si munus consecrationis intra tres menses non susceperint ad perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint Ecclesiis ipso iure sint priuati.* Hactenus Concilium, Vbi duæ ponuntur pœnæ. Prima, si intra tres menses non consecrentur obligantur ad restituendos fructus perceptos. Quæ pœna incurritur ipso facto, & requiritur sententia declaratoria negligentiæ, nisi fraudulenter acceperit Ecclesiam sine animo non se consecrandi, vt optime Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 45.* 701.
num. 3. Secunda, si vltra alios tres menses consecrationem differant ipso iure sint priuati Ecclesiis. Quæ pœna intelligenda est, sicut præcedens de Parocho. Et propter eadem rationem quæ in Principibus Ecclesiæ multo magis vrget.

Circa numerationem horum mensium aduerte non esse faciendam à die nominationis, & gratiæ factæ, sed à die confirmationis ab illo qui confirmare potest. Ita Barbosa *de potest, Episc. p. 2.* 702.
allegat. 2. num. 39. & 40. Abbas *in ca. cum te. n. 3. de Rescriptis.* Sicut in Parocho electo computatur annus à die in quo est in pacifica possessione, vt vidimus, non vero à die impetrationis, seu collationis Beneficij, vt docet Azor *part. 2. lib. 7. cap. 16. quæst. 11.* Barbosa *de officio, & potest. Parochi. cap. 5. num. 5* Quare annus vt supra dixi, annumerandus est à die pacificæ possessionis. Pacificã autẽ possessionẽ dicitur aliquis habere quãdo non solum habet possessionem Beneficij, & tituli, & exercitij curæ, sed etiam bonorum, &

fructuum

fructuum Beneficij. Ita *supr.* Glossa *ad præfatum c. commissa verbo Pacificam.* Quod si non habeat
703. pacificam possessionem, liberumque exercitium curæ etiam si possessionem habeat maioris partis bonorum, non dicitur pacifice possidere, sicut possidet quando cum libero exercito curæ possidet minorem bonorum partem. Si tamen primis diebus possessionis pacificæ turbatur, & turbatio continuatur non currit annus, quia non videtur pacifica esse quæ non durauit. Si tamen possessionem aliquandiu obtinuit sine litigio, tenetur Sadotium assumere, ait Glossa, sed meo iudicio fallitur, quia si intra annum mouetur lis, quamuis quis cœperit pacifice possidere, à die motionis
740. litis interrumpitur annus, quia si lis perseuerat poterit vinci, & sic in Presbyterum ordinatus cogeretur mendicare. Quod est contra *cap. Diaconi 93 dist.* Ita Garcia *vbi suprà. num.* 118. & *n.* 121. explicat declarationes Cardinalium, quæ non faciunt fidem, quia non sunt authenticæ.

Aduerte secundò, quod neque in Parocho, neque in Episcopo impedimentum excusat, nisi impeditus probet omnem adhibuisse diligen-
705. tiam, & omnem conatum feciſſe vt impedimentum cessaret. Ita Rota *in Maioricen. fructuum* 19. *Aprilis coram Cadinali Sagrato anno* 1616. & Aurien. *Paroch.* 14. *Ianuar.* 1622. coram R. D. Nauarro, vbi plura iura, & Authores referuntur *apud Farinacum tom.* 2. Legantur Azor *vbi suprà.* & Lessius *lib.* 2. *de iusti. c.* 31. *n.* 100.

706. Aduerte tertiò, quod si Parochus accipiat Beneficium Curatum, & Episcopus Ecclesiam animo intra annum recipiendi Sacerdotium, & intra tres menses accipiendi munus consecrationis, non tenetur restituere fructus eo tempore quo durauit hæc voluntas, quamuis ea mutata nec Sacerdos fiat Parochus, nec consecretur Episcopus. Ita Sanchez *vbi suprà. de Matrimon. disputat. citata num.* 11. Ludouicus Lopez 1. *p. instructor. c.* 255.
707. Emanuel Rodrig. 1. *tom. summ. cap.* 30. *n.* 6. Nauarrus *in Summ. Latina cap.* 25. *num.* 118. Ratio est, quia licet qui accipit Ecclesiam animo non recipiendi Sacerdotium, intra annum tenetur restituere fructus, vt modo dicam; tamen bona intentione recipiens beneficium, & intentione mutata retinens fructus quos bona intentione lucratus est, suos facit. Nec hic habet locum textus *in c. Commissa* quo loquitur quando quis assumit Ecclesiam animo fraudulento; hic enim nisi mutata voluntate re ipsa Sacerdotium intra annum, vel consecrationem intra tres menses recipiat tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum, vt definit ibi Bonifacius VIII. & hoc quidem ante sententiam iudicis declaratoriam, vt tenet Glossa *in cap. commissa verbo Mutata*, Azor 2. *part. lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 20. *vers. Quæres.* Gutierrez *lib.* 2. *qq. canon. cap.* 3. *num.* 20. & 22. & alij quos citat & se-
708. quitur Sanchez, *vbi suprà.* & Ratio est clara, quia eo ipso quod Pontifex dicat istum teneri ad restitutionem declarat manifeste suam mentem esse quod iste percipiat fructus sub hac conditione, si intra annum acceperit Sacerdotium, & intra tres menses consecrationem. Sicut qui non recitat officium diuinum tenetur restituere fructus Beneficij pro rata ante omnem sententiam, quia illos lucratur sub hac conditione. Quare sicut Ecclesiæ non datur actio in foro externo contra Beneficiatum non recitantem Officium, sed Confessor obligat ad restituendum, & si cum possit nolit, tenetur eum non absoluere. Ita qui animo non se ordinandi in Sacerdotem percipit fructus non datur actio contra ipsum, sed in conscientia tenetur restituere, quia Ecclesiæ non potest constare in foro externo de intentione. Quod fundamentum non vidit Sanchez, & sic ita tenet Gutierrez *vbi sup. n.* 21.

Quare dubio procul peccat mortaliter qui re-
709. cipit Beneficium curatum, & non intendit intra annum promoueri ad Sacerdotium, aut qui recipit Episcopatum & non intendit intra sex menses consecrationem accipere, cum operetur contra duo præcepta iustissima lata. Primum in Concilio Lugdunen. relato *in cap. licet canon.* Secundum in Concilio Trid. *sess.* 23. *cap.* 22. Ita Sotus *lib.* 20. *de iust. q.* 5. *art.* 6. *vers. Sed est præterea.* Toletus *lib.* 5. *Sum. c.* 5. *n.* 5. & alij quos citat, & sequitur Tho. Sanchez *num.* 4. qui cum Sotoaddit quod etiam si non intenderit promoueri ad Sacerdotium, aut ad consecrationem acquisiuisse verum Beneficij titulum, & ideo si mutata intentione intra annum Presbyter, & intra sex menses Episcopus fiat, retinebit Beneficium sine noua prouisione. Sed iam dixi quod licet per negligentiam culpabilem intra tempus determinatum nec fiat Presbyter, nec consecretur retinet possessionem, & si titulum amittat, vt optime Lessius *vbi supra.* Quare non priuatur possessione ante sententiam declaratoriam,
& si non sit dominus fructuum, aut Beneficij. At- 710.
que ita si de fructibus aliquid donet transacto anno tenetur donatarius restituere, si donans impotens sit ad restituendum, quia dat de re non sua. Quod si intra annum in quo perseuerat titulus, aliquid de fructibus donet non tenebitur donatarius restituere Parocho non restituente, cum dati fuerint à vero domino, ait Thomas Sanchez *n.* 5. cum etiam perseuerante hac intentione verum titulum retineat, & sit verus dominus beneficij, & fructuum, cum in *cap. licet Canon.* non irritetur titulus, sed solum obligetur ad restituendos fructus quos sine legitima intentione percipit. Si 711.
vero mutata intentione Sacerdotium, aut Consecratio recipitur intra tempus determinatum, nulla est obligatio restituendi fructus quos percepit in intentione priori. Constat clare ex *cap. Commissa.* vbi id expresse dicitur *(nisi mutata voluntate promotus fueris)* ergo si mutatur voluntas, & Sacerdotium assumitur non tenetur restituere, cum apposita sit conditio cuius defectus facit obligationem restituendi, quia sicut negatio est causa negationis, ita affirmatio causa affirmationis.

Quod si quis non habeat voluntatem absolu- 712.
tam assumendi Sacerdotium intra annum, aut consecrationem intra tres menses, sed conditionalem si frater primogenitus hæres non moriatur, vel aliquid opulentius mihi offeratur est dubium an teneatur restituere fructus si ordinatus, vel consecratus non sit, negat Sanchez *num.* 10. plures citans, quia textus *in cap. Commissa.* solum requirit veram intentionem, vt intra annum Sacerdotium recipiatur; at intentio conditionalis vera intentio est sicut dispositio conditionalis vera dispositio, *Cap. si pro te. de Rescriptis in* 6. Cæterum licet hoc probabile sit, at mihi magis arridet opinio Soti *vbi supr. vers. & nota.* Guttierez *lib* 2. *qq. Canonicar. cap.* 5. *num.* 22. Ratio est perspicua quia 713.
fundamentum dominij fructuum, & illorum iustæ acquisitionis est intentio recipiendi Sacerdotium, aut consecrationem intra tempus determinatum à iure: ergo si intentio non est absoluta sed conditionalis, dominium non erit absolutum, sed

condi

conditionale: ergo abſolute non facit fructus ſuos ſed ſub conditione: ergo non habet intentionem requiſitam ad eos lucrandos & ſic tenetur reſtituere.

714. Ad fundamentum oppoſitum reſpondetur quod licet intentio conditionalis ſit ſecundum quid vera intentio, tamen ſimpliciter non eſt vera intentio requiſita à iure ad lucrandos fructus, quia Pontifex eam intentionem exigit, quæ habitura eſt effectum, & eſt efficax vt reipſa conſequatur Sacerdotium, quod non habet intentio conditionalis, cum ſit pendula à conditione contingente, quæ cum poſſit non poni, non ponetur ex vi illius in executione Sacerdotium, aut conſecratio.

Quod ſi Parochus, vel Epiſcopus habeant intentionem abſolutam retinendi beneficium, & illud inſeruiendi debito modo, & prout decet, &
715. exigit animarum cura, ſed tamen habet aliam voluntatem quod ſi aliud pinguius offeratur dimittet prius, exiſtimo quod ſi non ſit vrgentiſſima cauſa, aut boni communis, aut maioris fructus animarum, quod eſt magna imperfectio, & non excuſatur à peccato ambitionis, ſi aliàs beneficium eſt ſufficiens ad ſuſtentationem, non tamen peccant mortaliter, vt notat Sanch. *n.* 12. vnde non peccant mortaliter DD. Complutenſ. qui accipiunt Beneficium curatum, & illud inſeruiunt vſque ad tempus in quo poſſunt aſcendere ad Canoniam Eccleſiæ Collegiatæ SS. Iuſti, & Paſtoris in quam ſuccedunt ipſo iure antiquitatis ſuæ in gradu Doctoratus, ſi tamen Eccleſiæ Parochiali cui præerant optimum ſucceſſorem tribuant.

716. Sed quid nomine Eccleſiæ Parochialis, aut Cathedralis in huiuſmodi Decretis intelligatur late tractant D D. *ad Cap licet canon citatum.* Ancharanus, Archidiaconus, & alij Canoniſtæ ex quibus tranſcripſit plura Azor *part. 2. lib. 6. cap. 8. à quæſt. 3. vſque ad 9. incluſiue*, ipſe videri poterit, quia hoc maxime ad forum exterius pertinere videtur. Solum aduerto duo quod in Clement. *Ne in agro. §. cæterum de ſtatu Monachorum*, dicitur *quod qui Prioratus Conuentuales*, hoc eſt, qui in Eccleſiis Conuentualibus, & Regularibus habuerint, *intra annum computandum à tempore collationis, ſeu commiſſionis ſibi factæ de eis, & poſſeſſionis eorum adeptæ, vel intra vigeſimum quintum*
717. *ætatis ſuæ annum, ſi ante ipſum annum non Conuentuales Prioratus eis commiſſi fuerint, aut collati intra annum ſe faciant ad Sacerdotium promoueri quod ſi ceſſante rationabili cauſa non fecerint, eo ipſo nulla monitione præmiſſa prædictis Prioratibus ſint priuati, qui ipſis iterum ea vice nullatenus conferantur.* Quæ determinatio comprehendit Abbatem Regularem, quidquid dicat Azor *quæſt 6. in fine.* Et Priorem Canonicorum Regularium, quidquid ſentiat Nauarrus *comm. 3 de Regular. num. 41.* quia vt ait Gloſſa *ibi verbo conuentuales* Prioratus de quibus loquitur Pontifex ſunt in quibus ſunt plu-
718. res collegialiter, non vt ſinguli. Quare cum in iſtis Priore, & Abbate Regularibus currat eadem ratio adæquata, & motiuum legiſlatoris, quamuis Abbas non ponatur hoc nomine eius Beneficium eſt curatum conuentuale, nec extenditur hic pœna vltra ſphæram Clementinæ, ſed explicatur qui conſtitutione præfata comprehendantur, qui ſunt omnes Superiores Rehulares electi quocumque nomine vocantur dummodo conuentualiter cum ſuis ſubditis viuant, & commorentur.

719. Secundò, notandum eſt quod in *Cap. licet canon, & Cap. commiſſa citat.* non intelliguntur de Eccleſia Parochiali quæ actu non habet Parochianos, ſed ſolum habitu, vt ſi omnes aufugerint cauſa peſtis aut omnes fuerint facti, captiui, cui enim comiſſa eſt huiuſmodi Eccleſiæ cura non tenetur hoc canone, ſed poteſt non ordinari in Sacerdorem intra annum. Si tamen Parochiani reuertantur, Eccleſia iure poſtliminij ad ſua bona, & iura, etiam reuertitur. Quare à die reditus Parochianorum tenetur intra annum Sacerdos fieri. Ita Azor qui alios citat *vbi ſupra quæſt. 9.* Et ratio eſt, quia quando Eccleſia non habet Parochianos actu, non eſt actu cura, & exercitium Paſtoris paſcendi oues, & ſic ceſſat ratio, & cauſa motiua legis adæquata, & ſic non obligat præceptum latum *in cap. licet canon.*

720. Ex quo colligitur quod nec etiam obligat præceptum latum in Concilio Trident. *ſeſſ. 23 cap. 2. de Reformat.* Non obligat, inquam, Epiſcopos Titulares nullas habentes oues, quare etiam ſi differant conſecrationem à die ſuæ confirmationis vltra ſex menſes nullius pœnæ in Concilio latæ *loco citato* rei exiſtunt, quia non habent actu, ſed ſolum habitu ſubditos Diœceſanos, ſicut dicebamus de Parocho, niſi in duobus caſibus. Primò, ſi fiat Epiſcopus Titularis in ſeruitium, & iuuamen alicuis Epiſcopi infirmi, vel occupati in negotiis Reipublicæ, & ſic per ſeipſum non poteſt exercere Pontificalia ordinando, & confirmando, in hoc enim caſu ex vi conditionis appoſitæ tenetur quam primum accipere conſecrationem, ne ſint defectus in ordinandis, & con-
721. firmandis fidelibus. Quod ſi non conſecretur, & ſi mortaliter peccet, nõ incurrit tamen pœnas Concilij. Secundus caſus eſt vt dicebamus de Parocho, ſi Diœceſani denuo exiſtant, nam Eccleſia poſtliminio reuerſa indiget Paſtore. Quare intra ſex menſes tenetur conſecrationem admittere computandos à die quo reuerſi ſunt fideles, aliàs ipſo Epiſcopatu priuatur poſt ſententiam declaratoriam.

722. Inquires an iſta lege humana Pontificia ſolum Parochus, & Epiſcopus in caſu quod non ordinetur ille, & iſte non conſecretur intra præfinitum tempus à iure non ſint ante ſententiam priuati Beneficio an ex iure naturæ cuius tempus determinat Eccleſia tenentur præfati relinquere in conſcientia ante ſententiam Beneficia. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 168. *num.* 27. dicit, ante declarationem criminis, & negligentiæ prefatos incurrere priuationem Beneficiorum, & ita, ait, *ſeruatur in praxi,*
723. *nec de hoc*, ait, *poteſt dubitari*, & hoc fit virtute legis naturalis determinatæ per legem humanam, nam cum Beneficiũ detur propter officium, & officiũ Parochi ſine Sacerdotio, & Epiſcopi ſine conſecratione exerceri non poſſint, fit vt ſine ordine, aut conſecratione titulus conſiſtere non poſſit. Verum quia obligatio iſta vt exerat vires requirat tempus, Eccleſia Spiritu Sancto edocta illud determinauit. Quo tempore elapſo, legiſlator humanus iudicat ſua lege ceſſare titulum; deficiente autem titulo iure naturæ deficit, & vacat Beneficium, quod ſine titulo iure naturali poſſideri nequit. Neque eſt nouum quod Eccleſia ſua lege determinet ius diuinum, ſicut de iure diuino tenemur confiteri, & Eccleſia determinat quod fiat quotannis.

724. Sed hæc ſententia mihi non probatur, quam optime impugnant Salas *diſput. 15. citata. ſect. 2. num. 31. §. primò* probatur Suarez *lib. 5. de leg. c. 8. num. 11.*

num. 11. tum quia *in cap. licet* dicitur *quod accipiens Beneficium curatum, si intra annum non ordinetur sit præsentis constitutionis authoritate priuatus*: ergo constitutio non solum est declaratiua iuris naturæ, sed constitutiua, & effectiua pœna.

725. Secundò, quia ex eo quod Beneficium detur propter officium, & sic ex natura rei ex Beneficio sequatur obligatio ad Sacerdotium, & consecrationem, quare qui est in mora notabili peccat mortaliter, tamen non sequitur, quod ex natura rei sit priuatus Beneficio, quia semper potest emendari, & sic retinere illud quare si canon non addidisset pœnam, si intra determinatum tempus non fieret Sacerdos, aut Episcopus non teneretur dimittere Beneficium, sed posset post multos annos ordinari, & illud retinere. Plures alias impugnationes adducit Salas, vide ipsum. Quare licet Ecclesia aliquando determinet tempus in quo obligat lex naturalis, aut diuina positiua, vt in exemplo allato multi tenent, at in præsenti casu non fecit, sed fecit legem pœnalem, ex vi cuius ante sententiam declaratoriam non incurritur priuatio Beneficij.

726.

727. Inquires secundo, an Episcopus possit dispensare cum illo qui accepit Beneficium curatum, vt studiorum causa non resideat ac per consequens quod non ordinetur Sacerdos nisi tantum subdiaconus intra annum, itaut non incurrat pœnas præfati capitis *licet Canon?* Affirmat Thomas Sanchez *vbi sup. ex textu expresso in cap. cum ex eo de electione in 6.* vbi Pontifex facultatem concedit Episcopis vt libere possint dispensare, vt qui accepit Beneficium curatum possit non ordinari Sacerdotio (per septẽnium iuxta ius antiquum *in c. cum ex eo de elect. in 6.* vel ad quinquennium iuxta

728. ius magis nouum *cap. fi. de Magist.* approbatum per declarationes duas Cardinaliũ, qua adducit Garcia *vbi sup. n.* 101. & 102.) studiorum causa, appositio per Episcopum Vicario, qui Parochiam regat.

729. Sed Barbosa *ad prafatum cap. num. 2. & de iure Eccl. vniuerso lib. 2. cap.* 11 *num.* 178. negat hodie post Concilium Trident. id posse facere Episcopos, & dicit sic fuisse declaratum à Sacra Congregatione. Asserunt Armendar *in Additio. recopilatio lib. 2. dist. 23. l. 2. §. 2. An Parochi debeant residere.* Sanctarellus *variar. resolut. q. 3. num.* 25. Riccius *in prax. decis. 502. alias* 393. Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. Glossa 6. n.* 251. Nicolaus Garcia *de Beneficiis part. 3. cap. 2. num.* 81. Prosper Augustinus *in addit. ad Quarantam verbo residentia.* Et ratio est quia Concilium *sess. 24. de reformat. c.* 18.

730. determinat quod Parochiales Ecclesiæ non dentur nisi illis qui per concursum magis idonei fuerint iudicati scientia, & moribus. Quare hodie non habet locum *cap. cum ex eo* citatum, quia Concilium Trid. ad vnguem seruandum est in Hispania sed in Gallia vbi receptum non est manet in suo vigore *cap. citatum.*

731. Mihi vero duplici distinctione vtendum est, quia aut loquimur de Magistris docentibus in aliqua Vniuersitate insigni, in qua magnus est audientium numerus, aut loquimur de discipulis audientibus, & studentibus. Rursus aut loquimur de Beneficiis Parochialibus quæ in Sacro Tridentino dantur per concursum vocatis per editum publicum oppositoribus, aut loquimur de aliis Beneficiis curam animarum habentibus quæ non dantur per concursum, nec comprehenduntur in dispositione Trident.

Hoc supposito. Dico primò, Magistri docentes in aliqua Vniuersitate, vt dixi, si illis detur per concursum aliquod Beneficium Parochiale, sine licentia Episcopi (posito per ipsum Vicario idoneo) possunt illud retinere, etiam si non resideant, illius fructus percipiendo. Hæc conclusio traditur expresse *in cap. vltimo de Magistris*, vbi Honorius III. dicit: *Docentes vero in Theologica facultate, dum in Scholis docuerint integrè de licentia Sedis Apostolicæ* (data authoritate huius constitutionis dicit Glossa ibi) *prouentus Prabendarum, & Beneficiorum suorum, non obstante alia consuetudine, vel statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea domini operantes.* Quod confirmauit Trident. *sess. 5. cap. 1. de reform.* de docentibus, & audientibus publicè Sacram Scripturam. Quod Decretum extendi ad publicè docentes ius canonicum, & Sacram Theologiam docet Nicolaus Garcia *lib. 3. de Beneficiis, cap. 2. num* 65. Barbosa *part. 3. de potest. Episcop. alleg* 56. *num.* 28. Nec necessarium quod docentes habeant Cathedram, sed quod publicè legant de licentia expressa Vniuersitatis, & Clustri DD. ita Garcia *n.* 59. *&* 60.

732.

Quare optimè Sanctarellus *variar. resol. q.* 16. 733. *num.* 2. dicit quod vigore Concilij Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* non est derogata constitutio Eugenij IV. sub data 6. *Kalend. Martij* 1431. per quam concessum fuit Vniuersitati Salmantinæ vt Doctores, & Scholares in quacumque facultate per octo menses continuos, vel interpollatim legendo, aut litterarum studio insistendo fructus suorum Beneficiorum cum cura, aut sine cura quæ obtinent, ac in posterum obtinebunt, exceptis quotidianis distributionibus, percipere valeant, cum ea integritate cum qua illos perciperent si in propriis Ecclesiis personaliter residerent, vt refert Nicolaus Garcia *cap. 2. citato num.* 58. qui etiam refert *num.* 559. sibi decisum fuisse à Sacra Congregatione, docentes non requirere licentiam Episcopi, quamuis Cenedo *lib. 1. qq. Canonicar quæst. 1. num.* 31. dicat hoc priuilegium derogatum esse per Trident. *sess. 6. cap. 2.* vbi sine licentia Episcopi non posse aliquem non residere dicitur, non obstante quocumque priuilegio, aut exemptione, & sic dicit semel, & iterum iudicatum in Supremo Senatu Hispaniæ, & est in praxi receptum in pluribus Vniuersitatibus, & etiam in Salmantina. Verum ipse Cenedo *n.* 32. dicit, per 735. clausulam istã generalẽ Concilij non esse derogatam Bullam Eugenianam. Quare in prædicto loco Concilij solum tolluntur, & abrogantur priuilegia, & indulta perpetua de non residendo, & de percipiendis fructibus in absentia: gratia autem, & priuilegium Eugenij non est perpetua, sed temporalis, dum quis legit publicè in aliqua Vniuersitate.

734.

His adde quod non fit derogatio *cap. vltim. de* 736. *Magistris*, quod cum sit in corpore iuris deberet exprimi vt derogaretur, vt passim facit Trid. *arg. ex l. de cursoribus. C. de silentiariis lib.* 12. *& l. si quando C. de officios test.* & tenent Nauarrus *consil. 7. n.* 17. *de priuileg.* Barbosa *l. D. soluto Matrim. part.* 1. *num.* 11. Rodriguez *in addition. ad Bullam §. 9. num.* 32. *& tom.* 1. *qq. Regular. q.* 8. *art. 6.* Guttierez *in repetitio l. non oportet D. de legatis* 1. *num.* 174. Quare Doctor Sahagun Canonum Primarius erat Parochus de Almeyda Diœcesis Zamorensis, & M. Rodriguez Cathedraticus S. Thom. habet Parochialem de Lanza ita vterque in Vniuersitate Salmantina fructus percipiebant suarum Ecclesiarum.

737. An veto hæc constitutio, & conclusio debeat intelligi de Magistris docentibus *leges ciuiles* resoluunt Garcia *num.*65. Moneta *de distribut. quotidian. cap.*10. *num.*4. *&* 21. ex Abbate *in cap. tuæ fraternitatis num.* 5. *de Clerico non residente* quod potest percipere fructus in absentia, dummodo non sit Sacerdos, aut Decanus, vel Archidiaconus, aut personatum habens, quia his prohibitum est sub pœna excommunicationis ipso facto

738. leges, aut Physicam, (intellige Medicinam) audire, aut docere, *cap. finali, ne Clerici, vel Monachi.* Et sic à Summo Pontifice habenda est dispensatio. Sed *cap. istud, quod est* Honorij III. loquitur de audientibus, non de docentibus, & cum sit lex pœnalis, non est extendenda.

739. Adde quod vt refert Garcia *vbi sup. n.* 104. in Vniuersitate Salmantina per priuilegium Eugenianum quis potest dare operam Philosophiæ, & alij cuicumque facultati licitæ, & honestæ. Quo priuilegio gaudere Complutensem, & Salmantinam docet idem sapientissimus Garcia *num.* 66. Qui mihi non probatur) dum *num.* 80. *&* 81. dicit priuilegia Vniuersitatum esse derogata per declarationes Cardinalium, quas tam ipse quam Barbosa & Bellarminus afferunt *ad cap.* 1. *de reform. sess.* 5. Nam illæ declarationes magis loquuntur de studentibus quam de docentibus, vt legenti patebit. Nec priuilegium *cap. vltim. de Magistris* derogatur, nec Bulla Eugeniana per verba generalia; tum etiam quia post declarationem Vrbani V. huiusmodi declarationes non sunt authenticæ, quia non sunt in ea forma quam exigit Summus Pontifex.

740. Dico secundo, qui habent Beneficium Parochiale cum cura animarum sibi collatum per concursum, vt determinat Trident. non potest Episcopus concedere licentiam percipiendi fructus causa studiorum. Ita tenet communis sententia, vt videre est in Gonzalez *reg.*8. *à num.* 249. Garcia, & Barbosa *vbi suprà.* Et sic declarauit Sacra Congregatio *die* 22. *Februarij anno* 1590. quæ censuit, *Parocho studiorum causa non esse dandam licentiam, cum hodie post Concilium non admittantur nisi qui per concursum magis idonei fuerint iudicati.* Hæc ibi. Vbi ponitur fundamentum conclusionis. Verum est quod si quis comparatione ad alios concurrentes iudicetur magis idoneus, non tamen sua studia perfecit poterit Episcopus (saluo meliori iudicio) licentiam dare, vt studia perficiat, & sic melius possit Ecclesiæ inseruire.

741. Dico tertiò, si quis habeat Beneficium curatum, sine Parochia, & cura animarum, aut Parochialem quam acquirit per regressum, aut vnitam dignitati, aut Canonicatui, aut annexam Monasterio aut Abbatiæ, aut Parochialem quæ *de Mensa* nuncupatur, & confertur ab Abbate, aut dignitatem curam animarum habentem, aut Vicariam perpetuam Parochiæ vnitam (de quibus latè Barbosa in Collectan. DD. ad Concilium *sess.*24. *c.*18. *à num.*4. *& de potest. Episc. alleg.*58.) quæ non dantur per concursum, huic potest Episcopus licentiam concedere prouidendo de Ministro idoneo vt causa studiorum in aliqua Vniuersitate publica, qualis est inter alias Hispanas hæc Hispalensis, resideat, & fructus Beneficij percipiat, tuta conscientia. 742. Ratio est, quia in his non currit ratio adducta à Sacra Congregatione Cardinalium, relata concl. anteriori, cum non semper dentur huiusmodi Beneficia magis idoneis in scientia, & doctrina. Quare vt idonei fiant concedi potest licentia vt non resideant studiorum causa ad quinquennium iuxta *cap. vltim. de Magistris.* Quæ autem conditiones requirantur explicat Sacra Congregatio, cuius verba refert Garcia *vbi sup. num.* 82. & Concilium Mediolanen. 1. *p.* 2. *tit. de residentia.* Toletanum *anno* 1566. *act.* 3. *Decreto* 3. Compostellanum *cap.*40. *&* 41. confirmatum à Pio V. cuius Breue confirmatorium impressum est Salmanticæ *anno* 1595. & resumpsit Cardinalis Bellarminus *in obseruation. doctrinæ ad cap.* 1. *sess.* 5. Trident. *verbo priuilegiis omnibus, & verbo de perceptione.*

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
SECVNDÆ PARTIS
Resolutionum moralium.

A

Abbas.

ABBAS habens iurisdictionem nullius Diœcesis, similiter & Prior eiusmodi iurisdictionis, possunt conuocare Synodum, & in illa nominare examinatores, vt eligantur à Patribus. num. 84. pag. 230.

Abscindere.

Vtrùm aliquis possit licitè consentire se abscindi? pag. 290.

An per Bullam in Cœna sit abrogata facultas data Episcopis per Tridentinum Concilium, vt possint Absoluere in foro externo, ab hæresi occulta? n. 1013. p. 313

An sæcularis mox ingressurus Religionem possit Absolui à Regulari non approbato ab Episcopo? p. 459

Accusatio, Accusator.

Si procedatur via Accusationis, si crimen est emendatum, adhuc testis interrogatus tenetur dicere veritatem. p. 12

Accusator quando tenetur accusare, testis etiam tenetur dicere veritatem interrogatus. n. 127. pag. 20.

Adiunctus.

Adiuncti aliquam habent iurisdictionem, quatenus concurrunt cum Episcopo ad ferendam sententiam. n. 1653. p. 408

An si dubium sit exortum, an causa aliqua sit de iurisdictione Adiunctorum, an, inquam, Episcopus solus, an Episcopus cum Adiunctis determinare debeant an sit sua iurisdictio? Prima sententia ponitur. n. 1680. p. 410. 411

Adiunctorum remedio quinam gaudeant secundum ius Trident. Sex dictis declaratur n. 1714. 1715. 1721. 1727. 1731. 1736. n. 1710. p. 413

Adiuncti possunt inhibere Ordinarium per protestationem factam in tribunali Episcopi, & coram eius Notario. n. 1692. p. 412

Adulterium.

Vtrùm lucrata per Adulterium, sine consensu alterius coniugis possint liberè expendi. p. 115

Aduocatus.

Aduocatus & reus occulta crimina testium possunt propalare. n. 102. p. 16

An crimen aliquod falsum possint obiicere testibus. n. 103. p. 16

Aduocatus etiam interrogatus à iudice non potest testificari contra fidem silentij. n. 223. p. 36

Ætas.

Variæ Ætates ad exercitia diuersa litterarum assignatæ. n. 378. p. 257

An Ætas viginti quinque annorum ita sit necessaria, vt nisi impleta sit, hoc est, annus 25. inceptus, electio, & prouisio Parochialis sit nulla, & inualida? n. 382. p. 258

Æquiuocatio.

Æquiuocationis abusus, iuxta multos Auctores, mendacij malitiam continet, virtuti veracitatis oppositam. n. 22. p. 40

Quod abusus Æquiuocationis, & restrictionis mentalis malitiam habet mendacij, vel ad minus virtuti simplicitatis oppositam. p. 40

Æquiuocationis, & amphibologiæ vsus quomodo sit licitus? n. 38. p. 42

In saluis conductis non est licita Æquiuocatio, aut mentis restrictio. p. 51

Æthiops.

Æthiopum emptio celebrata à Lusitanis mercatoribus an sit licita? p. 81

Altare.

Altaris portatilis vsus maxima circumspectione est habendus. p. 2227. p. 481

Amphibologia.

Quomodo licitus sit vsus æquiuocationis, & Amphibologiæ. p. 42

Apes.

Apum examen etsi sit in arbore nemoris mei, tamen sit primi occupantis. n. 275. p. 80

Examinis Apum etiam cum industria in alueario inclusi qua ratione dominium amitti possit. n. 276. p. 80.

Appellatio.

Vtrùm ab electione Episcopi facta in concursu, præuio examine, detur Appellatio. p. 423

Appellatio est à minori ad maiorem, seu superiorem

rem prouocatio. n.1793. p.423
Appellatio ligat ſtatim iudicem à quoe,iuſque iuriſdictionem ſuſpendit ſine alia inhibitione. n.1794.
Appellatio an detur à reprobatione examinatorum Synodalium? n.1801. p.424

Approbatio, Approbatus.

An hodie requiratur ſpecialis Epiſcopi licentia & Approbatio expreſſa ad audiendas Monialium confeſſiones. n.2000. p.441
An ſemel Approbatus in vna Diœceſi, ſit vbique approbatus? n.2004.p.442
Approbatio an ſit neceſſaria ad abſoluendum à venialibus, & à mortalibus dimiſſis? num.2073 pag.455.

Auxilium.

An poſt Bullam Vrbanam poſſit tractari de auxiliis in libris prælo datis? n.313.p.526
Non prohibetur in decretis ſi occaſionaliter in ſolutione alicuius argumenti, ſeu difficultatis explicetur qualis eſt efficacia diuinæ gratiæ, & quomodo ſtet cum libertate creata. num. 323. pag.527.
Non licet tractare de Auxiliis etiam occaſionaliter quando admiſcentur cenſuræ, & modi loquendi Apologetici. n.335.p.530

B

Beneficium, Beneficiarius.

QVa tatione Beneficiarius poſſit vti compoſitionis Bulla. p.88
Quod cui confertur Beneficium in concurſu debeat carere cenſura. pag.307
Collatio Beneficij eſt nulla, & inualida, etiamſi prouiſus ignoret inuincibiliter ſe eſſe incapacem per excommunicationem. n.956. p.309.
Collatio Beneficij ſiue curati ſiue ſimplicis facta irregulari, etiam occulto, non ſolùm eſt illicita, ſed inualida, itaut illa recipiens teneatur, tanquam rem iniuſtè poſſeſſam reſtituere, vel diſpenſatus in irregularitate procurare nouam collationem, vel explicitam, vel virtualem. n.1144. p.325.
Regula de naturalitate quam Beneficiandus debet habere, nimirum: Lex, & immemorialis conſuetudo approbata à Summis Pontificibus tacitè, vel expreſsè ſanctiſſima, & iuſtiſſima eſt, & omnino ſeruanda, itaut nullomodo poſſit eligi dignior comparatione facta cum alienigenis, & exteris, ſed ſolùm comparatione facta inter naturales. n.1205.p.331
An exterus habens priuilegium ad retinendum Beneficium curatum, poſſit percipere fructus, reſidens non per ſeipſum, ſed per ſubſtitutum poſitum ab Epiſcopo? n.1276.p.338
Ex quibus capitibus deſumenda ſit maior dignitas, aptitudo, & idoneitas, in prouiſione Beneficij curati facta per concurſum. n.1326. p.343. 344.
Ineptus ad Beneficium eſt qui non poteſt ſatisfacere obligationi muneris ad quod eligitur. n.1352.p.347.
Beneficia ſimplicia danda ſunt dignioribus, itaut ſit mortale ex genere dare dignis illis omiſſis. n.1539. p.366.
Non peccat minus dignus ſe opponens ad Beneficium in concurſu, cum digniore, & illud acceptando. p.393

Bona.

Bona etiam fiſco applicata poſſunt præſcribi. n.96 pag.63.
Vtrùm Bona naufragantium præſcribi poſſint. pag.65.
Quid dicendum de Bonis incertis acquiſitis fingendo ſe pauperem, aut ſanctum? n.371.p.90
Bona incerta vbi facta fuerit diligentia pro inueniendo vero domino, ſi non inueniantur poſſunt retineri. n.382.p.91
Niſi ius canonicum aut ciuile aliter diſponat. n.383. p.91.
Bonorum incertorum inuentor in regnis Hiſpaniæ an teneatur ea dare alicui ex Religionibus Redemptionis? n.390.p.92
Et an poſſit vti facultate conceſſa in Bulla compoſitionis? n.393.p.92
Vtrùm qui bonis ceſſit, etiam ſi ad pinguiorem deuenerit fortunam poſſit bona creditorum præſcribere. p.96
Omne illud quod acquiritur poſt clericatum, etiam ſi aliàs eſſet aduentitium, eſt bonum quaſi caſtrenſe. n.632.p.116
Bona, quæ filiusfamilias abſens à patre, lucratur, qua ratione de illis poſſit diſponere? num.633. pag.116.

Bulla.

Vtrùm pecuniam incerti domini acceptam pro celebrandis Miſſis poſſit quis componere per Bullam. p.89
Bulla Clementina de largitione munerum non eſt vſu recepta. p.143
Regulares profeſſi, quibus ex ordine Superiorum non eſt publicata Bulla Vrbana, ex tacita eorumdem Superiorum licentia poſſunt vti Cruciata, quantum ad articulum eligendi Superiorem, qui ipſos abſoluat ab omnibus reſeruatis. n.87. p.158.
Vrbani Octaui Bulla non aufert poteſtatem à Prælatis Regularibus dandi licentiam vtendi Bulla Cruciatæ. n.60.p.155
In Religionibus in quibus Prælati admiſerunt vſum priuilegij conceſſi in Bulla Vrbana, taliſque admiſſio, & acceptatio notificata eſt ſubditis, non poſſunt vti Bulla Cruciata. num.97. pag.159.
Vtrùm habens Bullam Cruciatæ ſine alio priuilegio poſſit in domo priuata erigere Oratorium quod ab Epiſcopo deſignetur, & approbetur. pag.483.

C

Canonicatus, Canonicus.

IDem dicendum de Canonico non aſſiſtente in choro, circa diſtributiones quotidianas, & de Epiſcopo, vel Parocho abſqua iuſta cauſa non reſidente; ac de Beneficiario. numero 358. pag.88.
Canonicatus Magiſtralis Sacræ Scripturæ, & pœnitentiarius dupliciter poſſunt ptouideri.n.1583 pag.371.
Canonicus Theologalis, aut Lector Sacræ Scripturæ, aut pœnitentiarius non poteſt optare aliam præbendam, niſi prius reſignet illam. n.1586.p.371.
Canonici tenentur accedere ad Lectionem Theologiæ Moralis,& Sacræ Scripturæ.n.1590 pag.372.

An

An Canonicus per collationem ante poſſeſſionem gaudeat ex iure Tridentini prærogatiua Adiunctorum. p.416

Sententia Auctoris; quod iure Tridentini Canonicus poſt collationem ante poſſeſſionem validam, nullo modo gaudet priuilegio Adiunctorum, ſed Ordinarius ſolus poteſt procedere contra illum, ac ſi non eſſet illi collatum beneficium. n.1743. p.417

Capitulum.

Capitulum, ſede vacante, poteſt examinatores nominare vt eliguntur à Synodo. n.89.p.231

Cardinalis.

Cardinales poſſunt ex ſibi ſubditis, & commenſalibus, etiam poſt Tridentin. eligere Confeſſorem. n.2025. p 446

Cardinales an teneantur, ſi non legitimè impediti, vel ratione infirmitatis, vel exercitij alterius publici, vel ratione longi itineris venire ad conclaue electionis Summi Pontificis; & ſi ſint Romæ venire ad conſiſtorium vocati. n.1435. p.335.

Caro.

Carnes comedere diebus prohibitis ab Eccleſia Romana non eſt licitum cum hæreticis, quando ille qui comedit antea eſt habitus pro fideli, & Catholico, & hæretici hæc videntes iudicant ipſum ad hærefim tranſlatum. n.89. p.49

Caſtrare.

Pater an poſſit filium Caſtrare vt conſeruet vocis ſuauitatem ad inſeruiendum Eccleſiæ? n.757. pag.290.

Caſtrans ſe voluntariè ad vocis ſuauitatis conſeruationem, eſt irregularis. n.775.p.292

Si tamen quis non culpa ſua, ſed iuſta ex cauſa ad euitandam infirmitatem, vel à Barbaris abſcindatur non fit irregularis. n.777.p.292

Vide, *Abſcindere.*

Cenſura.

An carere debeat cenſura, ille cui confertur beneficium in concurſu? n.941.p.307

Certamen.

Iuſtificationem moralem in foro conſcientiæ ſingularis Certaminis ab Exce lentiſſ. D. Duce Methymnæ Sidoniæ oblati Illi qui B gantinus fuit. p.500

Ceſſio bonorum.

Bonorum Ceſſio quando fiat? n.429. p.96

Dupliciter fieri poteſt. p.96

Per bonorum ceſſionem non tollitur naturalis, aut ciuilis obligatio. 432. p.96

Chocolate.

Conſilium eruditiſſimi, & ſapientiſſimi Don Martini de Azpilcueta Nauarri approbantis potum de Chocolate non frangere ieiunium Eccleſiaſt icum. n.159.p.163

De potione Chocolatica ſumenda vel non ſumenda in die ieiunij Eccleſiaſtici, ea quæ ſunt certa, & aliqua notabilia adducuntur. n.1.p.162

Valde probabile eſſe potionem quæ Chocolate dicitur non frangere ieiunium Eccleſiæ authoritate probatur, & rationibus. n.13.p.163

Vtrùm deroget pietati Chriſtianæ aſſerere quod potio Chocolatica non frangat ieiunium. pag.175.

Declaratio authentica Gregorij XV. quòd potus Chocolate non frangit ieiunium. p.180

Vtrùm Chocolate, & vinum rrangant ieiunium, ſi ſumantur ea intentione vt nutriant. p.186

Cibus.

Cibi definitio traditur, & expenditur. n.36.p.178

Circunſtantia.

Circunſtantiæ mutantes ſpeciem cur neceſſariò debeant confiteri in Sacramento pœnitentiæ. n.101.p.51.

Clementina.

Clementina *de largitione munerum* non eſt vſu recepta. n.912. p.143

Clericus.

Clerici militarium conuentualiter viuentium adſtringuntur Bulla Vrbana. p.158

Coca.

Sumentes herbam Coca habent ſaltem pactum implicitum. n.139. p.200

Commendatarius.

Commendatarij Ordinum militarium, etiam S. Ioan. Hieroſol. validè donant etiam ſuis concubinis, neque iſtæ tenentur reſtituere. n.914. pag 144.

Communio.

Ad accipiendam Communionem, debent illi, qui ſani ſunt corpore, ieiuni accedere ieiunio naturali. n.44.p.192

Si quis dubitat an hora duodecima noctis inſonuerit cùm comedebat, aut bibebat, poterit ſequenti mane Communionem recipere. n.230 pag.207.

Cùm quis dubitat an aliquid manducauerit, vel biberit, non poteſt communicare. num.234. pag.208.

Licitum eſt Sacerdoti non ieiuno communicare, vt ſacrificium quod alter complere non valuit, perficiat. p.210

Communioni pro mortuis ex opere operantis nõ paucas ineſſe vires oſtenditur. n 576.p.559

Non eſſe perexiguam ſatisfactionem in communione pro mortuis, oſtenditur manifeſtè. n.591. p.561.

Comœdia.

Comœdias videre an ſit peccatum? n.714.p.125

An homines laici pecent mortaliter ſi perm nt vxores, filios & filias &c. aſſiſtere Comœdiis. n.735.p.126.

An peccent Clerici, & Religioſi aſſiſtentes Comœdiis. n.736.p.126

An peccent omnes, qui pecuniam dant Comœdiantiis. n.737. p.126

Compenſatio.

Compenſatio an valida ſit in foro conſcientiæ, ſi adſint alij creditores anteriores? n.447.p.98

Res compenſata an poſſit præſcribi? n.447. p.98

Vtrùm damnum paſſus à ſeruo poſſit vti occultà compenſatione. p.106

Compoſitio.

Compoſitio an poſſit fieri circa bona incerta ex ludo acquiſita? n.364.p.89

Concubina.

Concubina non poteſt præſcribere quæ accepit à Religioſo, aut à pupillo. n.261.p.79

Concurſus.

Vtrùm ſit nullus Concurſus in quo non omnes qui examinant examinatores Synod. ſunt.p.232

Confeſſarius, Confeſſio, Confeſſor.

Confeſſarius qua ratione circa reum ſe gerere debeat? n.21.p.4

Confeſſarius & fœmina, ſi ſe mutuò in Confeſ-

ſione ſollicitent, itaut ſollicitatio à fœmina primò ordiatur, an teneatur denuntiare? n.123 pag.20.

Confeſſionis ſigillum quàm ſtrictè obliget, & cur? n.135. p.21.

Confeſſionis ne frangatur ſigillum, dimidianda eſt confeſſio etiam in articulo mortis. n.130. pag.21.

Confeſſionis ſub ſigillo quod ſcitur, propalari nullatenus poteſt. n.129.p.21

Confeſſarius de licentia expreſſa pœnitentis poteſt reuelare quæ audiuit in confeſſione. p.22

Confeſſor an ſufficiat quod habeat licentiam implicitam ipſius pœnitentis, vt eius confeſſionem reuelet? n.137. p.22

Pœnitens an teneatur ad ſigillum Confeſſionis? n.147. p.23.

Confeſſionis Sacramentalis ſigillum ſic concluſum eſt, vt non liceat illud aperire, etiamſi effectus peccati pendeat in futurum, &c. n.143. pag.23.

In Confeſſione ſi quis ſciat confeſſorem cum quo ſolebat confiteri, aut non eſſe Sacerdotem, aut ſi eſt Sacerdos, non habere iuriſdictionem, tenetur illi non confiteri. n.160.p.26

Non eſt contra ſigillum Sacramenti pœnitentiæ, quòd quis vtatur ſecretò ſcientia habita in Confeſſione, ad regimen externum ſuarum actionum, Reipub. aut Communitatis, &c. n.162 pag.27.

Nullus ad reuelationem Confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari. n.167. p.27

Actiones poſitiuæ, vt fugere per aliud iter, facere leges, &c. ſi fiant cum debita aduertentia ne aliquatenus Confeſſio manifeſtetur, &c. hæ actiones vt ſic non ſunt de ſe ſignificantes determinatè ſcientiam, quæ ipſas dirigit. n.170. pag.27.

Confeſſor ſcit peccatum vt Deus, in ordine ad non manifeſtandum, & non reuelandum, ſed occultandum. n.171. p.27

Confeſſor ſcit peccatum, vt Deus. p.174.p.29

Confeſſionis ſigillum qua ratione ita ſtrictum inſtitutum ſit à Chriſto Domino? n.176. p.29

Confeſſor tenetur ſub ſigillo celare perſonam pœnitentis, quando ex eius manifeſtatione, etiamſi non manifeſtetur peccatum, ſequi poteſt ipſi pœnitenti graue damnum, quod in terris Hæreticorum maximè aduertendum. n.183. p.30

Confeſſarius non poteſt finita confeſſione colloqui cum pœnitente de peccatis confeſſis. n.184 pag.31.

Confeſſor debet eſſe approbatus ab Ordinario remiſſiuè. n.106.p.160

Qui vtuntur priuilegio conceſſo Prælatis Regularium in Bulla Vrbana tenentur ſub peccato ſe faciles, & benignos exhibere, in vſu talis priuilegij, itaut teneantur dare licentiam ſubditis eam petentibus, vt poſſint vti Cruciata in eligendo Confeſſore quantum ad reſeruata. n.101. pag.160.

Virtute Bullæ Cruciatæ Summus Pontifex concedit vtriuſque ſexus fidelibus, vt poſſint eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario, cui eo ipſo quod eligatur, tribuit iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis. n.1874.p.436

De approbatione Confeſſoris Monialium. p.441

An ſi quis inuincibiliter ignorans errore communi ductus, aliquem Religioſum vel ſæcularem Sacerdotem non habere iuriſdictionem ad abſoluendum, & putans illam habere, ei Confitetur, talis confeſſio ſit valida, itaut non teneatur eam repetere, quamuis poſtea ſciat talem non fuiſſe approbatum, nec habuiſſe iuriſdictionem. n.2012.p.444

Nunquid ſi pœnitens ſcit Confeſſarium eſſe priuatum iuriſdictione, quod confeſſarius ignorat, & adeſt etiam communis error, an poſſit illi confiteri? n.2020. p.445

Ex vi Concilij Tridentini nihil eſt innouatum circa Confeſſores Regularium, quorum priuilegia, & conſuetudines non ſunt immutatæ, aut derogatæ. n.2042. p.448

Quæ approbatio requiratur vt Confeſſor poſſit eligi virtute Bullæ Cruciatæ? p.447

An peccata oblita poſſit quis confiteri Sacerdoti non approbato per examen? n.2081.p.456

In dubio an quis commiſerit aliquod peccatum, an poſſit iſtud Confiteri Sacerdoti ſimplici non approbato, & examinato ab Epiſcopo? n.2084 pag.457.

An peccata verè, & propriè dubia, tam quoad malitiam mortalem, quam quantum ad Confeſſionem, an ſcilicet ſint confeſſa, teneatur quis ea confiteri ſub eo dubio? n.2086.p.457

An Confeſſor Regularis non approbatus, & examinatus ab Epiſcopo, ſed à ſuperiore ſuo poſſit abſoluere ſæcularem mox ingreſſurum Religionem à peccatis etiam reſeruatis, & cenſuris latis à Papa, & Epiſcopo loci. n.2098.p.459

An ad approbationem Ordinarij ſit neceſſaria licentia Superioris, vt ille validè approbet, & Regularis dicatur iuridicè approbatus ab Ordinario, vt poſſit audire ſæcularium Confeſſiones, & eligi virtute Bullæ? n.2151. p.469

Confiſcare.

Confiſcatis bonis ob mariti crimen læſæ Maieſtatis humanæ aut diuinæ, dos, arrhæ, &c. non confiſcantur. n 953. p.147

Conſcientia.

Conſcientia bona canonica dicitur, quia legibus Eccleſiaſticis congruit. n.39.p.57

Conſecratio.

An omnia verba quæ ponuntur in Conſecratione calicis ſint de eſſentia formæ? n.345.p.531

Contractus.

In Contractibus non eſt licitum vti reſtrictione mentali. n.105. p.52

Contractus factus cum pupillo valet ex parte pupilli, & quatenus cedit in ipſius commodum, etſi non valeat ex parte alterius contrahentis. n.653. p.118.

Creditor.

Creditor perſonalis non poteſt hypothecario præferri. n.465.p.99

Creditor priuilegiatus quando & quomodo aliis anteferatur? n.467.p.100

Conſtituuntur quatuor regulæ pro Creditoribus priuilegiatis. p.100

Prima regula pro creditoribus priuilegiatis, adducitur, & ratione declaratur. n.473. p.100

Secunda regula. n.475. p.101

Tertia regula. n.476. p.101

Quarta regula traditur, & ratione firmatur. n.477 pag.101.

Creditor vtens recompenſatione ſi laboret ignorantia inuincibili iuris an poſſit præſcribere? n.491. p.102.

Creditor chirographarius ſi comparetur ad alios eiuſdem ordinis, & tituli, & habeat rem debitoris,

ris, poteſt illam ſibi detinere in compenſationem ſui debiti, etiamſi alij damnum ſint accepturi. n.488.p.102.
Quod inter Creditores perſonales puros non eſt prælatio. p.101

D.

Damnum.

OBligatio reſarciendi Damnum quod intulerunt animalia, ſeruus, aut filius, eſt caſus frequens. n.518.p.105
Compenſatione occulta vti poteſt, qui damnum paſſus eſt à ſeruo. n.533.p.106
Quid dicendum de animali fero fugiente, ſi damnum fecerit. n.534.p.106.107

Damnatus.

Qui ad triremes damnatur non poteſt fugere, n.15.p.487.
Damnatus ad mortem ſiue ſententia veritati nitatur, ſiue non, poteſt fugere? n.16.p.488

Debitor, Debitum.

Debitor non ſoluens pecuniam, quam ſcit creditori debitam non habet malam fidem quam excludunt Canones, quia iſti requirunt peccatum, quale non committit iſte debitor, non enim debitum negat, nec in ſolutione tergiuerſatur. n.10. p.55.
Vtrum Debitum ex furto præſcribatur. p.74
De Debitis ex homicidio. p.76
Debita incerta quæ dicantur? n.338. p.36
Quiſquis eſt debitis incertis obligatus, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè contractis tutus eſt in conſcientia ſi pauperibus,& piis locis, & operibus impendat, & ad hoc tenetur ex iure poſitiuo. n.340.p.87
Debitor incertorum bonorum tutus eſt in conſcientia, ſi ſe componat ſumendo compoſitionis Bullam, ex Vaſquez, Leſſio, & aliis.n.342 pag.87.
Debita an priùs ſint ſoluenda, quam legata etiam pia? n.493.p.102

Denuntiatio.

Tunc tenetur filius Denuntiare Patrem quando iſte eſt dogmatizans. p.34
Filia non tenetur Denuntiare Patrem ſolicitantem in confeſſione. p.34

Dignus.

Prouiſio facta de Digno, omiſſo digniore in concurſu ad Parochialem an ſit ipſo iure nulla? p.1809. p.403.
Dignus electus omiſſo digniore non facit fructus ſuos, ſed digniori ſunt reſtituendi. num. 1819. pag.404.

Diſpenſatio.

Si erretur in nomine Diœceſis, & pro Toletana ponatur Hiſpalenſis adhuc Officialis Toletanus poteſt Diſpenſare. n.2210.p.478
Si impetrans ignorantia ductus petierit Diſpenſationem pro tertio gradu conſanguineitatis,cum reipſa non fuerit niſi tertius gradus affinitatis, & impetrata diſpenſatione pro conſanguineitate remittitur reſcriptum Ordinario, vt ſi narratiua verificatur diſpenſet, an ex vi huius reſcripti poſſit Ordinarius diſpenſare in affinitate? n.2212. p.478.

Doctor.

Doctores, & Magiſtri in Sacra Theologia, vel in iure Canonico, an debeant ſubiici examini vel iudicio Epiſcopi illos approbantis, vt confeſſiones audire valeant? n.1860. p.434

Dominus.

Domino occiſo poteſt iudex contra ſeruos, etiam ſi non præcedat infamia, & teſtis tenetur dicere veritatem. p.15

Donatarius.

Donatarius ſiue mulier ſit, ſiue vir accipiens à marito exceſſiuas donationes (& potiori iure lucrans ludo ingentem ſummam pecuniæ) non tenetur reſtituere. n.944.p.147

Dos.

An Dos præferenda ſit omni creditori hypothecario anteriori hypotheca explicata? num.472. pag.100.

Dubium.

In Dubiis tutior pars eſt eligenda. n.542.p.107

Duellum.

Prouocans ad Duellum ſi prouocantem occidat tenetur reſtituere damna. n.238.p.77
Doctrina, qua Duellis, & certaminibus oſtium præcluditur. n.192.p.507

E

Eccleſia.

DEus nunquã ita deſerit Eccleſiam ſuam quin inueniantur idonei miniſtri ſufficienter ad neceſſitatem plebis. n.1357. p.347.348
In Eccleſia Dei ſemper fuit maxima cura vt in Cathedralibus eſſent Doctores, & Magiſtri,&c. n.1579. p.371.

Edictum.

Qua ratione inducat obligationem Edictum Epiſcopale manifeſtandi furem. p.35

Electio, Electior.

Si in conferendo ſuffragium ad alicuius Electionem, quem in confeſſione ſcio fore perniciosum Reip. aut Communitati Religioſæ, ſi eligatur ad officium, poſſum ex tali notitia ſuffragium negare. n.186.p.31
Elector ſi ſciat ſub ſigillo eſſe indignum eligendum; an poſſit, & teneatur ſuffragium illi denegare. n.1366. p.348
Vtrùm aliquando licita ſit Electio indigni non idonei, & approbatio eiuſdem examinatorum Synodalium. p.359
Duo valde aduertenda ab Examinatoribus Synodalibus, & ab Electoribus tam Beneficiorum curam animarum habentium ſæcularium,quàm Regularium. n.1486. p.360
Electio illius qui eſt in conſuetudine peccandi mortaliter, non eſt irrita ipſo iure. num.1505. pag.362.
An ſi quis ex malitia, errore, &c. oſtendat ſchedulam ſui ſuffragij alicui ex Electoribus, Electio ſit nulla ob defectum ſecreti, ſi electus vnico tantùm voto tuo alios oppoſitores vincat? n.1632. p.376.
Confirmator poteſt confirmare Electionem digni omiſſo digniore, imò ad hoc tenetur, & ſi nolit poteſt cogi à Superiore. 1644 p.387
An confirmator Electionis Regularium (qui non ſit Summus Pontifex) poſſit inconſulto Papa non confirmare electum dignum omiſſo digniore, caſſando eius electionem? num.1661. pag.389.
Electiones via ſcrutinij dupliciter fieri poſſunt. n.1676. p.390.
De reſtitutione facienda pro mala electione, aut approba

approbatione examinatorum. p.397
Electᵒr ſeu Beneficij Collator, &c. qui peccat mortaliter contra iuſtitiam diſtributiuam tenetur reſtituere ei cui damnum intulit, cuius recompenſatio pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. n.1753.p.397
Iudicium auctoris; Nunquam licitum eſſe Eligere indignum, ſeu omnino ineptum, cognitum vt talem ab Electoribus. n.1470.p.359
Peccatum mortale grauiſſimum eſt ex genere ſuo non Eligere, aut approbare digniorem, & aptiorem ad Beneficium. n.1512. p.363

Energumenus.

Energumeni, & Dæmoniaci qua ratione ſint irregulares. p.304

Epiſcopatus, Epiſcopus.

Epiſcopi, & Prælati Regulares & Electores an poſſint vti notitia habita in Confeſſione Sacramentali in ordine ad externum regimen? n.149 pag.24.
Sententia affirmatiua adducitur, & auctoribus, rationibuſque exornatur. n.149. p.24
Epiſcopus & alij Sacerdotes non regulares licitè poſſunt vti ſcientia habita in confeſſione in ordine ad regimen externum; iuxta opinionem probabilem. n.192. p.32
An Epiſcopi poſſint prohibere ſub peccato mortali, ne Tabacus ſumatur neque ante, neque poſt celebratam Miſſam. p.222
Vtrùm Epiſcopus poſſit limitare Dominis Examinatoribus Synodalibus numerum examinandorum in concurſu ad Parochialem? p.243
Nullomodo poteſt Epiſcopus determinare numerum oppoſitorum ad concurrendum in concurſu Parochialium. n.242. p.244
An ſit abrogata Epiſcopis poteſtas ad abſoluendum ab hæreſi occulta? p.313
Epiſcopus tenetur ſub mortali eligere digniorem ad beneficium curatum. n.1323. p.343
An liceat aliquando eligere in Parochum, vel Epiſcopum hominem notoriè improbum. p.347.
Epiſcopus eſt principalis cauſa in regimine Eccleſiæ, ad cuius imperium mouentur cæteri inferiores. n.1641. p.387
An tranſlatio Epiſcoporum ſit prohibita iure diuino naturali, an tantum Eccleſiaſtico? n.1593. pag.382.
Ex parte Epiſcopi eſt iure naturæ indiſſolubile vinculum inter ipſum, & Eccleſiam ratione voti ſolemnis, quod emiſit. n.1606. p.383
An Epiſcopus procedere poſſit ſine Adiunctis ad infligendam pœnam priuationis. p.418
Epiſcopus poteſt in criminibus procedere contra Canonicos vel tanquam Iudex delegatus Papæ; vel tanquam Iudex Ordinarius. n.1753.p.418
Epiſcopus poteſt procedere ſine Adiunctis ad infligendam pœnam priuationis Canonicatus illis qui non ſuſcipiunt Ordines ſuæ præbendæ annexos, ſi præmoniti eos non ſuſceperint. n.1755. p.418.
Canonicus ſi ſit Examinator Synodalis, & in ſuo officio delinquat poteſt ſolus Epiſcopus ſine Adiunctis contra illum procedere. num.1758. pag.418
Vtrum ſi Epiſcopo remittantur Bullæ in forma *Dignum*, vt examinet an Prouiſus ſit dignus, aut commiſerit Simoniam, ſi poſt datum decretum de poſſeſſione ante iſtam inueniat Simoniam commiſiſſe poſſit ſine Adiunctis procedere. pag.419
Epiſcopus an poſſit admittere ſuos familiares, conſanguineos, affines, &c. ad concurſum Parochialium, quæ in ſuis manibus reſignantur. n.1811. p.425.
Quæ pœna ſit imponenda Epiſcopis contrauenientibus conſtitutioni, &c. & ipſis Beneficia recipientibus. n.1812. p.426
An conueniens ſit, quod Epiſcopi ſint difficiles in celebratione ordinum? n.1823.p.427
Examen Dominorum Epiſcoporum. p.430
Quæ ſcientia debet magis ſplendeſcere in Epiſcopo an Theologia, an Canonum peritia. n.1842 pag.431.
Nunquid Epiſcopus Titularis, vel in aliena Diœceſi poſſit Regulares ordinare cum dimiſſoriis ſuorum Prælatorum? n.1849. p.432
Omnis ille qui habet poteſtatem Epiſcopalem, aut quaſi Epiſcopalem poteſt examen perficere, & approbationem ad audiendas ſuarum ouium confeſſiones. n.2022.p.445
An ſi Epiſcopus iniuſtè abneget licentiam Regularibus, poſſint nihilominus confeſſiones audire, quia in tali caſu Pontifex illis concedit iuriſdictionem: n.2127.p.464
Vtrùm Epiſcopus poſſit Regulares iam approbatos per examen iterum examinare, & ſi aptos non inuenerit reprobare? p.466
Nunquid Epiſcopus poſſit dare licentiam Sacerdoti ſibi ſubdito vt poſſit ſacrificare extra Eccleſiam in domo aliqua priuata, vel in loco decenti quem ipſe elegerit in ara conſecrata ſiue intra Diœceſim, ſiue extra illam. n.2183.p.473
Vtrùm Epiſcopatus ſit verum Sacramentum Ordinis? p.490
Epiſcopus nomen operis eſt, non honoris. n.44. pag.491.
In primitiua Eccleſia, Epiſcopi nomen promiſcuè attributum Sacerdotibus primi, & ſecundi gradus. n.45. p.491
Solus Epiſcopus Spiritum ſanctum tribuit in Confirmatione. n.49. p.491
Primis Eccleſiæ temporibus omnes Preſbyteri conſecrabantur Epiſcopi. n.56.p.492

Error.

Error ſi ſequatur ex vſu reſtrictionis mentalis nullo modo explicatæ per ſigna vocum exteriùs prolata, teneor ea non vti. n.86.p.49
Si Error iuris faciat malam fidem ciuilem, quæ obſtat ad præſcribendum in foro externo, tamen ſi ſit inuincibilis, & inculpabilis, compatitur cum bona fide canonica, quæ ſat eſt ad præſcribendum in foro conſcientiæ, & interiori. n.49. p.59

Euchariſtia.

An vltimo ſupplicio plectendis, Euchariſtia, & extrema vnctio ſit porrigenda. p.219
Adducuntur duo caſus in quibus poteſt Laicus non ieiunus recipere Euchariſtiam. num. 339. pag.217.
Primus cùm imminet periculum grauis irreuerentiæ ab Hæreticis. n.339. p.217
Secundus caſus eſt vrgentis infirmitatis, quando pro viatico infirmus recipit. n.340.p.217
Vtrum ſit popularis error ſumere laicum Euchariſtiam pro animabus Purgatorij. num.557. pag.557.

Examen, Examinator.

Concilium Tridentinum quid decernat circa qualitatem

litatem Examinatorum Synodalium. num. 60. p.229.

An recta, & valida ſit electio alicuius Examinatoris dicendo, eligimus Priorem S. Dominici, aut Guardianum S. Franciſci, non nominando perſonam, ſed ſolùm officium, itaut quicumque illud poſſideat ipſo facto ſit Examinator Synodalis. n.65.p.229

An ſi ſit aliquis laicus ſæcularis vir inſignis litteraturæ, & in iure Canonico Doctor, vir prudens, &c. & non ſit Clericus, an, inquam poſſit eligi Examinator Synodalis? num.65. pag.229.

Examinatorum Synodalium duratio. num. 70. pag.229.

Si nulli Examinatores Synodales in Synodo electi ſuperſtites ſint, poteſt Epiſcopus cum approbatione Capituli eligere nouos, non pauciores quàm ſex, de quibus eligat ad minus tres ad prouiſionem parochialis Eccleſiæ, quorum officium expirat adueniente tempore celebrandi nouam Synodum. n.72. p.229

Iuramentum præſtandum ab Examinatore Synodali, an ſit de ſubſtantia, & forma examinis. n.92. p.231.

An ſi cum Examinatoribus Synodalibus adhibeatur alius non ſynodalis, vitietur concurſus, itaut alius non ſynodalis, vitietur concurſus, itaut omnes actus ex illo pendentes ſint irriti, n.104. p.232.

Vtrùm examen ſit ſubſtantialis forma in prouiſione Parochialis Eccleſiæ. p.233

Examen factum à tribus examinatoribus Synodalibus coram Epiſcopo, vel eius Vicario in concurſu ad quem ſint vocati oppoſitores per edictum eſt forma ſubſtantialis reſpectu prouiſionis faciendæ de Eccleſia Parochiali iuriſdictionem ordinariam habente. n.115.p.233

An ſi ſit notorium quòd aliquis eſt idoneus ſcientia, ætate, prudentia, & moribus, cæteriſque requiſitis, cum illo ſit neceſſariò obſeruanda forma Examinis à Tridentino inducta reſpectu Eccleſiæ Parochialis. n.132.p.235

Sententia Auctoris, neceſſariò eſſe Doctorum Examen faciendum ab Examinatoribus Synodalibus, quamuis ipſis, & omnibus notoria ſit idoneitas illorum. n.140.p.236

Nullum Examen requiſitum vigore Concilij Tridentini fieri poteſt niſi ab Examinatoribus Synodalibus. n.151.p.236

Hoc tenet verum etiam ſi aliquis ſit præſentatus à Patronis laicis ad Eccleſiam Parochialem, de iure patronatus laicorum. n.155.p.237

Duplex Examinatorum Synodalium examen; vnum ſimplex: Alterum per concurſum. n.156. pag.237.

Vtrùm reiectus ſemel, & reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus poſſit iterum admitti ad examen? p.239

Examinatores largi debent eſſe in approbatione Regularium, tam ad Ordines, quam ad audiendas confeſſiones, & cur? n.206.p.240

Non tenentur Examinatores Synodales de omnibus examinare per ſeipſos immediatè, ſed per ſe; vel per Ordinarium cui ſe remittunt.n.232. pag.242.

Si diſtantia, & temporis intercapedo multa ſit inter primum Examen, & prouiſionem Parochialis, neceſſarium eſt nouum examen. num.247. pag.245.

Vtrùm Examinatus, & prouiſus ab Ordinario poſſit à ſucceſſore iterum examinari. num.262. pag.247.

Vtrùm ſi Examinatores Synodales legitimè non examinauerint, prouiſio Parochialis ſit nulla, & irrita? p.248

Vtrùm Examinatores Synodales teneantur ſui Officij rationem reddere in Synodo. p.251

An Synodus Diœceſana poſſit rationem exigere ab Examinatoribus Synodalibus, & illos, ſi culpabiles ſint punire? n.305.p.251

An ſi Examinator pro examine ad Ordines aliquid acceperit, teneatur dare rationem in Synodo, tanquam infectus vitio ſimoniæ. num.306. pag.251.

An ſi quis Examinator, vt amico gratificaret, quædam inter examinandum dixit in fauorem promouendi, &c. incurrerit pœnas latas in Concilio. n.307. p.251

An veniente die concurſus ad Parochialem poſſit aliquis Examinatorum alteri, ſcientia & prudentia prædito ſubdelegare examen faciendũ de ſcientia, & litteratura prouidendi.n.356. p.255

Ex quibus capitibus debeant Examinatores aliquem iudicare idoneum? p.356

Examinatores Synodales quomodo, ſi aliquid accipiant occaſione examinis, committant Simoniæ virium? n.27.p.326

Vtrùm Examinatorum Officium ſit proponere Epiſcopo digniorem ad Beneficium. p.340

Quàm neceſſarium ſit iudicium Examinatorum Synodalium in prouiſione Beneficij curati. n.1294.p.340.

An Examinatoribus ex officio competat proponere Epiſcopo quis inter examinatos ſit dignior, an verò ſolus Epiſcopus id faciat auditis votis examinatorum, qui renuntient qui ſint reperti digni? n.1303.p.341

Vtrùm in concurſu ſemper ſit præferendus dignior ab Examinatoribus, & Epiſcopo, ita vt electio de digno omiſſo digniori, ſit ipſo iure nulla. p.347

Vtrùm ſi Examinatores Synodales omnes, præter vnum, approbent indignum, poſſit iſte illum etiam approbare vt idoneum.

Quando Examinatoribus nota eſt ſubiecti indignitas, an iſti poſſint etiam approbare indignum, maximè ſi ex non approbatione aliquod notabile damnum timetur? num.1409. p.352. & 353.

An quando Examinator cognouit antecedenter aliquem indignum approbandum iri ab aliis poſſit vocatus non accedere ad examen? pag.354.

Alicui videri poſſet non improbabile quod ſi omnes Examinatores, ſeu maior pars ſufficiens ad electionem canonicam faciendam ſunt determinati ad eligendum indignum, poſſum ad euitandum notabile damnum concurrere non ſuffragio, non conſentiendo interius in eius electionem. n.1418. p.354

De iure communi in foro externo ille qui eſt diffamatus de aliquo crimine graui quod eſt notorium notorietate facti, validè approbatur ab Examinatoribus Synodalibus, & validè eligitur ad Beneficium curam animarum habens. n.1506.p.362. 363.

An ſi Examinator Synodalis ſit Canonicus in Eccleſia vbi ſunt adiuncti, poſſit Epiſcopus ſine illis cognoſcere, ſi officio ſuo deliquerit. p.405

Vtrùm

Vtrùm ſi Examinatores Synodales vnum dumtaxat approbauerint, vt idoneum cæteris oppoſitoribus excluſis teneatur Epiſcopus ſub mortali illi conferre Beneficium curatum? p.427
Examinatores Synodales ſi vnum dumtaxat approbauerint vt idoneum cæteris oppoſitoribus excluſis, an teneatur Epiſcopus ſub mortali illi conferre beneficium curatum? n.1817. p.427
Si Examinatores approbent aliquem ad ordines, & per ſcrutinium conſtet eſſe bonæ vitæ, ac legitimi thori, &c. teneturne Epiſcopus illum ordinare? n.1818. p.427
De Examine faciendo ad Beneficia ſimplicia, & quibus examinatoribus. p.428
An quando inſtitutio, præſentatio, nominatio, & electio pertinet ad inferiores examen faciendum ab Epiſcopo ſit de forma, itaut amitti non poſſit? n.1831. p.429
An hoc Examen debeat fieri ab Examinatoribus Synodalibus. n.1837.p.430
Examen Ordinandorum à quibus examinatoribus faciendum? p.431
Ordinandorum Examen à quibus Examinatoribus ſit faciendum? n.1843.p.431
Epiſcopus non tenetur ſibi adſciſcere Examinatores Synodales ad examen Ordinandorum. n.1844. p.431.
Examen ad confeſſiones audiendas à quibus examinatoribus perficiendum? p.433
Qui teneantur ſe examini ſubiicere ad audiendas confeſſiones. p.433
Semel Examinatus, & approbatus an poſſit ab Epiſcopo iterum examinari, & reprobari? n.2111. p.462.
Examinatores Synodales quomodo ſuffragari debeant an publicè vel ſecretò, per fabas nigras, & albas? n.2250.p.485

Excommunicatio, Excommunicatus.

Excommunicatum non poſſe eligi ad beneficium Eccleſiaſticum. n.954. p.308
Excommunicatus non poteſt eſſe oppoſitor ad beneficium in concurſu nec ad illum admitti. n.959. p.309.
An ſi excommunicatio ſit iniuſta faciat incapacem ad beneficia? p.310
Vtrùm Excommunicatus poſſit validè acceptare Beneficium, vel facere optionem? p.315

Expoſitus.

Expoſiti an ſint illegitimi, & incapaces ad ordines & beneficia. n.535.p.107
Adducitur ſententia Dianæ, dicentis non eſſe reputandos illegitimos. n.535. p.107
Filij legitimi rariſſimè exponuntur. n.544.p.108
Eſt quædam moralis certitudo quod Expoſiti ſint illegitimi. n.545. p.108
Vbi ſunt ſtatuta requirentia qualitatem nobilitatis Expoſiti non cenſentur in dubio facti habiles. n.546.p.108
Expoſitus cenſetur ciuis illius ciuitatis vbi exponitur. n.547. p.108
Expoſitus ſine diſpenſatione Pontificis non poteſt ſuſcipere ordines ſacros, & Beneficia retinere? n.548. p.108.
Excipe tamen ſi occultum ſit, quod aliquis ſit Expoſitus. n.549.p.108
Expoſitus ſi legitimetur à Pontifice eſt habilis ad omnia. n.550.p.108
Expoſitus diſpenſatus ad habendum beneficium curatum, cenſetur diſpenſatus ad ſacros ordines. n.551.p.108
Expoſitus ſi legitimetur à Principe ſeculari ſolum habilitatur ad Officia ſecularia, non verò ad Eccleſiaſtica. n.552. p.108
Illegitimus vel illegitima ex vi Expoſitionis, quamuis ſint irregulares, ex Religionum priuilegiis poſſunt diſpenſari. n.553. p.108
Expoſiti habentur pro liberis, & non pro ſeruis. n.564. p.110.
Expoſitus, vel quilibet alius illegitimus bona fide habens beneficia præſcribere poteſt, per regulam *de triennali poſſeſſore.* n.568.p.110

F

Fallacia.

FAllacia, & mendacium idem dicuntur. n.34. pag.41.

Fama.

Tenemur iure naturæ Famæ proximi proſpicere. n.90. p.13.

Fides.

Si quis interrogatus ab infideli, an eſſet Chriſtianus, & coram aliis reſtrictione mentali omnino interna vteretur, taliter quod ex locutione interiori omnes circunſtantes aduerterent ſe negare Fidem, peccat contra fidei confitendæ præceptum. n.87. p.49
Fides bona ciuilis dicitur, quæ legibus ciuilibus concordat. n.38.p.57
Fides mala ciuilis quænam dicatur? n.41.p.58
Fides mala canonicè, quæ? n.42.p.58
Fideicommiſſum ſic dicebatur, quia olim pendebat ex fide hæredum. n.199.p.73

Filia.

Filia non tenetur denuntiare patrem ſolicitantem in confeſſione. n.208. p.34

Filius.

Filius tenetur reſpectu Patris, & Pater reſpectu filij in criminibus læſæ Maieſtatis humanæ, aut diuinæ. n.202.p.33
Filius tenetur denuntiare patrem Hæreticum quando eſſet dogmatizans, alios peruertens, &c. aliàs non tenetur. n.207. p.34
Filius tenetur patrem hæreticum denuntiare, quando ad id obligatur poſt factam diligentiam, vt ipſum reducat ad gremium Eccleſiæ. num.209. pag.34.
Filiusfamilias ſi damnum fecerit, non tenetur Pater damnum reſarcire. n.532.p.106
Qua ratione bona quæ filiusfamilias abſens à Patre lucratur, poſſit diſponere. p.116
An poſſit Filiusfamilias quod ludo acquiſiuit, ludo exponere? n.637.p.117
Filiorum illegitimorum duo genera. n.411.p.94
Filius illegitimus qua ratione poſſit cum mala fide ciuili præſcribere bona relicta à Patre? n.411. pag.94.

Finis.

Non quidquid opponitur Fini legis, opponitur pietati Chriſtianæ, ad quam ordinatur præceptum. n.3.p.175

Fratres Minores.

Fratres Minores capaces ſunt vt ipſis relinquantur annui redditus, nec hoc eſt contra ipſorum ſtrictiſſimam paupertatem Euangelicam. n.905. pag.143.

Frater Minor de licentia ſui Prælati poteſt habere annuos redditus ad vſus licitos, & honeſtos. n.906. p.143.

Furtum.

Furtum qui tenetur manifeſtare, quod iubetur per edictum generale reuelare ſub pœna excommunicationis, vltra peccatum, & excommunicationem quam incurrit, tenetur reſtituere damnum parti læſæ, &c. n.75.p.11

Fur nullo modo præſcribit cum ipſe ſemper ſit poſſeſſor malæ fidei canonicæ. n.208.p.74

G

Gabella.

GAbellæ iuſtæ debentur in conſcientia. n.163. pag 69.

An cum mala fide ciuili ſit Gabellarum præſcriptio. pag 69

Gabellæ an debeantur in conſcientia, ſi ab exactoribus non petantur? n.173.p.70

Sententia affirmatiua quos habeat auctores, quo nitatur fundamento, & qua ratione firmetur. n.173.p.70.

Sententia affirmatiua quos habeat auctores, quo nitatur fundamento, & qua ratione firmetur. n.174. p.70.

Contraria ſententia quæ aſſerit non teneri in conſcientia, valde probabilis, exornatur multis auctoritatibus, & rationibus roboratur. n.175. pag.71.

Vtrum cum mala fide ciuili poſſit eſſe Gabellarum præſcriptio in vtroque foro. p.72

Qui non ſoluit gabellam etiam tranſacto tempore à lege ſtatuto, non eſt ſecurus in conſcientia, ſed tenetur ſub mortali reſtituere, itaut nullo tempore currat præſcriptio in foro animæ, &c. ex ſententia Guttierez. n.189. p.72

Aliud dictum eiuſdem. n.190. p.72

Si quis occultè, & ſecretò tranſuehat merces, & eas vendat, non tenetur ſoluere Gabellas, niſi petantur, & etiam valdè probabile eſt quòd præſcribat intra tempus à lege taxatum. n.198. pag.73.

Generalis.

Generalis, & Prouincialis an teneantur amouere alios ſuperiores amouibiles, ſi ſciant illos habere occaſionem proximam peccandi. n. 161. pag.26.

Graduatus.

An Graduatus in aliqua vniuerſitate, v. g. Pariſienſi, vbi examinantur Doctores præuio rigoroſo examine, vt requirunt Summi Pontifices, ſi poſteà incorporetur in aliqua vniuerſitate Caſtellæ, ſit habilis ad concurſum horum Canonicatuum ex vi huius incorporationis. n.1612 pag.374.

Nunquid ſi aliquis ſit Doctor Graduatus per Vniuerſitatem Hiſpalenſem, &c. ſufficiat, vt ſit habilis ad concurſum horum canonicatuum? n.1620. p.375.

H

Hæres.

HÆres poteſt componi vel ſibi applicare legatum, ſi grauem patiatur neceſſitatem. n.360. p.89.

Hæreticus.

Reprimitur Hæreticorum inſolens petulantia contra Doctores Catholicos. p.38

Hæretici ipſo facto ante ſententiam declaratoriam amittunt bonorum dominium. num.686 pag.573.

Herba.

Herba cuius maximus vſus eſt in Peru. num.138. pag.199.

Hermaphroditus.

Hermaphroditi ſi in illis magis vigeat ſexus fœmineus, vel æquè vigeat cum virili prorſus irregulares ſunt, & incapaces Beneficij, & dignitatis Eccleſiaſticæ, &c. n.927. p.306

An ſi in Hermaphrodito magis vigeat virilis ſexus, ſit irregularis, & incapax Beneficij. n.931. pag.306.

Homicida, Homicidium.

Homicidium etiamſi publicum ſit, teſtis non poteſt manifeſtare occiſorem, ſi eſt occultus. n.106. p.17.

Homicidam iniuſtum teneri reſtituere damna, & & intereſſe certiſſimi iuris eſt. n.223. p.76

An quis poſſit præſcribere, tuta conſcientia huiuſmodi debitum ex homicidio? n.224. p.76

Et quid ſi occiſus occiſori remittat omne debitum? n.229. p.76.

An homicida teneatur ad reſtitutionem faciendam propinquis occiſi à quo accipiebant alimenta ad vitæ ſuſtentationem. n.231. p.76

Si quis non præuideat damnum illatum vxori, filiis aut parentib. occiſi, an teneatur ad reſtitutionem? n.234. p.77

Homicida ſi aduertens ad damnum creditorum, licèt non eo animo vt ipſi damnificentur, occidiſſet, an teneatur creditoribus reſtituere. n.236 pag.77.

Homicida præſcribit ſi amicus, propinquus, creditor, aut familiaris occiſi tempore à lege præſcripto non petant debita in foro conſcientiæ n.237.p.77.

I

Ieiunium.

CHocolate, & vinum an Ieiunium frangant, ſi ſumantur ea intentione vt nutriant? affirmatiua ſententia ponitur, & tribus fundamentis ſtabilitur. n.143.p.186

Definitio Ieiunij naturalis traditur, & explicatur. n.47. p.192.

Verba S. Thomæ ad propoſitum adducuntur. n.50 pag.192.

Differentia inter Ieiunium naturale, & Eccleſiaſticum, quæ? n.53.p.192

Cur ieiunium ad ſacram communionem requiſitum, dicatur naturale? n.55.p.192

Præceptum Ieiunij naturalis ad S. Communionem prohibet actum exteriorem voluntarium ſumendi aliquid ore ad comedendum, aut bibendum. n.58. p.193

Duo Ieiunia naturæ. n.58. p.193

Ieiunium naturale quando incipiat? n.66. p.194

Quando in aliquo loco diuerſa horologia ſunt, quomodo iudicandum de medietate noctis à qua incipit Ieiunium naturale? n.79. p.194

Si Ieiunium naturale à media nocte incipit poſt completam duodecimæ pulſationem, quando

do communicari, & Missa celebrari poterit? n.89. p.195.
Vtrùm succus Tabaci masticati frangat Ieiunium Quadragesimæ, & similium? p.199
Ieiunium naturale ad hoc vt frangatur, an requiratur nutritiuum esse id quod comeditur? n.242 pag.209.
Quodcunque ore voluntariè sumatur, & in stomachum traiiciatur masticando, vel deglutiendo, Ieiunium soluit naturale, & sacram prohibet communionem, taliter quod sic communicans mortaliter delinquat. n.247.p.209
Quid dicendum de reliquiis ciborum, quæ inter dentes remanent, si quis aduertenter eas transglutiat? n.256.p.210

Illegitimus.

Illegitimi inhabiles sunt, & irregulares ad Beneficia, & Ordines suscipiendos. n.485.p.265
Generalis regula. Omnis natus ex legitimo matrimonio legitimus est, & omnis qui nascitur ex copula illicita fornicaria est illegitimus. n.487. pag.266.
Quis possit dispensare in irregularitate ista Illegitimationis? *Illiteratus.* n.520.p.268
Illiterati sunt incapaces beneficij. n.443. p.262
Quis dicatur litteratus; quisve Illiteratus. n.460. pag.263.
Notandum circa prouisionem Parochialium in ignaris, & Illiteratis. n.467. p.264

Impedimentum.

Impedimentum si oritur ex delicto, nisi præcedat infamia nō potest quis illud propalare. n.96.p.14

Indicia.

Indicia vt sint manifesta multæ circunstantiæ requiruntur. *Infamia.* n.44.p.7
Non est necessaria infamia quando proceditur via accusationis, aut denuntiationis Euangelicæ. n.92. p.14.

Infirmitas, Infirmus.

Infirmis an post acceptum Eucharistiæ viaticum, & ablutionem possint porrigi reliquiæ quæ remanserunt, &c. n.281. p.212
Infirmus an si commodè valeat suscipere ieiunus Eucharistiam, ad id teneatur? n.341.p.217.218
Infirmitas an sit sufficiens, & rationabilis causa, vt Episcopus possit oratorium concedere ex vi Tridentini? n.2200. p.476

Innocens.

Innocens probatus nocens in foro externo, est prorsus inhabilis ad beneficia, & ad concursum Parochialium, &c. n.976.p.311

Inquisitor.

Inquisitores in crimine hæresis, nec iudices sæculares pro crimine læsæ Maiestatis, possunt reis vt eruant veritatem, absolutam immunitatem promittere. *Intentio.* n.96.p.51
Intentio mente retenta, nec parti expressa, nihil operatur in humanis contractibus. n.109.p.53

Interdictum.

Interdictum quid? n.1061. p.317

Irregularis, Irregularitas.

In dubio facti an quis sit Irregularis, irregularis censendus est in foro animæ. n.541. p.107
Irregularitas ex defectu natalium tollitur, non solùm per professionem, & per ingressum ad annum nouitiatus, sed etiam per ingressum ad educationem. n.558. p.109
Licet quis careat potentia ad videndum in oculo dextro, si tamen illum habeat integrum non manet Irregularis: secus tamen si illum habeat erutum, aut oculus canonis careat lumine visorio. n.809. p.295
Corporis ineptitudo, quæ Irregularitatem inducit, reddit hominem incapacem ad Beneficium obtinendum non solum licitè, sed validè. n.749 pag.289.
Corporis ineptitudo vt Irregularitatem inducat, requiritur quod scandalum generet in celebrante. n.750. p.289
Regula generalis. Defectus, aut vitium corporis inducens Irregularitatem inducentem incapacitatem canonicam est ille qui impedit vsum, & exercitium Ordinis, vel notabilem inducit deformitatem. n.753. p.290
An si quis dando operam rei illicitæ fuit causa quod ab eo membrum abscindatur, fiat Irregularis? n.779. p.292
Regula vniuersalis: Quicumque Irregularis dispensatus ad Ordines, vel ad exercitium eorumdem, est dispensatus ad obtinenda quæcumque Beneficia. n 802.p.294
Obsessi à Dæmone, Irregulares sunt ad Ordines suscipiendos, vel ad eorum exercitium. n.911. p.304. 305.
Quid sit Irregularitas. n.1061.p.318
An non solùm incurratur Irregularitas quando violatur suspensio censura, sed etiam quando violatur suspensio quæ est pura pœna? n.1109 pag.322.
Irregularitas duplex, vna prouenit ex delicto; altera ex defectu. n.1143. p.325

Iudex.

Si Iudex periculum imminens Testi aduertat, non potest in conscientia eum interrogare. n.69.p.11
Iudex, quando quis est diffamatus de vno crimine, potest iustè inquirere de aliis criminibus eiusdem speciei, etiam si habeat circunstantias sacrilegij, & similium mutantium speciem. n.98. p.15.
Dominus quando inuenitur occisus, etiamsi non præcedat infamia potest Iudex inquirere contra seruos, & testis tenetur veritatem propalare. n.97. p.15.
Iudex non potest absque infamia delinquentis contra ipsum procedere speciali inquisitione. n.91. pag.14.
Iudex peccat contra iustitiam, qui interrogat de sociis & de criminibus occultis, de quibus non præcessit infamia. n.116.p.18
Iudices sæculares pro crimine læsæ Maiestatis, possunt reis, vt eruant veritatem, absolutam immunitatem non promittere. p.51
Iudex an possit componi de bonis acceptis pro ferenda sententia? n.361.p.89

Iuramentum.

Vtrùm Iuramentum præstandum ab Examinatore Synodali sit de substantia, & forma examinis. pag.231.

Ius.

Ius canonicum derogat leges ciuiles de præscriptionibus, quatenus videntur fouere peccatum. n.249. p.178.

L

Laicus.

IN quibus casibus possit Laicus non ieiunus recipere hoc Sacramentum Altaris. p.217

Latro.

Latronis hæres an possit præscribere rem furtiuā, aut

aut affectam vitio reali. n.211. p.74

Legatarius, Legatum.

Legatum est donatio à testatore relicta, & ab hærede præstanda. n.199. p.73

Vtrùm Legatum possit quis cum mala fide ciuili, iure canonico stante in conscientia præscribere. pag.73.

A die mortis testatoris rei legatæ in particulari pertinere ad Legatarium dominium fictum. n.200. p.73.

A die aditæ hæreditatis, ad Legatarium pertinet dominium verum, absque aliqua rei legatæ traditione, etiamsi legatarius ignoret sibi legatum relictum, aut aditam esse hæreditatem. n.200. pag.73.

Secundum leges Castellæ legatario acquiritur verum dominium rei legatæ à die mortis testatoris. n.202. p.74

Vtrùm prius sint soluenda debita, quam Legata, etiam pia. p.102

Legatus.

Legatus à latere an possit conferre Beneficium Parochiale sine concursu, & examine? num.1804 pag.424.

Non potest quis pro parte esse Legitimus, & pro parte illegitimus. n.568.p.273

Legitimatio duplex, vna à iure, altera ab homine. n.576. p.273.

Legitimandus debet esse subditus legitimantis. n.580. p.274.

Nunquid Princeps siue sæcularis, siue Ecclesiasticus possit filium suum Legitimare? num.582. pag.274.

Filius laicus alicuius Clerici potest à Principe seculari Legitimari quoad successionem in bonis paternis, & quoad dignitates & officia ad quæ legibus ciuilibus erat inhabilis. n.587.p.274

Princeps non potest Legitimare filium ad successionem paternam sine consensu ipsius Patris, & filij. n.592. p.275

Filij illegitimi naturales, qui geniti sunt ex parentibus solutis, inter quos non erat impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium Legitimantur matrimonio secuto. numero. 596. p.275.

An Filij contradictio obstet legitimationi ex matrimonio? n.604. p.276

An si dispensatio non fiat in radice possit Pontifex Legitimare filium illegitimum ad ea quæ iure ciuili sunt illi prohibita? n.641.p.279

Cùm filij ex subsecuto Matrimonio, verè & propriè Legitimi sint, non à rescripto Principis, sed à iure sit, quòd ipso iure succedant in maioritatibus, quantumuis magni sint, &c. n.650 pag.280.

Filij huiusmodi absque alia noua dispensatione sunt habiles ad Ordines, etiam maiores, ad omnia beneficia, dignitates, curam animarum, & Episcopatus. n.660. p.281

Sixtus V. statuit quod ad Cardinalatus dignitatem nullus ascendat, qui non sit ex Legitimo Matrimonio natus, quamuis sit factus legitimus ex subsecuto Matrimonio. n.661. p.281

Principes qui possint originem rescripto suo Legitimare? remissiuè. n.676. p.282

Quid sit Legitimatio, & quotuplex? remissiuè. n.677. p.282.

Quid requiratur vt Legitimatio per rescriptum sit valida, & quæ qualitates eius qui legitimatur sint expressendæ. n.748.p.289

Lex.

Leges de pauperie, & noxa illata an sint pœnales? n.519. p.105.

Qui Doctores affirment. n.105

Leges correctoriæ cùm sint odiosæ, strictè sunt interpretandæ. n.12.p.55

Lex limitari debet iuxta causam finalem, & rationem quam habuit legislator, cùm ratio legis sit ipsius anima. n.14. p.55

Lex Canonica, & Ecclesiastica respicit primario forum animæ. n.40.p.58

Leges quæ determinant ordinem restituendi seruandæ sunt in foro animæ. n.464.p.99

Liber.

Liber cuiusdam Hæretici, in quo reprehenditur praxis & vsus Catholicorum circa restrictionem mentalem, &c. n.2. p.38

Licentia.

Licentia implicita Superioris sufficit, vt subditus possit vti Bulla Cruciatæ. p.156

Locutio.

Locutio nostra debet esse significatiua præcisè, vt exteriùs prolata, non quatenus interiùs restricta, restrictione omnino interna, &c. n.67.p.46

Lucrum.

Lucratus bona fide ab eo qui non poterat perdere, & sic cognita veritate, tenetur restituere quod lucratus est, potest non soluere id quod expendit in chartis, lucernis, dulciariis conditis, & in aliis donationibus factis, &c. n.690. p.120. & 121.

Qua ratione possit Lucrari qui alium importune ad ludendum traxit. p.121

Ludus.

An qui ab iniquo Lusore largitionem accepit, vulgo *Barato*, ex pecunia falsis aleis lucrata teneatur restituere. p.104

Ludus est contractus, quo ludentes res suas periculo exponunt propter spem acquirendi rem alterius. n.573.p.110

Leges ludum prohibentes an hodie obligent? n.574 pag.111.

Ludi contractus iure naturæ non est illicitus. n.576 pag.111.

In Ludo si quis aliquid lucretur à pupillo, tenetur restituere in foro conscientiæ. n.612. p.114

Ex eo præcisè quod quis Ludat cum pupillo ludo prohibito, per leges non est obligatus ad restituendum. n.642. p.117

Minor qui habet bona castrensia, vel quasi, potest ea Ludo exponere. p.117

Filiusfamilias si habeat bona castrensia vel quasi castrensia, potest de illis in quacumque quantitate ludere. n.631. p.116

Si quis sui iuris existens Ludat cum pupillo, minore, & aliis qui alienare non possunt, sciátque hos esse incapaces contrahendi, si isti lucrentur non tenentur restituere. n.652. p.118

Qua ratione ille qui Ludit credito teneatur restistituere. p.119

Qui in ludo perdit pecuniæ summam credito, ludis prohibitis, nec Iure Cæsareo, nec Castellæ tenetur soluere ex vi contractus, & accipiens tenetur restituere. n.666.p.119

Si quis ludat pecunia credita, & alter colluſor pecunia præſenti, ſi ille non habeat animum dandi quod pecunia credita perdiderit, tenetur reſtituere, quod de pecunia præſenti lucratur. n.676. p.120.

Quid dicendum de eo, qui alium importunè ad Ludendum attraxit, ſi ipſe ſic attrahens lucretur? n.682. p.121

Caſus recenſentur in quibus eſt peccatum mortale Ludere: n.695. p.122

Primò, ſi quis Ludat magnam quantitatem, ex quo ſequitur damnum notabile, v. g. filiis, vxori, creditoribus. p.122

Secundò, ſi quis aſſuefactus eſt fraudulenter Ludere, periurare, & blaſphemare. n.696.p.122

Tertiò, ſi ludant illi, qui non ſunt ſui iuris. n.697. pag.122.

Quartò, ſi adſit ſcandalum. p.122

Quintò, repræſentationes, & ludi theatrales, qui extra Eccleſiam ſunt impediti. n.697.698.p.122

Sextò, in Hiſpania Ludere taxillis eſt peccatum mortale. n.699.p.122

Septimò, perſonæ Eccleſiaſticæ peccant mortaliter ſi ludis prohibitis deſeruiant. n.701. p.123

Scholaſtici Salmantini peccant mortaliter, & ſunt excommunicati ludentes vltra duos argenteos, contra præceptum latum à Magiſtro Scholarum ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. n.706.p.123

Clerici, & Religioſi inſpicientes Ludos fortunæ prohibitos non peccant mortaliter. num. 707. pag.123.

Qui vouit non Ludere cum determinata perſona, &c. non tenetur voto, qualiter. p.128

Si quis vouit non Luſurum ſub pœna centum aureorum; ſi poſtea immemor voti ludat, non tenetur ſoluere pœnam. n.777. p.130

An liceat tenere domum expoſitam Ludo? n.784. pag.130.

In legibus ciuilibus graues pœnæ imponuntur huiuſmodi receptatoribus ludentium, vt quòd verberentur tempore ludi à ludentibus. n.788. pag.131.

Sed hoc contraria conſuetudine eſt abrogatum. n.789. pag.131.

M

Magiſter.

MAgiſtri, & Doctores tenentur non vti reſtrictionibus mentalibus, æquiuocationibus, &c. ex quibus diſcipuli poſſint haurire errorem contra fidem, &c. n.90. p.50

Malefactor.

Non eſt contra bonum publicum, quod Malefactores occulti non puniantur. n.110.p.17

Mandatarius.

Mandatarius an teneatur propalare eum ex cuius mandato aliquem occidit. n.99. p.15

Maritus.

Ad Maritum pertinet libera omnium bonorum adminiſtratio. n.933. p.145

An Maritus viuente vxore, iſta viuente, cui debetur dimidia pars bonorum lucratorum, poſſit contractum facere, & donationes etiam ſuperfluas, & eleemoſynas. n.933. p.145

Maritus ſine licentia vxoris poteſt facere donationes improprias, quales ſunt remunerationes, aut eleemoſynæ ad quas tenetur vel ex voto, vel ex miſericordia. n.947. p.147

Si maritus hominem necet, & vt liberetur neceſſum eſt cum parte ſe componere, vel aliquid expendere ad ſui libertatem, hoc poteſt fieri ex bonis communibus. n.948.p.147

Maritus ſi haberet patrem, & matrem qui indigerent, poteſt illos competenter alimentare de bonis communibus. n.949.p.147

Maritus an poſſit dotem conſtituere filiæ prioris matrimonij. n.950. p.147

Maritus inconſultâ vxore poteſt debita condonare. n.951. p.147.

Maritus poteſt ſine conſenſu vxoris, in piam cauſam facere donationem exceſſiuam, vt eſt conſtructio, & ædificatio Capellæ, illius dotatio, & inſtitutio. n.958. p.148

Mater.

Mater an neceſſitate compulſa poſſit vendere filium. n.290. p.32

Mendacium.

Mendacij ratio formalis vnde colligatur. num.26. pag.40.

In quo conſiſtat Mendacij malitia? p.40

Mendacium veniale in confeſſione Sacramentali, ſi committatur in tota materia confeſſionis, lethale eſt. p.52

Mendacium nullo caſu licitum eſt, etiam pro redemptione totius generis humani. n.21. p.39

Miles.

Miles quòd ſolùm teneatur ad cuſtodiendum murum ex pacto. & pecunia accepta, aſſerere, eſt omnino falſum. n.57. p.9

Mineralia.

Philippus II. ſtatuit omnia Mineralia eſſe Regis vbicumque exiſtant, apptoprians ſibi dominium omnium venarum auri, argenti, &c. n.388. p.91.

Miſſa.

An quis ex iuſta cauſa Miſſam poſſit celebrare ante crepuſculum diei itaut finiatur Miſſa, dimidia ante crepuſculum hora 2. n.90. p.195

An ſit licitum Miſſam celebrare non ieiunus ad præbendum alteri viaticum? n.293.p.213

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Sacerdos celebrare ſacrificium Miſſæ in Oratoriis ſemel approbatis ab Epiſcopo? p.472

An quando adeſt neceſſitas, ſit opus petere ab Epiſcopo licentiam, vt celebretur Miſſa extra locum deputatum? n.2203.p.477

Moniales.

Moniales Ordinum Militarium facientes tria vota ſolemnia, verè comprehenduntur Vrbana Bulla, neque vti poſſunt Cruciata. n.86.p.158

Mulier.

Mulier an poſſit exponere ludo, & aliter expendere etiam in magna quantitate, quæ habet inſcio marito, nimirum quæ ex adulterio lucrata eſt. n.624. p.115

N

Naufragans.

POntifices recenſentur qui varias edidere Bullas contra eos, qui naufragantium bona furripiunt. n.113. p.65

Vt incurratur prædicta excommunicatio, debet interuenire mala detentio, aut acceptio. n.116. p.65.

Tunc eſt peccatum mort. quando materia quæ furripitur notabilis eſt. n.117.p.65

Materia debet esse valoris duorum aureorum, ad hoc vt incurratur excommunicatio. n.118. p.65

In quibus casibus accipiens bona naufragantium, non peccet, nec excommunicationem incurrat. n.120. p.65

Surripiens bona naufragantium, suadens sibi ea esse derelicta à propriis dominis, nec peccans in eorum retentione, aut ablatione, potest ea vsurpare, & præscribere. n.124. p.65

Nouitius.

Magister Nouitiorum non potest negare suffragium Nouitio ad profitendum, motus ex notitia alicuius vitij, habita in confessione. n.188. pag.31.

O

Obligatio.

DVplex Obligatio, naturalis vna, & ciuilis altera. n.585. p.112

Discrimen inter vtramque obligationem, & vltra maiorem vim habeat. n.587. p.112

Occisus.

Occisus non potest in damnum suorum facere, neque in damnum suorum creditorum. n.239. p 77

Opinio.

Non potest esse certa Opinio, quæ decreto summi Ecclesiæ Pastoris expuncta est. n.25. p.5

Vnde sumenda probabilitas practica alicuius Opinionis. p.177

Oratio.

Oratio prout impetratoria non est tenuè mortuorum subsidium. n.619. p.565

Oratorium.

An si Summus Pontifex, aut eius Nuntius concedat propter causas, quæ sibi visæ sunt sufficientes, priuilegium ad celebrandum in Oratorio priuato domus si fuerit prius examinatum de decenti ornatu, & approbatum, si moriatur persona, aut alio diuertatur, maneat tamen Oratorium in eadem decentia ac antea, possit quilibet Sacerdos habens Bullam Cruciatæ in illo celebrare sine alia speciali licentia. n.2177 pag.472.

Vtrùm infirmitas sit causa rationabilis vt possit concedi Oratorium; p.476

Qualis & quanta debeat esse necessitas, vt possit concedi Oratorium? n.2197. p.476

Priuilegium habendi Oratorium an sit personale, quod sequatur personam; an reale, & affixum loco. n.2205. p.477

Oratorium semel approbatum an semper maneat approbatum, itaut virtute Bullæ possit quilibet in eo celebrare, vel facere celebrare sine noua licentia? n.2243. p.484

Oratorium potest erigi approbante Ordinario, 1. Transeunter propter necessitatem vrgentem, qua transacta locus Oratorij conuertitur ad prophana. 2. Potest approbari locus aliquis in Oratorium illum destinando ad cultum diuinum permanenter, ita quod nunquam transeat ad prophana. n.2244. p.484

Approbatio primario respicit personam cui concessum est priuilegium, & secundario respicit locum approbatum. n.2246. p.484

An sine alio priuilegio, is qui habet Bullam Cruciatæ possit in domo priuata erigere Oratorium, quod ab Episcopo designetur, & approbetur? n.2256. p.485

Ordinarius.

Quis sit Ordinarius qui potest, & debet examen perficere, & approbationem probare? p.445

Ordo.

Ordinati in sacris, tam sæculares, quàm Regulares, tenentur ferre testimonium, quando agitur de damno vitando, tam communi, quàm priuato. n.122. p.20

Non obstante Bulla Vrbana omnes Ordinum Militarium equites, etiam dum in Communitatibus viuunt, possunt vti Bulla Cruciata, quantum ad hunc effectum, vt eligant Confessorem qui eos absoluat à casibus reseruatis à suis Superioribus. n.79. p.157

P

Papa.

PApa tripliciter potest aliquem legitimare. n.679. p.283.

Paraphernalia.

Quid sub nomine Paraphernalium intelligatur? n.616. p.115.

Parochus.

Parochus, vel Beneficiarius qua ratione possint vti Bulla compositionis? n.357. p.88

Parochus si sciat in confessione pœnitentem esse indispositum, si iste secretò petat Eucharistiam, tenetur denegare, secus si in publico. n.358. pag.26.

Idem dic de Parocho respectu illorum qui volunt se coniungere matrimonio. n.159. p.26

An Parochus electus, sine examine ab examinatoribus Synodalibus facto in concursu teneatur in foro conscientiæ non acceptare Beneficium, & illud non retinere ante sententiam declaratoriam. n.121. p.234

Colligitur ex Concilio non esse simpliciter necessarium ad concursum respectu Parochialium quod conuocentur oppositores per publicum edictum. n.233. p.243

Eligendus in Parochialem bonis moribus debet esse ornatus. Cúmque bonos mores, hoc est virtutes morales regat prudentia, sine qua nulla est vera virtus, debet etiam vigere prudentia, quod amplius declaratur. n.425. p.260.261

Eritne licitum aliquando eligere in Parochum, vel Episcopum hominem improbum, & prauis moribus notoriè indignum, & diffamatum concubinarium, si aliàs non reperiatur alius idoneus ad ministranda Sacramenta? n.1354. p.347

Parochus an vt possit eligi virtute priuilegij ab aliis, quàm à suis ouibus, se debeat subiicere examini Episcopi, & eius approbationi: vel sufficiat quod habeat Beneficium Parochiale? n.1872. p.436.

Concilium solum concedit facultatem absoluendi ei qui habet Parochiale Beneficium respectu suarum ouium respectu quarum approbatus intelligitur. n.1873. p.436

Inter Parochum, & alium confessorem approbatum absolutè quantum ad idoneitatem in scientia, & moribus, etsi habentem limitatam iurisdictionem nullum discrimen constituunt Henriquez, Fagundez, &c. numero 1876.

An hodie post Concilium Trident. possit Parochus delegare Sacerdoti simplici, vt in Parochia suarum ouium confessiones excipiat? n. 2023. pag. 446.

In casu vrgentis necessitatis, vt quia sunt multi qui confiteantur, & Parochus fatigatus est, si non est facilis recursus ad Episcopum, potest delegare iurisdictionem Sacerdoti non approbato ab Episcopo. n.2029.p.447

Parochi an possint iterum examinari ab Episcopo. n.2158.p.469

Episcopi non possunt vocare omnes Parochos suæ Diœcesis ad examen de scientia, & litteratura, sed solum illos de quibus præcessit infamia probata in visitatione, aut notorietas de eorum insufficientia. n.2164.p.470

Patronus.

Patronus duplex, Ecclesiasticus vnus, & laicus alter. n.1629.p.286

Beneficia curam animarum non habentia non tenetur Patronus laicus sub mortali conferre dignioribus. n.1630.p.386

Patronus laicus non tenetur obseruare leges iustitiæ distributiuæ. n.1642.p.387

An si Patronus Ecclesiasticus non præsentet digniorem teneatur Episcopus dignum præsentatum instituere. n.1448.p.388

Paupertas.

Si quis sit verè indigens, propria auctoritate potest sibi bona incerta applicare. n.350.p.88

Regula generalis: In omnibus illis casibus in quibus aliquis potest vti indultis Bullæ compositionis circa bona aliena incerta, &c. potest titulo Paupertatis prudenter sibi applicare. n.351.352.p.88

Quæ Paupertas sufficiat ad huiusmodi applicationem. n.353.p.88

An extrema, vel sufficiat grauis. n.354.p.88

Peccatum.

Peccatum mortale est materia necessariò subdenda clauibus. n.102.p.52

Peculium.

Peculium tripliciter accipitur, & quibus modis. n.795.p.131

Possunt Superiores concedere Peculium ad quoscumque vsus indeterminate. p.135

Qualiter moderatum debet esse Peculium. n.136

Quinque causæ concedendi Religiosis Peculium enumerantur. n.840.p.136

Vtrum licentia habendi Peculium sit renouanda à Superiore de nouo intrante. p.137

An si Superior sine causa concedat Peculium tutus sit subditus in conscientia. p.137

Vtrum Religiosus habens Peculium si expendat in ludum, & alios vsus illicitos, lucrator, vel accipiens teneatur restituere. p.139

Pecunia.

Pecuniam incerti domini acceptam pro celebrandis Missis an possit quis componere per Bullam. n.367.p.89

Pignus.

An Pignus præscribi, & vsucapi possit à sciente esse alienum. p.67

Pœnitens, Pœnitentia.

Pœnitens an possit dare licentiam confessario reuelandi confessionem? n.136.p.22

Non tenetur Pœnitens ad sigillum Sacramenti. pag.23

Pœnitens mentiendo in materia totali Sacramenti, facit ipsum irritum. n.104.p.52

An confessio sæcularis Pœnitentis facta Sacerdoti non approbato hodie post Tridentinum valida sit? p.453

Si Pœnitens sit sæcularis omnino certum est inualidam esse confessionem factam Sacerdoti non approbato. n.2068.p.453

Limitatur præcedens doctrina, nisi in articulo mortis, in quo omnes Sacerdotes simplices possunt absoluere validè, & licitè. num.2068. p.458.459

Sacramentum Pœnitentiæ an possit esse informe, validum tamen. n.497.p.548

Quis effectus causetur à Sacramento Pœnitentiæ informi? n.513.p.554

Qua ratione Sacramentum Pœnitentiæ informe causet gratiam ablato impedimento explicatur. n.526.p.555

Pontifex.

Summus Pontifex potest Religiosis professis peculium concedere, & redditus annuos, siue in pensionibus, siue in beneficiis, siue in administratione, siue in vsufructu, &c. n.813.p.133

Pontifex habet plenitudinem potestatis ad legitimandum filios illegitimos ex coitu damnato prouenientes, etiam si matrimonium antecesserit nullum ex aliquo impedimento dirimente in quo possit dispensare. n.693.p.284

Vtrum Pontifex possit dispensare cum abstemio, vt in solo pane Sacrificium verum conficiat? p.299

Possessor.

An vt quis dicatur malæ fidei Possessor, sat sit si rem credat alienam, tamen non peccat mortaliter non restituendo ob rationes iustas sibi occurrentes, & à restitutione excusantes, &c. n.5.6.p.54

Quid sit malæ fidei Possessor. n.1.p.54

Possessor malæ fidei si absque peccato mortali non potest in conscientiæ foro præscribere, nec etiam potest retinere rem præscriptam possessor bonæ fidei, sed eam tenetur restituere adhuc transacto tempore præscriptionis eo ipso quòd sciat rem esse alienam. n.64.p.60

Vtrùm Possessor malæ fidei ciuilis pœnam à lege taxatam præscribat in conscientiæ foro. p.63

Potus.

Potus definitio. n.42.p.176

Potus triplex, naturalis, artificialis, & medicinalis, cuius triplex finis assignatur. n.49.p.176

Potus vocatur humidum nutrimentum. num.54. pag.292

Prælatus.

Prælatus Regularis non potest negare licentiam subdito ex notitia habita in confessione. n.189. pag.31

Prælatus potest ex notitia habita in confessione, interiùs magis aduertere, vt notatis aliis signis, ex ipsis sufficienter motus, possit licentiam negare. n.190.p.32

Prælatus Regularis potest concedere Religioso professo peculium ad quoscumque vsus indeterminatè, itaut possit in vita donare, & disponere quiduis in eos vsus, & eo modo, in quos, & quomodo ipse Prælatus posset disponere. n.825.p.135

Prælati qui vtuntur priuilegio Vrbano tenentur sub peccato se faciles præbere dando licentiam subditis vtendi Cruciata. p.160

Nunquid Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario. n.1166.p.327.328

An

An Prælatus Regularis Canonicè electus, vt possit audire confessiones sæcularium indigeat Episcopi examine,& approbatione. n.1868.p.435
Prælatus Regularis si vult vti Priuilegio Clement. id debet exprimere in dimissoriis,quas dat subdito, dum illud exponit; si autem illud non exprimat,censetur renuntiare priuilegio. n.2134. p.465.466

Præscriptio.

Primus titulus ad Præscribendum in iure positus, appellatur *Pro soluto.* n.28.p.57
Secundus titulus dicitur,*Pro emptore.* n.28.p.57
Tertius est,*Pro transacto.* n.29.p.57
Quartus,*Pro hærede.* n.29.p.57
Quintus,*Pro donato.* n.30.p.57
Sextus,*Pro derelicto.* n.31.p.57
Septimus,*Pro legato.* n.32.p.57
Octauus,*Pro dote.* n.33.p 57
Nonus titulus est,*Pro suo.* n.34.p.57
Decimus titulus,*Pro iudicato.* n.35.p.57
Afferuntur alij duo,ex Azorio. n.36.p.57
Possessor malæ fidei ciuilis an pœnam à lege taxatam Præscribat in conscientiæ foro. num.91. pag.63
Secundum ius canonicum esse iudicandum in ciuili in Præscribendis bonis hæreticorum, qui post mortem damnantur, &c. dicit Azor. n.91.p.63
Pœnam conuentionalem posse Præscribi, probatur auctoritate. n 92.p.63
Idem dic si pœna non sit conuentionalis,sed propter delictum alicui tertio,qui non sit fiscus,per sententiam applicata,&c. n.95.p.63
Pignus an Præscribi, & vsucapi possit à sciente esse alienum. n.135.p.67
Vtrum ius pacti dè retrouendendo aliquis Præscribere possit, quamuis cum mala fide ciuili. pag.68
Si vitium fuerit personale, vt mala fides precarij, depositi, & similium,si hæres sit singularis, & non vtatur occasione temporis sui auctoris malæ fidei,&c. præscribit Præscriptione longissimi temporis 30. vel 40. annorum, non verò longi 10.vel 20. n.215.p.75
Quando quidam est inhabilis ad dandum, aut qui recipit ad recipiendum, nulla currit Præscriptio in foro animæ, & iure canonico, nisi adsit ignorantia inuincibilis talis inhabilitatis. n.259.p.79

Praxis.

Praxis aliquorum locorum ne crimina maneant impunita,ex Bonacina. n.94.p.14

Princeps.

Principes tam Ecclesiastici, quàm seculares non possunt vti in saluis conductis, quos tribuunt hæreticis,aut aliis exteris nationibus,orationibus mixtis, aut restrictionibus mentalibus. n.97.p.51
Princeps potest statuere,quòd possessor malæ fidei præscribat transacto aliquo tempore. num.72. pag.61

Priuilegium.

Priuilegia Regularium quantum ad Oratoria priuata. p.480
Duplex horum Priuilegiorum genus. num.2221. pag.480
An hæc Priuilegia sint reuocata per Trident. n.2222.p.480
Proponitur difficultas circa primum horum Priuilegiorum genus. n.2225.p.840.841

Professio.

Non est Professio valida,si totus annus Nouitiatus peragatur extra Religionem. p.134

Pupillus.

De Minoribus, Pupillis, & Religiosis, quatenus contra ipsos potest esse præscriptio, ex rebus ludo acquisitis,vel aliis contractibus. p.110
Pupilli, & minores an ex contractu possint naturaliter obligari? n.577.578.p.111
Pupillus aut minor si tutorem aut curatorem non habent obligantur naturaliter ex contractu obligatione naturali stricta, imò & ciuiliter,&c. n.579.p.111
Non obligantur naturaliter ex iustitia in contractibus celebratis circa res immobiles,& pretiosas,& quæ seruando seruari possunt. n.583.584. pag.111
Pupillus si emisit votum, quousque irritetur à tutore,voto obligatur. n.591.p.112
Minus bene dixit Sanchez, Pupillum,& minorem posse tuta conscientia non soluere quod debet obligatione naturali iustitiæ. n.589.p.112
Pupillus si non petat recisionem contractus coram iudice, tenetur restituere, si obligatur obligatione naturali, orta ex debito legali. num.590. pag.112
Qua ratione Pupillus possit ludo exponere, quod ludo lucratus est. p.117
Contra Pupillum non præscribitur. num.658. pag.119
Si minor, aut Pupillus lucretur ab eo qui sui iuris est,non tenetur restituere. p.118

Purgatorum.

Non est tenue subsidium animabus Purgatorij in manducatione corporis Christi,prout est impetratoria. p.607.p.563

R.

Recusatio.

REcusatio cur introducta? n.1773.p.420
Regularibus, in illis casibus in quibus denegatur appellatio, denegatur etiam & Recusatio. n.1775.p.421
Princeps supremus absque grauissima causa non potest tollere remedium Recusationis. n.1776. pag.421
Qui non possint Recusari? Traditur Regula. n.1778.p.421
Circa hanc Regulam triplex difficultas. n.1779. pag.421

Regularis.

Regularibus nullomodo licet vti notitia habita ex præcisa confessione in ordine ad regimen regulare. n.172.p.29
An Regularis possit virtute Bullæ Cruciatæ in Regno Hispaniæ eligere confessorem ex approbatis ab Ordinario loci. p.151
Regulares virtute Bullæ Cruciatæ possunt eligere sibi Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad confitendum de non reseruatis, etiamsi peccata mortalia sint, & grauissima. n.78.p.157
Regulares quibus est intimata Bulla Vrbana, non possunt vti Cruciata. p 159
Non est improbabile adhuc suppositа Bulla Vrbani, quod Regulares virtute Cruciatæ possint eligere confessorem regularem eiusdem Religionis approbatum,qui possit absoluere à reseruatis. n.99.100.p.160

Index Rerum, & Verborum.

An ſi Regularis præſentatus Epiſcopo, iniuſtè iſte neget approbationem, negatio ſit inualida, itaut habeatur pro approbato, & poſſit fidelium confeſſiones audire? n.1883.p.438

An Regularis præſentatus & examinatus in vno Epiſcopatu teneatur præſentari, & examini ſe ſubiicere in altero vt poſſit in eo confeſſiones excipere ouium illius Epiſcopi? num.2006. pag.443

An Regulares vt poſſint vti priuilegio Iubilæi, & Bullæ Cruciatæ debeant confiteri approbato, & examinato per Epiſcopum? num.2066. pag.453

Si pœnitens Regularis ſit, poteſt Sacerdoti non approbato confiteri. p.454

An per Regulares, qui ſic poſſunt confiteri de licentia ſuorum Prælatorum, intelligantur Religioſi militares? n.2071.p.454

Regulares profeſſi an poſſint obligari ex vi Regulæ ad confitendum ſemel in anno Superiori ſuo peccata mortalia, etiam alteri Sacerdoti approbato confeſſa ritè, & rectè, vel intra Religionem, vel extra dum iter ageret? n.2102. pag.460

Regularibus non Epiſcopus, ſed immediatè Summus Pontifex concedit iuriſdictionem paſſiuam, & materiam circa quam iuriſdictio caracterica exerceatur. n.2112.p.462

Nunquid ſi Epiſcopus Regulares in ſecundo examine idoneos inueniat, & nihilominus iniuſtè eos reprobet poterunt Regulares audire Confeſſiones? n.2150.p.468

Vtrum Regulares indigeant approbatione ſui Prælati ad validè audiendas ſæcularium confeſſiones. p.469

Regulares poſſunt celebrare in cameris, & cellis particularibus ſuorum infirmorum ſiue ſint viri, ſiue fœminæ, dummodo iſtæ ſint illorum regimini ſubiectæ. n.2228.p.481.482

Regularis qui propter verum crimen ad carcerem eſt condemnatus, ſi illi imponatur præceptum quod non fugiat, non poteſt fugere, nec illi auxilium præſtari ad fugam. n.11.p.487

Religioſi.

Religioſi tenentur poſt factam correctionem fraternam teſtificari, aut denunciare illum qui alios ſollicitat ad peccandum. n.213.p.35

Religioſi ſubditi non tenentur denunciare delicta ſuis Prælatis, quando dubitãt, an iſti ſint aliquod remedium adhibituri, &c. n.216.p.35

Religioſi an poſſint habere peculium, duæ referuntur ſententiæ; Prima negat, ſecunda longè probabilior affirmat. n.794.p.132

Religioſi profeſſi ab initio naſcentis Eccleſiæ per votum paupertatis abdicauerunt à ſe non ſolum vſum, & vſumfructum rerum temporalium, ſed etiam omne dominium, & proprietatem. n.798. pag.132

Summus Pontifex poteſt peculium concedere Religioſis. p.133

Declaratur qualiter peculium Religioſorum debeat eſſe moderatum. p.136

Religioſus qui extra domum degit, vel ſtudij, vel negotiationis, vel peregrinationis, aut itineris cauſa, poteſt ludere, & qui illum lucratur non tenetur reſtituere. n.862.863.p.138

Si tamen ludus ſit illicitus non cenſetur Superior tacitè conſentire. n.864.p.139

Religioſus ſi ex his quæ ſibi mittuntur ad congruam ſuſtentationem aliqua ſibi ſubtrahat parcè viuendo, vel quia aliàs ab alio ſuſtentatur, poterit ea exponere ludo, nec lucrans tenetur reſtituere. n.865.p.139

An ſi Religioſus profeſſus cui conceſſum eſt peculium, aut facta facultas expendendi aliquam, etſi ingentem ſummam in quoſlibet vſus licitos, ſi tamen expendat in prophanos, & illicitos, verbi gratia, in ludo, in donationibus ob turpem vſum luxuriæ, &c. an, inquam, recipiens teneatur reſtituere. n.868.p.139

Religioſus habens peculium, aut facultatem expendendi in vſus licitos & honeſtos, ſi alicui cum qua habet actus turpes, & inhoneſtos aliquam quantitatem donet non in ſtipendium exercitij prohibiti, ſed ex motiuo honeſto; non eſt reus voti paupertatis, nec peccat peccato iniuſtitiæ; nec recipiens tenetur reſtituere. n.877.p.140

An expediat quod Religio habeat exemptiones aliquas quibus à grauaminibus aliquæ perſonæ eximantur? n.1638.p.406

Caſus ſingularis proponitur de Religioſo habente filium in concubina. n.917.p.144

Licèt voluntas tacita Superioris ſit ſufficiens, vt Religioſus donet in vita, tamen non ſufficit ad teſtandum, ad hoc enim requiritur expreſſa voluntas, & licentia Summi Pontificis. num.920. pag.144

Religioſus quamuis non poſſit pecuniam ludo expoſitam perdere, poteſt tamen à potente perdere lucrari, abſque obligatione reſtituendi. n.911.p.145

Vtrum votum ſimplex ex natura ſua faciat Religioſum. p.488

Vtrùm Religioſus qui adſtringitur voto ſolemni non admittendi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, poſſit Magiſterium, vel Doctorarum accipere in aliqua Vniuerſitate publica. p.498

Repræſaliæ.

Repræſaliæ an ſint licitæ, & præſcribi poſſint. n.438.p.97

An Rex Hiſpaniæ poſſit concedere repræſalias contra Gallos mercatores, qui in ſuis ciuitatibus degunt pacificè habitantes, merces ſuas diuendentes, &c. n.440.p.97

Rex Hiſpaniæ nullo modo poteſt præſcribere bona habita per repræſalias. n.446.p.97

Reſignans.

An reſignans, permutans, & dans in coadiutoriam debeant etiam facere reſpectu digniorum, an ſufficiant digni? n.1570.p.370

Reſtitutio.

Qui edicto generali ſub excommunicatione poſito non obedit in damnum tertij, tenetur reſtituere damnum. p.11

Vtrum ſi quis teſtamento ordinet, quod bona aliena Reſtituantur, ſi hæres ſciat aliqua à teſtatore bona fide canonica præſcripſiſſe teneatur reſtituere. p.93

Vtrùm prius ſit Reſtituendum quod maiori delicto ablatum eſt. p.102

Qui bona fide canonica pecunias furtiuas accepit, an teneatur Reſtituere Domino comparente, & exigente, & an poſſit illas præſcribere. n.498. pag.103

Si quis ab vxorata, etiam paraphernalia, lucretur tenetur Reſtituere. p.114

Si quis à pupillo aliquid lucratur in ludo tenetur Reſtituere. p.114

Si quis

Si quis ab vxorata, filiofamilias, & minore lucretur vnâ vice, vltra quantitatem quam licitè possunt perdere, tenetur totam Restituere. n.630. pag.116.
Qua ratione Restituendum sit quod ludo prohibito lucratur. n.117
Vincens si neget lucrum coram iudice, non tenetur Restituere. n.643.p.117
Qua ratione restituendum sit quod ludo prohibito lucratur. n.644.p.117
Valde probabilis est sententia quæ recipientes aliquid à Religiosis ob turpem actum, vel ab eis ludo etiam prohibito lucrantur, etiam summam notabilem, excusat à Restitutione. n.880.p.141
Qui accipit à commendario S. Ioannis, etiam ob turpem causam non tenetur Restituere. p.144
Si quis lucratur aliquid quod est proprium serui, non tenetur Restituere Domino. p.149

Restrictio mentalis.

Vtrùm secundùm se ea oratio quæ falsa erat sine Restrictione mentali, possit esse vera apposita tali restrictione mentali pura, itaut externo signo neque implicitè, neque explicitè talis restrictio denotetur, & sic à mendacio, & cordis duplicitate sit libera? adducitur sententia affirmans multis rationibus munita. n.42.p.43
Vt quis loquatur verum cum proximo suo non sufficit quod Restrictione mentali corrigat verbum falsum, si hæc correctio proximo nota non sit aliquo modo. n.69.p.47
Quibus titulis obligemur ad non vtendum Restrictione mentali. p.48
Bonum commune ciuile, & hominum societas exigit vt quilibet interrogatus teneatur respondere secundum interrogantis mentem. n.79.p.48
Primus titulus quo obligamur ad non vtendum restrictione mentali, est charitatis. n.81.p.44
Secundus, ratione officij. p.48
Tertius titulus, est ex iustitia. n.82.p.48
Quartus, ex obedientia. n.83.p.48
Quintus, ex obligatione illius virtutis, cui error illius qui decipitur aliquo modo opponitur. n.84.p.48.
In quo hi tituli differant à titulo euitandi mendacium. n,85.p.48
Fidelis non potest interrogatus à Tyranno vti Restrictione mentali. p.49
Nec in contractibus initis cum infidelibus in ordine ad commercium ciuile licitum est vti Restrictione mentali. n.106.p.52
Periurus est qui contractibus iuramento firmatis adhibet Restrictionem mentalem. n.53
Non potest aliquis Restrictione mentali vti in contractu Matrimonij. n.108.p.53
Elector, aut Prouisor beneficiorum Reipublicæ, Restrictione mentali vti non potest, vt dignior desistat ab oppositione. n.110.p.53

Reus.

Reus, quòd teneatur veritatem propalare, quando præcessit solùm semiplena probatio, non est improbabile. n.20.p.4
Quando est semiplena probatio, aut quando præcessit infamia (si aliàs constet corpus delicti) aut quando indicia sunt manifesta, tenetur Reus obedire Iudici interroganti. n.26.p.5
Quando Reus primò interrogatus sub iuramento negauit; si posteà iterum interrogetur, non potest Confessor illi consilium dare vt fateatur veritatem, &c. n.22.p.5
Prorsus improbabile est, asserere quòd opinio negatiua excusans Reum semiconuictum, ne teneatur manifestare crimen, non solùm sit probabilis, sed certa. n.23.p.5
Reus tenetur propalare veritatem iudici interroganti iuridicè, in criminalibus contra bonum publicum. n.41.p.7
Reus potest occultare veritatem, quando dubium est, an sit semiplena probatio, aut infamia sufficiens, aut expressa indicia. n.43.p.7
Reus quando est reipsa innocens, sed secundum allegata, & probata iuridicè constat nocens, non tenetur respondere iudici secundùm allegata, & probata, sed solùm secundùm veritatẽ. n.46.p.8
Potest Aduocatus, & Reus occulta crimina testium propalare. p.16
Reus non potest manifestare socios criminis, nisi hoc sit contra bonum publicum. p.16
Reus quando est conuictus de vno crimine an teneatur fateri alia crimina occulta. n.111.p.18
Reus vbi non condemnatur ad mortem, &c. si sequatur alicui tertio graue aliquod damnum; si reipsa reus commisit crimen, teneor ad testificandum. n.128.p.21
Reis vltimo supplicio plectendis debet viaticum dari. n.357.p.219
Reis morte plectendis an possit conferri extrema Vnctio? Quinam affirment, & quibus rationibus probent. n.357.p.219
Quoties licitum est Reo fugere, & ego possum illi consilium dare de fuga, licitum est præbere illi instrumenta fugæ. n.2.p.486
Non est licitum Ministris Iustitiæ. n.3.p.486
Non licet simul cum Reo carcerem frangere, nisi sit sanguine iunctus. n.5.p.486
Ante sententiam latam potest Reus fugere. n.19. p.188.

S

Sacerdos.

SAcerdos tenetur, si sciat in confessione aliquos maleuolos immissuros vino venenum ad ipsum enecandum, desistere à celebratione, etiamsi sit dies festus. n.178.p.30
Sacerdoti non ieiuno licitum est communicare, vt perficiat sacrificium quod alter complere non valuit. n.263.p.210
Sacerdos quando post hostiam consecratam meminit se comedisse, aut bibisse, etsi mala fide, & peccando ad altare accesserit, tenetur sacrificium perficere; imò si de offensa pœniteat, fructuosè communicabit. n.268.p.211
Sacerdos non ieiunus quomodo, & quando possit sumere particulas in altari seu patena inuentas. p.274.p.211.
Communis sententia, quod dum Sacerdos in altari est, sacrificium nondum censetur completum. n.279.p.212
Sacerdos qui non sumpta ablutione, communicauit, potest secundò celebrare, si necessitas adsit vrgens. n.283.p.212
Sacerdotem non ieiunum si Princeps sacrificiũ cogat, an possit Sacerdos licitè sacrificare? n.288.p.213
Sacerdoti an sit licitum Missam celebrare non ieiunus ad recipiendum viaticum. n.292.p.213
Asserere licitum esse Sacerdoti consecrare species panis vsque eo quod consecret species vini, ad communicandum infirmum, improbabile est, & dici non potest. n.300.p.215
Valde probabile est, & tutum in praxi asserere, & suadere Sacerdotem non ieiunum posse Missam

celebrare ad communicandum infirmum ita desperatum, vt expectare amplius non valeat, & periculum est vt non sumpto viatico decedat. n.310. p.215.

Sacerdos quicumque sive sæcularis, sive Regularis debet examini se subiicere, nisi Parochus sit, aut Episcopus. n.1858. p.433

Quid intelligatur per illa verba Bullę Cruciatæ, & Iubilei generalis, quod Sacerdos debet esse approbatus ab Ordinario, vt possit eligi in Confessarium? n.2031. p.447

An si quis postquam confessus est Sacerdoti exposito, & approbato peccatum mortale dubium, vt dubium; si pòst inueniat certo commisisse mortale, & dubium exclusit, sit obligatus confiteri Sacerdoti approbato peccatum quod erat dubium, vt certum? n.2090. p.458

Sacramentum suscipere an sit licitum, sine eo quòd ieiunus sit Sacerdos, ne infideles sacrilegè surripiant. n.322.p.216

Sacramentalia.

Sacramentalia an causent remissionem venialium culparum ex opere operato, vèl tantùm operantis? n.428. p.541

Quid de singulis Sacramentalibus sentiendum? n.474. p.545.

De aliis effectibus quos causant Sacramentalia, quomodo ab aliis proueniant? n.486. p.547

Sacrificium.

An Pontifex possit dispensare quod Sacrificium Eucharisticum institutum à Christo Domino possit celebrari in sola specie panis? num.846. p.299.300.

Salarium.

Seruitores si intra trium annorum spatium nullo modo petant à Dominis salarium, an teneantur Domini? n.245. p.78

Leges præscriptionis salarij seruorum debent intelligi si adsit bona fides in foro interno. n.246 pag.78.

Dominus non tenetur Salarium offerre nec deferre famulo. n.248.p.78

Scriptura Sacra.

Peccat mortaliter qui Comœdiis prophanis loca sactæ Scripturæ prophanè explicat. p.117

Scriptura.

Scripturam si quis habeat, ex cuius ignorantia aliquis patitur detrimentum in suo iure, &c. tenetur ex iustitia illam propalare. n.121. p.19

Secretum.

Qualiter id quod scitur sub Secreto reuelandum sit, quando publicatur edictum aliquod ab Episcopo sub pœna excommunicationis. n.214.p.35

Amicus, si quid sub Secreto naturali mihi commisit, & non cedit in damnum publicum, aut alicuius particularis, non possum illud propalare etiam à iudice interrogatus, &c. n.217. p.35

Secreti promissi fidem tenetur quis seruare, etsi sequatur illi damnum notabile, si sic promisit. n.221. p.36.

Seruitus, Seruus.

Seruus si adstringatur iuramento à domino potest manifestare latronem, si id potest per testes probare. p.15

Recensentur iusti quidam tituli quibus vnus homo potest aliũ redigere in Seruitutẽ. n.187.p.81

Seruus Religionem ingressus si contra triennium non repetatur à Domino, an libertatem præscribat in conscientia? n.417. p.95

Seruus, elapso triennio cùm repeti non possit à Domino, validè professionẽ emittit. n.421.p.95

Quomodo seruus cùm sit in mala fide canonica sciens se furtum commisisse sui corporis & non esse sui iuris, sed alieni potest seipsum mancipare, & consecrare Religioni? n.425. p.95

Serui an habeant aliquarum rerum perfectum dominium? n.963.p.148

Enumerantur sex casus in quibus Serui hoc perfectum dominium acquirunt. n.966. p.149

Seruus potest de his rebus, quarum dominium habet, contractus facere, ex quibus etsi non obligetur ciuiliter, obligatur tamen naturaliter, & si cum domino suo contrahat, iste tenebitur in conscientia si seruus adimpleat, adimplere. n.981. p.150.

Serui, saltem naturaliter, possunt ex contractu domino, & seruo dominus obligari. n.982.p.150

Sigillum.

Id quod scitur sub Sigillo confessionis nullatenus propalari potest. pag.21

Sigilli secretum institutum est in fauorem Sacramenti, & publicæ vtilitatis. n.135. p.22

Sigillum duplex, naturale nimirum, & Confessionis. n.1366. p.348.349

Signum.

Signa duplicis generis; alia de se instituta ad manifestandum conceptum quem quis habet contra fidem: alia de se indifferentia. n.151. p.24

Silentium.

Silentij fides seruanda est, quando dubitatur an iudex iustè interroget. n.222. p.36

Silua.

Saltus, & Siluæ possunt esse alicuius particularis personæ, aut alicuius ciuitatis, aut oppidi, & tunc committit furtum, & ad restitutionem tenetur, qui inuito domino ligna cædit. n.331. p.86

Quid si duo populi vicini, & quilibet habeat suam Siluam, & vtriusque populi habitatores mutuò cædant ligna ex silua alterius populi, an peccent? n.333. p.86

Item quid dicendum, si vnus populus habeat syluam, & alter vicinus non habeat, & huius incolæ ligna cædant in silua alterius? n.334. p.86

Simonia.

An examinatorum respectu in vitio Simoniæ detur paruitas materiæ. p.326

Simplicitas.

Simplicitas pertinet ad virtutem veritatis. n.24. pag.40.

Socius.

Socios criminis Reus non potest manifestare, nisi hoc sit contra bonum publicum. n.105. p.16

Reus non potest manifestare socios criminis occultos de quibus non præcessit infamia. n.105 p.16.

Stuprum

Stuprum est defloratio virginis existentis sub cura parentis. n.240. p.77

In stupro est specialis circunstantia contra iustitiam, ex qua oritur restitutionis obligatio ipsi virgini facienda. n.241. p.77

Si quis Monialem stupraverit, nec ipsi, nec monasterio tenetur de damno. n.242. p.77

Subditus.

Qua ratione Subditus regularis teneatur delicta denuntiare suis Prælatis. p.35

Suffragium.

An licitum sit aliquando ferre Suffragium, quando iam est conclusum negotium iniustum, sive in sententiando, sive in eligendo indignum sive in approbando, &c. n.1416. p.353

An si quis sciat sub sigillo aliquem indignum, possit,

sit, & teneatur negare Suffragium ? p.348

Quando quis teneatur ferre Suffragium in comitiis, & communitatibus in quibus habet votum decisiuum, aut consultiuum, itaut teneatur sub mortali non abesse cum possit adesse ? n.1426. p.354.

Possum non dare Suffragium digniori cui nihil est profuturum, & eligere dignum ad euitandam electionem indigni. n.1677.p.390

Superfluum.

Superfluum dicitur quod non est necessarium ad statum habentis. n.836. p.136

Quod vni personæ est superfluum, alteri erit sufficiens, & quod in vno loco superfluit, in alio non. n.837.p.136

Superior.

Superior Regularis aut Episcopus si potest vti notitia habita in confessione, tenetur aliquando ea vti. n.154.p.25

Superior si sine causa concedat peculium an tutus sit subditus in conscientia ? n.846. p.137

Superiores non ministrantes suis subditis necessaria, & sic dantes occasionem, vt subditis permittantur peculia, an mortaliter peccent. n.854 pag.138.

Superior potest validè concedere licentiam subdito vt pecuniæ quantitatem ludo exponat, & lucrans non tenebitur restituere ; sicut nec ipsam Religiosus si ab alio potente perdere lucretur. n.866. p.139

Superioris licentia implicita sufficit vt subditus possit vti Bulla Cruciatæ. n.67.p.156

Surdus.

Surdus vtraque aure an ex vi huius defectus, & vitij corporalis sit incapax beneficij acquirendi ? n.812. p.295.

Suspensio, Suspensus.

Suspensionis definitio. n.1060.p.317

Suspensus, suspensione durante peccat mortaliter si Beneficium de nouo obtineat, siue in concursu, siue in simplici collatione, electione, institutione. n.1063.p.318

T

Tabacum.

SVmendi Tabacum consuetudo nullum cum Dæmone pactum includit. p.189

Tabacum sumentium captiuitas exaggeratur. n.4. pag.189.

Opus Dæmonis esse videtur. n.7. p.189

Dæmonem primum fuisse, qui Sacerdotes Idololatras sumere Tabacum in fumo docuit, dixit Monardes. n.8. p.189

Ridiculum, & absque fundamento est asserere, quod consuetudo sumendi Tabacum, vllum cum Dæmone pactum includat. n.9.p.189

Quot modi sint sumendi Tabacum, & quis ieiunium soluat ad Sacram Communionem requisitum. p.198

Quinque modi sumendi Tabacum referuntur. n.119. p.198.

Tabacus in puluere per nares sumptus ieiuniũ naturale non frangit, & ita communionem non impedit. n.124. p.198

Tabacus in fol. ore sumptus, & dentibus tritus, an ieiunium naturale frangat, & communionem impediat. n.127. p.198

An globuli Tabachici ? n.130.p.199

Pactũ aliquod in sumptione Tabaci non interuenire, reassumitur iterum probandum. n.136.p.199

Virtus huius herbæ non Angelica, nec Diuina, nec dæmoniaca est, sed insita ex vi creationis ab auctore naturæ. n.137. p.199

Tabaci sumptio non frangit ieiunium Ecclesiasticum Quadragesimæ. n.146. p.200

An si quis non in fraudem ieiunij per integrum diem non continuè, sed successiuè masticando Tabaci folia, non deglutiendo, nisi succum illius, aut sumendo illius confectionem ex saccharo, & tabaco, aut succum Cocæ, & pilularum traiiciat ad stomachum variis vicibus vltra duas vncias alimenti, an inquam iste talis frangat mortaliter ieiunium Quadragesimæ ? n.155 pag.201.

Sumptio fumi Tabaci ore traiecti ad stomachum an frangat ieiunium naturale requisitum ad communionem ? n.163.p.202

Secunda sententia maximè arridet Auctori, quæ negat, quòd ille qui fumum tabaci ad stomachum vsque traiicit, sit capax licitè recipiendi sacram communionem. n.167.p.202

Primum fundamentum huius sententiæ ponitur, & explicatur. n.168.p.202

Secundum fundamentum affertur, desumptum ex Concilio Mexicano. n.185. p.204

Iacitur tertium fundamentum, & stabilitur. n.190 pag.204.

Euertuntur fundamenta oppositæ sententiæ. n.193 pag.204.

Episcopi an possint prohibere sub peccato mortali ne Tabacus sumatur neque ante, neque post celebratam Missam ? n.382. p.222

Taurus.

Taurorum agitationem inspicere an sit peccatum mortale ? n.708.p.123

Testator.

Testator si testamento ordinet, quod bona aliena restituantur, si hæres sciat aliqua à testatore bona fide canonica præscripsisse an teneatur restituere ? n.407.p.93

Testis.

De Testibus qualiter interrogati teneantur veritatem propalare. pag.9

Testis non tenetur veritatem dicere, quando requiritur de crimine, quod non est contra commune bonum, sed de alio particulari, si graue damnum illi sequatur. n.68. p.10

Testis, an vocatus à Iudice, & iuridicè interrogatus teneatur ex iustitia propalare veritatem ; an solùm ex obedientia, itaut teneatur restituere damna, quæ ex eius negatione mortifera sequuntur ? n.70. p.11

Testis vt teneatur respondere iudici interroganti, & procedenti via accusationis, non est necessarium quòd accusatio sit iusta in foro interno, & externo simul, sed sufficit quod in externo, &c. n.76.p.12.

Testis si sine peccato aliquo falsitatem dixit in iudicio, ex qua secutum est damnum alicui, non tenetur restituere. n.80. p.12

Testis tenetur dicere veritatem etiamsi non præcedat infamia, quando Inquisitio non intendit condemnare, sed vitare errorem. n.95.p.14

Quando quis est diffamatus de vno crimine tenetur Testis interrogatus de aliis eiusdem speciei dicere veritatem. p.15

Testis non potest manifestare occisorem, si est occultus, etiam si publicum sit homicidium. p.17

Testis non potest detegere alia crimina disparata, de quibus non præcessit infamia, etiamsi detegere

gere teneatur illud de quo est diffamatus reus. n.111. p.18.
Testis non potest dicere veritatem nisi præcedat infamia etiamsi ptocedatur contra Religiosos professos in ordine ad grauem pœnam. n.117. pag.19.
Testis quando peccet mortaliter non ferens testimonium. n.120.p.19
Testimonium potest aliquis pro se ferre, quando agitur de damno aliquo temporali. n.125.p.20
Testis tenetur vltro se offerre ad ferendum testimonium, quo eripiatur particularis, vel communitas à damno. p.33
Quando crimina sunt in damnum alicuius particularis, vel communitatis, &c. Testis tenetur vltro se offerre ad ferendum testimonium.n.199 pag.33.

Thesaurus.

Thesauri definitio. n.402. p.93
Thesaurum inueniens in domo alicuius familiæ an teneatur restituere? p.93

Tributum.

Tributa, & vectigalia iusta, quod ex omni parte, & titulo debeantur in conscientiæ foro, probatur ex multis Auctoribus. n.164.p.69

V

Vectigal.

VEctigalia imposita pro vsualibus potest quis non soluere, ex Bonacina. n.164. p.69

Venatio.

Venatio triplex? n.277. p.81
Venatio an licita? n.278. p.81
Venatio an prohiberi possit, & cur? n.279.p.81
Anceps, venator, & piscator an possint præscribere? p.81
Inter Venationes à Summistis relatas, prima est hominum oppressiua. n.284.p.81

Veracitas.

Veritas siue Veracitas constituitur à D.Thoma specialis virtus. n.23.p.40
Ex vi virtutis simplicitatis, & Veracitatis tenetur quis dum loquitur proximo suo ad conformandum verba sua non solum menti, & intentioni propriæ, sed etiam menti eius cui alloquitur. n.29. p.40.
Veracitas propriè inclinat ad non mentiendum. n.33. p.41.

Viaticum.

An licitum sit Missam celebrare non ieiunus ad præbendum alteri Viaticum. p.213

Vicarius.

Quid possit Vicarius, aut debeat facere Sede vacante? n.91.p.231

Votum.

Si quis voueat non ludere cum aliqua determinata persona, vel aliquem determinatum ludum, vel in domo determinata, manente tamen libertate ludendi alibi, & cum aliis, vel in aliis ludis, non obligat votum. n.763.p.128
Quid si quis voueat non lusurum vt vacet rebus diuinis? n.764.p.128
Item si quis voueat non lusurum ne res familiaris dissipetur? n.766. p.129
Item si quis voueat non lusurum in certa domo, quia est ibi occasio peccandi, vel cum certa aliqua persona, quæ sibi occasionat rixas, & iuramenta, &c.? n.767. p.129
Si quis voueat non lusurum sine consensu Patris aut sui amici, cessat obligatio Voti mortuo Patre, aut amico. n.769 p.129
Et quid si pater incidat in amentiam. n.770.p.129
Item si quis voueat non lusurum quousque amicus ab India venerit, si in itinere morte præuentus sit amicus? n.771. p.129
Nullus censetur perpetuam sibi imponere obligationem nisi expressè vel tacitè id intenderit. n.772. p.129.
An Votum vel iuramentum ludendi aliquo ludo honesto ex omni circunstantia, quando, & vbi, & quomodo oportet, sit validum? n.773. p.129.
Qua ratione quis obligetur Voto quod fecit non ludendi? n.758. p.128
Qualiter obliget Votum pœnale non ludendi. pag.130.
Votum simplex an ex natura sua faciat Religiosum? n.20. p.488
Discrimen inter solemnitatem Voti continentiæ sacris ordinibus annexi, & solemnitatem voti Religiosorum. n.34. p.489. 490

Vsucapio.

Vsucapere rem alienam licitè potest si quis sciens eam absque peccato in publico foro emit.n.103 pag.64.

Vxor.

Vxorata non potest non solùm rem dotalem ludo exponere, sed nec bona paraphernalia. n.614. pag.114.
Vxor peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, si donationes excessiuas, & superfluas faciat, aut ludo exponat notabilem summam sine consensu mariti. n.943. p.146
Quæ bona Vxoris confiscentur, confiscatis mariti bonis. p.147
Vxor non habet absolutum dominium suæ medietatis bonorum lucratorum, constante matrimonio; sed solum habituale, & conditionatum. n.956.p.148

FINIS.

tñ. Vnde põt papa qđ non ualet efficere consuetudo. Nã nõ põt induci ꝓsuetudo, ut electores eligant certũ; ꝙa tollitur libertas eligendi: ut in c. cũ terra. de ele. & tñ mandatũ Papæ ualet, nec minus dr̃ electio. † Tertiò no. ꝓ ꝓsuetudine, q̃ seruaꝝ in inuestitura beneficij-
2 põt. n. fieri ꝑ immissionẽ anuli; [a] & fortè ab hoc emana uit ꝓsuetudo, ut in doctoratũ detur anulus nouello doctori, in signũ, ſ. inuestituræ scientiæ; & solet allegari ĩ sermonibus; hic tñ nõ fuit datꝰ anulus, sed missus; fortè. n. erat tũc ꝓsuetudo, ut mitteretur ꝑ inuestiendo.
5 † Quãꝺ no. ibi, [*Reuerẽtiam exhibuit*] & tene mẽti sem ꝑ istũ tex. qa est valde singularis, ꝙ si ꝑtendens habere ius aliqua dignitate, uel officio, exhibet reuerentiã in tanquã legitimè ꝓstituto in illa dignitate, uel of. r̃ tacitè renunciare iuri suo. Et iõ cauti ꝑcurator in libello, & alijs scripturis nunquã dicũt illũ esse ꝑlatũ: sed ꝙ asserit se ꝑlatũ. † Vlt. no. ꝙ nõ ualet eius
6 appellatio, cuius nõ interest; ꝓcor. c. cũ inter, de ele. &
7 2. q. 6. c. nõ solent, ubi de hoc. † In gl. sup uer. [*Et si man datum*] ibi, [*Non efficitur quis possessor*] dic, ꝙ hic nõ interuenit ĩuestitura, ut patet in litera. Et an & qñ sine actu corporali acqratur possessio, ibi dixi, & in ca. authori
8 tate, de insti. & ꝑ Io. An. in c. trãsmissã, de ele. † Et in fi. gl. aduerte, ꝙa hic est fortior casus, q̃ in c. dilectus; ꝙa Papa dedit hic executorẽ. unde de mã dic, ut in c. si soli, & c. si capitulo, de concess. præb. li. 6. Et ꝑsuppositio, ꝙ ꝑpositura fuisset affecta ꝑ isto beneficio; nihilominus renunciauit ipse iuri suo, exhibẽdo reuerentiã ad
9 uersario tanquã ꝑposito. † In gl. pen. ibi. [*L. Herennius. §. ult.*] Gl. ꝑ ꝙrijs allegat illã l. & c. dilecto, de pbẽ. q̃ parũ faciũt. nã in l. Herennius, solũ dr̃, ꝙ ꝓceptio salarij nõ facit quẽ decurionẽ, sed electio legitima. Sed tu dic, ꝙ reuerentia exhibita intruso non facit illũ ꝑlatũ: sed ponderatur quo ad excludendũ istũ beneficiatũ. Ca. dilecto, ẽt nõ obst. ꝙa non poterat expresse ibi Eps cõsentire, ut duo hẽrent vnam præbendã; ita nec tacitè.
10 † In eadẽ gl. ibi [*Licet expresse non ualeret.*] Not. mirabilẽ gl. ꝙ qs tacitè põt renũciare beneficio suo sine licẽtia superioris, nõ aũt expresse. Sed hoc dictũ (salua reuerentia gl. nõ est verũ, ꝙa rr̃ariter plus operatur ꝓsensus expressus, q̃ tacitus, cũ ille sit fortior, ut in rr̃a, is, q tacet, li. 6. de reg. iu. & no. ĩ c. dilecti, de fo. cõp. Et ꝑ hoc qđ nò doct. in cap. de multa, de pb. ubi dñt, ꝙ licèt tacitè inducatur renunciatio primi beneficij ꝑ acceptionẽ secundi, tñ superior primi põt reuocare illũ ad primũ beneficiũ: ꝙa nõ potuit sine ꝓsensu suo remittere beneficiũ. Ad istũ tex. dñt quidã, ꝙ loqtur de iure ad rẽ, cuĩ põt renunciari sine ꝓsensu superioris. Hæc sol. est uera in se, & ꝑbatur in cle. gratiæ, de reser. sed non est bona ad istũ tex. ꝙa tex. hic dicit, ꝙ ẽt si fuisset inuestit⁹. & sic habuisset ius in re, tñ illi renũciauit exhibẽdo il
11 li reuerẽtiã. Et iõ põt solui q̃riũ arr̃, ꝙ quẽadmodũ sufficit tacitus ꝓsensus renunciantis, vt hic, (quod est notabile) ita sufficit tacitus ꝓsensus superioris in acceptando renunciationẽ; vnde, ex quo superior nõ q̃dixit, vr̃ tacitè acceptasse; & sic põt intelligi iste text. & in hoc ponit dictũ notabile ille tex. & limitat illud c. admonet, & c. qđ in dubijs, de renun. † Sed q̃ istũ tex. oppoñ ꝑ electionẽ & cõfirmationẽ ad ẽpatũ non vacauit præpositura, ut in c. cũ in cunctis, de ele. ergo alio respectu nõ ualuit electio. Sol. dicit Host. ꝙ forte ille electus renunciauit præposituræ tñ. Nunqd aũt sufficiat eius ꝓsensus sine renunciatione; dicit, ꝙ si ꝓsensit collatori, valet: ꝙa vr̃ tacitè renunciasse; & sic põt intelligi ſm eũ, c. ꝙa beneficiũ, de reg. li. 6. Sed si ꝓsẽsit solũ electioni, nõ valet electio; ꝙa nõ põt renunciare beneficio in manibus electorũ duntaxat: sed reqrit ꝓsensus superioris, q̃ hẽt confirmare, ut in d. c. admonet. Ego dicerẽ quo ad casum huius c. sufficere, ꝙ fiat in manibꝰ electorũ, ꝙa in fauorẽ electi dũtaxat est introductũ, ut nõ uacẽt bñficia sua añ ꝓsecrationẽ, ut in c. cũ in cũctis, đ ele. huic ãt fauori põt renũciari, arg. in c. apr̃icã, de rr̃a.

SVMMAE.

1 *Prælatus cum a maiori parte capituli potest statuere, ut quilibet teneatur cõtribuere pro necessarijs ecclesiæ etiam aliquibus contradicentibus. 2.*
3 *Scholaris pauper potest sustentari de communibus redditibus alicuius ecclesiæ.*
4 *Maior pars nõ põt disponere super rebus spectãtibus ad oẽs ut singulos, si illi non habent iure proprio, & illud quod disponitur, est distribuendum in pios usus; alias secus. 5. 7.*
6 *Vniuersitas ubicunq; est obligata nec hẽt unde satisfaciat, potest singulis de uniuersitate imponi collecta, ut habeat unde soluat. 7.*
7 *Collectæ an imponatur secundum quantitatem patrimonij, an pro capite?*
Episcopus potest compellere canonicos ad distribuendos superfluos redditus ad necessariam fabricam ecclesiæ.

CAPITVLVM IIII.

b 1 EX parte. [b] † Prælatus cum maiori parte capr̃i, q̃dicente minori statuer̃ põt, ꝙad necessariã reparationẽ fabricæ ꝙlibet canonicus ꝓfer̃ teneatur. h. d. Cõis diuisio. Sed a, ibi, [*Statuimus.*] Casus liter. Archiẽps Rothomagen. eccl̃e, cũ fabrica eccl̃æ suę restauratione ĩdigeret, habuit tractatũ cũ fratribus suis, ut ꝙlibet eorũ cũ ipso Archiẽpo aliquã portionẽ reddituũ suorũ tãpio & necessario operi deputaret, qđ ipsi facere noluerũt. Vnde ipse significauit hoc do. Papæ. sup hoc statuit Papa, ut si aliq ꝓtradixerit b statutis ipsiꝰ Archiẽpi & maioris partis capituli, & sanioris, obtineat sñia plurimorũ. Ber. Not. primò, ibi [*Tractatu.*] ꝙ ad esse tractatus necessario nõ ꝓcurrit cõsensus deliberatus; & facit ꝑ his q̃ dixi in c. tua, s̃. tit. 1. Hic. n. eps & canonici habuerunt tractatũ de hac re,
2 nõ tñ aliqd deliberauerũt. † Sed o nota, ꝙ ad opus piũ põt Eps cum maiori parte capituli obligare certã partẽ reddituũ canonicorũ, licèt pars minor cõtradicat. Et facit text. iste in arg ut Eps & maior pars capituli possit statuere, ut quisq; debeat conferre ad subuentionem scholaris pauperis docilis existentis in studio: facit etiã in arg. c. sup spe. j. de magi.
3 Tertiò nota, ibi [*Maioris & sanioris &c.*] ꝙ nõ sufficit ad validitatem statuti, ꝙ Eps habeat secũ aliquos ex canonicis; sed dẽt ad minus secũ habere maiorẽ partem
4 & saniorem. † No. quartò tex. ualde no. & quasi singularem in mã sua, ꝙ sup redditibus pertinentibus ad canonicos ut ad singulos, valet statutũ à maiori parte. Contra hoc opponitur de l. per fundũ. ff. de seruit. rust. prædio. Itẽ de regula, in re cõi, de reg iur. lib. 6. ubi patet, ꝙ in re ẽt cõi pluribus ut singulis, unus solus potest impedire dispositionẽ maioris partis circa ipsam rem. Nã, vt dicitur in l ꝑ fundũ, ff. de ser. rusti. prædi. si tu & ego habemus fundũ cõem, non potes constituere alicui seruitutem in fundo, nisi ego consentiã; nec sufficit maior pars, si plures essemus domini. Fortius ergo in casu huius c. nõ debuit sufficere maior pars, cũ redditus canonicorũ essent separati, & ꝙlibet singulariter cognosceret fructus suos. Sol. metu contrarij, ut arbitror, dixit Vin. ꝙ hoc ꝓcessit ex approbatione Papæ: aliàs procederet ꝓtrariũ. Sed ſm hanc opi. Vin. de nihilo seruiret hodiè hæc decr. vnde frustra fuisset posita in hoc volumine, ꝙ id, quod hr̃ s̃. in prœ. In hoc Inno. dat aliã solutionẽ ualde not. dicens contrariũ procedere, quando redditus ꝓtinerent ẽt ad singulos

ZACHAR.

a Per missionẽ anuli. Adde qđ no tauĩ in apo. ad istũ in c. cũ iter, nu. 5. in apo. in uer. fuerat iuesti tus, supra d renũ. ANT. FRAN. Inuestitura qbus uerbis fiat, & qua forma, & quibus modis, uide per gl. & Bal. in c. 2. ĩ §. fin. ꝑ quos fiat inuestitu. & in c. 1. quid sit inuest. in usi. feud. Et ad de, quòd facta ꝑ anulum de re uẽ dita, uel donata, operatur licẽtiã occupãdi ipsam rẽ propria authoritate, ut per Inno. in c. 2. de rer. permut. & tenet Bal. in l. 1. §. fi. C. de re. permut. & in rub. C. de contra. emp. in 17. q. & uide Ale. in l. 3. & in l. si ex stipulatione. ff. de acq. pos. & hr̃ in c. ꝑ tuas, de don. & ꝑ Io. An. in c. cõmissa. de elec.

SEB. SAPIA.

b Ex parte. Vide, quod ꝑ istũ tex. pulchrè consuluit Cal. in cõsi. 6. in ti. de his, q̃ fiunt a præla. refert Fel. in c. cum dilecta, in penul. col. s̃. de rescrip.

260
Int. Top.
Est. 32
Tab. 6
Num. 2

Rerum Scoticarum

4542